REI VENATICAE SCRIPTORES
ET
BVCOLICI ANTIQVI

POETAE LATINI
REI VENATICAE SCRIPTORES
ET
BUCOLICI ANTIQUI.

Videlicet

GRATII FALISCI,

Atque

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI,

CYNEGETICON HALIEUTICON & DE AUCUPIO.

Cum Notis Integris

CASP. BARTHII, JANI VLITII, TH. JOHNSON, ED. BRUCEI.

Accedunt

M. LANGII Dispunctio Notarum JANI VLITII, & CAJI Libellus de Canibus Britannicis.

ITIDEM BUCOLICA

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI & CALPURNII,

Cum Notis Integris

ROBERTI TITII, HUG. MARTELLI CASP. BARTHII, JANI VLITII. & Commentario DIOMEDIS GUIDALOTTI & B. ASCENSII.

Quibus nunc primum accedunt

GERARDI KEMPHERI

Observationes in tres priores CALPURNII Eclogas.

Cum Indicibus Copiosis.






LUGDUNI BATAVORUM & HAGAE COMITUM,

Apud JOHANNEM ARNOLDUM LANGERAK. P. GOSSE. & J. NEAULME. RUTG. CHRISTOPH. ALBERTS. J. VANDER KLOOT.

M D CCXXVIII.



ILLUSTRISSIMO
NOBILISSIMOQUE DOMINO

ADAMO ADRIANO VANDER DUYN,

DOMINO IN BENTHORN, MAASDAM, HINCLENOORT, SASSENHEYM &c.

ADSCRIPTO EQUESTRI NOBILITATI HOLLANDIAE & WESTFRISIAE; ET IBIDEM

* 3 PRAE-

PRAEFECTO
SYLVIS ET VENATIONI;

GUBERNATORI WILLEMSTADII, DE CLUNDERT ET ADHAERENTIUM ARCIUM PROPUGNACULORUMQUE; DUCTORI EQUITUM MILITIAE STATUS FOEDERATI, TURMAEQUE EQUITUM PRAETORIANORUM PRAEFECTO &c. &c.

HOSCE REI VENATICAE SCIPTORES ET POETAS BUCOLICOS VETERES D. D. D. TYPOGRAPHI.

VIR ILLUSTRISSIME

EGREGIUM hoc & ſpecioſum Volumen, quod Principes Poëtas Latinos continet, qui de Venandi Arte ſcripſerunt, & Paſtoralis itidem Carminis Auctores haud contemnendos, TIBI po-

potiſſimum VIR ILLUSTRISSIME, offerimus, quod nulli videretur magis competere quam Tibi uni, mererique, ut ſuo magno merito conſecraretur.

Certe ſi alius quidam Liber a Nobis fuiſſet editus, idem Nomen praeſcriptum fuiſſet, pro maximo illo honore, cultu, atque obſervantia, quam TIBI debemus; tot in TE fulgentibus virtutibus, tantiſque lucentibus honoribus, ut vix ulla vel ſic Illuſtrior Libro noſtro inſcribi Tutela potuiſſet.

At nunc plane devia fuiſſet omnis alterius Nominis cura, quum ſibi ultro ad TE PRAEFECTUM IN PATRIA NOSTRA SYLVIS & VENATIONI viam affectant REI VENATICAE SCRIPTORES VETERES, qui utique nuſquam melius, quam apud TE de Arte ſua Armiſque canere poſſunt, neque apud ullum ſanctius aſylum contra omnem injuriam ſunt inventuri.

Speramus autem fore, ut hoc Opus ſit gratum

tum ILLUSTRI VESTRAE DIGNITATI, mereaturque tegi ſub alis Benevolae Veſtrae Amplaeque Protectionis, quibus etiam complectaris

Nos

ILLUSTRISS. NOMINIS TUI

Cultores humillimos atque Servos obſequentiſſimos

P. GOSSE.
J. NEAULME.
RUTGER. AALBERTS.
J. VANDER KLOOT.
JOH. ARNOLD. LANGERAK.

TY-

TYPOGRAPHUS
L E C T O R I
S. D.

P*Raefandi aliquas partes ut Ego mihi ſumam, neceſſitas exigit. Premi enim hujus Operis Editionem in Novis quibuſdam Literariis, imo & infamari vidi, Quaſi videlicet a me dolo malo ſuſcepta eſſet, & aliquo jure laeſa eſſet Viri Magni auctoritas qui & ipſe ibidem profitetur horum Poëtarum Editionem ſeſe moliri. Verum nihil a me eſſe factum, in quo ulli mortalium aliqua facta eſt injuria, res ipſa clamabit. Itaque breviter, quid me impulerit & qua occaſione Opus hoc molitus ſim, juxta ipſam rei veritatem docebo.*

Audiveram Jani Vlitii Venationem Novantiquam, *laudari propter reconditam Eruditionem, deſiderari propter raritatem. Feci, quod Typographi ſolent, lucrum meum ſpectavi; & eo fine, ut recuderem, Exemplar ejus libelli mihi comparavi. Accidit interea, ut Juvenis quidam nobilis, natione Britannus, Eduardo Bruceo illi nomen erat, ad officinam meam acceſſerit, plures libros emerit, deinde & Vlitii illum libellum pariter ſibi comparare voluerit. Reſpondi, non poſſe id ipſi a me praeſtari; quum urgeret, dixi, me brevi iſtius libelli ſuſcepturum Novam Editionem. Tanto magis ille inſtare, imo & promittere ſe velle curam Edendi in ſe ſuſcipere, additis Johnſtoni Angli, & ſuis quibuſdam hic illic Notulis. Adcommodavi aurem, & cur non? Licebat mihi quod aliis. Dum loquimur, forte fortuna ingreſſus eſt officinam meam V. Cl. Sigebertus Havercampus; quocum, ut in re nova, conſilium illud illico communicavi. Lauda-*

dabat; verum adjici debere judicabat integras Barthii, Titii, & aliorum Notas. Praeterea revocabat sibi in memoriam, visas olim a se penes Gerardum Kempherum, Scholae Alcmarianae Prorectorem, atque Poëtam hujus seculi plane insignem, Observationes in Calpurnii Eclogas, magna refertas Eruditione. Simulque Juvenem Britannum admonebat, duo singulorum librorum exemplaria ipsi comparanda esse, quibus dissectis, ordine suo singulorum Notae, conglutinari possent, quaeque plura ad Libri alicujus, ut nunc ornati prodeunt, Editionem adornandam requiruntur. Monstraret sibi methodum, rogavit Nobilis Britannus, quum id in Anglia esset insolitum. Ego tunc quoque rogavi CL. V. ut vellet, consilio mihi adesse, atque quid potissimum ad Novae hujus Editionis commendationem facere posset, docere; quod pro sua humanitate, in se idem V. Cl. recipiebat; Nullas vero ipse Notas adjecit, multo minus alieno nomini suum commodare studium unquam cogitavit. Rediit deinde in Patriam Nobilis Juvenis, cum quidem Gratii Opusculum jam ad finem vergeret, verum omnium Poëtarum, qui hoc volumine continentur, integra Editio nondum esset absoluta; ego tamen satis multa ad manum haberem, quae hanc eandem commendare possent; id quod Lector aequus quivis facile videbit; quique nullo partium abripitur studio, nostris ultro favebit conatibus. Socios vero Operi huic inprimendo adscivi Bibliopolas Hagienses, ut tanto magis ab omni injuria, si quis (quod neque spero, neque credo) adferre cogitet, universos tutos conjuncta praestet opera.

OPTI-

OPTIMAE. ET. MAXIMAE.
PRINCIPUM.
REGII. QUA. PATET. NOMINIS.
SEXUS. AC. SAECULI. SUI.
GLORIAE. AC. PHOENICI. UNICAE.

C H R I S T I N A E.

SUECORUM. GOTHORUM.
VANDALORUMQUE.
AC. FINITIMORUM.
TERRAE. MARISQUE. TRACTUUM.
REGINAE. AUGUSTISSIMAE.
PIENTISSIMAE. FELICISSIMAE.
LITERARUM. ARTIUM. ET. SCIENTIARUM. OMNIGENARUM.
PATRONAE. ATQUE. TUTRICI.
BENEFICENTISSIMAE.
NOVAM. HANC. REI. VENATICAE.
AUTORUM. EDITIONEM.
CEU. DEVOTIONIS. SUAE. PRIMITIAS.
AD. AUGUSTUM. PULVINAR.
QUAM. HUMILLIME. OBLATAS.
JANUS. VLITIUS.
D. D. C. Q.

Ne Pagellae hae vacarent, hoc loco posuimus Novam Vlitii Dedicationem, &c. quam ille Libello suo, repetito Impressionis titulo, quasi ad annum 1653. esset referenda, praefixit; quum videlicet Princeps Guilielmus Nassovius, ad quem prior ejusdem Libelli Dedicatio pertinet, triennio ante, diem suum obiisset.

AD EANDEM
AUGUSTAM
ODE
DEDICATORIA.

HActenus mecum Batavas myricas,
Et Britannorum, nec adhuc cruore
Noxios colles peragrasse gaude,
Celticaque arva:

Jam, licet, Grati, metuas, negesque,
Ibis Arctoas sine me per undas,
Teque CHRISTINAE *pudibunde sistes*
Principis aula.

Ipsa nam silvas coluisse quondam
Coelites novit; casulamque agrestem
Filium Majae patre cum Tonante
Saepe subisse.

Novit atque Isdem placuisse divis,
Pauperi quamvis modicam paratu
Baucidos mensam, pedibus salignis
Vix bene fultam.

Te Suëcorum dominata Regnis,
Orbis & saecli decus aeviternum,
Regio dignata sinu receptum
Sustulit olim.

Nec Dianaeos moderata lusus
Gemmea sprevit comitem quadriga;
Et sacra tritum repetisse dextra
Regia Virgo

Di-

Dicitur. Quid jam metuas procellae,
Lenis haec dum te comitatur aura.
Qua sub Augusto famulans resedit
Sidere pontus?

Forsitan nunc & veterem clientem,
Denuo lota nitidum lacerna,
Mitis agnoscet, tenuemque cultum
Temnere nolet.

Forsan & vastos nemorum recessus,
Abjete & semper viridi superbum
Gothiae lucum veneranda pandi
Diva jubebit.

Forsan & belli saturem ferini
Ipsa te Praeses Clariae catervae
Mox Palatino pluteo benigne
AUGUSTA recondet.

Quo feror tandem fragili per altum
Vectus heu! longe nimium carina?
Jam meam sero tenuem usque sortem
Disco pudore.

Parce sed culpam, Dea, confitenti;
Redde mutato veniam favore,
Hostibus pridem, toties subactis,
Parcere docta.

Suscipe ô vultu placido dicatam
Jam diu, REGINA, Tibi tabellam,
Vile nec munus Batavi, Serena,
Sperne clientis.

DEDICATORIA.

Sic tibi seris operata saeclis
Serviat Dictynna, tuique fines
Imperi cana tueatur olim
Pallas oliva.

SACRATISSIMAE MAJESTATIS,

REGIARUMQUE VIRTUTUM TUARUM

Devotissimus à longinquo cultor & adorator,

JANUS VLITIUS.

NO-

NOBILISSIMO VIRO

NICOLAO HEINSIO

SUO

JANUS VLITIUS

S. P.

EN tibi tandem, Dulcissime, rerum summae ac pristinae meae, quam tacitus hactenus professus sum, ergà DOMINAM tuam devotionis primitias; feras quidem fateor & exiles; pridem tamen, ut scis; sincero atque ardenti animo Majestati ejus destinatas. Maluissem novo potius argumento religionem meam initiatus fuisse, Graecorum scilicet, quam dudum item molior, κυνηγετικῶν, partim & ἀνεκδότων, editione, nisi & forensibus & publicis civitatis nostrae concatenatis negotiis (ut Anglicanam Legationem omittam) ita impeditus hactenus fuissem, ut ne cogitare quidem ea de re libere licuerit. Quibus denuo aliud accessit ab optima Britanniarum & Arausionum Principe vidua (cujus auspiciis nova huic civitati lux affulsit) in me collatum munus, quod Graphiarii vulgo vocant: non poenitendum quidem, sed quod otiosum me esse omnino non sinat. Non haec jactabundus tibi allego, mi Heinsi; sed quo magis apud AUGUSTAM PRINCIPEM, pro me intercedas, & oblati vilitatem munusculi, quantum potes, excuses. Nam; ut ingenue fatear, hesterno demum die ab Elseviriis nostris, elegantiarum vere promicondis, literas accepi, quibus rogabant ut & novam hanc, eo, quo vides refectam modo, editionem properarem, & Dedicationem quantocyus absolverem; quippe cum intra XIV. ad summum dies ad nundinas Francofurtenses libellum mittere destinassent. Ego etsi subito nuncio nonnihil perculsus, utpote laetissimi Principum nostrorum in Urbem hanc suam introitus solennibus (quorum poëma hoc septilingue, quod idcirco tibi mitto, & fidem faciat, & faciem repraesentet) nec non privatis officiis ac gratulationibus totus adhuc immersus, manum tamen stilo protinus admovi, eoque plus aequo properante Oden, quam vides, Dedicatoriam una atque altera vixdum hora absolvi. Quam

ut

ut apud AUGUSTAM pro affectu erga me tuo excuses, mi Heinsi, non aliunde quam a festinatione quaerendus illi color est. Quod autem humi serpat, & a myricis exordiatur, & Gratio meo, & humili atque agresti materiae, & mihi denique sic convenire putavi. Nam venatorem *deductum dicere carmen*, quam ad Regii culminis fastigium caligante procul obtutu respicere, satius existimavi. Quotus vero quisque est, qui tantae Reginae Majestatem Heroico carmine digne exprimat? Quod forsan soli tibi, Praestantissime Vatum, successit, & non nisi a praesente ejus numine datum videri potest. Ausus tamen fui singularis istius honoris, quo Gratium olim meum ab ipsa inter venandum exceptum Regina, sacrisque ejus manibus non semel tritum, & tu & Clarissimus Vossius asseruistis, gloriosam satis mentionem obiter injicere. Quam bene, tu videris. Ego quamvis me tanto non digner honore, nec oblivisci, nec praeterire meum illud gaudium potui. Iterum itaque, atque iterum *te per genium*, *dextramque*, *deosque Penates*, *obsecro & obtestor*, mi Heinsi, ut quovis modo conatibus meis patrocinere, & mihi (quod summum semper in votis habui) vel ultimum inter tot Regiae Majestatis adoratores locum concilies. Ita sane praeclarum mihi & veteris amici & boni pararii officium praestiteris. Ita te Patriae Patrique incolumibus incolumem aliquando restituat Deus. Quod Bornius & ego unice vovemus; etsi incerti qua nunc terrarum regione moreris. Quae caussa est, cur tuis, quas Venetiis novissimas ad me dedisti, nihil hactenus responderim. Jam enim ex iisdem colligebam te Mediolanum, atque inde etiam in Helvetiam pertendisse. Vale, Musarum decus, & nos, qui te in oculis ferimus, redamare perge. Dabam citatim, Bredae e diaeta mea Kalendis ipsis Quintilibus, Anno Christi cIↃ IↃ CLIII.

DE-

DEDICATIO
ET
PRAEFATIO
CASPARIS BARTHII

AMPLISSIMO
VIRO
ISAACO CASAUBONO
SERENISSIMO ANGLIAE, FRANCIAE, SCOTIAE, HIBERNIAE REGI, A CONSILIIS

CASP. BARTHIUS
S.



RATIUM, NEMESIANUM, CALPURNIUM, inter vetereis auctoreis elegantiâ & doctrinâ non postremos, sed ipsis primorum principibus legitimo doctorum Senatu adscribendos, qualibuscunque ante hoc quadriennium à me commentationibus illustratos, ad te sistere, tuoque patrocinio publico dare placuit, CASAUBONE CLARISSIME. Mutuabitur labor noster à splendore Gloriae litterariae, qui in te summus est, eum decorem, quem in suâ industriâ non invenit, ut adscititio honore cordatis placere possit, qui domestico non sperat. Usitata quidem Magnatum inter eruditos ambitio est, ut quem in se Scriptoreis non habent, ab alienâ fulgorem commendatione adoptent. Sed melior me longe caussa ad te compellandum adigit, quam ut diffiteri velim, aliud me quam vulgo soleant his litteris quaerere. Plerique ejus generis ut operam suam vendant, histrioniam, ut Cornelius Celsus autumat, exercent, & per litteratorum adulationem Famae se ad reliquos insinuare satagunt. Ego ita favorem tuum his libellis ambio, ut quammaxime vilem esse meam

* ope-

operam fatear; eo solo fine ut per te scriptoribus his emolumento sim; exprocando à facilitate tua, ut si quod aliquando spacium temporis magnis tuis & divinis occupationibus decidere habeas, illius partem tam festivis libellis impendere non erubescas. Quod si me abs te impetrare siveris, summum me hujus votivi doni redhostimentùm domum recepisse arbitraturus sum. GRATIUM quidem haud scio an ullo Poëta post Maronem inferiorem (quod res ipsa clarum testimonium perhibebit, si quis hujus Georgica cum illius nostri CYNEGETICO fragmento compositum venerit) nisi incomparabilis ingenii tui auxilio & medicina sanatum & numeris suis restitutum videre dabitur; ego sane de tot ejus desperatis locis in sanitatem pristinam aliquando reducendis, prorsus desperavero. Tot maculae egregium & summo proximum Vatem conspurcarunt, ut in tantillo libello expurgando ad unum te omnes frustra laboraturos putem.

Quod cum non sine ratione sentiam, reique litterariae & humanitatis studiorum non parum intersit hunc scriptorem emaculatum legi, utpote ex cujus singulis fere versibus aliquid disci possit, quod vix sit ut in omni caetera Antiquitate inveniatur, quis non grande operae precium hac meâ me inscriptione fecisse confessurus est, si tantum à te tui otii impetrare quivero, ut projectis & depositis tanti auctoris naevis manum medicam aliquando adhibees?

Atque haec mea ad te sollicitandum audacia, quamvis non nemini videri possit confidentior; ego tamen in emolumento rei litterariae quampiam CASAUBONUM sollicitandi necessitatem invenio, quae me facile excusatura videtur, ne audacius illius divinis occupationibus obstrepere videar. Nam si ad rationes sedere voluerimus, tanta in Rempubl. litterati orbis tua exstant merita, tanta Famae tuae apud omnes cordatos gloria est, ut jure suo omnes affecti, & aevi injuria male accepti scriptores, abs te uno medicinam praesentariam poscere possint; cum in ingenio tuo tot linguarum, quibus omnis Antiquitatis scientia vertitur, secreta, tot seculorum abstrusa, atque à vulgi animis remota arcana complexu uno teneantur; ut, qui procul eruditionem tuam admiramur, quaerere possimus, cujus rei notitiam nondum libris scriptis docueris, aut te tenere confirmaveris, cujus vero doctrinae ignarus sis, aut quam ex te discere non possimus, citra malignitatis suspicionem ne sciamus. Hebraearum nec non Arabicarum litterarum penetralia te tenere, vel nolenti hinc inde tibi Commentationes tuae testimonia liquida expresserunt; quae in Romana & Graeca litteratura enarranda oc-

occupato ſcintillis fulgentibus notas cognitionis ulteriorum linguarum excutiunt. Jam ſi ad ipſa tot volumina gradum moveam, quibus Helladem cum Latio tibi devinxiſti, quod praeconiorum tuorum exordium futurum ſit, videre me dicam; quem vero finem habitura ſit tot immortalium ſcriptorum praedicatio, neſcire confitebor. Eo laudum tuarum ſumma venit, ut in omne aevum felices cenſendi ſint auctores, quibus contigerit tuis manibus poliri, tuo Genio irradiari, ut ſuffulti ſplendore gloriae tuae ad poſteritatem, nullo ſeculorum lapſu temerandi, deſcendant. Nulla jam Barbariae corruptricis, aevique adedentis omnia in iis libris accuſatio eſt, qui CASAUBONUM nacti Vindicem, duplo foenore receperunt ab aſſertore lucem, quam ab hoſte victi depoſuerant. Atque in his morari jucundum ſit, niſi unum aliquem in publica omnium praeconia falcem immittere ſuperbum videri poſſit. Supereſt unius laudibus, qui cunctorum praeconiis materiem praebet. Nec ſine ſuſpicione ambitionis plurimorum perſonam gerere poteſt, qui unius ſatisfacere nequit.

Quae cum ita ſint, GRATIUM hunc tibi, CASAUBONE, devoveo, tamquam qualicunque meo labore ex carcere ſqualoris & ſitus vindicatum, & proinde meum, tamquam opis tuae imploratione deinceps tuum; quem ſi frui commendatione mearum notarum patieris, abunde me pretioſum praemium retuliſſe arbitrabor.

Quod ſi Poſteritas ſtudio & induſtriae meae debitura nihil eſt, felicitati tamen non parum ultro acceptum feret, quod te Medicum deſperato vati impetrârim. Id quod me facturum pro conſponſa ante ipſum quinquennium inter nos amicitia confido.

Duos vero iſti comites dedi NEMESIANUM & CALPURNIUM, quod ii ſcriptores mihi ſemper digniores viſi illuſtratione; quam vulgo putant, qui vix bene conſpectos inter Latinae Antiquitatis quiſquilias tranſire ſolent, minorumque gentium cenſui adſcribere. Qui ſi mecum ducere legitimae Poëſeos rationem voluerint, majoris longe pretii hos arbitrabuntur, quam id genus vatum, quod in vulgi auribus dominatur. Nihil in his elegantiſſimis Eclogis tumidum, inflatum, ſpiritum pro ſanguine, pulmonem pro corculo habens, nihil adfectatum, Soloecum, aut extra corpus orationis expreſſum: compoſita, ſuavia, naturali quadam Gratia omnia ad unius fili regulam deducta. Quae ſingula cum magnorum vatum ingenia deſtituunt & aeſtu tumoris in latus percelluntur, longe à vera ratione Poëſe-

ſeos receditur. Quod ſi argumento huic affingere aliquem ex grandioribus volueris, facile in rem ipſam venies. Cynegeticon Nemesiani tale eſt, ut niſi ipſo Auguſtaeo, vel illi proximo aevo neminem meliori Genio tale quid elaboraturum fuiſſe arbitrer. Eclogae ejuſdem, ut nullus dubito, quin ſint etiamnum, quam vulgo putent, inquinatiores, ut quae ſimul cum Cynegetico media Barbarie in Scholis Sophiſtarum traductae ſint; ita neminem eſſe autumo, qui non videat ſummo ſucceſſu illas autoris egregii propoſitum faceſſere. Nec ullum Afrum ſcriptorem exſtare arbitror qui purius Latine ſcribat. Quod ſi documentum ex re ipſa capere quis velit, Eclogam ultimam mihi conſideret, qua luculentius & maximo Poëta nullum carmen dignius ad nos veniſſe ab ipſo Auguſtaeo aevo conſere licet, ſi quidem non inanem ſonum & verba argute cadentia cum adfectata prurigine magnificentiae praelucere legitimis & compoſitis ſtili virtutibus arbitrabimur.

Calpurnium ſingulari quadam laude dignum exhibet ſingularis ſimplicitas. Eam ut ille humilius nonnumquam ambiverit, ipſo tamen uſu proclamat egregii ſe Poëtae perſonam ſuſtinere. Nec dubito ſi ſolae Latio ſupereſſent hae Eclogae, quin pro divinis ab omnibus haberentur. Jam vero Maronis divinitas aliorum virtutes obfuſcat, & à teneris annis imbibita ſpecies perfectiſſimi Poëtae, multum de caeterorum aeſtimatione detrahit. Et ſic tamen quoque ſua laus minoribus eſt, nec puritate & compoſitione ſermonis quoiquam majorum gentium auctor hic conceſſerit, ut avenam hanc multorum tubas praecellere res ipſa teſtimonium dicat. Haec de egregiis ſcriptoribus cenſere vulgo multorum imperitia jubet, qui oculo tranſeunte ita exhaurire conſueverunt priſcorum delicias, ut ſubito quodam judicii aeſtu perculſi, raro diſpicere interiora ſoleant. Scilicet quia ipſi conſcientiae ſuae omnem doctrinam jam olim debent, qua in ſuccum & ſanguinem verterunt quicquid Humaniorum litterarum arcana ſinu gerunt. Sed cum his contendere velle operam ſit ludere, qui auctoritatem pro ſententia habent.

Hos autem Scriptores ope veterum Editionum repurgatos, & pluſculis locis illuſtriores factos ad te fero, Casaubone Clarissime, ut quicquid reſtat, reſtare autem non paulum arbitror, tenebrarum, tui ingenii fulgor diſcutiat, ut vel per te interpretem diſcant, quid in Antiquitatis monumentis judicio valeant, qui quae non intelligunt, contemnunt. Dubium enim non eſt vel pervіam talia te in his

&

& omnibus auctoribus reperire posse, quae nullo labore alii extricare valeant. Simul autem rogatum te volo, si quod animo voveo, cum egregio Juvene, & litteris litteratis instructo EUSTATHIO SWARTIO, familiari meo, te aliquando coram complecti, & tua commendatione in Aula Serenissimi Monarchae tui, apud quem nihil non posse te scimus, uti voluero; facias ut tot annorum apud me semper stabilem, atque firmam amicitiam tibi non penitus excidisse experiar. Ita superstes divisis, & eximiorum Operum, quae prae manu habere novimus, plausum puta hoc donarium, quod excellenti ingenio & incomparabili tuae doctrinae cultor perpetuus volenti animo suspendo.

AD LECTOREM.

GRATIUM, *nemini hactenus explanatum Poëtam damus, Amice Lector. Operâne dignus non fuerit hactenus aestimatus, an difficilior quam qui commode exponi potuerit, dubium est. Certe multos eruditissimum Poëmation scitius contemsisse quam intellexisse, arbitramur. Naevi vero in eô tales, qui curari citra libros nullo humani ingenii acumine possint. Itaque omneis tamquam à deposito manus abstinuerunt. Nos, cum in Opusculis Latinae Linguae etiamnum pueri plurima tentaremus, inter caetera has notas huic auctori dedimus. Quas jam exscripsimus & è marginalibus Codicis spaciis, scidisque interjectis in unum fascem conpegimus. Multa excussimus, multa correximus, nequaquam interdum parci verborum, ut aetas illa solet, ne sententia non animo legentis imprimatur exacte. Qui nos in interpretando & emaculando hoc auctore sequentur, rogamus ignoscant, si non semper albâ lineâ ivimus. Nam & pueritia & via salebrosa neminique aute tacta, in multis obstitit. Quod si factum sentiemus, stimulum additum ad perfectioreis Curas habebimus, quas huic elegantissimo & nullo minori Poetae vovimus. Cujus laudis testimonium non favor, aut honos, sed conscientia exprimit. Castigata enim & erudita in hoc phrasis, pressaque & semper sibi aequalis. Procul argutiae declamatoriae & tumores extra corpus orationis eminentes; duae fatales pestes genuinae & Musis natae Poëseos. Quam cum Latini primum, deinde & Graeci vates non agnoscerent, sed floreis saltim dicendi sectari inciperent, de compositione & lenitate sermonis parum solliciti, omnia confuderunt, & condimentis pro cibis utenteis, mapalia mera fecerunt. Horum quo major co-*

copia, (amissis eorum importunitate praeclarissimis illis Poëtis, qui veterem Venerem in placida illa figura aemulabantur) ad nos pervenit, eò cariores nobis paucae relliquiae aevi inculpati esse debent, quae emerserunt rapidos illos torrenteis, quos eorum memoriae insubidi illi & inconditi buccinatores infundere voluerunt. Qui dum granditatem numerorum & majestatem adfectant, procul ab adytis verae Disciplinae recesserunt. Haec pestis primum ab declamatoribus orta in soluti & ligati stili perniciem evasit. Dum enim sententiis nativa elegantia frangitur, Barbaries acuminum omnia occupavit. Hinc factum est ut tot elegantissimos Oratores Poëtasque desideremus hodie, quorum si pars saltim minima exstaret, perfacile poteramus adfectatoribus illis carere. Quis Pedonis, Marsi, Getulici, Severi, Rabirii, Galli, quis Curionis, Caelii, Caesaris, Antonii, Pollionis & sexcentorum auctorum scripta judicio & ad normam veteris composita ingenuitatis, legere non malit, quam Rhythmum adludentes Senecae aut Lucani sententias, ut alios taceam, qui hos postea insecuti, penitus in Respondenteis sonos omnem eloquentiam infregerunt? Merito sane Quintilianus, omnium qui umquam scripserunt, auctorum elegantissimus, obsistere nisus est suo aevo ingruenti illi tempestati. Sed frustra. Cum & hodie non paucos habeat judicii sui contemtoreis, qui quo altius in divinos auctoreis animadvertere videantur, eo profundiore nisu eos lancinant. Verum haec Gratii potius stilum commendent, quam operam nostram doceant. Qui tamen Elogio à nobis opus non habet, sed domesticarum virtutum illi est, ne moretur nostras. Adhibuimus emaculando huic auctori cariosam Editionem, cujus pretium nemini notum erat. Eam secuti, non pauca deprehendimus male in recentioribus libris correcta. Si quidem pars eorum, ut arbitror, ex ea edita est. ea ad fidei normam omnia indicavimus. Emendationes conjecturâ nonnumquam juvimus, si quae commode juvari possent. Lacunas omnes & verba aevi invidiâ extrita intactas sivimus. Non enim argutandi locus in desperatis locis, nisi ut ingenium explicantis traducatur, dum placet sibi in inventione lectionum nemini umquam aestimandarum. Multi fuimus in phrasi Poëtica enarranda, in gratiam eorum qui minus in ea exercitati sunt. Sublimibus enim illis qui nisi arcana sola nihil dignantur sua expositione, nec haec scripsimus, nec umquam similes futuri sumus. Praeterea alia in tantillo Poëmatio res, alia in grandibus operibus est, quae & ipsa vix magnatum illorum ingenia capiunt. Illuc à nobis laboratum est, ut non tam splendidus quam facilis intellectu Gratius prodeat, à cujus lectione omneis vel maxime certe pars litterariae rei studentium, abhorruit. Sequentur alii qui lumina omnia litteraturae Anti-

ti-

tiquae in promtu habent. ii vel ſaltuatim omnia luce perfundent; quae nos vix oſtendere potuimus, etiam labore annisſi non parvo. Is ſane unum nobis octiduum in deſcriptione harum Animadverſionum abſtulit. Sed ante rem Lectorem majori ambitu quam in ipſo opere, detinemus.

EX

LIBRIS SILVARUM

CASPARIS BARTHII.

ASpera dum magno circum graſſata tumultu
Tabificum arcano Fax aëra fulmine torret,
Ut longe à patriis miſeranda penatibus ultro
Exſilia inquirant Proceres; Plebs pallida virus
Horrendum in ſtrages celeri diſcrimine raptat.
Otia ſectatur Muſarum, & tela cruentae
Dira necis ſuavi modulamine BARTHIUS exit.
Interea cum blanda animo nutricula priſci
Eloquii inſidat Critice; quae ſparſa jacebant
Fragmina conſtipat vatum, ſacroque potitus
Fonte, per Aonios graſſatur plurimus hortos.
Relliquias vetereis, ignota volumina vulgo,
Reſtituit numeris, & vitae reddit honoreis
Depoſitos tumulis. Venanti GRATIUS arma
Decolor extricat ſenio: poſt ſecula multa
Exſutum lauru Vates caput induit àcer.
Nec minus in NemesI cartas pia munia ſolvit
Nobilis à proavis, doctrinae ingentis Amator.
Fortunam exſuperans animo, ſpe fortior, auctor
Carminis egregii. Ruſpantem ingloria rura
Antiquâ è carie, deſperatiſque favillis,
In vitam vatis CALPURNI ſcripta ſequuntur.
Omnia quae aeternis intexens Carmina chartis
Eripuit ſenio Juvenis, nova lumina nocti

In-

Infudit veteri, & Solem deduxit in umbras.
Ille velut patrii non jam novus arbiter horti,
Stirpibus incumbit curans, peregrinaque late
Brachia detondet ferro: nec inutile pondus
Fructibus obfcuros genuinis addere foetus
Falce finit facili: dudum fquallore fcpulta
Germina fubjiciunt frondeis; Germanaque fenfim
Forma redit, mutata fitu. Viget hofpite pulfo
Verficolor propriis ftirps floribus; altaque coelo
Surgit ovans, pretioque fuum compenfat honorem.
Non aliter multis GRATI flos fentibus horrens,
Quas partim fterilis induxerat undique tellus,
Partim adeo infelix infeverat Error, & ingens
Temporibus Fortuna lues, nunc nobile tollit
E Paedore caput. Juxta fe candidus auctor
Imputat in vitam, & decoris non fponte renati
Participat laudem generofo laetus Amore.
Sic NemesI longo turpata volumina feclo,
Scriptaque corticeis CalpurnI mufa libellis
Attollunt oculos; & candida tela diei
Unà & purpurei Juvenis rata vota falutant.
Pofteritas Regina aevi, Dea magna Dearum,
Judice diftinguens, procul invidià, omnia lance
Scripta virûm; tibi fe, veteris tibi BARTHIUS aevi
Relliquias tenueis, & lamentabile tanti
Naufragii pignus fcriptis commendat amicis.
Sit Fortuna teres, & fecum cuncta volutet,
Ortus ut occafu mutetur, furgat in ortus
Pernicies, ludantque novam primordia Mortem.
Stet Romana manus vatum, nec nobile mutet
Ingenium feclis, unáque arcana ruentis
Fallat ovans aevi generofus momina Fautor.

IN

IN

GRATIUM, A NOBILI

ET EXCELLENTI JUVENE

CASPARE BARTHIO,

EDITUM.

GRATIA cui nomen dederat, Fortuna sepulcrum
    Inter contemtas flebile Quisquilias.
Quod, VATES, habuit Charisin donantibus, olli
    Restituit vates nobilis, INGENIUM.
Exemit senium, quod cum non ullus haberet,
    Fortunae Vati fecerat Invidia.
Nunc Charisin junctim faciunt cum Vate Palaemon;
    Et junctim senii spernere crimen habent.

I. S. B. F.

DEDICATIO
ET
PRAEFATIO
JANI VLITII.

CELSISSIMO. PRINCIPI.

GUILHELMO. NASSAVIO.

CELSISSIMI. ARAUSIONIS.
PRINCIPIS. BELGARUMQUE.
IMPERATORIS. INVICTISSIMI.
FREDERICI. HENRICI. FILIO.
DIVI. GUILHELMI. NEPOTI.
SERENISSIMI. AC. POTENTISSIMI.
BRITANNIAR. REGIS. GENERO.
REGIIQUE. ORDINIS. EQUITI.
EQUITUM. IN. BELGIO. CONFOED.
PRAEFECTO. GENERALI.
FORTITER. GESTORUM. FAMA.
VICTORIARUMQUE. ILLUSTRI.
REGIAE. VENATIONIS.
INSTAURATORI.
VENATORUM. PRINCIPI.
VENATIONIS. ROMANAE.
AUTORES. PRINCIPES.
ET. QUICQUID. A. ME. ACCEDIT.
MEQUE. MEAQUE. OMNIA.
L. M. Q. D. D. D.

DE-

DEDICATIO.

PRINCEPS MAXIME, Ductor universae
Sub Belgis equitantium catervae,
Una spes Patriae, & Parentis una:
Quem sextam patriis merere castris
(Hulsta nunc etiam fatente) laurum
Æstas tertia narrat, obstinatos
Tundentem Grudios; Patrisque celso
Quem fixum lateri, paresque Patri
Per fastigia summa metientem
Gressus, vidit Iber, fugitque visum:
Et fugisse semel velit cruore
Tabidus toties suo Tabuda;
Nunc Gordunia Saxa, nunc rebellem,
(Qua sedare sitim solet tuorum,
Et fluctu famulante ferre pontes
Natantes didicit, ratesque nostras)
Incusans Legiam: vel acta retro
Vertens flumina, dum latere possit,
Et victa procul exulare ripa.
Tandem desine, desine ah! patenti
Vicinos tumulo obsidere Flandros:
Dum nec bella tubae, nec inter arma
Ferales litus sonant, sed ipsas
Tristi carmine naenias frequentant.
Quiescant litui, tubae quiescant:
Et Tu depositis parumper armis,
Tersus pulvere Martio, ad Penates
Cum Patre incolumi redux avitos,
Regalem thalamum Maritus intra:
Haganumque nemus, Batava Tempe, &
Lustratos toties revise colles.
Ipsum te reducem nemus salutat,
Respondentque iterantque vota colles.
Laetantur reditu Tuo Tui omnes,

 Gau-

Gaudetque incolumem videre Patrum,
Cujus portio grandis es, Senatus.
Te fidi resonant canes, Ducemque
Absentem increpitant, citantque ut adsis:
Dum pridem nimia quiete stertunt
Damnosi lepores utramque in aurem,
Hibernae male prodigi saginae,
Et totas avidi vorare messes.
Qui jam seposito metu, Tuique
Securi, grege limites frequenti
Perrupere Tuos, novumque tentant
Martem, ut lucifugis arenae alumnos
Expellant habitaculis colonos.
Quin (si Diis placeat) strues in ipsas
Egerunt aditus cuniculosos;
Hibernaeque penum fami repostum
Hac illac penetrantque, subruuntque:
Hiberna ut faciant fame perire
Cultores Logodunienſis agri:
Ni, Fortissime, subvenis misellis
Vindex agricolis: ut ipse belli
Autor legitimi in feras nocentes,
Monstrorum domitor, metu ferino
Alcides modo liberavit orbem.
Sic Tu Maxime liberator agri
Obsessi, jubeas bene esse cunctis,
Qui dextra Patriam geris salutem:
Dum pars retia tendit, inque caeco
Cassem calle locat: plagisque clausos
Obliquant aditus: aperta campi
Pars formidine circuit dolosa:
Pinnas linea dum quatit rubentes,
Currentes alius paratque nodos;
Illi noctivago relicta ab hoste
Retro signa legunt, notantque lustrum.
At delecta canum procul juventus,
Loro cautius arctiore vincti,
Vix tantum imperium Tuum morantur:

Do-

Donec omnibus expeditus armis,
Torto verbere concitans jugalem,
(Quem venti gravis Asturum marito
Mater progenuit, levisve Maurus
Infreni domuit manu, per auras
Raptus signa dari jubes, ut omnis
Uno carcere proruat caterva,
Belli fida Dianei ministra:
Collesque, & nemora, aggeresque, aquasque
Jungant praecipiti relicta cursu,
Dorceus, Ichnobates, Oribasusque,
Ambaeque Dromades, celerque Ierna,
Et multo agmine consonans Agasseus:
Tonantemque imitata voce Bronte,
Agreque, Pterelasque, bajuloque
Praedas Vertragus ore ferre doctus:
Et cervis inimica vis Lyciscae.
His Tu sedulus Imperator instas,
Seu cursum revocas, jubesve cursum
Multum intendere, vocibusque blandis
Das vires animumque obediendi:
Hortarisque alacer greges, & hostem
Primus conspicis, excitasque primus,
Et primus capis, & potire capto.
Non sic Dardanius nepos Dionae,
Ipso patre prior feras lacessens,
Venatu valuit; nec acriori
Exultavit equo, modo hos, modo illos
Cursu praeteriens: ut inter omnes
Tu vel Nassavios, Ducesque Baemos
Excellis, superemines que victor.
At Tu seu lepores premes fugaces,
Acri seu grave praelium Molosso
Irritas cane, Gratium ministris
Hunc ascribe tuis, Olympiumque
Admittas comitem Nemesianum.
Hic ille est, Latii vigentis aetas
Quem Musae socium addidit Latinae,
Divinoque parem tulit Maroni.

Primus qui Egerium nemus colentem
Falisca cecinit chely Dianam;
Et veri simulacra vera belli
Instruxit, populoque bellicoso
Venandi nova fabricavit arma.
Alter, qui tenui sonans Camoena
(Quantum tertia pristini leporis
Aetas dedidicit) Latinitatis
Effoetae rediviva lux, suique
Princeps temporis, & favore tantum
Pollens Caesareo fuit, stetitque,
Ut cum Principe non inerudito
Certarit calamo, rudique cantu
Augustos reseraverit Penates.
Hos Tu, ô inclyta stirps Arausionis,
Contentos manibus Tuis revolvi,
Et tantum comites ut inter errent,
Dum venare, Tuos, araneoso
Neu damnes pluteo unice rogantes,
Felix suscipe: suscipe & bubulci
Agreste hoc Siculi melos, recincto
Laetos qui reparet Tibi labores.
Sic adsit comes, & Tuis benigne
Aspiret faveatque Diva votis:
Sic certo fera quaeque strata telo
Dextrâ gaudeat ut Tuâ perire.
Sic, cum vera iterum capessis arma,
Quaecunque hic meditare vel jocando,
Imbellique struis peritus hosti,
Verum postmodo torqueas in hostem:
Et qua nunc lepores, levesque dorcas,
Tum majore fuga premas Iberum:
Pellasque, ut leporem suo cubili,
Qui nunc Advatica latent in arce;
Arcemque ocyus occupans avitam
Grandi tempora vinciare lauro.
Seu, qui magnanimos moratus actus,
Dum se cespite totus aggerato

Con-

Condit, ne tumulo fugetur exul,
Miles; has quoque circuire doctus
Ambages spatiosiore circum
Claudas limite, tergorique inuras
Hispano Auriaci notas triumphi.

JANUS VLITIUS.

JANI VLITII
ENCOMIA VENATIONIS,

Quibus, praeter alias ejus laudes & utilitates, ostenditur potissimum, cum omnibus militibus, tum Principi quammaxime esse colendam.

PLATO *Lib.* VII. *De Legibus.*



PORTET ut Legislator, quae in venatione laudanda sunt, laudet: quae contra, vituperet, ad juventutis exercitationem. Juvenes autem cum audiverint, ita parere debent, ut nec labore nec voluptate revocati aliter faciant, quam Legislator consuluit. Imo vero magis in honore habeant, quae cum laude dicta, & exhortando proposita sunt, quam quae minaci & vindice lege firmata. His ita propositis congrua deinceps laus & vituperatio venationis conscribi potest: ut quae meliores animos juvenum facit, laudetur: quae contra, vituperetur. Dicamus igitur ad eos sic precibus interpositis: Utinam vos, ô Charissimi, nunquam marinae venationis, hamique cupiditas capiat; nec omnino aquaticorum animalium die sive etiam nocte per otiosam venationem sagena capiendorum: nec piraticae amor, per maria venatores hominum iniquos atque atroces vos faciat. Furti vero latrociniique cupiditas in urbe vel regione committendi nec in mentem quidem veniat vestram; nec volatilium jucunda venatio sit servilis magis, quam libera. Pedestrium ergo venatio vobis sola relinquitur. Sed nec dormientium, quae vicibus quibusdam interpo-

positis sit, nocturnaque vocatur, & otiosorum hominum est, laude digna habetur, neque etiam quae in laboris remissione fit, & retibus laqueisque, non constantis animi viribus, ferarum domat impetum. Sola ergo quadrupedum venatio illa restat omnibus optima, quae equis, canibus, corporis viribus agitur. Nam quibuscumque divina curae est fortitudo, ii quadrupedes omnes cursu, vulneribus, telisque manu propria venando vincere debent. Sed laus vituperatioque venandi ita quidem distincta sit: Lex autem hujusmodi:

SACROSANCTOS. OMNINO. HOS. VENATORES. UBICUNQUE. VENARI. VELINT. NEMO. PROHIBEAT. NOCTURNUM. VENATOREM. RETIBUS. ET. CANIBUS. FIDENTEM. NEMO. USPIAM. SINAT. VENARI. AUCEPS. PER. INCULTOS. AGROS. MONTESQUE. VAGARI. PERMITTATUR. &c. *Quae Graece partim praeposita sunt Prolegomenis ad Gratium.*

XENOPHON *Lib.* I. CYROPAEDIAE,

De severissima atque optima Persarum juventutis apud regiam institutione.

QUum vero ad Venationem Rex exierit (id quod etiam saepius per mensem agit) custodiae dimidiam partem secum educit. Qui vero una exeunt, oportet ut habeant arcum juxta pharetram, inque vagina copidem aut securim: praeterea cratem pro scuto, & pila duo, ut altero eminus, altero, ubi opus fuerit, cominus utantur. Ob hanc autem causam etiam publice dant operam venationi (cum Rex, quemadmodum in bello se ducem iis praestat, venationi ipse praeest, utque alii venentur, diligenter curat) quod haec verissima videatur rerum bellicarum meditatio. Etenim diluculo assuefacit surgere, frigoraque & calores tolerare. Exercet etiam eos ad itinera & cursus. Necesse insuper est sagitta bestiam ferire, aut jaculo petere, ubicunque occurrerit. Quinetiam magnanimitate saepe opus est, ubi ferox aliqua bestia sese objecerit. Sed & percutere oportet oblatam, & ab irruente cavere. Quare haud facile in venatione eorum quicquam abesse reperiatur, quae inter bellandum usum habere possunt.

Idem

Idem Lib. VIII. *de ipso Cyro:*

CAeterum exercitationis bellicae causa venatum eos educebat, quos in his exercendos arbitrabatur: quod venationem duceret tum bellicae rei totius optimam meditationem esse, tum equestris longe verissimam. Nam ad insidendum equis in locis quibuslibet maxime reddit aptos, quod fugientes feras sequi necesse sit: & agiles efficit valde ad quodvis opus ex equis perficiendum, propter honoris studium, & cupiditatem capiendi. Heic etiam maxime suos illos comites adsuefaciebat ad continentiam, & labores, & frigora, & calores, & famem, & sitim tolerandam. Ac modo quoque tum Rex, tum qui cum Rege vivunt, haec facere non cessant.

Idem Epilogo Cynegetici:

HActenus de iis, quae in venatione faciunda sunt, dictum. Huic autem labori ac studio dediti magnam inde utilitatem capient. Nam & corporibus valetudinem bonam conciliabunt, & visu audituque meliori fruentur, & serius senescent. Ad disciplinam vero militarem potissimum eos venatio instituit. Primum ubi gestantibus arma per difficiles vias eundum erit, animos haud despondebunt. Quippe labores sustinere propterea poterunt, quod iis ad feras capiendas adsuefacti fuerint. Deinde poterunt etiam cubare duriter, & egregios se declarare custodes in eo, quod fuerit imperatum. In hostibus adeundis, simul & progredi adversus eos, & facere poterunt, quae imperantur: idque propterea, quod eadem ratione feras etiam capere consueverint. In fronte collocati, quum labores tolerare norint, acies non deserent. In hostium fuga, propter consuetudinem & usum, quibusvis in locis adversarios recte pariter ac tuto persequentur. Si quid infeliciter exercitui cesserit, in silvosis, praeruptis, aliisque difficilibus locis tam seipsos, quam alios absque macula turpitudinis conservare poterunt. Nam praebebit hoc eis ipse rei usus, ut plus aliis norint. Nonnulli quidem tales aliquando magna sociorum turba in fugam conjecta, jam victores hostes, ob difficultatem locorum in errorem abreptos, suo ipsi robore atque audacia praelium instaurando, terga dare coëgerunt. Semper enim illi, qui tam corpore quam animo praepollent, haud procul absunt ab eo, ut rem nunquam non prospere gerant. Cum autem majores quoque nostri cognovissent hinc prosperos adversus hostes suc-

cessus suos manare, juventutis curam sibi suscipiendam censuerunt. Videbant enim hanc unam voluptatem junioribus utilitates afferre plurimas, quum & prudentes eos reddat, & justos, quod in veritate instituantur. Itidem res bellicas per haec sibi cedere feliciter intelligebant. Eadem voluptas à ceteris quoque praeclaris & honestis rebus, quibus se dare velint, minime juvenes arcet: quod aliae voluptates improbae faciunt, quae discendae non sunt. Ex his igitur & boni milites & Imperatores boni evadunt. *Et quae sequuntur usque ad finem libri, & totum ejus prooemium eodem fere spectant.*

Excerptum ex POLYBII *Histor. Lib.* XXXI. *quod & partim Graece praefixum Prolgomenis ad Gratium.*

CONfecto autem bello L. Aemilius eam exercitationem ac voluptatem, quae est in venando, convenientissimam juventuti ratus esse, & venatores Regios conciliavit Scipioni, & omnem venandi licentiam ei concessit. Qua ille accepta Rex propemodum sibi esse visus, totum illud tempus, quo Legiones post victoriam in Macedonia perstiterunt, in eo consumpsit. Cumque & amplissima ei facultas suppeteret, & ipse aetate cum maxime floreret, & natura in eam rem esset propensior, tanquam generosi catuli, constantior ejus ac diuturnior in venando impetus fuit. Quamobrem Romam postquam venit, adjuncto Polybii in ea parte studio atque ardore, quantum temporis in judiciis ac salutationibus reliqui juvenes conterebant, forum assidue prementes, eoque studentes commendare se multitudini, tantum Scipio venationi impendens, atque interim praeclarum aliquid & ad memoriam insigne agere nunquam desistens, praestantiorem reliquis gloriam est adeptus.

JULIUS POLLUX
(Praefatione Lib. V. *Onomastici)*
COMMODO CAES. S.

QUoniam te venationum studiosum esse convenit, quandoquidem hoc studium heroicum Regiumque est, & ad corporis animique bonam constitutionem confert, atque tam placidae fortitudinis, quam militaris audaciae meditatio sit, quae viribus conducat, & exercitatione reddit robustum, celerem, equestrem, solertem, & laboriosum

(si

(si modo quis resistentia robore, fugientia celeritate, subripientia se ex equo, solertia calliditate, latentia consideratione, occultata tempore noctu advigilans, & interdiu laborans, capere intendat) necesse est aliquid de venatione dicere.

CICERO *Lib.* II. *de Natura Deorum*:

JAm vero immanes & feras belluas nancifcimur venando, ut & vescamur iis, & exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae, & utamur domitis, & condocefactis, ut elephantis; multaque ex earum corporibus remedia morbis & vulneribus eligamus.

Idem Lib. I. *de Officiis*:

SUppeditant autem & campus noster, & studia venandi honesta exempla ludendi.

VIRGILIUS Lib. VII. Aeneidos:

ET te montosae misere in praelia Nursae,
Usens, insignem fama, & felicibus armis:
Horrida praecipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicola glebis:
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat praedas, & vivere rapto.

Idem Lib. IX.

VEnatu invigilant pueri, silvasque fatigant;
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu:
At patiens operum, parvoque assueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne aevum ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Caniciem galea premimus, semperque recentes
Convectare juvat praedas, & vivere rapto.

D E D I C A T I O N E S

HORATIUS Lib. I. Epist. XVIII.

—— —— —— tu cede potentis amici
Lenibus imperiis, quotiesque educet in agros.
Aetolis onerata plagis jumenta, canesque;
Surge, & inhumanae senium depone Camoenae,
Coenes ut pariter pulmenta laboribus emta.
ROMANIS SOLENNE VIRIS OPUS, UTILE FAMAE.
VITAEQUE ET MEMBRIS. praesertim cum valeas, &
Vel cursu superare canem, vel viribus aprum
Possis: adde, virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet.

SENECA *de Providentia cap.* II.

NObis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit.

PLINIUS CAECILIUS *Panegyr. ad Trajanum Imp.*

QUod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti, instar refectionis existimas mutationem laboris. Quae enim remissio tibi, nisi lustrare saltus? excutere cubilibus feras? superare immensa montium juga, & horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adjutum? atque inter haec pia mente adire lucos, & occursare numinibus? OLIM HAEC EXPERIENTIA JUVENTUTIS, HAEC VOLUPTAS ERAT, HIS ARTIBUS FUTURI DUCES IMBUEBANTUR, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor. *Et plura, quae sequuntur, idem docent: quae temere ac imprudenter nimis reprehendit Doctissimus Lipsius, ut ea quae hic praemissa sunt, & quae in Prologemenis dixi, evincunt.*

JU-

JUSTINUS *Histor. Epit. Lib.* XXXVII.

de Mithridate adolescente adhuc, cujus ea postea magnitudo fuit, ut non sui tantum temporis, verum etiam superioris aetatis omnes Reges majestate superaverit, *ipso ibidem Justino teste.*

TImens deinde ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi studium finxit: quo per VII annos neque urbis neque ruris tecto usus est; sed per silvas vagatus, diversis montium regionibus pernoctabat, assuetus feras cursu aut fugare, aut persequi; cum quibusdam etiam viribus congredi. Quibus rebus & insidias vitavit, & corpus ad omnem virtutis patientiam duravit.

SYMMACHUS *Lib. V. Epist. 66. Olybrio & Probino* S.

SUppetere vobis plenam roboris valetudinem ferarum indago testatur. Haec igitur prima mihi de vobis gaudii causa est, quod rusticis voluptatibus sanitatem juvatis: secundus laetitiae gradus est, venatu capta meruisse. || Vos malo cum Attilio rusticari, & ludum virium sequi, quam bonis verbis deduci ad instituta desidiae. Certe aetatibus vestris hic labor convenit. Distingueda est lectio juvenum, non alveolo, aut pila, aut trocho Attico, vel Graecis palaestris, sed alacri fatigatione, & innocentis audaciae gaudiis. *Videnda & reliqua ejusdem Epistolae, & lib.* IX. *Epist.* XXVIII.

VEGETIUS *Lib.* I. *de Re Militari*:

PIscatores, aucupes, *&c.* longe arbitror pellendos à castris: fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & cervorum aprorumque venatores convenit sociare militiae.

JACOBUS REX *Lib.* III. *de Officio Regis*:

NOn possum hic venationem omittere, eam, quae canibus venaticis exercetur, quae species laudatissima est, & nobilissima.

Nam sagittis, aut globis in feras grassari illiberale est & furtivum: & canis leporarii ministerium nihil habet tum generosum ac militare. Sed ne suspectus videar venationis laudator, ego tibi Xenophontem laudo authorem veterem & illustrem, qui caussas alterutri nostrum adulandi procul habuit. Is pulcerrimam Principis educandi rationem sub Cyri nomine proponit. *(Huc pertinent ea, quae ex Xenophonte modo translata.)* Aucupium, quod per accipitres & falcones exercetur, non damno; parcius tamen laudo: quia non item militiam refert, ut venatio, quae equitem audacem, omniumque locorum peritum facit.

ANDR. RIVETUS *Institutione Principis Christiani*:

MUlta insuper alia sunt studia, quae cum laude exerceantur, ut venationis potissimum; modo ne vehemens atque assiduum nimis sit, neque feras persequendo humanitatem, officiumque tuum negligas.

Plato lib. VII. *de Legibus, postquam Venationem quadrupedum multis commendavit, ita finit librum:*

Μόνη δὴ πᾶσι λοιπὴ καὶ ἀρίστη ἡ τῶν τετραπόδων ἵπποις, καὶ κυσὶ, καὶ τοῖς ἑαυτῶν θήρα σώμασιν· ὧν ἁπάντων κρατοῦσι δρόμοις καὶ πληγαῖς, καὶ βολαῖς, αὐτόχειρες θηρεύοντες, ὅσοις ἀνδρείας τῆς θείας ἐπιμελές. τούτων δὴ πάντων ἔπαινος, μὲν πέρι καὶ ψόγος, ὁ διῃρημένος ἂν εἴη λόγος. νόμος δ' ὅδε· ΤΟΥΤΟΥΣ ΜΗΔΕΙΣ ΙΕΡΟΥΣ ΟΝΤΩΣ ΘΗΡΕΥΤΑΣ ΚΩΛΕΥΕΤΩ, ΟΠΟΥ ΚΑΙ ΟΠΗΠΕΡ ΑΝ ΕΘΕΛΩΣΙ ΚΥΝΗΓΕΤΕΙΝ. &c.

Polybius in Excerptis de Scipionis institutione militari.

Λοιποῦ δ' ὄντος τοῦ κατὰ τὴν ἀνδρείαν καὶ κυριωτάτου σχεδὸν ἐν πάσῃ μὲν πολιτείᾳ, μάλιστα δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ μεγίστην ἔδει καὶ τὴν ἄσκησιν περὶ τοῦτο τὸ μέρος ποιήσασθαι. καλὸν μὲν οὖν τι πρὸς ταύτην τὴν ἐπιβολὴν αὐτοῦ (Scilicet) καὶ διὰ τῆς τύχης ἐγένετο συνέργημα· τῶν γὰρ ἐν Μακεδονίᾳ βασιλικῶν μεγίστην ποιουμένων σπουδὴν περὶ τὰς κυνηγεσίας, &c. ὧν ἐπιλαβόμενος ὁ προειρημένος, καὶ νομίσας οἱονεὶ βασιλεύειν, ἐν τούτῳ κατεγίνετο πάντα τὸν χρόνον, &c. καὶ προσλαβὼν τὴν τοῦ Πολυβίου πρὸς τοῦτο τὸ μέρος ἐνθουσιασμὸν, &c. quae longiuscula, quam ut hic transcribi possint, summam tamen Venationis commendationem habent.

PRO-

PROLEGOMENA,

In quibus de Venationis origine & processu, ac nova hac GRATII *editione dissertatur.*

CUm plurimum publicae pariter, ac literariae rei priscorum inventorum renovationes conferre viderent primi bonarum artium restitutores, viri doctissimi, alii alias edocendas sibi quisque sumpserunt. Laudandum sane institutum, quo & antiquitas decori suo, & nostra ad antiquum reformentur: nisi plerique eorum amoenitati magis, quam honesto studuissent; nec quid sciri profuit, sed quid potuit, ostendere. Quin imo plerique intra Urbis pomoeria, aliqui non ultra Theatrorum podia, nonnulli & intra privatos parietes se continuerunt; quid ibi rerum, bene aeque ac male, gestum sit, scire contenti. Quorum illi quoque moribus nostris & pessimum saeculo exemplum aperuerunt, qui quam sumptuose olim Romulides & aleam & gulam exercuerint omni impensâ indagarunt: ut scilicet & nostri lurcones ad antiqua stomachum exacuant, & in tanto vitiorum curriculo illis palmam auferre contendant. Rectius illi vero, quanquam pauci, qui se in agros diffuderunt, ut quid diligens agricola, quid sagax venator, quid anceps praedae auceps, semperque dubius piscator captarent, compertum haberent. E quibus ego cum Venationem praecipuam, ita maxime neglectam haberi viderem, eam ab origine sua examinare, & in hodiernum quoque usum deducere, operae pretium existimavi. Nam unus & alter, qui ad Oppianum scripserunt, quantumvis magni Viri, de verbis magis, quam rerum cognitione, solliciti fuerunt. Pejori etiam successu ille egit, qui Gratium è silvis in scholam aliquam Grammaticam compellere conatus est. Ita, inquam, neglectum hactenus honestissime antiquis Heroibus habitum exercitium; ignaviane an incogitantia, non dixerim. Utra utra sit, tantum etiam odium conflavit, ut inter servilia officia jam à multis accenseatur Venatio, qui quod è Salustio male intellexerant, quam Principum ab omni aevo Virorum exempla, probare maluerunt. Ad quos refellendos non jam tot illustres ex optimis Autoribus locos adducam, quos & alii congesserunt, & quorum aliquos insigniores in aversis titulorum paginis ipse ob oculos posui; sed quicquid à Crispo arguitur, facile concedam; ut si quis *venando intentus aetatem agat*, ille *servile* magis *officium* exercere, quam legitimam corporis agitationem, & li-

libidini potius quam voluptati indulgere merito censeatur. *Nec vero laudaverim per se magnopere duritiem corporis ac lacertorum, sed si his validior toto corpore animus imperet, quem non nimiae indulgentiae molliant, non copiae principales ad segnitiem luxumque detorqueant, tunc ego seu montibus, seu mari exerceatur, & laetum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirabor;* ut de temperamento Venationis, quam tantopere in optimo Principe laudaverat, loquitur Plinius Caecilius. Qui modice & nonnunquam venatur, hoc agit, *ut animus agitatione motuque corporis excitetur*, ut idem alibi de se testatur: qui immodice aut assidue, corpori inservit, animumque illius libidini emancipat. Nec enim vituperare omnino Crispus potuit, quod virtutis incitamentum in Jugurtha fuisse agnovit, quantumvis fingamus ipsum à venatione alienum fuisse. Talis certe fastidiosorum contemptus legem non facit, non magis quam si Clericus aliquis nobis eam invideat, quia sibi interdictam exercere nolit. Quare toleremus facile quaecunque Sarefberiensis Johannes sibi, suique ordinis hominibus scripserit: hoc insuper laudemus, quod licenter exerceri venationem concedens, nimiam culpaverit. Difficilius feramus quod Plinium notaverit Vir Doctissimus, quia Venatione in Trajano laudata, *olim haec experientia juventutis, haec voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur*, subdiderit. Ille vero addit: vix sane veteres Romanos factitasse legas qui à prima adolescentia in militia, aut ejus exercitiis, erant. Si verba sua intellexit, & quae illa militantium adolescentum exercitia fuerint, utique & venationem inter ea fuisse ignorare non debuit: nec potuit, si Polybii locum, quem praefationi huic praemisimus, videre illi contigisset, ex quo & utrumque Scipionem, & ipsum Polybium, ut convenientissimum militaris roboris incitamentum, *bellicaeque disciplinae similitudinem*, ut vocat eam Cicero, venationem habuisse & exercuisse constat. Si Plinio fidem negat, cur Ciceroni, qui non semel eam commendet, cur Flacco, qui

Romanis solemne viris opus, utile famae,
Vitaeque & membris,

vocavit, ut Graecos nunc omittam, autoritas sua perit? Sed ne omnibus respondere necesse sit, omnibus unum, qui id valet, oppono Xenophontem, qui & in perfectissimi illa Principis institutione venationem primum bellicae virtutis tirocinium posuit, & in proprio de Venatione libro tot Heroum exemplis proemium stabilivit, totque hortationibus & rationibus epilogum munivit, ut qui ea legerit, alio-

rum

rum (at quot, quantique Viri!) autoritati supersedere, ne dicam, de venatione melius quam cum vulgo sentire, possit. Itaque nunc de origine ejus, & processu altius omnia repetam, simulque Gratii methodum (cujus laus ut maxima, ita maxima illi, quia Poëtae debetur) Lectori conciliabo. Primi mortalium cum ad possidenda ea, quae usui suo creata videbant, animum adverterent, nihil aeque, ac animalia, juvare experti sunt. Sed enim illorum quaedam sponte dominos admiserunt, quaedam non nisi perdomita. Horum indomitorum aliis violentia, aliis velocitas detrectationem ingenitam obstinavit. Igitur in violenta illa, evitandae aut praeveniendae saevitiae eorum necessitas., primam contentionem exstimulavit. Tum quidem ut se defenderent ab iis lacessitos,

—— —— —— omnis in armis
Spes fuit, & nuda silvas virtute movebant.

Fortitudo arcebat pericula, inquit Seneca lib. XIV. Epist. XCI. Lucretius lib. V.

Et manuum mira freti virtute pedumque
Consectabantur silvestria saecla ferarum
Missilibus saxis, & magno pondere clavae:
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris.

Quo etiam applicanda sunt, quae longo apud illum ordine sequuntur. Deinde successu paullatim confidentiores, nec tamen nuda vi agendum semper experti, adhibitis instrumentis, & ratione, ultro ea oppugnatum iverunt, cum ut iis interfectis tutius ipsi sua obirent, tum ut proximis succurrerent, *& infirmiores à validioribus tuerentur*, ut loquitur Seneca. Non aliter quam de Romanis Salustius: *Post ubi virtute pericula propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant.* Et hoc quidem in antiquis Romanis etiam laudavit Plinius: *Nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor.* Et hoc noster:

Hinc omne auxilium vitae, certusque reluxit
Ordo, & contiguas didicere ex artibus artes
Proserere; hinc demens cessit violentia retro.

Hic bellum illud ferinum substitit, & ut Maro loquitur Georg. I. dum

Varias usus meditando extunderet artes,
Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Inventum, & magnos canibus circumdare saltus.

Id est, in eas quoque feras, quae fugere aut latere tutissimum habebant,

** **

bant, dolos protelarunt: quae altera & propria magis *venationis* species, siquidem ei à *venis* indagandis aut nomen, aut saltem similitudo est. Haec voluptatem, qua capti laborem non defugerent, adhibuit. Nam prior illa bellica tota, & *periculosae plenum opus aleae* erat, & πολεμικὴν plane refert. In qua, uti dixi, cum defensioni primum serviret, inventa sunt retia, formidines, venabula, jacula, quo ordine ea accurate describit Gratius. Quae ubi ultro oppugnantes postea adhibuerunt, eadem, sed ampliore usu, & commodiora fuerunt. Itaque retia non solum arcendi, sed & concludendi feras, ac capiendi caussâ tendebantur. Nec formido abigere, sed in retia eas cogere didicit. Venabula, non modo qualia Dercylos ad excipiendos apros invenerat, ut majori vulnere certius conficerent, etiam crassiore obelisco, ut soliferrea, munita. Jaculis, quibus antea eminus vulnera minabantur, impetere ultro & insequi fugientes adinventum. Itaque, ubi *industria finem tetigit*, eadem arma ad ἰχνευτικὴν translata. Si enim summa illa genera servemus, duplex venatio est, bellica & indagatoria: ita ut illa utilitatem, haec voluptatem magis habeat; illa vires, haec sagacitatem requirat: velocitas autem utrique ad perfectionem accedat. Sed quia cursu solo aliqua etiam venatio consistit, triplicem commode statuerunt Romani, cum duplicem tantum habuerint Graeci. Plinius: *certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu.* In cursoria enim agilitatem, ut in bellica robur tam animi quam corporis, & in investigatione sagacitatem spectabant. Laudatissimae quidem in Principe priores duae, quia & in militia necessitatem habent: tertia tamen proprium *venationis* nomen meruit, quia *in venatu solertia & sagacitas praecipua est*, ut loquitur Plinius avunculus. Ideoque *venaticum* pro sagaci posuit Plautus Milite Glor. Julius Firmicus lib. V. cap. VIII. *Similiter & nutritores canum Molossorum, Vertagorum, & qui sunt ad venationes accommodati.* Molossos ad bellicam, Vertagos ad cursum, & alios, quos non nominat, quia plurima eorum genera, ad venationes, i. ἰχνευτικὴν accommodat. Sunt enim diversa canum genera pro diverso, cui aptiores sunt, venationis genere. Seneca lib. X. Epist. LXXVII. *In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & invadere.* Noster:

— — Sive indomitos vehementior hostes
Nudo Marte premas, seu bellum ex arte ministres,
Mille canum patriae, ductique ab origine mores Cuique sua.

Hic quidem duo tantum genera recenset; bellicosos, ut Medos, Celtas,

tas, Seres, Lycaonas, Hyrcanos, Britannos, Molossos; & sagaces, ut Gelonos, Athamanas, Acarnanas, Aetolos. In utroque Persam commendat, &, quia optatissimum hoc, ex utroque genere mixtos etiam formavit. Sed his tertium genus postea adjungit;

— — — at te leve si qua
Tangit opus, pavidosque juvat compellere dorcas,
Petronios (sic fama) canes, volucresque Sicambros,
Et pictam macula Vertraham delige falsa,
Ocyor affectu mentis, pinnaque cucurrit.

Hi sunt veloces, quos *fama* magis, quam usu cognovit Gratius. Vixdum enim tum Romanis cogniti, Galliâ Belgicâ, ex quâ orti, nondum satis subactâ. Nam quod Silius Italicus lib. X. *Belgicum canem* sagacem fingat, qui *occultos apros agitat,*

Erroresque ferae sollers per devia mersa
Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro,

ipsius error est, qualis ille Lucani cum *levem* & *clamosum Molossum* facit; quibus hanc veniam, & fingendi potestatem non invidemus. Mirandum magis quod Oppianus, qui duobus fere saeculis post nostrum vixit, veloces nullos aut Gallicos canes insigniores recenseat. An igitur & tum nondum innotuerint, qui jam Gratio de *fama* saltem celebrati? Quod si sit, recentior omnino autor est ille, qui se Atheniensem Xenophontem secundum facit, quem τῷ πάνυ Salmasio debemus. Scripsit ille de velocium sive Vertagorum Gallicorum canum venatione librum, non aliâ, quam qua hodie Belgae sola utimur. Sed omnis ea potius in Oppianum recidit incuria, quam ut classe & aetate sua excidat accuratissimus autor, quem sub Antonino Philosopho vixisse, haud vanis argumentis probare possem. Scripsit autem ille, &c. Nam sagaces, nisi cum velocibus miscendi sunt, longe iis postposuit. De quibus ex professo dicam ad ipsum illius Cynegeticon, ubi id cum altero majoris Xenophontis & nova versione publici juris facere, & ipsam illam recentiorum venationem usque ad nostra tempora deducere per otium contigerit. Velocium itaque venatio è Gallia primum petita, ut bellicosorum ex Asia, sagacium ex Graecia. Ex temporum serie bellica prior est, quae nunc pene tota obsolevit, nisi quam in tauros & ursos spectacula Anglorum exhibent. Sagacibus suus ubique mansit honos: praeterquam apud nos, qui veloces semper agitavimus propter regionis situm: donec prima Agassaeos suos

Per non assuetas docuisset currere valles

 In-

Inclyta illa, optimi Venatoris, Jacobi Regis proles, Elisa Boëmorum Regina, ut hac etiam virili magnanimitate fortis suae adversa eluctaretur: & post illam inter reliqua Virtutis suae incitamenta Regium hoc exercitium adhibuisset Guilielmus Arausionensium Princeps, ne non omnia Regi dignus probetur gener. Sed ut superius relicta absolvam, de indomitis animalibus, quae velocitate sibi consulere dixi, non idem sentiendum, quod de canibus: quasi cursoria venatio ad ea proprie pertineat. Verum sub eo genere & pisces & aves comprehendi; ut Plato, quem plurimum sequimur, utrosque sub fugientibus conjunxit in Sophistâ. Namque ideo aliqui, qui θηρευτικὴν omnem absolvere voluerunt, *κυνηγετικὰ*, *ἁλιευτικὰ*, & *ἰξευτικὰ* simul scripserunt. Quae aliqua ratio fuit cur Gratio Halieutica illa subjicerem; alias in notis meis ad ea daturus. Nunc vero & quid mihi cum venatione negotii sit, qui togae deditus, à sago alienus semper fui, expediam. In Anglia cum studia mea ruris otio exposuissem, & nobilium aliquot Juvenum, quicum agebam quotidie, hortatu ad sodalitium, quod propinquâ hieme illis deligere moris est, venaticum adductus essem, adeo volupe mihi id fuit, ut praeteriisse hibernum, quam adesse triste illud tempus, citius adverterem. Nam cum & nostro, & equorum ac canum labori tridui fere quies intermitteretur, Xenophontis, Oppiani, sed maxime Gratii praecepta (cui jam dudum operam meam addixeram) ad partes & examen vocare solebamus, & saepe diversi hoc aut illud probare, arguere, donec usu experiremur. Aliquando & comites Poëtas illos, & pugillares ferebamus, ut in ipso actu adnotaremus, Aut ab equis descendentes, silvae nos committebamus, & studia illa nostra simul adhibebamus; *ipsumque illud silentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta* fuerunt. Ne Plinio tantum crederemus, quod & ipsi experiebamur, *non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare*: aut fidem Symmacho negaremus, qui lib. v. Epist. 55. *Juvenilis*, inquit, *industriae est, excire saltibus feras, & liberalia studia silvestri voluptate distinguere;* & lib. ix. Epist. 28. haud injucundum Apollini ac Dianae sodalitium committit, ac praedicat. Redeunte itaque vere in Gallias transfretans, dum sarcinulas colligerem, & illa in commentarii formam redigere coepi, & quid alii de ea re scripsissent, perpendere; ne si bene, actum agere; si perperam dicta, probare viderer. Tum & quod è scriptis codicibus auxilii peti potuit, diligenter conquisivi, & typis commisissem, nisi domestici vulneris graviore afflictu domum,

&

& rem familiarem cogitare compulsus fuissem. Cui hactenus intentior seria agebam, nisi amicorum, quorum non levis apud me autoritas esse potuit, hortatu ad illa absolvenda rebus commode prolatis rediissem: metu magis ne ignavia destitisse, quam ut laudis praemio inductus viderer, quod mihi maximum sit, Principibus placuisse Viris. Novam ita paulatim editionem Gratii concinnavi, & plurima loca partim ab ingenio, partim è veteribus libris emendavi: defectus aliquot de meo supplevi, & deformem licet cicatricem obducere malui, quam sensu carentia, & hiulca illa Lectori commendare. Nec aliter fieri potuit in tanta penuria veterum librorum, quibus & ego malim quam mihimet credere. Sed rarius descriptum fuisse Poëtam nostrum ex eo conjicere est, quod inter antiquos nemo, praeter Ovidium, ejus meminerit, cum tamen Virgilio (nam post illum proximo loco Gratium etiam posuit Naso) nihil, materia minus, inferior sit: & meliora Grammaticis antiquis suppeditare potuisset, quam quae illi ex posterioris aevi scriptoribus petierunt. Sed & Plinii aevo jam nomen Gratii denotuisse non temere crediderim; de quo ad Halieutica agam. Nam in Inscriptionibus veteribus, quae Gratium nominant, nihil certi. Hic autem, ut ingenue dicam quod sentio, non puto aliud exemplar unquam fuisse, quam quod Sannasarius ex Galliis in Italiam transtulit: in quo Gratii Cyngeticon, Halieutica, & Nemesiani ac Calpurnii reliqua eo ordine legebantur, quo ea ex illius vetustissimi codicis apographo primus edidit Georg. Logus apud Aldum Anno cIↃ IↃ xxxiv. mense Januario; utque iterum excusa sunt Augustae Vindelicorum ejusdem anni mense Julio. & tertio, nisi fallor, apud Gryphium cIↃ IↃ xxxvii. Quem ordinem, & textum ab omnibus servatum primus immutavit P. Pythoeus in veterum Epigrammatum syntagmate, ex conjecturis; an ex alio veteri libro, nondum mihi constat. Hoc certum, si ex exemplari, fuisse vel vetustissimum illud ipsum autographum, quod in notis suis citat, vel melius aliquod apographum, quam quod Aesiander ex ipso libro Sannasarii, aut Logus ex Aesiandri apographo descriptum habuit. Nam & ipsae literae Longobardicae, quibus ille liber perscriptus fuit, varie huic, aut illi acceptae etiam majorem mutationem causari potuerunt, quam qua editionem Pythoei ab aliis dissidere videmus. De qua in variarum lectionum libello plura dicturus sum, si modo interim mihi copia fiat illius MS. codicis, quem in Thuanaea Bibliotheca vidit Vir doctissimus, cui & hoc praeter alia infinita debeo. Interim nec sic plura quam unum il-

lud exemplaria fuisse credam. Nam quod Germanicam aliquam Longobardicis literis, incertum ubi aut quando excusam Editionem, quam primam fuisse putat, eque ea diversas saepe à vulgatis lectiones citet Barthius, qui ante annos triginta ad hos autores explicationes Grammaticas edidit, vereor ne majorem fidem mereatur, quam altera Tigurina anni CIↃ IↃ XXXVII, quam toties laudat, & ex Germanica sua, ut alias omnes editiones, expressam dicit. Eopse enim anno ὁ πάνυ Gesnerus Tigurinus Tiguri fuit, egit, scripsit, & postea Gesnerorum typographaeo praefuit. Is inquam in Bibliotheca sua nullam Tigurinam horum autorum editionem recenset: aut cum plurima ex iis citaverit passim in libris de Animalibus, nihil simile illis, quae ex Tigurina adducit Barthius, usquam allegavit: sed uti in Aldina habentur, &, quae illam quoque expressit, in Gryphiana anni CIↃ IↃ XXXVII. quam solam in Bibliotheca sua posuit, utique non omissurus popularem suam, si ulla fuisset. Ipse etiam sibi non satis constat Barthius, modo ex Germanica sua alias omnes editiones propagatas, sed multa temere mutata in iis esse, dicens, modo visam ulli unquam negans. Hoc potius, & ne ipsi quidem visam fuisse credidero; sed ex ingenio suo nobis illa excudisse, quae speciosa magis, quam verisimilia, & saepe inepta autorem suum clamant. Si cui temere de illo Viro tam multae lectionis haec censuisse videar, ille Satyram de Lite Hospitalii, ille Vestricii Spurinnae fragmenta ex Plinii lib. III. Epist I. effícta, aliaque pro antiquis nobis obtrusa aliquantum consideret. Illa enim jam magni Viri ut spuria ordine moverunt: haec vero, quae soli mihi molestiam fecerunt, antequam dignoscerem vera à falsis, quia vera omnia putabam, suspecta magis quam falsi convicta etiamnum relinqui possunt. Ideoque ea fide, qua ille proposuit, cuicunque libuerit, omnia inter varias lectiones repraesentata habeat. Nec aliter fecissem etiamsi illis integram fiduciam attribuissem; ne ipse indignetur nomen, quod solum ex iis captavit, apud nos primum perdidisse. Talibus enim farcire commentarium meum nolui, satis alias magnum pro autore, cujus mentem quam verba pensi magis habui: nisi quatenus intellectum morarentur, aut ab interprete male habita sensum ipsum interverterent. Haec in antecessum monenda putavi; ut quoties illius explicationes aut emendationes ad examen vocandae essent, toties ingenium hominis designare necesse non haberem, cujus libri tamen jam scholas nostras invaserunt, & tironibus commendantur. Ideo quoque scilicet monui, ne *cirratorum centum dictata fuisse pro nihilo pendisse* à magistris nostris arguar; quorum illa socordia effectum est,

est, ut ad Academias promoti Latine loqui plerique erubescamus: & inde in forum praecipitati citius Barbare quam vernaculam sciamus. Ego certe, ut seria agendi ipse mihi semper autor fui, ita aliis leve hoc, quod gravissimi ab omni aevo viri in secessu semper coluerunt, studendi genus inutile omnino non esse persuasum velim. Illis vero, quorum ope & consilio in hisce usi sumus, & porro utemur, in ipso hic vestibulo grates ago, & ne laudes eorum, ut merentur, totas mihi paginas facerent, hoc quoque excusatum volo, quod nominando illos omnia quae dici poterant maxima comprehenderim: nominabo autem ad ipsa, quibus suppetias tulerunt, loca. In quibus vero ab illis dissentio, quamquam raro, & invitus fere fecerim, ea non ut contraria suis, sed ut diversa saltem rogo habeant: aut si, ne sic quidem sententiae dicendae locum mihi concedunt, sciant me opinione mea citius, quam obsequio decessurum: modo dicentem ferre, discenti favere, errantem docere non dedignentur.

JANI VLITII
PRAEFATIO
SUPER VARIAS IN GRATIO LECTIONES.

PERLATA tandem ad me sunt, beneficio Eruditissimi & Amicissimi mihi Juvenis, cui & alia haec debet Editio, Thuanaei codicis, vel potius fragmenti excerpta; in quo Gratii Cynegetici aliqua pars, & Halieuticon, ut extat, totum. In Cynegetico autem post v. CLIX. reliqui omnes desiderabantur. Non dubito equidem quin id ipsum sit exemplar, ex quo paucas variationes in Editione sua notavit Pythoeus, quae omnes poene cum meis consentiunt: quamvis v. CCXXXV. in eodem V. C. aliter legi annotaverit. Fortasse enim integriore adhuc libro eopse, an alio insuper usus est. Ut ut fuerit, nondum illa me fefellit opinio, qua, cum ad Gratium praefarer, Sannasariani codicis apographum esse conjiciebam. In paucis enim differt; & ea pleraque vel errore, vel pro lubitu exscriptoris inserta possunt fuisse. Ego quidem, nec ea, quae Pythoeus jam excerpsit, nec illa quae

quae sive festinatione praeteriit, sive fastidio aspernatus est, ullo modo omittenda censui; sed & naevos & lituras, unde saepe verae lectiones eliciuntur, ad manum librarii repraesentavi, ne quicquam post me desiderari possit. Juvit insuper hanc curiositatem meam, rogantique suppetias tulit, Vir maximus, & nullo non nomine mihi colendus, Erycius Puteanus, cum libros Lovanii agenti ex cultissima Bibliotheca sua liberaliter depromendo, cum postea quaecunque ipse olim ex variis editionibus & commentariis enotaverat submittendo: quae suis locis inserui. Juverunt etiam obiter alii Doctissimi Viri, quos ideo hic nominare ad rem non pertinet. Singularem vero Clariss. Joh. Fred. Gronovii & Nic. Heinsii in Libello hoc adornando gratificationem nisi praedicem, ingratissimus sim.

Praeterea, ut in Prolegomenis promittebam, Barthianas sive conjecturas sive variationes addidi: ea distinctione, ut quas sibi asscripsit, B. litera designaverim: quas autem Germanicae vel, ut verius eam vocat, ἀτόπῳ Editioni (in Germania enim nunquam ante illum, ipso in fronte editionis suae teste, autores hi excusi sunt; quod coarguitur non modo nullas vetustiores, sed nec Augustanam quidem Anni 1534 inspexisse) vel, quae pari passu ambulat, Tigurinae (nisi aliud extra Germaniam in Utopia quoque Tigurum est) acceptas referre maluit, G & T. characteribus notaverim: Ea quoque fide habendas reliqui, qua ipse modo Germanicam Editionem esse, quae plurimum illum in restituendo Gratio juvit, in limine Commentarii ait; modo ullam ante suam in Germania curatam fuisse in titulo operis negat. Addidi postremo meas quoque aliquot conjecturas, quae vel ut in commentario locum haberent operaepretium non erat, vel postea inter relegendum subnatae sunt. Has τῷ *f.* insignivi.

JANI VLITII

Praefatiuncula ad Emendanda & Addenda sua, quae jam in hac Edit. emendata, & suis locis inserta sunt.

QUae in textu Autorum commissa sunt, ea vel in Commentario, vel in variis lectionibus restitui, in Commentario utroque, etsi quaedam in posteriori & Variis Lectionibus correxerim, quae in priori ma-

male habebant, nihilominus multa supersunt, quibus veniam à Benivolo Lectore rogo, donec in Graecorum Cynegeticorum Editione plenius & accuratius retractentur. Interim, quae obiter tantum relegenti obvia se dederunt, aliqua etiam hic emendare visum est. Sed potior tamen pars eorum quae hic annoto, non mihi adeo imputetur velim, quam vel absentiae meae, vel qui absentis non aeque ac mercedis suae rationem habuerunt, ipsis typothetis.

JANI VLITII J.C.

PRAEFATIUNCULA

IN

CURAS SECUNDAS.

Scite omnino atque vere à sapientissimo Tragico olim dictum,

Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

Id enim nunc ego in levibus quoque hisce verum experior, quae si in hunc usque, qui nonus post primam editionem agitur, annum ex praecepto prudentissimi poëtarum pressissem, jam fortasse δευτέρων ἀμεινόνων, *(quod tamen faxit Deus) nulla mihi cura incubuisset. Sed quandoquidem (ut idem ille)* nescit vox missa reverti, *& per aetatem, quae tum temporis curatoris adhuc indigebat, mei nunc ipse curam agere incepi, age, vineta egomet caedam mea, versoque stilo, quidquid praecipitantiâ peccatum, obducam; & quae deinceps inter legendum ad hanc rem idonea occurrerunt liberaliter addam. Et primum ad* τὰ πρῶτα *sive* προλεγόμενα *paucula haec praefari non abs re visum. Ubi cum plurimum me torserit Sallustii locus, in quo & agriculturam & venationem servilis officii nota videtur traducere, nec mihi satisfecerim, conatus postea fui alio modo id exponere in extremo ad Nemesianum commentario, ad vers.* CCIIC. *Nec male fortassis. Sed nunc leviore brachio confectum iri negotium mihi videtur, si veteres Editiones & scriptos codices sequamur, in quibus* servilibusve officiis, *legi testatur Cypr. à Popma in Emendat. suis: ut* servilia officia *per se sint indigna illa libero homine munia, quae tunc aevi Romae regnare incipiebant; ambitiones, salutationes solennes ac quotidianae, haereditatum atque orborum*

 ca-

captationes, magnatum adulationes, & similia ab Horatio aliisque passim quoque notata. Nam etsi venando aetatem consumere recte abhorruerit Crispus (ut & in Proleg. & ad Nemes. late exposui, quibus adde illud Senecae Epist. XIV. nec nego indulgendum corpori, serviendum nego: *& quae Cicero de adolescentis Officiis lib.* I. *disserit.) non idcirco tamen credendus est venationem decore exercendam odisse tantum, ut* servile officium *censuerit: cum & ipse P. R. hosti Jugurthae laudi tribuerit,* pleraque tempora in venando agere; leonem atque alias feras primum, aut in primis ferire; *& Polybius Scipioni, quod* καθάπερ εὐγενὴς σκύλαξ ἐπίμονον αὐτοῦ συνέβη γενέσθαι τὴν περὶ τὰς κυνηγεσίας ὁρμήν. *Ubi idem subjungit eundem Scipionem se comite adscito tantum temporis, Romae dum ageret, venando impendisse, quantum alii* περὶ τὰς χαιρετισμοὺς ἐσπούδαζον καὶ τὴν ἀγορὰν ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, καὶ διὰ τούτων συνιστάνειν ἑαυτοὺς τοῖς πολλοῖς, *quae revera eadem illa* servilia officia *sunt, quibus se vulgo tum jactare plebisque gratiam captare solebant molliores Romuli (qui & venando se plurimum exercuit, teste Livio lib.* I. *) eoque indigni nepotes. Quos idcirco reprehendit quoque Horatius lib.* III. *Ode* XXIV.

nescit equo rudis.
Haerere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior, *&c.*

Et Vononem Parthorum Regem suorum dedignationem accendisse refert Tacitus initio Annal. II. *quod* diversus à majorum institutis, raro venatu, *viveret. Quippe aliter majores illi nihil magis Rege dignum censebant, ut constat ex Xenophontis Cyropaed. lib.* I. *& alibi. Adeo quidem ut* justitii instar *illis esset* exercitatione venandi abstinuisse, *teste Suetonio in Caligula cap.* IV. *Imo (ut ad Romanos, eorumque principem revertar) ipse, quem dixi, Scipio hac sola Rex sibi visus est,* νομίσας οἱονεὶ βασιλεύειν, *ut loquitur Polybius; cujus reliqua in Encomiis Venationis, & Polegomenis, quae sic absolvimus, praefixa vide. Transeamus itaque ad Gratium.*

ΕΙΣ

ΕΙΣ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΒΛΙΤΙΟΥ

κυνηγεσίαν κατορθωθεῖσαν.

Δίκτυα κυκλοτερῆ μεγαλήτορος ὅπλα κυνηγοῦ,
Καὶ κύνας ὠκύποδας ΒΛΙΤΙΟΥ βίβλος ἤδε διδάσκει.
Χαίρετε θηρευταί, μέγας ὄλβος ἂν ἔσσεται ὔμμιν.
Ος γὰρ ἂν Αρτέμιδος καὶ Απόλλωνος μέγα δῶρον
Υμμιν ἀνορθώσαι, Χείρων ἕτερος γ' ἀνατέλλει.
Οὐκέτι νῦν κάπροις μὲν ὀδοὺς, ποῦς δ' ἐλάφροισιν,
Μηδὲ λέοντι κράτος, μηδ' ἄρκτῳ χρήσιμον ἔσται·

ΒΙΛΕΛΜΟΣ Ο ΚΡΟΜΜΩΝ.

IN

G R A T I I

de Venatione poëma à

J A N O V L I T I O

restitutum.

Sacra pharetriferae studiumque artemque Dianae,
Quaeque in fulmineas arma movenda feras,
Lusit Apollineus testudine GRATIUS *aurea.*
Lusit: & aeternum Delia fovit opus.
Sed tamen (usque adeo nihil est à tempore tutum)
Occidit annosa pagina pene mora.
Mysta lacer, lacer ille tuus, Dictynna, sacerdos,
Qualis Aricino Virbius ante lacu,
Jam fugituram animam Stygia sub nocte trahebat,
Spesque super lapsae nulla salutis erat.
Laesa etiam cum vate Dea est: nihil ignis in ara;
Templa litaturae vix subiere manus.

Squalet Gnosiacae decus immortale pharetrae.
Copula dispersos non ligat ulla canes.
Sacrilegas impune feras neglecta terentes
Maenala conspiceres Partheniumque nemus.
Quid facias, Dea casta? piget non digna ferentem;
Pervia sunt tantis & tibi corda malis.
Frater opem poscendus, opem feret ille petenti.
Nam propior nulli justa querela Deo est.
Viderit ipse pater, fulmenque volubile rursus
Torqueat infesta, torsit ut ante, manu.
Crede mihi, nihil est quod deneget ille sorori:
Pignora conspicui certa favoris habes.
Te propter tulit ante casis habitare Pheraeis,
Et coelo Aemonios pascere pulsus equos.
Audierat, Clariasque petit Latonia sedes,
Ac medicam vati blanda rogavit opem.
Cui Deus (ut sibi causa viae, sibi causa doloris
Cognita) complexu rettulit ista dato:
Ardua res, soror, est quam poscis: at irrita ne sit,
Pendet ab obsequio spes tibi certa meo.
Dixit: & Haganas super ilicet astitit umbras,
Quas amat Aöniis non minus ille jugis;
VLITIADENque meum celer occupat, occupat omnem;
Ac solito raptum numine pectus agit.
Ille Deo plenus succos adhibere salubres,
Membraque Pieria trunca fovere manu.
Nil Jovis effectum telis. Epidaurius heros
Hippolyto, GRATI, quod fuit, ille tibi est.

NICOLAUS HEINSIUS, DAN. F.

AD

AD CELSISSIMUM

ARAUSIONIS PRINCIPEM

GUILHELMUM,

Cum illi ab Exercitu jamjam redituro GRATIUM suum inscriberet

JANUS VLITIUS.

Dum procul imbellem Batavis à finibus hostem
Pellis, & intrepida concutis arma manu,
Spes patriae, Auriaci soboles invicta Gradivi,
In sobole populi tanta stupentis amor,
Interea reduci rursum nova bella parantur,
Bella, sed in solas illa gerenda feras,
Adversae simulacra tamen gratissima pugnae,
Solaque post pugnam digna placere tibi.
Talia succedant gravioribus otia curis;
Excipiat nunquam dignior arma quies.
Cum redit à fusis Mavors pater ipse Gelonis,
Si qua fides, colles & nemora alta petit.
Ille graves ursos, & acuto dente feroces
Cominus adversa cuspide figit apros,
Aut pavidum leporem canibus scrutatus odoris
Illaesum, Veneri munera grata, refert.
Cuncta decus quondam felicis nobile saecli
Haec tibi facundo GRATIUS ore canit,
Dona Deûm, laetas monstrans venantibus artes,
Quas docuit comites ante Diana suas.
Ille tamen, tanta est injuria desidis aevi,
Pene sub ingrata nocte sepultus erat:
Docta laboranti succurrit dextera Vati,
Digno operi lucem contulit ille novam.

VLITIUS abstersa rubigine reddidit orbi:
Qualia venanti GRATIUS arma dedit.
Haec offert jam culta tibi, pulcherrime rerum.
Auspiciis pridem moverat illa tuis.
Si faveas tantum, sors contigit aequa labori,
Et tetigere suos improba vota Deos.
Partheniam colet ille tua sub imagine Divam:
Thura feret Vates, & dabit aula focos.

CASPAR KINSCHOTIUS L. F.

AD
JANUM VLITIUM,
quum GRATIUM de Venatione in lucem daret.

QUi catulos, pharetrasque canit, qui retia, casses,
Et nos venandi quaelibet arma docet,
GRATIUS abstrusis per te revocatur ab umbris,
Redditur & luci, sed sine labe, suae.
Jam lepores, cervique pavent; aprosque lupos que
Non fuga, non terris facta caverna juvat.
Quin magis attonitus fugeret cum cornibus ipse
Actaeon, canibus jam nisi praeda foret.
Hinc tibi sed multum debet defensa vetustas,
Quique sui famam carminis Auctor habet.
Ipsa tibi debet virgo Latonia, Phoebi
Quae jam non falso creditur esse soror.

ROCHUS HOPPERUS.

AD

AD EUNDEM

GRATIUS *in multa mendorum nocte jacebat,*
AURELIUS*que suum vix bene norat epos,*
Doctius & tantis olim venata magistris,
Majorique solens arte ferire feras,
Prisca videbatur languere Diana, suumque
Diva potens nemorum dememinisse nemus.
Non pharetra, non gente canum, non caede ferina
Laeta, sed aegrotis vatibus aegra fuit.
Multa manus totam conata referre salutem,
Sed potuit totam nulla referre manus.
Donec in auxilium longo post tempore venit
VLITIA *cura viris;* VLITIA *cura deae.*
Huic antiqua *simul venanti reddidit arma,*
Et nova *venanti* VLITIUS *arma dedit.*
Illa latus niveum redivivis aucta Poëtis,
Quique salutiferum sospes uterque canunt,
Ingreditur, rursusque placent ante omnia sylvae,
Retia rara, plagae, telaque certa placent.
Rursus amat vastos canibus circumdare saltus,
Hi resides animos voce repente novant.
Jam pede veloces, acri jam nare sagaces,
Jam bellatores praelia dente petunt.
Jam nec apro dentis fulmen, neque cornua tauro,
Visque pedum cervo, vulpibus astus erit.
Nulla lupos feritas, lepores fuga nulla juvabit,
Et poterit prompte jam fera cuncta capi.
Hoc, mi JANE, *tuum est, tibi se venatio debet;*
Haec agit auspiciis, JANE, *Diana tuis;*
Quae tibi cum longas festinet reddere grates,
Cumque Deae nullum gratius exstet opus,
Ut semper celebretur opus. celebreris & author,
Huic dabit aetatem, JANE, *tibique suam.*

HENRICUS BRUNO.

IL-

ILLUSRISSIMO PRINCIPI,

GULIELMO

GLOVERNIAE DUCI.



CUM tot indies tuarum laudum praeconia, Serenissime Princeps, tanta sagacitatis innatae, judicii leporisque supra aetatem felicis praedicantur exempla; festinandum mihi duxi, ne *Gratium* post dedicaturus in ipso sisterem ausu, illas animi dotes jure reformidans, annis jam ad maturitatem perductas. Properatum itaque merito opus, meumque tuam aetatem qua licet demerendi studium nolim asperneris: Quin paternum candorem reveritus hoc qualecunque munus clemens accipe. Ut quibus Ille inservit laboribus per frigora, per nives, strenuus & invictus, Tu jam hisce carminibus descriptos legas mox imitaturus. Non excelsae tuae indoli deliciarum incantamenta, non pueriles Veneris nugas affero, sed Martis rudimenta, Regum exercitia, Heroum labores. Macte igitur virtute tua, Illustrissime Princeps, & nequando infirmior corporis habitus animi quoque ad summa contendentis impetum retardet, perpetuam indulgeat tibi Deus salutem, qualem postulat tanti ingenii tantaeque spei Princeps, Rex futurus.

Ita precatur

Celsitudini tuae,

Devotissimus

Humillimusque Cliens,

THO. JOHNSON.

LE-

L E C T O R I

S. D.

THO. JOHNSON.

I*Nstituti mei rationem, quam in edendo* Gratio *servandam proposui, paucis, Lector, accipias velim. Ex quo enim meos in se convertit oculos, mirifice delectabar cum nervosâ brevitate & elegantibus figuris, tum singulari narrationis artificio. Sed quia difficiliores subinde occurrebant loci, qualesque lectorem invitum saepius morarentur, suam Auctori lucem, qua fieri potuit, reddendam duxi. Diligentius itaque incumbendum ratus, editiones, quotquot uspiam erant in promptu, corrasi;* Xenophontem *utrumque*, Oppianum, Pollucem, Plinium, *aliosque consului; non tamen eo fine, ut ingenti commentariorum farragine eruditionis speciem prae me ferrem, sed ut ex editionibus collatis, & auctoribus consimilem materiam tractantibus, clarior in posterum dilucidiorque prodiret* Gratius. *Notas volui, non Exercitationes: Quo enim futiles explicationes, ubi nulla subjacent fundamenta? certo itaque ante omnia & expedito contextu opus erat; quem ut tibi, Lector, definitum darem, omnes* Gratii, *praeter unam, Editiones conquisivi; quam quidem abfuisse eo magis me male habet, quod multa Vlitius, in ipsis, qui ad manum sunt, codicibus, vel prae incuriâ praetermisit, vel ut inutilia abjecit: quorum tamen ope nonnulla à me non infeliciter restituta spero. Si qui sunt, qui anxiam istam diligentiam culpare properant, sciant velim me non eum esse qui omnia primo intuitu penetrare valeam. Quin & ipsi saepe interrogati turpiter hærent, & vel ignorantiam suam fateri coguntur, vel nugas hasce securi contemnunt, & strennae Grammaticorum inertiae fastidiosi mandant. Quos quidem dicere non verebor, penitiores & consulto abditas veterum elegantias nunquam percepisse. Praeclaram proinde gratiam veteribus referimus, si quos ipsi nobis summâ cum laude summoque studio evigilarunt libros, nos ne quidem dignos qui intelligantur judicaverimus. Mihi vero hâc in parte peccare religio erat, adeoque centies eundem locum ad examen revocabam, in omnes partes versabar, amicos consulebam; & nequid porro illustrando* Gratio *deesset Criticos illustriores percensui* Salmasium, Turnebum, Gronovium, Vossium, Heinsium, *aliosque: Solus vero* Gronovius *mihi astitit certissimus ille Veterum restitutor; utcunque enim multa* Heinsius *tentaverat in notis passim* Ovidianis, *vix unquam, præ festinatione (credo) nimiâ, saniorem reliquit* Gratium.

*** *** Ne-

Nemesianum, *perpetuum* Gratii *comitem*, *&* Fracastorii Alconem, *hos sane rebus ipsis*, (*quia aliter sua libro non constaret moles*) *& bibliopolae consilio persuasus evulgavi. Non inconcinni illi quidem, utcunque* Gratio *longe inferiores.* Nemesiano *autem notas adjicere placuit, partim* Vlitianas, *partim nostras. Qui vero sequuntur libri, quia incredibili erant pretio, & rem praesentem aliquo modo illustrare possent, adjungendos non incommode judicavi. Ut vero ego diligentis saltem egi, tu quoque Lector candidi benevolique partes age: ea enim debetur Lectori reverentia, quae à temere ineptiendo deterreat, is vero Scriptori candor, qui diligentiam modestiamque alat.*

HIER. FRACASTORII
A L C O N;
SIVE,
De cura Canum venaticorum.

ASSIDUIS nuper fessus venatibus Alcon,
Falleret aestivi ut fastidia longa diei,
Corvini qua se nemora excelsissima coelo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum.
Me segnes artus, defectaque viribus aetas
Et superare juga, & latis discurrere campis,
Et torquere leves hastas, & ferre pharetram
Nate, vetant, densâque indagine cingere silvas.
Sed te pulvereum cursu treansmittere campum
Ferre aestum frigusque, leves agitare Molossos,
Et pinguem silvis ad tecta avertere praedam
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
En arcum pharetramque tibi, jaculumque relinquo:
Ne tamen usque adeo plenae confide pharetrae,

Ut

Ut postrema canum interea ribi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris praevertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem,
Ergo age, & haec tecum semper mandata reserva.
Principio ut generosa canum tibi copia nunquam
Desit, quae certam valeat promittere praedam,
Elige degeneri nequaquam semine natos,
Sed quos assidue silvis exercuit altis
Et labor indomitus, saevarum & praeda ferarum.
Nec vero parvi formamque genusque putaris:
Nam neque sunt animi, neque mores omnibus iidem,
Et variae diversa canum dant semina gentes.
Nam rabidas si forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput objectare periclis;
Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa
Quaere canes, Libycos illis, acresque Britannos,
Pannoniosque truces, & amantes praelia Celtas
Adde, nec Hyrcanos, nec Seras sperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreasque fugaces
Malueris, timidosque sequi per devia cervos,
Delige Pannonios agiles volucresque Sicambros.
Quod tibi si latebras, abstrusaque lustra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi est,
Hunc usum implebit Perses & Saxogelonus.
At genere ex omni praesertim delige quae nec
Corpore sit gracili, nec densis aspera villis,
Sed sublime caput, vivacia lumina & amplam
Ostentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui rectae surgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam descendens spina reflexam,
Sint armi lati, sint aeque pectora lata,
Lata alvus, quae sic costis adjungitur imis,
Ut tamen in spatium sensim se colligat arctum;
Ut cava diductis succedant ilia costis,
Excipiant siccis quas fortia crura lacertis.
Ima pedum parva signent vestigia planta.
Huic similem conjunge marem, cum vere tepenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum:

Bis quinas tamen ante dies, accensus uterque
In venerem, venére abstineant: sic plena libido
Acrius exstimulat, viresque ad semina praebet.
Hinc major soboles, atque inde valentior exit.
Quae simul ac sese numeroso protulit ortu,
Selige de multis quos jam praestare videbis
Pondere: vel stipulae flammis include sonoris
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam sobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis & inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus aetas
Accessit, parvum cursu conscendere collem
Et molli assuescant sese demittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbisque viri parere vocantis.
Nulla mora est, ipsis crescent cum viribus anni.
Jam potes hos tuto densis committere silvis:
Perque altos montes per lustra agitare ferarum.
Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni:
Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis, tum cursibus illos
Exerce assiduis: ac mox ad tecta reversi,
Vincla pâti discant: ita demum libera colla,
Cum res ipsa, ususque vocat, majore feruntur
Impete, nec cursum remoratur pigra sagina.
Hactenus in silvis catulos eduximus altis:
Nunc quae morbosis sit cura adhibenda, docebo.
Insomnes cum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi: dein Bacchica dona rosarum
Misce oleo, & rapidis simul omnia concoque flammis;
Terque die inserto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat aestu
Butyro lapathi succos, Siculique Lyaei
Pocula, contusumque piper simul omnia miscens
Prosubige: ut certi simul ac commixta liquoris
Praeculerint speciem, cupido canis hauriat ore.

Im-

Immodicam ſed forte ſitim dum ſublevat atro
Fonte canis, lymphae mala ſi ſucceſſit hirudo
Cimiceo ſuffire canem nidore licebit:
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam
Incoquere, offenſoque cani praebere vorandam.
At cum tetra lues, clavos dixere, palatum
Afficiet miſere, ſilveſtria ſeſama necnon
Bacchi acidos latices, & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum: dein ſingula in unum
Confundens, tetrae cauſam ſuper illine peſtis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Cum tabes, crebraeque fluunt à lumine guttae,
Jam frondes ſacrae myrti ſilveſtris & uvae
Ardenteſque roſas diluto concoque Baccho,
Hiſque affecta levi citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod ſi nativo ſtimulatur coxa dolore
Lemiulum lapidem, Meditem nomine dicunt,
Urina ſemel atque iterum demerge recenti;
Cui Bacchi dulces, acidoſque adjunge liquores,
Quaque latet peſtis ſumpta circumline penna.
Aſt ubi rupta novo manabit ſanguine vena,
Tum murem geminum, ac telam pendentis arachnes
Ure foco, cineremque undanti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo vero lotii cum forte meatu
Vexari aſpicies catulum, cerealia dona
Objice, lacte prius ſimae perfuſa capellae.
At contra venis ſi quando ſanguis apertis,
Pro facili urina, terram madefecerit atram,
Conveniet lente ferventi lactis aheno
Mollire, & tenues coriandri immittere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,
Inſertoque cani paulatim infundere cornu.
Quid? taceam nimio cum decidit ungula curſu?
Frangere namque juvat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire ſaliva:
Incipientque novi ſubcreſcere protinus ungues.

 Fit

Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab oestro:
At tu silvestrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere salubri
Disce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muscarum turba molesta
Impetit, usque adeo mutilatum appareat alte
Ut caput: ipse autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus viridique putamine tinge.
Quid cum dura canes inter se praelia miscent
Alter ut alterius percussus dente laboret?
Tunc etenim cervi flammae subjecta voraci
Ossa teres, oleo subigens frondentis olivae
Unguinis in morem, ac vulnus letale perungens:
Quamquam etiam possis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero serpentis saucius ictu,
Quo valeat, scit sponte sua reperire salubre
Gramen, & ipse sibi nullo auxiliante mederi.
Senserit at rapidos ubi morsus, protinus ipse
Idaeam rutae foliis acrique Lyaeo
Junge picem, laesaeque adhibe haec medicamina parti.
At mala cum scabies miseros depascitur artus
Latrantum, & foedè miserabile corpus adurit;
Cerusam, abdomenque bovis, resinamque tenacem
Butyrumque recens viridantibus incoque sensim
Lentisci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc praecipue solerti mente cavendum est,
Cum rabie accensus nunc hos nunc impetit illos,
Ipsi infensus hero, datque insanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compesce catena:
Inde rosae agrestis radicem pondere saxi
Contusam vivi fontis consperge liquore,
Ut potus speciem lino colata nigrenti
Praeferat: hac sumpta revocari ad pristina tradunt
Sensa canem, ac posita rabie mitescere rursum.
Sunt qui silvestres ficus adipemque vetustum
Contundant: ederas alii ferventibus undis
Emollire jubent, donec pars una supersit
E tribus, atque ipsis foliis tepidoque liquore

Pa-

Pascere quadrupedem, aurora surgente furentem.
Nil tandem usque adeo prodest, ac prima sub ipsum
Principium morbi rescindere semina ferro.
Nam qua parte imo conjungi linguâ palato
Cernitur, & fauces nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit usque Molossos
Vulnificus vermis, suffunditque ora veneno.
Quem si quis potuit ferro resecare, potentem
Is tanti abstulerit causam, stimulumque furoris.
Quae superant, olim. nunc praedam ad tecta jacentem
Ferre monet praesens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos posuit Corydallus acutos,
Et jam sublustres invectat luna tenebras.

No-

Notae Editionum Gratii, Nemesiani, & Calpurnii.

A. Aldina, Venetiis 1534. quam eodem anno expressit H. Steyner Augustae Vindelicorum, & Gryphius 1537. Lugduni, et Froschoverus eodem fere anno Tiguri, ex qua falso tam prodigiosas variationes citavit Barthius, notatas τῷ T.

G. Germanica illa ἄπτ@ Barthii, quam (ut dicit Vlitius) omnium figmentorum suorum autorem citat.

P. Parisiensis inter EPIGRMMATA & POEMATIA VETERA hos omnes autores non parum emendatiores habet, cura P. Pythoei 1590. quos inde exhibuit Antverpiensis 1608. &

B. Ed. Barthii Editio, Hanoviae 1613. cum commentariis ipsius Casp. Barthii, quem B. notavi.

Lugd. Lugdunensis 1596.

Was. Wasaeana Londini impressa.

Steyn. Apud Steinerum.

In reliquis Bucolica tantum.

R. Romana 1471. quae post Silium, XI. Eclogas sub C. Calphurnii nomine repraesentat, & princeps procul dubio omnium est, sed nunquam expressa, nisi valde fallor.

V. Edita Parmae (ut inibi additur) *per Angelum Ugolettum è vetustissimo atque emendatissimo Thadaei Ugoletti codice è Germania allato*, &c. circa annum 1500. habet etiam Nemesiani Eclogas IV. post Calpurnianas.

F. Florentina 1590. cum commentariis Roberti Titii & Hugolini Martellii Episcopi Glandarensis. * citatur à Titio alia Florentina Juntae 1504.

MS. Pal. Sunt variationes scriptorum codicum Palatinae Bibliothecae, quas citarunt Gebhardus, & Barthius, sed tantum in Adversariis suis.

MS. Tit. quas Titius ex scriptis libris allegavit.

GRA-

GRATII FALISCI
CYNEGETICON.



Ona cano divôm, laetas venantibus arteis,
Auſpicio, Diana, tuo; prius omnis in armis
Spes fuit, & nuda ſilvas virtute movebant
Inconſulti homines, vitaque erat error in omni;
Poſt

VARIAE LECTIONES.

Faliſci] Deeſt in A. & P. *Phaliſci*. G. & B. Edit.

NOTAE.

GRATII] Hujus, id quod paucis invidit fortuna, ex omni Antiquitate, nemo veterum Scriptor meminit praeter Ovidium, cujus verſus vulgo notus eſt. Nam Manlius incertum hunc ne an alium ſenſerit, cum de hujus materiae Scriptore loquitur. Obſcurum fuiſſe adhuc florente Lingua Latina argumento eſt, quod Nemeſianus, qui multis poſt ſeculis ejuſdem tituli librum ſcripſit, primum ſe hoc argumentum tractandum litteris Poëticis, aggreſſum eſſe, jactat. Non facturus utique, ſi tum hujus luculenti Poëtae nomen viguiſſet. Quicunque fuerit hic GRATIUS, luculentus ſane Poëta fuit, & in quo merito ſeculi felicitatem agnoſcit Incomparabilis Cenſor, Scaliger. Et bene nos, quibus potius perſonam auctoris, quam ipſum Poëma invidit Fortuna. Jacuit hoc hactenus; & nemo manum admovit, inter quiſquilias quaſi Antiquitatis abjecto. Nam Fr. Modius, qui ſe illuſtraturum recepit, non praeſtitit. Et P. Pithoeus qui inter caetera & hoc farragini Poëmatiorum inſerſit, non attigit emendationem locorum niſi perpaucorum, faſſus majorem diligentiam & meliores Codices requiri. Uſi nos ſumus Editione Veteri Germanica, in qua & multa emendandis Calpurnio & Nemeſiano offendimus. Hi enim Poëtae junctim editi apparebant. Sed illa Editio non tantum fortaſſe Gratio, atque illis duobus profutura erat. Satis enim lacunoſa atque mendis obſita erat. Quicquid tamen boni poterat, à nobis conferre juſſa eſt. BART.

GRATII FALISCI] Quia verſu XL. hanc patriam ſuam innuere videtur: *noſtris imbellia lina Faliſcis*. Ne Barthio tantum credamus, qui ex Germanica ſua Editione edidit: GRATI PHALISCI. Sed Veteres *Faliſcos*, non *Phaliſcos* ſcribi voluerunt. VLIT. Omnia de noſtro Gratio ſunt perquam obſcura; praenomen, & cognomen, ambo, temporum injuria, atque alto ſilentio ſcriptorum perierunt: nil praeter ſuum atque operis nomen, unica *mentione Ovidiana*, ſuperſtes factum eſt. Verum Gratiae familiae quaedam monumenta exſtant apud Gruterum: & varia cognomina, *Glaucus*, *Xanthus*, *Eutyches*. Haud miror ſane nullam fieri mentionem ejus in ſcriptis Veterum, cum ex hiſce cognominibus ſatis pateat fuiſſe ruſticam atque ignobilem. Sed ad Poëtam pergamus; nobis Patriam ſuam

de-

Poſt alia propiore via, meliuſque profecti,

Te

VARIAE LECTIONES.

5. *Profecti*] MS. *profectu.*

NOTAE.

detegit hoc verſu, *noſtris imbellia Lina Faliſcis.* ſed plura de eo ſcire nos vetat taciturnitas perpetua antiquorum. BRU.

Cynegeticon.] non Cynegeticôn; ut libros ſuos inſcripſit Oppianus. Sed τὸ κυνηγετικὸν inſcribendus hic libellus. Sic *Aſtronomicon Poeticon Hyginus* ſuos libros, *Aſtronomicon* Manilius, nominarunt, ut notavit Illuſtr. Scaliger. Nec aliter Nemeſianus ejuſdem argumenti Poëma indigitavit. BART. Pythoeus, neſcio unde, edidit Cynegeticon *Lib.* I. quod eſſe debuit, κυνηγετικῶν liber unus. Nam qui plures libros de venatione ab eo ſcriptos eſſe putant, egregie falluntur. Rectius itaque alii ex autographo ediderunt, *Cynegeticon*, puta opus, ut κυνηγετικὸς liber Xenophonti utrique. Aliter vero illi qui plures κυνηγετικῶν libros ſcripſerunt, de quibus ad Nemeſianum aliquid dicemus. Gratius Cynegetico ſuo totam κυνηγεσίαν, ſed ſtrictim, complexus eſt, ut nihil deſiderari poſſit. Inprimis retia quam apte exorditur! Lina iis conficiendis deligit: uſumque eorum ex punita priſcorum temeritate neceſſarium eſſe oſtendit. Deinde formidinem, tendiculas, exactè abſolvit. Paucis etiam verſibus quantum jaculorum agmen conſcribit! Atque ita ſtatim ad ipſam κυνηγεσίαν valide armatum venatorem perducit: quae, quia *prima illa canum, non ulla peritis Cura prior*. merito nomen huic inſtituto dedit. VLIT.

1. *Dona cano Divum*] Τὸ μὲν εὕρημα θεῶν. Eodem modo inchoaverat κυνηγετικὸν ſuum Xenophon. quem & hic & paſſim alibi, ut oſtendam, ſecutus eſt Gratius. Nihil poterat elegantius. Verſu uno proponit: ſemiverſu invocat: tum narrat candidiſſime. Plura poëmatii brevitas recuſabat; ait Julius Scaliger Poëtices lib. VI. cap. VII. quem operae pretium eſt inſpicere, ſi quis ad Poëtae noſtri artificium, quo in omnibus decorum aequaliter obſervavit, manuduci commode velit. VLIT. Sic Demoſthenes apud Marcianum JC. in l. 2. D. de LL. Ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον Θεῶν. Et Cicero Tuſcul. 1. *Philoſophia quid eſt aliud, niſi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum.* IDEM *in Addend.* Ita ſuum Κυνηγετικὸν inchoavit Xenophon. τὸ μὲν εὕρημα θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος, ἄγραι καὶ κύνες. & omnes ſane artium inventores inter deos relati erant. JOHNS.

1. Cano] non temere Poëtae ſingulari numero perſonae ſuae libros ordiuntur. Quod tamen & Maro fecit. Maronem diviniras, Gratium & Nemeſianum tenuitas operis facile tuetur. Vide quae plura ad Nemeſianum notamus. BART.

1. Divom,] Oppianus Cyneg. 1.

Τεχνάδιον θήρην ἅπασιν ἀνθρώποισιν.

Omnia enim artium principia ad Deorum benignitatem priſci referebant, quippe earum inventoreis palam pro numinibus veneranteis, Oppianus Alieutico. II.

Κεῖνοι γὰρ τέχνας πολυκερδέας ἀνθρώποισι
Δῶκαν ἔχειν, καὶ πᾶσαν ἐπιφροσύνην ἐδίδαξαν.

Deique omnium bonorum datores nuncupati. Bonorum eos mortalibus architectos nuncupat Pauſanias lib. VIII. Et apud Poëtas nullibi non δωτῆρα ἐάων Jovem offendas. Vide Mercurium Triſmegiſtum Poimandro, Jamblychum in Myſteriis Aegyptiorum, Maximum Tyrium Sermone XXX Philonem de Sacrificiis Cain & Abel, Ariſtidem Hymno votis in Jovem, Alios innumeros. Platoni quidem θεὸς τῶ ἀγαθῶ αἴτιος. Sed quid attinet philoſophari? Gratius proponit prius quam invocat, more multorum Poëtarum, Oppiani, Apollonii, & Latinorum plerorumque. Graeci caeteri ferè prius invocant, Homerus, Heſiodus, Orpheus, Nonnus, Muſaeus. Invocationem plane neglexerunt Nicander & Dionyſius. Paucis Gratius ob brevitatem libelli. Nam pauca deſiderari in fine, palam eſt ex illis, *Reſtat equos finire notis.* Secus Nemeſianus, qui multis paratragoediatur in ſui Cynegetici principio, ut bonam libelli partem Prooemio inſumat. Sed is multos, fortean, libros ſcripſit. BART.

1. Laetas venantibus] Ita haec conjungenda ſunt. Hoc eſt, exoptatas, gratas, atque acceptas, queis gaudent videlicet venatores omnium maximè. Ita Plautus prologo Amphitruonis Mercurium *laetum lucris* dicit. Eamque phraſin fruſtra Latinitatis damnavit Janus Gulielmius,

Te sociam, Ratio, rebus sumpsêre gerendis.

Hinc

NOTAE.

mius, flos Germaniae ingeniorum illibatus. Ovidius lib. II. de Arte.

Laeta salitur ovis, tauro quoque laeta juvenca est.

Claudianus Epithalamio Palladii.

——— *Qui laetissimus urbi Sanguis erat.*

Valerius Flaccus lib. I. Argon.

Instat Fama viri, virtusque haud laeta tyranno.

Silius Italicus lib. I. Punic.

At Poeni succensi ira, turbataque luctu,
Et saevis gens laeta, ruunt ——— BART.

Malim tamen aliud quam *laetas*, sive *placidas*, sive aliud melius excogites, ait idem Scaliger. Quid ita magne heros? Ecquid melius excogitari potest? Minime. *Laetus* παθηλικῶς pro grato & placito eleganter ponitur. ut, *Litora myrtetis laetissima*, apud Maronem: *laetumque colonis Uber agri*, Ausonio Epist. XXIV. & cui non? Tum quidem tertio casu, non sexto gaudet, ut τῷ δεῖν & Barthio visum. VLIT.

1. LAETAS] Jul. Scaliger mavult *placidas*. Frustra. Vlitius retinet, sed male explicat; ideo enim *laetas venantibus* dicit Gratius, quia temeraria & nuda virtus illis olim obfuerat. Hinc v. 65. testatur,

Quam magnâ mercede meo sine munere sylvas
Impulerint ——— JONHS.

Locis supra citatis sublata est omnis dubitatio, queis addi potest ex Val. Flacco, lib. 4. v. 31.

Tum socii laetis rapuerunt vincula ventis.

i. e. gratis, faventibus. In explicando Johnsoni lubenter sententiae accedo, cui favet egregie locus Claudiani, in nuptiis Palladii

——— *Laetissimus urbi*
Sanguis erat. BRU.

1. ARTEIS] Usque ad taedium saepe hac voce utitur Gratius. Sic βουλὰς ἀκυμόνας vocat Oppianus Cyneg. I. *Artem* legitime vocat, quia praeceptis adstringit. Artificiosissime vero sesquiversu invocat & proponit: *festinat* enim *in mediat res*, ut ait Horatius. BART. Ita venationem (sed ἰχνευτικὴν specialiter, ut infra dicam ad v. CLI.) passim vocat, quia artis vocabulum est. Saresberiensis Joannes lib. I. cap. IV. *Adhaec carnificium eorum artem exigit, artem & facit, suum habet opificem*

Chironomanta volanti Cultello.

Nunc pugione stricto, nunc hebetata machaera mirabilis, si te casu solemnis eorum contigerit interesse, cave tamen ne artem loquendi verbo quovis offendas: quia aut vapulabis, aut condemnaberis inscitiae Lonorum omnium, si eorum figmenta non noveris. Ita scribendus locus. Namque etiam hodie Angli venationem artem vocant, & ipsum Protocynegum regium, artis Magistrum, ut Galli suum Grandem Venatorem. De quo ad Xenophontis junioris cap. xx. commodus dicendi locus erit. VLIT.

2. AUSPICIO,] Diana praeses venationis, Callimachus, Homerus, Orpheus, Hymnis. Unde & nomen *Dianae* Venationem signat. Martialis,

Inter Caesareae discrimina saeva Dianae.

Veterum autem Pium Sapienisque institutum à Diis rerum agendarum capere primordia. Plinius Panegyr. Charondas Catanaeus. τῆς βουλομένης καὶ πραττούσης τι ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρή. τὸ γὰρ ἄριστον, ὥσπερ ἡ παροιμία φησί, τὸ θεὸν εἶναι αἴτιον πάντων τούτων. Jamblychus vitâ Pythagorae. ἐπὶ πάσης τῆς φιλοσοφίας ὁρμῆς δεῖ τὸν θεὸν προσκαλεῖσθαι ἅπασι τοῖς γε σώφροσι. Synesius. θεὸς ἡγείσθω παντὸς ἔργου καὶ λόγου. Vide Philonem περὶ ἀφθαρσίας κόσμου. Aristidem Orat. I. Platonem Timaeo. Ciceronem, II. de Legg. Valerium Max. Prooemio. Aratum Φαινομένοις. Theognin Gnomis. Theocritum ἐγκωμίῳ Πτολεμαίου. Hesiodum, sive quis alius, Theogonia. Justinianum Imp. Novell. VI. Quintil. li. x. c. I. Statium Prooem. Silvarum. Virg. Ecl. III Ovid. Fast. v. Calpur. Ecl. IV. Quod de Philosophia ait Jamblychus, ad Venationem etiam pertingere, dubitare non potest, qui quidem praestantissimi Sapientis Xenophontis Cynegeticum legerit. Quem non injuria ait Maximus Tyrius se ἐν τοῖς μὲν ἔργοις φιλεῖν ἐν τοῖς δὲ λόγοις ἐπαινεῖν. Sermone VII. Quemque μόνον ἐξ ἁπάντων φιλοσόφων ἐν λόγοις τε καὶ ἔργοις φιλοσοφίαν κοσμήσαντα admirari fatetur Eunapius. BART. Tuo ductu & favore. JOHNS.

2. PRIUS] priusquam Experientia doceret arteis. *Prius* pro Olim positum. Avienus Periegesi.

Hic prius, Eridani propter nemorosa fluenta,
Fleverunt liquidae lapsum Phaetonta sorores.

Eadem vocula alienum locum, barbaro Excudentium errore, tenet in alio ejus elegantissimi carminis versu,

At qua prius dies rutilo sustollitur Ortu.

I. e.

Hinc omne auxilium vitae, rectusque reluxit

Or-

VARIAE LECTIONES.

7. *Rectusque*] MS. & A. & Steyn. *erectusque.* B. *certusque.*

NOTAE.

Legendum *prima.* BART. Olim tota in telis fiducia mortalibus erat. JOHNS.

2. In armis] Forte leg. *inermis.* Prima spes devincendarum ferarum inermis fuit. Rudi nimirum genere humano, & armis nondum excogitatis. Sed sine dubio nihil mutandum, & per *armos* robur solum nativum intelligendum, quod *virtutis* mox nomine censet. Et homines primum exercuerunt contra feras. Non igitur *arma*, sed *armi* intelligendi. Ut apud Manilium quoque

——— matris in armis
Miles Agrippa suae.

Expressit hanc Gratii sententiam atavorum memoria elegans & eruditus ad ipsos priscos Poeta, Angelus Politianus Nutriciis

Nil animo, duris agitabant cuncta lacertis.

Quae ipsissima Gratii sententia est. BART.

2. In armis spes fuit,] Violenter omnia agere, viribus fidere primi illi Venatores solebant, qui ἰχνευτικὴν nondum noverant, & πολεμικὴν, nullis adhibitis instrumentis aut canibus, *nuda virtute* exercebant. Qualis ille Nemrod apud Mosem lib. I. cap. X. οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. οὗτος ἦν γίγας κυνηγός. Qui Josepho dicitur fuisse τολμηρὸς ἐς τ᾽ ... γενναῖος. Quales & illi, de quibus v. LXII. postea loquitur, ubi vide quae annoto. Horatius:

Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus.

VLIT. Lucretius lib. V.

Et manuum mira freti virtute pedumque
Consectabantur silvestria saecla ferarum
Missilibus saxis, & magno pondere clavae;
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris.

Quo etiam applicanda sunt, quae longo ordine apud illum sequuntur, & quae in hisce carpit Lactantius lib. VI. cap. X. & quae de Actaeone Fulgentius lib. III. Mytholog. Nec alienum illud Ovidii lib. II. Artis amandi;

Tum genus humanum solis errabat in agris;
Hisque merae vires, & rude corpus erat.

IDEM *in Add.*

3. Nuda] Sola. Ita frequentissime Graeci & Latini Poetae. Exemplis protritis vulgo BART. Sola *Turnebus.* potius nullis artibus munita. JOHNS.

3. Nuda Virtute] Solis viribus. *Virtus* enim vocabulum robur designat. Phoedrus fab. XIII.

Virtute semper praevalet Sapientia.

Hoc est, quod ait Valerius Flaccus

——— acri potior Prudentia dextra.

Sed virtutem Sapientiae opponit Phoedrus. Sic Virgilius Ciri.

——— Indomita virtute retundere menteis.

Et hoc familiare Sacrarum salutis Litterarum conditoribus docuit doctissimus Drusius, Observat. lib. II. cap. XXIII. Eamdem vero sententiam de primis hominibus expressit Lucretius lib. V.

Et manuum mira freti virtute, pedumque,
Consectabantur silvestria secla ferarum,
Missilibus saxis, & magnae pondere clavae.

Quae adspexit Gratius noster. Ovidius etiam colludit lib. II. de Arte Amandi.

Tum genus humanum solis errabat in arvis,
Hisque merae vires & rude corpus erat. BART.

3. Silvas] Feras. Nam promiscue his utitur Gratius: infra v. LXV.

Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint ——— BART.

3. Movebant] Excutiebant. Videtur hujus vocis hic usus descendisse ab apibus, quarum alvearia simul moveantur, excutiuntur ipsae & afflictantur. BART. V. 75. eodem sensu. *sylvas impellere*, i. e. sylvestres feras excitare. Arrian. de Ven. c. 3. Κατακινεῖν. JOHNS. Virg. de terra & frugibus quae hieme quiescere, non vero prodire solent, Georg. 2: 316.

Tellurem borea rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hyems.

& Georg. 1: 122.

——— ——— ——— Primusque per artem.
Movit agros.

ubi dicit terram, ut fruges daret, a Jove excussam, sicuti hic Sylvas ab hominibus, ut prodirent ferae. BRU.

4. Inconsulti homines.] prima hominum saecula instar ferarum sine consilio, barbaram a que cra-

Ordo: & continuas didicêre ex artibus arteis

Pro-

VARIAE LECTIONES.

8. *Contin.*] *Contiguas*, Alii.

NOTAE.

crudam vitam duxisse, arbitrabantur Nationes. Cum nondum ad experientiam tamquam cotem exegissent & acuissent latenteis Naturae dotes. Vide Diodorum Siculum lib. I. Eleganter Aeschylus Prometheo Ligato.

Ἦν δ' οὐδὲν αὐτοῖς, οὐδὲ χείματος τέκμαρ,
Οὔτ' ἀνθεμώδους ἦρος, οὔτε καρπίμου
Θέρους βέβαιον, ἀλλ' ἄτερ γνώμης τὸ πᾶν
Ἔπρασσον ——

Et in ea Tragoedia plura huc pertinentia. *Consilium* vero Latinis *γνώμην* atque Rationis usum significat. Arnobius in elegantissima Prosopopoeia Bovis ad Jovem lib. VII. *an quod animal vile sum, nec Rationis, nec Consilii particeps, quemadmodum pronunciant isti, qui se homines nuncupant.* Phoedrus fab. LXXXIV.

—— *Hoc argumento veniam dari decet,*
Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens

Aurelius Victor, Origin. homines consilio & Sapientia praeditos eos appellat, qui mores Italiae primi composuerunt. Claudianus de Apono.

—— *Quocunque emitteris ortu*
Non sine consilio currere, certa fides

Hinc *inconsulti* homines, *πάντα ἄτερ γνώμης πράττοντες*. ut loquitur Aeschyl. *Inconsultae aureis* populi apud Senecam Epist. XL. *Inconsulta brachia* Valerium Flaccum lib. IV. Argonaut. Q. Septimius Romanos de Trojanis lib. I. *lingua moribusque barbari, nihil pensi aut consulti facientes*, Idem de Achille. *neque tamen aberat ab eo vis quaedam inconsulta, & effera morum impatientia.* Idem politus & vere Latinus scriptor, *Temeritatem inconsultam* dixit lib. IV. Vide Isidorum lib. x. Orig. Hinc *inconsulte* aliquid agere, temere valet. Seneca de Beneficiis lib. I. cap. I. Eutropius li. x. de Juliano. *Dum se inconsultius praeliis inserit, hostili manu interfectus est.* BART.

4. VITAQUE] Omnino scribendum est, *Vita qui erat.* Et illud agnoscere videtur Vetus Editio: Nam inibi scriptum, *vitaque.* Non dubito ad illud Aeschyli referendum, *ἄτερ γνώμης τὸ πᾶν ἔπρασσον* Et haec verissima emendatio. *Vita* tetius omnem ordinem vitae significat. Quo pacto aliquoties Lucretius, saepe alii scriptores locant. BART.

4. VITAQUE ERAT ERROR IN OMNI.] Ita Manilius quoque statim ab initio. v. 98.

—— —— *rudis nullo discrimine vita*
—— —— *ratione carebat,*

& reliqua istius prooemii, quae si cum hisce apud Gratium conferas, utrobique naturae rudimenta luculenter, sed tanquam eodem stilo depingi cognosces citius, quam uter ab altero mutuaverit. VLIT.

4. VITA] In omni vitae institutione. Ter. Andr. Sc. I. Act. I.

Sic vita erat ——
Nam rudis ante illos nullo discrimine vita.

Manil. l. I. v. 98. JOHNS.

5. ALIA] Legendum forte *Alii*, nam mihi sane friget istud *Alia.* JOHNS.

5. VIA,] Metaphora à proficiscentibus sumpta: *Postalia* videtur uno vocabulo, isque in morem adverbii accepto, extulisse. Non aliter atque Plautus *postilla* usurpat. *Via* autem *methodum* atque ordinem videtur innuere. Nam saepissime ita id vocabulum accipitur. *Via morum* notata Scaligero in Dionysii Catonis Distichis. Phoebadius in eleganti Epistola contra Arrianos. *Novas profanae intelligentiae vias quaerunt:* pari cum Catone illo phrasi. Tacitus Annali. I. Sic *ὁδὸς* sua Graecis. Ut *ὁδὸς θανάτου* apud Achillem Tatium lib. VII. *δοκεῖ δὲ ἀρχαίαν τοῦ θανάτου καλλίστην ὁδόν.* Propertius lib. II.

Quid tua Socraticis tibi nunc Sapientia chartis
Proderit? aut rerum dicere posse vias.

Dionysius simillime ad Gratium, Periegesi, de Aegyptiis.

Οἱ πρῶτοι βιότοιο διεξεσάωσαν κελεύθους.

Virgil.

Sunt aliae quas ipse vias sibi repperit usus.

Viae suspicionum apud Symmachum li. VII. Epist. XVIII. Claudianus lib. III. de Raptu Proserpinae.

Provocet ut segnes animos rerumque remotas
Ingeniosa vias paullatim exploret egestas.

Sic *iter Salutis* Petronio. *adhuc aliud aliquod iter salutis quaerendum est.* Quomodo loquitur Symmachus Relatione pro Simulacris. BART.

5. PROFECTI] Apposite ad praecedens *via.* JOHNS.

5. So-

Proferere; hinc demens cecidit violentia retro.

Sed

VARIAE LECTIONES.

9. *Proferere*] O. Codices. *proferere.* quaedam tamen Edit. *proferre Cecid.*] B. *cessis.*

NOTAE.

6. Sociam] Locutio è castris sumpta, ut & *Rebus gerendis.* Quam allusionem servant & v. 7. *Auxilium*, & *Ordo*, Τάξις, quin & *proferre. fines proferet Imperii.* JOHNS.

6. Ratio,] Manilius.

—— Deus & Ratio, quae cuncta gubernat.

Humana scilicet Sapientia, aut divinae potius investigatrix. Idem.

Nec prius imposuit rebus finemque modumque,
Quam coelum adscendit, Ratio ——

In ejus divino Prooemio multa quae huc faciunt BART.

7. Hinc] Ex Ratione omnia Vitae auxilia provenere, & recta rerum agendarum methodus eluxit. JOHNS.

7. Hinc omne auxilium] A ratione scilicet. Seneca lib. x. Epist. lxxv. *Ama rationem, hujus te amor contra durissima armabit. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas & inconsultus impetus praestat indomitas.* Ita nimirum, ut ferae illae, etiam primi venatores, *Inconsulti homines*, sine ratione agebant, sed pari *mercede*, ut infra loquitur. *Tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse*; ita & in venatione, *ferino bello*, ut huc Sallustii verba ducam. VLIT.

7. Auxilium] adminiculum, quo vita facilius degitur. Sic infra.

—— vitam dignata repertis
Protegere auxiliis ——

Auxiliatum vocat Lucretius lib. v. Tibullus.

Forma nihil magicis utitur auxiliis.

& *auxilium* proprie dici opem ab externis allatam notum ex Varrone de Lingua Latina. BART.

7. Reluxit] Elegantissime. Quasi filicis & chalybis concussu ignis relucet. Ita Rationes instar filicis inter se collisas, multam lucem progignere, ait Aeneas Gazaeus in Theophrasto. Ita *emicare* sollertiam dixit Prudentius Apotheosi.

Omne opus egregium, per quod sollertia pollens
Emicat, ingenii est —— BART.

8. Contiguas] inter se vicinas, catena quadam connexas, atque adeo cognatas invicem. Sic Virgilius. Gratius inf. v. xxxvii.

—— —— Contiguum sorbens de flumine rorem.

Ovidius lib. iv. de Pyramo & Thisbe.

Contiguas habuere domos ——

Eleganter eruditissimus Arnobius *contiguum* pro eo dixit, quod tactui obnoxium est, atque adeo *tangibile* ab aliis dictum esset. lib. vii. Contr. Nat. *sed si Deus nullius est corporis, omnique incontiguus tactu.* Vetus Editio *continuas* habet, quod non puto praeferendum isti, etiamsi non inurbanius sit putandum. Bart. Cicero pro Archia Poeta statim ab initio. *Etenim omnes artes, quae ad humanitatem spectant, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.* JOHNS. Inepta & barbara lectio est, quae praevaluit in editionibus Barthii, Pithoei, Vlitii, sed veram & incoruptam nobis propinat Editio vetus, quam citavit sed non recepit in contextum Barthius; scil *continuas*, quippe sic loquebantur veteres: *contiguas aedes, parietes, agros*, & similia, & semel Horat. *continui montes*; at nemo, nisi memoria me fallit, Latinorum unquam *contiguas* artes, sententias, vel doctrinas dixerit, verum semper *continuas* i. e. perpetuas & connexas, communi quodam vinculo sociatas & colligatas. Claudianus

—— —— Continui lectis annalibus aevi

Martialis lib. ix. Ep. 8.

Dicere te Lybicis reduci tibi gentibus Afer
Continuis volui quinque diebus ave

Valerius Flaccus v. 319.

—— vimque Juventae,
Continuam ——

Haec lectio igitur potior visa est, quod ad antiquos scriptores propius accedat, ergo in contextum recipiendam censeo BRU.

8. Ex artibus arteis] Nam cognatae inter sese sunt, non minus quae manu exercentur, quam quib. solius ingenii viribus usus est expediundis. Usum & experientiam dominari in artib. eleganter scripsit Columella. Virgilius

Ut varias usus meditando extunderet arteis.

Diodorus Siculus. καθόλου γὰρ πάντων τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ὑφηγουμένην οἰκείως τὴν ἑκάστου μάθησιν εὐφυεῖ ζώῳ, καὶ συνεργ-

Sed primum auspicium Deus artibus, altaque circum

Fir-

VARIAE LECTIONES.

10. *Circum.*] Ita G. Vlit. Wasac. Alii *circa.*

NOTAE.

συνεργοὺς ἔχοιεν αὐτὰς ἀπαιδεύτας χεῖρας, ἢ λόγον, καὶ ψυχῆς αἰσχίνουσι. Manilius plurima simillime cum Gratio li. I.

——— *tum belli pacisque arteis commenta vetustas.*
Semper enim ex aliis alias proseminat usus.

Vide eum & Claudianum III. de Raptu Prof. BART.

9. PROFERRE.] Proseminare. ut Manil. Sed *proferre* heic ἀντὶ proferi, usurpatum videtur. Quae figura phraseos valde frequens huic Poëtae. Usu didicere semper alias ex aliis artibus proferi atque gigni. Sic v. XVI.

Adscivere suo comites sub Numine divae.

Adscitae sunt. vers LIV. *improvisus coelo profuderit imber.* Quod idem *praecipitandi* activo verbo protulit Aedituus apud Agellium.

Atque imber coelo candidus praecipitans.

Sic vers. LVIII.

Ante vetant, quam maturis accenderit annus Ignibus ———

Accensus sit. v. XCIII.

——— *Dissimulantibus armis*
Saepe habet imprudens alieni lucra laboris.

Hoc est, Dissimulatis. v. CXLIII.

Post ubi proceris generosa stirpibus arbor
Se dederit, teretesque ferent ad sidera virgae.

Hoc est, ferentur. quod alius Poeta dixisset. Sic eadem phrasi alii scriptores. Arnob. lib. VII. *casibus nullus est in his locus, sed ineluctabili omnia necessitate conficiunt.* Nisi in illo tamen Lucretianum verbum, cujus studiosus alioqui Arnobius, *confiunt*, restituendum. Quintilian. declamat. CCXCVIII. *D primo quidem deformavit tantum diligentior cultus.* H. e. deformatus est. Florus lib. I. *inertia Caesarum quasi consenuit & decoxit.* pro decocta est. Prudent. Hamart.

Involvens vivam spiris torquentibus alvum.

Hoc est, tortis. Virgilius Ciri.

Altius ad magni suspendit sidera coeli.

pro, Suspensa est. Lucretius lib. I.

Nec alia Ratione queunt servata per aevum
Ex infinito jam tempore res reparare.

Reparari. Rutil. Lup. l. II. *cum ab ea sententia quam proposuimus, convertimus ad aliam personam.* Priscian. Periegesi.

Marmaridae post hos Aegypti ad flumina vertunt.

Curt. lib. IV. *Ira deinde vertit in rabiem.* Catull.

——— *tantum abhorret ac mutat.*

pro mutatur. Et id perperam mutatur. Symm. lib. I. Ep. *Scio te simulatque haec legeris Poëtico plectro moturum.* Ita vere ibi VC. Jac. Lectii. Appul. li. III. *nec qui laverim, qui domum revertetim, prae pudore memini.* Ad quem plura ex omni genere scriptorum. Graecos uti eadem Ratione consuesse notat Heinsius ad Silium Italicum. Quem & videbis. BART. Legitur *Proferre.* quam lectionem Manilius confirmat.

——— ——— ——— *Artes*
Semper enim ex aliis alias proseminat usus.

v. 121. l. I. longe impensius tamen mihi altera arridet; eundem enim imaginum tenorem servat, nec à castris ad agros & sata, nimis desultoria levitate Lectorem amandat. JOHNS.

9. DEMENS] Inconsultam Virtutem modo dixit, quam hoc loco Violentiam dementem. *Demens* enim est, qui Ratione seu Mente, quae λόγος sive διάνοια est, caret. Ita *dementire* Tertulliano, de Anima cap. XVII. Apologet. cad. XXIII. Ita *Amentem* animi Didonem, Amore furentem Virgilius dixit. Plura alibi. BART. Inconsulta, temeraria. JOHNS.

9. CECIDIT] pessumdata est, periit. Manifesto est illa phrasis Maronis Æneid. II.

Ex illo fluere & retro sublapsa referri
Res Danaum. ———

Claudianus.

——— *Quo leges cecidere Poli?*

Retro vero *Cadere* dicitur, quod non facile se collecturum arbitramur. Ut heic in Gratio & Marone. BART. *Cessit*, edidit Barthius, quod unde sit, non video Ita in eadem voce mutatum apud Maximianum Eleg. II.

Rusticus expertum deflet cecidisse juvencum.

ut in MS. codice legitur, pro quo vulgo: *cessisse*, VLIT.

9. VIOLENTIA] mera & inconsulta vis. Absque Rationis ductu. Dionysius Cato.

Consilio pollet cui vim Natura negavit.

Pomponius Mela lib. III. de Germanis. *Jus in viribus habent. Vis* opponitur Consilio aut astutiae.

Firmamenta dedit; tum parteis quisque secutus

Exe-

VARIAE LECTIONES.

11. *Firmamenta*] *Fundamenta.* G.

NOTAE.

tiae. Nomine *nequitiae* censet hanc Phoedrus fab. XXXVII.

Vis & nequitia, quicquid oppugnant, ruit.

Violentia est ἕξις quaedam vi agendi. BART.

9. CECIDIT RETRO] Victa & profligata ex acie cessit. JOHNS.

10. AUSPICIUM] Principium atque initium. *Auspicii* vocabulum hoc significare coepit, quia nihil sine auspiciis agebant veteres. Plinius Panegyr. *quod nihil rite, nihilque providenter, homines sine Deorum immortalium ope, Consilio, Honore, auspicarentur.* Ita *auspicia felicia* exordia dici coeperunt. Cassiodorus lib. II. Epist. I. *Felix à Consule sumat annus auspicium.* BART. Quia rerum agendarum initium capiebant Romani ab auspiciis, hinc *Auspicium* significat, initium rerum, & quidem felix; ut ex hoc loco patet. JOHNS.

10. DEUS] Omneis Deos innuit pro se quemque arti alicui dedisse auspicium. Nam venationis firmam artem post Dianae nominatim adfingit. *Deum* pro omnibus unum dici familiare Poëtis. Ita Dionysius Cato Distichis. *Ducente Deo* Marone valet, ope Numinum. ξὺν θεῷ Graecis idem. Nam horum nemo unum Deum agnoscit. BART. Foeminini generis. Dianam enim intelligit. Ita Graece. ἡ Θεός. JOHNST.

10. ALTAQUE CIRCUM FIRMAMENTA DEDIT.] In Veteri Editio *circum*, scriptum est. Quod ego ab eo inductum puto, quem repetitio τῆ *a* litterae, offendit. Sed in talibus sponte peccarunt antiqui, siquidem peccatum est, quod pro eo proclamant magistri Grammatices, nemo autem acutiorum agnoscit. Virgilius Copa.

Copa Syrisca caput Graja redimita mitella.

Virgilius.

——— *Caput Cassandra canebat.*

Ubi notat Servius taleis repetitiones litterarum non displicuisse veteribus, etiamsi sua aetate in ordinem redactae fuerint. Ita Ennius.

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

Quod adfectatum nemo negare poterit. Catullus.

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri.

Prospexit terra centum procurrere currus.

Lucil.

Languorque oppressitque pigror torporque quietis.

Lucr. Lib. II.

Duntaxat rerum magnarum parva potest res
Exemplare dare, & vestigia noticiai.

Virg.

——— *Sale saxa sonabant.*

——— *Monstrator aratri.*

Papinius Achilleide I.

——— *Secretis lustrare fretis* ———

Claudianus lib. I. de Raptu Proserp.

Et raucum bibulis inserpere murmur arenis.

Sed in hoc genere singulare est fragmentum nobilis inter veteres Tragicos, Attii. Cujus versus plane divinitus repraesentant tali collisione sonum aquae: Incipientes à litteris gravibus, in medioque quasi revocantes undae furorem, acutis postremo eumdem litteris cum impetu reddentes atque propellentes.

Ac ubi curvo littore latrans
Unda sub undis labunda sonat.
Simul & circum magni sonantibus
Excita saxis, saeva sonando.
Crepitu clangente cachinnat.

Graeci etiam Poëtae hunc carminis sive ornatum, sive naevum non adspernati. Euripides.

Ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
Ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος.

Sophocles.

Τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ.

Quibus quidem duobus exemplis ante nos usus est & elegantissimus Muretus. Sic Nazianzenus.

Καλῶς κρατεῖσθαι κρεῖσσον ἢ νικᾶν κακῶς.

Sed plura de talibus in Analectis Poeticis. BART. Instrumenta & *reperta auxilia*, tanquam fulcimenta aliqua adhibuit, non aliter quam pedamenta vineae *adjutoria* appellat Palladius. Scripsimus *circum*, pro *circa*. Ita dicit in Vet. Ed. se invenisse scriptum Barthius, sed ablegat, ut nugis suis locum faceret. Omnino tmesis est, pro *circumdedit*, id est addidit: ut Tacitus de Agricola cap. XX. *Egregiam famam paci circumdedit.* Attius eadem tmesi dixit: *circum magni sonantibus Excita saxis.* Manilius: *Inque deum deus ipse tulit*, pro, intulit ipse deam deus: & mille talia. VLIT.

11. FIRMAMENTA] Vetus Edit. *fundamenta.* Quod

Exegêre suas, tetigitque industria finem.

Tu

NOTAE.

Quod non placet. Nam illud vox *Circa* in possessione facile tuetur. Sic *firmamenta disciplinae* dixit Cic. IV. Tusc. Quaest. *Quodque maximum argumentum est, non dici illa subtiliter, quod etiam facile edificantur, & ab indoctis probentur. Id illi firmamentum esse disciplinae putant. Alta* Poëtis quaeque ardua, atque firma. Quod notissimum. BART. *Circa* pro *circum*. Ita & usus Livius lib. I. de Romulo: *venando peragrare circa saltus*. Nihil ergo mutandum fuit. VLIT. *in Add.*

II. PARTEIS] Inventionem & confirmationem artium Diis tribuit, exactionem singularum hominibus, in id, pro se quoque incumbentibus, ut semel inventae ad certum finem ducerentur, quasique compendiis inclusae, traderentur ad Posteros. *Parteis* sunt quae cuique demandatae. Juvenal. Sat. IV.

Ecce iterum Crispinus, & est mihi saepe vocandus
Ad parteis ——

Quamquam id Scholiastes acute ad parteis in convivio referre visus. BART.

12. SECUTUS] Eleganter ponitur pro prosecutus, atque executus. De hoc in Indice ad Apulejum. BART. Sic omnes libri. at Heins. ad Ov. Met. l. 4. v. 212. legit.

—— *Quisque secuti.*

Eleganter.

—— —— *Nomine quemque vocatos*
Exhortatur equos.

Ibidem. JOHNS.

12. EXEGERE.] ad finem deduxere. *Exigere* enim est fini optato tradere. Horatius.

Exegi monumentum aere perennius.

Et Ovidius ut notat Scholiastes Cruquianus. Idem valet *peragere*. Boëthius de Consol. lib. I. Carm. I.

Carmina qui quondam studio florente peregi.

Qua forma eleganter *Perducere* ἀντὶ *educere*, atque exhaurire positum. Quomodo *educere nimbos* dixit Valerius Flaccus Argonaut. lib. II. v. 376. Appulejus lib. x. *repertum vini poculum continuo perduxit haustu*. Arnob. lib. v.

Perduxit totum Cyceonis laeta liquorem.

Marcellus Empiricus: *perduci ex vino oportet:* Scribonius Largus, cap. CXXXIV. *frigidae vel calidae perductae*: Ubi male vulgo: *productae*. BART. Ab Hippodromo, ut & *tetigit finem*. Ov. Met. l. I. v. 118.

Spatiis exegit quatuor annum,
Drove out the year at four heats. JOHNS.

12. TETIGITQUE.] quasi collimando ad scopum. Elegantissime hoc dictum. Huic vicina videtur phrasis, quae exercitos habuit dudum doctissimos viros, *Ad digitum certare*. Martialis, ut optime in Catalectis edidit Josephus Scaliger.

Lex erat ad digitum posita concurrere palma.

Quod idem genus loquendi cum eo est quod vulgo usitatissimum, *Ad unguem* quid *conficere*. Quintilianus lib. VIII. cap. V. Institut. Orator. *contra eumdem sermonem gladiatoris, cujus feci mentionem, ad digitum mihi pugna est*. Pertinet eodem Manilii versus libro V. Astron.

Non ullo careat digito quave iverit hasta.

In quo omnibus modis rescribendum videtur.

Non uno careat digito, qua vi iverit hasta.

Non uno digito. Est ne unius quidem digiti spacio. Porro duplici modo ista phrasis interpretari poterit. Primum ex eo, quod notum est manui victoris in duello palmam inseri consuevisse, atque ita circumferri in praeconium videlicet strenuitatis. Itaque arbitrari quis possit *palmam ad digitum* eam dici, quae digitis victoris exornandis destinata sit. Hujus auctor sententiae Isidorus lib. XVII. Origin. cap. VII. *Palma dicta quia manus victricis ornatus est*. Quo etiam pacto post victoriam exornatos jactantiae ergo discurrere solitos gladiatoreis auctor Suetonius lib. IV. cap. XXXII. *mirmillonem rudibus secum batuentem & sponte prostratum confodit ferrea sica, ac, more victorum cum palma discucurrit*. Potest & id quod modo dixi, belle capi, vix digiti spatio à scopo errare ictum, in Manilii versu. Quomodo Juvenalis.

—— *Digitis à morte remotus*
Quatuor aut septem, si sit latissima taeda.

Alteram nobis interpretationem subjicit Scholiastes Persii, qui Cornuti nomen circumfert, ad versum hunc Sat. V.

Nil tibi concessit Ratio, digitum exsere, peccas!
Digito, ait, *sublato, ostende te victum esse a vitiis*.

Ut *ad digitum certare* idem fit, atque eousque decertando procedere, donec adversariorum alter digito exserto victum sese esse coram omnibus fateatur. Et subrectio illa digiti confessio cessae Victoriae. Itaque *Palma ad digitum* dicta, quae in digiti ab adversario erectione tota

Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Quâ primam quaerebat opem, dignata repertis

Pro-

VARIAE LECTIONES.

14. *Primam*] *Primum.* Steyn. Edit.

NOTAE.

consistat. Cum qua interpretatione Manilii & M. Fabii verba admodum bene congruunt. Eodem allusit Sidonius lib. v. Epistol. vii. *hi sunt quorum comparationi tollerent digitum Narcissus, Asiaticus.* Idem in Narbone. Quo carmine post eum nemo elegantius scripsit.

——— *bus. levato*
Palmam tu digito dares, Menander.

In Manilii versu *hasta nullo digito careat* videtur capiendum; quocunque hasta missa fuerit, semper ad sublationem digiti hostem adactura venit. Si tamen locus sanus est. Nam nemo ex omnibus Poëtis etiamnum corruptior exstat Manilio, praesertim duob. ultimis libris, in quibus bene multa adhuc menda supersunt etiam felicissimae manui. *Pugna* apud Quintilianum *ad digitum*, est sine missione donec alter ex decertantibus digitum tollat. Sed haec nimia pro Gratio ad quem parum faciunt. BART.

12. Industria] *Sollertiam* in eadem re nominat Manilius, eamque artibus auctorem facit.

Nec tum etiam varias Sollertia fecerat arteis.

BART.

13. Trepidam] id est, egenam, inopem, exsortem verae rationis, nullibi certo pede nitentem. quod videtur apud priscos peculiare vitae epitheton fuisse. Epitaphium Vetus. Hic. ego. incerta. infelici. et. trepida. vita. solutus. quiesco. Sic infra vers. ccxvii.

Hic trepidas arteis, & vix novitate sedenteis,
Vidit, qua propior patuit via ———

Ubi elegantissime hunc locum declarat Paullinus libro v. de Vita B. Martini.

Splendorem laudis trepidus corrumpo relator.

Ita etiam hoc vocabulo usus Lucretius lib. iii.

——— *Tantopere in dubiis trepidare periclis*
Quae mala nos subigit vitai tanta cupido? BART.

Propter bellum feris illatum obnoxiam & sollicitam. Venatio πολεμικὴ intelligitur. JOHNS.

13. Bello ferino,] Instar belli habet nimirum venatio, proque eo accipitur non raro. Oppianus Cyneg. i.

Τῷ μὲν πηλίοι θῆρες ἐπὶ μῶλον ἴεσιν.

Ita Gratius vers. xxx. hostem ipsam feram vocat. Manilius lib. iv.

Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum
Adparat ———

Idem eodem libro:

Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum. BART. Quanquam saepe ita utramque venationem vocat, potest tamen commode ad πολεμικὴν referri, qua prima illa aetas *indomitos vehementior hostes Nudo Marte* pressit. Aristoteles lib I Politicorum cap. VIII. ideo πολεμικὴν acquisitionis speciem esse dixit, quia venationem, qua veteres illi vitam sustentabant, sub se complectitur. Nam omnis quidem venatio κτητικὴ est; aliqua venatio πολεμικὴ est; ergo & aliqua πολεμικὴ κτητικὴ est. Ita intelligenda verba illa Philosophi: διὸ ϗ ἡ πολεμικὴ φύσει κτητική πως ἔσται. ἡ γὰρ θηρευτικὴ μέρος αὐτῆς. Cave autem etiam ἰχθυευτικὴν sub illa θηρευτικῇ comprehendi putes: quanquam in naturali illa acquisitionis specie, quam ex jure naturae deduxit Imperator noster Inst. de Rer. Divis. §§. XI. & XII. coire videntur. Manilius illam πολεμικὴν omnino intellexit lib. IV.

Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum
Apparat, & pecorum spolio, vivitque rapinis,

Ubi & ληστρικὸν quid subest, ideoque non frustra repetit; *& vivere rapto.* Idem paulo post: *nunc bella gerunt violenta ferarum.* Nam ubi de ἰχθυευτικῇ loquitur, ipse etiam *artes* vocavit lib. V. VLIT.

13. Vitam,] Ordinem totum & fatum vitae. Quod superius etiam notavimus. Germanicus Caesar.

——— *Cultuque novo rude vulgus in omnem*
Formabat vitae, sinceris artibus, usum.

Manilius lib. iv.

——— *supervacuis vitam deplete querellis.*

Alia vide notata ab eruditissimo avorum memoria viro Nicolao Loensi vi. Miscellan. Epiphyllid. c. iii. Cujus ii Commentarii magno bono Rei litterariae nuper ab interitu vindicati sunt. BART.

14. Qua] Quo loco. Adverbium est loci. Auctor

Protegere auxiliis, orbemque hac solvere noxa.
Adscivere tuo comites sub nomine divae

Cen-

VARIAE LECTIONES.

16. *Adscivere*] Heinsius conjicit. *Ascitaeque. Nomine*] G. & B. *numine* male. *numine* G. & B. Ed.

NOTAE.

ctor Servius, quem vide Aeneide nona. Hoc desideramus, & vice versa. Petronius.

Quaeque virum quaerunt ——

Ovid. Metam. VIII.

Inque epulis epulas quaerit ——

Idem.

Et si quis male vir quaerit habere virum.

Itaque Graeci. Nonnus Dionys. IV

Ἀνδίκε βαιοῦ χθονίων, μὴ δίζεο ταῦρον Ὀλύμπου.

Julius Firmicus. *Dic mihi hoccine est quod in viro foeminam quaerunt?* BART.

14. Primam opem,] Sane prima Martis rudimenta fuisse primis hominibus venationem credibile est. Ita Nimerodus in Sacris Litteris fortis Venator coram Domino dicitur. Hoc est, fortitudo caelitus data, ut Samsoni, quamvis Nimerodum latrocinatum, idque Venatoris nomine indicare Moysen, velint multi. Et ita vocabulum *Venatoris* accipitur in Psalmo XCI. Ubi Latronum latro, hoc est, Sathanas eo censetur: ὅτι αὐτὸς ῥύσεταί σε ἐκ παγίδος θηρευτῶν, καὶ ἀπὸ λόγου ταραχώδους. Et Aristotelem λῃστείαν inter venationum genera censere aliis notatum. A Venatione ad arma tractanda homines venisse auctor Lucretius lib. V. de Rerum natura. BART.

14. Quaerebat] Quâ ex parte homines & tuam orabant opem & maxime egebant. Hic enim mihi assequi velle videtur Gratius duplicem sensum τῷ ἴχνευε. IOHNS.

15. Protegere] Nudam videlicet antea. Sic ferme Plautus Pseudolo.

Quia ais, quantum terra tegit hominum perjurissime.

Hoc est, fovet, alit, juvat. Sic apud eumdem Mostellaria, adolescens pudore se *tectum* fuisse ait. Quo pacto & Georgius Pisides in manco carmine εἰς τὸν μάταιον βίον. χιτῶνα τοῦτον dixit.

Τὸν δὲ ζωὸν χιτῶνα τὸν τύπον φέρεις

15. Orbem] mortaleis eum incolentes. Hujus generis multa vide indice Appulejano, verbo. *Civitas.* Claudianus IV. Consul Honor v. CCXXVIII.

Disce, Orbis, quid quisque sibi —— BART.

Sic apud Callimachum Hercules ipsam Dianam compellat;

Βάλλε κακοὺς ἐπὶ θῆρας, ἵνα θνητοί σε βοηθὸν,
Καὶ ἐμὲ κικλήσκωσιν. VLIT. *in Add.*

Humanum genus hac peste liberare. JOHNS.

15. Solvere] Absolvere. Horat. Epist. lib. I. Epist. I. BART.

15. Noxa.] Festus in scidis ab Ursino publicatis. *Noxa, ut Ser. Sulpitius ait, damnum significat; apud Poetas autem & Oratores ponitur pro culpa.* Utro hoc loci modo accipias, nihil interesse videtur. Differentia inter *noxiam* & *noxam*, quae apud Cor. Frontonem & Servium, insuper habenda videtur. Tu vide de hoc vocabulo differentem non vulgaria Nicolaum Loensem Miscell. lib. VI. BART

16 Adscivere] Elegantissime. Sententias suas atque experimenta addidere. à *Sciscendi* verbo, quod τεχνικόν. Unde *Scita* pro sententiis. Diana princeps & venationem arte instruxit, & hominibus eam demonstravit. Addiderunt sub ejus numine sua quoque inventa aliae Deae. Quare & liquet *Numine* scribendum. non *nomine* ut vulgo. Et ita vetus Editio. Si placet *adscivere*, vulgari modo capere, valebit adscitae sunt, more Gratii jam à nobis notato. Sed illud elegantius. BART. Heinsius. Ov. Fast. I. v. 512.

Ascitaeque tuo comites sub numine.

At nullus suffragatur codex, & *ascivere* bene se habet adjunxere se IOHNS.

16 Adscivere tuo c. s. nomine] *numine*, edidit Barthius: tum interpretatur *adscivere*, i. e. scita fecerunt. Discat à Festo: *Adsciscere est adjungere, vel adsumere.* Imo contrarium hic significat à *desciscere*, & παθητικῶς accipiendum. VLIT. Sic *consciscere* in veteri formula apud Livium lib. I. cap. XXXII. *Quo proque bello quaerendas censeo; itaque consentio consciscoque.* & post iterum *S. P. Q. R. consuit consensit conscivit.* VLIT *in Add.*

16. Comites] Ita Lucillius, Graecus Poëta, conjungit Pana, Satyros, Nymphas, [illegible] des. Anth. lib. II. [illegible] [illegible] Nymphas & Nonnus lib. V.

Centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes
Najades, & Latii cultor qui Faunus amoeni,
Maenaliusque puer, domitrixque Idea leonum

Ma-

VARIAE LECTIONES.

18. *Naides & Latii Faunus* ** MS.
19. *Idaea*] *Idea*. Vlit. Waf.

NOTAE.

Νηϊάδες δ' ὀλόλυξαν ὁμήλιδες, ἴαχε Λοξώ,
Σμάθροοι Οὖπιν ἴχνεα· γαλακτοχόῳ ἐνὶ ῥείθρῳ
Νηχομένην ἀνέκοψε, κασιγνήτην ἑκαέργου.

Pari modo Dianae sexaginta *χορήτιδας ὠκεανίνας*. Item, *ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας* adjungit Callimachus in Hymno ei sacrato. BART.

16. SUB NUMINE] Ad principatum enim Dianae, quem illi in Venationibus tribuit, pertinent. Sic Virgilius Jovem sub suo numine Olympum torquere ex veteri Poëta dixit. Et de Marte lib. XII.

Cuncta tue qui bella Pater sub numine torques.

Ita Catullus *arva sub Sole* dixit,

Sole sub ardenti flaventia demetit arva.

Eorum enim maturitas ad Solis imperium pertinet. Nec absimili modo Propertius lib. IV.

Vidi ego adorati victura rosaria Paesti
Sub matutino cocta jacere Noto. BART.

16. NOMINE,] Sic omnes libri. at Barthius *numine*. Heinsio assentiente. ego tamen veterem lectionem retinendam censeo. Nam & sic Ovid. de arte amandi lib. I. v. 193.

Tale rudimentum tanto sub nomine debes.

Quin & Legiones nomina imperatorum gerebant, & milites *Gabiniani* & *Sertoriani* fortiter pro receptâ lectione stant. JOHNS.

17. CENTUM OMNES] Centum ait Nemorum divas, centum itidem fontium Dianam sectari. Sic Callimachus hymo *εἰς Ἄρτεμιν*.

——— *ἑξήκοντα χορεύτιδας ὠκεανίνας,*
Πάσας εἰνέτεας, πάσας τ' ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

Pari phrasi Virgilius.

Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.

BART. *Full a hundred.* Ita; Graeci. Moschus in Amore fugitivo. *ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν.* V. Callimachum in Hymno Dianae. JOHNS.

17. DE FONTIBUS.] Fontium Nymphae praestites. Ovid. lib. IV. docet omnes Najades ministeria Dianae obivisse. Sic Virgil.

——— *Pastor ab Amphryso.*

Hoc est, Amphrysius. Tryphiodorus de Amazonibus.

Αἱ δ' ἀπὸ Θερμώδοντος ἀγρῇ φίλοιο γυναῖκες.

Ita *fontes de pumice* apud Claudianum lib. II. de Raptu Proserp.

——— *nivee de pumice fonteis*
Roscida mobilibus lambebant gramina rivis.

BART. Profecto hae Nymphae sunt cautae admodum & fugaces, sed hic lustrantur in comitatu Dianae; Meminit earum Theocritus, I. Idyl.

Καὶ τᾶν κρανιάδων κατεναντίον ἇπερ ὁ θῶκος.
Τῆνος ὁ ποιμενικὸς καὶ ταὶ δρύες. ———

Ubi *κρανιάδες* sunt Nymphae *de fontibus*. Sed Alcaeus Anthologiae lib. III. *εἰς Ποιητὰς* nuncupat ipsas fontes *κρηνιάδας*.

Λοκρίδος ἐν νέμεϊ σκιερῷ νέκυν Ἡσιόδοιο.
Νύμφαι κρηνιάδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων.

Verum Poëta Siculus commemorasse videtur illas quae Dianam patriae Arethusae praesidem sectari solebant. BRU.

18. NAJADES] Ipsa enim Diana apud mellitissimum Hymnisten Jovem patrem oravit.

Δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας.

Vide reliqua quae non parum huc faciunt. VLIT.

18. FAUNUS.] Virgilianum. Georg I. sapit.

——— *Oleaeque Minerva*
Inventrix, uncique Puer monstrator aratri,
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.

Latii cultor Faunus audit, quod primus vel cum primis Latium colere instituerit, ut traditum Aurelio Victori in Originibus Romanis. Eumdem Italiam variis superstitionibus implevisse, auctor Lactantius libro I. cap. XXII. Silvarum & jugorum praestitem ipse se ait apud Calpurnium:

Qui juga qui silvas tueor, satus aethere Faunus.

Aucupio eumdem praeficit Propertius, ut notat Turnebus Adverf. lib. XXVI. cap. XIX. BART.

19. MAENALIUSQUE PUER.] Bacchum puto intelligi. inter cujus mysteria venatio, hastis hedera involutis obiri consueta. *Puerum* eum vocat & Horatius lib. I. Carmin. XIX.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque jubet me Semeles puer.

Sed

Mater, & inculto Silvanus termite gaudens.
His ego praesidibus nostram defendere sortem

Con-

VARIAE LECTIONES.

20. *Silvanus termite gaudens*] *Silvani stermite cudens* MS.

NOTAE.

Sed de *Maenalio* Bacchi cognomine nihil legere memini. Nec tamen incidit quem alium nomine hoc censeat. Nam absurdum videatur Pana tot Nymhparum maritum, & praeterea caprinum Deum, puerum dictitari. Cui alioquin facer Maenalus mons Arcadiae. An Arcada Mercurium censes; cujus ingenio plurimae artes debitae? BART. Callimachus eodem Hymno in Dianam:

——— ——— ——— *ἵκεο δ' αὔλιν*
Ἀρκαδικὴν ἐπὶ Πανός, ὁ δὲ κρέα λυγκὸς ἔταμνε
Μαιναλίης, ἵνα οἱ τοκάδες κύνες εἶδαρ ἔδοιεν.

Quid igitur Bacchum nobis somniat interpres? *Pueri* passim minorum isti gentium dii vocabantur. Virgilius Georg. I.

——— ——— *Uncique puer monstrator aratri,*
Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum.

Quae Gratius noster haud obscure sequitur. Vetus lapis Romae: BONO DEO PUERO PHOSPHORO. VLIT. Sive Pana, sive Faunum intelligas, perinde est. Horum enim nomina vicissim confundi apud Poëtas multis exemplis docet ὁ πάνυ Salmasius ad Solin. p. 413 *Pueri* autem vocabulum non aetatis, sed blandimenti instar est. Sic Virgilius Ecloga I. *Pascite ut ante boves pueri.* Et Ecl. v. *Desine plura puer*; sic Mopsus ad Menalcan, cui antea dixerat, *Tu major.* Et apposite Ovid. I. art. amatoriae:

Nunc quoque qui puer es, quantus tum Bacche fuisti. VLIT. *in Add.*

Evoë! Liberum Patrem agnosco, quem sacer ejus Antistes Homerus, sic alloquitur; Il. ξ. 325.

Ἡ δὲ Διώνυσον Σεμέλη τέκε χάρμα βροτοῖσιν.

Ita inter vitae humanae auxiliares deos, à Gratio relatus est, & quare fraudemus eum merito honore? Scilicet quod puerum invocavit Poëta: Quid nonne sic solebant compellare eum Bacchantes, si ulla fides danda est Ovidio.

——— *Tibi inconsumpta Juventa est,*
Tu PUER *aeternus, tu formosissimus alto*
Conspiceris coelo.

Tibullus.

Solis perpetua est Phoebo Bacchoque Juventa
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum.

Festus de vocabulo Haedera: *in tutela Liberi putabatur esse, quia ut ille semper Juvenis, ita haec semper viret.* Hinc liquet, nomen *Pueri*, non joco tributum fuisse Baccho, sed in re seria, sacrisque ejus Dei hymnis. BRU.

19. DOMITRIX] Ov. Fast. 4. 215.

——— *Cur huic genus acre leones,*
Praebent insolitas ad juga curva jubas?
——— *Feritas mollita per illam*
Creditur; id curru testificata suo est. JOHNS.

19. IDAEA] Quia leonum domitrix. Cujus fabulae Mythologiam habes in Fragmento Varronis, quod ex lib. XVI. Rerum divinarum descripsit S. Augustinus. Vide & Lucret. lib. II. BART.

20. INCULTO] alludit Virgilianum.

——— *Ab radice.*

Termes autem ramus ut ex arbore dereptus est, nec nimis foliis repletus, nec nimis glaber. Vide Festum. Gaudet hoc vocabulo Gratius. BART. Ita Virg. *Teneram ab radice ferens S. cupressum.* JOHNS.

21. DEFENDERE] Figura sermonis Rhetoribus atque historicis familiaris. Infinitivi videlicet numeri pro Indicativo usurpatio. Virg. Aen. II.

Jamque dies infanda aderat mihi sacra parari,
Et salsae fruges, & circum tempora vittae.

Idem lib. VI.

Pascenteis illae tantum prodire volando.

Cic. I. de Offic. *Stomachari Canius, sed quid faceret.* Seneca Hippolyto.

Pro jure vires esse, tum primum manu
Bellare nuda ———

Saepe ita Sallustius & praeter alios Septimius Romanus, vere interpres Dictys librorum de Bello Trojano. Qui sane auctor ipsemet ut genuinus non sit, ante aliquot centum annos tamen apud Graecos exstitit, ut ex Tzetza & Cedreno probabile. Interpres autem ipse classicus scriptor suo jure censendus est. Unde magistrorum fastidia merito contemnit. Sed de his ad ipsum Septimium propediem latius. BART.

 21. Sol-

Contra mille feras, & non sine carmine; nisus

Car-

VARIAE LECTIONES.

22. *Et non &c.*] *Lusus.* Steyn. MS. *lesus.* al. *lusus. Sed non sine carminis usus G. usu* B. MS. *lesus.* al. *lusus. sed non sine carminis usus* G. *sed non nisi carm. usu* B.

NOTAE.

21. SORTEM] Conditionem divinitus praescriptam. Propert lib. II.

Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim. VLIT.

21. DEFENDERE SORTEM] Poterat totus hic locus ita apte concinnari:

His ego praesidibus nostram defendere sortem
Contra mille feras: & non sine carmine ludens:

Nam & in Thuanaeo Cod. quem olim Lutetiae rogatu meo contulit Politissimus mortalium Favonianus meus, & in vetustissimi exemplaris, quae pauculae Mediolani supersunt, schedis, quas pro me inspexit Isaacus Vossius, Vir omnigena Eruditione Praeclarus, pro *lusus* legitur *lesus*, in aliis *usus*, ita ut vetus mendum esse appareat Nec tamen etiamnum displicet prior conjectura, *nisus*; sic enim Horat III. Ode III.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innisus arces attigit igneas.

Minutius Octavio: *non laude, sed veritate disceptatio vestra nitatur* Ita legendum. Vulgo: *laudi & veritati*: Lactantius lib III cap. I *Veritas ingenti viribus nixa exereret se aliquando.* VLIT. in *Add*

22. NON SINE CARMINE] Haud dubio genuina lectio est Gratii quam eruditiss. Turnebus hariolatus est.

——— *Non sine crimine.*

Quia videlicet sine sanguine & caede non patratur venatio. Hanc vero etiam in brutis sanctioris sectae Philosophi abominabantur. *π· ϑαγορείζων* itaque haec scripsit Gratius. In veteri Editione longe aliam scripturam reperi.

——— *Sed non sine carminis usus.*

Unde suspicari licet primitus in membranis fuisse

——— *Sed non nisi carminis usu.*

Quae & ipsa scriptura non indigna Poëtae, & sententiae optimis modis congrua. Praesertim respectu versus subsequentis. Imo quo magis cogito eo magis arridet. BART

22. NISUS] Ita confidenter rescripsi, donec aliquis *lusus* illos, quos vulgata exhibet, nobis approbet. Turnebus conjicit: *& non sine crimine lusus.* Barthius: *& non sine carminis usu.* Quo igitur *το defendere* referatur? *Nisus* hic Gratio est, quod Manilio aliisque *aggredi. Nisum* hunc poëtarum irridet Persius initio Sat V. quod tanquam hiantes conatum suum initio poëmatis soleant exaggerare: illud est:

——— ——— *Ut par sit centeno gutture niti.*

Martianus Capella:

Nostrisque suada quo allubescat nisibus.

Uti quidem in MSS. codd. legitur, quos vidi. VLIT. Ulitio ita hunc locum constituenti dudum est ex quo assensum praebui: neque enim in omnes versanti mihi partes quicquam melius occurrit. lege modo, *at non sine carmine* JOHNS. Melius mecum distingue & multo clarior evadit sensus, nam sic verba plaeraeque Editiones exhibent:

——— *Et non sine carmine nisus,*
Carmine & arma Dabo venanti ———

Pithoeus legit pro *nisus lusus.* Sed nota tum usum peculiarem verbi *nisus*, quae a Latinitate veterum abhorret: deinde ablativum satis in regimine coactum, & tandem sensum triviali etiam carmine indignum. Quid in tanta doctorum haesitatione, librorum & codicum discrepantia moliri possumus? En, levi mutatione nitorem antiquum recuperat!

--- --- *Et non sine carmine; Nisus*
Carmine &c

Sic loquuti sunt olim: Claudianus IV Conf. Honor. 219.

——— ——— *Virtute decet non sanguine niti*

Valerius Flaccus lib. 2: 562

Restitit Alcides visu ensus

Sic *Quorum consilio & auctoritate nitatur* Cicer. de Off Hac ratione se facilem explicari praebet locus & sic stat sententia: *Ego Deorum auspiciis & consilio fretus, simul & vena Poëtica adjutus, fidens carminibus, aggrediar venatorem artibus instructum proponere.* Hujusmodi repetitiones à deliciis erant inter Poëtas purioris aevi, ergo miror quare Elegantissimus Turnebus pro *carmine, crimine* statuat. Sed jam locus (ut spero) omni mendo vacat. BRU.

23. An-

Carmine, & arma dabo venandi, & persequar artem
Armorum; cassesque, plagarumque ordiar astus.

Pri-

VARIAE LECTIONES.

23. *Carmine*] *Carmine & arma dabo, & venandi persequar arteis.* Steyn. *artem.* Par. Lugd. Vlit. Waiae. *Venandi*,] f. *venanti.* Ut hinc dixerit Naso:

Aptaque venanti GRATIUS *arma dabat.*

Quo saltem probatur male vulgo distingui: *arma dabo, & venandi persequar artem. Armorum casses, &c.* MS. *astis Armorum; casses plagiique exordiar ertis.* Miror unde *artem* ediderit Pythoeus, cum aliae omnes, *arteis.* VLIT.

24. *Astis armorum; casses plagiique exordiar ertis* MS. *Armorum casses plagiique exordiar astus.* B.

NOTAE.

23. ARMA DABO] Huc allusit Ovidius.

Aptaque venanti Gratius arma dabit.

Sane quam saepissime hac voce utitur Gratius. Ita Manilius etiam lib. v.

Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuit —— BART.

23. ARMA DABO VENANDI,] Ita depravatissimum hunc locum emendavimus, in quo explicando frustra laborat interpres, & immerito Turnebum suggillat, quasi ille interpolaverit: *cassesque plagarumque ordiar astus*, uti in omnibus editionibus ante Pythoeum, & ab ipso Gratio scriptum fuit. Sit sane Latinum *plagium*, etiam sine exemplo, quo tamen *Armorum casses?* Hoc inquam Latinum non est. Barthius qui ut *cassium arma* accepit, sibi illa cum plagio suo habeat, ut mihi veram lectionem non invideat. Nam ita quoque arma descripturus praefatur Xenophon: [illegible] id est Gratio; *arma dabo, & persequar artem armorum.* VLIT. Sic Pythoeus, nescio unde. MS Thuan. *artis Armorum casses.* Sic & Mediolan. & Ald. Quare rectum puto:

Carmine & arma dabo venanti, & persequar artes
Armorum: cassesque plagarumque ordiar astus.

Hinc enim Ovidius habet:

Aptaque venanti Gratius arma dabit.

Artes armorum, id est, quibus artibus utenda ac tractanda. Sic Horatius lib. IV. Ode VI.

—— —— *Phoebus artem*
Carminis, nomenque dedit Poetae. IDEM in *Add.*

23. VENANTI, ET] Vlitii conjectura nam Logi editio ita hos versus,

Carmine & arma dabo & venandi persequar artes
Armorum, cassesque, plagarumque ordiar astus.

Quam conjecturam unice firmat Ovidianum illud.

Aptaque venanti Gratius arma daret. JOHNS.

23. ARTEM.] Melius Vetus Ed. *arteis.* BART.

24. ARMOREM CASSES] Figura Poëtica est. Nam debebat dicere, *cassium arma.* Sic apud Plautum. *caruitne te hodie febris?* Hoc est: caruistine tu hodie febri? Apud Tertullianum carminibus in Marcionem.

—— *Mirantes spernere vitam.*

Valet, spernentes vitam mirari. Joannes Saresberiensis ita locutus carmine ad suum Policraticum

—— *Quos Dea caeca colit.*

Hoc est, qui ipsam caecam Deam colunt. Ita Lucanus.

—— *Habent mortalia casum.*

Casus cum habeat mortalia potius. Virgilius.

—— *Dare classibus Austros.*

Austris potius classes dantur. Avidius Cassius apud Vulc. Gallicanum. *Ubi L. Cassius cujus nomen nos frustra tenet.* Cum ipse nomen illud haberet. Arnobius lib. I. *Atym Phrygem abscissum & spoliatum viro.* Vir sane abscissus ipsi. BART.

24. PLAGIIQUE] Non audimus magnum Turnebum & illum qui Poëmatia compegit, hunc versum ad suum ingenium ita interpolanteis.

Armorum cassesque, plagarumque ordiar astus.

Plagium enim eleganter Gratius, pro rete pluribus plagis contexto posuit. Et illi oppido incogitanteis, qui hoc Poëtae non vulgari vocabulum inviderunt. Et id quidem Latinum sit hujus unius auctoritate. Cui adjungimus *Simplagium*, eadem forma addita Graeca praepositione, ut saepe Latini solent. Isidorus Origin. lib. XIX. cap. V. *Minus autem rete simplagium dicitur à plagis.* Ita Vetus noster Ms. Et in glossis ejusdem legitur. *Simplagium, minus rete:* Ita *Retium* etiam veteres dixerunt, cujus usus apud paucos superest. Glossae H. Stephani, [illegible], *Retium.* Et

in

Prima jubent tenui nascentem jungere filo
Limbum, & quadruplici tormento adstringere limbos.

Il-

VARIAE LECTIONES.

25. Tit. in MS. A. & P. Steyn. etiam, *De retibus conficiendis.* ib. *Jungere filo*] *fingere limbo*, citat Turnebus Adv. 29. c. 26.

26. *Quadruplici*] MS. *quadruplicis.* non male. *Quadruplices limbos*, i. e. quadrangulis maculis inter se plexos. MS. *Quadruplicis*, pro *quadruplices.*

NOTAE.

in alio Latino-Graeco Glossario: *δίκτυον κυνηγετικόν, plagula, retium.* Invenies ejusdem vocabuli usum in vetere Scholiaste Juvenalis, ad Satyr. VIII. v. CCVII. Maneat ergo Gratio jus utendi iis, quae nos hactenus ignoravimus. BART.

24. ORDIAR] Ingeniose, ad casses enim alludit. *Ordiri* utramque vim habet narrandi & texendi. JOHNS.

25. PRIMA] πρῶτα, Graecanicum. Orpheus Argonauticis. πρῶτα μὲν εἶδα βίην Ἡρακλῆος θείοιο. Strabo lib. I. τοὺς παῖδας αἱ τῶν Ἑλλήνων πόλεις πρῶτιστα διὰ τῆς ποιητικῆς παιδεύουσι. Calaber.

Πρῶτα μὲν ἐν νηυσὶ βελέμνοις κατέπεφνε λαούς.

Aeschyl.

Οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην.

Notavit hunc Graecismum *prima anti primo*, Junius Philargyrus in IV. Georgicorum Virgilii. Idem in primo Valerii Flacci versu ignoratus miras turbas inter interpretes dedit. Eundem restituimus & his diebus Calpurnio, Ecloga III. BART. Locus difficillimus. En Vlitianam tibi explicationem. Peridromum, *i. e.* limbum jubet circumvoluto annulatim filo retis orae apponi, eoque tenui, ut commode hâc illac contrahi aut expandi rete possit. tum praecipit Gratius limbos, *i. e.* fila linea quadruplici modo astringi in quadrangulas maculas; sic limbi illi, *i. e.* fila linea & σωινδοχικῶς rete erunt usûs longi. Quod ad cassem ipsum, qui sequitur, mediam partem retis significare contendit. atque ita sex totis paginis, doctis, Jupiter, & laboriosis, rem confectam habes. at hoc est specie doctrinae placare ignorantiam. Quid ad haec autem tu? inquies. pauca sane, neque enim fidenter me expedio. JOHNS.

25. 26. 27. Nihil itaque ultra hisce tribus versibus mihi videtur significari; quam modus conficiendi lineam retibus aptam. Qualis demum foret illa operum patiens & usûs longi? nempe quae constat quatuor limbis torquendo astrictis. limbus autem est funiculus tenuibus lini filis inter se plexis confectus. Imprimis igitur jubent Artifices tenui lino funiculum & ex quatuor funiculis machinâ tortili astrictis lineam conficere, nec te tua cura refellet inter opus. JOHNS.

25. PRIMA] Imprimis, graece τὰ πρῶτα, at ipsum cassem, qui hiat medio ore circumlaqueare oportet per senos sinus, usque ut cavitate suâ totam feram hostilem, quantumvis magnam, contineat includatque. JOHNS.

25. JUBENT] Qui? Magistri τῶν κυνηγετικῶν. Multa de hoc genere loquendi alibi scripsimus, quae heic reponere supervacuum. BART.

25. NASCENTEM.] Perquam eleganter. Nam deductio illa filorum, similis est nativitati. Et non infrequens scriptoribus haec metaphora. Inf.

Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore.

Sic Virgilius in Ceiri.

——— *Ad tantas nunc primum nascimur arteis.*

Cum paullatim in arcem Sapientiae ascenderet. Non absimiliter de libris dicitur, *nasci* illos, dum quasi formam vitalem indipiscuntur. Claudian.

——— *Nascenteis ibant in secula libri.*

Propertius de Virgilii Aeneide:

Nescio quid majus nascitur Iliade.

Plinius lib. VIII. Epist. IV. *prima quaeque ut absolveris, mitte; immo etiam ante quam absolveris. Sicut erunt, recentia, si rudia, si adhuc similia nascentibus.* Idem *peperisse* libros Demosthenem eleganter dixit lib. II. Epist. III. BART.

25. JUNGERE] Id est, annectere. Proprium hoc artis vocabulum in retium confectura: ut *texere* de pannis. Vetus Scholiastes Juvenalis ad Sat. VI. *Testudineo cenopaeo*] *hoc est linum tenuissimis maculis junctum.* Sed vulgo corrupta ea vox est. VLIT.

26. LIMBUM,] Ne cui videatur durior ejusdem vocis inculcatio, morem Gratii observet, talia non observantem. Saepe enim, si peccatum est, in eam partem incuriosus est. *Limbus* autem grandis & capitalis linea illa est, cui minores limbi quadrangulo sinuamine circumstringuntur. Quare & *quadruplici tormento* dixit, quia

qua-

Illa operum patiens, illa usus linea longi.

Tunc

NOTAE.

quadrata figura plagae sibimet constringi solent. BART. Peridromum jubet circumvoluto annulatim *filo* retis orae apponi, eoque *tenui*, ut commode hac illac attrahi aut contrahi rete posset. Nam & expandi contractum, & contrahi expansum, ubi usu veniret, debebat; non secus quam cortinae annulis quibusdam per virgam ferream transmittuntur, quam *epidromum* quoque, quia funis ejus loco erat, videtur vocasse Cato R. R. cap. XIII. male à Turnebo intellectus. Plinius lib. XIX. cap. I. *Ht casses vel ferri acuem vin ant: vidimusque jam tantae tenuitatis ut annulum hominis cum epidromis transirent, uno portante multitudinem qua saltus cingerentur.* Ita lego. *Transennam* liceat Latine dicere, quae est funis extentus, per quem aliquid transmittitur, de qua erudite multa Turnebus lib. V. cap. IX. Nam & epidromum, & transenna in re navali usum habent. Glossae veteres: *Epidromum*, σχοινίον ὀρθίου καταρτίου. Vulgo scribitur: *Epicrocum.* Alias quoque velum significat, quale per epidromum transmitti solet. Sed haec nihil ad venationem. Xenophon περίδρομον semper vocat, & κρίκους quibusdam annexum dat; quae sunt illae spirulae, per quas peridromus transit. Polluci κρίκοις nihil aliud sunt quam *tenue* illud *filum* quo limbum jungit Gratius, quod ita circumvolutum per supremas retis maculas, & circum peridromum, totidem annulos efformat, quot in supremo maculas transmittit. De peridromis ad Xenophontem latius agam: hic vero quo usu fuerint ex Oppiano aperiam. Veteres cum multorum retium indagine silvam aliquam clausissent, media inter retia spatia pleraque cassibus continuabant: nonnulla, qua & venatoribus, & ferae intra septum formidine compellendae transitus esset, pervia habebant. Ideoque intervalla ea διαδρόμους & διαδρομὰς vocantur apud Pollucem. Sed tamen extrema retium ita corrugiata & contracta habebant, ut si opus esset viam claudi, quam citissimo expandi per peridromon, & coire in continuam διακοντισίας possent. Idque plerumque simulac indaginem intrasset fera, ne quà exiret, fiebat. Aliter Oppianus lib. IV. ubi post feram pinnato in cassem compulsam, ipsum cassem occludi peridromo suo ostendit:

Ἀκρόλινοι θεράποντες ἐγκονέοντες ὕπερθεν
Σπερχνότεροι τανύουσι περίδρομον, &c.

Quae ita vertenda erant:

Quod simulac videre viri qui cornua servant,
Prosiliunt una, & geminos coniungere limbos
Accelerant extendentes, & retia claudunt.

Eruditus interpres nihil prorsus intellexit. Dixerat ante Oppianus:

Ἐν δὲ δύω κλίναν δοιοὺς ἑκάτερθε κεραιοὺς
Ἀνέρας ἀκρολίνους.

Qui scilicet ad ἀκρολίνια stabant. Pollux: ἔστι δέ τι ὄρκος μέρος ἀκρολίνια, ὅπερ ἐστὶ τὰ ἄκρα τῶν δικτύων. ἃ οἱ μὲν κεράστιδα, οἱ δὲ πτερύγια ὀνομάζουσι. Extrema cassium quae colligata pendebant, donec dissolverentur ad claudendam stationem. Ita dicta quia in angulis cassium tanquam in summitate cubiti essent. Nam & κεράστιδα pro ipsis angulis vestium, ut vocem גדלים quae πτερύγια proprie significat redderent, LXX. interpretes posuerunt Deuteron. c. XXII. v. XII. uti me docuit Theologorum nostrorum Princeps. Sed & ipsa illa στρεπτὰ, sive peniculamenta (Belgae *quispels* vocant) eadem vox significat Num. c XV. v. 36. Ex quo intelligendum semper putavi Matth. c XXIII. v. 5. ubi à Salvatore nostro reprehenduntur Pharisaei ὅτι μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα; non fimbrias continuas, aut *limbum*, ut plerique verterunt, sed peniculamenta illa, qualia etiamnum ea ex auro ingentia in pectore gestitant hodierni sacrifici. Nec aliter locum hunc intellexisse Epiphanium Haeres. XV. & τὸν δεῖνα Theologum postea comperi. Hesychius quoque: Κράσπεδα τὰ ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ ἱματίου κεκλωσμένα ῥάμματα, καὶ τὸ ἄκρον αὐτοῦ. Et peniculamenta, & ipsam, in qua illa esse solent, alam vestimenti. Ita & apud Pollucem κεράστιδα non tantum ipsae alae cassis sunt, sed illa quoque superflua quae colligata peniculamenti instar in alis pendebant, donec expandenda essent. Quod ut subito & non impedite fieret τοὺς περιδρόμους ἀκυμάντους esse jubet Xenophon. Nam duos ille, in summa unum, in ima ora alterum, qui adligatis lapidibus humi contineret eam, accommodat. Servius, & ab eo Isidorus lib. IX. c. V. *Plagas proprie dicimus funes illos, quibus circa imam & summam partem retia tenduntur.* Gratius unicum tantum videtur peridromum habere: & sufficit unus ductilis. Nam inferiorem ductilem esse non requiritur, in quo lapides adligantur, ut rete contineat, non ut transmittat. Ita peridromum & epidromum

Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore,

Per

NOTAE.

distinguit Pollux lib. v. cap. iv. Sed Gratio haec sufficiant. VLIT.

27. Tormento] Circumtorquentur enim in angulis funes, ut sibimet circumplicati inhaereant. *Tormentum* est funis contortus, Isidor. li. xix. c. iv. Torquendi etiam funiculi tenuiores, ne rumpantur impactis vi feris. Intelligit itaque & tortos prius inter se invicem, & postea in casses contortos. σπαρτόδετον μέγαρον vocat Oppianus Cyneget. Primo. εὔστροφον μέγαρον. Quarto ejusdem Poëmatis. Ipsam confectionem cassium eleganter proponit Xenoph. Quem vise. BART.

27. Adstringere limbos.] Vetus Editio nihil mutat. At Nicolaus Loënsis, doctissimus Criticus, Miscell. libr. vii. cap. i. *lina* citat. Quod etsi commodius videatur, citra auctoritatem librorum tamen non recipio. BART. Non eodem significatu, quo prius, hic *limbos* posuit, sed pro lineis filis. Quod cum intelligeret Nic. Loënsis memoriae lapsu recitavit: *astringere lina.* Nam nulla editio est, quae id illi exhibuit. Praecipit Gratius fila quadruplici nodo astringi in quadrangulas maculas, quas βρόχους appellant Graeci. *Limbus* itaque hic non περίδρομον aut περίπηγον sed quodvis filum significat. Quod si cui durius videbitur eodem versu diverso significatu poni, necesse est ut per *quadruplici tormento astrictos limbos*, τὰς ἀρκύας ἐκ τεττάρων τόνων ἢ λίνων συμπεπλεγμένας intelligat, quanquam tribus tonis plerunque funes torqueantur. Ita & duplicem hic peridromum habebimus. Mihi tamen prior sententia sedet. VLIT.

27. Operum Patiens,] Fortis, durabilis. Virgil.

Patiens operum, parvoque adsueta juventus.

BART.

27. Linea] Totum contextum dicitur *linea*. Quia videlicet ad lineam ductum, & ab una linea pendet. Sic inf. de pinnato.

Ne reprensa suis properantem linea pennis
Implicet ——

Ita & ex aliis non pauci. Quorum verba attulerunt qui pinnatum enuclearunt. BART. Id est, limbi illi, & fila linea, & σαγηνοδοχικός pro reti, ex priore sententia. Ex posteriore, *linea* hic quoque peridromum significet, inter quos (nam singulare pro duali posuit) medio spatio cassis sive rete attexitur per senas maculas in altitudine. Ita *lineas* in reti certe accepit Plinius lib. xi. cap. xxiv. de araneis: *Derelicta laxe praetendit summa parte, ut arbitrari liceat: illaque de facili cernuntur, atque ut in plagis lineae offensae, praecipitant in sinum.* Quae ad hunc modum MSS. ope emendata obiter explicabo. Aranea cum pensum suum absolvit, derelicta laxe & crassiora fila summâ parte ad instar peridromi praetendit, ut arbitrari ea muscis liceat. Quae evitantes id quod maxime apparet in ipsum sinum inopinae praecipitant, non secus quam ferae cum peridromum vident, & declinant, in ipsum cassem se pergere non intelligunt. Vir doctissimus Epiphyll. lib. vii. cap. i. *lineam* hic apud Gratium pro pinnato accepit, & inde deducit paroemium, *lineam mittere.* Utrumque erroneum. Apud Gratium *linea* nihil aliud est, quam quod diximus. Apud Plautum Mostellaria act. v. Sc. i.

Non ego illi extemplo meum ostendam sensum,
mittam lineam

Ipsa verba ostendunt, senem illum servum suum velle expiscari, & ex ipso scire omnia, quae se scire dissimulabat, ut addit statim. Quod mirar magnum Erasmum quoque fefellisse. VLIT.

27. Longi.] Diuturni, stabilis. Propertius.

Et longam Augusto salva precare diem.

Hoc est stabilem vitam & diuturnam. BART.

28. *Tunc ipsum medio*] Plagam ipsam cassem nominat, quam in sexangulos deduci & ita illaqueari mandat, ut multitudine plicarum & nodorum sit durabilis & firma BART. Proxime haec ad posteriorem sententiam exposui. Sed ex priori *cassis* hic partem retis mediam, quae in concavum oblonge se insinuat, & sinus instar est, significat. Graeci τὸν κεκρύφαλον, Galli *bursas* vocant. Latini à *casso*, id est inani, *cassem* & *cassidem* derivant. Nam *cassidem* quoque pro reticulo in foeminarum capite gestari solito exposuerunt Vett. Grammatici. Nec aliter ἄρκυς apud Graecos. Hesychius: Ἄρκυς, κεκρύφαλον (forte δίκτυον hic intercidit) καὶ γυναικεῖος κεκρύφαλος. Pollux lib. v. cap. iv. ubi de cassibus agit, dicit quod κεκρυφάλῳ ἐοίκασι κατὰ τὸ σχῆμα εἰς ὀξὺ καταλήγουσαι. Sed ἄρκυς apud Graecos semper pro diverso, & separato reti ponitur, ut δίκτυον sit rete planum, ἄρκυς sit cassis, sive rete concavum. Latini quoque ita cassem & rete discernunt in ipsa primaeva vocum notione, sed in usu, Poëtae maximae, confundunt, qui cassem pro reti

&

Per ſenos circum uſque ſinus laqueabis, ut omnem

Con-

VARIAE LECTIONES.

29. *Laqueas bis ut omni.* MS.

NOTAE.

& plagas quoque poſuerunt. Nam hae quoque differunt, ut ad Aurelii Cynegeticon dicam. Solus Gratius qui caſſem partem retis formavit: quod in piſcatorum retibus quidem eſt, ſed in venatorum ſupellectile disjuncta ſunt; niſi quod inter retia caſſes intermittuntur, qua ferae exitum tentaturae ſint, & ita indaginis partem faciunt, non retis. Olim hoc obſervabant venatores, ut cum retia longo tractu tetendiſſent inter ſingula fere caſſes interjicerent, qui feras, quam plurimae ſint, *tergo* ſuo *concipiant*, & implicent dum tranſitum tentant. Oppianus lib. IV.

Δίκτυα τ' ἀμπετάσουσι, καὶ ἄρκυας ἀμφιβάλουσι

Retiaque expandunt, & caſſibus intervallent.

Idem lib. I. ubi venatoriam ſupellectilem recenſet:

Δίκτυά τε, χαλίδας τε, βρόχων τε πολύστομα δεσμά

Ἄρκυας, ὀστρεφίας τε λύγους.

Retiaque & vallos, & multiforatile textum

Connexum maculis caſſem, funeſque retortos.

Quae miſerrime à Rittershuſio reddita facile excuſo, quia vulgata lectio ſine commodo ſenſu eſt. Sed quod *ἄρκυας* craſſa retia, *δίκτυα* caſſes, vertit, non minus errat, quam magnus Bodinus, qui *δίκτυα* majorum, *ἄρκυας* omnium ferarum retia eſſe docet. Omnia haec vero contraria ſunt. *Δίκτυα* ſunt *retia*, *ἄρκυες caſſes*. Illa ad quamvis feram, etiam leporem; hi potiſſimum ad majores capiendas tendebantur. Nam & ſolos caſſes in viis, ſi apri denſis ſilvis excutiendi ſint, tendi praecipit Xenophon, apud quem etiam omnes interpretes caſſem cum reti & plaga confundunt. Apud alios autores par error. Si Grammaticos conſulas omnes incaſſum te dimittent. Sed mirum magis quod tanti Viri qui ad Oppianum ſcripſerunt, ubi ex profeſſo hoc agendum erat, nec Xenophontem, nec Pollucem vel inſpexiſſe videantur, ſed potius ipſos interpretes. Barthius etiam, ut octiduum ſuum laborem prodat, neque illos ſaltem vidit. VLIT.

28. Medio ore,] Elegantiſſime ſpacium inter fila patens *os* appellavit, conſuetudine ſcriptorum, quibus omne patens, *os*, perhibetur Sic *ora vulneris* inf. dixit. v. CCCLV. quae *oras* Corn. Celſus lib. V. Ita *os τὸ γυναικεῖον* Celſo eidem appellatur lib. VII. cap. XXVIII. *Os matricis* crebro apud Latinos & Graecos Medicos. *στόμα γαστρὸς*, Nicander Alexipharmacis.

——— *ἀκλήιστον ἀνεῤῥηγὸς στόμα γαστρός.*

Virgilius: *Attonitae magna ora domus.* Idem.

——— *ingentem lato dedit ore feneſtram.* BART.

29. Per senos circum usque sinus] Viden' *τὸ circum* concavitati reſpondere? Poteſt tmeſis eſſe, ut *circum Fundamenta dedit*, quod modo notavi. Alias *laqueare* eſt nodis aſtringere. *Sinus* pro maculis poſuit, quas à medio ore retis, ubi caſſis naſcitur, uſque ubi anguſtiis ſuis terminatur, ſex numerat. Alia apud Xenophontem ratio, qui, ut dixi, caſſes ſeparatos habet, ideoque decem maculas bipalmares, & in aprariis cubitales metitur. Sed arbitrio venatoris hoc relinquendum eſt, qui ex locorum occaſione id omne moderetur. VLIT.

29. Sinus] Waſaeus noſtras explicat *ſenos ſinus, by ſix Tunnels.* At caſſis unam tantum cavitatem habebat, quam Gratius *Tergum* vocat. Caſſem, apud Pollucem hoc modo deſcriptum habes. *ἔστι δὲ ὁ βρόχος τὸ συνεχὲς ἐν ταῖς δικτύοις τετράγωνον διάστημα. συνεστηκὸς ἐκ τεττάρων ἀμμάτων, ὅπερ, τεινομένης τῆς ἄρκυος, γίνεται ῥομβοειδές. δι' οὗ τὴν κεφαλὴν διαθεῖ θηρία, ὡς διεκπεσούμενα. καὶ περὶ αὐτὸ ἐγχιθεῖσα ἁλίσκεται.* Eſt autem Caſſis, continuum illud in reti quadratum intervallum, quatuor conſtans nodis, quod tenſo reti, Rhombi in morem extenditur, per quod, ceu perrupturae, capita ferae inſerunt, & impeditae capiuntur. Hic itaque mihi videtur verborum ſenſus. Ipſum caſſem circumlaqueare oportet per ſenos ſinus, *i. e. ſix Pannels*, quorum unuſquiſque validiori fune ab invicem disjunctus erat & munitus. Ita caſſis ſexangularis erit. JOHNS.

29. Laqueabis.] Tmeſis eſt: circumlaqueabis uſque per ſenos ſinus. Tamen & ſimplex verbum in uſu fuit. Juvencus in Hiſtoria Euangelica.

Si te forte oculi dextri laqueaverit error.

C 2 Hinc

30 Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.
Et bis vicenos spatium praetendere passus

Re-

VARIAE LECTIONES.

31. *Et*] *At* G. *Ad*. B. *vicenos*] MS. *viceno*.

NOTAE.

Hinc *laqueatores* dicti, qui in circo adversarios laqueis superare didicerant. Quod vocabulum superest apud Q. Rhemnium Palaemonem in Arte Grammatica, Cap. de Verbo. *Omnem*, id est totum. Nam ita texendum rete praecipit, ut omnem integram belluam capere valeat. BART. Nodis astringes, Anglice, *Mesh*. futurum indicativi vice imperativi ponitur. Ita Graeci passim. Longinus, περὶ ὕψους, pag. 1. αὐτὸς δ' ἡμῖν ... JOHNS.

30. CONCIPIAT] Capiat. Compositum verbum pro simplici. Sic Prudentius divino illo hymno funebri.

Tu suscipe, terra, fovendum,
Gremioque hunc concipe molli. BART.

30. TERGO,] Planiciem retis *tergum* vocat; ut omnia quae aequali sunt planicie *terga* appellantur. *terga agri* apud Columellam lib. x.

Pinguis ager, putres glebas, resolutaque terga
Qui ferat ——

Sic *tergum epistolare* planiciem membranae vocat Sidonius Apollinaris. Ita νῶτα θαλάσσης mare constratum Poëtis, Musaeus.

Παῖδα δ' ἅμα νίνα ... ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.
Quomodo νῶτα γαλήνης, apud Nonnum li. xi. Dionys. νῶτα κελεύθου. lib. xvi. Avienus in Ora Maritima.

Non in profundum terga dimitti maris. BART.

30. SI QUISQUAM EST] Pessime haec in omnibus editis distincta sunt. Adeoque bardos librarios, qui mutare non curarint. Scribe:

—— *Si quisquam est, plurimus hostem.*

Plurimus, hoc est creberrimis cassibus. Et *plurimus* est creberrimus. Virg. lib. vi.

—— —— —— *Unde superne*
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.

Hoc est, densissimus. Idem.

—— *Adscendunt collem qui plurimus urbi*
Imminet. ——

In Elegis quae Maximiani nomine inscribuntur; Ego vero interpolatas plerasque & in Epitomam sive ex Cor. Gallo, sive ex alio felicioris seculi Poëta, pro captu aevi sequioris, arbitror.

Sunt in auricomis pendentia plurimus hortis
Pervigil observat non sua poma draco.

Eleganter pro assiduus, atque inremissus. Caeterum in Veteri Edito, *pluribus*, deprehendi. Quod etsi ad vocabulum *sinus* relatum absurdum non sit, Gratii tamen esse non persuadeor. BART. Nulla hic opus est parenthesi. Eadem phrasis est apud Imp. §. v. Inst. de Haered. *in quotcunque plurimas un.ias haereditatem dividere*. Amicus meus *plurimum*, maximum exponit, adducto Virgilii loco, in quo *nux plurima* pro maxima ponatur: Georg. 1. *cum se nux plurima silvis Induet in florem.* Nam & Servius pro *longâ nuce*, id est amygdalo interpretatur. Cur igitur non pro juglande, quae nucum maxima? Mihi constat simpliciter accipiendum esse, ut illud sequ. lib. *tractu surgens oleaster eodem Plurimus indicio est.* VLIT.

30. *Plurimus*,] Hic pro *maximus* ponitur. de uno tantum hoste loquitur, & τὸ *Quisquam* clare indicat. JOHNS.

30. HOSTEM.] Feram. Cum qua bellum venatori. Ovidius lib. VIII. de Apro Calidonio.

Ibat in adversum proles Ixionis hostem
Pirithous, nuda quatiens venabula dextra.

Ita Papinius Thebaide IV.

—— *Saltus forte remotos*
Pacabat cornu —— BART.

31. ET BIS VICENOS PASSUS] Gratius cc pedes rete suum extendit, Xenophon ccxx plus minus. Tum addit: ... cui verbotenus respondet noster:

Ingrati majora sinus impendia sument.

Nam & in mensura nihil ab eo abiit, quam pro maxima hic ponit Gratius, quia majorem non habet Xenophon. Habet ille tamen minora etiam retia, ἐνόδια, ... Si enim omnia ... essent, aequalis semper ... esse deberet. Atqui diversis locis, prout viae vel

Rete velim, plenisque decem consurgere nodis.
Ingrati majora sinus impendia sument.

Opti-

NOTAE.

vel semitae se habent, diversa intervalla considerari debent, ut plerunque ad viam desinat rete, ibique cassis interjiciatur, vel etiam plaga. Itaque & minora retia habere, non majora, convenit. VLIT.

31. Et] Vet. Ed. *At.* Tantumdem est. Nisi si scriptum arbitrabere Gratio, *ad.* Quo nec ipso tamen opus; elegantius enim particula reticetur. BART.

31. Spacium] Rete longitudine quadraginta passus excedere vetat. Altitudine decem plagas, ut textae sunt, non superare. Alioqui inconcinnum operi futurum ait. BART.

31. Praetendere] Spacium *praetendere* ad bis vicenos passus, est tantum spatium includere. Ita locutus eodem verbo Columella lib. VIII. cap. IX *ad lineam mutuli per parietem defixi, reticulas cannabinas accipiunt, praetentis retibus quibus prohibentur volare. Praecingendi* verbo non absimiliter usus Papinius lib. IV.

—— Tereteis pars vertere fundas,

Adsueti, vanoque diem praecingere giro. BART.

32. Plenis.] *plenum* dicitur in quo nihil deficit, nihil abundat. Virgilius.

—— Plenis nubilis annis.

Claudian. *Concordia fratrum Plena redit.* Vide infra ad vers. CCXLVI. notanda.

32. Decem nodis.] Ut puta, si bipalmares maculae essent, ut in communi reti apud Xenophontem, rete ad XX. palmos consurgat. Quam mensuram bis excedit Xenophon, qui τετρακοσιάμματα δίκτυα facit. Nisi illum dicamus transversas maculas numerare, quarum binae plenam maculam unam aequant. *Plenos* ideo *nodos* expressit noster, ne obliquos intelligamus. Si ita plenas maculas apud Xenophontem supputemus, rete illud ad LX palmos exurget, quod altius esset quam in ulla venatione opus fuerit, ne dicam ad leporis, in qua totus ille liber laborat. Sed praestat obliquas numerare, ut aequali proportione differat cum Gratio, & XXX ἅμματα nodos plenos XV, & *decem pleni nodi* XX ἅμματα complectantur. VLIT.

32. Consurgere] In altitudinem extendi. JOHNS.

33. Ingrati] In quos plus impendendum sit, quam fructus redhibere possit. Elegantissime *ingrata* dicuntur in quae sumptus plus impenditur, quam utilitatis recipitur. *Ingrata tempora militiae* ad hanc faciem finxit dixisse Cor. Gallum, Italus ille, qui memoria patrum Elegiam illam inficetiis plenissimam sub ejus nomine publicavit. Cui homini sane pepo pro cerebro fuit, cum omnes tam fungos futuros credidit, ut nemo sterquilinium dignoscere ab auro posset. Nulla in illa Elegia phrasis est non hinc inde ex Propertio, Ovidio, Tibullo, commendicata, ut scilicet Temporum aequalitatem tam venustus scriptor omnibus probaret. Taceo errores manifestos in Historia, taceo barbarismos ne sic quidem satis cautos, frigidas adfectatiunculas, quibus consarcinatus tam bellus scriptor, ut per Fidem nihil illi imprecari malim, quam ne quid aliud quam Gallos tales facere potuisset. Sed de his plenius ad vetera Poëmatia. *Ingratum agrum* pari elegantia dixit Martialis Epigramm. XLVII. lib. X.

Non ingratus ager, focus perennis.

Quomodo *memorem* Septimius in Opusculis Ruri, apud Terentianum Maurum.

Inquit amicus ager Domino
Si bene mi facias, memini.

Qua facie *mendacem fundum* Horatius lib. III. Carm. Od. I. Eadem porro & hoc loco phrasis notari potest, quam ad v. XXIV. notavimus. Nam vulgari modo dicendum erat, majores sinus ingrata impendia sument. BART. Majores casses sument majora impendia, & inutiles erunt. Quia, ut dicit Xenophon, ἐὰν μείζω δυσμεταχείριστα ἔσται. JOHNS.

33. Impendia] Qua ad operam, qua ad sumtum. *Lini* enim ad retia usus veteribus non tam erat parabilis, quam nostro aevo nobis est, ubi quavis fere in regione uberrime provenit. Quare non recipiendum *dispendia*, quod intrudere annisus est Adr. Turnebus. *Impendii* vox, nequis Latinam dubitet, exstat apud Varronem lib. IV. de ling. Lat. Plinium lib. IV. Epist. XIII. Lampridium Alexandro, alios. *Impensam* ejus vice dicit Columella de Re Rust. lib. XII. cap. LVII. & Varro lib. I. cap. II. *Impendium* quid JCtis, aut antiquiori Latinitati, vide Hotomannum Lexico Jur. Civ. Cujac. lib. X. Observ. c. 36. BART.

Optima Cinyphiae, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt; bonus Aeolia de valle Sibyllae

Foe-

VARIAE LECTIONES.

34. *Cyniphiae*] Ita male omn. Edd. MS. *Cinymphiae.* Scribendum, *Cinyphiae.* Servius ad Georg. III. *Cinyphii hirci*] *Libyes a fluvio Cinyphe.* Apud Plinium lib. v. cap. IV. perperam est, *Cynips*, pro *Cinyps*, vel *Cinyphs*, ut Mela lib. I. c. VII. Herodotus lib. IV. ubi fertilitatem hujus regionis praedicat, effert Κίνυψ, Κίνυπος. Straboni, Κίνυφος, Ptolemaeo Κίνυφος. *Conifiae* G. VLIT. *Cinyphiae.* omnes. Ed. male. MS *Cinymphiae.* & hoc quoque male. JOHNS.

35. *Aeoliae*] Hanc conjecturam meam confirmat MS. Vir illustris, *Aeolia de valle*, interpretatur, ut *Euboicam rupem* apud Maronem Aen. VI. quia tam Aeolia, quam Euboea oriundi erant Cumani. Erudite. VLIT. *Aeoliâ*] A. Stey. Parif. Lugd. *Aeoliâ.* bene. MS. Vlit. *Aeoliae.* male. JOHNS.

NOTAE.

34. Cyniphiae paludes.] *Cynips* Africae fluvius, circa quem solum fertilissimum. Vide Herodotum extremo lib. IV. De *lino*, ubi id maxime proveniat, Plinius lib. XIX. cap. I. In veteri Editione *Compiae* absurde excusum est. BART. Cinips fluvius & regio inter utramque Syrten est, quae propter uber agri optimum linum producebat. Pingui, humido, non arido solo linum gaudere omnes clamant R. R. Scriptores antiqui. Quid igitur unus Plinius adversus eorum praecepta lib. XIX cap. I. ita infit: *Seritur sabulosis maxime.* Cui si fidem suam sartam tectam praestare volumus, legendum *paludosis*: an *pabulosis*? Quod arbitrio maximi illius Restitutoris relinquo: ut illis quoque qui Tacitum curant an non *Ciniphii* pro *Cinithiis* restituendi sint Annal. II. cap. LII. Nam *Cynethii* alio loco ponendi sunt. Cinips non adeo longe Carthagine abfuit, ut fortasse ideo omne id linum Καρχηδόνιον appellarint Graeci, cujus tantum & Φασιανοῦ meminit Xenophon. Sed Plinius neutrius meminit. Pollux expressit Καρχηδόνιον, ὡς ἀπὸ τῆς Ἑσπερίας κομιζόμενον. Nam Hispanicum quoque Plinio laudatur. Quod an bene intellexerit, ibi disceptabo. VLIT.

34. Cyniphiae] Sic omnes Editiones; perperam, contra quantitatem. MS. Put. *Cinymphiae*, Mediolanensis Vossii opera repraesentat; *Sinymphae.* Unde certissimus sum scribendum, *Cinyphiae*; ut in Var. Lect. observavi. Nam & sic Virgil. Georg. III. *Cinyphii hirci.* Ubi Servius etiam in optimo MS. meo Cod. *à fluvio Cinyphe.* Herodoto Κίνυψ lib. IV. & Straboni in fine operis Κίνυφος ποταμός. Et sic puto Ptolemaeo restituendum pro Κίνυφος. Melae lib. I. cap. VII. in optimis libris *Cinyps*; in aliis *Cynips* (ut & apud Plinium) & *Cinyphs*; utrumque male. Cum ita apud ipsos Geographos variatum sit, minus mirum in Metamorphosi Nasoniana formam suam mutasse hanc vocem; modo enim lib. V. Fab. I. *Cinypheum Pelatem*, ut & lib. VIII. Fab II. *Cinypheos Chelidros* (ut correctissima Nic. Heinsii mei habet editio) *Cyniphiumque Jubam* lib. XV. in fine legas: quibus omnibus locis *Cinyphium* reponendum omnino censeo. IDEM *in Add* Κίνυφος fluvius inter Syrtes, Strabo 835. *p.* Cinyps fluvius per uberrima arva decidens. *Mela.* hinc Cinyphia seges. *Ovid.* Carthaginense linum laudatur Xenophonti, Polluci; nec longe abest Cinyps. JOHNS.

35. Bonus] *Bonitas* rerum inanimarum est praestantia ad usum humanum. Ita *bonae* pleraeque dicuntur, cum nec bonae nec malae esse per se possint. *Bonitas terrae* apud Lucretium lib. V.

—— Inductis terrae bonitate, volebant
Pangere agros pingueis ——

Bonus pons apud Catullum.

Si tibi bonus ex tua pons libidine fiat.

Bona forma, Propertio lib. II.

An si caerulea quaedam sua tempora fuco
Texerit, idcirco caerula forma bona est?

Bona littora eidem lib. III.

Et placidum Syrteis portum & bona littera nautis,
Praebeat hospitio saeva Malaea suo.

Bonum vinum apud Petronium: *heri non tam bonum posui. Bonitas formae* in Epitoma fabularum Higeni c. VIII. *Bonum mel* apud Apicium lib. III. cap. XVI. *Bona fabula* apud Apulejum. *Bonae artes* Symmach. lib. IV. Epist. *Bonae res* pro lauto victu apud Publium Syrum.

Bo-

Foetus, & aprico Tuſcorum ſtupea campo

Meſ-

VARIAE LECTIONES.

36. *Tuſcorum.*] *Thuſcorum.* Steyn.

NOTAE.

Bonarum rerum conſuetudo peſſima eſt. In quo verſiculo immane ludibrium Criticis debet, is qui nuper verboſis, ſed rerum bonarum admodum parcis, Decuriis, eorum nomen oppugnatum venit, invita plerumque Minerva. ut ipſe Animadverſor nuper novas à nobis Animadverſiones impetraverit BART.

35. Aeolia de valle Sibyllae] Cumis. Vide Plinium. *Cumae* Aeoliae civitas. Herodotus lib. I. BART. Aeoliae &c.] Ita imprimi curaveram, quia nullam *Aeoliam vallem* hoc celebrem, ſed Cumano potius palmam attribui inveniebam, ubi *Aeolica Sibylla* vaticinata eſt Aeneae: cum paucis poſt diebus ὁ πάνυ Salmaſius ita locum hunc in ſuis ad me literis & citavit, & intelligendum eſſe docuit. Quo conjecturam meam non juvari tantum, ſed tanquam oraculo affirmari exiſtimavi. Conjiciendi anſam praebuerat mihi Plinius cap. de lino : *Eſt ſua gloria & Cumano in Campania, ad piſcium & alitum capturam : eadem & plagis materia. Neque enim minores cunctis animalibus, quam nobiſmet ipſis, lino tendimus. Sed Cumanae plagae concidunt apros, & hae caſſesve ferri aciem vincunt. Vidimuſque jam tantae tenuitatis ut annulum hominis cum epidromis tranſirent, uno portante multitudinem, qua ſaltus cingerentur. Nec id maxime mirum, ſed ſingula eorum ſtamina centeno quinquageno filo conſtare.* Verba ſunt quantivis pretii, & attente legenti Gratium conſideranda. Vetus liber habet : *Sed ad Cumanas plagas concidunt apri, & hi caſſes ferri aciem convincunt.* Forte an : *Sed Cumanae plagae concludunt apros, & hi caſſes vel ferri aciem vincunt. Concludere* uſitatiſſima in Venatione vox, ut mox noſter : *includas retibus urſos.* Cumas itaque *vallem Sibyllae Aeoliae* vocavit, id eſt Aeolicae. Quod cum vett. interpretes non caperent apud Horatium lib. I. Epiſt. XIX. repoſuiſſe videntur : *Aetolis onerata plagis jumenta.* Uti in primis editionibus inveni. Unde recentiores, *Aetolis.* Sed ſi *Aeolis* legamus, non opus erit à Meleagro retia mutuari Flacco, quae optima in Italia ſua habebat. VLIT. Sic Logus edidit, ſic Pithoeus. & nulla hic Sibylla Aeolica quaerenda eſt. Vallis Sibyllae eſt illa regio, quae Cumis adjacet, ubi Aeoles ex Cumâ Aſiatica ſedem fixerunt. hinc vocatur Aeolica Vallis ; ibi quoque reſponſa dabat Sibylla, quae Cumaea dicta. Virg. l. 6. v. 42.

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum. Euboicae ; quia Eubocâ aeque ac Aeoliâ oriundi erant Cumani. ad haec Servius. eſt autem Acyrologia. Coloniae enim Epitheton rei dedit immobili. Qui de coloniâ Aeolenſium plura ſcire vult, adeat Strabonem & Salmaſ. ad Solinum. JOHNS.

35. Sibyllae] Ut de hac dicam, quaerendum obiter quae illa *Aeolia vallis.* Virgilius : *Euboicis Cumarum adlabitur oris* lib. VI. dixit. Quo loco ineptit Servius qui à Graeco aliquo vocabulo nomen Cumarum deducit. Ἱπποκλῆς ὁ Κυμαῖος καὶ Μεγασθένης ὁ Χαλκιδεὺς διωμολογήσαντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς, τῶν μὲν ἀποικίαν εἶναι, τῶν δὲ τὴν ἐπωνυμίαν, ὅθεν νῦν προσαγορεύεται] Κύμη, referente Strabone lib. V. Vellejus non utrumque Chalcidenſem facit, quod viſum τῷ πάνυ Caſaubono, ſed ſimpliciter duces nominat lib. I. Hippocles ille Cumaeus à patria urbe Cume in Aeolide coloniam nominavit. Nam & colonos inde ſecum duxiſſe, è Strabone colligere eſt. Non autem è Cumâ Euboicâ, quam ego nullam fuiſſe exiſtimo ; ſed fictam ab illis qui Hippoclem, τὸν Κυμαῖον, Chalcidenſem putavere. Ita lapſi Servius & Stephanus. Poſſunt igitur Cumae in Italia & *Aeoliae* & *Euboicae* dici : quam hoc frequens, tam illud inſolens. Certum itaque eſt ſcripſiſſe Gratium : *Aeoliae de valle Sibyllae.* & eorum opinioni acceſſiſſe qui duas Cumis Sibyllas fuiſſe tradiderunt. Quod mirum videri non debet. Non enim ea quae Aeneae vaticinata eſt, & illi retulit ſe CCC. non amplius annos victuram abinde fore, potuit Romanis rebus interfuiſſe. Fuiſſe autem ipſam Cumanam quae Tarquinio libros Sibyllinos obtulerit, ſtatim afferemus, ubi primum de *Cumaea* diſpexerimus. Si locus conjecturae eſſet in re tam obſoletâ & incertâ, Amazonem illam Cumes Aeolicae conditricem, quam ſtatuunt Strabo, Stephanus, aliique, ipſam Sibyllam aut pro ea habitam fuiſſe hariolarer. Eamque cum colonis ſuis tur-

ba-

Messis, contiguum sorbens de flumine rorem,

Qua

VARIAE LECTIONES.

37. *Messis*] MS. *Mensis*. & v. 38. non habet.

NOTAE.

batâ Graeciâ Italiam petiisse. Nunquam enim coloniae in incerto ignotoque solo nisi nutu aliquo divino quaesitae videntur fuisse. Utcunque id se habuerit, Sibyllanume *Cumaeam*, quae prior Cumis fuit, nominarunt autores, quia Cume Aeolicâ oriunda, & ideo *Aeoliam* vocat Gratius. Varro apud Lactantium lib. I. c. VI. (at quo elogio citatus!) inter decem Sibyllas recenset, *quartam Cumaeam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in Annalibus nominet*. Ita enim ibi exhibent scriptum optimi libri, pro quo alii ex Isidoro, *Cimmeriam* substituunt, ubi contra fieri debeat, cum ille ex Lactantio omnia verbotenus pene descripserit, lib. VIII. c. VIII. Sed & pari errore, an librorum vitio, Suidas: Τιβέρτη, ἢ Ἰταλικὴ, ἢ ἐν Κιμμερίᾳ τῆς Ἰταλίας. Quod advertens Obsopoeus legit ἐν Κύμῃ. Cum ne sic quidem ab ineptia sua excusetur Suidas. Ubi enim Italicam istam invenit? In verbis scilicet Varronis, quibus *Cumeam in Italia*, non autem Italicam Cumis aut Cimmeriae fuisse, dicit. Nam alteram potius ita dicendam mox dicemus; & Cimmerios in Italia quaesitos, meram fabulam fuisse demonstrat Strabo lib. V. Errorem itaque Isidori error duplex Suidae, Suidam Antimachus, ut Vara Vibiam, sequitur: & è Cimmeriis istis tenebris pictores hodierni novam nobis Cimmeriam Sibyllam delineant, etiam fuscam, ne quid patriam, quam illi à Scythis petierunt, dementiatur facies. Sed & monstrum in Chronicon Alexandrinum irrepsit, inter XII. Sibyllas numerata Τιβέρτη Λδίνη, ἢ Κιμμερία. Melius Beda, sive quisquis ille fuerit, ipsissima verba Varronis, & *Cumaeam in Italia* repraesentat. Deiphoben indigetavit eam Maro; Demo Pausanias in Phocicis: Τὴν δὲ ἐπὶ ταύτῃ (puta Herophylae Erythraeae) χρησμοὺς κατὰ ταὐτὰ εἰποῦσαν ἐν Κύμῃ τῇ ἐν Ὀπικοῖς εἶναι, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δημὼ, συνέγραψεν Ὑπέροχος ἀνὴρ Κυμαῖος. χρησμὸν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης ἐς οὐδένα ἔχουσιν ἐπιδείξασθαι, λίθου δὲ ὑδρίαν ἐν Ἀπόλλωνος ἱερῷ δεικνύουσιν οὐ μεγάλην, ΤΗC CIΒΥΛΛΗC ἐνταῦθα κεῖσθαι φάμενοι ΤΑ ΟCΤΑ. *Nam omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur, praeterquam Cumaeae*, quanquam alia ratione, tradit & Lactantius ibidem. Et Cumaeae illud sepulcrum esse, quod & in hypogaeo, ubi vaticinata fuerat monstratum sibi narrat Justinus in monitorio ad Graecos, ex eo apparet quod Cumaeae hypogaeum, sive ut vocat Aristoteles θάλαμον κατάγειον, ab Aenea petitum, constet. Idque etiam hodie advenis demonstrare incolas, oculatus mihi testis est Illustris Boswelius. Virgilius Aen. VI.

Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit.

Ubi Servius: *Bene addidit Cumaea propter discretionem:* nimirum, ab eâ quae Romanis rebus interfuit. Hanc mille annos vixisse ex Phlegonte Tralliano, περὶ Μακροβίων, ubi ipsius carmina primum legimus, & ex Ovidio palam est: ideoque *longaeva sacerdos* Maroni, eademque πολυχρονιωτάτην dicitur Aristoteli, qui Κυμαίαν vocat, uti & reliqui. Nam & est aliqua inter *Cumaeum* & *Cumanam*, ut inter Κυμαίαν & Κυμαῖαν, & Cumen (nisi potius *Cymen* ex Tacito, Plinio, aliisque: ut & *Cymaea* Sibylla apud Hyginum) ac Cumas differentia; quanquam urbs utraque Κύμη Graecis dicta sit, & Virgilium *Cumaeum carmen* pro *Cumano* posuisse adnotet Isidorus. Stephanus mire hac in re curiosus: Κύμη, πόλις Αἰολίδος, τὸ ἐθνικὸν, Κυμαῖος. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Ἰταλίας, ταύτης τὸ ἐθνικὸν, Κυμανός. Igitur alteram Sibyllam Κυμανὴν debuit nominare Suidas, & si quis alius Κυμαίαν pro *Cumana*: de qua restat ut aliquid dicam. Differt ea à *Cumaea* non solum nomine & patria, sed & habitatione, vaticiniis, ac sepulcro. Quae singula ex autoribus ita adducam, ut fides penes illos, mihi autem satis sit demonstrasse diversas ab illis habitas fuisse. Varro apud Lactantium dicto loco: *Septimam Cumanam nomine Amaltheam: quae ab aliis Demophile, vel Herophile nominetur: eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum.* Id enim *inter omnes convenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse*, inquit Plinius lib. XIII. cap. XIII quanquam primo intuitu anus visa illi fuisse à Gellio aliisque tradatur. Sed quod Superbum nominet Plinius, alii dissentiunt; & ipse quoque Priscum fuisse pu-

Qua cultor Latii per opaca silentia Tibris

La-

NOTAE.

putavit in calculo suo Solinus, quamvis ex Plinio Superbum descripserit. Expresse ad *Tarquinium Priscum* Amaltheam Cumanam Sibyllam, novem attulisse libros, cum Varrone tenet Isidorus, nec aliter eam vocat Servius quem habeo penes me MS. non pejoris notae, quam ille P. Danielis, ex quo *Malthea* ediderunt. *Demophilem*, vel *Herophilen* autem quod ab aliis dicat nominari Varro, iidem sunt qui Cumanam & Erythraeam confundunt. Illa enim à plerisque Herophile vocatur. Erroris occasio haec fuit: Sibyllini libri ab ipsa Sibyllâ Cumanâ Tarquinio regi oblati, in Capitolio adservati fuerunt, donec Syllanis temporibus, quotquot non combusserat Sibylla, una cum Capitolio igni absumpti sunt, ut Solinus cap. VIII. Tacitus Annal. VI. c. XII. & Dionysius Halicarnassensis lib. IV. testantur. Primum itaque Cumas, ut verisimile est, & per totam Italiam misere quaesitum, si alicubi recuperari possent. Cumque praeter spem parum aut nihil per Italiam invenissent, jamque pernotuisset fuisse aliquam Erythris Sibyllam, ex S. C. eo delegarunt, qui exscriberent ejus oracula. Ea igitur, cumque aliis aliunde petitis, in combustorum loco habuerunt. Quae cum aliqua haberent à prioribus non dissimilia, eadem Cumanae fuisse putaverunt; & cum in ipso initio Erythraeam se esse dicat, ei & priora ac reliqua attribuerunt. Unde *Cumana* fuerit non constat. Nisi aliqua fides debeatur Clementi Alexandrino, recensenti inter Sibyllas, τὴν Ἰταλὴν ἢ τὸ ἐν Ῥώμῃ Κύμαλον φανεῖσαν, ἧς υἱὸς Εὔανδρος. Quae & Antimachus in praefatione ad Sibyllina oracula habet. Non enim potest hoc nisi de *Cumana* accipi, cum altera jam toto saeculo ante Romam conditam obierit; haec autem Romae fuerit. Quâ distinctione usus est Solinus: *Cumis Sibyllae sacellum est, sed ejus quae rebus Romanis Olympiade L. interfuit.* Vixisse tum scilicet, & fatis Romanis intentam fuisse. Nisi error in scriptura sit, ut ad Priscum Tarquinium ex Varrone videatur respexisse. *Cumanae* igitur hoc sacellum erat: *Cumaeae* autem spelunca illa, de quâ superius. Addit ibidem Solinus; *Hujus sepulchrum in Sicilia adhuc manet. In Lilybaeo oppido*, scilicet, ut ipse paulo post. Idemque descripsit de more Isidorus, qui expresse *Cumanae* id assignat. Nam *Cumaeae* Cumis sibi monstratum narrat Justinus, in ipso Hypogaeo in quo vaticinata fuerat. Sed satis haec superque ἐν παρέργῳ, de quibus alias latius; ne illorum reprehensionem incurram, qui nihil nisi ex professo dictum volunt. De *Cumaea* tamen dicendum erat; ut intelligeretur, cur *Aeolicam* eam vocaret Gratius. Nec poterat de *Cumaea* dici, nisi diversa à *Cumanâ* statueretur, idque autoritate veterum evinceretur. Merito autem *Aeolicam* Sibyllam, non *Cumanam*, uti poterat, nominavit; cum & ab illis qui duas tresve tantum Sibyllas numerant, *Cumaea* fere non omissa sit: & ipsum vocabulum *Sibyllae* ab Aeolibus petitum; sive à σιὸς & βυλὰ, quod Varroni, aliisque; sive à σιῶ, quod τῷ πάιν Salmasio placuit. VLIT. *Cumaeae* scilicet ut dixi. Nam sic passim Ovidio lib. XIV. fab. IV. & lib. XV. fab. L & Fast. IV. dicitur: nusquam *Cumana*. Sic & Virgilio Ecl. IV. *Cumaei carminis aetas*. Quanquam ibi Servius, *Cumanam* Sibyllam citat; pro quo & in MS. Cod. *Camariam* inveni; quod ad *Cimmeriam* deflectit, fabulosam illam: Tametsi Plinio credi possit *Cimmerios* (quod olim negavi) in Italia fuisse. Et Silio lib. XIV.

Cimmerias jacuisse domos pallente sub umbra.

VLIT. *in Add.*

36. Foetus,] Germen. Columella lib. IX. cap. XX. *saltus eliguntur, qui & terrenis foetibus & arboreis abundant.* BART.

36. Stupea] Quod in lino cortici proximum est *stupa* vocatur: minus idoneum ad opera quibus de caetero linum inservit, taedis tamen optime adhibetur. Plinius lib XIX. At Gratius omnem materiam lineam anquirit, quia quae subtilibus plagis minus idonea, usum in crassioribus invenire potest. Varii enim variorum usus. BART.

36. Messis,] Quilibet annuus proventus *messis* appellatione venit, exemplis obviis ubique. Sic *Vindemiae* quoque vocabulum usurpavit Virgilius. Georg. II.

——— *Arboribus pendet vindemia nostris.*

BART.

36. *Stupea Messis*,] Glossae veteres: *Stupa*, κάνναβις, τοίξας vel σύπας ἀγαθίς. Ita legendum. Vulgo nullo sensu σύξας, ἄγλαθα. Aliae quoque: *Stupa*, κάνναβις. Itaque quam hic *stupeam messem*

mox

Labitur, inque sinus magno venit ore marinos.
At contra nostris imbellia lina Faliscis:

Hi-

NOTAE.

mox *Cannabias silvas* vocat. De quo ibi. Nam hic potius *stupeam messem*, pro lino, sed duriore, intelligere est. Plinius de lino: *Quod proximum cortici fuit stupa appellatur, deterioris lini, lucernarum fere luminibus aptior: & ipsa tamen depectitur ferreis aenis donec omnis membrana decorticetur.* Tale retibus aptissimum. Nam in macerato candor ipse damnosus. Hoc enim aqua in candorem usque maceratur, illud stupario malleo tunditur, caetera impolitum & omnino manet, de quo multa Illustris Exercitator ad Solinum nos docuit. Festus in schedis; *Stupam linum impolitum vocant Dorii Graeci.* Idcirco Apollonio Eremitae prae rigore vitae stupeam vestem attribuit Aldhelmus. Idem & mantelüs aptum, quali in tergendis discipulorum pedibus usus Salvator. Aldhelmus:

Supea cui fuerant pepli velamina texti.

Λίνδον sive λίνδον cur vocetur apud Johannem, infra dicam. Fuisse autem deterioris lini, & tersioni aptioris certum est. Nonnus ideo spurium linum vocavit ad Evang. cap. XIII.

Καὶ λινέην λαγόνεσσι ταθὴν ἐζώσατο μίτρην
Σφίγξας σκληρὸν ὕφασμα.

At *stupa* non solum linum impolitum, sed & quod in cannabo crudum maxime est. Unde Isidorus: *Stupa cannabi est sive lini.* Hic autem pro lino stupeo, id est crudiore posuit Gratius. Nam vel ex tenuissimo lino retia fieri praecipit Xenophon. Et omnes linum retibus dant. Glossae Isidori: *Liniarius, retiarius. Liniaria, retia linaria, Pers.* VLIT. In codicibus Virgilianis quos Pierius contulit scriptum erat cum duplici *pp. stuppea.* BRU.

37. SORBENS] Eleganter. Columella lib X.

Terra bibat fonteis, & hiantia compleat ora.

BART.

37. FLUMINE] Per Excellentiam Tiberim appellat: ut apud Heliodorum *Nilus* eo nomine ab antistite Aegyptio censetur. BART.

37. ROREM,] *Ros* omnis humor Poëtis. Unde *rorem* pro genitura, sive *vi Lucilii*, ut loquitur Arnobius, posuit Appulejus Anechomeno. BART. Pingui, humido, non arido solo linum gaudere omnes clamant Rei R. Scriptores. JOHNS.

38. CULTOR LATII] Quippe ubertatem ei regioni largitur Tibris. Sic supra *Cultorem Latii* etiam Faunum appellavit. *Culta*, agri florentes Claudianus:

——— *sufficerent Etrusca mihi Campanaque culta.*

Percultor, qui aliquem summo studio colit, usurpatur Aur Victori Caesaribus. BART.

38. CULTOR] Inspice Maronem Georgicorum I. de Fauno. versu 14.

——— ——— *Cultor nemorum cui pinguia Caeae.*

Georg. 2: 114.

——— ——— *Extremis domitum cultoribus orbem.*

Ubi *cultor* pro incola accipitur. BRU.

38. OPACA SILENTIA] Eleganter simul tranquillitatem fluvii & opacitatem complexus est. vide Ælianum ποικιλ. Lib. III. cap. I. *Amoenum* Tiberim vocat Virgilius Æneid. VIII. BART.

38. SILENTIA] Tacere vel silentium agere dicuntur flumina, cum nullus strepitus exauditur, neque motus aquarum concitus est, quod de Tybri placato Virg. Ae. 8: 87.

——— ——— *Nocte tumentem*
Lenit, & tacita refluens ita substitit unda.

Idem de aequore Ecloga 9: 57.

Et nunc omne tibi stratum silet aequor.

Agris desertis silentium tribuitur in his:

Nunc silet omnis ager. BRU.

38. QUA] Quà parte Tibris, qui colit & foecundat Latium, per locos arboribus opacos tacite labitur. JOHNS.

39. ORE] Ostia fluminum Poëtis *ora* dicuntur Dionysius Alexandrinus: [illegible] ἢ στόμα Νείλου. Idem: Πόντοιο [illegible] στομάτεσσι. BART.

40. NOSTRIS] Patriam hic suam indicat, quam quidem solam ex ejus historia scimus, non igitur male V. Ed. in fronte Gratii Phalisci Cyn. BART. *i. e.* nostratibus. Gratius enim erat gente Faliscorum oriundus JOHNS.

40. IMBELLIA] Futilia, operi praesenti inidonea. Sic *imbellis lyra* apud Horat. lib. I. carm. VI. Quamquam inibi alia res est BART. Bello ferino inepta, & retibus inutilia. JOHNS.

40. IMBELLIA LINA] Quia vestimentis ea serviebant. Silius: *induti sua lina Falisci.* Ita & Saetabicum & Aegyptium aeque ac Faliscum

pro-

Hispanaeque alio spectantur Saetabis usu.
Vix operata suo sacra ad Bubastia lino

Vo-

VARIAE LECTIONES.

41. *Setabis*] Vett. *Saetabes. Setabes*, & *Sutabes*. JOHNS.
41. *Saetabes*] Ita Junius & Puteanus: sed & MS. exque eo Pyth. Ed. *Sutabes* A. VLIT.
42. *Suo*] *Sacro* G. *Bubastia*] MS. *Bubbastia*. *Bupalia* G. *Hispanaeque*] JOHNS.

NOTAE.

propter tenuitatem suam vestibus commendantur, retibus inutilia censentur à Gratio. Hoc est quod statim dicit: *alio spectantur Saetabes usu*. VLIT.

41. Hispanique] Attamen *ex eadem Hispania Zoelicum non dudum venit in Italiam plagis utilissimum*, inquit Plinius, quod Gratii tempore ignotum adhuc. Saetabico idem primas assignavit ut candidissimo, & Silius quoque lib. III.

Saetabis & telas Arabum sprevisse superba,
Et Pelusiaco linum componere lino.

vel, *filum componere filo*, ut lib. XIV. *vitaque exaequat munera vitae*, & alibi: *caput defendere lino, Et lino munire latus*. De quo alibi. Saetabico lino accenset Aegyptium: ita & hic Gratius. VLIT.

41. Hispanaeque] *Hispanaeque alio spectantur Setabis usu* subaudi *lina*. Ita hunc locum optime constituit Vossius ad Catullum p. 36. dicit lina, quae proveniunt in Setabi Hispanâ non esse apta retibus texendis, ideoque aliis usibus destinanda, nempe sudariis & similibus textis. olim *Hispani Setabes*. JOHNS.

41. Spectantur] aestimantur. *Spectari* Latinis est probari, ut *spectati* dicuntur honorati & probati experientia Viri. Horatius Epistol.

Spectatum satis, & donatum jam rude.

Portius Latro: *Cui spectato frequenter, in difficillimis rebus summam hujus atrocissimi mali tuto committi posse facillime sibi pollicebatur*. Commentat: Horatii: Spectatum, Probatum. Appulejus lib. IV. *Sublimis ille vexillarius noster, Lamachus, spectata virtutis suae fiducia*. Verbo ipso ita usus Lucretius libro III.

Quo magis in dubiis hominem spectare periclis,
Convenit, adversisque in rebus noscere, qui sit.

Eodem modo *Conspecti* etiam vocabulo utuntur: de quo alibi scripsimus. BART.

41. Saetabes] Urbi huic Hispaniae secundam lini palmam tribuunt. Plinius lib. XIX. c. I. Gratius autem secernit ab instrumento venatorio, ob molliciem, utcunque alias utile. BART.

42. Vix] De Pelusiaco lino verba facere supersedendum putavit ob varietatem ejus. Nam vix tantum ejus provenire ait ut sacerdotum vestibus, quas ex alia materia fieri nefas erat, sufficiat. BART.

42. Vix operata &c.] Non induci etiamnum possum, ut Gratium scripsisse ita credam, linum Aegyptium vix sufficisse vestiendis Sacerdotibus, cum toto orbe notum vulgatumque ejus commercium fuerit, ut patet vel ex Scriptura Sacra, Genes. cap. XLI. vers. 42. Exod. IX. 31. XXVI. I. XXVIII. 5. 6. 15. & XXXV. 6. Esther VIII. 15. Esaias cap. XIX. & multis aliis locis; unde, quanta ejus abundantia fuerit, facile colligere est. Silius lib. III. de Jovis Ammonis Sacerdote:

—— —— velantur corpora lino,
Et Pelusiaco praefulget stamine vertex.

Et paulo post de Nubis Aethiopiae vicinis:

Tempora multiplici mos est defendere lino,
Et lino munire latus.

Quin & ipsam Isidem, ejusque Sacerdotes *Linigeros* passim dictos nemo est qui ignorat. Ovidio de Ponto lib. I. Eleg. I. *Linigerae numen Isidis*. Unde & apud eundem lib. II. Amor. Eleg. II. & Art. Amat. lib. I & in fine I. Metam. ubi perperam hactenus *Niligenam* excuderunt, ex melioribus Codd. *linigeram* dicendam jampridem observaveram, cum nuper vidi ita in elimatissima Editione Heinsiana ubique expressum. Id enim illis imprimis religiosum fuit, non nisi lino in sacris omnia vestire. Quod & ex SS. Dei cultu adumbratum, qui sacrificaturos sibi lineo Ephod indutos voluit, ut apparet I. Samuel. II. 18. & cap. XXII. & II. Sam VI. 15. De quo latius D. Hieronymus ad Fabiolam. Quae religio etiam post abolitas adventu Salvatoris omnes veteris Judaismi caeremonias à Papis Romanis iterum adscita; ut videre est in Can. XLVI Dist. I. de Consecrat. & apud Anastasium in vita Sylvestri PP. cui id inventum attribuit; quan-

Velatur sonipes aestivi turba Canopi.

Ipse

VARIAE LECTIONES.

43. *Velatur*] *Vestitur* G. & B. Ed. *Aestivi*] *Aegypti* G. uti Junius conjecit.

NOTAE.

quam ex d. Can. Eusebium PP. ejus autorem esse constet ; Sed haec *ἐν παρόδῳ* alias plenius ex professo tractanda. Nullus itaque dubitem pro *Vix*, reponendum *Sic*, si Gratio fidem sartam tectam volumus. Nam Plinio, qui lana gossypia Aegytios Sacerdotes gaudere dicit, contra tot autores, omnem potius abnegaverim fidem ; cui miror Maximum Virum tam facile assensisse in Exercitationibus suis ad Solinum. VLIT. *in Add.*

42. VIX OPERATA] Ἡ ποδέψοφος turba Canopi aestivi & fervidi rem faciens divinam ad sacra Diania vix velatur suo lino. JOHNS.

42. OPERATA] Sacrum solemne verbum. Non secus, quam *facere*, quod alii hoc sensu usurpant. Horatius lib. III. Carm. XIV.

Unico gaudens mulier marito.
Prodeat, justis operata Divis.

Vide Brissonium Formularum Commentariis. BART. Solemnis haec sacrificiorum vox, ut multis probavit formulis magnus Brissonius. Glossae antiquissimae : *operari*, *ἱερουργεῖν*, *ἱεροποιεῖν*. Juvenalis Sat. XII.

Et matutinis operantur festa lucernis.

Ita enim omnes codices à mille retro annis habuisse indicio est doctissimi Grammatici veteris Scholion : *operantur, id est sacrificant. ut Virgilius, laetis operatus in herbis.* Solinus cap. II. de popularibus Gratii Faliscis : *Hi sacrificium annuum ad montem Soractis Apollini faciunt : id operantes gesticulationibus religiosis*, &c. Ea vera lectio ab illustri Exercitatore est. *Operantes* sacrificium, ut *operantur festa* apud Juvenalem. Fuit cum, *adoperta suo sacra ad B. lino*, ex corrupta lectione *operta*, legi vellem : quia hunc quoque velandi sacra sua ritum Idololatris suis ex SS. Dei foedere transcripsit ὁ κακοδαίμων, & Aegyptios id potissimum factitasse ex Apuleji loco didicissem, quem statim adducam. Nam *operta sacra* passim apud Authores vocantur, quorum origo à SS. Tabernaculi tegumento, quod Hebraei מכסה vocant, male à quibusdam pro sella sumptum. Sed nunc priori lectioni acquiescam, donec de *opertaneis sacris* agere maturum aliquando erit. VLIT. Glossae *operari ἱερουργεῖν*, *ἱεροποιεῖν*. Ita *facere* absolute ponitur. *ῥέζειν* Graece. Virgil.

Laetis operatus in herbis. JOHNS.

42. SACRA AD BUBASTIA] Bubastis ἐν τῇ νεφρῷ τῷ Δέλτα à Geographo ponitur, & *procul à mari* Mela authore : longius à Canopo. An igitur *turba Canopi* à suo Nili ostio Bubastim sacrificatura tam longo itinere petiit ? Nihil minus. *Canopici* hic sunt Aegyptii, ut Silio *Pelusiaci*. *Bubastia sacra*, sunt Dianea sacra. Bubastis Aegyptiis Diana est. Vetus Epigramma : Οὕτω Βούβαστις καλεῖται). Vetus ibi Scholion pro Diana accepit adducto Herodoti loco ex lib. II. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἄρτεμις Βούβαστις καλεῖται). Quod loco huic intelligendo sufficiat, ne transcribam illa quae inibi erudite observavit Brodaeus. Hoc tamen monebo non Dianam ab urbe illa, sed potius à Diana nomen illam adeptam videri, cujus auspiciis condita est. Nam haec communi Aegyptiorum lingua Bubastis, ut à Graecis Artemis vocabatur, inquit Herodotus eodem lib. quod si ab urbe, in qua maxime colebatur, petitum esset, non Aegyptii tantum, sed & Romani illis tacentibus ita eam indigetassent, ut Triviam, Nyrtiam, & mille talia. VLIT.

42 BUBASTIA] *Bubastum* Oppidum Aegypti, vide Stephanum περὶ πόλ. Herodotum lib. II. Diod. Sic. lib. XVI. De sacris Bubastiis lege Herodotum. BART. Diana. Aegyptiis Diana vocatur Bubastis. Herodot. L. 2 Sect. 156. JOHNS.

42. LINO] Aegyptii antistites uon alio, quam lineo utebantur vestitu. Juvenal. Sat. VI.

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor, Anubis.

Claudianus IV. Consul. Honor.

——— *penetralibus exit*
Effigies, brevis illa quidem, sed plurimus infra
Liniger ———

Descriptionem pompae ipsius luculentam habes apud Appulejum lib. XI. Memorph. BART.

43. LINO VELATUR] Quid, an adeo egens lini Aegyptus, ut sacerdotibus id vestiendis non sufficiat ? Imbelle, tenue, candidissimum, adeoque venanti inutile fuisse nemo negat. Abundasse tamen lino Aegyptum, certissimum est, quod propter excellentiam suam ab omnibus fe-

re

Ipse in materia damnosus candor inerti

Osten-

VARIAE LECTIONES.

44. *Ipse in*] Ita A. & è conjectura B. *ipsus* G. *damnosus*] *damnatus* B. Ed. *In*, omittitur. Parif. Lugd. *ipsus* G.

NOTAE.

re gentibus petitum fuit. Salomonis tempore vectigali commercio in Judaeam migravit, ut ex lib. I. Reg. cap. x. scire est: Colchos, ex Herodoto. Plinius de lino: *Ignoscat tamen aliquis Aegypto serenti ut Arabiae Indiaeque merces importet.* Quia pinguissima illa regio quavis alia messe abundare poterat, ne lini satione injuriam illam, de qua locutus est, pateretur. Hoc tamen excusandum propter celeberrimum lini commercium quod plurimum exercebatur in Aegypto. Adeone Aegyptium linum ab omnibus expetitum erat, ut vix sacerdotibus suis vestiendis satis retinuisse videatur? Plinius quoque paulo post ex gossypio illos vestiit? *vestes inde*, inquit, *Sacerdotibus Aegypti gratissimae.* Nec hoc verisimile. Nam Herodotus, à quo illa habet Plinius, de Indis hoc dixerat. Et linum verum Aegyptiis idem & Apulejus attribuunt. Hic Apolog. I. *atque eo lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis velamentum. Quippe lana segnissimi corporis excrementum profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terrâ exorta non modo indutui & amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur.* Non tamen ei lanae accensendum gossipion esse à Salmasio jam scimus. *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem quem aliqui gossipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina*, dixerat Plinius. Illius itaque *Aegypti sacerdotibus vestes inde gratissima.* Nam reliqua quatuor tantum genera habebat celebria *Taniticum, Pelusiacum, Buticum & Tentyriticum.* Ex quibus Pelusiacum Silio, Phaedro, aliisque celebratur, cui propter vicinitatem accensendum Bubasticum. Primi itaque λινουργίαν, Herodoto & Strabone testibus, exercuerunt Aegyptii; plurimum severunt Aegyptii: sanctissimum & in sacris suis habuerunt Aegyptii. Quid tandem Gratio fiet, si adeo lini egenos habuit Aegyptios, ut ne sacerdotibus quidem, qui eo solo uti debuerunt, velandis suffecerit? Si quis attente praecedentia & sequentia consideret, hoc illum voluisse dicere facile negabit. Locutus primum de aptissimo lini genere, Cumano & Tusco, tum quoque quae retibus inutilia sint, quantumvis alias celeberrima, ne fama fallatur retiarius, recenset Faliscum, Saetabicum, & Aegyptium: quae non tenuitate sed etiam candore improbat:

Ipse in materia damnosus candor inerti
Ostendit longe fraudem atque exterruit hostes.

Noluit itaque innuere non quaerendum in Aegypto linum esse quia inopia laborat, sed eo utcunque alias laudato in retibus non utendum. Quod facilius ex verbis ejus perciperetur, si scripsisset: *Sic operata*, vel *Sic adoperta.* Nimirum sicut Saetabicum *alio usu*, vestiendi puta, sic & Aegyptium esse. Sed vulgata non temere sollicitanda, quae jam τῷ πάνυ Salmasio sedit, & defensa est apud Solinum. VLIT.

43. SONIPES AESTIVI TURBA CANOPI.] Idem ad Histor. Augustas & ibidem ad Solinum, quomodo suppedaneo crepitaculo modum saltantes, ut ita loquar, pulsaverint olim, erudite, ut omnia exposuit; & rescribit: *festivi turba Canopi.* Quod non potui non probare simul ac Strabonis illa deprehendi lib XVII. de Serapidis Aede Canopica: ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριζόντων ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι. πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ καθορχουμένων ἀνέδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. *ante omnia memorabilis est eorum turba, qui ad festivos conventus per fossam Alexandria descendant: quae singulis diebus ac noctibus plena est navicularum virorum & mulieres vectantium extrema cum lascivia cantantes atque tripudiantes.* Ita vertit magnus Casaubonus, fortean Gratium secutus. Lucanus lib. VIII.

Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi. VLIT.

43. SONIPES] A crepidis stridentibus. Multum in his sacris saltationum, plausuum, tibicinum fuisse, quos omnia sonitu implesse auctor Herodot. libro jam nominato. Ubi scribit in Bubasto quotannis convenisse, ad septingenta mortalium millia. BART. Turba tripudians. Salmasius ad Solinum. p. 702. Sonipedes, qui pede scabillum sonabant. Interpres Statii. Scabil-

Ostendit longe fraudem, atque exterruit hostes.

At

VARIAE LECTIONES.

45. *Exterruit*] Ita MS. & P. *exterritur hostis*. A. VLIT. *Exterritur hostis*. A. Steyn. Turnebus *exterritat*. JOHNS.

NOTAE.

billum, quod in facris pede fonare confueverunt. ubi plura de hac re. JOHNS.

43. Aestivi] Salmafius *feftivi*. nec difplicebat Vlitio. at in fecundis curis loco motum revocat, & ftrenue confirmat. Nam Claudian. Nilum *Aeftivum*, Marrial. *tepidum* Lucan. *calentem*. & fane reftitutum gaudeo. Nam Aeftus ille in caufâ erat cur turba fonipes vix velari deberent fuo lino, & quare tenuiffimum & alerent, & veftibus texendis eligerent; eique adeo ufui Gratius relinquendum cenfet. JOHNS.

43. Canopi.] *Canobum* Graeci vocant. Quod non placuiffe Stephano claret ex Commentariis Euftatii ad Dionyfium. ὁ δὲ τὰ ἐθνικὰ γεγραφὼς φησὶν ὅτι οὐδὲ μὴ Κάνωβον γεγράφθαι τὴν πόλιν διὰ τοῦ Π. Quod ipfe tamen elevat. Dictum hoc oppidum à Canobo comite Menelai, qui in Agypto obiens ab Atrida oppido cognomine honoratus eft. *Aeftivi* nomen gerit ob aeftus in Aegypto intentos. ἐσχάτην χθονὸς πόλιν Canobum vocat Aefchylus Prometheo.

Ἔστι πόλις Κάνωβος, ἐσχάτη χθονὸς,
Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι.

In Veteri editione hi duo verfus ita compofiti leguntur.

Vix operata facro facra ad Bupalia lino
Veftitur fonipes Aegypti turba Canopi.

Ego in vulgata fcriptura nihil mutandum cenfui. BART.

44. Ipse materia] Non dubito Gratium reliquiffe.

——— *ipfe in m.*

Nam [illegible]tera *m.* majufcula facta illud *in* in fe gerebat, quod neglexit vel ignoravit librarius cadentis aevi. Sexcenta exempla licet in veteribus libris obfervare hujus fcripturae, praefertim Pandectis Florentinis. Quae adfcribere otiofum fit. Vetus Editio habet *ipfus materia*. Quod ego Gratium fcripfiffe non puto. BART.

44. Ipse in mat. damnosus] Haec in omn. vett. libb. fcriptura. Pythaeus *in* omifit, nifi error typorum eft. Barthius certe ita citat, & emendat: *Ipfe in mat.* unde conftat nullam illi editionem quam Pythoeanam vifam unquam fuiffe, quantumvis ex illa omnibus invifa adducit: *Ipfus materia*. Tum edidit, *damnatus*, ut fupra *certufque*, pro *rectufque*, & *ceffit* pro *cecidit*; & paulo abhinc, *rigidi cuftos Al. horti*, & fimilia pro lubitu intrufit. VLIT.

44. Materia] Vide Ciceronem lib. I. De Inventione. Ifidorus lib. XIII. cap. III. *omne informe, unde aliquid faciendum eft, materia dicitur*. BART. Repone praepofitionem *in* quae olim intercidit negligentia defcriptorum, quamque ingeniofe Barthius inftauravit. BRU.

44. Damnosus candor] Nafo appofite lib. I. de Remed. Amor.

Quae nimis apparent retia, vitat avis.

Quod plane convenit cum proverbio Salom. cap I. 17. VLIT. *in Add.*

44. Inerti] Candorem illius lini vituperat, qui longius jufto lucens, prodat fcilicet feris fraudem. *Iners* eft inutilis. Aufonius Grypho.

Hic quoque ne ludus numero tranfcurrat inerti.

Ita infr. v. CXLVI De triplici hujus vocis fignificatione vide Servium ad Georgicorum IV. BART. Noftrae arti, *i. e.* venationi ineptâ. Candorem improbat & tenuitatem. JONHS.

45. Ostendit] Idem fignificat, quod, folet oftendere, & folet exterrere Vim habet Graeci Aorifti. Turnebus *exterritat hoftis*. Logi Edit. *exterritur hoftis*. ἀρχαϊκῶς. non male. JOHNS.

45. Ostendit exterruit] Pro exterret. Praeteritum pro praefenti Tempore ufurpavit. Virgilius Aen. II.

Quamquam animus meminiffe horret, luctuque refugit.

Propter metrum praeteritum pro praefenti pofitum interpretatur Servius. Sic alii etiam fcriptores, quos nulla metri lex cogit. Cor. Celfus lib. IV. cap. XIX. *Ubi ficcum effe caepit, removeri oportet, extractum cochleari quod intus eft, ediffe.* Hoc genus facris litteris etiam non infrequens effe docuit Sanctus Athanafius libro I. de Trinitate. ὥσπερ οὖν ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τὸ ἔκτισέ με, ἐξήγησεν, νόησον. οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Πνεύματος τὸ ἐκπορεύεται, νόησον. Ἔστι γὰρ ἐν γεγραμμένον; ὡς τὸ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους, αὐτοῦ πνεύματα. τουτέστιν ὁ ποιήσας. καὶ τὸ, ὁ θεμελιῶν τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς, τουτέστιν ὁ θεμελιώσας. Plura ad Claudianum. BART.

45. Ex-

At pauper rigui custos Alabandicus horti
Cannabias nutrit silvas, qua commoda nostro

At-

VARIAE LECTIONES.

46. *Rigui*] *Rigidi* B. Ed. *Alabandicus*] *Alabandus* MS.

NOTAE.

45. EXTERRUIT] Pro exterret, ut mox: *Nam fuit & laqueis usus*, pro est. & deinde: *Miscuit, & summam complectitur ignis.* pro Miscet: & infinita talia quae male tentavit Barthius, & semper in eundem lapidem impegit. Si tamen autoritate melioris cod. *τὸ exterruit* nobis dedit Pythoeus. Nam omnes ante illum editiones habuerunt, *exterritur*: fortean ἐξεχωκώς. ut *lavitur*, *fervitur*, & multa id genus alia apud Nonium cap. x. Turnebus conjecit, *exterritat*, quod propius antiquam lectionem est, quam *exterruit* VLIT.

46. PAUPER ALABANDICUS] Plinius lib. XIX. *Cannabis vellitur post vindemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima Alabandica, plagarum praecipue usibus.* Alabandam Cariae civitatem auctor Stephanus. Gratius Alabandicos paupereis indigitat, cum luxum iis exprobret Juvenalis Sat. III. Nisi si ignobilitatem potius inibi notari credas; quod sane magis est. BART.

46. RIGUI HORTI] Columella x. Horat.

——— *Irriguo nihil est elutius horto.* BART.

Palladius Februario: *Hoc mense ultimo cannabum seres terra pingui, stercorata, rigua, plana, atque humida.* Ita leg. ex MS. & Columellae lib. II. cap. x. à quo illa descripsit verbotenus. Quod horto cannabem assignaverit noster, secutus idem unus est Plinius lib. XIX. cap. IX. nam à cap. IV. usque ad finem ejus libri hortensia tractat Sed & Gratium illi ad manum fuisse crediderim cum scripsit inibi: *Ipsa cannabis vellitur post vindemiam ac lucubrationibus decorticata purgatur: optima Alabandica plagarum praecipue usibus* VLIT.

46. CUSTOS] Ab adsiduitate cultus, quod quasi custos perpetuus suo horto adfixus sit. Sic Ennius:

——— *ô Romule, Romule, dic ô,*
Qualem te Patriae custodem Dii genuerunt.

Horatius de Jove lib. I. Carm. XII.

Gentis humanae pater atque custos.

Manilius.

——— *Et rerum custos Natura latentum* BART.

47. CANNABIAS] Sequitur apud Plinium de eadem Alabandica cannabe: *Improbatur cortici proxima, ut & medulla: laudatissima è medio quae mesa vocatur.* Hinc patet cur cannabem stupam interpretantur vett. Grammatici. Stupa vocatur non cannabi tantum, sed etiam lini id quod cortici vel medullae proximum, ut modo dicebam. Plinius *medullam* quoque simpliciter vocavit lib. ult. cap. III. *Succina oleo addita flagrant dilucidius diutiusque, quam lini medulla.* quae indubitata esse lectio debet. Stupam omnino intelligit. Virgilius Aen. v. *Stupa vomens tardum fumum.* Sed Servius ibi *abusive linum* intelligi dixit. Ex quo loco Isidorus stupam dixit cannabi sive lini esse. Στυφεῖν est inspissare, interare spissim Hinc σύφη omne id quod infercitur sive vasis componendis, sive navium rimis. Livius alicubi, *interamenta navium* vocat, uti in omnibus codd. invenit Cl. Gronovius, à quo ille jam legi dignus prodit. Hodie etiam cannabis stupa ei rei inservit, ipsa cannabis retibus, & restibus. Nec aliter olim. Plinius ibidem: *utilissima funibus cannabis.* Et mox: *optima Alabandica plagarum praecipue usibus* Nam funibus ipsa stupa cannabia sufficiebat. Unde *linea arma* pro fune infra: & *stupea vincula* apud Poëtas. Retibus vel stupa lini, vel optimum cannabis deligebatur. Recentiores *cannabum*, non *cannabem*, mutato etiam genere dixerunt. *Stuppam* quoque pro *stupa*, ut mille talia. VLIT. Densam Cannabis segetem vocat *sylvas Cannabias.* JOHNS.

47. SILVAS,] Omnia censentur *silvarum* nominib. quae ubertim proveniunt. Vide Servium ad Aeneiden primam, ejusdemque exscriptorem perpetuum Isidorum Originum lib. XIII. cap III. BART.

47. COMMODA] apta. Ovidius.

Romule militibus scisti dare commoda solus.

Hinc *commodum*, apte, atque ipso in optato tempore valet. Quo usus Appulejus saepissime. *Commode* ejus vicem Columella lib. XI. cap I. *Commodare* apud Papinium Thebaid. IV. BART.

47. QUA] Ita locum protulerunt Editiones uni-

Armamenta operi: gravis est tutela sed illis,
Tu licet Aemonios includas sentibus ursos.

Tan-

VARIAE LECTIONES.

48. F. (*gravis est tutela sed illis,*) ut reliqua inter se continuentur; haec a. ad v. 50. spectent. VLIT.

49. *Retibus*] Ita MS. & P. *sentibus* A. *Aemonios*] Steyn. *Haemonios. Retibus.*] A. Steyn. *Sentibus.* forsan non male. JOHNS.

NOTAE.

universae, nullo plane sensu

Cannabias nutrit Sylvas quam commoda nostro
Armamenta operi. ———

Quippe temeritate librariorum addita lineola quae solebat litteram *m* designare transiit in *quam*; verum hac adempta evadit denuo sensus clarus & apertus, & constructio facilis,

——— ——— *qua commoda &c.*

hoc est *custos ille nutrit cannabias Sylvas, unde* i. e. *ex qua regione commoda operi venatorio armamenta preveniunt.* quo nil planius; sed melius editores consuluissent huic depravatae lectiunculae, si puncto admirationis statuto fulcire tentassent. BRU.

48. Armamenta] Quae toties *arma* dixit. Instrumenta. Sic *armamenta vinearum* apud Plin. lib. XVII. c. XXI. ὅπλα vocat Oppianus Cyneg. I.

Καὶ μὲν τόσσα φέροιτο ποτὶ κνημοὺς ξυλόχους τε
Ἐργοπόνοι, κρατεροί, θήρης ἱμερόεντος ὅπλα.

Ubi postea & casses & retia illis ὅπλοις accenset. Sic ligones & rastra *arma* vocat Vegetius Renatus lib. I. de Re milit. cap. III. BART. Arma, instrumenta, vasa. passim. sic Graeci ὅπλα. JOHNS.

48. Gravis] Difficilis, dura. non facile ea ait à vitiis, quorum rapacia sint, custodiri posse. Sic *graves discordiae* apud Boëth. Ad quem plura de vi hujus vocabuli scripsimus. BART.

48. Tutela] At difficile est tueri illa. JOHNS.

48. Sed illis] Id est, valide stationem suam tuebuntur, ne qua fera perrumpat, ne Aemonii quidem ursi. Grammaticum hic, & aliquoties ago, quia miser Interpres etiam hanc suam artem non satis calluit, quem hic τὸ *sed* non disjunctivum sed copulative positum fugit, & in partes fugavit à Gratii mente longe diversas. VLIT.

49. Haemonios] Thessalicos. maximos & ferocissimos. JOHNS.

49. Includas] Certa enim spacia, intra quae fera latere putatur, retibus ambiuntur. Unde *claudendi* verbo ad hanc rem saepe usi scriptores. Seneca.

Picta rubenti linea penna
Vano claudat terrore feras.

Nam ex uno latere spatium pinnato claudebatur, cujus formidine cogeretur in adversa retia bestia. Nemesianus.

——— *volucresque metu concludere praedas.*

Ovid.

Nec formidatis cervos includite pinnis.

Aliter fluvio à tergo claudebantur, à fronte retibus, ferae. Virgil. lib. XII.

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut caeruleae septum formidine pinnae
Venator. &c. ——— BART.

Sic *apros concludere* Plinio supra astruebam. Seneca lib. I. de Clem. *Sic feras lineis & pinna conclusas contine.* Nam & *continere* idem alibi eodem significatu usus est: *Nec mirum est quum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat.* Ubi male *conterreat* reponi vult novus ad Rosinum Exercitator. Seneca Hippolyto;

Picta rubenti linea pinna
Vano cludat terrore feras.

Non succenseam magno Pythoeo, cui tantum debent hi authores, si ex Cod. suo hic *retibus* pro *sentibus* supposuit. Sed videtur Turnebum secutus, qui *cassibus* legendum mandavit. Hoc scio, ex conjectura non debuisse mutari vocem, quae in omnibus editis erat. Unde etiam Bargaeus in Cynegetico suo *includere sentibus* mutuatus est, & luculenti periphrasi explicuit. Sed alia etiam ratio subest cur potissimum *ursos includere sentibus* dixerit Gratius. In majorum ferarum, aprorum maxime, venatione, ubi cubile jam indagatum est, quod illi plerumque in densissimis silvis habent, solos aditus ferae expansis cassibus obstruere moris est. caetera ut natura sunt impervia relinquunt, aut sicubi interval-

lum,

Tantum ne subeat vitiorum pessimus humor,
Ante cave: non est humentibus usus in armis;
Nulla fides. Ergo, seu pressa flumina valle
In-

VARIAE LECTIONES.

50. *Humor*] *Udor* G. & B.
51. Leg. *usus in armis. Nulla fides. Ergo*, &c. VLIT.
51. *Armis*] Vet. Libri sic interpungunt, *Armis. Nulla fides ergo*, male. adeoque recte mutavir Vlitius. JOHNS.
52. *Valle*] *vallo* G. *presso fl. vallo* B.

NOTAE.

lum, aut periculum est ne exitum sibi faciat, caesis ad id arborum ramis & sentibus ea circumsepiunt, & claudunt. Xenophon cap. XXVI. ὑπὲρ δὲ ἑκάστης ἐμφράττειν τῇ ὕλῃ καὶ τὰ δύσορμα, ἵνα εἰς τὰς ἄρκυς ποιῆται τὸν δρόμον, καὶ μὴ ἐξεκκάττωσι. quae ita verti: *utrinque vero sentibus omnia obstruenda sunt, etiam ea quae invia, ut recto in casses cursu feratur, neutiquam declinans.* Interpretes nihil agunt, & retia confingunt, quae nulla in aprorum illa venatione adhibuit Xenophon, ut apud ipsum ostendam. Unum hic Apulejum addam, qui & superiora confirmet, & ipse hinc lucem capiat. Metamorph. VIII. *Jamque apud frondosum tumulum, ramorumque densis tegminibus umbrosum, prospectu vestigatorum obseptis campis, canes venationis indagini generosae mandatae cubili residentes invadere feras immittuntur: statimque solertis disciplinae memores partitae totos praecingunt aditus.* Quo loco vera lectio esse mihi videtur, quae in optimae notae MS. cod. Ursiniano reperitur: *obsentitis campis.* nova voce, sed apud Apulejum. *Obsentire campos* est *includere sentibus.* VLIT. Venatoria prorsus locutio. Sic, *claudas rete leaenas*, Ovidio V. Fast. Lucanus lib. VI. initio:

Et silvas vastaque feras indagine claudit.

De Caesare muniente castra, μεταφορικῶς. Nec aliter Plinius Panegyrico, *mille poenarum indagine inclusos*, dicit delatores. Et Ammianus lib. XXIX. *Ita ut ferarum occulta vestigia doctus observare venator, multos intra casses lugubres includebat.* Sidonius Anthimiana Panegyri:

Inventas agitare feras, aut fronde latentes
Quaerere, deprensas modo claudere cassibus arctis.

Ita distinguendum. Triplex enim venandi genus proponit, δρομαῖον, ἰχνευτὴν, & ἐνεδραῖον; quorum ultimum, ut in commentario ostendi, ad apros potissimum spectat, qui plerunque in densis stabulantur senticetis. Unde Horatius venationis, quam tantopere totiesque laudat, non imperitus, lib. III. Ode XII.

Celer alto latitantem fruticeto
Excipere aprum.

Ubi *arto*, malim ex Cruquiano Cod. id est, denso, spisso. Sic enim Silius lib. IX. in apraria venatione:

Depreadit spissis arcana cubilia damis.

Xenophon major de apris item: κατακλίνεται γὰρ τὸ θηρίον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ εἰς τοιαῦτα, puta ὑλώδη. Qui itaque tuto hos in talibus cubilibus deprendere cupit, sentibus eos undique includere satagat, ut illi apud Apulejum Metam. VIII. Et hinc tralaticie Job cap. XIX. vers. 8. *Semitam meam circumsepsit, & transire non possum.* Nisi potius de indagine intelligas, ut hic Gratius: & LXX. Κύκλῳ ἀνῳκοδόμησέ με Atque saepe ita Psalmista. VLIT. *in Add.*

49. HAEMONIOS] Thessalicos. maximos & ferocissimos. JOHNS.

49. RETIBUS] Logi Edit. *sentibus*. quam lectionem tuetur Vlitius. frustra. jam enim de retibus agitur. JOHNS.

50. HUMOR,] Cannabina retia maxime ait custodienda ab humore. In Veteri Ed. non *hamor* sed *ader* diserte excusum est. Quam veram scripturam puto, maxime cum in memoriam subeat idem vocabulum omnium applausu alteri non minus Latino Poëtae restituisse eum, cujus omnis vox auctoritas est, Jos. Scaligerum. BART.

51. USUS] Utilitas. Plautus ita saepe. BART.

52. FIDES] Ad res inanimas ab hominibus defertur *fides*. Ita *ingrati* vocabulo supra usus. Ita *fidus ensis* Deiphobi apud Virg. lib. VI. *Perfidus ensis*, qui in media pugna frangitur, Turni apud eum-

Inter opus, caussaeque malum fecere paludes:

Sive

VARIAE LECTIONES.

53. *Inter*] Steyn. *iter. Clausaeque malum*] Alii *crassaeque modum*. Ut fortassis legendum sit, *crassaeque udum*. PITH. A. Steyn. P. Lugd. Vlit. *causaeque malum*. unde conjecit Gronov. *clausaeque malum*. quod in contextum recepi. JOHNS. Ita MS. & P. Vide comm. Gronovius mavult; *clausaeque malum*. Ut tam paludes, quam flumina, intelligantur retibus vel indagine septa, ac clausa. VLIT.

NOTAE.

eumdem lib. XII. &c. BART. Distingue: *non est luminibus usus in armis, Nulla fides. Ergo, seu pressa*, &c. vide quae ad v. LX. annoto. VLIT.

53. INTER OPUS,] Si subitus torrens vallem illabatur, dum retia extensa sunt. In Vet Ed. *vallo*, scriptum lego. Si subita vi flumina vallum supergressi fuerint. Sane videtur genuina scriptura Gratii probari posse.

——— *Seu presso flumina vallo*. BART.

Barthius: si subitus torrens vallem illabatur, dum retia extensa sunt. Tum ex Cod. suo sibi legit; *seu presso flumina vallo*. An Gratius tam praepropere ad venationem inermis adhuc ruat? Imo in linificio adhuc totus est, & cannabis recens evulsae expansionem intelligit, quae *lucubrationibus decorticata purgatur*, ut vidimus apud Plinium. Hoc opus, hic labor eorum fuit, quos *stuparios* vocat recentior Latinitas. Glossae antiquae: Καννάβιον, *stuppa*. Καννάβαριος, *stupparius*. Isidorus: *Stipatores dicuntur, qui in vallibus stupam componunt*. Si itaque vallem illam in qua cannabis exposita erat, flumina presserint, sive paludes humectaverint, sive imber perfuderit, quomodo praeveniendum ne imbibant humorem aut putredinem lina, paucis expedit Gratius. Memini tamen aliquando credidisse hic de modo illo mergendi palude vel fossa cannabem, quo hodie eam macerant rustici, agi; ut si nimium macerata fuerit, tum vento vel fumo eam siccari voluerit Gratius. Nam & hoc quoque hodie fit, ut super cespitum rogo & densissimo fumo evaporentur. Sed antiquos id factitasse nondum comperi, ut sententiam mutem. Quanquam jam ante CCCC. & amplius annos Fredericus Imp. in Constitut. Siculis, lib. III. Tit. XXXV. edixerit, *ut nulli autem modo liceat in aquis cujuslibet civitatis, quantum milliare ad minus protenditur, linum vel canabum ad maturandum* (f. *macerandum*) *ponere, ne ex eo aëris dispositio corrumpatur*. Sed & de lino in candorem macerando, alia res est, de quo Plinius, & super eo multa Salmasius ὁ πάνυ. VLIT. Sic Ovidius VII. Met. *Inter opus tauros concidere*. & VIII *Inter opus montusque genae maduere*. Caeterum de lino fumigando, quod sequitur apud Gratium, lucem potest dare obscuro Esaiae loco, quem repetit S. Matthaeus cap. XII. v. 20. ubi λίνον τυφόμενον, *linum fumigans* Veteri, dicitur à Domino non extinctum iri. *Quia deserto lumine facit putorem*, inquit Augustinus Quaest. Evangel. lib. I. Puto scripsisse, *deserto flumine*. Ita enim revera evenit inter macerandum, si aqua deficiat. Quapropter Fridericus Imp. ante aliquot saecula merito cavit lib. III. Sicular. Constitution. Tit. *de aëris conservatione* XXXV. *ut nulli autem modo liceat in aquis cujuslibet civitatis vel castri vicinis, quantum M. ad minus protenditur, linum vel canabum ad macerandum ponere*. Ita quippe legendum, pro *maturandum*. VLIT. *in Add*. Dum retia tensa sint. JOHNS.

53. CAUSAEQUE MALUM] Turnebus legit.

——— *Crassaeque madefecere pal*.

Qua auctoritate, nescio. Nam ratio sane mutationem illam vix admittat. Seu Paludes, inquit, caussa sunt malo. Sed videtur Gratius scripsisse.

——— *Clausaeque*.

Nam tanto spatio retibus obducto, nonnumquam supra paludeis ei extendi videmus. Ideo ait clausas paludes nocere cannabinis retibus. Nihil verius In Veteri Editione nihil mutatum video. Eodem sensu & *valle pressa* accipi potest. Nam retibus in planicie aut vallibus dispansis, fieri saepe potest, ut flumina una premantur, ne ferae per illa fugam subeant videlicet. Sed illa tamen, *Inter opus* priorem suggerunt sententiam BART.

53. CAUSSAEQUE] Leg. *clausaeve*. *Malum* vocat damnum. Plautus Curculione.

Item

Sive improvisus coelo perfuderit imber:
Illa vel ad flatus Helices oppande serenae,

VARIAE LECTIONES.

55. *Flatus*] Ita MS. & P. & Turn. Vlit. *fluctus* A. & Steyn.

NOTAE.

Item genus est Lenonium inter homines, meo quidem animo,
Uti muscaeque, culicesque, pedesque, pulicesque
Odio est, malo & molestiae, usui bono nulli.

Parique modo *pestiferas undas* dicit Columella libr. x. quod elegantissimum carmen, octidnum unum est, cum ad amussim recensuimus. BART. Hic unus eruditorum omnium qui Gratio manum adhibuerunt communis scopulus. Lectionem hanc cum in cod. suo invenisset magnus Pythoeus, in editione sua non ausus fuit immutare, quam gratiam illi debere fateor. Sed in notis ubi citaverat, alias *crassaeque modum*, quomodo omnes ante eum editiones habuerunt. conjicit. *crassaeque udum.* Turnebus, *crassaeque madefecere paludes.* Novissime Barthius, *clausaeque*, vel ut postea maluit, *clausaeve malum f. p.* Nolo ego eandem cum illis farinam terere. *Caussae malum*, est corruptionis malum. quae vocis hujus notio à Medicis petita. Celsus lib. 1. *Caussae evidentes vocantur in medicina in quibus oritur malum.* Ita lego, pro *quaeritur malum.* Plinio nihil frequentius, quam *mederi caussae*, vel *caussationi.* *Caussa* pro morbo, & *caussatio* quoque apud Palladium lib. 1. Tit. iv. Hinc reliqui Medicorum filii *caussarium locum* dixerunt non tantum qui dolore afficeretur, sed a quo primum affecto reliqua vitium trahunt. Merito itaque & in canum medicina toties voce hac usus Gratius, nullibi ab interpretibus intellectus: *Causasque affectusque canum.* ubi reliqua loca, in quibus *causas* pro morbis posuit, congregabo. VLIT. i e. retibus clausae. Ita (*clausae*) lego, Barthium, Gronovium secutus. Turnebus conjecit. *crassaeque madese*: Pithoeus *crassaeque udum.* Vlitius *causaeque malum* defendit; & causam pro morbo inveniri apud medicos probare conatur. at mihi non probat. JOHNS.

55. FLATUS] Correctio Turnebi est. Cum alioqui legeretur, *fluctus.* Quae lectio tam absurda est, ut mutari facile debeat. Cum Helice serena fluctus non movet, oppande vestes. Tamen constat omnibus vestes in littore suspensas uvescere potius, quam serescere. Itaque optima emendatio summi Critici. *Flatus Helices serenae* sunt *leves aurae*, quae per serenam noctem spirant. Illis vero vestes siccescere, omnibus est notum. Quod vestes in littore uvescant docet Lucretius:

—— Fluctifrago suspensae in littore vestes
Uvescunt, eaedem dispansae in Solo, serescunt.

BART. Optimam hanc lectionem à Turnebo Pythoeus primus dedit, ante quem in editis fuit, *ad fluctus.* Plinius de cannabe: *Semen ejus cum est maturum distringitur, & sole, aut vento, aut fumo siccatur.* Eodem plane ordine quo Gratius de ipsa cannabe, nisi quod solem neglexerit. Lucretius hoc illi suppeditare poterat lib. 1.

—— Fluctifrago suspensae in litore vestes
Uvescunt; eadem dispansae in sole serescunt.
At neque quo pacto persederit humor aquai
Visum est, nec rursum quo pacto fugerit aestus.

VLIT. Olim *fluctus*, nullo sensu. recte Pithoeus mutavit. JOHNS.

55. HELICES] Vlitius hic silet. at Gronovius locum tibi explicatum dabit, L. 2. Observ. cap. 13. *Helice serena*, est Boreas *αἰθρηγενέτης, ὁ αἰθρίας καὶ εὐδίας αἴτιος.* Ideo Ovidius diluvium commissurus.

—— Aeoliis Aquilonem claudit in antris
Et quaecunque fugant inductas flamina nubes.

Seneca. *Suppressis Aquilonibus & flatu sicciore.* in ventum expandi vult retia, si humorem contraxerint, sed eam regionem venti unde maxime aridus spirat. JOHNS. Ita locum exhibent cunctae editiones post Turnebi correctionem:

Illa vel ad flatus Helices oppande serenae.

Sed operae pretium est ut de novo examinemus, Helice nunquam inter Latinos designavit ventum, sed nomen erat Poëticum sideris, de quo sic loquuntur veteres Poëtae, sive de ursa majore Ovid. in iv. Fast.

Esse duas arctes quarum Cynosura petatur
Sidoniis HELICEN Graja carina notat.

Valer. Flacc. 1, 17.

Vel caligineo laxanda reponito fumo.
Idcirco & primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis accenderit annus
Ignibus & claro Plejas se prompserit ortu.

Im-

VARIAE LECTIONES.

57. *Idcirco.*] *Iccirco.* Steyn.
58. *Annus*] MS. *annos.* forte, *annum.* Vlitius.

NOTAE.

—— *neque enim Tyrias Cynosura carinas*
Certior, aut Grajis HELICE servanda magistris.
Manilius.
Majoremque HELICE major decircinat arcum.

Itaque vox Helice huc nullo modo pertinet. Sed ab imperito quodam librario hic intrusam fuisse reor, qui inveniebat *Phoenices*, atque nescius erat illos placidos & leniter spirantes ventos, qui per tractus maxime aestivos Italiam petunt ita nominari; vox enim illa rari usus antea, tunc in desuetudinem omnino abierat, declinante linguae Romanae puritate, & imperitus iste maluit suis astutiis nisus, ex Poëtis verbum sibi notum proferre, quam verum & antiquitati consentaneum, quod ille ignorabat, in textum admittere. Sic prodiisse ex manibus auctoris etiam audeam conjicere

Illa vel ad flatus PHOENICES *expande serenae.*

Plinius in cat. ventorum. PHOENICEM *media regione inter Brumalem* & meridiem. Agathemerus μέσον Εὔρου καὶ Νότου ΦΟΙΝΙΚΑ τὸν δὲ Εὐρόνοτον. Hisce indiciis ita claris patet, extitisse olim inter veteres tale nomen venti, quod omni modo respondet consilio Gratii, & cum carmine optime quadrat, nam dipthongus illa in propriis nominibus pro communi habita nonnunquam videtur, ut *Cyclopeia saxa* apud Virg. Aen. 1, 205. *Maeotis hyems* Ovid. 1. Trist. quod ibi vocalis *a* sequatur, ut volunt; sed & alias indulsisse sibi Poëtas, veresimile est. BRU.

55. SERENAE,] Sic *noctes serenas* dixit Lucretius. Quujus ea phrasis ambitiose à Criticis exposita Fulgentius.

Humor algens, quem serenis
Astra sudant noctibus. BART.

56. CALIGINEO] Densum fumum fieri praecipit. ut videlicet citius siccescant uvida retia. BART. Ut citius siccescant uvida retia, Barthius. Ego jam dixi statim, cannabem decorticatam ita solere fumigari. Itaque & *arma* videtur vocasse lina, quibus retiarius se ad opus suum accingit. Eligat lector. Certe funem quoque pinnatum *arma* vocat paulo post. VLIT.

56. LAXANDA] Gronovius *siccanda.* at nihil muto. retia enim eo laxiora, quo ficciora. JOHNS.

57. IDCIRCO] Hic Vlitius Barthii erroribus semper imminens & infensus ipse videtur errasse. Nam priores octo versus interpretatur, de lino nondum confecto, & de expansione cannabis recens evulsae. At jam de retibus agit, sub folio *armorum* nomine, monens cavendum esse ne humorem contrahant, & si forte contraxerint, siccanda esse vel sole vel fumo. Quam ob rem vetant artifices ipsas linorum messes tangi, priusquam maturo aestu siccaverit annus. Si enim linum imbiberit humorem, tanto serius respondebit usui, *i. e.* usui aptum erit, & fiet impar tangi, nisi curá vincitur & vitium sanatur. magnum hoc opus est. JOHNS.

58. MATURIS] De duplici hujus vocabuli potentia vide Charisium lib. II. Et Commentaria nostra ad Claudian. I. Eutrop. *Maturus* hoc loco, qui in ἀκμῇ ipsa. Sic *agni maturi* apud Columellam libr. XI. *Virgo matura.* Appul. lib. VIII. *maturum malum.* Plaut. *matura lues* apud Lucanum libro I. BART.

58. MATURA IGNIBUS] Reddidit illa Maronis ex Georg. lib. I.

Pulverulenta coquat maturis solibus aestas.

Accendere τὸ *coquat*, *ignibus soles*, *anno aestatem* refert. *Lini* enim *maturitas flavescente colore intelligitur*, ut ait Plinius VLIT.

59. PLEJAS] Ipso tempore messis frumentariae. Hesiod. lib. 2. ἔργων.

Πληϊ-

Imbiberit, tanto despondet longius usu,

Ma-

VARIAE LECTIONES.

60. *Longius usu*,] *Langer usu*. MS. *longior usus*. B. *longior orsu*. A. & Steyn. Parif. Lugd. & Pith. qui in v. c. notat esse *usu*.

NOTAE.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

De satione lini Columella & Palladius. Excerpta etiam Graecorum Geoponicorum lib. III BART. Plinius de lino: *Vere satum, aestate vellitur*. Avienus Arati Paraphrastes de Plejadibus:

Nec minus arentis cum crine attollitur aestas,
Et cum cana comas redit anno bruma rigenti,
Tempora designant: nam si se gurgite tollunt
Vergiliae, curvas in flava novalia falces
Exercere dies: si condunt aequore flammas,
Tellurem presso proscindere tempus aratro.

Quae vulgo etiam in opt. Editione corruptissima. Vult igitur Gratius simul cum reliqua messe, non ante, ut solet primas messes facere, vellendum linum. VLIT.

60. IMBIBERIT,] Irreparabile damnum hoc loci factum est. Vetus editio etiam pejor hoc loci vulgatis recentibus est. Totum enim istum versum miris mendorum prodigiis obsitum habet. Sensus amissorum versuum videtur fuisse commendatio retium, & id genus armorum venationi necessariorum. Quam exemplis postmodo confirmat eorum, qui, licet Diis chari essent, sine his adminiculis venationes aggressi, à belliis sunt interempti. Porro de sensu verborum divinare, cum potior pars perierit, ariolari esset. BART. Irreparabile damnum, vet. suam sibi editionem peiorem hic vulgatis, & prodigiose mendosam esse, ait Barthius, tum intercidisse commendationem retium, aliaque mera deliria. Turnebus distinctione putavit levicula tantum opus esse; quam non video à vulgari ullo modo differre. Pythaeus ex V. C. citat: *longior usu*. Unde veram lectionem dedi:

Imbiberit, tanto despondet longius usu.

Longius, ut compendio scribi solet, abiit in *longio*, & sic *longior*, quod mille exemplis probare possem. *Despondere* insitata vox librariis visa, etiam apud Plinium lib. XVI. cap. XXXIII. ubi *solo desponso* cupressum *non appellatam* nasci videtur annuere. Nam MS. cod. vetustissimus *desponso* habet, quod pro *è spenso* accepit Salmasius. A quo Viro hoc malim accipere, quam meum probare, nisi & illud sibi patiatur deberi, utpote sine quo vel vulgata contenti esse debuissemus. *Despondet usu* linum, cum votis retiarii non respondet. *Despondet solum* cum nihil producit, & *votis avari agricolae non respondet*, ut locutus Maro. Absolute turdos caveis clausos *despondere* dixit Columella lib. VIII. cap. x. Si *usum* legas, vulgatior locutio erit, ut *despondere animum*. Ordo tamen verborum idem: Linum, si non tantum aliqua occasione humectatum fuerit, cui praesenti occasione medendum docuit, sed humor vitiorum pessimus etiam imbiberit, tanto longius abesse ut usum patiatur, imò ne tactum quidem, nisi cura vincitur, quod magnum opus est. Itaque & hic medicos sequitur, qui primo praevenire morbos cautione docent; si inciderint, medentur; si perstiterint, extremis malis extrema remedia adhibent, ex Hippocratis dicto, vel ut noster infra: *in subito subita est medicinae tumultu*. Non aliter de lino hic. Primo cavendum *ne humor subeat*, quia *non est humentibus usus in armis. Nulla fides*. Ergo si vel à flumine, vel à palude, vel ab imbre perfusa fuerint, sole vel fumo siccanda, ut usui suo restituantur. Tum abrupta methodo interjicit de praeveniendo eo tres versus, qui ad primum membrum referendi; nisi quis post hos duos trajici malit. Quo tamen opus non est, si suam Poëtae licentiam non denegamus. Igitur rediens ad methodum, cum imbiberit humorem linum, vel, si mavis, humor ipse, longius usu suo despondere, quia tangi quoque impar, gradatim pergit, & majus opus, majoremque curam subnasci debere ostendit. Quod *imbiberit* per *ἀκαταλληλίαν* dixerit, cum non de lino, sed *linis*, *armis*, *armamentis* praecesserit, facile feret qui plura talia ad v. DIX. à me annotata leget. Haec itaque abunde sufficient, quibus audaciam mutati à me textus approbem. VLIT. Elegans mehercule ellipsis, quam vel ringentibus omnibus criticae Grammaticaeque artium osoribus, τοῖς

εἰα-

Magnum opus, & tangi nisi cura vincitur impar.

Non-

NOTAE.

ἀσυνδέτως, exemplis aliquot obiter illustrabo. Subintelligitur autem τὸ *si*. Sic enim saepe Ovidius. Epistola Phaedrae:

——— ——— ——— verba precantis
Perlegis, & lacrimas finge videre meas.

Nimirum, *si perlegis*. Lib. I. Amor. Eleg. IV.

Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse jubeto.

Et lib. V. Fastorum:

Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba,
Reddebat tales protinus ore sonos.

Pro, *si dixisset*. Plautus Milite Glorioso, Actu III. Scena I *Sacrificant, dant inde partem mihi.* Seneca Consolat[illegible]d Marciam cap. VII. *Par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta, libeat, facultas.* Id est, *si libeat*. VLIT. *in Add.* Subaudi *si*. fuit eum conjicerem, *Imber erit*. nec adhuc poenitet me conjecturae. JOHNS. Sequentes versiculi mendis scatent, omnes fere codices diversas lectiones exhibent, neque ibo inficias aliquid intercidisse: nam Poëta qui hactenus de cura linorum atque retium textura disseruerat, nunc subito & abrupte in totam materiem transit.

,, *Magnum opus, & tangi nisi cura vincitur, impar.*
,, *Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum*
,, *Semideos, illi aggeribus tentare superbis*
,, *Ire freta; & matres ausi tractare deorum:*
,, *Quam magna mercede meo sine munere sylvas.*

Ita impressi se habent versus in codice Vlitiano, sed cave ne ad priora referas primum carmen, MAGNUM &c. nam sic patet sententia, & forsitan unus versus intercidit. *Magnum opus, cui impar est ingenium sine arte & studio; nam primi homines, quos historia prisca pro semideis celebravit, etsi molibus exstructis freta transirent, Deasque ipsas vi raperent, tamen non sine damno venationem nuda virtute exercebant.* caeteri locum multo pejus inquinatum exhibent. Sed nota, illi *aggeres superbi* multas molestias creaverunt interpretibus Gratii; Vlitius ad Gigantes refert; sed sine dubio illi aggeres pro primis navibus capi debent, quae quasi moles in aquis videbantur hominibus navigandi rationem ignorantibus. Vid. Val. Flac. 2: 353. BRU.

60. LONGIOR] MS. *Langer usu.* Logi; Edit. *longior orsu.* Pithoeus è veteri codice, *longior usu*, recte pro *usui*. Vlitius hunc locum sic legit; *tanto despondet longius usum.* Nesciebat scilicet, *tanto longius* idem valere quod tanto serius, tanto tardius, tanto longius à tempore demessionis. JOHNS.

60. ORSU,] Videtur scripsisse Gratius.

Imbiberit, tanto respondet longior usus.

Ut de labore antea dixerit. *Imbibere* haud dubio pro dicere posuit. Lucr. lib. III.

Qui petere à populo fasces, saevasque secureis
Imbibit ———

Idem. *Ut ex ira poenas petere imbibat acres.* Id est quod sequior Latinitas *praesumendi* verbo extulit. Ita Ciceronem etiam, Livium, Arnobium, locutos notarunt Muretus & Lambinus. Si, ait, imbiberit recte uti his armis, tanto longiorem usum venationis habebit. Hanc sententiam fuisse docet quod mox è contrario de illis loquitur, qui in principiis venationis interierunt. Sed in lacunoso loco divinare otiosum est. BART.

61. (MAGNUM OPUS) Sic inf. v. CXXVI.

——— ne tela relinquite Divae
Magnum opus. ———

Videtur hic dicere: Opus esse magnum, & quod nisi cura longa dometur, parari non possit, scientiam Venationis & armorum ad eam pertinentium usus. *Tangi* videtur dictum ab altitudine, quia res alti momenti sit. Quae figura frequens occurrit apud Poëtas. Summam igitur venationis non facile tangi aut capi ait, nisi à diuturna cura. Sic Lucretius.

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Ira enim humilior est, quam quae Deorum mentes tangere possit. BART. Non debuerunt haec parenthesi includi, ut Turnebo quoque suboluit. Est enim id quod infra dicit:

Scilicet ad magnum maior ducenda laborem
Cura. quamvis diversa re. VLIT.

61. VINCITUR] De hoc verbo vide Animadversiones litteratissimi Casauboni ad Suetonium. *Vinci* dicitur quod aegre & cum labore superatur. Tertullianus in Marcionem lib. V.

Et relevare gravi devictos funere mortis.

Tibullus lib. I.

Janua jam pateat uni mihi victa querellis.

Lucretius lib. V.

Succidere horrisono posse omnia victa fragore.

Boëthius de Consol. lib. I. Carm. II.

62. NON-

Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semideos, Illi aggeribus tentare superbis

Ire

NOTAE.

62. Nonne vides,] Facillime sensum hujus praecipitis digressionis assequere, si per cogitationem praemittas Xenophontis illa: *καὶ μηδεὶς αὐτὰ* (arma puta, & armorum artem) *φαῦλα νομιζέτω εἶναι, ἄνευ γὰρ δὴ τούτων οὐκ ἂν εἴη πρᾶξις.* Illa suum *munus* vocavit Gratius, non quidem nuda arma, sed artem eorum. Nam illi quoque, quos posuit, Semidei armis usi sunt (ut *Ancaeus geminis securibus*) sed violenter tantum, non arte temperatis. De his supra dixit:

——— ——— prius omnis in armis
Spes fuit, & nuda silvas virtute movebant
Inconsulti homines.

Violentos hos venatores merito culpat Gratius, quanquam ethnicus, quanquam ipse venationis amantissimus. Quo minus mirum toties eos in SS. scriptura in exemplum maximae cujusvis violentiae & crudelitatis traduci, aut quod venationem nunquam in bonam partem sumi adnotet Hieronymus, cum de hac semper loquatur SS. scriptura. Sed quod omnem ideo venationem à Deo damnatam colligant Theologi, non procedit. VLIT. Inter violentos illos venatores referendus & Orion, qui teste Arato in Phaenomenis, interprete autem Cicerone, *manibus violasse Dianam dicitur*, *excelsis errans in collibus.* quae latius Germanicus Caesar, & latissime Avienus Paraphrastes. VLIT. *in Add.*

62. Fabula] Historia JOHNS.

62. Veterum rerum] *Res* sunt Historiae, Res gestae veterum Semideorum. Fabula veterum rerum. De antiquorum gestis narratio. *Fabula* omne id est, quod fando percipitur. Vide quae ad Appulejum in hac Voce Indicis notamus. *μῦθος* Graecorum & verbum & figmentum hoc vocabulo utraque significatione à Latinis redditur. BART.

63. Semideos,] Heroas. Unum enim idemque haec duo denotant. Martianus Capella libro II. *A medietate vero aëris, usque in montium terraeque confinia, Semithei, Heroësque versantur.* Vide Jamblychum in mysteriis Aegyptiorum. BART.

63. Semideos, illi] hic articulus demonstrat *illos* intelligi, quos dixi violenter omnia egisse. Ut qui viribus fisi coelum & mare tentare, matresque deorum quavis via petere ausi fuerint. Quae etiamsi patraverint, ne sic quidem semper vi sua tutos fuisse dum venabantur, quia ars deerat, exempla docent. VLIT.

63. Illi aggeribus] Manifestum est sermocinari Gratium de iis Heroibus qui ab apris aut aliis feris armatis peremti, dum sola virtute non & dolo eas aggrediuntur. Tales apud Ovidium in Ibin *Idmon & Butes.* Alios alii. Sed locus iste turpissime conspurcatus est. Aggeribus quidem nullis omnino in his versibus opus est nobis. *Illi*, id est hostes, nam de feris, quas eo nomine censet, loqui, dubium non est. Aut scribendum. *Silvae* Quas pro silvestribus feris ponit, ut ỳ. LXV. ver. LXXX.

——— à vulture dirus avaro
Turbat odor silvas ———

Porro conjectura ducor Gratium scripsisse.

——— illi aggressus lethâre superbos.

Superbos aggressus, confidentiam dicit Heroum illorum, qui feras mira audacia aggrediebantur. Ita Ancaeus loquitur apud Ovidium.

Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis,
Invita tamen hunc perimet mea dextra Diana.

Quo sane superbius cogitare nihil poterat. *Lethare* pro occidere priscum & probum verbum, sed vulgo non satis usitatum, videtur loco omni corrumpendo, ansam dedisse. Ovidius lib. III.

Ut nemus intravit, lethataque corpora vidit.

Virgilius Culice.

——— Paris hunc quod lethat ———

Lethâre, lethavere. Mutatio haec à litteris parum abit, & sensum restituit optime. In veteri Editione opis hoc loco nihil est. Ait igitur superbos illos aggressus male cessisse Heroibus qui

——— nudis agitabant cuncta lacertis.

Aggressus pro ipsis aggredientibus dictos non mirabitur, qui Latinos Poetas legerit. Sic Propertius *errorem Herculis* pro ipso divo usurpavit. *Stuprum Clytemnestrae*, pro ipsa Adultera. *Stuporem corvi* pro ipso corvo Phoedrus fab. XIII. *Virtutem Horatii* pro ipso Horatio Virgilius Culice. *Furorem Enceladi*, pro Gigante furente Claudian. III. Cons. Hon. Et sexcenta tanta

alii.

Ire freta; & matres ausi tractare deorum,

Quam

VARIAE LECTIONES.

64. *Ire freta*,] Deest illa vox, *Ire*, in Ald. & Steyn. *Iret.* MS. & P. Pithoe. *Et mat.*] *Et* deest in Ald. Steyn. Par. Lugd.

64. *Tentare*] Vide ad Calpurnii Ecl. VII. vers. 9. Vlitium.

NOTAE.

alii. BART. Gigantomachiam stolidae illorum ferocitatis primum exemplar proponit. Eadem voce eadem in re ita usus C. Severus Aetna:

Construitur magnis ad praelia montibus agger.

Nec aliter autor Herculis Oetaei Choro I.

Qui vastus Briareus, qui tumidus Gyges
Supra Thessalicos constitit aggeres.

Lamias turres hic nobis erigit Barthius, & strenue, si usquam, augatur. Tum jurat legendum: *illi aggressus lethâre superbos*, pro lethavêre, & in sequenti:

Tres ferae amateres ausae tractare Deorum.

Quod ut persuadeat, dicit in sua sibi editione esse, *Tret fera * matres.* quam antea tamen dixerat nihil opis hic ferre. VLIT. Id est, montibus. Horatius lib. I. Sat. VIII. *Aggere in aprico spatiari.* Vetus Scholion, *in colle aperto*, exponit. Naso IX. Metam. *avidis comprenditur ignibus agger.* Puta, strues, *congeries*, ut postea vocat. Ammianus frequenter *aggeres* pro montibus ponit, etiam in Historia. Ut lib. XXI. *sub hac altitudine aggerum*, de Alpibus. lib. XXVII. *Aggerum altitudines* Thraciae attribuit, quas post paulo *montium altitudines* vocat. Eodem lib. *radices aggerum* dixit, & mox *clivos.* Atque ita deinceps saepissime; ne nimium exemplorum hic exaggeremus. VLIT. *in Add.*

——— *illi aggeribus tentare superbis,*
Iret freta matres ausit tractare Deorum.

Ita Pithoeus. in Logi Edit. deest *Iret.* Grotius legendum conjicit,

Aethera, matronasque ausi tractare ———

Heinsius,

Aethera, tum matres ausi attrectare ———

Vlitius, *tentare* absolute sumi credit, & *Ire freta*; tum *matres deorum* exponit feras deorum nutrices, & *tractare* pro vexare, affligere. detur & mihi conjiciendi locus: sic itaque lego

——— *coelum aggeribus tentare superbis,*
Ire freta, & matres ausos tractare deorum. JOHNS.

64. IRET FRETA, MATRES] Hoc loci tandem nobis ansam ad veram lectionem dedit Vetus Edit. In illa enim diserte scribitur.

*Tret fera * matres.* ———

Haud dubie scripsit Faliscus noster.

Tres ferae amatores ausae tractare Deorum.

Tres Dearum amatores ferae occiderunt. Quae nomina sint horum, facile ex fabulis quivis discet, ubivis obviis. *Tractare*, est vexare, affligere, ludibrio habere. Appulejus lib. VII. *An te nos tractamus inciviliter, qui nostrum asinum furatus abduxisti?* *Trahere* & *ludificari* conjungit Plautus. Tibullus:

——— ——— *Male nunc artes haec secula tractant.*

Plautus Milite:

Tum quod tractavisti hospitam ante aedes meas.

Hoc est, indignis modis injuria adfecisti atque divexasti. Idem eadem Scena.

Tractant & ludificant ingenuam & liberam.

Non dubitandum hanc veram esse lectionem Gratii. BART.

64. IRE FRETA,] Quanquam unica literula trajecta hanc verissimam ipsius Gratii manum agnosco, non debui lectorem arbitrio suo fraudare, ut non § παῖν Grotii conjecturam meae praeferre ipsi integrum esset, quam mecum Cl. Gronovius communicavit:

——— ——— *illi aggeribus tentare superbis*
Aethera, matronasque ausi tractare Deorum.

Qua proposita mihi animum cadere, & nimis angusta interpretatione mentem Gratii astrinxisse vereor. *Ire freta* Latinum tamen est, ut *rate currimus aequor* Maroni. Intelligit autem *prima Deûm magnis freta pervia nautis*, & Argonautarum temeritatem. VLIT. Probavit hanc conjecturam meam postmodum ipse maximus Belgarum (dum fata Deusque sinebant) Grotius; qui & per amicissimum mihi sibique domesticum interpretem institutum hoc meum in edendo Gra-

Quam magna mercede meo fine munere filvas
Impulerint: Flet adhuc & porro flebit Adonim
Victa Venus, ceciditque fuis Ancaeus in arvis,

Ut

NOTAE.

Gratio fubinde laudavit, animumque addidit. Sic Valerio Flacco lib. I. *It ratis.* Sic Silius lib. XII. *Sardoos iffe receffus.* VLIT. *in Add.* Ἐδωρήσατο γὰρ αὐτῷ Ποσειδῶν διαβαίνειν τὴν θάλασσαν. Apollod. Lib. I. Cap. 4. Sect. 3. Oriona intelligit. JOHNS.

64. Ausos] Nempe Oriona *integrae tentatorem Dianae.* Horatius L. 3. O. 4. & Ixiona. Phaedrus.

Haec merces fraudis à Superis datur.

——— *Quam magnâ mercede*,

quanto cum difpendio. JOHNS.

64. Matres Deorum] Feras intelligo, quae Deorum nutrices fuerunt; ut caprae quae Jovem, pantherae quae Bacchum lactaviffe narrantur. Vide Hyginum fab. CLIII. cui titulus: *Qui lacte ferino nutriti funt.* Deorum enim nomine & femidei & heroës cenfendi, ut notaverunt Viri docti. Si cui nimis longe petitum hoc videtur, per me licet Grotianam lectionem, vel faltem fenfum, quem illa facit, huic loco accomodet. Utcunque velis, *tractare* eft affligere, vexare, ut multis exemplis oftendit Barthius, viditque *mercedem* in proximo pro poena poni, fed male locum Virgilii huc traxit. Dediffet illum potius:

Hac gener atque focer coëant mercede fuorum.

VLIT.

64. Matres] Dianam, & Junonem. JOHNS.

64. Tractare] Sic Cicero lib. III. in Verr. *quemadmodum focii P. R. à magiftratibus noftris tractentur.* Id eft, vexentur. Idem in Manilia-na: *mercatores injuriofius tractati* Et ad Q. Fratrem: *Hortenfius me fceleratiffime infidiofiffimeque tractavit.* Et fic alibi, in pejorem plerumque partem. Quo fenfu & in Gallicam dialectum vox haec tranfiit, & inde etiam ad Belgas βαρβαρίζοντας. VLIT. *in Add.*

65. Mercede] *Poena.* Promifcue his vocabulis ufi Latini. Sic *poenam* pro mercede pofuit Virgilius Ciri.

——— *dictam Veneri votorum vertere Poenam.*

Id eft, mercedem nuptiarum five concubitus. BART.

66. Impulerint.] Scribe: *Impulerunt.* Notum Latinae Poëfi ambigua effe praeterita. Vide Gifanii Collectanea ad Lucretium. BART.

66. Flet adhuc] Ad Adonia Feftum Graeciae alludit, quo quotannis lugere fingebatur Adonim interemtum Venus. Bion ita fuaviffimum fuum Idyllium in mortem Adonis concludit.

Λῆγε γόων Κυθέρεια τοσήμερον ἴσχεο κόμμων,
Δεῖσε πάλιν κλαῦσαι, πάλιν εἰς ἔτος ἄλλο δακρῦσαι.

Ipfa Venus apud Ovid. lib. X.

——— *cujus monumenta manebunt*
Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget fimulamina noftri.

Vide Theocritum Adoniazufais, ubi omnem ordinem planctus egregie defcriptum habes. Paufaniam Corinthiacis, Firmicum de Err. Prof. Rell. Mythologiam ejus fabulae facile hauries ex Orphei Hymnis, fcilicet quia Adonis frugum fit aenigma, quotannis occidentium, & è terra revivifcentium. Primum enim πολύμορφε πάντων vocat, deinde fubjungit hos verfus.

Ὃς ποτε μὲν ναίεις ὑπὸ τάρταρον ἠερόεντα,
Ἠδὲ πάλιν πρὸς Ὄλυμπον ἄγεις δέμας ὡρόκαρπον.

BART.

66. Adonim] Confirmat conjecturam meam Doctiffimus Grammaticorum Hefychius: Ἄδωνις δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. Syrorum enim dialecto profertur ארנים, quod Hebraeis ארון vel ארני. Et hinc à Laconibus Κίρις & Κύρις id eft, Κύριος dictus. Idem Hefychius: Κίρις, λύχνος, ὄρνεον, ἢ Ἄδωνις. Λάκωνες. Ita legendum. Cypriis autem Κίῤῥις dictus, tefte Etymologo magno: ὁμοίως λέγεται παρὰ Κυπρίοις Κίῤῥις ὁ Ἄδωνις. additque παρὰ Λάκωσι δὲ ὁ λύχνος. Quod ex Hefychio male intellecto defumptum; nifi fcriptum fuerit. παρὰ Λάκωσι δὲ Κίρις, ὁ καὶ λύχνος. Utcunque id fe habeat, conftat faltem Adonidem hunc, inftar fummi numinis, Domini nomine, & multis ex veri Dei cultu mutuatis ritibus ae caeremoniis à gentibus iftis adoratum fuiffe; de quo plenius alias in libris de origine Idololatriae, Deo volente. VLIT. *in Add.*

67. Victa Venus,] Cl. Gronovius conjicit, *Icta*, Vetus Epitaphium:

Ictus ab angue puer, victa dolore parens.

Ictus domeftico vulnere, Agricola Tacito. VLIT.

67. Victa] Gronovius *icta.* nihil muto. Vi-

Ut praedexter erat geminisque securibus ingens.
Ipse deus, cultorque feri Tyrinthius orbis,

Quem

VARIAE LECTIONES.

68. *Ut*] Ita MS. & G. al. omnes, *Et*.
69. *Cultorque feri Tyrinthius orbis*,] *Cultosque ferit Tyrint. orbeis* A. Steyn.

NOTAE.

cta, *i. e.* dolore victa. JOHNS.

67. CECIDITQUE SUIS ANCAEUS] Ancaeus non unus fuit. Hic, quem loquitur, Oenei Calydonii filius, cum famosissimum illum aprum securi invasisset, ab eo occisus est. Vide Ovid. lib. VIII BART.

67. ANCAEUS] Ovidius Metam. VII. *Ancaeo nocuit temeraria virtus.* Non ille quidem coelum tentare, aut ire freta ausus, sed Matrem Deorum offendit, cui sacri fuerunt apri. Tacitus de Germanis: *Matrem Deum venerantur: insigne superstitionis formas aprorum gestant.* Nec melius Dianae litavit ille Adonis, quem & ipsum violentum venatorem fuisse etymon nominis indicat. Est enim plane Hebraicum, ארון, quod *dominum*, sed potentem quoque, significat. VLIT.

67. ARVIS] Heinsius ad Metam. Lib. 8. v. 313.

—— *Ceciditque suis Ancaeus in armis.*

rescribendum censet. Vulgo, inquit, circumfertur *in arvis*, quod manifesto falsum. Arcas enim erat Ancaeus, Lycurgi filius, & ab apro Calydonio in agris Aetolis occisus. quomodo ergo *suis in arvis?* cui facile assentior. Vide Apollodorum. Lib. I. p. 30 JOHNS.

68. UT] Malo *at*. JOHNS.

68. ET PRAEDEXTER] Phrasis simillima Catullianae.

Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene quam puella matrem.

In Veteri Editione exstat, *ut.* cecidit ut erat cum suis sibi securibus. Illud elegantius. BART. Ἀμφιδέξιος, περιδέξιος. qui utraque manu ut dextra utitur. JOHNS.

68. PRAEDEXTER ERAT] Agilis & aptus. περιδέξιος. Qui Latinis *aequimanus.* Nam Ancaeus utraque manu dexter erat, unde & securim potius, quam aliud telum gerebat. Ausonius.

Quis Mirmilloni componitur? aequimanus Thrax.

Non dubito eandem significationem *Praedexteri* voci dedisse Gratium; nam duabus securibus aliter uti non poterat Ancaeus. At de una solum Ovidius.

Ancipitemque manu tollens utraque securim
Institerat digitis primos suspensus in artus.

Apollonius Argon. I.

Ἀγκαῖος τ' ἄρ μιν ἐκ πατρὸς Λυκόοργος ἔπεμπε,
Δεξιτερῇ πάλλων πέλεκυν μέγαν ——

Idem. lib. II.

Καὶ τότ' ἄρ' Ἀγκαῖος Λυκοόργοιο θρασὺς υἱὸς
Αἶψα μάλα τ' ὄρουσε πέλεκυν μέγαν. ——

Ingentem dicit quod omnium Heroum corpora veteres majora usitatis finxerint. De quo alibi, & dudum pluribus docti. Forte autem Gratius geminam aciem unius teli circumloqui voluit, cum geminas secureis dixit, ne scilicet ab Apollonio abeat. Sed Poetae quod libet, licet Porro nec illud negligendum, suis in arvis Ancaeum occisum esse; erat enim ejus vineae dominus in quo ab Apro interemptus est. Vide Tzetzae Scholia ad Lycophronis Cassandram. v. CD LXXXVIII. BART.

68. GEMINISQUE SECURIBUS] Is est Nasoni, *bipennifer Arcas.* *Geminae secures* sunt utrinque acutae, & bipennes. Glossae Isidori: *Bipennium, bis acutum.* Ita legendum, non *Pennum*: id enim *ab una tantum parte acutum est instar securis*, ipso Isidoro teste lib. XIX. cap. XIX. Glossae Graeco-Latinae: *Bipennis*, δίστομος ἀξίνη. An δίστομος, ut δίστομα φάσγανα apud Euripidem? Eadem in aliis Glossis vocatur *Runa*, *ex utraque parte acuta*, uti ex Festo scribendum. VLIT. *Vlinis.* utrinque acutis. at *geminis* est duabus. ambidexter enim erat. JOHNS

69. DEUS,] Licet Herculem inter homines etiam versantem *Deum* dicere. Nam ex quo uberi Junonis adhuc lactens admotus est, & ab illo lac divinum duxit, immortalis fuit. BART.

69. CULTORQUE] Orbem enim ferum & barbarum ad colendos mores Hercules vi & ratione adegit, Tyrannos & Latrones omnes vita expulit. Vide ejus Vitae narratores. BART. Qui agros colit, sordes tollit. Ita orbem tot feris, tot monstris purgavit Hercules, & tanquam virtutis suae campum excoluit, quem morose nimis

70 Quem mare, quem tellus, quem praeceps janua Ditis
Omnia tentantem, qua laus erat obvia, passi:
Hinc decus & famae primus patravit honorem.
Exige, si qua meis respondet ab artibus ergo

GRA-

VARIAE LECTIONES.

72. *Famae*] *fama* B. Ed. *primus*] *primum* G. *patravit*] MS. *impetravit*. quod requirit *τὸ primum*. VLIT.

NOTAE.

mis moribus praefecit colendis interpres. *Colere* hortos, agros, propria significatio verbi est. Sed & *vitem colere* Palladio, quem obiter ex MSS. emendabo. Februario tit. XII. *Nam quae altius colitur plus quam octo palmites habere non debet, ita ut consideremus semper in inferiore parte custodem.* Vulgo male: *tollitur*, & *conservemus*. Jul. Firmicus lib. VIII. c. X. *Erit quoque vinearum & amator & cultor.* VLIT. Lactantius lib. VI. cap. XV. *Nam sicut in sentes ager, qui est natura foecundus, exuberat: sic animus incultus vitiis sua sponte invalescentibus, velut spinis, obducitur. Sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitiis, virtutis fruges oriuntur.* Cicero III. in Verr. *ager ipse cultorem desiderat.* VLIT. *in Add.* Qui orbem ferum purgavit monstris, Tyrannis, & animalibus noxiis. JOHNS.

70. MARE,] Nam in magno poculo mare tranavit ipsum. Vide Mythologos. BART. Erat enim Hercules ex numero Argonautarum. JOHNS.

70. PRAECEPS] *Facilis* enim *descensus Averni.* BART.

71. OMNIA TENTANTEM] Proverbiale quid nutrit haec locutio. Terentius Eunuch.

Omnia prius experiri quam armis Sapientem decet.

Ovidius lib. IX.

——— ——— omnia feci,
Sunt mihi Dii testes, ut tandem sanior essem.

Ita Polybius lib. IV. Dio Cassius lib. XXXVIII. & li. XL. Lucianus Fugitivis, Bion Smyrnaeus Epithalamio Achillis & Deidamiae, Eunapius Maximo, Aristenaetus lib. II. Epist. Lucanus lib. VII. Daphnis Rhetor libro I. Rutilii Lupi. Pacatus Panegyr. Theodos. Capitolinus Pio. Petronius Arbiter Satirico. Seneca ad Helviam. cap. XVII. Quorum verba alibi laudavimus. BART.

71. QUA] Unde laus parabilis erat. JOHNS.

71. PASSI.] Nullum hic est substantivum cum quo cohaereat, aut igitur *passa*. pro passa sunt, legendum; aut *pavit*, i. e. timuit, formidavit, ut amicus me monuit. JOHNS. Sollicitavit lectionem vulgatam Johnstonus, *pavit* vel *passa* reponens ex ea grammaticorum regula, qua pluribus substantivis cujuscunque generis adjectivum in genere neutro subjiciunt. Ut Sallustius in Catil. *Huic ab adolescentia, bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere*, & similia; sed ingrata est literae *a* repetitio *obvia, passa*. Mallem *pressit*. BRU.

72. PRIMUS] Vetus Edit. *primum*. Sane ante Herculem multi venatores fuerunt. Qui vero tot funestas feras occiderit, nemo. Quare videtur ita Gratius scriptum reliquisse. BART. MS. *primum impetravit*. quod Heinsio placet, & merito. JOHNS.

72. PATRAVIT] confecit, peperit; quod simili traductione dici solet. Ita *patrare bellum*, ad finem deducere. Sallustius. *Spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret*. Idem. *quae postequam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit*. Lucretius lib. V.

Quae facere intendunt, nec adhuc conata patrantur.

Cato cap. LIV. de R. R. *ubi sementem patraveris, glandem legi oportet*. Claudianus Bello Gildon.

——— bellumque negavit
Per famuli patrare nefas ———

Claudius Victor Geneseos lib. III.

——— ille Dei monitus servare lubenter
Adsuetus, raptim properat mandata patrare.

Capitolinus Maximo & Balbino. *resedisse apud Ravennam, atque illic patratam audisse victoriam.* Atque hujus verbi gratia obscoenitatis damnatum olim Sallustium auctor Quintilian. li. VIII. Instit. Orator. c. III. De quo usu vide Ill. Scalig. Castig. ad Catullum. & Durantium Variar. libro I. cap. IX. Herculem Gratius venatoribus accenset, exemplo Xenophontis, qui plurimos Heroas in aureolo hujus tituli libello. BART.

73. EXIGE,] Diligentius itaque considera, siquis usus, siqua demum opera meis ab artibus oritur, quae collata & quasi commissa cum fe-

GRATIA, quae vires fallat collata ferinas.
Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae
Instrumentum operis fuit, & non parva facultas.
Tantum inter nivei jungantur vellera cygni:

Et

VARIAE LECTIONES.

75. Tit. in MS. A. & P. & Steyn. *de Pinnatis conficiendis.* Vide Comm. *Immundo*] *Immundis* & *vulnere.* Steyn.

76. *Fuit*, *&* *non*] *fuit. Est non* G.

NOTAE.

ris, earum vires eludat JOHNS.

73. RESPONDET] Omnino legitima scriptura in prisca Editione superest.

——— *se spondet.*

Nemo inficiabitur, ita potius Gratium scripsisse. BART.

74. GRATIA,] Allusit ad nomen suum, ut & infra: *quem plurima semper* GRATIA *per nostros unum testabitur usus.* Frustra Barthius, *se spondet*, ex suo sibi cod legit. *Respondet* nomini ipsius Poëtae, vel promissis illis:

Carmine & arma dabo venanti, & persequar artem
Armorum.

τὸ ergo refert id quod subintelligendum monui ad v. LXII. nimirum necessaria esse arma. VLIT. Lucretius:

——— ——— *quid in mortalibus atque beatis:*
Gratia nostra queat largirier emolumenti.

VLIT. *in Add.*

74. COLLATA] Quasi pede collato. Vel sane *collata* est in medium data & communi usui praestita B·RT.

75. SUNT QUIBUS] Introrsum haec posita sunt, ut & supra v. XXV. & aliquoties in sequentibus, quoties novum caput & titulum habuit vetustissimus codex: quae servaverunt primae editiones, sed Pythoeus in magine apposuit, ne textus interrumperetur. Ego autem vestigio illi, quod dixi, relicto in variarum lectionum libellum relegavi. Non enim à Gratio, sed tamen non à recenti neque indocta manu apposita sunt. Hoc loco titulus fuit. *De pinnatis conficiendis. Pinnatum* Grammaticus vocat, instrumentum illud quod linea & pinnis constabat, & ab effectu *formido* dictum. Quod particulatim hic cum Gratio expediam, & plenius ad Aureliani Cynegetici finem absolvam. VLIT.

75. DECERPTAE] Carptae de immundo vulture. Saepe ita auctores compositis utuntur, quasi à praepositionibus etiamnum segregata forent Vide Commentaria nostra ad Indicem Apuleji BART.

75. VULTURE] Nemesianus.

Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur.

De *pinnato*, sive, ut dici volunt, *Formidine*, notarunt plurima docti, quorum scripta non compilamus. Vide Adr. Turnebum l. v. c. v. Adv. Nicolaum Loensem Miscell. l. VII. c. I. Christ. Rufum Antexegem. cap. VI. G. Canterum & Joannem Meursium ad Lycophronem. Petrum Colvium ad Apulejum. If. Casaubonum ad Apologiam ejusdem auctoris. Rittershusium ad Oppiani Cynegeticon IV. &c. BART.

76. INSTRUMENTUM] Servius ad ista Virgilii Aen. XII. *puniceae septum formidine pinnae*] *Pinnatum scilicet, instrumentum quoddam in fune ad terrendas bestias factum.* Ita forte scribendum. VLIT.

76. FACULTAS.] Opis, auxilium. In veteri Edit.

——— ——— *fuit Est non parva facultas.*

Sic fere eodem vocabulo usus Columella l. XII. c. XXXVIII. *sunt qui hunc ipsum expressum succum si sit ejus copiosior facultas, in tertiam partem decoquant.* Sed ibi copiam valet. Gratius autem pro usu seu potestate usurpavit. Qua quidem significatione non protritum arbitror. BART. Adjumentum; quia reddit artem venandi faciliorem. JOHNS.

77. INTER] Tmesis: *interjungantur.* BART.

77. VELLERA.] Plumas instar velleris concretas & conglobatas dicit. Alioqui *vellus* Poëtis quicquid mollitie ei simile & colore. Sic *nives.* Severus Sanctus Rhetor.

Quam densis fluitant velleribus nives.

Martial.

Aspice quam densum nivearum vellus aquarum
Depluat in vultus Caesaris, inque sinus.

Sic

Et satis armorum est. Haec clara luce coruscant,
Terribiles species: ab vulture dirus avaro
Turbat odor silvas, meliusque alterna valet res.

Sed

VARIAE LECTIONES.

79. *Species*] *Specie* G. *ab*] MS. *ad*.

NOTAE.

Sic mollicies Bombycini fili. Virgilius.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Ammianus Marcellinus lib. XXIII. *à quibus arborum foetus, aquarum aspergimibus crebris, velut quaedam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt.* Non minus eleganter *lanam* vocat tenerrimas cygnorum plumas, quaeque cuti proximae sunt. Martial. lib. XIV. Epigr. CLXI.

——— *requiescere pluma*

Interior cygni quam tibi pluma dedit. BART.

Anglice *Down.* JOHNS. *Vellus* proprie est manipulus sive *tractus lanae*, ut Tibullus & Tertullianus in Pallio vocant. *Vellera nivis* ab illis quos congessit Barthius non propter mollitiem aut colorem, sed à similitudine dicta. Iccirco Paulus Diaconus lib. XI. *Vera lana de nubibus pluviae mixta defluxit.* Nos quoque Belgae *flocken*, id est *vellera nivis* vocamus, à *pflucken* Saxonico, quod vulgo *plocken*, id est *vellere*, unde & *vellus* Latinis Varro lib. IV. de L. L. *Vellus dictum quod vellebant lanam.* Ita vellus plumam dixit Gratius quia vellitur, ut, *decerptae vulture plumae.* Non autem plumas instar velleris contextas & conglobatas intellexit, ut Barthius ariolatur. Quanquam & totas alas superaddiderit Oppianus lib. IV.

Ἐκ δ᾽ ἄρ᾽ ἀπιέρτης πτίλα μυρία πωυλανία,
Οἰωνῶν τε δίχροιαν ἀδελκαλλία ταρσά. VLIT.

Virgilius I. Georg.

Tenuia nec lanae per coelum vellera ferri.

Varro lib. IV. de L. L. *Vellus dictum quod vellebant lanam.* VLIT. *in Add.*

78. LUCE CORUSCANT,] Virgilius.

——— *& luce coruscus aheno.*

Et illud:

——— *plumae Instrumentum operis fuit.*

Exemplum habet in illo Aeneid. XII.

Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat,
Limes agro positus ———

De qua figura abunde Grammatici. BART.

78. CLARA] Claro sole. Ita Wafaeus nostras. forsan suo nitore conspicuo. post, *clara & pinguis pluma.* JOHNS.

78. CORUSCANT,] Huc illuc vibrant & emittunt. active sumitur. JOHNS.

79. SPECIES:] Hac voce solent uti Poëtae, cum incertae formae aliquid oculis objectum est. Exempla ubique obvia. Quare nec audimus Vet. Edit. in qua diserte excusum

——— *terribiles specie.* BART. Nimirum feris, quae variis istis coloribus terrentur. Cicero pro Quinctio: *minarum periculo & formidine, quibus territus cedat.* De hac re puto intelligendus. Ovidius idcirco *variam formidinem* dixit Remed. Amor.

Aut pavidos terre varia formidine cervos.

Quem locum male tentavit Vir Maximus. *Pictam lineam* vocat Seneca. VLIT. *in Add.*

79. DIRUS] Quia tabo videlicet inquinati illi cadaverum carnifices volucres. BART.

80. ODOR] Eodem Lucanus sensu.

——— *odoratae metuenteis aëra pinnae.* BART.

80. DIRUS ODOR] Seneca lib. II. de Ira, cap. XII. *Acerrimas feras umbra, vox, & odor insolitus exagitat.* quod huc referendum. Lucanus lib. IV.

——— ——— *dum pavidos formidine cervos*
Claudat odoratae metuentes aëra pennae. VLIT.

Oppianus lib. IV. rationem dat:

——— ——— *ἐπεὶ μάλα θῆρες ἅπαντες*
Ὀξύτατοι ὀπωπῆς ἐνέρχονται· εἰ δὲ φέροιντο
Ἢ σαλικῶν ὀδμὴν, ἢ πιπτομένοιο λίνοιο
Ἐμπυλάο ἰδύνωσι, &c. VLIT. *in Add.*

81. TURBAT SYLVAS,] Sylvestres feras longe arcet. VLIT.

81. ALTERNA] Plumae cygni & vulturis alternatim junctae. VLIT.

81. CLARA PINGUIS] *Clara* ad Cygni, *pinguis* ad vulturis pinnas pertinet. Nam in perpetuo tabo & fanie, cruoreque cadaverum habitans ales pinguedinem quandam pennis praefert, unctis quasi à perpetua perfusione purulenti cruoris. BART.

 81. PIN-

Sed quam clara tuis & pinguis pluma sub armis,
Tam mollis tactu & non sit creberrima nexu,
Ne reprensa suis properantem linea pinnis
Implicet, atque ipso mendosa coarguat usu.
Hic magis in cervos valuit metus. ast ubi lentae
Interdum Libyco fucantur sandice pinnae,

Li-

VARIAE LECTIONES.

83. *Reprehensa*] Sic A. & Steyn. caeteri, *reprensa*.
85. *Hic*] MS. *Hinc. metus*] Ita MS. & P. *dolus* A. & Steyn.
86. *Lineaque exstructis*] P. & Steyn. *linteaque extritis*. MS. *Linteaque expositis*. Verissima scriptura. Quam cum non notaverit Pythoeus, videri potest non habuisse hunc Thuanaeum codicem, sed alium, ex quo excerpsit, *Lineaque extritis*; B. & G. *Lineaque ex tritis. f. ex positis*. Lucanus: *dispositis attollit retia varis*. VLIT.

NOTAE.

81. PINGUIS] Ampla, *fair grewn*. JOHNS.

82. TAM MOLLIS TACTU] Praecipit pinnata illa non densa nimis, nec horrenti compage esse conglutinanda, ne dum, ubi usus veniat, extenduntur subito, negocium in ipso opere facessant venatoribus, aut nimia mole & difficultate expansionis fraudem feris prodant. BART.

83 REPRENSA] Ne formido suarum pinnarum densitate impedita moretur te properantem, & ipso in opere mendosa sero deprehensa coarguat te inscitiae. JOHNS.

83. LINEA PINNIS] *Picta rubenti linea pinna*, Senecae Tragico. & lib. I de Clem. *Sic ferat lineis & pinna conclusas contine*. Alibi idem *lineam pennis distinctam* vocat. Ut diversa omnino videantur *pinna* & *penna*. Glossae veteres: *Penna πτερόν. Pinna πτέρυξ*. Sunt igitur *pinnae* alarum, & ipsae alae frequenter: ut *penna* plumam in pectore vel tergo denotat, quam *tactu mollem*, & *vellera* ideo vocavit Gratius. De hisce hactenus. Hic vero de pinnis agere incipit, pro alis forte positis, quibus uti Oppianum dixi. Sed *pinna* etiam pro pluma potest accipi, ut πτερόν, & πτέρυξ. Glossae: πτέρυξ, *pinna*, *pluma*, *ala*.

84. IMPLICET,] Tenue textum pinnati esse oportet, ne implicet festina manu explicantem. Caeterum quod de cervis dicit, confirmant Geoponici Graeci, sic tamen, ne quis homo pinnato propior adstet, nam eo praesente contemnere *Formidinem* scribunt libro XIX. Collectaneor. Cassiani cap. V *reprensam* puta dici cum nolentis manum implicat, id quod crebritate impediti facere consuevit. BART. Ideo & Flaccus *laeves* voluit *amites* Epod. VI. *amite laevi rara tendit retia*. VLIT. in *Add.*

85. METUS] Primae editiones habuerunt: *Hic magis in cervos valuit dolus*. Sed bene quod codicem suum secutus ita ediderit Pythoeus. Pinnatum enim ab effectu non tantum *formido*, quod jam Turnebus aliique observarunt, sed & *metus* vocatur. ut statim: *si qua metus eludat bellua falsos*. Ita intelligo Manilii illud lib. IV. *Et pacare metu silvas*: uti bene edidit Illustris Scaliger, sed sensum Manilii non expressit. Ipse se explicat lib. V. *& claudunt campos formidine mortis*. Nemesianus: *volucresque metu concludere praedas*: quo loco Manilium majore luce perfundam. Oppianus Hal. IV. Ηλιμάτοι πλώουσιν κενὸν φόβον. quae male vertit interpres. Quod si *dolus*, retineatur, exemplum est apud Virgilium qui XII. Aeneid. *insidiis territum* cervum dixit, quem ante *puniceae septum formidine pinnae* Est proprius hic in cervos dolus, ut ait Gratius, & ex omnibus fere autorum locis ubi de formidine agitur, colligere est, *Vana enim vanis terrori sunt*, ut ait Seneca, & maxime meticulosis cervis. Apulejus lib. VIII. ubi venator venatorem sic compellat. *Quid stupore confusi, vel etiam cassa formidine similes humilitatis cervorum istorum, vel in modum pavoris foeminei dejecti, tam opimam praedam mediis manibus amittimus*. Sed vulgo erat, *servorum istorum*. VLIT. Qui & *Formido* vocatur, ab effectu. Pinnarum enim est instrumentum linea & pinnis constans, ad terrendas feras factum. JOHNS.

85. LENTAE] Molles tractu. JOHNS.

86. FUCANTUR] *i. e.* Colorantur. Nam *fucas*

pro

Lineaque exstructis lucent anconibus arma:

Ra-

NOTAE.

pro colore. Glossae: *fucus χρῶμα*. Salmas. ad Solin. 804. G. JOHNS.

86. SANDICE] Solus, quod sciam, Gratius, mediam hujus vocis syllabam corripuit. Id quod notavit & incomparabilis Casaubonus, amicus noster, ad Historiam Augustam Ubi & de colore nonnulla. Vide & Turnebum, & Philandri, eruditissimi viri, Commentaria ad Vitruvium lib. VII. Architecton cap XII. BART. Vetus auctor Glossarum dicit, *Sandycem esse herbam tincturae aptam, rubri coloris*. adi Salmas. ad Solin. 810 E. ubi ex Plinio, Galeno, &c. multa de Sandyce invenies. JOHNS Flos producens rubicundum colorem, similem cocco, nobilem & pretiosis vestibus convenientem. Hesych. Σάνδυξ, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος κοκκινον ... Σανδύκιον. Propert. 2: 9 81.

Illaque plebeio, vel sit sandycis amictu:

Haec atque illa mali vulneris una via est.

Scribe hic *Sandice* non *Sandyce*, quoniam in nostro corripitur. BRU.

87. LINTEAQUE] Vet. Edit. *Lineaque*. Et ita veteres libros habere notat etiam Petrus Pithaeus, si is est, qui Vetera Epigram. & Poëmata edidit. Et hanc veram scripturam non dubito. Nam de retibus ab anconibus suspensis loquitur. Sunt autem *ancones* ferramenta seu furcillae, sive amites, quibus plagae innituntur, ubi extentis iis opus est. Veteres dicebant & *anclenas*, ab *anclando* scilicet, instrumenta ferrea, ut docent Glossae Isidori, quod tamen huc pertinere non puto. Multo minus huc facit quod in iisdem glossis legitur. *Ancones, incantatores vel vicini*. Ubi eleganter olim correximus, admodum pueri. *Angones, incantatores, vel Cigeni*. Tales nimirum homines, quales nostro quoque aevo omnem terram circumvagantur, divinandi ex Chiromantia scientiam jactantes. *Angones* autem semibarbaro vocabulo ab *angendo* dictos arbitrabar, qui plebem pagatim habitantem angerent scilicet extorquendis nummulis BART. Ita melius esse, & de retibus ab anconibus suspensis agi, notat Barthius. Sed & in Vet. Edit. ita invenisse dicit, ex VC quod Pythoeus annotaverat dudum. In primis editionibus, *Linteaque*. Poterat sane hoc ferri, ut per *lintea* intelligeremus ex duriore lino facta vincula, quae stupea & ex stupa fieri solita supra ostendi fuisse. Ἀπὸ λίνου νέτη μιτῶν. Nonnus dixit, & σκληρὸν ὕφασμα, quod λίνον sive λίνεα in textu est apud Johannem cap. XIII. Non potuit igitur tenue & tersum fuisse *linteum*, quo Salvator se circumstrinxit, ut pedes discipulorum abstergeret. Nam quod Tertullianus *propriam Osiridis vestem* id vocaverit, ideo est quia Aegyptii Osiridis Sacerdotes lino tantum vestiri religiosissime observabant. Herodotus lib. II. Ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἱ ἱρέες λινέην μούνην. ἄλλην δέ σφι ἐσθῆτα οὐκ ἔξεστι λαβεῖν. Apulejus lib. XI. *vidi quendam de sacratis* (Osiridis sacerdotibus) *linteis injectum*: & passim eodem libro, ubi *linteum* pro lino ponitur, ut Tertullianus acceperat. Nam quod linum id gossypion esse putatur, verisimile non est. Certe Herodotus ita locutus non fuisset, si & gossypio usi fuissent, cujus utique ipse meminit lib. III. & Indos vestitui accommodare; non autem Aegyptios, ut ex eo videtur percepisse Plinius. Sed haec alio loco jam dixi. *Linteum* illud fuit igitur omnino omolinum, & ex eo mantilia fieri etiam hodie apud Gallos solent, ut melius abstergerent sordes. Glossae veteres *linteum* ὠμόλινον aliquoties exponunt. Utraque vox, tam Graece quam Latine, pro velo nonnunquam ponitur; quia ex eo texuntur vela. Avienus Periegesi:

Inter & oppositas intendite lintea terras.

Ita legendum, ut alibi idem: *Grajae texuerunt lintea cymbae*. Sed & hic locus vulgo corruptus. *Lintea arma*, vel *Linea* ipsa hic retia esse facile concesserim Barthio, nisi vox ista *lucent* formidinem intelligendam innueret. De qua supra: *Haec clara luce coruscant, Terribiles species*. Retia autem nequaquam lucere debent, sed terrae simillima esse, ne ullo modo ea feris conspicua sint Quapropter ipse Gratius candorem lini improbavit supra: nam

Ostendit longe fraudem atque exterruit hostes.

Si enim ferae retibus se undique claudi agnoverint, *tentabunt fugam per ipsa quae fugerant, proculcabuntque formidinem*, ut loquitur Seneca lib. I. de Clem. Omnino igitur de formidine accipiendum, & *linea* vel *lintea arma* sunt funis ex stupa, ut fieri ostendi, plexus, quam *lineam* statim vocabat. VLIT. Ita reponendum ex MS. Thuanaeo, quia rudiori lino retia texi solita, ut ex Plinio ostendi. Idque *linteum* proprie est. Hinc & pro velis *lintea* passim apud Poëtas. Ovidius non semel. Cui ideo in Epist. Briseïdos

re-

Rarum, si qua metus eludat bellua falsos.

Nam

NOTAE.

restituendum ex MSS. censeo:

Te dare nubiferis lintea velle notis.

Pro quo vulgo, *linea vela*. Quod & Viro Maximo merito displicuit. *Lintea* enim sunt vela. Ponuntur etiam pro mantilibus. *λέντιον* Johanni Evangelistae. Plautus Mostell. Act I. Sc. 3.

Linteum cape, atque exterge tibi manus.

Juvenalis Satyra III.

——— ——— ——— *& sonat unctis*

Striglibus & pleno componit lintea gutto.

Sic enim scribendum per *κεράτω*. Ammianus lib. XXVIII *tenuissimis se tersens linteis*. Id est, *lineis*. Nam *lintea* duriuscula plerumque. Sic & in Epitome Liviana lib. XLVIII. *Lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent*. Et Suetonius de Othone cap. ult. *Sacra Isidis saepe in lintea religiosaque veste celebrasse*. Id est, *linea*; nisi ita scripsit autor. VLIT. *in Add.*

87. Linea Arma:] Omnino de formidine accipienda, & *linea arma* sunt funis ex lino, ut fieri ostendi, plexus. quam lineam statim vocabat. JOHNS.

87. Extritis] In veteri Edit. duae sunt voces *ex* & *tritis*. *lucent ex tritis anconibus*, quia ab illis suspensa sunt. *Ex* particula perquam saepe abundat Latinitati. Vide quae ad Cirin Virgilii versu LXX. notavimus. Vel *extritis* est valde tritis, & respondet lineis lucentibus. BART.

87. Extructis anconibus] *Ancones* sunt hic furcillae breviores, quibus formidines injiciuntur: quarum in summo cornua bina sunt, *ἀγκῶνα*, sive cubitum referentia. A forma enim ita indigetavit Gratius, ut *cervos* quoque alii. Servius ad Eclog. II. *figere cervos*] *furcas quae dictae sunt cervi ad similitudinem cornuum cervinorum.* Varro lib. IV. inter castrensia accenset: *Vallum, vel quod ea varicare nemo possit, vel quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram literae V. cervi à similitudine cornuum cervi.* Quae temere suspecta & solicitata fuisse miror ab Illustri Viro. *Vallum* à *vallis* nomen habet, & *vallus* à *vare* deminuitur. Iccirco vallum per antiphrasim *ἐτυμολογίζει* Varro, quod vallos, quibus instruitur, *varicare*, id est inflectere nemo possit. Per *ea* videtur *valla* pro *vallos* intellexisse, neutro genere. Ita & Glossae veteres: *Vallum χάραξ*. id est *vallus*, ut frequentius dicitur: quia *vallum* proprie munimentum est vallis praecinctum. Virgilius Georg. I.

Exacuunt alii vallos furcasque bicornes.

Valli sunt furcae bicornes, ut & *vari*, à quibus derivantur, ut egregie docuit maximus Salmasius. In venatione quoque usum habent. Lucanus lib. IV.

Aut dum dispositis attollit retia varis
Venator.

& ipso nomine incurvam sui figuram produnt, qualem in sustentandis retibus habere debent, ut superiora cornua intra indaginem inclinent, inferior pars ab ima parum distet. Hoc est quod jubet Xenophon cap. XVI. *πηγνύειν δεῖ τὰς σχαλίδας ὑπτίας, ὅπως ἂν ἐπαγόμεναι ἔχωσι τὸ ἀντίτονον. figere oportet varos supinos, ut adducti melius contra nitantur.* Supini sunt illi, qui extra *δικτυοστασίαν* circumiens eos defigit: proni fiunt illi, qui retia introrsum suspendet. Ita proni etiam erunt feris indagine septis: & supini illis, quae forte extrinsecus in retia incurrent. Pollux: *καθίσταν(ται) δ' αἱ σχαλίδες πλάγιαι, μᾶλλον εἰς ἀλλήλας ἀντινεύουσαι.* Non ut proximus proximo, sed ut è diametro oppositi mutuo inter se capita inclinent. Si enim supini essent incurrentibus feris, facile resupinarentur: sed proni contra nituntur, & retia impetita sustentant. Contra in vallo oppugnantibus proni, & intra vallum stantibus supini sunt. Utrobique tamen incurrentibus adversi, & capite prominentes extra vallum. Ab hac forma incurva *vari* dicti. Glossae veteres: *Vari ῥαιβοί. Varicus ῥαιβός. Varico, ῥαιβόω. Vari* inquam dicti quia *varicent*, id est inclinent: non autem quod varicari, id est flecti nequeant, ut Varro voluit. Ita varis quoque sustentabantur retia quae in Amphitheatrorum podiis ad prohibendas feras tendebantur: qui eodem modo quo in indagine supini collocabantur, & proni in feras. *Dentes* ideo, quia supini prominent, vocavit eleganter Calpurnius noster Ecloga ultima:

Retia quae totis in arenam dentibus extant.

Quo loco Elephanti dentes nobis fingit Barthius. Ita contra *vallum*, pro Elefanti dente, posuit Lucretius lib. II.

——— *anguimanos elefantos, India quorum*
Millibus è multis vallo munitur eburno.

Sed *dentes* & *vari* à totius corporis curvitate, *cervi* & *uncones* à bifido capite tantum appellantur *Στάλικες, σχαλίδες*, & *σκιδὶς*, non ex se, sed à positura vari fiunt, ut ex Xenophonte & Pol-

Nam fuit & laqueis aliquis curracibus usus:

Cer-

VARIAE LECTIONES.

89. *Fuit &*] Gudius legit ad Phaedrum, *ut*, & capit pro *postquam*. laqueosque curraces non abiisse in desuetudinem contendit. JOHNS. *Aliquis*] MS. *alis*. Titulus hic. *Pedice*. Steyn. *Pedicae*. caeteri codices.

NOTAE.

luce vidimus. nec cornua ex se habent, sed ab incisura. Xenophon cap. II ὅταν ἔχωσι μικρὰ τὰ ἐντυπώματα μὴ βαθέα. Glossae antiquissimae: σάλικες, τῶν δικτύων αἱ στάσεις, *plagae*. *singulare non habet* Quod ex loco aliquo male desumptum, in quo σάλικες στοιχοχικῶς pro tota δρυματία viderentur poni. ut in Theocriti epigrammate:

Αὐταυγής, σάλικες δ' ὀρυπαγεῖς ἐν ἔρῃ.
Ἀγρέας δὲ τῷ Πανί, &c.

Et *plagas* pari errore pro indagine exposuit. forte ex illo Virgilii: *Retia rara, plagae*. De quo alibi. Ita & apud Nonnum Dionysiac. xv. Nicaea habere dicitur Καὶ σαλίκων ξύλον ὀρθόν. Pro quo lib. v. legitur, Καὶ σαλίκων τύπον ὀρθόν. Nisi & ibi ξύλον scribendum sit. Nam τύπος σαλίκων obliquus semper esse debet, ut vidimus ex Xenephonte & Polluce; non rectus. quanquam ipsae σαλίκες per se rectae sint Forsan ipsius Nonni hic error est. Apud Calpurnium certe *Dentibus aequatis*, non pro rectis, sed pro aequaliter inter se distantibus, parci poslit, nisi emphasis illa, qua ad augendam admirationem utitur, legendum requireret, *Dentibus auratis*. cum & ipsa retia, & porticus *illita auro*, fuerint. Haec obiter, quia succurrendum Calpurnio quacunque occasione arbitratus fui, ut dignior Gratio comes prodeat. Nunc videamus an bene *ancones* furcillas interpretatus sim. Barthius, quanquam ita quoque exponit, cum tamen retia ab anconibus suspensa dicat, & ea ferramenta fuisse, videtur pro hamis in arboribus affixis postea accepisse. Iis certe solent aucupes uti: non venatores. Illis enim eundem in locum redire semper integrum. His semper mutandus, prout ceciderit indagatio, vel ipsae ferae duxerint. Itaque furcillae commodius figuntur, & tolluntur, quam hami illi sive lignei, ut solent, sive ferrei, ut Barthio videntur. Illas merito *ancones* vocat Gratius, quia patentioribus cornubus, quam retium furcillae, proprius ad cubiti formam accedunt. Atque ita esse convenit, ut & expeditius injici iis & eximi formido possit, & attracta per finem concuti & moveri. Illud requiritur cum subito ferae concluduntur. qua de causa & Gratius praecepit ne multae nimis pinnae sint:

Ne reprensa suis properantem linea pinnis
Impliciet.

semper enim festinandum est venatori. Hoc vero fit ut concussa formidine minus audeant eam accedere ferae, sed potius retia intrarent. Oppianus lib. IV.

Κλαγγηδὸν πταγοῦσιν ἐπ' ὄρεα μηρίνθοισι,
Σειόμενον δῆμα πολύχροον. ὁ δὲ τ' ἀνιγρῇ
Πάντα δ' ὁμοῦ δέδοικε, λόχον, κτύπον, αὐλόν, αὐτὴν
Δειμαλέην μέροπον ἐπεὶ κελαδοντος ἀήτεω
Ταινίῃ τ' ἐφύπερθε ἀνειμένῃ κεφαλῇσι,
Κινυμένῃσι πτέρυγες τε λίγειαι συρίζουσιν·
Οὕνεκα παπταίνουσα κατ' ἄρκυας ἄντιον ἕρπει.

Quorum sensum, quia non assequitur doctus Interpres, ita reddidi obiter:

Haud satis insatiunt pictum formidine limbum,
Et varias agitant pinnas. fera tristis oberrat
Undique sancia timens, turbam, sonitum, aera,
** fragorem,*
Terribilemque metus speciem. crepitantibus auris
Desuper aeriae vibrantur vellera pennae,
Commissaeque alae stridentia sibila reddunt:
Quae male suspiciens casses adversa subivit. VLIT.

87. EXTRUCTIS] Barthius ut hamos suos accommodet, dicit *ex tritis* (ita cod. suum habere) anconibus lucere retia, vel *extritos* (ut vulgo) valde tritis esse, & respondere *lituis lucentibus*. Ego nullus dubito veram esse lectionem quam dedi a Cl Gronovio in ora libri sui adnotatam dudum. & erectis furcillis injectam formidinem intelligendam VLIT. *Expositis* MS. Cod. rectius. Lucanus: *dispositis attollit retia varis*. Ovidius Met VII. *positarum lina plagarum*. VLIT. *in Add.*

87. ANCONIBUS] Proselyta quidem, sed jam familiaris Latio vox. Nam & à coaetaneo Gratii Natone usurpata Met. xv. *sinuosi litoris ancon*. Quia cubiti instar flexum erat litus. Eadem ra-

G tio-

90 Cervino jussêre magis contexere nervo;

Fraus

VARIAE LECTIONES.

90. *Magis*] Ery. Puteanus *manus*.

NOTAE.

tione Val. Flacco lib. IV. *Ancon* fluvius dicitur, ut observant Carrio & Alardus. Noti & in architectura *ancones*, apud Vitruvium lib. III. cap. ult. & lib. IV. cap VI Et in re militari apud Agathiam lib. II. qui ἀγκῶνας more seculi vocat. *Cervos* Latini. Livius lib XLIV. cap. XI. *cervis etiam objectis ut viam intercluderet.* Quos lib XXXIII. cap. V ita describit: *Romanus laeves & bifurcos plerosque & trium aut cumplurimum quatuor ramorum vallos caedit.* Qui rami ita dispositi cervini capitis instar referebant. Silius lib. X,

Cervorum ambustis imitantur cornua ramis.

eadem de re loquens. *Valli* autem illi plerunque incurvi erant. Hinc *dentes* Calpurnio Ecloga ult. dicti; ut contra *valli* pro dentibus eleganter Lucretio lib. II.

——— *Anguimanos elefantos, India quorum*
Millibus è multis vallo munitur eburno.

Et *vallum pectinis*, Ovidio I. Amor. Eleg. XIV. Hinc & pro calamo τ̃ αἰδοίων, quia ῥαιβόκρανος, in Glossario, ῥαιβὸς, *varus.* Ubi nihil mutandum. Ideo & *ancones* dicti Gratio, quia inflexi, atque capite inclinati ponebantur, ut ex Xenophonte docui. *Amites* vocat Horatius in aucupio Epod. II.

Aut amite laevi rara tendit retia.

Ubi Porphyrius: *Amites hodieque appellantur furculae, quibus retia in venatione vel aucupio suspenduntur.* Acro *perticam*, exponit. Vetus Scholiastes Cruquianus: *Ames*, inquit, *est furcula ex qua rete suspenditur ad capiendas aves.* VLIT. *in Add.*

88. RARUM, SI QUA] Tale Comicum illud. *mirum nisi mihi turbas dederit servus* &c. BART.

89. NAM FUIT] Hactenus de pinnatis Jam de laqueis quibus ferae capiantur. Quare leg.

Jam fuit & laqueis al. c. n. BART.

Barthius negat haec cohaerere, & mutila esse pronunciat. Tum reponit, *Jam fuit.* Omnino nihil deest, & elegans est ἀσύνδετα. Formidine quamvis feram posse capi cum dixisset, eaque se contentum esse, subdit aliquos tamen & laqueis uti, quos cervino nervo jubent contexere, cujus odor suspicionem feris facere non possit. Titulus hic praefigitur, *Pedicae.* Quisquis fuit ille Grammaticus *laqueos curraces* pro pedicis habuit. ut & magnus Turnebus exposuit, qui facile currunt, currenteque nodo, quem vocant Galli, illaqueant & nectunt. Non inepte sane, inquit Barthius. Sed ut ipse nullam sine ineptia aliqua notam absolvere pergat, *curracibus*, pro celeribus feris exponit, eamque Gratii sententiam fuisse docere Manilium lib. V.

——— ——— ——— *ducuntur & ipsi*
Retibus, & claudunt campos formidine mortis,
Mendacesque parant foveas, laqueosque tenaces,
Currentesque feras pedicarum compede nectunt,
Aut canibus ferrove necant, praedasque reportant.

Ego totum locum proposui, ut nova simul luce perfunderem. Accedam facile Barthio Gratii vestigiis insistere Manilium, sed hoc illi apparuisse, negat interpretatio ipsius Barthii. Retia, formidinem, laqueos, pedicas, canes, ferramenta venatoria, eadem serie prosequitur Gratius, nisi quod fovearum nulla mentio. Non temere tamen ex Gratii mente eas addidit Manilius Describuntur enim his sex versibus nulli alii laquei quam ποδοστράβαι ex Xenophonte, cap. XXIV. Ramos è taxo in coronae formam plexos clavis ferreis ligneisque introrsum extantibus figebant, & desuper laqueum adnectebant. E traverso alligabant palum longum satis ac gravem, eumque in scrobem summa sui parte ad coronae mensuram latam, inferiore in angustum desinentem, immittebant, quam, ne apparerent insidiae, levi terrae stramentis suffultae injectu cooperiebant. Ita cum in aliquam talem scrobem (nam plures habere convenit) inopinum pedem intulisset cervus, non tantum laqueus ille, qui facile abrumperetur, sed tota illa fixis aculeis corona adhaerebat, & currentem comitabatur cum palo suo, qui manifesto vestigio terram sulcaret, dirigeretque sequentem venatorem. Quae breviter, quantum hic requirebatur, delineavi; plura ad Xenophontis Cynegeticon dicturus. Prioribus tribus versibus ποδοστράβην solam describit Gratius: reliquis palum illum adnectit. Et *curraces* forte vocavit laqueos, quia currentem sequuntur: imo & ipsi pali suis vestigiis cursum ejus denotant. Manilius duobus illis versibus simul complexus est totam hanc ποδαγρίαν. *Mendaces foveae* sunt scrobes illae. *Laquei tenaces*, illi qui coronae adligantur. *Pedicae*, ipsae ποδοστράβαι. Tum si conjectu-

Fraus teget insidias, habitu mentita ferino.

Quid

VARIAE LECTIONES.

91. *Teges*] Ita MS. & P. & Turn. *reges* A. & Steyn.

NOTAE.

jectura haec non friget, *compedem* pro palo accipiam qui quasi alter pes adhaeret. ut *compater* vulgo, qui patris vice. Nam alias *pedica*, *compes*, & *laqueus* fere eadem sunt, & ταυτολογίαν commisisset optimus Poëta Id quoque veritus est Firmicus, sed male evitavit, dum laqueos tenaces in casses mutavit, lib. VIII. cap IX. ubi Manilium ita exprimit: *Is retibus feras capiet, aut foveis decipiet, aut variis cassibus, ferroque sectabitur, aut canibus, ferarum capiendarum gratia, scrutabitur secreta silvarum.* Quia *laqueos* pro maculis accepit, *varios* inde *casses* effinxit. Nam retia non posse intelligi videbat, de quibus praecesserat: nec pedicas, quia de iis sequitur continuo. Falsus est etiam in eo quod simpliciter foveis capi feras putavit, quod & alii sibi persuadent, quos alibi confutabo. Multum certe fovearum in venatione usum esse constat. Ita & hic, in qua dentata illa pedica latet. Sed fovea captam ita feram nemo dixerit. Quod quidem rudi adhuc aevo, nondum armis inventis, factitatum docet Lucretius lib v.

Nam fovea atque igni prius est venarier ortum,
Quam saepire plagis saltum, canibusque ciere.

Falsus hinc quoque Bargaeus, insignis Poëta, in Cynegeticis suis Gratii verba fere eum in sensum detorsit, quem iis putavit inesse Barthius, & in media saepe factis paradromis laqueos suspendi jubet. Quod illi ut Poëtae quidem, non ut interpreti, licuit. Quamvis enim ita fieri quoque solitum à Servio docemur ad illa Georg. I. *Tum laqueis captare feras*] *id est illaqueare feras incurvatis arboribus*: hic tamen vox *teget* arguit laqueos illos foveis tectos intelligi à Gratio, & *curru* et dici, quia

Currentesque feras pedicarum compede nectunt.

VLIT. Fuit olim, fateor, aliquis etiam laqueis curracibus usus; quibus contexendis cervinum penem utpote apprime utilem destinabant artifices. fraus enim celata & latens sub consimilis ferae specie teget venatoris insidias. Quid de illo censes, qui pedicas dentibus ferreis ligneisque introrsum extantibus compactas paloque iligno nexas clausit foveâ? Utrumque in desuetudinem abiit, & merito. Saepe enim praedam alieno labore partam simul cum ipsis instrumentis aufert imprudens. JOHNS.

89. LAQUEIS] Horum mentio & in jure nostro. Ulpianus L. 29. D. ad L. Aquil *Si laqueos eo loci posuisses, quo jus ponendi non haberes, & pecus vicini in eos laqueos incidisset.* Et Proculus L. 55. de adquir. vel amit. possess. *In laqueum, quem venandi causa, posuerus, aper incidit*, &c. Βρόχοι dicuntur in Basilicis. Unde & in S Scripturâ crebrae petitae metaphorae. Ut Psalmo IX. 16 ubi LXX. Ἐνεπάγησαν ἔθνη ἐν διαφθορᾷ, ᾗ ἐποίησαν, ἐν παγίδι ταύτῃ, ᾗ ἔκρυψαν, συνελήφθη ὁ πούς αὐτῶν. Quae vetus ita interpretatur: *Infixae sunt gentes in interitu, quem fecere. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Ita & Psalmo XXX. 5. *educes me de laqueo, quem absconderunt mihi.* Et passim. Sed in Psalmo IX 16. melius in ipso Hebraeo textu, *inciderunt in foveam, quam fecerunt.* Intellexit enim Sanctissimus Regum τὰς ποδοστράβας, quas è Xenophonte descripsi in Commentario. Hae enim in foveis occultantur, & absconduntur. Uti & Psalmo CXL. Ἔκρυψαν ὑπερήφανοι παγίδα μοι, καὶ σχοινία διέτειναν παγίδα τοῖς ποσί μου. Cum quo verbotenus facit Ieremiae locus cap. XVIII. vers 22. Et Job cap. XVIII. vers. 10. Item Psalm. XXXV. 7. & LVII. 7. & CXLII 4. Quibus locis non semper podostrabas intelligas; sed nonnunquam & *foveas* solas, quae antiquissima venationis species, quanquam id perperam olim negarim. Lucretius lib. v.

Num fovea atque igni prius est venarier ortum,
Quam sepire plagis saltum, canibusque ciere.

Foveas ursorum cervorumque capiendorum causa agnoscit & Paulus JC. in L. 28. ℞. ad L. Aquil. A Fabiis id ortum, atque inde illis nomen datum, refert Plutarchus, in vita Fabii Maximi, initio. Festus de iisdem: *Fovii, qui nunc Fabii dicuntur, dicti, quod princeps gentis ejus ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant primum eum ostendisse, quemadmodum ursi & lupi foveis caperentur.* Lupis enim id fatale maxime. Hinc Horatius lib. I Epist XVI. *Cautus enim metuit foveam lupus.* Plautus alludit ad hoc Paenulo Act. I. *decipiemus fovea lenonem Lycum.* Λύκοι puta.

ta.

Quid qui dentatas iligno robore clausit

Ve-

NOTAE.

ta. Lex Wisigothorum lib. VIII. Tit. V. §. 23. *Si quis in terris suis foveas fecerit, aut laqueos vel arcus praetenderit, seu balistas in locis secretis*, &c. Hoc ultimum est, quod Servius in loco citato dixit *illaqueare feras incurvatis arboribus*. VLIT. *en Add*

89 CURRACIBUS] Magnus Galliae Criticus Adrian. Turnebus libro XXVI. Adverf. capite XIX. Epitheton esse laqueorum hanc vocem credidit, cui adplicavit Gallicum loquendi morem. Non inepte sane. Nam *laquei curraces* possunt dici qui currentem fine difficultate facile sequuntur, & ita ipsi ob mobilitatem *curraces* esse dicuntur. Sed nobis dubium non est de feris ipsis capiendum quas curraceis laqueis capi posse autumnent. Eam Gratii sententiam fuisse facile nos docebit Manilius, ejusdem aevi Poëta libr. V. Astronom.

Mendacesque parant foveas, laqueosque tenaces,
Currentesque feras pedicarum compede nectunt

De iis igitur feris dicit Gratius, quae non terrentur formidine, sed perpetuo cursu perrumpunt, ideoque iis laqueos non fine successu poni posse, quia curraces, hoc est, celeres sint, & cum impetu sequentes evadant. Non potuit melior interpres quaeri Gratio, quam hi duo Manilii sunt versus. Idem enim paene eodem verbo dicunt. *Curracis* vocabulum exstat & apud Cajum Jureconsultum libro XVIII de Aed. Edicto. *Si quid venditor de mancipio affirmaverit, idque non ita esse emptor quaeratur, aut redhibitorio, aut aestimatorio, id est, quanto minoris, judicio agere potest. Verbi gratia. Si constantem aut laboriosum, aut curracem, vigilacem esse, aut ex frugalitate sua peculium acquirentem adfirmaverit.* Ubi *curracem* validum cursorem accipimus, qualeis in famulitiis habebant dites, & mentio apud Paulum leg. XCIX. de Legatis libro tertio, nec non, Senecam, Martialem, Petronium, Spartianum, Vopiscum. Unde & *currere* verbum iis servis peculiare fecit Optatus Afer libro tertio contra Donat. Sed haec hoc loci reticeri poterant. BART. Laqueos curraces vocat, ut & nos nodum curracem, qui facile currunt currenteque nodo illaqueant. *Turnebus*. Lib. 26. cap. 19. JOHNS.

90. CERVINO] Non dubito ante hunc versum aliquot excidisse, quibus auctor amplius laqueorum usum descripserit. BART. Namque etiam *hic magis in cervos valuit dolus*, in quorum venatione *νευρεγέας* suas contexuit Xenophon, quanquam & in apraria obiter eas nominet. Itaque cervino e nervo contexi debent, ne cervus fraudem & alienum odorem, si ex alio nervo vel lino sint, percipiat. Alii recentiores ipsos laqueos cannabeos, quibus uruntur, cervino fimo oblinunt, vel ejus animalis cui insidiantur. & sic quoque

Frans teget insidias habitu mentita ferino.

quod aliter non est intelligendum, quidquid è codice suo mutetur loco famosimo Barthius.

90. MAGIS] Potius quam alio. Sic Claudianus noster hac voce usus lib. III. de Laudd. Stil.

Seu tibi Dictaeae placuerunt astra coronae,
Seu magis aestivo sedes vicina Leoni.

Martianus JC. lib. XLI. de usufr. *Licet praedia quaedam talia sint, ut magis in ea impendamus quam de illis acquiramus, tamen ususfructus eorum relinqui potest.* Et hoc modo locutos inculpatae Latinitatis auctores, non raro invenies. Ita aliquoties Vegetius, Optatus, alii ejus notae BART.

91. HABITU] An nervis cervinis habitum ferinum dabit? Vel haec vox mendosa est, vel ante hunc versum lacunae nota pingenda. In veteri Editione totis his quinque versibus nihil sani est. BART.

91. MENTITA] Notandum passiva vi, ut loquuntur Grammatici, hoc verbum usurpari. Antiquos *mentio* & *mentior* dixisse auctor Priscianus lib. VIII. Appulejus similiter lib. IX. *ut ignarus & expers operis, stupore mentito, defixus haerebam.* Jul Firmicus, auctor non adeo contemnendus libro de Err. Prof. Religion. *praefertur cista, crepundia, quibus puer deceptus erat, praeferuntur.* BART.

92. QUID QUI] Dixi hic primum de palo illo dentatis pedicis adjungendo agi. Itaque sensus est: Uti aliquos laqueis curracibus solis, ideoque feram illorum laqueis implicitam nullo relicto fugae suae vestigio, quia palus deest, saepe in alienas inopinantis manus incidere. Quid qui igitur *ilgnum robur* i. e. palum pedicis suis adhibuit, an non certius agit? VLIT. Sensus est; uti aliquos laqueis curracibus solis, ideoque feram illorum laqueis implicitam nullo relicto fugae suae vestigio, quia palus deest, saepe in alienas inopinantis manus incidere. Quid qui igitur ilignum robur, *i. e.* palum pedicis suis adhibuit, an non certius agit? *Vlitius.* utrumque mihi impro-

Venator pedicas? cum dissimulantibus armis
Saepe habet imprudens alieni lucra laboris.
O felix, tantis quem primum industria rebus

Pro-

VARIAE LECTIONES.

93. *Cum*] MS *quam*. quod & Pyth. observat.
94. *Laboris?*] In Steyn. Ed. interrogationis nota sequitur, *laboris*. ut & in caeteris. hanc sustuli. Vide Notas. JOHNS.

NOTAE.

probare videtur Gratius. Neque enim satis video, qui iste palus pedicis adnexus impediret quo minus praeda in manus inopinantis incideret. JOHNS. Sic loquitur Virgilius bis in prim. Georg. vers 111.

Quid qui ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba?

Et vers 104.

Quid dicam jacto qui semine cominus arva
Insequitur? —— BRU.

92 Iligno] Hodie tochiarum pedicarum exempla & litteris tradita exstant, & usu frequentantur, ut Gratius non divinos homines, sed plane Deos facturus sit eorum artifices, si reviviscat. Si Commentarios scriberemus, poterant figurae earum aliquot appingi. BART.

93. Dissimulantibus armis] Mos Gratii superius à nobis notatus est, activa verba pro passivis usurpandi. Ita hic *dissimulantibus*, pro *dissimulatis* dictum. Nam illae pedicae terra injecta teguntur. BART.

94. Imprudens] Iterum repeto: bene illum egisse, qui palum pedicis adhibuit, quoniam alias nullum sui vestigium solà pedicâ relinquente, feram illaqueatam venator ipse assequi, & ita laboris sui lucra habere vix possit: sed inopinanti alicui saepe obtingeret. Id quidem ne saepius male cedat venatori, prospexit postea Longobardorum lex XXII. tit. *Si quis super feram ab alio plagatam, aut in taliolam* (ita ποδοστράβην videtur vocare ut diminutivum sit à *talia*, quae in Glossis exponitur, κορμὸς, ξίδυξ, καὶ σκυτάλη: est enim lignum varia arte incisum.) *tentam, aut canibus circumdatam iter suum postposuerit, & volens eam lucrari super eam se miserit*, &c. Hoc prorsus id est quod Gratius hic veretur. Nihil autem hic recti percepit Barthius, idque ut caute dissimulet, qui sua non potuit, aliena agit, & Catonis Dionysii distichon hoc,

Cum dubia incertis versetur vita periclis,
In lucro tibi pone diem quicunque laborat,

à Scaligero vindicat, ut nugis suis offunderet. Quin & rescribendum clamat: *quocunque labor stat*. Ἄῤῥει, Ἄῤῥει. Est enim plane illud Horatii l. I. Od. IX.

Quem sors dierum cunque dabit lucro Appone.

Ubi Porphyrio: *dicit unumquemque diem vitae nostrae nos de lucro computare debere, eo quod mors quotidie possit accidere.* Apud Catonem ergo, quicunque laborat, quamvis nihil eo consequatur, tempus tamen lucratur & diem quo ducta superest linea, quia non perdidit nihil agendo, aut fato ereptus est. VLIT. *Taliola* est ποδοστράβη. Diminutivum à *talia*, quae in optimis Glossis exponitur κορμὸς, ξίδυξ, καὶ σκυτάλη. Varia enim arte inciditur. Quod porro de *vitae lucro* adduxi, confirmat & ipse alibi Flaccus:

—— —— —— *ille potens sui*
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi. Vide reliqua.

Sic Diogenes apud cognominem; Βίον ἔχων τυφναίρον, dicitur. Plautus Mercatore: *id jam lucro est, quod vivis.* Cicero lib. IX. Epist. Fam. XVII. *de lucro vivimus.* Livius lib. XL. c. 8. *De lucro, pater, inquit, vivere me, scito.* Uti recte ad hunc sensum edidit Praestantissimus Gronovius VLIT. *in Add.*

94. Alieni lucra laboris?] Quod alii grandi labore conficiunt, id iste fraude indipiscitur: lucratur ergo laborem, quem aliorum exemplo impendere debebat. Vel *Lucra laboris* alieni dicit, cum fera ab aliis venatoribus magno labore quaesita & latibulis excita, in has pedicas venit. *Imprudens*, hoc est ignarus. nam alioqui imprudens non est, qui minimo labore, rem magnam conficit. Lucret. lib V.

Illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum
Vergebant, nunc dant aliis sollertius ipsi.

Scilicet ignari virium veneni. BART.

 96. Pro-

Prodidit auctorem: Deus ille, an proxuma Divos
Mens fuit, in caecas aciem quae magna tenebras

Egit,

VARIAE LECTIONES.

96. *Prodidit*] *Condidit.* G. & B *Divos.*] Turneb. *Divo.* Heinsius. *Divis.*
97. *In caecas aciem*] MS. *in cacca faciem.*

NOTAE.

96. PRODIDIT AUCTOREM] In Vet. Ed. *condidit* non *prodidit* exstat. Quod mihi quidem longe elegantius videtur, qui sciam *condendi* verbum ita crebro ab scriptoribus poni. *condidit*, id est esse fecit, prodidit, atque edidit. Claudianus Epigrammatis, de Minotauro.

Ipse & dispariles monstro diffusus in artus,
Qui crimen matris condidit ore novo.

Hoc est, notum fecit. Nam si Minotaurus natus non esset, crimen Pasiphaës in occulto fuisset. Manil. lib. v. Astronomici.

Mercedem tanti belli, quo condidit ipsa
Gorgone non levius monstrum ———

Appul. li. I. *Hymettos Attica, & Isthmos Ephyraea, glebae aeternum felices, libris felicioribus conditae, mea vetus prosapia est* Hinc *inconditus* pro ignoto usurpatur. Valerius Flaccus lib. I. Argon.

——— *tum vobis si quod inausum*
Arcanumque nefas, & adhuc incondita lethi
Sors superest ———

Ut quidem rectissime legit vetustissimus liber, quo usum se dicit Ludovicus Carrio. Superioris versus sententia in mentem mihi vocat Dionysii Catonis versus, quos nemo mortalium hactenus intellexit, vel mendum ex iis tollere potuit, libro I. de Moribus Carmine XXXIII.

Cum dubia incertis versetur vita periclis,
In lucro tibi pone diem, quicunque laboras.

Illustris genere & litteris Scaliger, audacissime *Laboras* in *sequetur* convertit, cum alias extricare sententiam non posset. Cujus quidem impotentia commendabit omnibus praeconiis magis nostram correctionem. Rescribendum ajo.

Cum dubia incertis versetur vita periclis,
In lucro tibi pone diem, quocunque labor stat.

Cum in orbem quemdam perpetuum volvatur labor humanae vitae, cum tu diem in lucro pone, quo quiescere licet, & laborem illum perpetuum, aerumnasque perenni orbe vitam vertentes sufflaminare. Nemo sibi faciat morum suorum saevitate labores novos, cum iis parcere potest quos vita alioqui perpetuos habet. Haec sententia, qua nihil verius & elegantius umquam scribere potuit Cato, nihil omneis illi Criticorum centuriae, semel iniquitate temporis ablatum, restituere. BART.

96. DEUS ILLE,] Propter inventi sollertiam. Supra omnium artium prima principia ad Deos retulit, quae postea ab hominibus aucta & munita ait. Ita Manilius, & pene ad verbum, de primis inventoribus Astrologiae lib I.

Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum fastigia coelo.

De iisdem Ovidius.

Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exeruisse caput.

Ita haud dubie apud Ovidium legendum, cum vulgo *locisque* excusum feratur. Nec absimilia de Bellerophonte Astrologo Lucianus ἐν τῷ περὶ ἀστρολογίας. ἐγὼ δὲ καὶ περὶ Βελλεροφόντεω τοιάδε φρονέω, πτηνὸν μὲν οἱ γενέσθαι ἵππον, οὐ μάλα πείθομαι, δοκέω δέ μιν ταύτην τὴν σοφίην μεθέποντα, ὑψηλά τε φρονέοντα, καὶ ἄστροισι ὁμιλέοντα, ἐς οὐρανὸν οὐχὶ τῷ ἵππῳ ἀναβῆναι, ἀλλὰ τῇ διανοίῃ. Sic de Epicuro suo Lucretius. BART.

96. PRODIDIT] In lucem produxit. JOHNS.

96. PROXIMA DIVOS] Turnebus reponat. *Divo.* Et ita nostra V. Ed. Sed in eo me neuter ad stipulatorem umquam habebit. BART. Heinsius, *Divis*; Turnebus, *Divo.* at nullâ mutatione opus est. JOHNS. Immerito censores latinitatis hunc locum notarunt. Sic Plaut. in Poenul.

Quis Pulsat? MI qui te proximus est. GI. quid vis?
Archaismus est. BRU.

97. MAGNA] Pollens. Nam *magnus* excellentem Latinis sonat. Plinius de primis Astrologis. *viri ingentes, supraque mortalium naturam.* Spartianus de Adriano Caesare. *erat memoriae ingentis.* Claudianus in Laudibus Stiliconis.

——— *stat pallidus hospite magno*
Pastor ———

Plinius Panegyrico. *quodcunque tectum magnus hospes impleveris.* Contra *magnum* nonnumquam sto-

Egit, & ignarum perfudit lumine vulgus?
Dic age Pierio, (fas est) Diana, ministro.
Arcadium stat fama senem, quem Maenalus altor

Et

VARIAE LECTIONES.

100. *Stat*] Gronovius. *Dat*, eleganter. *Maenalus altor*] Steyn. *Maenalus*. *Auctor*. Alii *Menalus Autor*. Turneb. *altor*.

NOTAE.

stolidum atque barbarum vocari notarunt docti. BART.

98. LUMINE] Ubique auctoribus ignorantia nocti, scientia diei aequiparatur. Lucr. l. III. de Epicuro suo.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitae,
Te sequor ô Grajae gentis decus.

Sic *lumina* vatibus patefecisse Maecenatem, id est ex ignoratis celebres fecisse, canit auctor Panegyrici ad Pisonem. vers. CCXXIV. Ubi tamen perperam *limina* servant Editiones manus Criticorum passae. Lucano id Carmen adscribunt, sed nec styli nec personae humilitas umquam hoc concessurae videntur. *Patefacere lumina* illud alludit ad illa Lucretii.

Primum Grajus homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus —— BART.

99 PIERIO MINISTRO] Poëtam hac phrasi circumloquitur sese, quem μουσῶν θεράποντα ex Theognide nominat.

Χρὴ μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν.

Viros Theologiae verae, quae in Poëtica vana est, ministros, θεῖα ἐξ οὐρανοῦ κατιόντα πλῆκτρα vocat Justinus Martyr θαυμαστικῶς. Vide suavissimum Poëtarum Theocritum χαρίεντα BART.

100. ARCADIUM STAT FAMA SENEM,] Fama stat penes Arcadium senem. Elegantissima phrasis; ita alii Latini scriptores, *manet aliquem* dicunt *Manet illum perpetua laus*. Quod sexcentis locis obvium est Hanc elegantiam non vidit perspicacissimus aliarum rerum Adr. Turnebus, qui invitis omnibus Gratiis expungere nititur, & suum *sit*, quod ineptissimum prae illo est, loco *stat* nobis inculcare. Si aliter interpretabere, ne minimam quidem festivitatem hic locus habebit, adeoque vix bene Latinus erit, cum hoc modo fit prorsus eleganitissimus. BART. Fallor, nisi omnino ignotiore nomine Aristaeum indicare voluerit, quem *Arcadium magistrum* vocavit Maro Georg. IV. ubi *memoranda inventa* ejus pansurus, eodem quo Gratius modo exclamat.

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia coepit?
Pastor Aristaeus, &c.

Tum quoque, quae Dercylo suo adscribit noster, Aristaeo conveniunt. Adeo hic ipse juste egit ut ideo *à diis inter astra collocatus*, & Aquarius esse Hygino tradatur, sive quisquis ille fuit qui Germanici Caes. Arataea ex Hygino pleraque descripsit, ut data occasione ex MSS. libris ostendam. Idem, aliique plurima inventa Aristaeo attribuunt, & venationem etiam Nonnus Dionysiac. lib. V.

Πρῶτος Ἀρισταῖος νόμιος καὶ ἐπώνυμος ἀγρεύς,

Et mox omne venationis inventum exponit. Nec mirum, quod, cum amita ejus fuerit Diana, primis ab annis educare eum,

Auctoremque operi dignata inscribere tanto.

Sed etiam propter justitiam suam potuit tantopere illi carus fuisse, ut de Dercylo, quem vocat, Gratius, & de Chirone Xenophon, qui ita infit: Τὸ μὲν εὕρημα τῶν θεῶν, ἄγραι καὶ κύνες. ἔδωκαν δὲ καὶ ἐτίμησαν τούτῳ Χείρωνα διὰ δικαιότητα. Homerus Scamandrio Iliad. v. Oppianus Perseo & Centauris inventum hoc adsignant. BART.

100. STAT] Non recte quidem, *sit*, conjiciebat magnus Turnebus: sed quae tanta haec inscitia sit, ob quam à Barthio traducatur, nondum video. Adeo iste impune credidit tantis viris illudere, qui ignosci sibi rogaverat in praefatione, si non semper alba linea iverit, ut stimulum additum ad perfectiores curas habeat, quas huic Poëtae vovisse dicit. Quod si scirem, tali illum nunc stimulo exciperem, ut porro manum à Gratio contineret. Sed ne & mihi venia desit, parcam etiam isti, ut mihi parci volo. *Stat fama*, id est, pertinax penes illum manet. quanquam id verum non sit, ut ex diversis plurimorum traditionibus designavi modo.

Quod-

Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae
Per non assuetas metantem retia valles,
Dercylon. haud illo quisquam se justior egit,
Aut fuit in terris divom observantior alter.
Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,

Au-

VARIAE LECTIONES.

105. *Annis*] *arvis* V. C. Pythoei. *armis* G.

NOTAE.

Quod fortean Turnebo suboluit, cum *scit* rescriberet. Sed recta locutio est, *stat fama*. Ulpianus JC. l. 14. §. 10. D. Quod metus. *Poenâ autem usque triplum stetur*. Ubi male quidam, *praestetur*. VLIT.

100. ARCADIUM STAT FAMA,] Dura haec locutio CL. Gronovio merito visa, cujus gemellam nondum inveni. *Stare alicui rei*, frequens alias in jure nostro. Sic, *veteri jure statur*, apud Ulpianum L. 32. § 10. ff. de donat. int. vir. & ux. *Sententiae stetur* L. 4. §. 2. & §. 5. C. *de rec. arbitr.* Et L. 9. C. *locati*. *Emtorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui venditor locavit*. Avienus Ora Maritima: *stat loco cognomen*. & postea: *hinc Minèrvae stat sacra*. Ita namque legendum. VLIT. *in Add.*

100. STAT] Gronovius, *Dat*. Turnebus, *Scit*. ego tamen nihil temere mutandum censeo. Haec enim loci est sententia. constans adhuc est fama Arcadium illum senem nempe Dercylon egisse aciem in has artes olim incognitas & ignarum vulgus suo lumine illustrasse. JOHNS.

100. ALTOR] Hanc Turnebi emendationem textui non dubitabam inserere contra omnes codices, qui *Auctor* nullo sensu habebant. JOHNS.

100. MAENALUS AUCTOR] Confundit *Maenalum* montem cum Viro ejus nomine, qui monti nomen dedit, adfectata Poëtis elegantia. Ad Maenalum enim Lycaonis filium genus retulisse ait Dercylon istum, à quo *Maenalus* nomen accepit. Vide Calliergi Scholia ad Theocritum *Eidyll. α.* Quare nec hoc loco audimus Turnebum corrigentem, *altor*. Genus enim ad Maenalum referebat. Et veteres credebant unam & eamdem Personam montem & ipsum *Maenalum*. Sic *Atlas* mons pro ipso rege poëtis, & vicissim. Aliaque mille talia, vel pueris in triviis cognita. Quis vero *Dercylos* ille fuerit, memoriae jam non subit. Nec memini nomen hujus alibi legisse. Indagabunt alii, quib. magis faventior Minerva. BART. Nescio quid montem cum viro ejus nomine confundi somniet Barthius Tolerabilior magni Turnebi conjectura, *quem Maenalus altor*. Mihi verisimile est scripsisse Gratium:

——— ——— ——— quem Maenalus auctorem
Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae.

Ut verbotenus respondeat praemissis: *tantis quem primum industria rebus Prodidit auctorem*. quanquam idem sequatur. VLIT.

103. SE JUSTIOR EGIT,] Tò *se* abundat Simili phrasi *tenere se* usus est Virgilius. Abundat vero *se* in plurimis scriptorum locis. Caesar lib. II. de Bello Civili: *portis se foras erumpunt*. *Emergere se*, Manilius lib. IV. Avienus in Periegesi, divino Carmine.

——— qua se flabra trucis Boreae ———
Fructant pelago. ———

Idem.

——— Lux se rursus Eoa
Emergit ———

Titinnius Veliterna.

——— quot pestes, senia, & jurgia
Sese meis aedibus emigrarunt ———

Lucretius.

Nec satis est pro quam largo se exaestuat aestu.

Sallustius. *Omnes homines qui sese student praestare caeteris animantibus*. Plautus *penetrare se*. &c BART.

104. DIVOM OBSERVANTIOR] Virgil.

——— Observantissimus aequi. BART.

104. ALTER.] Ita Virg.

——— quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

BART.

105. ERGO] Nihil caussae connectit haec pro-

Auctoremque operi dignata inscribere magno,
Jussit adire suas & pandere gentibus arteis.
Ille etiam valido primus venabula dente

In-

VARIAE LECTIONES.

108. Tit. in MS. &c. *Genera jaculorum. etiam*] *aciem* G.

NOTAE.

praepositio, ut alioquin, ex natura sua, solet. Ita utitur ea Virgilius Ceiri, ℣. xxxiv.

Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae.

Vide Priscian. li. xviii. Gramm. Quem sane legisse debebat ille de trivio asinus, qui Porticum nuper diis hominibusque invitis irrupit, prius quam ad virum incomparabilem ita hac voce utentem, lacerandum descenderet. Sed Catharmati illi sui mores satis Poenarum sunt, ne quis putet ferrea fronte ruborem aliis expressurum. BART.

105. Primis in annis,] Primis illis temporibus. Noster infra eodem sensu: *inventaque simplicis anni.* ubi plura, & Barthium non intellexisse haec ostendam. Bene tamen quod codicem suum, in quo *armis* dicit esse, non sequitur: neque suum Pythoeus, in quo *arvis* legitur. Unde patet istos librarios quoque hic haesisse. VLIT. Primis illis temporibus. *Vlitius.* Malo, ab ipsa juventute. ut ex *finxit* manifestum est. *udum & molle lutum es, nunc nunc fingendus.* JOHNS.

105. Nemorum Dea] Dianam dicit. v. cd lxxxiv.

Spicatasque faces, sacrum, ad nemora alta Dianae Sistimus ——

Juppiter etiam cognomine Nemorum Dei censetur. Virgil. lib. ii. Georg.

—— *Nemorumque Jovi quae maxima frondet*

Aesculus —— BART.

105. Finxit] Ad suas arteis. Pari phrasi Horat.

Os tenerum pueri, balbumque Poëta figurat.

Puto hanc ab ursis deductam, quae informem massam pariunt, lambendo vero in formam dicuntur fingere & componere. De iis iisdem verbis usi Plinius lib. viii. cap. xxxvi. Agellius Noct. Att. lib. xvii. cap. x. Porro in Vet. Edit. *armis* non *annis* legitur, quod ego verum esse non puto. Nec mutanda lectio vulgaris. BART.

106. Inscribere] Translatio à libris, qui nominib. auctorum *praetitulantur*, ut loquitur divus Hieronymus. BART.

107. Adire suas] Instar possessoris. Phrasis Jureconsultorum è libris translata, quibus, *adire Haereditatem*, eam est capere, & ejus dominium capessere. *Aditionem* in extraneo esse acquisitionem ex Theophili Institutionibus didicimus. Vide & fragmentum Ulpiani. cap. xxii. *Adire bona*, pro eorum possessionem aggredi, Antoninus Imperator dixit. L. i. C. de Testam. Mil. *Subire Haereditatem* eodem modo Paulus L. clxxxi. de Reg. Jur. BART. Tanquam mysteria. JOHNS.

108. Ille] Idem ille etiam primus armavit hastilia venatoria cuspide ferreâ, & inhibens vehementiam vulneris deorsum acti, alis utrinque extantibus cujusvis ferae irruentis onus excepit & moratus est. JOHNS.

108. Etiam] Vetus Edit.

Ille aciem valido primus venabula dente
Induit ——

Quae lectio non indigna est Gratio. *venabula induit aciem, valido dente.* Omnino ita scripsisse videtur *Dens* autem Poëtis quilibet mucro, aut cuspis. Unde *dentes* rastrorum, & eleganter *pectere tellurem* Columella dixit, à dentibus rastri, qui pectinem adsimilant. Et *dentata manus* apud Petronium, denteis pectinis aemulata. Si tamen in Gratio vulgare illud placet, ego non pugnavero. BART.

108. Ille etiam] Barthius dicit in sua sibi editione legi: *Ille aciem.* Itaque nulla ante Dercylon venabula fuerunt, siquidem ex solo ligno constare non possunt. Sed Plinius lib. vii. cap. lvi. Cretenses dicit venabulum invenisse. Verba ejus ita legenda & distinguenda sunt ex MS. cod. Illustris Bosweli: *Pilum Pentesileam Amazonem; securim Pisaeum; venabula & in tormentis scorpionem Cretes.* Fuerunt enim hi primi venatores, primi sagaces canes habuerunt, aliaque in venationis usum, de quibus alibi plura dicam. Varia itaque illa Barthii lectio à mala manu est.

H Cre-

Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae
Per non assuetas metantem retia valles,
Dercylon. haud illo quisquam se justior egit,
Aut fuit in terris divom observantior alter.
Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,

Au-

VARIAE LECTIONES.

105. *Annis*] *arvis* V. C. Pythoei. *armis* G.

NOTAE.

Quod fortean Turnebo suboluit, cum *scit* rescriberet. Sed recta locutio est, *stat fama*. Ulpianus JC. l. 14. §. 10. D. Quod metus. *Poenâ autem usque triplum stetur.* Ubi male quidam, *praestetur*. VLIT.

100. ARCADIUM STAT FAMA,] Dura haec locutio CL. Gronovio merito visa, cujus gemellam nondum inveni. *Stare alicui rei*, frequens alias in jure nostro. Sic, *veteri jure statur*, apud Ulpianum L. 32. § 10. π. de donat. int. vir. & ux. *Sententiae stetur* L. 4. §. 2. & §. 5. C. *de rec. arbitr.* Et L. 9. C. *locati. Emtorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui venditor locavit.* Avienus Ora Maritima: *stat loco cognomen* & postea: *hinc Minèrvae stat sacra.* Ita namque legendum. VLIT. *in Add.*

100. STAT] Gronovius, *Dat.* Turnebus, *Scit.* ego tamen nihil temere mutandum censeo. Haec enim loci est sententia. constans adhuc est fama Arcadium illum senem nempe Dercylon egisse aciem in has artes olim incognitas & ignarum vulgus suo lumine illustrâsse. JOHNS.

100. ALTOR] Hanc Turnebi emendationem textui non dubitabam inserere contra omnes codices, qui *Auctor* nullo sensu habebant. JOHNS.

100. MAENALUS AUCTOR] Confundit *Maenalum* montem cum Viro ejus nomine, qui monti nomen dedit, adfectata Poëtis elegantia. Ad Maenalum enim Lycaonis filium genus retulisse ait Dercylon istum, à quo *Maenalus* nomen accepit. Vide Calliergi Scholia ad Theocritum *Eidyll. α.* Quare nec hoc loco audimus Turnebum corrigentem, *altor.* Genus enim ad Maenalum referebat. Et veteres credebant unam & eamdem Personam montem & ipsum *Maenalum.* Sic *Atlas* mons pro ipso rege poëtis, & vicissim. Aliaque mille talia, vel pueris in triviis cognita. Quis vero *Dercylos* iste fuerit, memoriae jam non subit. Nec memini nomen hujus alibi legisse. Indagabunt alii, quib. magis faventior Minerva. BART. Nescio quid montem cum viro ejus nomine confundi somniet Barthius. Tolerabilior magni Turnebi conjectura, *quem Maenalus altor.* Mihi verisimile est scripsisse Gratium:

——— ——— ——— quem Maenalus auctorem
Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae.

Ut verbotenus respondeat praemissis: *tantis quem primum industria rebus Prodidit auctorem.* quanquam idem sequatur. VLIT.

103. SE JUSTIOR EGIT,] Τὸ *se* abundat Simili phrasi *tenere se* usus est Virgilius. Abundat vero *se* in plurimis scriptorum locis. Caesar lib. II. de Bello Civili: *portis se foras erumpunt. Emergere se*, Manilius lib. IV. Avienus in Periegesi, divino Carmine.

——— qua se flabra trucis Boreae ———
Fluctant pelago. ———

Idem.

——— Lux se rursus Eoa
Emergit ———

Titinnius Veliterna.

——— quot pestes, senia, & jurgia
Sese meis aedibus emigrarunt ———

Lucretius.

Nec satis est pro quam largo se exaestuat aestu.

Sallustius. *Omnes homines qui sese student praestare caeteris animantibus.* Plautus *penetrare se*, &c BART.

104. DIVOM OBSERVANTIOR] Virgil.

——— Observantissimus aequi. BART.

104. ALTER.] Ita Virg.

——— quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

BART.

105. ERGO] Nihil caussae connectit haec pro-

Auctoremque operi dignata inscribere magno,
Jussit adire suas & pandere gentibus arteis.
Ille etiam valido primus venabula dente

In-

VARIAE LECTIONES.

108. Tit. in MS. &c. *Genera jaculorum. etiam*] *aciem* G.

NOTAE.

praepositio, ut alioquin, ex natura sita, solet. Ita utitur ea Virgilius Ceiri, ℣. xxxiv.

Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae.

Vide Priscian. li. xviii. Gramm. Quem sane legisse debebat ille de trivio asinus, qui Porticum nuper dus hominibusque invitis irrupit, prius quam ad virum incomparabilem ita hac voce utentem, lacerandum descenderet. Sed Catharmati illi sui mores satis Poenarum sunt, ne quis putet ferrea fronte ruborem aliis expressurum. BART.

105. Primis in annis,] Primis illis temporibus. Noster infra eodem sensu: *inventaque simplicis anni.* ubi plura, & Barthium non intellexisse haec ostendam. Bene tamen quod codicem suum, in quo *armis* dicit esse, non sequitur: neque suum Pythoeus, in quo *arvis* legitur. Unde patet istos librarios quoque hic haesisse. VLIT. Primis illis temporibus. *Vlitius.* Malo, ab ipsâ juventute. ut ex *finxit* manifestum est. *udum & molle lutum es, nunc nunc fingendus.* JOHNS.

105. Nemorum Dea] Dianam dicit. v. cd lxxxiv.

Spicatasque faces, sacrum, ad nemora alta Dianae Sistimus ——

Juppiter etiam cognomine Nemorum Dei censetur. Virgil. lib. ii. Georg.

—— *Nemorumque Jovi quae maxima frondet*

Aesculus —— BART.

105. Finxit] Ad suas arteis. Pari phrasi Horat.

Os tenerum pueri, balbumque Poëta figurat.

Puto hanc ab ursis deductam, quae informem massam pariunt, lambendo vero in formam dicuntur fingere & componere. De iis iisdem verbis usi Plinius lib. viii. cap. xxxvi. Agellius Noct. Att. lib. xvii. cap. x. Porro in Vet. Edit. *armis* non *annis* legitur, quod ego verum esse non puto. Nec mutanda lectio vulgaris. BART.

106. Inscribere] Translatio à libris, qui nominib. auctorum *praetitulantur*, ut loquitur divus Hieronymus. BART.

107. Adire suas] Instar possessoris. Phrasis Jureconsultorum è libris translata, quibus, *adire Haereditatem*, eam est capere, & ejus dominium capessere. *Aditionem* in extraneo esse acquisitionem ex Theophili Institutionibus didicimus. Vide & fragmentum Ulpiani. cap. xxii. *Adire bona*, pro eorum possessionem aggredi, Antoninus Imperator dixit. L. i. C. de Testam. Mil. *Subire Haereditatem* eodem modo Paulus L. clxxxi. de Reg. Jur. BART. Tanquam mysteria. JOHNS.

108. Ille] Idem ille etiam primus armavit hastilia venatoria cuspide ferreâ, & inhibens vehementiam vulneris deorsum acti, alis utrinque extantibus cujusvis ferae irruentis onus excepit & moratus est. JOHNS.

108. Etiam] Vetus Edit.

Ille aciem valido primus venabula dente

Induit ——

Quae lectio non indigna est Gratio. *venabula induit aciem, valido dente.* Omnino ita scripsisse videtur *Dens* autem Poëtis quilibet mucro, aut cuspis. Unde *dentes* rastrorum, & eleganter *pectere tellurem* Columella dixit, à dentibus rastri, qui pectinem adsimilant. Et *dentata manus* apud Petronium, denteis pectinis aemulata. Si tamen in Gratio vulgare illud placet, ego non pugnavero. BART.

108. Ille etiam] Barthius dicit in sua sibi editione legi: *Ille aciem.* Itaque nulla ante Dercylon venabula fuerunt, siquidem ex solo ligno constare non possunt. Sed Plinius lib. vii. cap. lvi. Cretenses dicit venabulum invenisse. Verba ejus ita legenda & distinguenda sunt ex MS. cod. Illustris Bosweliî: *Pilum Penthesileam Amazonem; securim Pisaeum; venabula & in tormentis scorpionem Cretes.* Fuerunt enim hi primi venatores, primi sagaces canes habuerunt, aliaque in venationis usum, de quibus alibi plura dicam. Varia itaque illa Barthii lectio à mala manu est.

Induit: & proni moderatus vulneris iram

Omne

NOTAE.

Cretenses venabula invenerunt, & primus ea valido dente induit Dercylos. An ferreo? ita videtur, cum alio jam muniissent venabulum suum antea Cretenses, sed minus valido. Ita & Indi, qui etiamnum hodie primam illam mundi infantiam repraesentant, vero dente vel osse aliquo hastilia sua muniunt. Doctissimus Gronovius observat lib. II. cap. XIII. additam venabulo hic *λόγχην τομωτάτην ϗ στιγμῇ εὐθεῖαν*, verbis Pollucis, ex lib. V. cap. III. Quod hic *valido dente* induere est, idem statim erit, *verutis dentibus strictum*. At si *veruti dentes*, & *geminae furcae* eaedem quae antea *morae* sint, ut τῷ δῆθεν visum, etiam hic validum dentem esse censeam qui moris excipit onus. Singulari pro duali posito *validi dentes* sunt, quas *geminas furcas* statim vocat. Ita non primus invenerit aut praefixerit cuspide venabula Dercylus, sed à Cretensibus inventa & leviter instructa, ut verisimile est, duobus utrinque dentibus, sive moris insuper munierit, qui obliquam dentium figuram plane referunt, ut *dentes* pro *varis* apud Calpurnium modo habebamus. Sed si *dentem* pro cuspide accipimus, ita & *veruti dentes* accipiendi erunt: & *morae*, quas geminae furcae faciunt, longe ab iis diversae manent. Nec aliter dentes illi paulo post interpretandi: *exigui spicant hastilia dentes*. Hoc sensu potest legi: *Ille aciem*, quod alias ineptum sit. VLIT.

109. PRONI MODERATUS] elegantissime. *Moderari* enim *vulnus* est certo ictu, non cum impetu infligere. Id quod *temperare* non minus festive auctoreis dicunt. Appulejus lib. III. *alium pedibus meis mordicus inhaerentem, per scapulas ictu temperato, perimo*. Ita idem non semel aliorum librorum. & Phaebadius in libello contra Arrianos. *Ira* vim inconsultam & impetum vulneris denotat. Nam is adfectus *obstat oculis*, ut ait Plautus, & nihil consulto fieri finit. ut loquitur Xenophon, Ἐπιστ. v. BART. *Proni vulneris ira* est, cum praeceps in mortem suam fera, ita prono pectore vulnus telumque recipit, ut transmisso eo per pectus suum ipsi venatori manum adeat. Quod proprium aprorum est. Halieutico fragmento:

Actus aper setis iram denuntiat hirtis,
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri,
Pressus & emisso moritur per vulnera telo.

De eodem intelligendus Ausonius Epigrammate II. ubi aprum ita circumscribit innominatum;

Cedere quae lato nescit fera saucia ferro,
Armatique urget tela cruenta viri.

Lemma ipsum est, *de fera a Caesare interfecta*. Dubium non est aprum significari, qui nunquam devitare solet venatorem, sed simul ac conspectum, incurrit. Quanquam memini in Gallhis vidisse, quos solo clamore in fugam agebamus. Sed minoris hi generis erant, quam quales graphice describit Xenophon cap. XXVIII. omnesque antiqui. Hinc lucem spero affore depravatissimo loco Silii Italici lib. primo, qui vulgo ita concipitur:

——— ——— ——— *postrema capessit*
Praelia candentem mandens aper ore cruorem,
Jamque gemens geminum contra venabula torquet.

Per *geminum* dentes intelligit Dausquaejus. Romana princeps editio partim, & MSS. cod habent: *spumantem mandens aper ore cruorem*, & *intra venabula fertur*. quod elegantissimum est, & Xenophontis illa exprimit: *ἀφίκοιτ' ἂν διὰ τῆς ῥάβδου προωθῶν αὐτὸς πρὸς τὸ προβόλιον ἔχοντα*. Sidonius Panegyri dicta Anthemio:

Nunc torto penetrare veru, cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos.

Sed quid τῷ *geminum* fiet? An *gemituque intra v. fertur*? nisi quis malit *geminum cornu in venabula torquet*, vel, *gemino cornu in venabula fertur*. Ut sunt apud Calpurnium Ecl. ult. *non sine cornibus apri*. Maronis illa utrumvis commendant lib. III. Georg.

Versaque in obnixos torquentur cornua vasto
Cum gemitu, & statim: *Multa gemens*, &c.

VLIT. Seneca de Ira lib. III. cap. III. *Gaudent feriri & instare ferro, & corpore tela urgere, & per suum vulnus exire*. Quod eleganter, *induere se telo*, vocat Livius lib. XLIV. cap. XLI. Et Naso XII. Metam.

——— *& pondere corporis ornum*
Ingentem fregit, suaque induit ilia fractae.

Quod idem est ac si dixisset, suis iliis induit ornum. Ita & Plinius lib. XIX. cap. VII. *Cum pervenit ad palmum altitudinis*, pro, ad altitudinem palmi. Unde non mirum videri debet, quod apud Gratium, *clauserunt ensibus orbes*, positum dixi, pro clauserunt orbibus enses, mox v. CXII. Sidonius Panegyri Anthemiana:

Nunc torto penetrare veru, cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos.

Lu-

Omne moris excepit onus. tum ſtricta verutis

Den-

NOTAE.

Lucanus de Leone, lib. I.

——— latum ſubeant venabula pectus,
Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.

Valerius Flaccus lib. VI. *mediam moriens deſcendit in haſtam.* Quod vero *ſpumantem cruorem* apud Silium reſtitui, ipſe confirmat lib. X.

——— Interdum languentia murmura torquens
Effugit patulo ſpumantem ex ore cruorem. VLIT. *in Add.*

109. PRONI] Deorſum acti. peſſime hunc verſum interpretatus eſt Vlitius, qui per *pronum vulnus* feram prono pectore in telum irruentem ſignificari contendit. JOHNS.

110. MORIS] Irruentis ita, ut dixi, apri *onus moris excepit* Dercylos. id eſt, extantibus utrinque alis moratus eſt feram ne totum ſubiret venabulum. Dicit Gratius hunc primum adinveniſſe duas illas furculas, quae circa medium fere cuſpidis utrinque prominent. Κνώδοντας vocavit Xenophon, ex quo egregie deſcripſit illos Pollux lib. V. cap. IV. initio. Nam quae ex fine cap. III. adduxit Vir doctiſſimus, nihil omnino huc faciunt, ut & illa ſequentia oſtendunt: πρὸς ἣ τῆς οὐς κατ' τὸ τοῦ αὐλοῦ τέλος, πρὸ τῆς πτέρυγος, τὸ προβόλιον κνώδοντας ἀμφοτέρωθεν ἐχέτω τῷ αὐλῷ συγκεχαλκευμένους στέρεον στερεοῦ ἐκκεκρουμένους προβεβλημένους, ὡς μὴ προσωθῶν αὐτὸν ὁ σῦς ἀφίκοιτο διὰ τοῦ δόρατος εἰς τὸν ἄνθρωπον· ἀλλὰ καὶ οἱ κνώδοντες ἱστάντες αὐτοῦ τὴν ὁρμὴν ἐμποδὼν τῇ ῥύμῃ γίνονται εἰς τὸ πρόσω μὴ προχωρεῖν. Non πτέρυγες itaque moram faciunt, neque in extrahendo mora illa eſt, ſed quam in ingreſſu κνώδοντες ſive dentalia habent. Non aliter quam ſi quis enſe tranſadigat quidquam capulo tenus, ipſe capulus moretur & ſiſtat impetum. Silius lib. I. *ſimul exigit enſem Qua capuli ſtatuere morae.* Quod plane Sophoclis illud explicat Antigono: ξίφους ἕλκε διπλοῦς κνώδοντας. quanquam longe diverſa mente expoſitum à doctiſſimo Scholiaſte. Dentalium horum plurimas exprimi formas curavi in ipſo titulo libelli hujus, partim ab antiquo partim à conjectura delineatas, ut ne *morae* hae legenti moram facerent. Contrariae enim his ſunt, quas in extrahendo ſagittae habent. Lucanus lib. VI.

Ille moras ferri, nervorum & vincula rupit,
Affixam evellens, oculo pendente, ſagittam.

Ideoque triangulum verutum à Vegetio, & τριγλώχινα talem ſagittam appellaſſe Homerum Iliad. XI. facile Viro doctiſſimo aſſenſerim: an tamen ſagittam potius quam venabulum cum geminis ſuis furcis per αἰχμὴν τριγλώχινα ſignificaverit Oppianus, ſummopere dubitem. Imo omnino venabulum intelligi convenit, cujus mentionem in armis recenſendis credibile non ſit eum omiſiſſe, ſed magis ab eo incepiſſe. Sagittam etiam ſemel nominaſſe ſufficit in ſequenti verſu. Hoc vero:

Αἰχμὴν τριγλώχινα, σιγύνην εὐρυκάρηνον,

Utramque venabuli ſpeciem complexus eſt, quam & hic apud Gratium eodem ordine habemus, triſurcam ſcilicet, & orbiculo toto clauſam. VLIT. Προβολὰς vocat Heſychius, atque inde προβόλιον. quod illi eſt, σιγύνη ἔχουσα μέσον τὴν αἰχμὴν προβολάς. Eleganter Naſo lib. II. Amor. El. XI. *conchas bibuloſve lapillos, bibuli litoris moram* vocat, quaſi undas morentur. Quod autem *apros excipi* obſervavi, inveni & apud Flaccum lib. III. Od. XII. *alto* (vel potius *arto*, ut modo corrigebam) *latitantem fruticeto excipere aprum.* Et apud Ammianum lib. ult. *Si qui adultus aprum exceperit, vel urſum interemerit.* Apud Curtium lib. VIII. Lyſimachus etiam *leonem excipere* dicitur. Ad hoc valido niſu firmoque gradu venatori opus eſt. Unde recte Claudianus, *nixuſque genu venabula tendit.* Quod perperam de inflexo poplite interpretatus fui. Nam de firmato intelligendum. Quippe alterum periculoſum omnino, ideoque merito reprehenditur in Parthenopaeo à matre venatrice, apud Statium Theb. IV.

——— ——— ——— nuper te pallida vidi,
Dum premis obnixo venabula cominus apro.
Poplite ſucciduo reſupinum, ac pene ruentem.

Et paulo ante venator leonem excepturus dicitur, *ſudantia niſu Tela premens.* VLIT. *in Add.* Αἱ ἑκατέρωθεν προβολαί. V. Pollucem. JOHNS.

110. EXCEPIT] Artis hujus vocabulum eſt, quam in venabulo tenendo egregie inſtruxit Xenophon cap. XXVII. & ab eo Pollux lib. V. cap. IV. & proprie quidem ad excipiendos apros. Uti ad Calydonium illum excipiendum apud Ovidium:

——— ——— ——— protentaque forti
Tela tenent dextra lato vibrantia ferro.

Martialis in Apophor. *Venabula:*

Excipient apros, expectabuntque leones,
Intrabunt urſos, ſit modo firma manus.

Emendandus hinc Iſidorus lib. XVIII. c. VII. *Vena-*

na-

Dentibus & geminas subiêre hastilia furcas.

Et

VARIAE LECTIONES.

111. *Et geminas*] *In gem.* G. *Furcas.*] *Furca.* MS.

NOTAE.

nabula dicta quasi venatui habilia. Excipia quia venientem excipiunt, quasi excipiabula. Excipiunt enim apros, & seq. quae ex illo Epigrammate expressit. *Excipiabula* etiam Servius vocat ad IV. Aeneid. Respexit Martialis ad collocationem illam qua infimum hastile dextris pede & manu firmantes, laeva in feram dirigebant cuspidem. Unde lucem capit Seneca Hippolyto:

Tu grave dextra, laevaque simul
Robur lato dirige ferro.

Claudianus etiam genu inflectit lib. II. in Rufinum: *nixusque genu venabula tendit.* Quod debilitare potius quam stabilire excipientis gradum videtur. VLIT.

110. Onus.] Omne negocium venatorium. Quod grave erat, mora vero & ingenio leve redditum est. BART.

110. Tum stricta verutis] Constructio sermonis est, tum stricta hastilia verutis subiere, & mox geminas furcas. Ut vox *subiere ἀπὸ κοινοῦ* repetenda sit. Sed Gratius noster ita intricate loqui non solet. Quare accedendum arbitror veteri Editioni, quae loco *&*, *in* habet hoc modo.

——— ——— ——— *tum stricta verutis*
Dentibus, in geminas subiere hastilia furcas.

Veruti denteis dicuntur mucrones instar veruum una cuspide prominentes. Nam *veru* est telum unius & rectae cuspidis. Sidonius.

Inventas agitare feras, & fronde latenteis
Quaerere, deprensas modo claudere cassibus arctis,
Nunc torto penetrare veru. ———

Et *veru Salellum* pro telo militari apud Virgil. lib VII. Cujus ejusdem est & adjectivi modo *Veruti* vocis usus II. Georg.

Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos.

Id est, verubus armatos; ut *galeati* dicuntur galeis muniti &c. Mox ait Gratius ab inventis simplicibus cuspidibus, hastilia caepisse duplicibus mucronibus praefigi, ut instar furcarum gemino vulnere laederent feras. Quin alios tot cuspidibus hastilia praefixisse, ut integrum orbem mucronum, in uno telo praeferre visi sint. Illa vero non inelegans phrasis est, *subiere in furcas*, pro in eas mutata sunt: Cujus generis alias notavimus ad Claudianum IV. Consul. Honorii. BART. Jam dicebam aut cuspidem, aut idem quod geminae furcae significare *verutos dentes*. Hac notione legendum *structa*, pro instructa, ut Firmicus lib. VIII. cap. IX. *Parabunt retia, venabula, sagittas, & quicquid ad structionem ejus studii pertinet.* Priore autem significatu, *stricta* elegantissime dicitur: & *verutis*, id est acutis, *dentibus* respondet. Nam *veruta pila dicuntur, quod veluti verua habent praefixa*, ut legendum apud Festum in schedis. Varro ὄνος λύρας satyra: *Nempe sues silvaticos in montibus sectaris venabulo, aut cervos, qui tibi mali nihil fecerunt, verutis. ô artem praeclaram!* Ita continuanda & scribenda haec apud Nonium cap. penult. quae vulgo corruptissima, & divulsim leguntur. Ibidem Nonius *Varutum telum breve & angustum* explicat. Unde & hic *verutis dentibus stricta hastilia* non sunt lato venabula ferro, sed angusto & tereti. Idque aptius omnino ad excipiendos apros At cum caesim quoque pugnandum est, non tereti sed bifida & lata cuspide esse oportet, quae *lato venabula ferro* vocant Maro & Naso, nisi [illegible] utrobique potius interpretemur. Nonius ibidem: *Venabulum venantium telum latissimum, à caeteris aciei longitudine*, diversum puta. Ille etiam latitudinem circa obeliscum, ubi totos alii orbes clauserunt, & per aciei longitudinem verutum dentem & teretem cuspidem agnoscere videtur, & scripsisse: *exserta aciei longitudine* Sed de his latiferreis ex professo statim agendum est. VLIT.

110 Tum] Deinde etiam hastilia, strictâ cortice, subiere furcas geminas dentibus in morem veruti instructas. JOHNS.

111. Subiere] Quis nescit hastilia per fistulam cuspidis usque ad alas vel geminas furcas, quae in medio sunt, subire? Barthius: *subiere in furcas*, pro in eas mutata sunt. Cujus generis alias phrases, inquit, notavimus ad Claudianum. Euge, Barthi, qui talia cirratorum centum dictata scholis nostris approbasti! sequenti versu ejusdem etiam generis tua nota est. Quare in Saturnalia haec, quia sine risu legi nequeunt, differemus; & omisso te jam abhinc Gratio toti

Et quidam totos clauserunt ensibus orbes,

Ne

VARIAE LECTIONES.

112. *Totos*] *Notis.* MS. & Pythoe. *votis.* G.

NOTAE.

ti incumbemus. VLIT.

112. Totos] Vetus Codex, ut testatur Pithaeus, quem Editorem ajunt Poëmaticorum Farraginis, habuit *notis.* Eumdem puto illum Codic. cum Editione nostra fuisse. Sed in ea *votis* excusum prostat. Mihi vero tanti ejus auctoritas non est, ut putem operaepretium facturum, qui aliud quid excogitare abinde voluerit. Ait Gratius quosdam tot cuspides telo uni praefixisse, ut in orbem visi sint eas totum disposuisse, ne ullo modo parceret vulneribus ferinis telum. BART.

112. Clauserunt] Mire indulget abstrusis & vere Poeticis locutionibus Gratius noster. E quarum numero & haec est, insolentior, quam pro vulgari captu. Describit hic nobis *δικράνια σιβύνια*, quae post exsertam aciei longitudinem ferreum orbiculum sive obeliscum latissimum furcarum loco, sed eundem in usum, habent. Haec ideo *lato venabula ferro* vocant Maro & Naso: hic potissimum qui in excipiendo apro Calydonio talia adhibuit. Quorum figuras aliquot in titulo libelli hujus ex veteribus marmoribus & nummis exhibui. *Totos clauserunt ensibus orbes*, idem est ac si dixisset, totis clauserunt orbibus enses. Τὸ *ensibus* tertii casus est, vel pro *in ensibus. Claudere* est circumdare. *Toti orbes* sunt, qui enses sive cuspides totas circumeunt, cum furcae tantum ab uno & altero latere extent. Orbes autem aliqui harum loco adhibuerunt, ut eo validius irruentem feram exciperent, & massa tota illa certius onus sustineret, quam dentalia quae forsan nimium intrare, vel aliquo casu rumpi poterant. Eodem ordine post furcatum venabulum *σιγύνην δικράνιον* subjungit Oppianus. Hesychius *σιγύνας, ξυστὰ δόρατα, ἢ τὰς ὁλοσιδήρους ἀκοντίας* exponit. Nec aliter Eustathius apud Homerum, qui ligneum nihil in iis agnoscit, sed totos ferreos. *Soliferrea* ad verbum redditur apud Gellium lib. x cap. xxv. *Phalarica, semiphalarica, soliferrea, gaesa.* Ita scribendum. Nam *γαισὸν* quoque soliferream hastam interpretantur Grammatici. Pollux lib vii. Δοράτων, δόρυ ὁλοσίδηρον καλεῖται ἢ γαισὸς, ἢ ἴσως Λυδικόν. Apud Pausaniam in Atticis legendum quoque *γαισός, ὁλοσίδηρον δόρυ*, ubi vulgo *γαῖσ…*. Et apud Festum, *gaesum, grave jaculum.* Seneca Hippolyto Phaedram venantem dicit velle:

Et rigida molli gaesa jaculari manu.

Ita leg. ex melioribus codd. *Gaesum* enim reddit *ἐπιλόγχιον βέλος* apud Euripidem, melius sane quam Scholiastes, qui mire eo loci nugatur. *Gaesum* tamen & *σιγύνας* aliquo modo inter se differre crediderim, & errare illos qui confundunt etiam cum *ζιβύνῃ* sive *ζιβύνιον*, cujus mentio in novella constitutione lxxxv. ἢ τὰς τε καλουμένας ζιβύνας, ἤτοι μινσίκια. Profecto soliferreae hastae sive *σιγύνοι ὁλοσίδηροι* graviores erant, quam ut missilium instar haberentur. Et etymon etiam diversum est. Nam *σιγύνους* (ita vocantur à Lycophrone) quasi *γυμνὸν σίδηρον* esse observavit Tzetzes: & Suidas, aliique Macedonicum telum esse tradunt. At *sibina* ejusdem originis & generis est, cujus *sibus*, quod acutum interpretatur Paulus Festi abbreviator. Fallitur tamen ille cum *sibinam telum venabuli simile* esse hariolatus est ex versu Ennii:

Illyrici restant sicis, sibinisque fodentes.

An igitur venabulis fodiebant Illyrici? imo sibinis, jaculi genere, ut existimare est, acuto & πλατυσιδήρῳ. At in Glossis etiam legitur vulgo, *σιβυνὴ venabulum*, ubi omnino emendandum est, *σιγυνὴ.* Hesychius quoque erroris hujus particeps est: Ζιβύνη, ὁλοσίδηρον ἀκόντιον. Quod sequentia satis arguunt: ἢ λόγχη, ἢ σπάθη, ἢ μάχαιρα. Ζιβύνια, λογχίδια μικρά. Posterior haec notio vera est: cui prior tota adversatur, & errorem suum prodit. Nam & alibi ipse Hesychius: Σιγύνη, ὅπλον δόρατι παραπλήσιον. Ne opus sit Suidam advocare, qui utramque vocem ita distinguit: Σιβύνη ἀκόντιον Ῥωμαϊκόν. Σιγύνη καὶ σιγύνης τὰ δόρατα παρὰ Μακεδόσι. ἐν ἐπιγράμματι.

Ταινίαι, τάν τε πέραν τε, καὶ ἀγκυλόεντα σίγυνον.

Quae si inspexisset Cl. Rittershusius, non confudisset venabulum cum jaculo, aut Suidam ad id probandum allegasset temere. In epigrammate illo *ἀγκυλόεντα σίγυνον* obiter observandum est non pro soliferreo, sed pro furcato venabulo poni, quale hic apud Gratium Dercylos forma-

Ne cessaret iners in vulnere massa ferino.
Blandimenta vagae fugies novitatis; ibidem
Exiguo nimiove nocent. sed lubricus errat
Mos, & ab expertis festinant usibus omnes.
Quid, Macetûm immensos libeat si dicere contos,

Quam

VARIAE LECTIONES.

114. *Interpungunt Vlit.* Aliique *novitatis ibidem:*
117. *Macetûm*] Ita MS. & Pythoe. *Macedûm* A. & Steyn.

NOTAE.

vit. Unde conjicio non semper soliferreum, sed solido maxime & lato ferro munitum proprie σιγύνας esse. Quis enim unquam vidit tota ferrea venabula, aut quomodo tractari commode potuerunt? Quid militiae actum sit, non dico. At in venatione σίγυνοι nihil aliud sunt, quam quae hic describit Gratius lato venabula ferro, cujus ingens massa ὀξυκάρηνον σιγύνην quidem refert. Nescio tamen an ὁλοσίδηρος dici mereatur, nisi pro solidiferreo, non soliferreo, interpretari liceat. VLIT. Vlitianam explicationem hisce versibus posse elici nullo modo crediderim. Nam quid, quaeso istâ Hypallage durius fingi potest? aut quis unquam Gratianum illud,

Ne cessaret iners in vulnere massa ferino,

recte judicabit exprimi per illa Vlitiana, *ut eo validius irruentem feram exciperent, & massa illa tota certius onus sustineret.* Haec mihi videtur Gratii mens. Quidam induxerunt tota hastilia rotunda laminis ferreis, ne iners ligni massa in fero vulnerando cessaret, & minus alte adigeretur. Dercylus quidem moderatus est proni vulneris iram moris utrinque extantibus; alii è contra veriti, ne vulnus minus alte adigeretur, totum hastile ensibus circumdant. Tu vero fuge blanditias, inquit Gratius, vagae novitatis. JOHNS.

113. Vulnere massa] Hunc versum vetus Editio cum pulvisculo non habet. *Massam* videtur inertem appellare clavam illam sive ligneum telum, cui infixae fuerint tot cuspides. Ea ipsa per se ad vulnera iners erat, quippe lignum non adeo grave, nec acutum. Quod *ne cessaret*, hoc est, ullo modo finem vulnerandi faceret, tot in orbem mucronibus suffixum erat. Aliam hujus versus interpretationem non habeo. Sed vox *massa* suspecta est admodum. Videant qui post nos hujus carminis interpretationem aggressuri sunt. Nam primi nos ab omnibus cautam molem tam infirmis humeris subivimus. BART.

114. Blandimenta] Ne temere quis jam usitatis telis novas species det vel affingat, monet. BART.

114. Fugies] V. Not. ad v. 29. JOHNS.

114. Ibidem:] Interpunctionem mutavi & conjunxi *ibidem* cum sequentibus *exiguo*, &c. *ibidem* enim idem valet ac, *in illâ re*, nempe venatione. peccatur itaque, inquit Gratius, in venando, si vel nimia vel exigua sit venabuli cuspis. alioqui languet sententia. JOHNS.

115. Exiguo nimiove] Defectu vel excessu vulgo dicant. *Exiguum* pro curto posuit. Ut *brevis* vocabulo usa cadens aut inclinans Latinitas. BART. Venationi incpta sunt hastilia, quibus vel nimia, vel perexigua sit, cuspis. JOHNS.

115. Lubricus errat] Mos hominum, ait, lubricus hinc inde errat, & jam cognita omnes contemnunt. BART.

116. Expertis] Passiva significatione hac utitur voce. Virgilius Ceiri ℣. cccxv.

Expertum multis miserae mihi rebus amorem.

Asinius Pollio. *Cujus experta vis bello Germanico traducta ad custodiam Illyrici est.* Attius.

Multa inventa expertaque ex hoc sunt bona.

Statius Achilleide I.

Tela movet, leviterque expertas pollice chordas
Dat puero ——

Salvianus lib. II. ad Eccles. Cathol. *nova virtute praediti, concessasque, & quod magis est, expertas corporum voluptates admirabilis continentiae aestimatae calcanteis.* Ita Suetonius lib. VIII. Vellejus Paterculus lib. II. *alii.* BART.

117. Macetum] Ita recte scribitur, non ut vulgo solent, *Macedum.* Hesychius. μακέτα, μακεδονία. Vide Illustrem Scalig. Auson. Lect. li. I. c. XXIII. Porro *Macetum* hastas merito *immen-*

Quam longa exigui ſpicant haſtilia dentes?
Aut contra ut tenero deſtrictas cortice virgas

Prae-

VARIAE LECTIONES.

119. *Deſtrictas*] *diſtrictas* Editi, ſed *deſtrictas* cit. Turn.

NOTAE.

menſas vocat. erant enim XIV. ad minimum cubitorum, ut docemur à Leone Imperatore τακτικῶν cap. VI. in fine BART. Macedonum. Macedonia vocatur & *Macetia*. Hinc *Macetae*. JOHNS.

117. IMMENSOS] Longiſſimos. Hoc enim valet *immenſi* non raro vox. Claudianus de haſta Martis.

——— *immenſaque cornus in hoſtem*
Porrigitur, tremuliſque ferit ſplendoribus Hebrum.

Idem lib. II. in Rufinum,

——— *ligat immenſa virideis indagine ſilvas.*

Ovidius lib. V. Metamorph.

Spargit, & immenſos edera collecta capillos
Calliope, querulas praetentaus pollice chordas.

Aliquando *innumerabilis* eadem voce deſignatur. Statius Silvis.

——— *immenſis urnam quatit Aeacus umbris.*

Et haec non nimis trita ſunt. BART.

117. CONTOS,] Sariſſae à Maced. vocantur. JOHNS.

118. QUAM LONGA] Verbotenus haec expreſſit Apulejus initio lib. X. *Sed etiam lanceam longiſſimo haſtili conſpicuam, in ſummo ſarcinarum cumulo, adinſtar exercitus, ſedulo compoſuerat* Nam &, de quo loquitur, è Macedonia forſan, à qua non longe aberat, miles erat. Mira tamen illa locutio, lancea longiſſimo haſtili conſpicua, pro cuſpide ſuper longiſſimum haſtile exaltata. *Lanceam* pro λόγχη poſuit, unde forſan & originem trahit. Alias pro tota haſta ponitur. Siſenna apud Nonium: *Galli materibus, Suavi lanceis configunt.* Ita videtur legendum ex vett. librorum ſcriptura, *ſani*. Ut *Suavos* Suevos recentior librarius vocaverit, qui hodie Suabi, & lanceis etiamnum utuntur, & lancearii ſua lingua vocantur. *Lancer* Gallis eſt jaculari; unde aliqui, niſi fallor, lanceam deducunt. Eſtque longiſſimum, quale Macedonibus hic attribuitur, cum exiguo ferro haſtile, quod per totam fere Europam nunc militat, & merito venatori incommodum eſſe cenſetur à Poëta noſtro. Quare miror unde Suidae in mentem venit, σιγύνας Macedonibus attribuere, niſi ξυστὰ δόρατα intellexerit ex priore Heſychii expoſitione, quia & lanceae illae laevitate ſua commendantur. Vix tamen erroris immune hoc eſt, cum diſertim in Epigrammate, quod adducit, pro venabulo ponatur σιγυνον, & Macedonica lancea, ut dico, in venatione uſum habere non poſſit. VLIT. Florus lib II. cap VII. *Nihil terribilius Macedonibus fuit ipſo vulnerum aſpectu; quae non ſpiculis, non ſagittis, nec ullo Graeculo ferro, ſed ingentibus pilis* (Romanorum puta) *nec minoribus adacta gladiis ultra mortem patebant.* Graphice omnino, & Romano autore dignum. Livius lib. XXXVII. de iiſdem: *impeditus intercurſu ſuorum uſus praelongarum haſtarum: ſariſſas Macedones vocant.* Et lib. XLIV. *immobilem longitudine & gravitate haſtam* vocat Macedonicam. VLIT. *in Add.*

118. SPICANT] Vetus verbum *ſpicare*. Nam *ſpicum* dicebant quod nunc frequentius *ſpiculum* perhibetur. *Crinale ſpicum* apud Martianum Capellam acus crinalis, quam *diſcerniculum* dixit Lucilius li. IX. de Nuptiis Philologiae. *Spicum* à Cicerone dicitur, quod Virgo inter ſigna coeleſtia manu geſtat. Hinc *ſpicare* eſt adfigere ſpiculum; quod *ſpicalare* dicit Plinius. Notavit hujus verbi uſum hoc loci Turnebus lib. XXI. ca. XXV. Adverſ. Sed ſine exemplis Antiquorum. Exſtat hoc in Minutii Felicis Octavio. *Spicatus flos*, apud Antonium Muſam, niſi titulus mentitur auctorem, in libro de Remediis Betonicae. Dracontius verſificator in Hexaëmero:

Ventus alit fluctus, & ventus ſpicat ariſtas.

Deſpicati homines dicuntur, qui mos hodie barbarorum Turcorum, palo acuto inducti. Rufinus Eccleſiaſt. Hiſtoriar. libro XI capite XXIV. *ut omittam caetera flagitia, quae in aliis locis, vi necatis parvulis deſpicatiſque virginibus, ob fibrarum inſpectionem, gerebantur.* Quamvis potius ibi diſpeſſionem quampiam videtur denotare. *Tecli deſpicatio*, apud Victorem Uticenſem lib. I. de Perſecutione Vandalica, aliud negocium puto. BART. Virgil. *Ferroque faces inſpicat acuto.* JOHNS.

119. DISTRICTAS] *Diſtringere*, cortice ſpolia-

Praegravat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia tela modi melius finxêre salubres.

Quo-

VARIAE LECTIONES.

120. *Lucania*] Sic MS. & Pythoe. *Livania*. A. Steyn. & B. male *Albania*. ut de suâ conjecturâ ipse laudabili exemplo fatetur Vlitius. JOHNS.
121. *Salubres*] *Selibres*, Er. Puteanus.

NOTAE.

liare, atque exuere. Sic *oleam destringere* apud Columellam lib. XI. cap. II. Vide ad Calpurnium. BART. *Districtas* libri male. JOHNS.

119. VIRGAS] Sic tenues hastas alii etiam *virgas* vocant. ῥάβδους Graeci. Georgius Cedrenus Annalibus: καὶ κατευστοχίσας λαγωὸν τῇ ῥάβδῳ, ὃ ἵππῳ καθήμενος πρὸς τὸ ζητεῖν τὸν λαγωόν. Claudianus lib. I. de Laudibus Stiliconis.

Quis Stilicone prior ferro penetrare leones
Cominus aut longe virga transfigere tigres.

BART.

120. LUCANIA] Vet. Edit. *Livania*. Quod cum & in suis libris reperisset magnus Turnebus, in *Albaniae* gentem commutare voluit. Utrum sequare, in ambiguo veritas est. Nisi quod ad *Albanos* tamen gentis indoles magis inclinet. Et quomodo *Lucani* tam insuetis armis usi fuerint. Magis itaque est, ut Turnebum insequamur. BART.

120. ALBANIA] Ita legendum conjecit ὁ πάνυ Turnebus, cum ex autographo primae editiones habeant: *Livania*. Quod glossema est à sciolo aliquo adscriptum, qui Livoniam sive Livaniam suo tempore antiquam Albaniam vocari didicerat. Nam & hodie pars ea quae Caspium mare ab occasu adjacet ita nominatur. Quod *Lucaniam* ex suo cod. supposuerit Pythoeus, vereor ne ἀνεπίγραφον sit. Nam de iis nihil tale quid memoriae proditum est. At Albani celeberrimi antiquitus venatores habiti, & canes eorum ab omnibus fere celebrati. De ipsis Albanis Strabo lib. XI. Ἀκοντισταὶ δέ εἰσι καὶ τοξόται. & deinde: Θηρευταὶ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν εἰς ὑπερβολὴν, ἢ δι᾽ ἐμπειρίαν μᾶλλον ἢ σπουδῇ τῇ περὶ τοῦτο. Studio magis quam peritia. Ut merito imperitiam hanc in venabulis eorum notaverit Gratius: in ipsis, quos *pernices* vocat, venatoriam hanc laudem videatur reliquisse, hoc tantum culpandis, quod arma sua non satis expedita habuerint. Tale quid in vicinis eorum reprehendit Avienus:

——— ——— ——— qua perit hujus
Fluminis os, diri ripas habitant Jaxartae.
Tendere non horum quisquam certaverit arcum:
Ambitus hos etenim multus trahit: & grave curvis
Pondus inest taxis, longo sunt spicula ferro.

Quae à Dionysii mente diversa longe sunt, ut alibi declarabo. Scripturam autem quam hic posui, magis veteris libri vestigio quam veritati insistere fateor, donec melius quid succurrat. Nam qui Sacas ex Dionysio infarciunt, ipsius potius quam Avieni mentem assequuntur, cui hoc familiare satis est ab authore suo dissentire. VLIT. Malo exemplo Turnebianam conjecturam secutus ita edidi. Recte Pythoeana habebat, *Lucania*. Nam ita in MS. Thuanaco, ut asseruit mihi suavissimus meus Zephyrius. Venatu autem celebres fuisse Lucanos postliminio me docuit Papinius Theb. VIII.

Qualis setigeram Lucana cuspide frontem
Strictus aper.

Posuit enim pro gravi venabulo ac latiferreo: quali in apraria venatione opus esse ostendit Xenophon in Cynegetico. Justinus lib. XXIII. de ipsis Lucanis: *Quippe ab initio pubertatis in silvis inter pastores habebantur. Cibus his praeda venatica. Sic ad labores bellicos indurabantur.* Denique & Flaccus lib. II. Sat. III de venatore aprario:

In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Coenem ego. VLIT. *in Add.* Ursi Lucani passim occurrunt. JOHNS.

120. CULTRO.] Spiculo. enses ipsos *cultellos* dixit sequior aetas, ut Luitprandus, ejusque σύγχρονοι. BART.

121. MODI SALUBREIS.] Μέτρον γὰρ ἐπὶ πᾶσιν ἄρι-

Quocirca & jaculis habilem perpendimus usum:
Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.
Ipsa arcu Lyciaque suas Diana pharetra
Armavit comites; ne tela relinquite Divae,

Ma-

VARIAE LECTIONES.

125. *Relinquite*] *Spernite* G. & B. ib. f. *ne tela relinquite*, *Divae Magnum opus.* VLIT.

NOTAE.

ἄγρας. *Salubres modi* inter abundantiam & inopiam medii. A Temperatis locis aut cibis, qui salubres corpori humano. Lucanus,

—— *Venerisque salubre*
Sidus hebet ——

Salubre consilium apud Appulejum libr. IV. *his omnibus salubri consilio recte dispositis, occurrit saevus Eventus.* BART. Id est, temperata mediocritas. Cujus locutionis unum & alterum exemplum ex mellitissimis Plinii mei Epistolis dabo, quia ea quae attulit Grammaticus hoc loco aliena sunt. Lib. I. Epist ult. *Si praediolum istud tam salubriter emerit, ut poenitentiae locum non relinquat.* Ita justo & temperato pretio, ut neque emptori nimium, neque venditori minus videatur: ut amicitiae jura & erga hunc Baebio, & erga illum Plinio salva manerent. Lib. VI. Epist. XXX. *Attendimus ergo ut quam saluberrime reficiantur* Ne scilicet aut nimia novitate à reliquis differant, aut neglecta integritatem perdant. Ita quoque *victoriae sanitatem* vocat Tacitus Hist. II. cap. XXVIII. cum ita temperatur, ut neque differatur, neque praecipitetur: neu distrahatur sparsim, neu uno loco & discrimine tota cumuletur. Et in dialogo de Oratoribus cap. XXV. *eloquentiae sanitatem* interpretatur ipse, *in diversis ingeniis esse quandam judicii ac voluntatis similitudinem & cognationem.* Nimirum in illis, qui decorum inter sublime, & commune dicendi genus temperanter observant. *Salubres modi* hic sunt, cum telum neque exiguo, ut Macedonicum, dente *leve* nimium *vulnus* stringat: neque ingenti, ut Albanicum, cultro jaculantis impetum corripiat, & gravitate sua citius terram versus declinet. Hoc est quod sequitur;

Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.

Omnia tela enim, non venabula tantum, sed etiam jacula & sagittas complectuntur. VLIT. Mediocres recte exposui. Sic Suetonius de Augusto cap. XLII. *Sed ut salubrem magis, quam ambitiosum Principem scires.* Id est, moderantem beneficia sua, medium inter avarum & prodigum, ut ex sequentibus inibi intelligas. VLIT. *in Add.* Mediocritas, unde sua rebus constat sanitas, usus denique suus. Vlitius exponit temperatos. & Plinium suum mellitissimum trahit in partes, invitum siquid ego sentio. JOHNS.

122. QUOCIRCA] Ad haec verba sic Gronov. Obser. l. 2. c. 13. Quid sit hîc *perpendere usum habilem jaculis*, aut ubicunque sit, juxta intelligo. Suspicor fuisse

Quocirca & jaculis habiles praebebimus usum,
Ni leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.

Etiam jaculo habili instructi venationi utiles erimus, modo ne sit tale jaculum, quod nimis aut leve vulnus faciat, aut impetum per breve spatium perferat. Modum armis Venatoriis praescripserat, cum & in jaculis exigit. Vide tamen, annon verbis, ut nunc sunt, non inconcinnus insit sensus. Quia itaque modus omnia tela melius fingit, idcirco librando examinamus usum jaculis accommodum, eo fine ut nec leve vulnus eat, nec sit brevis impetus illi. Nempe vulneri. *Vulnus* enim pro telo vulnifico poni videtur ut v. 109. JOHNS.

123. BREVIS] Brevior justo Sic supra ỽ. CXV. *exiguum* pro nimis curto usurpavit. BART.

124. IPSA ARCU] Desinit jam de hastis & jaculis, & sagittas persequi incipit. Haec nota est in veteri Editione margini adcusa. BART.

124. LYCIA] Celebres erant Lyciorum Pharetrae, de quibus Virg. discribendo cultus Camillae Aen. 7. 816.

—— —— *Lyciam gerat ipsa Pharetram,*
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum. BRU.

125. NE TELA RELINQUITE] Merito hoc monuit perfectissimus Venator: cum alii omnes de sagittis nihil praeceperint, & praecipuam artis suae partem neglexerint, qua Cretes & Albani potissimam venationis gloriam adepti sunt. Chi-

I ron

Magnum opus & volucres quondam fecêre sagittae.
Disce agedum & validis delectum hastilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus, & umbrosae Veneris per littora myrtus,

Ta-

VARIAE LECTIONES.

126. *Quondam*] *Quondandam tacere sagitte.* MS. tollitur parenthesis, ut sensus constet. Alii *Ne tela* — — — — *opus* JOHNS. *Sagittae*] Sic Johns. Alii *sagittas.*
127. Tit. in MS. &c. *Ligna apta jaculis.*
128. *Nutritur*] MS. *innutritur.*

NOTAE.

ron quoque, quem primum venatorem celebrat Xenophon, hinc Sagittarii nomen meruit. Sed quia haec antiquissimae venationis non modo pars, sed species quaedam fuerit, cum solis armis ageretur, eo magis paullatim usum perdidit. Nisi quod Indi etiamnum rude illud aevum repraesentantes sagittis victum sibi venentur. At Angli, optimi hodie venatores, iis in cervos maxime utuntur, ut vestigia eorum sanguinis odore perfusa certius, sed diutius quoque suboleant. Nam sclopeto eos configere, illegitimum habetur. VLIT. Antiquissimus horum in venatione usus. Quare & primus venatorum Phoebus iis usus, cum *Mille gravem telis* Pythona *perdidit* I. Metam. Ideoque se Daphnidi jaculandi arte tantopere jactat post paulo. VLIT. *in Add.* RELINQUITE] Hoc loci *spernite*, non *relinquite* agnoscit vetus Editio. Quod quis negabit Gratii auctoris esse? Nimirum posteriores Typographos vis litterarum SP. fugit, & vitium versus putaverunt, ideoque suum *relinquite* substituerunt. BART.

126. FECERE] Quinam? non addit auctores sagittarum, quasi jam eos nominasset. Et hoc familiare admodum idoneis usu scriptoribus. Higeni Epitome cap. VII. Fabular. *dolor illam in bivio coëgit partum edere, quos pastores pro suis educarunt.* Quasi geminos jam nominasset. Propertius.

Non ita complebant Ephyraeae Laidos aedes,
Ad cujus jacuit Graecia tota fores.

Non addit qui compleverint. Petronius Arbiter.

Expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis,
Et permutata rerum statione rebellant.

Romani videlicet Luxuria capti. Idem.

Et Libyae & cerno tua, Nile, gementia claustra,
Actiacosque sinus, & Apollinis arma timenteis.

Aegyptios videlicet. Virgilius Ceiri.

Stat Megara Actaei quondam munita labore
Alcathoi, Phoebique. Deus namque affuit illi,
Unde etiam citharae voces imitantur acutas.

Saxa videlicet ipsa, ex quibus constructi muri Megarae, reddebant sonum, quia citharam deposuerat in iis Apollo. Theocriti similem locum observavit in ejus lectionibus eruditissimus Casaubonus. BART.

127. DELECTUM] Nempe arborum, ex quibus fiant hastilia. JOHNS.

129. CORNUS,] Claudian.

——— *bellis accommoda cornus.* BART.

Omnino primum locum meruit cornus, quae & venabulis à Xenophonte, & hastis à Marone saepissime commendatur. Georg. II. & *bona bello Cornus.* Utpote *quae maxime spissae duritatis est*, teste Plinio. Ovidius lib. VIII. de Ancaeo:

Et aerata torsit grave cuspide cornum:
Quo bene librato, &c.

ita enim restituenda videtur inusitatior vox, quam qui non capiebant in *cornu* mutaverint. Sed enim quid est *grave cuspide cornu?* Quanquam sciam *cornu* [illegible] nonnunquam pro jaculo poni apud Silium aliosque, non video quomodo tamen gravari cuspide dicatur, quod ipsa cuspis sit; aut cur aerata sit cuspis, si cornu praefixa fuerit. *Cornum* vero pro ipsa corno poni mirum videri non debet, ut *pomum* pro arbore, *uva* pro vite apud Maronem Georg. II. *Pira*, & *insita persica*, & *oleastra* arborum loco apud Calpurnium Ecloga II & sexcenta alia. Bene itaque Ancaeo venanti corneum jaculum attribuit Naso, ut Hippolyto Epist. IV. *lato venabula cornea ferro.* VLIT. *Cornumque sonantem* pro hasta posuêre & Silius lib. XIII. & Claudianus I. in Rufin. bis. Quare [illegible] Nasoni a me restitutum olim *cornum*, pro corneo jaculo. Cui ipse subscribit optimus ejus Editor Heinsius,

qui

Taxique, pinusque, Altinatesque genistae,
Et magis incomptus operae Lutoser agrestis

Ter-

VARIAE LECTIONES.

131. *Incomptus*] *Incomptos operâ lutores agestis.* MS. *in comptus.* A. *incomptus.* Steyn.

NOTAE.

qui in suis ad me ante sexennium Roma datis, ita in veteri libro Barberino aperte legi, & in optimo Florentino *cornum*, quod idem est, asseveravit. Quos cur ipse in nitidissima sua editione secutus non sit, rationem video nullam. Nam & ipse Ovidius sic Metam. xII.

Fixit in adverso cornum sine cuspide vultu.

Nec dubitem Silio eandem reponere vocem lib. x.

Sic propria misers transfigit pectora corno.

Ubi vulgo, *cornu.* Nam & paulo ante *cornum tremebundam* dixerat. VLIT. *in Add.*

130. UMBROSAE] Quod littorum erat Veneri tribuit. quae phrasis ad ℣. xxiv. supra à nobis illustrata est. Vel quia Venus umbris gaudet. In veteri Codice miror hanc scripturam exstare, cum pauca sint ejusmodi. Diphthongus vero nulla. Scriptum inibi, *umbrose. Littora* autem *Veneris* Cyprum vocat Quam umbrosis lucis consitam agnoscit Claudianus Nupt. Hon. BART. Servius ad initium lib. III. Aeneid. ubi est *densis hastilibus horrida myrtus*, *umbrosam* interpretatur. Itaque non Venus hic, ut somniat umbraticus Commentator, sed myrtus *umbrosa* dicitur. Cum haec scriberet Gratius, in mente habuit Maronis illa Georg. II.

At myrtus validis hastilibus, & bona bello
Cornus, Ituraeos taxi curvantur in arcus.

Illis enim & taxos subjungit, sed hastilibus non arcubus videtur commendare. Avienus Periegesi:

—— —— & grave curvis
Pondus inest taxis, longo sunt spicula ferro.

Vereor itaque ne labili memoria Virgiliana illa male secutus sit Gratius, dum jaculis deligit taxum, quam arcubus ille commendaverat. Sed & quod *per Veneris litora* myrtum ex Cypro videtur laudare, exemplo pariter caret. Nisi potius hic ordo verborum sit: *& Veneris myrtus* (plurium numero, ἀρχαϊκῶς) *umbrosae litora.* Veneri dicatam myrtum omnes sciunt. *Litora myrtetis laetissima. & amantes litora myrtos* apud Maronem habemus eodem libro. Servius utrumque conjungit ad finem v. Aeneid. *Unde etiam myrtus ei consecrata, quia litoribus gaudet.* Ita legendum ex MS. meo cod. VLIT.

129. MYRTUS,] Quartae declinationis Arbor Veneri sacra ripis gaudens. Auctor Geoponic. de myrto loquens. καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια ἐπιτηδείως ἔχει. V. Virgil. Georgic. 2. JOHNS.

130. TAXIQUE,] Silius quoque *taxum* pro jaculo posuit lib. XIII. *auras secat Itala taxus:* & alibi: *volat Itala taxus.* Quod Gratium satis defendit. VLIT. *in Add.* Producitur, QUAE a Poëtis aliquando, quum medium ponitur inter nomina propria. Ovid. Met. lib. VII.

Othrysque Pindusque, & Pindo major Olympus.

Idem in Met.

Liliaque pictasque pilas & ab aethere lapsas. BRU.

130. GENISTAE,] Genus fruticis illa quidem; inter arbores vero numeratur à Plinio, & nonnullis in locis credibile est eam ad instar arboris excrescere. JOHNS.

131. LUTOSER] *Operae agrestis*, est ad usus agrestes aptus, atque habilis. Quod vero genus arboris *Lutoser* sit, nescio. Mutare quod non intelligo, audaciae reor, non utibilis. *Vetus Edit.* nihil variat BART. Hic unus sine medela à me relictus locus, quia nihil certi habeo quod dicam. Conjecturis defungendum erit, donec suppetias quis tulerit. Principem inter eas pono, quam suppeditavit consultus à me super hoc loco incomparabilis Salmasius:

Et magis incomptus operae, loti, sed agrestis
Termes. Ab hoîs, &c.

Doctissimus Gronovius annotaverat in ora libri sui: f. *in comptûs.* Certe Lucretius initio lib. I. *virgineos comptus* dixit. Unde legendum ego conjiciebam:

Et magis in comptûs operae cupressus agrestis.

Ex cupresso enim *radios trivere rotis, hinc tympana palustris Agricolae*, autore Virgilio Georg. II. Et cum patria illi sit Creta, teste Plinio, fortasse antiquissimi venatores Cretenses inde jacula sua fecerunt. Qua forsan de causa olim pictores cum venationem pingerent semper fere

Termes, ab Eois descendet virga Sabaeis,

Ma-

NOTAE.

cupresso ut episodio supervestiebant. Verba Plinii quibus hoc tradit lib. XVI. cap. XXXIII. ita partim ex palmaria Salmasii correctione, partim ex conjectura legenda sunt: *Trahitur etiam in picturas operis topiarii: venatus classesque & imagines ferarum tenui folio brevique & virente supervestiens.* Vulgo: *classesve & imag rerum.* Sed librarii illi nesciebant quam ridiculi Flacco fuissent pictores, cui cupressum naufragio aut classibus appingebant. De his alibi, ne parem cum illis culpam incurram. Quid si hic apud Gratium legamus: *incomptus operae cupressus agrestis Termes?* Quia supra per *incultum termitem* Silvani innuere videtur cupressum, ex illo Maronis: *ferens Silvane cypressum.* Cui numini agresti illa *agrestis operae* arbor consecrata fuit. Ideoque & Servius ad Eclog. X. *agrestis capitis Silvanus honore,* cupressum Silvano attribui notavit. VLIT.

132. TERMES VIRGA] Duo vocabula pro uno posuit nam alterum ex his sufficiebat. De quo veterum more, vide aureolum Ausonii Popmae Commentarium de usu Antiquae Locutionis lib. II cap. X sic *ramum termiteum* dicit ṽ. CDXLVI. BART. Si vulgata distinctio retinenda est, *termes virga* est ut *termiteus ramus* infra. Livius lib. I *porcum saxo silice percussit.* Palladius Martii Tit X. *Seritur plantis de matre radice divulsis.* Ita enim optimae notae MS. liber scriptum exhibet. Plura hujus farinae alii congesserunt. Sin ex Salmasiana distinctione *termes* ad praecedentia cohaeret, propius ad Maronem, quem in Georg. II. passim sequitur, etiam haec accedent: *ab Eois descendit virga Sabaeis.* Brevius ille: *solis est thurea virga Sabaeis.* Non spernendum est quod omnes libri constanter fervent: *descendet.* Quod forsan Ἀρχαϊσμὸν sapit. ut supra, *exterritus.* VLIT. Cod. MS. ita hunc versum exhibet.

——— *incomptos opera lutores agestis.*

Gronov. ad marginem libri sui. *in comptûs* adnotarat. unde legendum conjecit Vlitius

Et magis in comptûs operae cupressus agrestis,

Ex cupresso enim *radios trivere rotis*, &c. Virg. Georg. 2. Vel.

——— *incomptus operae cupressus agrestis Termes.*. Salmasius.

——— *incomptus operae loti sed agrestis Termes.* Locus sane deploratissimus, cui tamen variis conjecturis medicinam facere tentavi, quae, si non rem attingant, sagacioribus tamen felicius agendi ansam praebeant. Accipe igitur.

Et magis in contos apro Lotaster agresti Termes. MS. *incomtos.* quod non longe abest ab *in contos.* MS. *opera.* quod & inverso literarum ordine fiet *apro. Lotaster.* verbum quidem insolens & tamen ex analogiâ linguae Latinae depromptum, ut *Pinaster*, *Oleaster.* & nullo non loco ab exscriptoribus erratum fuit, ubi hoc verbum *Lotos* occurrit. ut Heinsius apud Ovid. passim ostendit. Sensus itaque hic est. Et Lotaster termes in contos apro agresti (ὑὸς ἀγρίου) excipiendo idoneus.

Et magis in cultros opera Lotaster agresti Termes. Unde illud *en initros*, inquies? errore scriptum fuit, *incultos*, hinc *incomptos*, Glossema: quod in textum irrepsit tandem. Et Lotaster insignis suâ in rebus rusticis operâ deligitur magis in cultros capulis armandos. quia, ut Plinius dicit, capuli cultris è loto fiebant.

Et magis in cantus operati Lotos agrestis Termes. vel,

——— *in cantus loti praelatus agrestes Termes*, tibiae enim è loto. Una adhuc superest conjectura.

Et magis in contos oleae praelatus agrestis Termes. *Termes* enim proprium est rami oleagini nomen. Ipsa quoque olea, his usibus destinata olim fuit. de clava enim Cyclopis sic Homerus.

Κύκλωπος μὲν ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ σηκῷ
χλωρὸν ἐλαΐνεον. ———

Monendus es hoc unum, Lector, quod Vlitium latuit, *Termes* nullo modo posse construi cum *Virga. Virga* enim illa thurea naturâ hastilibus idonea est: cum tamen *Termes* (cujuscunque demum arboris sit) nunquam sponte suâ procerus ad aëra exiit, ut in sequentibus diserte Gratius. JOHNS. Sine dubio potest Latine dici *Termes virga* pro *termitea virga*; sic Persius

Juvenes euras & Heroas sensus,

Sic quoque Graeci saepissime, unde poëtae hauserunt illud genus loquendi; Theocritus.

——— ἱερεῦσι ταὶ Σικελαὶ ἐς ἅλα

Homerus.

——— γυναῖκά τε θῆτευ μαζῶν

Quamvis haec ita sint, tamen propior sum Johnsoni sententiae. BRU.

132. DESCENDET] Omnes libri. descendet. JOHNS.

133. MUL-

Mater odorati multum pulcherrima thuris.
Illa suos usus intractatumque decorem
(Sic nemorum jussêre Deae) natalibus haurit
Arbitriis. at enim multo sunt ficta labore
Caetera, quae silvis errant hastilia nostris.
Numquam sponte sua procerus ad aëra termes
Exiit, inque ipsa curvantur stirpe genistae.
Ergo age luxuriam primo foetusque nocenteis
Detrahe: frondosas gravat indulgentia silvas.
Post ubi proceris generosa stirpibus arbor

Se

VARIAE LECTIONES.

133. *Pulcherrima*] MS. *pulcherimo suma.*
135. *Jussere*] *lusere* G.
136. *Ficta*] MS. & Pyth. *facta*, *victa*, B. Ed.
141. *Gravat*] MS. *gravet*. f. ἀρχαϊκῶς. VLIT. *Indulgentias sylvas*, Steyn.

NOTAE.

133. Multum pulcherrima] Superlativum, ut loquuntur παῖδες γραμματικῶν, pro positivo usurpavit. Vide Servium ad Aeneid. 8. De thureis virgis nihil simile nunc succurrit. BART.

134. Illa suos usus] Natura sua ait hanc aptam hastilibus creari, caeteras stirpes aut arbusta multo labore vinci ad praestandos usus. BART.

134. Intractatumque] Manibus non conformatum aut vexatum. *Intactum* alii dicant. *Tractare* enim vexare est, ut ex Plauto & Appulejo notum. Idem Appulejus lib. VIII. *Sic praeco lucronem tractabat dicacule.* Martian. Capella lib. II. *atque eam cum conspicerent per omnia trepidantem, &, quasi Lucifugam, haesitationibus torpentem, pectus ejus faciemque tractanteis, in conspectum omnium & publicam faciem venire compulerunt.* Translatio Gratii est ab rosis aut aliis floribus desumta, qui tractati flaccescunt, atque corrumpuntur. BART. Non arte fictum, sed naturalem. JOHNS.

135. Jussere Deae] Vet. Ed. *Lusere.* Non placet BART.

136. Arbitriis.] Ipsâ nascendi lege. JOHNS.

136. Ficta labore] Caetera genera arborum aptarum ad hastilia, multo labore vincenda sunt ut hastilibus mutentur. *Errant* eleganter dixit, de iis quae temere inveniuntur. Quare non arridet quod in V. Ed. est, *vernant.*

138. Ad aera] Non est Latina haec scriptura. Scribendum *ad aethera*, vel *in aëra.* Editio nostra nihil hoc loci nisi in pejus variat. BART. Ut rideas, Lector, en tibi catum commentum bardi interpretis: non est Latina haec scriptura. Scribendum *ad aethera*, vel *in aëra.* Ergo Latinum quid sit nescivit Maro, cum dixit, *tendere ad auras*, *vox currit ad auras*, & Georg. II. quod huic apud Gratium geminum germanum est, *dum se laetus ad auras Palmes agit.* VLIT.

140. Luxuriam] Ita *vitis luxuriosa* apud Columellam lib. IV. cap. XXI. Quam eamdem in juvenili aetate idem politissimus auctor ponit. Quod ab hominum moribus & natura translatum. BART. Intempestivam surculorum abundantiam. JOHNS. Sic Virg. de segete Georg. I. 12.
Luxuriem segetum tenera depascit in herba. BRU.

140. Foetus] Ramos. Virgilius Georg.
Crescentique adimunt foetus, uruntque ferentem. BART.

141. Indulgentia] Si luxuriae ramorum indulseris, nec mature putaveris, gravatur arbor frondibus, & nodosa curvaque evadit. JOHNS.

141. Silvas.] Arbores. Claudian. de hasta.
Instar habet silvae ——
Saepe Virgilius Georgicorum II. BART.

142. Generosa stirpibus] Dudum à viris Poëticam doctis observata est vis litterarum *SP. SC. ST.* quae scilicet syllabam brevem praece-

Se dederit, teretesque ferent ad sidera virgae,
Stringe notas circum, & gemmanteis exige versus.

His

VARIAE LECTIONES.

144. *Notas*] *Comas.* Putean. *Versus.*] A. Steyn. *versu.*

NOTAE.

dentem soleant facere longam. Exempla ab ipsis notata sunt. Et nos omnia fere apud antiquos exstantia in Commentarium Analectorum Poeticorum collegimus. BART.

143 SE DEDERIT,] Idem est quod Virgilius, *subjicere se* dixit Georgic. II.

Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.

Et alibi. Idem *sustollere se arborem* consimili dixit phrasi

——— *quae seminibus jactis se sustulit arbos.*

BART. Evexerit se, & quasi conspiciendam dederit. JOHNS.

143. FERENT] Ferentur. Ita saepe, ut diximus. Et Poeta hic, si quisquam, semper sui similis est. BART.

144 NOTAS] Aliter *comas.* V. Georg. v. 368. *stringe comas.* at vide ne legendum sit, *Nothas*, i. e. spurias virgas. ut amicus meus monuit legendum, & impense arridet. JOHNS.

144. GEMMANTES] Virgilius eodem iterum libro:

Inde ubi jam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tunc stringe notas, tunc brachia tonde.

Quae pari elegantia reddita à Gratio esse nemo est qui neget. *Gemmantes versus*, sunt virgae cum incipiunt gemmas protrudere. Palladius Martii tit. x. *Ramus gemmante jam matre sumatur.* Ita lego adjutu optimi illius codicis Si enim *gemmata* jam esset, ut vulgo est, frustraretur depositionem Sciunt hoc hortorum cultores. Barthius è sua sibi editione, *gummantes*, producit, quamquam inusitatum esse credat Miror homini tantae lectionis hoc visum. Apud Palladium frequens est, *gummare* & uno & altero loco ex MSS. quoque reducendum. *Gummatione* ollas muniri jubet Columella. Unde Isidorus in Glossis: *gumma, tectorium.* Sed vulgo ibi, *tegerum* Ausonius Eduil. vi. de Myrrha:

Gummea flet ileet ja ulatur succina trunci.

Gummae instar defluentia. Vulgo, *gemmea.* Gummam enim ita statim circumloquitur noster:

——— *Si quis vitium nocturus suffecit humor*
Uberibus fluet.

Versus primus hoc loco dedit ex cod. suo Pythoeus, ante quem in omnibus fuit: *versu.* Itaque refingi possit, *gummantes exige versu.* Sed quia de gummatione statim sequitur, nihil mutandum. Non satis enim est notas stringi, sed & versus, ut enodes omnino & *teretes se ferrent ad sidera virgae.* Unde medela facile detur Manilio lib. v.

——— ——— *Et valida venabula cuspide fixa,*
Lentaque contexis formare hastilia nodis.

Sagittas per *hastilia* intellexit recte Firmicus. Sed quis unquam sagittas nodatas vidit? aut quomodo lentum dici potest quod nodis confixum est? Omnino ex Gratii praecepto scribendum, *correctis*, vel *confectis.* Nam quod ferreis clavis Phalaricae aliaeque crassiores hastae configantur, ad sagittas aut jacula trahi non potest. VLIT.

144. STRINGE NOTAS] Ut enodia fiant jacula. Quibus tamen & nodos saepe addunt poëtae. Statius IV. Thebaide: *duplexque inserto missile nodo.* Silius lib. XIII.

Indignatus opem amenti socioque juvare
Expulsum nodo jaculum.

Ubi *nodus* amenti vicem habere videtur. Alibi lanceis nodos idem saepius apponit. lib IV *impulsaque lancea nodo* Item pro amento. Nam nodata jacula minime probem; sed laevia potius Sic *laeve jaculum* Callistho venatrici attribuit Naso II. Metam. Et Cephalo Phocus apud eundem lib VII. ubi dicit; *si cornus, nodus inesset.* Unde constat sine nodo fuisse. Quapropter nondum me poenitet conjecturae in Maniliano loco: *correctis formare hastilia nodis.* Sic enim & Ovidius Metam. IX.

Verbaque correctis incidere talia ceris.

Uti dudum emendaram: ac postea, ita in Heinsiana nunquam non laudanda editione correctum video. Silius lib. XIV.

Trabs fabre teres, atque crassis undique nodis.

VLIT. *in Add.*

144. VERSUS.] Lineas. Vid. Ciceronem lib. v. ad Atticum Epist. I. A *vertendo*; quod spacio expleto revertitur ductus in aliud. In agris qui

ver-

His si quis vitium nociturus sufficit humor,
Ulceribus fluet, & venas durabit inertes.
In quinos sublata pedes hastilia plena
Caede manu, dum pomiferis advertitur annus

Fron-

VARIAE LECTIONES.

145. *Sufficit*] *Subjicit* G.
146. *Ulceribus*] Sic omnes. malè Wasacana *Visceribus*. *Fluet.*] B. *fluit*.
148. *Pomiferis*] Steyn. *promiferis*. unde ego, *pronus feris*. JOHNS. *Advertitur*] *Adverterit* G. *annus*] *Annes* MS. VLIT.

NOTAE.

versus. quod tamen huc non pertinet, Varro lib. I Rer Rustic. cap. x. In libris. veterum *versus* dicebantur periodi, aut curta capita, à Criticis adnotata, qualeis hodie Sacrorum librorum sunt. Et quae distinctiones Aristoteli à Scholasticis interpretibus factae sunt. Ita numerantur multa millia versuum in libris JCtorum Veterum, ad trecentas Myriadas à Justin. Imp. l. III. de vet. Jure Enucleando. Quas ad Quindecim suo jussu redactas gloriatur, ne irrecuperabile tale damnum nos lateret nostrum scilicet. In Aristotelis etiam libris versus a priscis Grammaticis notatos fuisse, legere me memini. & Hiëronymus testatur suo tempore cola seu versus in operibus Demosthenis & Ciceronis notari consuevisse. Epist. praefixa Esaiae. Sed haec nihil ad Gratium. *Gemmanteis versus* ab humore dicit viscoso, qui incisuris effluit & in gemmas concrescit. Mirum verbum quod in vet. Ed. est: *gummanteis*. Utrum legitimum sit, viderint docti. Sane aliquot talibus utitur Gratius, quorum exempla in omni Antiquitate frustra quaeras. *Exigere* est ad finem deducere. Horat.

Exegi monumentum aere perennius.

Ovid.

—— *jamque opus exegi quod nec Jovis ira* &c.

Boëth. *peragere* dicit. BART. Aldin. *Versu*. male. Ordines ramorum gemmantium ita dispone, ut exacte crescant, & hastile reddant elegantius. Plin. Lib. 15. Cap. 29. *Seats foliorum versus*. JOHNS. Sic locum interpretor: *Sende manu matura hastilia antequam autumnus effuderit tepidos imbres*. BRU.

145. SUFFICIT] Vet. Ed. *subiicit*. Sed nihil in mutatione operaepretii. Tantumdem enim est. BART.

146. FLUIT,] Scribendum. *fluet*. BART.

146. VENAS DURABIT] Refert plane illa Georg II.

Seu durat magis, & venas astringit hiantes,

quanquam diversa in re. Ita jam multoties demonstravi, & porro demonstrabo Gratium nostrum Maronis lectione delectatum maxime fuisse: nusquam tamen ita imitatus est, ut non aliquid elegantiae de suo addiderit, ne exscripsisse videatur. Hactenus quidem ex Georg II. nunc ubi de canibus agit, praesertim de morbis eorum, plurima ex III. Georg mutuatus est. VLIT.

146. INERTEIS] Inutileis aut nocivas. Venae illae durabuntur, quibus succus in frondes nocivas proceritati, & rectitudini, exit. *Inertis* vocabulo supra eodem modo usus est. ℣. XLIV. BART.

147. IN QUINOS] Quinque pedum longitudinem hastilibus congruam dicit. BART.

147. PLENA MANU,] Proverbiale aliquid nutrit haec formula loquendi. *Plena manu*, large, confidenter. BART.

147. PLENA] Cum eo crassitudinis venerint, ut manum impleant amplectentem. *a handful thick* JOHNS.

148. ADVERTITUR] Melior lectio in Vet. Ed *adverterit*. Nam ex more Gratius agendi verbum vicem passivi posuit. Est vero Graecum [illegible]. *Volventibus annis* Latino Poëtae dictum. Nam anni & temporis series in orbem volvi fingebatur. Claudianus Paregyr. Probini.

Sol, qui flammiferis mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia secula motu.

Varius, apud Victorinum lib. I. Grammat. *varii addits vocum modi, ad quos mundi resonat tenor, sua se volventis in vestigia.* Vide quae plura ad eum Claudiani locum notavimus.

Frondibus, & tepidos autumnus continet imbres.
Sed cur exiguis tantos in partibus orbes
Lustramus? Prima illa canum, non ulla per arteis

Cura

VARIAE LECTIONES.

149. *Frondibus*] *Frontibus* MS.
150. Tit. in MS. & Edd. *De canibus.*
151. *Per artes*] MS *partis.* f. *peritis.* VLIT. *Lustramus*] Steyn. *Lustramur.* JOHNS.

NOTAE.

mus. *Anni* autem vocabulum Auctumnum notat, vel quamvis fertilem anni partem. Lucanus.

Effusis magnum Libye dedit imbribus annum.
BART.

148. Dum pomiferis advertitur] Nihil ad haec *Vlitius.* At ego mendum hic subesse suspicor. Non enim Annus dicitur, *adverti* sub Autumno, potius *averti*; quin & *frondes* dici *promiferas* durius vereor ne sit: & receptae lectioni tempus caedendae materiae praescriptum adversatur: *Columel.* L. 4 C. 10. *Optima & maxime naturalis putatio est Autumnalis, quo tempore divinâ quâdam lege & aeternâ fructum cum fronde stirpes deponunt.* Quin & Palladius November *Nunc materies ad fabricam caedenda, cum Luna decrescit.* Aldina Editio omnium vetustissima exhibet. *Promiseris.* unde sic locum constituendum censeo.

——— *pronus feris dum avertitur Annus*
Frondibus ———

Elisâ priori S. ob sequentem, remansit *pronu feris.* hinc orta est illa vox *pomiferis:* nam ductus literarum *Mi* iidem sunt cum *Nu.* caeterae variationes facillimae. Haec itaque loci sententia est. Cum jam Annus prono latus cursu frondibus feris aridisque, (sic Ovid.

Ut ferae frondes, quas nova laesit hyems.)

vultus avertit, & Autumnus non amplius fundit tepidos imbres. Exitum Autumni descriptum voluit. De tempore caedendis arboribus idoneo, V. Hesiod. Ἔργα καὶ ἡμέραι, ab v. 414. ad 422. JOHNS.

149. Continet] Mire hoc dictum. Autumnus imminens continet tepidos imbres. Dum tepidus adhuc aër est, secari hastilia futura jubet. Dum nondum Auctumnus incipit crebris imbribus ingruere. BART.

150. Sed cur exiguis] Quid tantum spatii in minutis illis, utcunque necessariis, consumimus? Ita Vlitius. At Gronovius Observat. L. 2. C. 3. Mihi sedet *partes* dixisse Gratium pro regionibus, ut Caesar. L. 1. de bello Gallico, in eam *partem* ituros, atque ibi futuros Helvetios, ubi Caesar constituebat. Iterum, in eas *partes* Galliae, &c. itaque scriptum fuisse puto,

——— *exiguos tantis in partibus Orbes.*

Qui in copiosâ materiâ intra minimam ejus partem moratur diu, is in magno campo ducit exiguos orbes. JOHNS.

150. Orbes] Cur in opere tam parvo tot versibus de hastilibus egimus. Figura sumpta ab aurigis in circo. Horatius similiter.

Nec circa patulum vilemque morabitur orbem.
BART.

151. Lustramus] Similiter Virgilius de Polite.

Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat.

Frequentissimum autem res curules, aut equestres Poëticis assimilari. Claudianus.

Ipsaque Pieros lassant declivia currus.

Nemesianus Cynegetico.

——— *juvat aurato precedere curru.*

Lycophron Cassandra.

Ἄνωμι λοξῶν εἰς διεξόδους ἰχνῶν,
Πρώτην ἄραξας νύσσαν, ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Ovid. lib. II. de Arte Amandi.

——— *Attrahe lora*
Fortius, & gyro curre, Poëta, tuo.

Pindarus Isthmionicon II. οἱ μὲν παλαιοὶ φῶτες, ἔνοι χρυσαμπύκων ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον. hoc est, Poëtae. Sic *axis* sermonis à Georgio Piside dicitur Carmine in Vanitatem vitae.

Ὡς πρὸς τὰ μικρὰ καὶ χυδὴν τελμηρβία,
Κινοῦνται εἰκῆ τοῦ λόγου τὸν ἄξονα. BART.

Quid tantum spatii in minutis illis, quanquam necessariis, consumpsimus? quin jam lora attrahis, & gyro curre Poëta tuo, ut cum Nasone loquar. Sequitur Maronis illa Georg. III. *Nec tibi cura canum fueris postrema.* Ideoque κυνηγεσία toti huic arti nomen imposuit. Et κυνηγετικὸν opusculum hoc merito inscribitur, in quo cum nihil venatori necessarium desit,

tum

Cura prior, ſive indomitos vehementior hoſteis
Nudo Marte premas, ſeu bellum ex arte miniſtres.
Mille canum patriae, ductique ab origine mores

Cui-

N O T A E.

tum plurimum in canum inſtitutione laboratur. Quod alii, qui plures κυνηγετικῶν libros ſcripſerunt, hanc tamen partem, à qua libris ſuis nomen indiderant, tam levi plerique manu pertractarint, non extra culpam eſt, ut alibi dicam ex profeſſo. VLIT. Log. Edit. *luſtramur* habet. quod placet. JOHNS.

151. Prima] Diſtingue. *Luſtramus? Prima illa c.* Canum curam illuſtrare non eſt animi. Nam eorum gentes pro ſeculis variae ſemper in pretio fuerunt, & veterum ratio venationum prorſus obſcura eſt. Poëtae enim, qui eam fere ſoli nobis tradiderunt, non aliud egerunt quam ut ornatu carminis ſeſe commendarent, ſecuri de artis ſecretis tradendis. Vide de iis tamen, ſi lubet antiquorum tradita cognoſcere, Varronem de Re Ruſt. lib. II cap IX. Oppiani, Xenophontis, Nemeſiani Cynegetica. Pollucem li. V. Onomaſt. Geoponicôn collectanea lib. XIX. cap. I. & ſeqq. & alios. Inter recentes carmine hanc Gratii laudem ambiverunt Angelus Bargaeus, Joannes Darchius, Hieronymus Fracaſtorius, Natalis Comes Quorum aeſtimatio ſit penes eruditos. Nos extra oleas vagari nolumus. BART. *I. e.* prima pars prima regio, eaque ampliſſima in deſcriptione regni venatici. Si enim *prima* penderet ex *cura*, vereor ne frigidiſſimus fieret ſenſus. Nam ſi cura canum prima eſt, fatearis neceſſe eſt, nullam illâ priorem eſſe. quorſum igitur illa inſulſa confirmatio? JOHNS.

151 Per arteis] Saepe hac voce *artis*, de venatione utitur. *Per arteis* phraſis Manilianis ſimilis, *per ſidera* &c. Quarum frequentem uſum in eo notarunt Critici. Et hi duo Poëtae multa habent inter ſeſe ſimilia. BART. Vide annotata ad initium: *laetas venantibus artes.* Quibus hoc addendum, *artes* ſemper vocari à Gratio, quoties venationem in genere intelligit Quod vero ibi dicebam etiam ἰχνευτικὴν ſpecialiter *artis* vocabulo ab illo deſignari, adeo verum eſt. ut ſingulati tum ſemper utatur: cum vero plurali, tum omnem venationem comprehendat. Hoc quidem paſſim obvium, & maxime hoc loco apparet. Statim enim dividit has *artes: ſive indomitos vehementior hoſtes Nudo Marte premas.* Quibus bellicoſam venationem indicat, ut oſtendi in Prolegomenis. *Seu bellum ex arte miniſtres.* id eſt, ἰχνευτικὴν. Hic enim duplicem tantum venationem praemittit, cui tertiam poſtea ſpeciem adjungit, & artium vocabulo ſimul concluſit, ut ſuo loco dicam. Manilius lib. V.

—— —— —— *catulos nutrire ſagaces,*
Et genus à proavis, mores numerare per artes.

Jul. Firmicus lib. VIII. cap IX. ita haec reddidit: *Nutrient etiam canes qui ferarum cubilia, & latentes latebras praeſagis naribus perſequantur, & omnia animalia quae ad venationem faciunt* Sed nihil de aliis animalibus apud Manilium. neque praeter equos aliis opus eſt ad venationem. Quare putabam ſcripſiſſe Firmicum: *& omnia canum alia genera*, vel tale quid quo Manilium exprimeret. *Mores* canum *per artes numerant* qui veloces à bellicoſis & ſagaces ab illis caute dignoſcunt: ut egregie in ſequentibus facit Gratius, & pluribus declarabo ad v. CXC. Claudianus tripliciter diſtinguit: *varia formis & gente ſequuntur Ingenioque canes.* Quorum poſteriora duo genera eadem ordine & numero, quae in illis Manilianis, ſunt. VLIT. Sic Claudianus in Munere, quod Stilichoni ſuo parat, lib. III.

—— *Variae formis, & gente ſequuntur,*
Ingenioque canes: illae gravioribus aptae
Morſibus; hae pedibus celeres, hae nare ſagaces:
Hirſutaeque fremunt Creſſae, tenueſque Lacaenae,
Magnaque taurorum fracturae colla Britannae.

VLIT. *in Add.*

152. Prior,]
Nec tibi cura canum fuerit poſtrema ——

Virgil. Georgic. 3. v. 404. JOHNS.

152. Sive] Sive nudâ virtute cum feris indomitis agendum, ſeu bellum dolo adminiſtrandum eſt. Utramque venationem, πολεμικὴν, & ἰχνευτικὴν deſcribit. JOHNS.

153. Ex arte] Ἰχνευτικὴ, ut ſaepius jam dixi. Et ita *artes* quoque apud Manilium pro ſagacitate ſola accepiſſe videtur Firmicus, ſi integer locus eſt. VLIT.

154. Canum patria,] aliquot attingit Claudianus noſter lib. III. de Laud. Stil. ỳ. CCC. Oppianum vide Cyneget. I. BART.

154. Mo-

155 Cuique ſua. Magna indocilis dat proelia Medus,
Magnaque diverſos extollit gloria Celtas.

VARIAE LECTIONES.

155. *Cuique*] MS. *Quoſque*, pro *Quoique*.

NOTAE.

154. Mores] Ita Manilius lib. v.

——— *catulos nutrire ſagaces*,
Et genus à proavis, catulos nutrire per arteis.

Ingenium iiſdem tribuit Claudianus.

——— *variae formis & gente ſequuntur*
Ingenioque, canes ———

Nemeſianus Cyneget v. ccxxxvii BART. Hoc eſt quod dixit Manilius, *Et genus à proavis.* Ut infra mater Umbrica, pater Hyrcanus. Nam ab origine gentem, à gente artes dignoſcimus, an bellicoſi vel ſagaces aut veloces ſint. Duplicem itaque diſtinctionem canum in illo verſu facit Aſtronomicus. Priorem *à proavis:* ut *καςόριαι* vel *ἀλωπεκίδες* apud Xenophontem majorem cap. iii. Alteram *per artes:* ut *ἀγρευτικοὶ* vel *ἰχνευταὶ* apud minorem cap. iii. & *ἀγρευτικοὶ* vel *πολεμιστικοὶ* apud Pollucem lib. v cap. v. De quibus alias. Si itaque cum Cl. Gronovio ex Gembl. cod. legeremus; *mores numerare per urbes*: aut *per ortus*, ut ex ipſis verbis Gratii aliquando effingebam, bis idem dici videretur. Niſi per *proaves* cenſeas tantum numerari Caſtorios, vel Vulpinos, quorum non ex prima foetura ſed longo tempore genus formatur, ut mox ex Ariſtotele demonſtrabo. *Per urbes* vero, vel quod auribus meis ſuavius, *per ortus*, Creticos, Caricos, & id genus alios à gente, qua oriundi, denominatos. Sed ne quid arguemur, Lectori ſuum arbitrium eſto. VLIT. Unde oriundi ſint, ſuos quiſque derivat mores. parum refert patriam an proavos intelligas. JOHNS

155. Indocilis] Nullius artis capax. JOHNS.

155. Dat] Prior aggreditur hoſtem, non irruentem expectat. JOHNS.

155. Praelia] Solis viribus potens. Animoſitatem & vires ſolas in Medis & Celticis canibus commendat, artem & docilitatem in aliis. BART. Primo loco bellicoſos ponit, nec immerito; ſiquidem primus eorum uſus rudi adhuc orbi fuit, qui à feris defenderent greges, gregumque magiſtros. Unde conſtat antiquiſſimam eſſe hanc venationis ſpeciem, qua ſe illius aevi Heroës *exercerent ad ſimilitudinem bellicae diſciplinae*, ut ait Cicero lib. ii. de Nat. Deorum. Decore igitur, *praelia*, *bellum*, *Martem*, & *arma* vocat Gratius, quoties hanc ipſam *πολεμικὴν*, non quamvis (ut interpreti viſum) venationem diſtincte intelligendam ponit. VLIT. Perpetua alluſio Gratii. quia Venatio ſpecies eſt *τέχνης πολεμικῆς*. Vlitius errat, cum *ἰχνευτικὴν* nuſquam apud Gratium ſignificari, per Bellum, vel Praelia affirmat. Ipſe enim illa verba, *ſeu bellum ex arte miniſtres*, aliter explicat, & ſecundam Venationis ſpeciem denotari, nempe *ἰχνευτικὴν*, diſerte aſſerit. JOHNS

156. Celtas.] Primi itaque & in Gallia canes bellicoſi fuerunt, & nullos adhuc ſagaces ibi fuiſſe Gratii tempore ex ipſo aliiſque colligere eſt. Strabo teſtatur lib. iv. quod canibus ad vera bella uterentur Galli. Plinius lib viii. cap. xl. *de Canibus: Hoc idem è lupis Galli, quorum greges ſuum quiſque ductorem è canibus & Lyciſcam habent. Illum in venatu comitantur, illi parent. Namque inter ſe exercent etiam magiſteria.* Ita legendum mox oſtendam. Igitur hi quoque feroces erant procul dubio. Praeterea de bellicoſis eorum nulla apud alios ſequuta eſt mentio. Nam quos Xenophon junior recenſet, non puto Gallicos fuiſſe. Adeo & in Gallia, ut paſſim, bellicoſa illa venatio paullatim in deſuetudinem abiit. Et jam Xenophontis τῷ δίῳ aevo velocibus plurimum utebantur. Quanquam & ſagaces aliquando iis intermiſcebant. Hi quando in Gallias delati ſint ut incertum, ita certiſſimum Gratii aetate nondum illatos fuiſſe. Strabo lib. iv. refert, quod ex Britannia in Gallias deferrentur praeter alia, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. Bellicoſi illi, non ſagaces erant. Ridiculum itaque quod nobis Fouillous initio Cynegetici ſui, quod ante centum fere annos Gallice condidit, de canibus ſagacibus à Bruto Latinorum Rege in Armoricum, Bretaniam ab illo denominatam, delatis fabuletur. Quiſquis ille Joannes Monumetenſis fuit, in cujus Chronico illa legerit, neſcio meras fabulas eſ-

Arma negant contra Martemque, odêre Geloni,
Sed natura fagax: Perfes in utroque paratus.
Sunt qui Seras alant, genus intractabilis irae.
At contra faciles, magnique Lycaones armis.
Sed non Hyrcanae fatis eft vehementia genti

Tan-

VARIAE LECTIONES.

159. *Genus*] Poft hanc vocem reliqua defunt MS.

NOTAE.

fe, & haud dubie Galfredum Monmuthenfem velle innuere, qui tamen tale quid nufquam tradit. Hoc quoque infigniter falli, quod Brutum in Armorico continuo regnaffe narret, ambiguitate Britanniae deceptus. Suam enim Britanniam à Bruto illo denominatam ex Chronico illo contendunt Angli, feque devicto Armorico Britanniae nomen impofuiffe. Illud ambiguum; hoc verifimile videri poteft, & ita quoque fagaces canes, ut olim bellicofi, in Gallias è Britannia primum invectos, quod hodie frequenter fieri compertum habeo. Sed unde in Britanniam delati, nondum liquet. VLIT.

156. DIVERSOS] Primi itaque & in Galliâ canes bellicofi fuere, & nullos adhuc fagaces ibi fuiffe Gratii tempore ex ipfo aliifque collige e eft: ita ad hunc locum Vlitius. atqui Celtas à Medis diverfos vocat Gratius. unde igitur hoc difcrimen? an quia dociles Celtae, aeque ac bellicofi? ita quidem videtur, & monendum fuit. at Xenophon junior, five Arrianus, c. 3. canibus Gallicis fagacitatem nullis inferiorem fcribit. Pollux inter κελτικὰς γενναίας tantum cenfet. Poteft quoque explicari non minus recte, per *longe ab invicem disjunctos*, quibus patria eft maxime disjuncta. JOHNS.

158. UTROQUE] Sagax perinde ac bellicofus. JOHNS

159 SERAS] An Indicos vult Gratius? de his ita Plutarchus, p. 1787. Edit. Steph. Ὁ Ἰνδικὸς λέων ἀνθῆς ἐξεκατάζεται, καὶ διαπονεῖσθαι φασιν ἀγὸς εἶναι αὐτῷ ποικίλον ἀνάγκασε, τῶν δὲ ἄλλων (ζώων) ὑπερφρονοῦντα πάντων. Hos quoque defcribit Xenophon magnos, validos, celeres, idoneos qui congrederentur cum apris. JOHNS.

159. INTRACTABILIS] Quae non poteft cicurari, & in ordinem redigi. Hi nempe ferae aptae adeo inhaerent, ut vix vi avellendi fint. JOHNS.

160. LYCAONES] Cujates apud Nafonem Actaeonis canes,

Pamphagus, & Dorceus, & Oribafus, Arcades omnes.

Ἀρκάδες item Polluci & Oppiano celebres. Quare hos innui à Gratio verifimile eft; non Afiaticos Lycaonas canes, quorum nulla apud autores mentio. VLIT. Ut modo de Ancaeo: *geminifque fecuribus ingens* Ita Ovid. Faft. IV.

Et vel equo magnus, vel pede major erat. VLIT. *in Add.* Arcades. qui Polluci & Oppiano celebres. *Vlit.* Lycaon erat Arcadiae Tyrannus, & à Jove converfus in lupum. forfan igitur ex lupo & cane oriundi erant. Hinc λυκὰς & Lycifca, nomina canum. JOHNS.

160. ARMIS.] Ad arma fua habiles ait Arcadios canes. Aut *armis*, brachiis quafi, aut lacertis valet, ut infra ỷ. CCLVII. locutus eft.

——— ——— ——— *leones*

Et fubiere aftu, & parvis domuere lacertis.

161. HYRCANAE] Canes è tigride & cane progenitos Indis afcribunt plerique. Ariftotel. lib. VIII. de animal. cap. XXVIII. φασὶ δὲ ἐκ τοῦ τίγριος καὶ κυνὸς γίνεσθαι τοὺς Ἰνδικούς. Quae ita vertit Plinius: *E Tigribus eos Indi volunt concipi.* Pollux idem ex Ariftotele refert: diverfos tamen Indicos ab Hyrcanis recenfuerat: Μολοττικαί, Ἐρετρικαί, Τευκρικαί, Ἰνδικαί. Vulgo circumferuntur, Ὀρκανικαί. quod miror non offendiffe interpretes. Excepto itaque Gratio, qui mixtum hoc canum genus Hyrcanum indigetavit, nemo eft. Nec temere forfan, cum in Hyrcania & India plurimos fuiffe tigres obfervet Plinius lib. VIII. cap. XVIII. & vicinos inter fe tam cum Indis quam Albanis fuiffe Hyrcanos conftet. Idcirco credibile videtur hujus generis fuiffe celeberrimos illos Alexandri canes, qui leones & elephantos profternerent, quos ab Indorum Re-

Tanta: suis petiêre ultro fera femina silvis.
Dat Venus accessus, & blando foedere jungit.
Tunc & mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravis succedere Tigrim
Ausa canis, majore tulit de sanguine foetum.

Sed

NOTAE.

ge dono habuit. Ita sane Pollux, Curtius, aliique referunt. Plinius diverse paulum: *Indiam petenti Alexandro Magno Rex Albaniae dono dederat inusitatae magnitudinis unum.* Albanum tamen fuisse non dicit. Nam Strabo, qui Albanorum canes etiam laudaverat, hos Alexandro oblatos diserte Indicos fecit lib. xv. Fallitur itaque Solinus cum Plinii illa ad Albanos canes traxerit; uti & à Solino accepit Dionysii Paraphrastes Priscianus, & hunc errorem alio insuper cumulavit, dum missum ex Albania canem Alexandro fuisse fabulatur. VLIT.

162. TANTA:] Malo, *nata. i. e.* nativa, ingenita vehementia non satis est Hyrcanis canibus. JOHNS.

162. SUIS] *I. e.* Hyrcanis. JOHNS.

162. ULTRO] In veteri libro est, *ultra.* quod non displicet. cum illud alterum mox repetatur. BART. Ab Aristotele petita hac. *ἀγρίοις δὲ θηρίοις μιγνύουσι τὰς ἰνδικὰς τὰς κύνας.* *In sylvis coitus tempore alligant foeminas.* Vlit. at Gratius dicit foeminas ultro petere fera tigridum femina. ut & postea *ultro gravis* JOHNS.

162. FERA SEMINA] Hircanos canes ait non contentos agnata vehementia, silvas subire & tigribus misceri. Tigrium autem copia in Hircania. Virg

—— *Hircanaeque admorunt ubera tigres.*

Claudian. de Raptu libr. III. Silius, Solinus. Lucanus, Dracontius, Petronius, Martialis. BART.

162 SILVIS.] Ab Aristotele petita haec: *ἐγγονίς ἢ ...ἐν τὰς ἐρημίας τὰς κύνας.* Quae ita reddidit Plinius: *in silvis coitus tempore alligant foeminas.* Ex eo Solinus: *Indi coitus tempore in saltibus alligant canes foeminas.* Isidorus quoque lib. XII. cap II. *Solent & foeminae canes noctu in silvis alligatae admitti ad bestias tigres;* vide reliqua hujus loci Isidoriani infra ad v. CCLVII VLIT.

164 MANSUETIS] In stabulis mansuetarum pecudum impune fera errat tigris. JOHNS.

164. ADULTER] Tigrin dicit. Translatio adulterii ab hominibus ad feras. Claudianus de Pardo.

—— —— —— *leaenae*
Nobiliorem uterum viriois corrupit adulter.

Scite Manilius *adulterium succorum*, variorum inter se commixtionem dicit.

Est & adulterio succorum gratia major.

165. GRAVIS] Gravida. Virgilius.

Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Ovidius Fastorum II.

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant.

Gravis uterus pro praegnante Papiniano lib. XI. de jure Codicillorum. BART. Planior sensus erit si legamus *gravem*, uti equidem citavit *ὁ πάνυ* Salmasius ad Solinum. Apud Maronem: *It gravis Auletes*, id est, *fortis* inquit Servius. At Aeneidos v.

—— —— —— *serpentem si gravis ictu*
Seminecem liquit saxo, lacerumque viator,

ubi iterum pro forti accipit Servius, ego malim *gravis saxi ictu* construere & legere. Avienus Fab XL. *gravem leonem* indigetat, cui *gravem iram* & *graves oculos* attribuit Fab. XXIV. Eodem sensu hic *gravem tigrim* haberemus. Si quis vulgatam rejici nolit, durior constructio erit: *canis ausa tigrim succedere gravis* (id est, jam gravida facta aut futura) *majore tulit de sanguine foetum.* VLIT. *Gravem* mavult Vlitius ut planior fiat sensus. Verborum series est, & canis ausa ultro subire tigrim gravis, *i. e* gravida tulit prolem majore & nobiliore de semine. JOHNS.

165. SUCCEDERE] Marem admittere. *Submittere marem foeminae*, mira phrasi, dixit Nemesianus Cynegetici ✝. CXIV.

Huic parilem submitte marem.

Cum nullo negocio potuisset. *Hanc parili submitte mari.* BART.

166. SANGUINE] Semine. Musaeus.

Ἦεν μὲν γνωτοῖσι, Διοτρεφὲς αἷμα λαχόντα.

Theocritus Herculisco.

Θάρσει Ἀλκμήνα ... γένος, περσῆιον αἷμα.

Apollonius Argonaut. lib. II.

—— —— —— *Ἰυδανίδαο*
Πέτρα πίλεψ, ἣ ῥ᾽ πιρ ἀφ᾽ αἵματος ἀχλύα ...

Ti-

Sed praeceps virtus ipsa venabitur aula.
Ille tibi & pecudum multo cum sanguine crescet:
Pasce tamen, quaecumque domi sibi crimina fecit,
Excutiet silva magnus pugnator adepta.
At fugit adversos idem quos repperit hosteis
Umber. quanta fides, utinam, & solertia naris,

Tan-

VARIAE LECTIONES.

167. *Aula*] Vide & ad Calp. Ecl. 1. vers. 15.
171. *Quos*] *Quo* G. *qui*. B.

NOTAE.

Tigrim autem canes inscendere legas apud Aristotelem & Plinium. BART.

167. PRAECEPS] Praefestina; impetus animi praefervidus. BART.

167. AULA.] Ordietur venationem in nido. Sic *aulam apum* Virgilius pro alvearibus dixit. BART. Locus circumseptus, ubi totum agmen canum mansiones suas habet. *Canile* Gallis & Anglis dicitur. Horatius lib. 1. Epist. 11.

——— ——— ——— *venaticus ex quo*
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus.

Αὐλὴ Aeliano lib. XI. cap. VI. περὶ ζώων. Unde & αὐλὴ προβάτων in Euangelio Johannis cap. X. Petronius *aulam* pro cavea posuit:

——— ——— ——— *premit advena classes*
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula.

VLIT. *in Add.* Pro nido, ut apud Maronem *aulae apum*, interpretatur Barthius. Utrumque erroneum. *Aulae* enim non apibus, sed Regi eorum metaphorice assignantur Georg. IV.

——— ——— *ipsi regem, parvosque Quirites*
Sufficiunt, aulasque & cerea regna refingunt.

Apud Gratium vero quid hic *aula* sit docet Servius ad IX. Aeneïd. *Graeci aulas vocant animalium receptacula. Unde septa, quae turbas prohibent in sacris aedibus & tribunalibus, aulas vocamus.* Non sunt itaque nidi aut caveae, sed tota cancellata septa, quales illae in templis aulae, quae altare sepiunt. VLIT.

170. EXCUTIAT] Ingeniosissima quidem hoc loco Gronovii mei conjectura, *Excuset*, sed ita Gratium scripsisse nondum mihi probat. *Excutere motum, furorem* Maroni, ut hic *excutere crimina*: quod amplius aliquid significat quam *excusare*. Qui crimen excusat, umbraculi loco aliquid obtendit. Unde metaphorice *excusare* pro obumbrare posuit Palladius Novembri tit. VII. Qui vero *excutit*, totum delet, & abolet. Ita Hyrcanus hic canis domi facta crimina, inter venandum non celat, sed prorsus excutit virtute sua, ut nihil mali unquam de eo meminisse liceat, qui tam strenue munia sua exequitur VLIT. Lego *excuset*. quod est, deleat, expiet, redimat. Prima improba virtus domi tuae venabitur, & in familiares saeviet pecudes. Hoc tu ignosce illi, & pasce tamen, daque locum, quae contraxit domi crimina, illa in sylvâ, quod nimirum haud dubie faciet, purgandi. *Gron* JOHNS.

171. IDEM QUOS] Vetus Editio, *idem quo.* Videtur Gratius, salva relationis lege, scripsisse. *qui.* Nam alioqui τὸ *idem* quo referatur non habet. BART.

171. QUOS REPPERIT] *Umber hostes quos repperit, idem adversos fugit.* Quid planius poterat dici? Aqua tamen haeret Interpreti, & scribendum edicit: *qui repperit.* Insulse prorsus. Nec quidem sequentia intellexit, quorum hic ordo est. *Umbro quanta fides & solertia naris est, utinam tanta etiam foret virtus.* VLIT.

•172. UMBER.] Locutus fere hactenus de bellicosis canibus, optat ut Umber quoque talis sit, quia corpore satis magno fuisse videtur, sed animo impar. Alias & sagacitas ejus commendabilis satis erat, ne pro inutili habeatur Silius lib. III. *aut exigit Umber Nare sagax è calle feras.* Idcirco infra: *Inconsultis mater dabit Umbrica Gallis Sensum agilem* Solus itaque animus requiritur, ut inter bellicosos cooptetur Umber. Hoc quod in Umbro desiderat, apta transgressione satis superque in Britannico cane esse statim sub-

Tanta foret virtus, & tantum vellet in armis!
Quid freta si Morinum dubio refluentia ponto
Veneris, atque ipsos libeat penetrare Britannos?
O

N O T A E.

dit. Quod ideo moneo, ne quis de Agassaeo Oppiani intelligenda sequentia autumet. VLIT. Aeneide XII. Maro:

——— ——— ——— *at vividus Umber*
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Nec aliter Sidonius in Paneg Aviti:

Jam si forte suem latratibus improbus Umber
Terruit. ——— ———

Quae cum Gratio non conveniunt. Nam is nulla talia *convicia* in Umbro notavit; sed tantum in Aetolo, inferius. VLIT. *in Add.*

172. Fides,] Fide & solertiâ naris Gratius sagacitatem describit. quid enim est in cane sagacitas, nisi certa & fidelis solertia naris? JOHNS.

173. Vellet] Auderet. Sic *exacta voluntas* inf. CCLIX. est audacia felici fine mactata. *In armis* in procinctu, in ipso periculo, valet. BART.

174. Freta] Ad freta, & ad Britannos. Virg.

——— *Lavinaque venit Littora.* &
Illyri.os penetrare sinus ——— JOHNS.

174. Morinum] Vide doctissimi Critici I. Nicolai Loënsis Miscell. lib. VI. c. XXI. *Dubio ponto* est instabili & semper inaequali. BART.

174. Dubio] Ausonius in Mosella: *bivio refluus manimine pontus.* *Dubius* itaque hic pontus, qui nunquam certa statione manet, sed modo huc, modo illuc aestu suo agitur. Ammianus lib. XXVII. de hoc ipso freto: *ad Bononia litus, quod à spatio controverso terrarum angustius reciproci distinguitur maris* VLIT.

175. Britannos?] Antequam de canibus Britannicis, quos hic celebrat Gratius, distincte dicam, quia illi potissimum huic scriptioni meae ansam praebuerunt, de toto eorum genere aliquid praemittam. Olim duae species cognitae tantum fuerunt, robusti, de quibus hic Gratius alique, & Agassaci, qui & velocitate & sagacitate excellunt, de quibus ad Nemesianum dicam. Hodie quidem illi robusti etiamnum supersunt, sed rusticis & pastoribus magis inserviunt: nonnunquam tamen & venationi, cum validior aliquis cervus, cui impares sint vi collatâ sagaces sive sanguinarii, debellandus est. Quod plurimus eorum olim in bellicosa venatione usus fuerit, manifestis etiam vestigiis apparet ex Theatrali illa venatione, quam in ursos & tauros exhibent Anglorum laniones: quibus jampridem interdictum fuit taurum mactare, antequam tribus ad minimum canibus ad fatiem usque vexatus fuerit. Unde etiam per minimos pagos frequens hoc spectaculum occurrit, & multis educandi hujus generis canes animum facit, ne impune sui lanius, nisi stato pretio redimant, virum gregis sui mactare. Londini autem ei lusui peculiare extructum dudum theatrum est, & tauri validiores aliquot, praeter ursos, aliasque id genus feras, aluntur, qui semel septiduo depugnent cum canibus; quos unicuique licet immittere, modo plures duobus non concurrant in Taurum, quatuor in ursum. Vidi aliquoties singulum canem, qui nares mordicus appetens ita inhaerebat, ut nullo impetu excuti posset. Vidi etiam qui eadem vi palaria vel collum invaderent, ut non immerito jam olim de iis dixerit Claudianus lib. III. de laud. Stiliconis:

Magnaque taurorum fractura colla Britannae.

Hujus enim generis fuerunt, quos Molossis aequiparat Gratius, cujus aevo nec sagaces nec veloces è Britannia petitos hactenus fuisse hinc patet. Sed & Strabo qui paulo post floruit lib. V. testatur canibus Britannicis ad bella sua usos fuisse Gallos: ταῦτα δὲ κομίζεται ἐξ αὐτῆς (Βρεττανικῆς puta) καὶ δέρματα, καὶ ἀνδράποδα, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. Ex quibus apparet satis frequenter petitos inde hoc genus canes fuisse, etiam Romanis, quorum majestati generosa maxime conveniebat venatio, cui aptissimi, ut nunc quoque, illi canes. Haec ideo magis retuli, quia Johannes Cajus Anglus in libello suo de canibus Britannicis hos supine nimis praeterierit, qui olim Gratio nostro & Straboni cogniti, nec etiamnum adeo *degeneres*, ut ita ab eo vocari, aut ut inutiles ablegari debuerint Misere insuper fallitur, si Hyrcanum, quem laudat ex Gratio, eundem putavit esse cum Urcano suo, quem ex urso & cane ridicule satis ἐτυμολογίζει. Nec unquam ta-

O quanta eſt merces, & quantum impendia ſupra!
Si non ad ſpeciem mentiturosque decores
Protinus: haec una eſt catulis jactura Britannis.

Ad

VARIAE LECTIONES.

178. *Catulis*] *Catuli* ——— *Britanni*. G.

NOTAE.

le canum ex urſis mixtum genus in Britannia viſum fuiſſe crediderim, quamvis ex vulpe mixtos canes caſus magis quam uſus aliquando protulerit. Ille enim & hoc quaſi protritum aliquid videtur nobis obtrudere, quod ego rumore tantum, & vix ita compertum habeo Sed & ejuſdem fere notae ſunt reliqua, quae inibi perſcripſit, ut ſuo loco ſingula eventilabo. Quamobrem indignum autore ſuo foetum hunc, quam ſecus quidquam de illo Viro, qui inter prioris ſaeculi eruditos haud obſcurum nomen jam obtinuit, cenſere malim. Et hoc quidem loco canum Britannorum merita à populari ignominia vindicare curae pretium exiſtimavi. VLIT. De canibus bellatoribus inſignis addendus hiſce locus ex Valerii Flacci lib. vi

——— clauſtriſque profuſi
Caſpiadae, queis turba canum non ſegnius acres
Exilit ad lituos, pugnaſque capeſſit heriles.

VLIT. *in Add.*

176. Quantum impendia supra!] Ait impendia bene compenſare canes Britannos, ab ultima licet inſula Romam advectos. BART. *I. e.* quantum lucri facis ultra impendia. JOHNS.

177. Si non] Etiamſi non protinus ſpecies Britannicorum canum arrideat, tamen magna eorum eſt utilitas, in re praeſenti. Una illis jactura eſt deformitatis, & ſpeciei virtuti non reſpondentis. Diſtinctio ita ordinanda eſt.

——— ——— ——— ſupra!
Si non ad ſpeciem, mentituroſque decores
Protinus; (haec una eſt catulis jactura Britannis)
At magnum cum venit opus, promendaque virtus,
Et vocat extremo praeceps certamine Mavors,
Non tunc egregios tantum admirere Moloſſos.

Vides perbelle tibi omnia reſpondere, quae antea obſcuriora erant, ſola diſtinctione, & quod 179 pro *ad*, *at* refinximus. In quo etiam adjuvat nos, modo quae ſit, Editionis veteris auctoritas. Quae elegantius etiam *catuli Britanni* habet, quod ego omnino Gratii arbitror. BART. Quantumvis non omnino ad ſpeciem externam & decores, (quae, quos capiunt, ſaepiſſime fallunt) compoliti ſint. Hic enim eſt unicus catulorum Britannicorum defectus. ad venationem πολεμικὴν, & ferarum pugnam cum ventum eſt, & vis animi exſerenda, non aeque mirabere egregios & inſignes Moloſſos. JOHNS.

177. Ad speciem] Sunt ſane deformes ſatis bellicoſi Anglorum canes, ſed longe minus quam ſanguinarii, quos vocant, qui & generoſi fere & valido corpore ſunt, non adeo tamen, ut bellicoſis toti accenſeri poſſint. Si hos intelligas, non poteſt quidquam iis melius attribui; quam quod hic de deformitate in Britannicis canibus excernit Gratius. Oculis hi ita lippis & detortis, labris & malis adeo ſordidis & dependentibus apparent, ut advenis mera monſtra videantur. At quanto deformiores, eo fere meliores aeſtimandi. Nam ſi & labra plurimum propendeant, eo certius odorem quaſi ſorbent, & clariorem ululatum faventis veſtigationis teſtem edunt. Unde & ab ululatu illo *hounds* nomen adepti ſunt, non *hundes*, quo fere modo nos quemvis canem appellamus Nam hinc quoque *to hunt*, id eſt, *venari* Saxones videntur feciſſe, quatumvis contrarium ſentiat Cajus, qui vernaculam ſuam non ſatis bene plerumque ἀναλογίζει. VLIT. Oppianus ita & de Agaſſaeis Britannicis:

Γυρὸν, ἀσαρκότατον, λασιότριχον, ὄμμασι νωθές.
Corpore diſtorti veſco; cutis hiſpida; luſco
Lumine.

Ita verti. VLIT. *in Add.*

178. Catulis] Non vereor tamen ut diminutivo hoc vocabulo evincatur, quo minus de bellicoſis canibus loquatur hic Gratius, ut ſatis jam ſuperque aſſerui; dubito tamen utrum pro *canibus* commode ſatis poſitum, an ita potius ſcribendum ſit. Nam quod Oppianus lib. 1. Agaſſaeos Britannicos, quos domeſticis catellis non majores eſſe canit, ... ἄλκιμοι ἰχνευτῆ-

vo-

Ad magnum cum venit opus, promendaque virtus,
Et vocat extremo praeceps discrimine Mavors,
Non tunc egregios tantum admirere Molossos;
Comparat his versuta suas Athamania fraudes
Acyrusque, Pheraeque, & clandestinus Acarnan.

Sic-

VARIAE LECTIONES.

182. *Comparat*] Ita P. *Cum parat.* A. Steyn.
183. *Acyrusque*] Johns. *Epirusque.*

NOTAE.

vocet, non ideo bellicosis accensendos esse, aut de illis loqui Gratium, quia *catulos* hic appellat, mihi persuadere possum, ut planius ad Aurelii Cynegeticon aperiam. Et de bellicosis hic agi plenius ex sequentibus patebit, ubi dicit: *At te leve si qua Tangit opus.* VLIT. Vossius ad Catullum. p. 100. ad haec verba, *catuli ore Gallicani* sic dicit. catuli. *i. e.* canis. ut passim apud Horatium, Virgilium; Graeci σκύμνους vocant, non recens genitos sed adultos. nullâ itaque opus est correctione. occurrit postea v. 400. JOHNS.

179. MAGNUM OPUS] Sic sup. ỳ. LXI. & ỳ. CXXVI. *leve opus.* ỳ. CXCIV. *rarum opus.* CCXLIV. Ita gaudet semel usurpatas phrases, data occasione repetere, & ubique similis esse sui. BART.

179. AD MAGNUM] Hanc è vett. libb. scripturam servavi. Barthius ex sua sibi Edit. refingit: *At, magnum*, &c. Videtur illum offendisse *τὸ venit*, quod ad *catulos* Britannos referri non poterat. Ideoque & jubet Edit. suam sibi suppeditare, *catuli jactura Britanni.* Sed quam frequens haec numeri mutatio sit Gratio, ostendam ad v. DIX. Mens Gratii autem haec est: *cum opus ad magnum venit*, id est cum bellandum est collatâ cum feris vi, & extremo vitae periculo decernendum, non minoris animi & virtutis tum apparere Brittannicos canes, quam Molossos. Potest & digeri hoc modo: Britannicus canis *cum ad magnum opus venit*, per numeri ἀκολουθίαν. Idem tamen manet sensus, & de bellicoso Britannico cane omnia intelligenda sunt. *Magnum opus* itaque bellicosa est venatio, ut mox, *leve opus* cum cursu tantum in fugaces feras contenditur. *Opus* ipsam saepissime venationem vocat VLIT. *At* vel *ad magnum*, vulgo legitur, sed mihi magis arridet

Ast magnum &c.

Sic enim Virgilius ipse amat versus ordiri saepe. BRU.

181. MOLOSSOS;] Si tres hi versus ad Britannicum canem spectant, ut modo referebam, τέλεια στιγμὴ hic ponenda erat. Sin ad Athamanes, bene habet vulgata interstinctio, & hic sensus ac ordo verborum est: In bellicosa venatione cum coram pugnandum est, non minus fraudem, qua Athamanes & sequentium locorum canes feram circumveniunt, quam apertam Molossorum virtutem commendari. Utcunque velis, pergit omnino bellicosos canes recensere, inter quos celeberrimi olim Molossi, ideoque *egregios* hic vocat, *acres* Virgilius Georg. III. ubi Servius: *in Molossis fortitudo laudatur.* Seneca Hippolyto:

Teneant acres lora Molossos.

Quare indecore nimium Lucanus ex hoc ipso Senecae loco effinxit: *tenet ora levis clamosa Molossi.* quod mox collatis inter se utriusque locis apparebit. Nec facile excusetur, quod Martialis (si modo is autor est) Epigr. penult. Spectac. dixerit: *veloces fugeret cum dama Molossos.* VLIT.

182. ATHAMANIA] Illyricum. Vide Stephanum & Plinium. lib IV. cap. II. BART.

182 FRAUDES,] Dolus an virtus quis in hoste requirat. Athamanes illi, reliquique, quos Molossis comparat, sagaces quidem sunt, sed haud adeo imbelles ut non fraude aliqua circumventas feras invadere auderent. Itaque & bellicosis merito adnumerantur. *Fraudes* eorum sunt subiti insultus, & repentini ac taciti accessus. Tale quid in Indico cane laudat Plinius: *ingenti primum latratu intonuit: mox inruit assultans, contraque belluam exurgens hinc & illinc artifici dimicatione, quâ maxime opus esset, infestans atque evitans, donec assidua rotatum vertigine afflixit.* Hac bellicosorum fraudes sunt. Nam in solo sagace longe diversae commendantur. VLIT.

183. ACYRUSQUE,] Lege *Acytus.* Vide Stepha-

Sicut Acarnanes subierunt proelia furto:
Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes.

Ac

VARIAE LECTIONES.

184. *Sicut*] *Sic ut* P. *Sic &*. A. Steyn.

NOTAE.

phanum. BART. Ἄκρος omnino hoc vocabulum esse, nemo non videt. Gesnerus conjecit primus, *Acytus*, quae *insularum rotundissima* est apud Plinium lib. IV. cap. XII. caetera tamen adeo ignobilis, ut tam generosos canes produxisse verisimile non sit Fuit cum substituendum putarem *Acritas*, quod initium Messeniaci sinus est, cui in proximo adjacent *Pherae*, & haud longe Taygetus mons canibus Laconicis cognitissimus. Prominet & Italiam versus Acritas, ideoque Romanis Peloponnesum praeternavigantibus vel adeuntibus notum fuisse promontorium credibile est. Nunc vero ipsum *Taygetum* hic restituendum puto, cujus canes pro toto genere κατ' ἐξοχὴν posuit Maro Georg. III. *Taygetique canes*. Ille enim pastoribus, qui ex bellicosorum numero canem suum semper deligere etiam hodie solent, Spartanos commendat, qui praeter robur & velocitate praestant, ut adnotat Servius. Illius itaque assiduus imitator Gratius haud dubie acerrimos Spartanos & hic inter bellicosos canes fraude aliqua insignes accensuit. Bellicosos esse hisce apud Senecam patet:

At Spartanos, genus est audax
Avidumque ferae

Non enim obstat quod simul sagaces fuerint, ut reliqui quoque, quos hic fraude aliqua Molossorum virtuti exaequat. Illi enim nuda vi commendantur, hi, inter quos Spartani, dolo aliquo aut inopinato feras superveniebant. Maxime Spartani qui veloces quoque, & triplicem venationem exequebantur, ut infra dicam. Scriptum itaque olim hic fuit: *Taygetus, Pheraeque*. Error autem ex eo venit, quod syllabâ *ge* primum suprascriptâ, & ita in finem vocabuli relegata, postea videatur effectum: *Taytusge*. Ex quo scioli fecerunt, *Acytusque*. Nam *T*, *R* & *C*, in MSS. codd. parum differunt: *Pherae* sunt Φηραὶ oppidum haud procul Taygeto monte. Si quis malit *Taygetusque Pheraeque* ut Φεραὶ Pelasgorum oppidum sit, non pugnem, nisi quod canes Pelasgos nusquam celebratos esse, hos vero Laconicis accensos considerari velim. Sed ipsa Diana apud Callim & Taygetum colere, & Φεραιη tamen dicitur. VLIT.

183. Epirusque,] Ita restituit Gronovius. Vicinas enim regiones designare voluit. Varro lib. 2. de re rusticâ cap. 9. *videndum ut boni seminis sint, itaque a regionibus appellantur Lacones, Epirotici, Sallentini* olim legebatur *Acyrus*. Vlitius *Taygetus* legendum censet. Heinsius, *Argivus* JOHNS

183. Pheraeque,] Vid. Strabo p. 367. VLIT.

184 Sicut Acarnanes] Hippolytus apud Senecam huc quoque venatores suos dimisit:

Vos, qua tepidis subditus Austris
Frigora mollit durus Acarnan

Ubi optima edit. adhuc habet, *Acharuan*, quod rectum non est. Non aliter quam in Vibio Sequestro MS. memini invenisse inter paludes: *Ambracia*, *Acharniae*, pro *Acarnaniae*. Nam *Achaiae*, quod in vulgatas hinc manavit, ineptum est. Circumjacent enim Ambracium sinum Acarnanes. Sed Gratium credo respexisse hoc loco (& τῷ *subierunt* praesertim) historiam & fraudes Demosthenis, cum adversus Peloponnesios bellum gerens cɒ Acarnanas in insidiis locasset, qui hostes praetereuntes à tergo invaderent: quod optime illis cessisse late refert Thucydides sub finem lib. III. VLIT. Thucydides lib. 3. ad finem. narrat ut Acarnanes, consilio Demosthenis in insidiis locati Ambraciotas prorsus profligarunt. Huic Historiae alludit Gratius. fuit tamen qui duos sequentes versus pro insititiis habuit. nec sane ἄτοπος illa suspicio. JOHNS.

184. Furto:] Clam, dolo Multa non vulgaria de hoc verbo alibi scripsimus Sic κλοπὴν pro furto bellico dixit Libanius, Declamatione Menelai. *furtivum Bellum* Procopius de Bello Persico lib. 1. Vide Commentaria ad Claudianum & Musaeum. Gratii est sententia: sicut Acarnanes consueverunt clam & dolo hostibus nocere, sic eorum quoque canes mores eosdem furtim subrependi, usurpant. Vox *supervenit*, improvisum damnum denotat. BART.

At clangore citat, quos nondum conspicit, apros
Aetola quaecumque canis de stirpe (malignum
Officium) sive illa metus convicia rupit,
Seu frustra nimius properat furor. & tamen illud
Ne vanum totas genus aspernere per arteis,

Mi-

NOTAE.

186. Citat] Non memini profecto plus quam semel in poëta purioris aevi *citari* pro *excitari* vel *moveri* legisse ; sed apud Statium, notat doctiss. Barthius saepe occurrere. Tali sensu & Valerius Flaccus dixit *citatas sorores* seu *Nymphas* pro excitatas. lib. 3: 527. BRU.

186. Quos nondum conspicit] Aetola canis bellicosae venationi ineptus censetur, quia nondum conspectos apros clangore excitat. Laudatum itaque merito in Acarnane, quod *taciturna supervenit hostes.* Conspectam autem feram bellicosis canibus latrantibus invadere non illicitum ideo habebatur. Nam in sagacibus quoque bellicosae venationi inservientibus id laudatum. Halieutico:

Et produnt clamore feram, dominumque vocando Increpitant.

Scilicet fugiente jam fera hoc omnino necessarium, ut si absint venatores cum bellicosis canibus, eo advocentur: vel si praesto sint, eo major animosiorque invadentium impetus sit, & simul terrorem omnem adaugeat undique excitatus fragor. Quapropter & tubas clamoresque adhiberi in ursorum venatione docet Oppianus lib. iv. Virgilius in hoc quoque decorum venationi attribuit Georg. iii.

Saepe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu terrebis agens: montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.

Verum sagacibus latratu omni interdicitur, antequam cubili suo excitanda fera. De quo mox dicam. VLIT. *Latratores* quoque *Molossos* dixit Martialis lib. xii. Epigr. i. Idem lib. x. Epigr. xxxvii.

Hic olidam clamosus ages in retia vulpem. VLIT. *in Add.*

187. Malignum] Venantibus malignum, utpote quod feris evadendi copiam dat, noxia sedulitas. JOHNS.

188. Convicia] Vox inordinata & confusa *convicium* dicitur quaevis. Sic de culicis stridore Maro.

Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.

Vide Ulpianum l. xv. de Injuriis. Et vicem ejus interpretis, doctissimum & acutissimum JC. Jacobum Raevardum, Varior. lib. i. cap. 3. in cujus praematuro obitu Antiquitas Jurisprudentiae Romanae immane damnum passa est. BART. Pollux lib. v. cap. xi. λέγεται δὲ ἐπεκκλωπεῖν, τὸ προϋλακτεῖν, πρὶν τὸ θηρίον εὑρεῖν. Hoc in Aetolo hic reprehendit noster, quasi metu, ne feram accedat, latrans eam excitet : ut thrasones illi qui jactantia roboris sui, dum alios terrere conantur, timiditatem suam produnt. VLIT. Curtius lib. vii. *canes timidos vehementius latrare, à Bactrianis jactitatum.* VLIT. *in Add.* Clamorem. Phaedrus lib. i. fab. 6. *Clamorem Ranae sustulere ad sydera, convicio permotus quaerit Jupiter causam querelae.* L. 3. fab. 14. *Cicada acerbum noctuae convicium faciebat.* Ov. Met. l. 6. v. 378.

Ipsaque dilatant patulos convicia rictus. JOHNS.

189. Furor.] Scribo *favor.* dum sibi favet ante tempus & praedam credit suam, à quâ longe adhuc abest. sic infra.

Nequa ex nimio redeat jactura favore.

Et mox.

——— *ut ne prima faventem pignora fallant.*

Gronov. JOHNS.

190. Vanum] Ut vanum & inutile. JOHNS.

190. Totas per artes,] Id est, contemnas quidem ad πολεμικὴν, sed non etiam in ἰχνευτικὴν & inductoria. Quanquam enim bellicosi non sint Aetoli, mirum quam celeres, & quam sagaces. Artes venandi itaque tres sunt, robur, odor, velocitas. Robusti fere omnes canes sunt quos hactenus nominavit, exceptis Gelonis & Umbro. Athamanes & reliqui fraude magis quam nuda vi hostes suos debellant, nec eo minus bellicosi habentur. His subjicit nunc Aetolos, & bellicosae venationi aut fraudulentae ineptos esse ostendit, quia produnt clangore suo feras non dum conspectas Si enim coram adversas latratu invaderent, hoc ferri poterat ; imo laudatum quoque in Indico canе-

apud

Mirum quam celeres, & quantum nare merentur:
Tum non est victi cui concessêre labori.
Idcirco variis miscebo gentibus usum.
Quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallis

Sen-

VARIAE LECTIONES.

192. *Tum non est*, &c.] Pythoeus notat alias legi: *Tum non & victi, cum concess. lab.* non male. VLIT. & JOHNS.
194. *Dabit*] Mallem, *dabat*. VLIT.

NOTAE.

apud Plinium. Quod vero ad ipsa vestigia sublatret, aut metum arguit, aut nimiam praecipitantiam. Certum enim est latrantes canes minus metuendos, & timidiores esse, quam qui taciti irruunt, ut in proverbio est. Excusari tamen aliquo modo potest, si nimio in fervore hic gaudii testis latratus fere invito exprimitur, quanquam frustra nimius properat furor. Fortasse itaque tales sunt Aetoli, quales Cretici canes, quos ἰταμὰς δὴ ἢ ὀξείας dictos fuisse tradit Xenophon minor cap. III. de quibus suo loco latius agam. VLIT.

191. Celeres,] Non ut inter veloces constituendi sint, sed quod celerius & expeditius investigent. Hoc est quod in prolegomenis dicebam, velocitatem olim τῇ πολεμικῇ & ἰχνευτικῇ ad perfectionem accessisse. Hoc est cur Maro Georg. III. dixerit: *Veloces Spartae catulos*, qui sagacitate alias commendantur. VLIT.

191. Merentur:] Praestant. *Meritum* pro officio, praecipue sequior Latinitas usa est. Est tamen & apud priscae auctores reperire. Ovidius.

Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.

Et meritum pro dignitate ponitur. Claudianus.

——— *meritumque loci, velut inscia, quaerit.*

BART.

192. Tum non] Non est labor cui concedant de industria sua victoriam. Figura haec sermonis à Grammaticis priscis, exemplis illustrata est. De permistione canum vide Oppianum Cynegetico Primo. BART. Porro nullus est labor, cui labori cesserunt unquam defatigati. JOHNS.

193. Idcirco] Quia dixerat Aetolum canem non plane spernendum esse, quamvis bellicosae venationi ineptus sit, si quidem sagacitas, quae multa in eo, *praecipua in venatu est* (ut loquitur Plinius) *idcirco* hic, ut robur cum solertia coëant, sagaces cum bellicosis miscet. Praecipuus itaque hactenus de bellicosis sermo fuit; parcior per intervalla de sagacibus, quorum usum in Aetolo primum considerare, & hinc attente applicare incipit. VLIT. Ideo, ne canes alioqui boni, ut venationi prorsus inutiles unum ob vitium abjicerentur, canes variis gentibus ortas miscere visum est Gratio ut vitia eluerentur, & virtutes novas sibi exinde accerserent. JOHNS.

193. Miscebo] Oppianus quoque lib. I. miscet quatuor genera, sed minus accurate, & hoc insuper παραδοξάζει, quod addit: αὐτὰρ πολυφέρβου πάντων φῦλα μίγη μουνοφυλα. Ratio cur mixta genera praevaleant simplicibus colligenda ex Aristotele lib. II. de gener. animal. cap. VIII. si cui altius philosophari lubeat, quam ut ea contentus sit, quam hic dedit Poëta: *ex omni florem virtute capessunt. Et sequitur natura favens.* Sed quod generosissimos canes ex Molossis & Laconicis mixtos ab Aristotele eod. lib. probari ad Oppianum notaverit Vir doctus, ego non invenio. Hoc comperi, illi & Xenophonti cognitos quidem fuisse canes ex feris mixtos, primum autem Gratium ex diversis canum gentibus novum genus proferre. Itaque non contra Xenophontem & Pollucem simplicia genera commendat Oppianus, ut alter quoque apud eum observat Interpres, sed contra solum Gratium. Recenset tamen & mixtos Ovidius inter Actaeonis canes,

——— *Patre Dictaeo, sed matre Laconide natos.*

De semiferis autem infra suus dicendi locus erit. VLIT.

194. Quondam] Non statim à prima mixtura, sed altero vel tertio foetu, ut de semiferis Indorum canibus tradit Philosophus. Xenophon

 de

Sensum agilem, traxêre animos de patre Gelonae
Hyrcano, & vanae tantum Calydonia linguae
Exibit vitium patre emendata Molosso.

Sci-

NOTAE.

de Laconicis eleganter : *ἐν πολλῷ δὲ χρόνῳ συνοικειοῦται αὐτῶν ἡ φύσις.* VLIT.

194. Inconsultis Gallis] Quod supra de Acarnanum gente & canibus dixit, iisdem moribus esse, & hic de Gallis dici poterat. Nam ejus gentis in militia inconsultum fervorem notavit Aristoteles, & Propertius expressit. lib. II.

Quis tam longaevae meminisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

Et Lucanus libro I.

——— *quos ille timorum*
Maximus haud urget leti metus ; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animique rapaces
Mortis, & ignavum rediturae parcere vitae.

Ut quidem Lucanus scripsit. Nam quod vulgo prostat,

——— *animaeque capaces.*

prorsus cum mente poëtae pugnat, qui animas ab iis immortales creditas canit. Propertii locum ita emendavit & ex Aristotele exposuit incomparabilis Scaliger. Cujus ingenio qui obstrigillant, dementiunt. BART. Temere in agris errantibus, quia nulla inest illis naris solertia, quâ duce dirigantur. Nam v. 156. laudantur tantum ob bellicosam venationem. JOHNS.

194. Mater] Canes foeminas hic omnes sagaces constituit, mares bellicosos. Masculam virtutem merito requirit. Foeminis etiam sagacitatis plurimum inesse, usus docuit. Unde forsan sagaces foeminino genere semper ponunt Graeci, & prisci Latini : aliquando & quemvis venaticum, quia tales. Non pari sane, qua Gratius, peritia in miscendis canibus utitur Oppianus, cum & sexum non distinguit, & sagaces cum sagacibus, bellicosos cum bellicosis coire jubet. Qua inscitia & in [illegible] illud incidit, quod optima simplicia gencia esse dicat. VLIT.

194. Umbria] Vetus *Umbria.* Vide infra ad v. 228. BART.

195. Sensum agilem,] *Sensum* pro ingenio aut acumine posuit. Virgilius Culice.

Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Saepe Manilius aliter quam vulgo solent hac voce usus, cujus tamen locum hodie *census* obtinere jussus est, auctore non raro invito. BART.

195. Traxere animos] Sic loquuntur aliquando poëtae. Ovid. Trist. *facere animos* id est, *sumere animos.* BRU.

195. Animos] Audaciam. Virgilius IV. Georg.

Ingentes animos angusto in pectore versant.

Alcimus Avitus, Poëta Christianus.

Extulerat mortale genus crudelibus ausis
Ingentes animos. ———

Marius Victorinus.

——— *languentem pone timorem*
Sume animos ———

Spartian : *rebelles animos efferebant.* Imo *animi* quemvis adfectum signant. Ut *timorem* apud Pontium Paullinum Panegyrico Celsi.

Ergo tenete fidem quam cernitis, insuper & quam
Tangitis, & dubios pellite corde animos. BART.

195. Geloni] Supra v. 157.

Arma negant contra martemque odere Geloni. JOHNS.

196. Hyrcano,] Vers 161.

Sed non Hyrcanae satis est vehementia genti
Nata. JOHNS.

196. Calydonia] Aetola canis. Calydon enim est urbs Aetoliae, sita ad flumen Evenum. JOHNS.

197. Exibit] Ibit extra vitium. Ita Virgil. cum accusativo. *exit tela.* aliisque. JOHNS.

197. Emendata] Elegantissima translatio à libris qui *emendari* dicuntur. Ita Ovidius *mendam* pro naevo corporis dixit, Amor.

Ut stetit ante oculos posito velamine nostros,
In toto nusquam corpore menda fuit.

Sic apud Petronium *mulier omnibus simulacris emendatior. Emendatissimi mores*, apud Arnobium. Vide doctissimi Juretí Collectanea ad Symmachi Epistolarum lib. I. Epist. XXVI. BART.

197. Molosso.] Si quidem Aetola tam *vanae linguae* & clangosa sit, quanto clamosiores catuli ex ea & Molosso nascerentur, si etiam is talis esset, qualem inconsulto facit Lucanus lib. IV. cum dicit : *tenet ora levis clamosa Molossi?* Gratius autem non modo ut latratu abstinerent, sed etiam ut simul bellicosi fierent, cum Molossis miscet Aetolos, ut Gelonos qui *Martem* ode-

Scilicet ex omni florem virtute capessunt,
Et sequitur natura favens. at te leve si qua
Tangit opus, pavidosque juvat compellere dorcas,

Aut

NOTAE.

edere cum Hyrcanis, Umbros ferisfugas cum Gallis, & viceversa ut bellicosi, qui fere *inconsulti*, *jenjum agilem* apiscerentur. VLIT.

198. Florem] Id quod optimum, & maxime decorum, cujusque rei, auctores *florem* nominant, Auctor prologi in Casinam.

Ea tempestate flos Poëtarum fuit.

Flos vini apud Plautum Curculione, vinum generosissimum. *Flos calcis*, apud Palladium libro I. cap. XLI. *Flos coenae* apud Gellium lib. XV. cap. VIII. *Flos flammae* Lucret. *Flos gypsi*. Columellam libri XII. cap. XXII. *Flos Thessaliae* apud Appulejum Metamorph. I. *Flos Syriae*, pro nobilissima parte. Claudian. lib. I. in Eutropium. *Flos Spartae*, pro juventute. Bacis vates apud Pausaniam. *Flos nardi*, Lucret. lib. II. *Flos populi*. Ennius.

Flos illibatus populi, Suadaeque medulla.

Flos gymnasii ———

Catull. Galliambo. *Flos Veronensium juvenum*. Idem ad Quint. *Flosculus juvenculorum*, apud eundem Hendecasyll. *Flos aetatis*, apud Curtium lib. VIII. *Flos pulcritudinis*, Clearcho apud Athenaeum lib. XI. ἄνθος γυίων Aeschylus Prometheo, *Flos pueritiae* apud Portium Latronem. *Flos primi aevi*, Seneca. *Flos juventae*. Sil. Italic. *confisus primaevae flore juventae*. *Flos faciei* Victorinus, ut volunt, Epitoma Caesarum, in Theodosio. *Flos puellae*. Tibull. Catullus. *viridissimo nupta flore puella*. Ovidius lib. X. *Aetatis breve ver & primos carpere flores*. Lucretius:

Denique cum membris collatis flore fruuntur
Aetatis. Focas.
——— *fenescenteis titulos librorum*
Flore durantis reparas juventae.

Cicero
——— *ereptum à flore juventae.*

Manil. lib. III.
Vix degustatam rapiens à flore juventam.

Statius in Achilleïde.
——— *imbelli carcere perdes,*
Florem animi?

Manilius libro IV.
——— *toto nihil est aequale sub aevo*
Perpetuosque tenet flores ——— BART.

197. Florem virtute] Poëta Vetus.

Flos veterum virtusque virum ——— BART.

Graeci ἄωτος. Ita de Hierone. Pindarus Od. primâ. δρέπων μὲν κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν. ἀγλαΐζεται δὲ κ. μυσικῆς ἐν ἀώτῳ. Theocritus Idyllio secundo. οἰὸς ἄωτον. Et Hercules dicitur Ἡρώων ἄωτος. cujuscunque rei praestantissimum. JOHNS.

199 Sequitur natura] Tralata haec figura sermonis à cera, quae *sequi* dicitur manum artificis. Vide Comment. ad Ceirin. v. CCCXXVII. BART.

199. Leve opus,] Hinc quoque patet de bellicosis canibus hactenus egisse, & illud venationis *magnum opus* dignius pro majestate Romana habuisse Romanum vatem. Dorcas & lepores sectari nunc *leve opus* ideo vocat. Unde ridere aliquando subiit, quam operose magnus Xenophon leporinam venationem instituit! quantum indaginis & cassium in ea tendat! quam gravia praecepta tam levi militiae praescribat! ut tacite se gerant, & quovis modo quam celerrime animalculum conficiant! Egregiam vero laudem & spolia ampla, si quis *infelicem bestiolam lepusculum timidum tanto fortasse praedabitur apparatu*, ut merito hoc perstringit Joan. Saresberiensis. *Damas figere* etiam leve quid censet Hippolytus ex ore Romano Senecae:

——— *nunc veloces*
Figis damas leviore manu.

Ignoscat tamen aliquis Britanniae venanti haec, quia ferocioribus animalibus vacua jamdudum est. Ignoscat & Bataviae nostrae quae jam primum venationis tirocinium facit cum Ascanio suo, non defectura utique ubi Aeneas ille factus erit. VLIT. Cum cursu tantum in fugaces feras contenditur. JOHNS.

200. Tangit] Afficit. Lucret.

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

BART. Capit, delectat. JOHNS.

200. Opus,] Venatio. JOHNS.

200. Dorcas,] Inusitatior haec vox à δόρξ, δορκὰς, non à δορκὰς, unde *dorcades* fecerunt Latini. Glossae veteres: δορκὰς, *damma*, *capriola*. Ita scribebant illo tempore pro *dama*, *capreola*. Nam δόρκοι & ζόρκοι apud Oppianum diversa species est, nec *damae* reddi debuerunt à docto interprete, quorum perpetuum epithe-

 ton

Aut versuta sequi leporis vestigia parvi:
Petronios (scit fama) canes, volucresque Sicambros,

Et

NOTAE.

ton est, *timidi damae*, ut hic *pavidi dorcae* vel *dorces*. Sed monstro simile est, quod apud Plinium legitur lib. VIII. cap. LIII. *de semiferis animalibus: Sunt & damae & pygargi & strepsicerotes. Sed illa Alpes, haec transmarini situs mittunt.* Quid, an damae igitur nullae in Italia? Falsissimum, nec Plinius hoc unquam scripsit. Restituendae eo loco *chamae* videntur, ignotiores, & semiferae bestiae, ut ipso nomine territi ferre eas non potuerint librarii, tam hic quam alibi. Sed cap. XIX. ejusdem lib. meliores libb. MSS. adhuc servant: *Pompeii Magni primum ludi ostenderunt chama, quem Galli rufium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis* De quo alibi. VLIT. Damas, à δίεξ δοξιός. JOHNS. Plus semel videtur Gratius litteris Latinis Graeca verba descripsisse. Sic in sequentibus *manu pallente*, pro *manu vibrante*, a graeco παλλω BRU.

201. VERSUTA] Martialis lib. I. Ep. XLIX.

Leporemque forti callidum rumpens equo
Cervos relinquis villice. BART.

Intricata & redeuntibus in se gyris perplexa. JOHNS.

201. PARVI:] Parvorum leporum quam adultorum olentiora esse vestigia tradit Xenophon Cynegetico, quem forte respexit hoc Epitheto Gratius. BART.

202. PETRONIOS] Extat lex Burgundionum, *De canibus Veltrais, aut Segutiis, aut Petrunculis*, quae ita se habet: *Si quis canem veltraum, aut segutium, vel petrunculum praesumserit involare, jubemus ut convictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur.* Ha, ha, he! ridete, ô boni venatores, & hanc quoque vel inter Platonicas leges vestras sesquipedalibus literis enotate. Sed ad rem *Petrunculi*, & *Petronii* iidem sunt, canes veloces simul & sagaces, non à gente aliqua, sed à qualitate nomen sortiti. Festus in schedis: *Petrones, rustici à petrarum asperitate, & duritie dicuntur. Petroni* hinc Romanorum familia: & *Petronii canes*, quia ita *solidos calces* habent (quos infra in cane suo requirit Gratius) ut petras & rupes etiam illaesim percurrant. Εὔποδες hi vocantur Xenophonti cap. VII. qui & alibi canes per aspera & montosa agitari praecipit, ut tales fiant Idem alter Xenophon sequitur cap. XXV. Merentur plane hoc nomen minores & velocissimi inter sagaces Anglorum canes, quos à velocitate *fleethownds*, sive nostra dialecto *vlietbonden*, vocant. Utuntur his per montana & nuda gignentium loca, ubi & ipsi lepores minores & diversicolores à reliquis (quales insulares omnes esse tradit Xenophon cap. XII.) velocitate quoque & degyrandi calliditate multum praepollent, & vix a Vertagis sive leporariis capi adeo possunt. Sed & Petrunculi illi, qui vestigiis eorum non minus celeriter quam sagaciter instant, haud facile trihorio minus talem aliquem defatigant, ut in Lincolniensi montium aequijugi tractu aliquoties ipse vidi. Ut & Petronii hic velocium classi adscripti; & sagaces fuisse, ex sequentibus colligere est: *quae Petroniis bene gloria constat*, inveniendi & investigandi puta latentes feras. Reprehendit in Petroniis postea Gratius quod taciti accedere feras nolint, sed clangore nondum conspectas ciere. Hoc quoque scilicet Anglicis Petrunculis convenit, qui simulac in vestigia incidunt, unamini & continuo clangore ea decurrunt. De quo mox dicam. Nunc amplius cujas sit hic *Petronius* dispiciamus. In Italia *fama* tantum cognitum fuisse Gratii aevo ipsa haec verba fidem faciunt. Gallis etiam non videtur attribui posse, quorum canes bellicosorum primos posuit modo. Eadem ratio cur Britanniae non asscribendus sit. Itaque ignorata patria illius adhuc fuit, & ex Belgio originem traxisse, quod in praefatione dicebam, vero non absimile est. Restant enim ejus generis adhuc in Flandria, ubi ante aliquot saecula adeo haec viguit venatio, ut ipsi Principes saltuum praefecti vocari non recusaverint. Alterum argumentum, quod Belgae lepori venando deditissimi simus, cui & hic inservire Petronios dicit Gratius. Nam quod Belgicum canem in apros immiserit Silius, ἀκυρόλογον est, ut in Praefat. notavi; quanquam sagacem dici tolerabile aliquatenus sit. VLIT.

202. (SCIT FAMA)] Olim *sic* legebatur at non putem dicere Gratium Petronios canes isto aevo tantum famà cognitos. quid enim juberet deligere ad hanc venationem, qui nulli essent? sed scripsit, *scit fama*. testem enim ejus, quod dicit, facit famam publicam. prorsus idem v. 256. *Thoës commissos*, (clarissima fama) *Leones*.

Gro-

Et pictam macula Vertraham delige falsa.

Ocyor

VARIAE LECTIONES.

203. *Vertraham*] *Ventraham* G. *Ventranam* B. *Veltrahum* cit. Lindenbr. Caeterum Merula non male à *Ver* , & *dragen* ἰτυμον petiit , cujus Cynegetica nunc primum inspicere contigit. Vide Martialis apophor. de cane Vertrago in Comm. VLIT.

NOTAE.

Gronovius. JOHNS.

202. SICAMBROS ,] Hi certe populares nostri sunt, merito *volucres* , quia *venticanes* eos vocamus , quales Diana apud Callimachum habet Θοωτέρας αὔρησιν κυνας Σπαρτιάδας , *Veloces Spartae catules* , quibus & lepores ibi venatur : uti nostrates plurimum in lepores quoque exercentur. Talem proculdubio innuere voluit Naso Metam. I.

Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit.
——— *inhaesuro similis jam jamque tenere*
Sperat , & extento stringit vestigia rostro.

Nam de Celtico non posse intelligi , ex iis quae dixi manifestum est. Et Gallo-Belgicum nostrum, si currentem & lepori inhaerentem videas, non possis expressius delineare , quam in illis fecit Ovidius. Ex hac gente fuerunt Vertrachae sive Vertagi, ut statim dicam. Innotuerant jam veloces hi aliquatenus & Ovidio. Nam Pollux Κελτικὰς inter γενναίας recensens non videtur hos intellexisse, sed quos Celtas etiam vocavit Gratius. Et quanquam illius aevo jam cognitos satis fuisse credibile est , minus tamen mirandum de eorum venatione nihil scripsisse , cum antiquiores & Xenophontem maxime in iis , quae de venatione libro v. collegit , sequatur. Idem de Oppiano censendum , ne secius quicquam de tanta illius supinitate dicamus , qua venationem tractavit : si quidem merito suo inter Graecos poëtas primas ei attribuit Illustris Criticus. Ille , ut plurima , ita & de Gallicis canibus dicere quidquam neglexit, qui jam à Xenophonte juniore in ipsa Graecia agitati fuerant. Non enim aequum est ut propter Oppiani negligentiam recentior, quam stilus scriptumque ferunt, temere habeatur hic non infimae Graeciae author. De quo in editione mea Graecorum κυνηγετικῶν, Θεῶ διδόντ☉ , latius differam. VLIT.

203. VERTRAHAM] Celticum hoc est vocabulum , ut nescio cujus Xenophontis auctoritate docet Henricus Stephanus , Graecae linguae Aristarchus. lib. IV. Schediasmat. cap. I. Nam in Cynegetico extare non memini. Meminit ejus Martialis à Turnebo lib. XVIII. cap. I. in eam rem notatus , sed syllaba media correpta , quod in barbaro vocabulo , in Romanam linguam ab ignaris detorto , mirum obvenire nemini debet. Frustràque à trahendis feris deducit Etymologiam Turnebus. Quae sane non in Latina , sed in vetere Celtica lingua inquirenda est. Potiusque arbitrer illam à celeritate quam feris trahendis desumendam , quod ex Gratii nostri versibus sequentibus apparet. Si vero Latinam togam assuere voluisse barbaro vocabulo autumabis , sane ex ea re petenda nobis originatio erit , de qua certo constat , nimirum celeritate , qua hoc genus canum excelluit. Sed in hoc laborare , otio suo sit abuti. Frustra vero doctissimus Stephanus Epitheton *falsa* , mendi suspexit. Nam macula omnis in pelle ferae dici potest *falsa* cum non insita , sed innata sit. *Maculari* vero dicitur proprie , quod cum purum fuerit , postea naevum acceperit. Et inquinari nihil potest , nisi antea integrum. *Maculae* vero belluis improprie adscribuntur , quae etsi variae sint colore , maculis tamen carent. Sed haec inania sunt , nisi quis Graecissantem in loquentia Stephanum imitari velit. In veteri editione , *Ventraham* legitur. An legendum , *Ventranam*. à tranandis ventis , ut hodieque nostri canis celerrimi *Venti* Germanis dicuntur? Sed hoc nugatorium est. Nam Latinum vocabulum non esse arguit , quod duo subactissimi Poëtae Gratius & Martialis mediam syllabam alter corripuerit , alter produxerit. BART. Mirum nemini videbitur , quod barbarae voces in Latium delatae non literas aliquot sed totas saepe syllabas diversas acceperint Exempla id infinita manifestant. E Belgio nostro ita olim jam demigravit haec cum cane appellatio. Hoc quidem facilius ex Xenophonte juniore quam etymologiam assignare est.. Tradit ille cap. III. hoc canum genus Vertragos Gallis (Belgicis puta) dici à velocitate Unde Gerardus Vossius & πάνυ filius animadvertit olim ,. dum fata Deusque

Ocyor affectu mentis pinnaque cucurrit,

Sed

NOTAE.

que finebant, à *veertigh* five *veerdigh*, quod promptum nobis significat, *Vertagum*, ut apud Martialem scribitur, posse deduci. Melius sane quam Cajus à *vertendo*; vel ab *agiliter vertendo* Farnabius, vel à *feram trahendo* Turnebus, aut denique, quod ineptissimum, à *ventis tranandis ventranam* è suo sibi cod. petitam Barthius, quasi ex Latio sit, derivant. Sed fallitur quoque Xenophon ille, quod à celeritate eos denominet. Quod ignosci facile potest cum homini Graeco, & linguae Gallicae, ut & in aliis adverti, imperito, tum quod corruptior ad eum ea appellatio venerit, quam primius in Latium delata fuit. Integrior, aut saltem minus corrupta est, quae hic apud Gratium legitur. Integrum fuisse auguror, *Veltraha*, quod hodie *Veltbrack* diceremus. *Velt* campum significat. Idque Burgundiones in *Veltrai* jamdudum, & etiamnum in *Veltro* suo Itali, quae à *Veltracha* formata, expresserunt. Ita illi canes hos veloces, quia per campestria & plana venantur, vocarunt. Nam in montanis aut silvestribus locis, ubi statim à conspectu se subducere possunt lepores, nullus horum usus est, qui solo visu, non odoratu, venantur. *Racha* Saxonibus canem significavit. Unde Scoti hodie *rache* pro cane foemina habent, quod Anglis est *brache*. Nos vero *brack* non quemvis canem, sed sagacem vocamus: forsan κατ' ἐξοχὴν ut *venatio*, & *venaticus* pro sagaci, quod in prolegomenis observabam; & *venator canis* pro sagaci apud Silium. Lex Frisica antiqua *braccionem* & *barmbraccionem* pro accipitrario posuit tit. IV. de quo alias. *Veltraha*, abiit itaque in *Vertracha*, & *Vertraha*, quod hic habemus, pronuntiationis an librariorum errore non facile dignoscere est. Nam quod *Veltrahum* hoc loco citet Lindenbrogius, ab ipsius ingenio esse credo, cum *Veltraum* legisset in Burgundionum legis additamento tit. X. Ubi non mirum est antiquam vocis formam jam ab XI retro saeculis servari, cum gens ea etiamnum plura antiquae Gallicae linguae vestigia habeat, quam alii Gallorum populi, qui à Belgio & Germaniâ remotiores; qui quo Italiae propinqui magis erant, eo facilius sermonem patrium immutaverunt. Nam *Veltrem* etiam in Salica & Alemannorum legibus invenire est; unde in Glossis *Veltra*, & hodie *Veltro* Italis. De quibus ad Xenophontem. Videri alicui possit *Veltracham* hic apud Gratium quoque integre scriptum fuisse, cum in Notis Tyronis ac Senecae expresse *Veltragam* legamus: nisi quod *Veltagra* (quasi Belgice *Veltjager*, ut, *Venator cursu canis*, Maroni Aeneid. XII.) perperam excusum est. *Veltraga* autem & *Veltracha* eodem modo pronuntiantur. Sed *Vetraha* ab illis positum est, qui *Vertragum* apud alios legerunt. Martialis apophor. *canis Vertragus:*

Non sibi, sed domino venatur Vertragus acer,
Illaesum leporem qui tibi dente feret.

Ita omnino legendum ex MS. cod. Leidensi, ut posterior vocula *racha* vel *raga* agnosci aliquatenus possit. Vulgo *Vertagus*. Sed forsan adeo non recens hoc mendum est, ut inde jam ad Firmicum pervenerit lib. V. cap VIII. *Similiter & nutritores canum Molossorum, Vertagorum, & qui sunt ad venationes accommodati. Vertagos* enim ibi expresse pro velocibus, sive *Veltrachis* posuit. Quodque *Vertrago* adscribit Martialis, plane nostris canibus leporariis convenit, qui cum & cuniculos, ut plurimum, venantur, vivam praedam, aut saltem nullatenus laesam ad dominum ferunt. Unde facile veram lectionem Martiali reddere est lib. III Epigr. XLVII.

Leporemque illaesum Gallicis canis dente,

vulgo etiam in opt. edit. *laesum* ἀσυνδέτως. Nec rectius ἐκλασμένω reddit in apophoreto illo Illustris Scaliger Josephus, ad quod respexit hoc loco Martialis. Unde videri possit jam crebriores paulum in Italiam devenisse. Non tamen ex foctura ibi abundasse, quae extra patriam in plerisque fere canibus plurimum degenerat. Quare identidem ex sua quemque gente petere, optimum censent optimi venatores. VLIT. Non male Doctissimus Merula, à *verdragen*, id est à bajulando, dictum putat. Ego tamen *Velt-racham*, rectius etiamnum censeo, id est, à campis ita dictum. Hinc enim Ovidius Metam. I.

Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit.

Diserte enim *vacuum arvum* illi dat. Et de eodem venationis genere Sulpicius Severus intelligendus Dialogo II *Jamque multo spatio victae bestiolae cum undique campis late patentibus nullum esset effugium.* *Racha* autem & convitii nomen est in Evang. Matthaei cap. V. *Qui dixerit fratri suo, racha.* Augustinus interjectionem indi-

Sed premit inventas, non inventura latenteis

Illa

NOTAE.

dignantis esse exponit. Ita Germani eodem modo *canes* suo idiomate vocant cum famulis aliisve asperrime conviciantur. Quod denique *Vertagus* restitui apud Martialem, pro *Vertagus*, confirmat id alter Cod. Thuanaeus, cujus collationes Favoniano virorum Praestantissimo debeo, in quo in lemmate *Vertriracus* & in ipso Epigrammate, *Vertraius*. Sed altera conjectura in eodem Martiali lib. III. Epig. XLVII. minime jam placet: scribendumque potius, *Leporem que prensum*, vel *lusum Gallici canis dente*. Quod *pictum* dicat *vertraham*, convenit & hoc cum Martiale, cui *picta perdix* lib. III. Epigr LXVI. VLIT. *in Add.* Canis & hic Belgicus, à *Velt* campus & *Brack* vel *Racha* canis. Veltracha abiit itaque in Vertracha, sive Vertraha. qui idem est cum Martialis Vertrago.

Non sibi sed domino v. atur Vertragus acer. JOHNS.

203. Macula falsa.] Saepe fit, ut albos vel lucidi & feris apparentis nimium coloris canes fuligine pingant illi, qui lucrum etiam ex nocturna venatione captant. Ita intelligi posse locum hunc innuebat mihi nuper Illustris Boswelius. Nec tamen displicere sibi fassus est pro ea, qua mecum agit, comitate sua, quod *pictam macula falsa*, pro diversicolori interpretarer. Solent enim optimae *Veltrachae* nigris flavisque mixtim virgis luporum luciorum terga potissimum referre, ita tamen ut nec virgae, nec maculae proprie dici possint. Idque aperte significat Xenophon junior cap III ὥστε ταῖς ποικίλαις ἐπαυθεῖ τὸ ποικίλον. *ita in variegatis sublucet maculosum quid*, vel ut ex Gratio reddam, *ita in pictis falsae quasi subnitent maculae.* Hinc etiamnum videntur Angli canes hos *grayhounds* vocare, id est, subfuscos vel nigro & albo mixtos, quod nos *graw* dicimus. Enimvero vernaculam suam male consuluit Cl. Cajus, cum *grehundes* scripsit, quasi à *gre*, quod praecipui gradus hi inter canes sint. Nec debuit locum hunc suspectum habere ὁ πάνυ Stephanus Schediasm. lib. IV. cap. I. cum & Xenophontis illa itidem proposuisset, unde plenam lucem capit Gratius. VLIT. Hoc verbum *falsa*, mendae suspectum habet Henr. Stephanus. Vlitius aliter sentit & exponit, diversicolori, ita tamen ut nec virgae nec maculae possint dici. idque aperte, inquit, significat Xenophon Jun. cap. 3. ὥστε ταῖς ποικίλαις ἐπαυθεῖ τὸ ποικίλον, ita in pictis falsae quasi subnitent maculae. falsâ pro versicolori potest stare. cum modo hic color oculis obversatur, modo ille, pro diversâ intuentis positura. Angl. *changeable*. At Xenophontis locus pessime probat. Sic enim ille. ut canum diversicolorum varietas illa illustrem emittit splendorem, ita quibus color unus est & simplex, ille quoque fulget. ἀποστίλβει καὶ αὐτὴ, Ego itaque *flavâ* seu *fulvâ* malo. quem Vertrahae colorem & Vlitius ascribit. JOHNS.

204. Ocyor] Oppianus de Agassaeo: ῥίμφα ἴτοισι τόξου ἐκηβόλου. Sed significantius Veltrachae celeritatem, ut oportebat, exaggerat noster. Quantumvis rapidissimum quid excogitaverimus id ipsum, dum cogitamus, affectus mentis nostrae sive ἔννοια antevertit. Ita animalia omnia celeritate vincit hoc canum genus. Unde manifestum satis, non esse *Veltracham* vel *Vertagum* Martialis, canem quem *tumularium* vocamus, ut Cajo & Farnabio perperam acceptum Hi saltu, illi cursu excellunt. Sed Gratium imitatur & exprimit simul Claudianus:

Quantum non jaculum Parthi, non impetus austri,
Non leve sollicitae mentis discurrit acumen. VLIT.

Ovidius huc respexit forsan lib. VII. Met. de Laelape Cephali cane:

Ipse oculis ereptus erat. non ocyor illo
Hasta, nec exutae contorto verbere glandes,
Nec Gortynia.o calamus levis exit ab arcu.

Sic Graecis in diverbio: ἐννοίας τάχιον. *Opinione citius*; uti Rufinus interpretatur apud Josephum περὶ ἀλώς. lib III. cap. IX. Agrigentinus Sophus apud Ammonium:

Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον
Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι. VLIT. *in Add.* Homer Odyss. l. 7. v. 36.

Τῶν νέες ὠκεῖαι, ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα. JOHNS.

204. Affectu mentis] Saepe ita Poëtae. Theognis.

Αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη,
Οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη.

Orpheus Hymno Funitrum. Hesiodus Scuto. Herc. Calaber lib. XII. alii. Natum ex scito Thaletis, qui princeps omnium rerum celerrimam *mentem* seu cogitationem hominis dixit. Vide Laertium. BART.

204. Pinnaque] Sagitta pinna suffixa. Statius.

M Quae

Illa feras; quae Petroniis bene gloria constat.
Quod si maturo pressantes gaudia lusu
Dissimulare feras tacitique accedere possent:

Illis

NOTAE.

Quae bello sic tela volant, quae nubila coeli,
Amnibus hibernis minor est, minor impetus igni.
Claudian.

Quantum non jactulum Parthi, non impetus Austri,
Non leve sollicitae mentis discurrit acumen. BART.

206. Gloria] Inveniendi nempe feras, non minus quam premendi inventas. JOHNS

207. Quod si] Si vero continenter supprimentes gaudia (ea enim est vis verbi, *Pressantes*) lusu maturo, *i. e.* dum lusus maturus sit, fructusque laboris capiendus, possent dissimulare feras *agnitas*, tacitique accedere; omnis venandi gloria Petroniis constaret, nec suis manca foret numeris, quae jam, Metagontes, vobis contigit solis. hanc interpretationem Vlitianae praeferendam censebis, cum seriem verborum attentius inspexeris. Ille enim *pressantes* explicat per urgentes, *persequentes*, at fera nondum excitatur è latibulo: tum & *gaudia* loco movet, & postponit τῷ *dissimulare.* nec placet auribus aeque iste versus si sic interpunxeris.

Dissimulare, feras tacitique accedere possent. JOHNS.

207. Pressantes] Prementes. propter versum. Virgil.

——— *frustra pressabimus ubera palmis.* BART.

207. Pressantes gaudia] Videtur hic ordo verborum esse, *quod si gaudia dissimulare, ferasque maturo lusu pressantes taciti accedere possent*, &c. ut hic sensus sit: quod si inventas ad cubile suum feras non latratu suo excitare, sed potius taciti accedere, &, cum jam tempus est, pressare excitatas etiam latratu suo, possent, illis Petroniis palmam attribuendam esse. *Dissimulare gaudia* contrarium est ei quod infra dicit: *effecta levi testatur gaudia cauda. Pressare feras*, ut statim, *premit inventas Veltraha feras.* Si cui σύγχυσις haec non arridet, ita disponat: *maturo prensantes gaudia lusu Dissimulare*, (gaudia scilicet ἀπὸ κοινοῦ repetenda) *feras tacitique accedere possent.* Sed *dissimulare feras*, ut in aliis editionibus distinguitur. Inductoris, non gregariorum canum est, & proprie tumulariis nostris canibus conveniat, qui circumeuntes cuniculum, & strictiore paulatim gyro adpropinquantes, rostro in terram demisso, alteroque oculo in diversa intento, aliud se agere simulant, donec incautum derepente insiliunt. Non adversabor equidem, si quis sic quoque haec intelligi velit, sed laude prorsus fraudem hanc carere Xenophonti τῷ δευτέρῳ & Anglorum venatoribus totus assentior. VLIT.

208. Tacitique accedere] Olim haec lex venationis fuit, ut cum ad cubile sive πρὸς τὰ εὐναῖα ἴχνη ferarum investigatio fieret, latratu abstinendum esset; maxime cum jam prope ipsam feram essent. Hoc enim est quod *tacites accedere* velit Gratius, quodque in Acarnane laudatum, etiam in Aetolo cane supra requirebat, quodque infra praecipit, *ne voce lacesseret hostem.* Sed praeceptum illud ad singulum canem inductorem proprie pertinet, ut ibi ostendam. Hic vero cum totum agmen incedit, quid observari olim consueverit, dispiciendum. Cum prope cubile essent, subsistendum canibus aliquantum erat, ne discursu eorum excitatus lepus absenti venatori conspectum venationis auferret. Qui ut tempori accedat, motu caudae vel alio quovis signo id percipit. Si vero prosiliat citius lepus, latratu hoc significandum est. Hinc tralaticie apud Nonnum Dionys. xvi. cani suo Nicaeam inventuro hoc praecipit Bacchus:

Παρθένον αἴ κεν ἴδῃς, ταχὺς ἔρχεο μάρτυρι σιγῇ,
Ἢ φυγάδα ὑλακῇσιν ἀπαγγείλειε Διονύσῳ.

Nimirum ut si inventa contineat se, tacitus id significet: sin fugiat, latratu annunciet. Ita prorsus in venatione, ut inventam feram, modo prope sit venator, tacitis signis primum arguant; cum vero à cubili se proripuit, latrantes eam insequi etiam antiqui omnes praecipiunt. Et quamvis è conspectu abierit tamdiu quam πρὸς τὰ δρομαῖα ἴχνη investigatio vel redinvestigatio peragitur, latratu & clangore insistere, legitimum. In bellicosa autem simulac conspecta fera est, latratu & clamore prodenda est venatori, & ipsi quoque bellicosi valide adlatrare consuerunt, ut accurate in Hippolyto suo expressit Seneca:

——— ——— ——— *at vos laxas*
Tacitis canibus mittite habenas:

Te-

Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,

Con-

NOTAE.

Teneant acres lora Molossos,
Et pugnaces tendant Cressae
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus est audax,
Avidumque ferae) nodo cautus
Propiore liga. Veniet tempus
Cum latratu cava saxa sonent:
Nam demissi nare sagaci
Capient auras, lustraque presso
Quaerant rostro.

Quae tota asscripsi, cum propter elegantiam & quia huc multum faciunt, tum ut videremus quam bene venationem intellexerit Lucanus, qui ita haec confudit lib. IV.

Venator, tenet orae levis clamosa Molossi,
Spartanos Cretasque ligat; nec creditur ulli
Silva canis, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & praeda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.

Jubet Hippolytus famulos suos aprum illum quem statim ante designavit, venari, eoque se accingere. Tam bellicosae venationi commendat merito Molossos, Cretas, Spartanos. Sed quia illi cominus pugnaturi sunt, praemittit tacitos canes qui cubile ferae investigent, ne latratu ullo praemature nimium excitetur. Tum autem latratu omnia miscenda esse edicit, cum deprehensam feram bellatores illi aggrediuntur. Molossi itaque ligantur, quia ad graviora arma, non sagacitati, inserviunt. Quod duplici errore confudit Lucanus, cum & *levem* & *clamosum* dixerit, ut alibi ostendi. Porro quando illud *tempus veniet. cum latratu cava saxa sonent*, si *praeda nescit latrare reperta?* Quanquam enim sagaces sint, in bellicosa venatione ad conspectam feram latratu indulgere permissum illis est, ut supra dixi. Halieutico:

Et produnt clamore feram, dominumque vocando
Increpitant.

Loquitur ibi de sagacibus venationi bellicosae inservientibus, ut sequentia manifestant: *quem si collatis effugit armis, Insequitur*, &c. Sed Lucanus illa ad ἰχνευτικὴν traxit, quibus Seneca πολεμικὴν instruit. Quo respectu hoc quidem ferri potest, quod latratu abstineri velit. Suffragatur ei hic Gratius, & uterque Plinius, in iis quae alibi jam adduxi. Aliter vero Xenophontis junioris & Longi aevo. Nam & sagaces in ipsa investigatione latrabant non minus quam in persecutione sive etiam ad cubile ducentia, quae εὐναῖα ἴχνη vocantur ibi, sive currentis leporis vestigia i. τὰ δρομαῖα sublegerent. Unde in veteri Epigrammate est:

Et canis in somno leporis vestigia latrat.

Eo jam abinde modo Britannici canes leporem plurimo latratu venantur, & quanto vocaliores, eo laudatiores habentur. Nec verentur scilicet optimi venatores, ut tardius accedente identidem latrantium agmine proripiat se vitaeque horam unam & alteram extendat lepus, cujus non de pelle aut pulpa, sed contentione tantum luditur. Ne ideo Vertragis suis sagaces posthabeat ille Xenophon. Nam hodie in Anglia sagaces nobilissimi quique exercent; Vertrago autem leporem conficere, indignum bene nato parum abest quin habeatur. VLIT.

209. METAGONTES,] Magnus Gesnerus à *Metagonio* Libyae urbe hos denominatos esse ariolatur, ut sint Libyci canes, quos laudat Nemesianus. Quomodo tamen *Metagontes* inde formari possint non video. Stephanus, à quo illud petiit ὁ δῆμα, posuit τὸ ἐθνικὸν, Μεταγωνίτης. Unde fiunt *Metagonitae*, non *Metagontes*. Sed vox haec pura puta Graeca est, ut supra *ancones*, & sexcenta id genus alia servarunt Latini. Intelligit enim canes semiferos, qui ex fera & cane geniti paulatim in diversum quoddam genus coalescunt. Aperte hoc infra ostendit, cum Hagnonem dicit ex Thoë *semiferam prolem* finxisse, cui & hic statim *Metagontem* assignat. Et postquam talem etiam foeturam misceri hortatus est, subdit: *prodantque tibi Metagonta parentes.* Itaque μετάγοντες dicti, quia multo tempore & foetu μετάγε[ται] καὶ ἡμερώτερα ἡ φύσις αὐτῶν, ut fere de canibus ex vulpe semiferis loquitur Xenophon cap. II. Sed & aliae sunt tralaticii hujus generis species. Quarum primam ex tigride & cane mixtam supra habuimus. Altera ex thoë & cane, vel ex vulpe, aut etiam cum lupo miscetur, ut infra dicam. Praeterea λεοντομιγεῖς addit Pollux. Sed quod ex urso & cane novum genus, quod Urcanum vocat, formet Cajus, exemplo & fide prorsus caret. VLIT. De clamore in bellicosa venatione addendus elegans Papinii Statii locus Th. IV.

Constaret silvis: sed virtus irrita damno est.
At vestrum non vile genus, non patria vulgo,

Spar-

VARIAE LECTIONES.

211. *At vestram*] Om. Lib. *ad vestram* B. conjicit *vestrum*. Vide Comm.

NOTAE.

Qualis Gaetulae stabulantem ad confraga silvae
Venator longo motum clamore leonem
Expectans, &c.

Martialis etiam lib. x. Epigr. xxxvii

Hic olidam clamosus ages in retia vulpem.

Haec quidem de ipso venatore. Sed & canibus tum idem incumbit officium, ut latratu invadant hostem. Sic Hippolytus apud Senecam loco citato. Sic Apulejus in apraria item venatione lib viii. Metam *Jamque apud frondosum tumulum, ramorumque densis tegminibus umbrosum* (nam talibus in locis stabulari dixi apros ad v. xlix.) *prospectu venatorum obseptis* (*obsentitis* ex MS malim.) *campis canes venationis indagini generosae mandatae, cubilis residentes invadere feras immittuntur: statimque solertis disciplinae memores partitae totos praecingunt aditus: tacitaque prius servata mussitatione signo sibi repentino reddito latratibus fervidis dissonisque miscent omnia.* Quae suavissima venantibus harmonia. *Signum* illud porro vel voce fit, vel cornu, quo altior terribiliorque exoriatur clamor. Statius iv. Theb.

——— ——— *tum saltus forte remotos*
Pacabat cornu, gelidique aversa Lycaei

Quo & Horatii illud. 1. Sat. ii. refert Cruquius:

——— ——— *Leporem venator in alta*
Ut nive sectetur, positum si tangere nolit
Cantat & apponit.

Ita lego. VLIT. *in Add.*

210. Silvis:] In silvis. Genera ista canum apud neminem scriptorem legi, cujus nunc meminerim. BART.

210. Virtus] Inconsulta illa animi vis & praefidens, quae caret effectu, impedit quo minus sua gloria sit omnibus numeris absoluta. JOHNS.

211. Ad vestram] Virtutem scilicet. Cujus vis ἀπὸ κοινοῦ repetenda est. Ad vestram inquit virtutem non promittit Creta suos, non Sparta, vulgo patria, hoc est, cujus catuli vulgo sunt in usu. Puta autem Metagontes alloqui Poëtam, *Ad vestram virtutem*, genus loquendi elegans. Ausonius. *Grammatice ad Scaurum atque Probum.* Idem doctissimus Latinitatis Poëta.

Et disputater ad Cleanthem Stoicum.

Solinus Polyhistor. cap. xxii. *Honore & precio ad Smaragdos viret.* Avienus.

Splendorem ubique quippe inesse fluctibus
Vitri ad nitorem ———

Et tale loquendi genus in illis Graecanicis, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. de quo Strabo lib. viii. Heliodorus lib. ii. ἐπῄεσαν δὲ ταῦτα οὐδὲν, φασί, πρὸς τὸν Διόνυσον ἐπεισκυκλήσαντες. Arestenaetus lib 1. Epistol. viii. οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον, οὐδὲ πρὸς ἐμὲ τοῦτον οἰκείως εἴρηκας τὸν λόγον. Item οὐδὲν πρὸς ἔπος, οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν. Item οὐδὲν πρὸς τὴν παροιμίαν ἐστί. Item ὡς πρὸς Ἀθηναίους. &c. Si cui paullo intricatior videbitur hic sensus, unius litterae mutatione facillimum extundet alium hoc modo.

Ad vestrum non vile genus.

Ad genus vestrum, minime vile, non Sparta, non Creta suos promittet. BART: *Virtutem*, ex proximo repetendam. Dicit enim Spartanos & Cretenses canes ad Metagontium virtutem proxime accedere. *Sparta & Creta non patria vulgo*, & vilibus canibus, *ad vestram virtutem promittit*, jactat, & comparat alumnos suos *non vile genus*. Poterat probari Barthii conjectura; *Ad vestrum non vile genus*, nisi pessime eam interpretatus fuisset, quasi vero dicat Gratius, ad Metagontes nec Spartanos nec Cretenses se pares promittere VLIT *Ad vestrum non vile genus*, legit Barthius. at Heinsius ad Lib. 6. Ovid. Metamor. v. 416. sic scribit. Locus contaminatissimus. Scribe.

Par vestro, non vile genus, Nonacria, vulgo,
Sparta suos, & Creta suos promittit alumnos.

Nihil enim causae erat, cur Gratius canes Arcadas, tantopere in venatu ab omnibus commendatos, omitteret, recensitis aliis longe ignobilioribus. Hos recte Spartanis & Cretensibus, qui maxime vulgares, adjungit. *Vulgus* pro canibus idem Gratius alibi quoque non semel dixit At si Lycaones superius memorati sunt iidem qui Arcades; Heinsiana correctio suis ipsa viribus ruit. *Vlitius* ita locum exponit. *ad vestram* virtutem

(prae-

Sparta suos & Creta suos promittit alumnos.

Sed

NOTAE.

(praecesserat enim *Virtus*) *Sparta & Creta non patria vulgo*, & vilibus canibus, *promittit* jactat & comparat *alumnos suos non vile genus*. Idem tamen refingit postea, *Num patria vulgo Sparta*. Non vulgarium sed omnium fere canum vulgo patria habita Sparta. Sed nec haec satisfaciunt *Virtus* enim illa, de q.. Gratius, est virtus culpabilis, impetus animi suae pariter famae venationique nocivus. nec *vestram* posse stare puto, nam de Petroniis, non ad Petronios locutus erat Gratius. quod si versus sic refingis, planissimus fiet sensus.

At vestrum non vile genus, non patria vulgo:
Sparta suos, & Creta suos promittit alumnos.

At vestrum, Metagontes, genus non contemnendum est, nec patria è vulgo patriarum: Sparta enim & Creta promittunt conferuntque suos alumnos ad Metagonta generandum. Nec tamen Spartanus, nec Cretensis ille fuit, qui primum hosce canes ad foeturam miscuit, sed Hagnon Boeotius primus te, Glympice, in sylvis egit. Sic omnia, ni fallor, optime cohaerent. Haec quoque confirmat *Ovid.*

Et patre Dictaeo, sed matre Laconide nati
Labros & Agriodus, &c. JOHNS.

211. VILE GENUS] Spartanos canes non videtur vituperare, quod alii inter celeberrimos eos aestiment. Sed non vile genus vocat Metagontes. Qui quidem quales fuerint, ego nescire me fateor. Tamen vilitatem eorum vulgaris Patria arguit. Et fortassis de mixtione gentium loquitur, de qua instituit sermonem. BART.

212. SPARTA SUOS] De Spartanis canib. Xenophon, Oppianus, Nemesianus, Eustathius ad Odyssaeam, &c. cursu veloces fuisse dicas ex Nemesiano. Unde *tenues* videtur appellasse Claudianus lib. III. de Laudibus Stiliconis. BART. Malim ego: *nunc patria vulgo Sparta*. non vulgarium, sed omnium fere canum vulgo patria habita Sparta, & crebra eorum mentio vulgo occurrit. Xenophon hos solos sagaces novit. Primos eos posuerunt Pollux & Nemesianus. Sed & propter robur pastoribus deliguntur apud Varronem & Virgilium: ut merito eos *genus audax avidumque ferae* vocaverit Seneca. Et Silius ad apros quoque armavit. Lib. I. *Spartanis latratibus acsini aper.* Praeterea, quia cuivis venationi commendabiles erant, *Veloces Spartae catulos* vocavit Maro Georg III. Idem quoque, *Amyclaeum canem*, pro quovis bono cane in genere posuit, ut observat Julius Phylargyrius ad eundem lib. Duas eorum species agnoscit Xenophon cap. III. Castorias & ἀλωπεκίδας. Illae a Castore; hae quia ex vulpe & cane primum progenitae. Sed Aristoteles lib. VIII. cap. XXVIII. in genere Laconicos canes ἐξ ἀλώπεκος καὶ κυνὸς mixtos esse dicit. Unde Pollux quoque omnes ἀλωπεκίδας esse tradit lib. V. cap V. Quod inde esse existimo, quia Castoriae cum vulpinis plurimum coëuntes paulatim in unum genus coaluerint. Pollux ibidem: ταύτας δ' ὁ αὐτὸς οὗτος ποιητὴς καὶ ἀλωπεκίδας λέγει, ὡς μιξαμένης τὸ γένος ἀλωπεκικαστόρας. Ita corruptissimus locus dudum à me restitutus, cujus rationem alibi exposui. Haec autem ideo adduxi, ut videri melius possit, an non Gratii mens fuerit, Spartanos & Cretenses canes ad Metagontium genus formandum commendare. *Ad vestrum genus* miscendum Sparta & Creta promittunt alumnos suos, *non vile genus*. Siquidem & vulpini illi Metagontes ex Spartanis canibus primitus mixti fuerint. VLIT. Horatius hos pastoribus quoque, cum Marone, assignat Epod. II.

Nam qualis aut Molossis, aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus, &c.

Lucanus, *Spartanos Cretasque ligat*. *Tenues Lacaenas* Claudianus vocat, III. de Laud. Stil. Ammianus Marcellinus lib. XXX. *Ut Spartanos canes & Cretas, vestigia sagacius colligendo, ad ipsa cubilia pervenire causarum*. VLIT. *in Add.*

212. CRETA] De Cretensib. Xenophon, Oppianus, Claudianus, alii. *Promittere*, est jactare, *minari*, quod veteres dicebant. Juvenal.

——— *Durae per brachia fetae*
Promittunt atrocem animum.

Nemesianus Cynegetico.

Fortibus ut succis teneras complere medullas
Possint, & validas jam tunc promittere vires.

BART. Robore, odore, & cursu, aeque ac Laconici, excelluerunt pariter Cretenses canes. *Pugnaces Cressae*, Senecae. Unde & Xenophon ad aprariam venationem eas adscivit. Sagacitatem in illis praecipuam agnoscit alter Xenophon cap. III. & adeo celebre ac primum inter sagaces hoc genus esse existimavit, ut nullo alio u-

M 3 fum

Sed primum celsa lorum cervice ferentem,

Glym-

NOTAE.

sum Xenophontem majorem videatur credidisse. Verum ille, ut dixi, Laconicos solos in communem venationem adscripsit; & in apraniam demum Cretenses canes. Celeritatem in his arguit, quod eorum aliqui, ἵππῳ εἶτα ὁμοίως ἀγρεύοντες, quos probat Oppianus, παλιντονοι indigetarentur ideo, teste Polluce, vel ut apud Xenophontem juniorem legitur, ἱππικοί, ἀπὸ τῆς ἕξ ως. Aelianus lib. III. de animal. cap. II. κύνες Κρῆσσαι κοῦφαι καὶ ἁλτικαί, καὶ ὀρειβατεῖν ἀσκηθεῖσαι. καὶ μέντοι καὶ αὐτοὶ Κρῆτες τοιαύτας αὐτὰς παραδιδόασι, καὶ ἀεὶ ἡ φύσις. Fuerunt enim ipsi primi venatores, ut superius dicebam. Quare mirum non sit si & canibus eorum *ducti hec ab origine meres*. Ita modo pari dolo Acarnanes & canes eorum comparavit noster, & Molossis à gente sua innatam generositatem deducit ibidem Aelianus. *Totas* itaque *per artes* apti fuerunt canes Cretenses, & antiquissimi procul dubio. A quibus originem duxerunt Carici, eo forte tempore, cum adhuc in Creta sub Minoë agerent ipsi Cares. Sunt enim ejusdem generis Cretici & Carici, agminatim & cum latratu venari soliti, si Xenophonti credimus τῷ ἰχνεύειν. Imo & olim Varius hoc dixerat, si per librarios licuisset. Versus ejus luculenti de Cretica cane supersunt apud Macrobium lib. VI. cap. II. ita legendi:

Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit cervae comprendere lustra,
Saevit in absentem, & circum vestigia latrans
Aera per nitidum tenues sectatur odores:
Non amnes illam medii, non ardua tardant.
Perdita nec serae meminit decedere nocti.

Inepte vulgo: *circum vestigia lustrans Aethera*. VLIT. Claudianus ibid. *Argutaeque fremunt Cressae*. Ita enim malim scripsisse, quam *Hirsutae*. *Argutae*, quia, *fremunt* & cum latratu venantur, ut ex Varii loco ostendi. VLIT. *in Add.*

213 Lorum] Dicit primum Hagnona cane inductore ad venationem usum fuisse, qui loro per collare aptato sequentem venatorem per vestigia ad ferarum cubilia ducit. Plinius de canibus: *Scrutatur vestigia atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens*. Sic intelligendus Ennii locus apud Festum in quo *vinclo aptam venaticam* dixit, sed non *aëne*, ut restituere eo loco voluit Illustris Scaliger. Quo enim aeneum vinculum venaticae, nisi ut strepitu suo feras excitet, antequam ad cubile accedat? Veteres libb. habuerunt *venenox* & *venox*, unde *velox* formari poterat. Ego scriptum fuisse conjicio: *vinclo venatica pernox Apta silet*. Quae infra latius explicabo. Seneca Thyëste Actu III.

Sic cum feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur Umber

Reliqua cum Ennianis infra absolvam. Sed primum de ipso loro videamus. Xenophon in mundo canum post collaria ita accommodat: οἱ δὲ ἱμάντες ἔχοντες ἀγκύλας τῇ χειρί, ἄλλο δὲ μηδέν· οὐ γὰρ καλῶς τηροῦσι τὰς κύνας οἱ ἐξ αὐτῶν σιμαγωγοῦντες τὰ δέρραια. Haec paulo diverse exprimit Pollux cap. IX. τὸ δὲ περιδέραιον ἐξῆπται ἱμάντος, ὃς ἐκ τῆς κυναγχης ἐξηρτύλωται, καὶ ἀπὸ τούτου ἄγεται ὁ κύων. Quae ita vertit interpres: *Sed collarium à tenui loro dependet, quod ad canis ducem tenditur, & ab hoc canis ducitur.* Fortasse propius mentem Pollucis, quam verba, quae alium sensum formant. Κυνάγχη ille pro κυνηγῷ sumpsit, sine exemplo. Gesnerus ὁ κύων dubitat an non pro collari variandi gratia, quam affectat, posuerit Pollux. Sed nec eo sensu vox illa uspiam occurrit. Hesychius κυνάγχη, τὸ ἀπὸ χειρῶν δεσμόν quibusdam dici docet. Unde & hic κυνάγχης pro ἀγκύλη Xenophontis positus videatur, atque ita vertendum: *Collarium vero tenui loro alligatur, quod per ansam inflectitur*, &c. Aut scribendum omnino: ὃς ἐκ τῆς κυναγωγοῦ ἐκκεκύλωται, id est, *quod per ansam à venatore tenetur*: ut paulo ante ex Xenophonte praecipit canes semestres venatum educi vinctos ἱμάσι μακροῖς ἐγκεκυλωμένοις, ut egregie restituit Gesnerus. Atque ei potissimum usui lora haec ductitia videtur adhibuisse Xenophon, cum in leporis venatione plurimus sit, ad quam ita instituit quidem catuli, non autem inductores singuli, ut ad majores feras, exigi solent. Utrovis modo lorum in summo ansam habere, & collari annecti sufficit. Sin ita teneri debuit, ut cum opus esset dimitti subito in feram & exsolvi canis possit, legendum est: ὃς ἐκ τῆς κυναγωγοῦ ἐξηγκύλωται. *quod versus ductorem extenditur*. Nam eo usu solet lorum per annulum collaris medio tenus transmissum utroque fine dupliciter teneri, ita ut uno eorum manu dimisso exsolvatur canis, & lorum ex annulo elapsum

apud

Glympice, te silvis egit Baeotius Hagnon, Ha-

VARIAE LECTIONES.

214. *Glympice*] B. conj. *Gymnice.*

NOTAE.

apud venatorem maneat. Quod ideo à *slippe* vocant Angli, ab elabendo. Et plurimum hujus usum olim quoque fuisse dubitari non potest, sive cum bellicosi canes, donec exurgeret fera, in promptu ita haberentur, ut in apraria venatione Hippolytus eos disposuit apud Senecam:

Teneant acres lora Molossos,
Et pugnaces tendant Cressae
Fortia trito vincula collo.

Ut inductoris impetum ita quoque coërcet Oppianus:

——— ——— ——— αὐτὰρ ἐπαχθὴς
Καὶ μάλα σὺν θύνωσι βιησάμενος τελαμῶνι.

Sive cum *titulos*, id est, stationes suas partiti veloces, quas Xenophon junior instituit cap. xx. simulac exsurgat lepus ex proximo tantum immittendi, ne simul incursent, loro vincti educerentur. Ammianus de eo genere venandi loquitur lib. xxix. *ad observandam venaticiam praedam Spartanum canem retinere dispositus, ante praedictum tempus absolvit.* Quod & in aliis venationibus hodie observari passim consuevit. VLIT. Adde Ammiani locum lib. xxix. *Adultus quidam ex his, quos Paedagogianos appellant, ad observandam venaticiam praedam Spartanum canem retinere dispositus* (ita modo & Lucanus) *ante praedictum tempus absolvit.* Brabanti id vocant *op de laes staen.* VLIT. *in Add.*

213. Celsa cervice] Imo *pressa*, ut Seneca ibidem: *Instraque presso quaerant rostro.* Sed nihil mutandum. *Celsam cervicem* in ipso cane, non in actu, laudat; ut infra: *Sint celsi vultus.* VLIT.

214. Glympice,] *Glympicis* hujus nomen tam ego scio, quam illa Punica apud Plautum. Et fortassis olim haec simul clarescent. Ego quod non intelligo, non ausim tangere. *Confessae imperitiae summae laus est*, ait Minutius Felix. Videtur tamen *Glympicem Hagnonis* fortasse canem fuisse, qui primus instituerit loro canes vincire, & ita venatum ducere, ne praecipiti ardore feras fugarent potius quam indagarent, de qua noxia modo verba fecit Gratius. *Hagnon* autem viri nomen est, non canis, ut putavit vir eruditissimus Bon. Vulcanius ad Callimachum. Possit autem *Gymnice*, vel tale quid excogitari nominis, cujus generis exstant apud Xenophontem. Sed ego illud doctis excutiendum relinquo, praesertim tibi, inter eos prime, Isaci Casaubone. Qui haud dubio ex facili & hunc & omnes hujus scriptoris nodos solvere poteris. Nos primi vastatum undique & desolatum cultoribus hunc agrum ingressi, omnia excutere & restituere non possumus. In Editione veteri nihil penitus opis, quae & lacunis & naevis extreme obsita atque spurcata. BART. De cane non minus quam Domino altum ubique silentium. Hagnius quidam est, pater Tiphyos, quem eundem esse cum Hagnone nostro conjicit Vlitius, & quia patria illi Thespiorum locus Aphormion in Boeotiâ, forte *Thespiades* loco *Hastilides* legi debere apud Gratium. Quae vera sint & ipsius Authoris necne, nullis adjutus codicibus prorsus nescio, aliquam tamen, ut in tenebris, veri speciem habent. JOHNS.

214 Boeotius] Forte huc facit, quod apud Joannem Salesburiensem legi Thebanos primos venationem aggressos esse. lib. 1. Policrat. cap. iv. BART. Videtur hic fuisse pater Tiphyos, quem Hagnium vocat Apollodorus. Unde *Hagniaden* Tiphyn indigetavit Val. Flaccus Boeotium illum fuisse ex Hygino scias fab. xiv. *Tiphys Phorbantis & Hymanes filius, Baeotius: is fuit gubernator navis Argi* Cur tamen Phorbanta, pro Hagnone, illi patrem faciat, nondum didici. Patria illi Thespiorum locus Aphormion in Boeotia, teste Stephano. Hinc ipse Tiphys *Thespiades* dicitur Valerio, & Hagnonem forte ita appellavit Gratius: *Hagnon Thespiades.* Nam quod *Astilides* ex suo sibi cod. legat Barthius, quia *Astius* rustici nomen est apud Calpurnium, risu magis quam fide dignum est. Plura de hoc Hagnone, aut venatione & cane ejus frustra quaeras. Quod Hagnonem canis nomen ex Gratio male citaverit Vir doctus ad Callimachum, fortasse ab eo est, quod inter Vulcani canes Hagnon aliquis nominetur apud Mythologum. VLIT.

215. Ha-

Hagnon Astylides, Hagnon, quem plurima semper
GRATIA per nostros unum testabitur usus.
Hic trepidas arteis & vix novitate sedentes
Vidit, qua propior patuit via: nec sibi turbam

Con-

VARIAE LECTIONES.

215. *Astylides*] *Hastilides* olim. *Astylidae*. Gesn. & Put.
217. *Sedentes*] *Silentes* G.

NOTAE.

215. HASTILIDES,] Leg. puto, *Astilides*. *Astilus* nomen pastoris apud Calpurnium Bucolicis. Et vetus editio adspirationem non habet, ut fere nullibi. BART. Repono *Astylides*. magis ad Patronymicorum Graecorum formam. quis porro ferre potest aspirationem istam, *H* quater repetitam duobus versibus? JOHNS.

215. QUEM PLURIMA] Quem utpote singularem & unicum in re venaticeâ grata semper posteritas uno ore depraedicabit. JOHNS.

217. TREPIDAS ARTES] Vide ad v. XIII. BART. Dubias, & fluctuantes, needum prae suá novitate stabilitas & ἱδρυμένας. JOHNS.

217. SEDENTES] Confidentes, & locum tenenteis, cum errarent antea hinc inde vagae. *Sedere* mire interpretantur Grammatici apud Virgil. Aen. IX. Sed istud huc non pertinet. Pariter cum Gratio *sedere* pro quiescere posuit Propertius lib. IV.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat Umbra sitim.
Nec sedeant cineri manes, & Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono.

Pro *placere* multis exemplis hoc verbum stabilivit Bernartius ad Thebaidem. I. Papinii. Vide Nonium. In veteri Edit. *silentes*. quod nullius pretii est. BART.

218. VIDIT, QUA PROPIOR] *Vidit, qua propior patuit via*, pro, vidit qua artibus propior patuit via. Hellenismus est, ut apud mellitissimum Anacreonta:

Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μου,
Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον,
Οὐκ οἶδα. id est κατὰ λέξιν.
Ego sed meos capillos,
An sint mihi, vel absint, Ignoro.

Qualis illi propria est sermonis inaffectati ἀφέλεια. Plauto nihil familiarius. Sed & posterioris aevi Juvencus Lib. IV.

——— ——— *cunctos si credere fas est,*
Quod tua labentes possint praecepta negare.

Quae vulgo pessime distinguuntur. Dionysius Cato in moralibus distichis: *vitulum sine crescat aratro*. Sed haec illis digna, qui Catonem praelegunt VLIT.

218. VIA:] Methodus. vide ad v. V. Manilius.

——— *artem Experientia fecit,*
Exemplo monstrante viam ———

218. NEC SIBI TURBAM CONTRAXIT COMITEM,] Videtur notasse aevi sui corruptelam, quo Romulidae *venari timentes* ipsi (ut ex Horatio modo observatum) servilem operam adhibebant; sicuti latius in extremo ad Nemesiani Cyneget. Commentario. Namque antea solis heroibus hoc conveniebat opus. Quocirca & Polybius in Excerptis lib. XXXI. gloriatur se à Scipione venante Romae adscitum. Sic & Hagnon solus hic, & solus apud Ovidium Metam. VII. Cephalus, & quidem uterque *prima luce*, venatum prodiere:

Sole fere radiis feriente cacumina primis,
Venatum in silvas juveniliter ire solebam:
Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus acres
Ire canes, nec lina sequi nodosa solebant:
Totus eram jaculo.

Ita namque olim legebam, pro *Tutus*. Exemplo Valerii Flacci, qui saepe ita. Lib. III.

Tollitur hinc, totusque ruit Tirynthius arcu.

Et alibi: *totusque incumbit Jason desuper*. Lib. I.

Ecce sacer totusque Dei per litora Mopsus.

Et lib. ult. *totusque in vertice pontus*. *Totum* autem se jaculo tantummodo dicere, frigidum prorsus, cum jaculum non sit defensionis, sed petentis telum. VLIT. *in Add.*

218. TURBAM] Hagnonem illum ait non multos sibi comites adscivisse, solo Metagonte venatum profectum. BART.

219. VA-

Contraxit comitem, nec vasa tenentia longe.
Unus praesidium atque operi spes magna perito

Ad-

NOTAE.

219. Vasa] Supellectilem venatoriam recte hoc vocabulo intellexit doctissimus Turnebus lib. x. cap. xxvi. *supellectilem* vocat Nemesianus.

> —— *Nunc omnis adhuc narranda supellex*
> *Venandi* ——

Sic Seneca lib. i. de Benefic. *Nomina facturi diligenter in patrimonium & vasa debitoris inquirimus.* Frontinus Strategem. lib. iv. cap. i. Cultrum inter vasa simili modo, quo *jacula* & *tela* Gratius, retulit Plautus Aulular. A. i. Sc. 2. Vetus interpres Moysis lib. iv. cap. xxxv. *Vas* pro quovis *missili* dixit, quem refert auctor Collationis Lex Dei. BART.

219. Tenentia longe.] Quae longe feras tenent. Possunt autem & retia & telorum omne genus intelligi. *Longe* valet ex longinquo. Claudianus.

> —— *longe virga transfigere tigres.*

219. Vasa tenentia] Pollucis caput xii. est: *περὶ συνεργῶν κυνηγέτῃ κ̔ σκευῶν*, quae verbotenus & *turbam comitem* & *vasa* Gratii referunt. Sed *vasa tenentia longe*, sunt ex Aurelio, *longoque meantia retia tractu*: non quae feras ex longinquo tenent, ut nugatur Interpres. *Tenere* absolute, est perstare. Rufus Festus Avienus Ora maritima:

> *Hinc sunt columnae pertinaces Herculis:*
> *Abila atque Calpe (haec laeva dicti cespitis,*
> *Libyae propinqua est Abila) duro perstrepunt*
> *Septentriono, sed loco certae tenent.*

Ita legenda haec vulgo corruptissima. *Pertinaces* dixerat, quia *loco certae tenent*, & perstant. Nisi quis malit *pertinacis Herculis*, ut postea, *efficacis.* Noster infra: *Mille tenent pestes.* VLIT. *Vasa* sunt instrumenta quaelibet venatoria. Quomodo & lxx. posuerunt Genes. cap. xxvii. ubi Isaac Filio suo Esau venatum exituro dicit: *λάβε τὸ σκεῦός σου, τήν τε φαρέτραν, κ̔ τὸ τόξον.* Ex Hebraeo כלי quod passim pro instrumento ponitur in veteri Foedere, ut & *τὸ σκεῦος* in novo. *Sume arma tua*, vertit Interpres Vetus. Severus Aetna:

> —— *Vasa omnia vortice saevo*
> *In densum congesta rotant, volvuntque profundo.*

Sic reposui. *Vasa* ibi sunt instrumenta materiesque incendii. *Tenere* autem in jure nostro pro observari frequens est. Sic *tenet haec lex*, *tenet observantia legis* L. 2. C. de Sum. Trinit. In Avieni loco rectius legas; *pervicacis Herculis*; ut Horat. Epod. ult. *pervicacis ad pedes Achillei.* Qui tamen & *efficacem Herculem* dixit Epod. iii. quod forsan respexit Avienus. VLIT. *in Add.* i. e. *retia longo meantia tractu. reaching far.* JOHNS.

220. Unus] Expeditissimus & frequens olim hic cum singulo cane investigandi modus, quoniam facilius quoque *unus* & haberi & duci potuerit, ne tantopere Hagnonem ideo extollat Gratius. Excerpta Glossarum cap. de Bestiis: *Canis κύων, Inductor ἐμβιβαστής, Index μηνυτής.* Non dubium enim est, quin talem significaverit Glossographus, qui per vestigia inducit inquisitorem. *Ductor* vocatur in Lege antiqua Alamannorum Tit. lxxxii. *de canibus Seusiis* §. 2. *Qui illum ductorem, qui hominem sequentem ducit, quem Laitihunt dicunt, furaverit*, xii. *sol. componat.* Unde facile defendi potest contra Dalechampii manum, quod de Gallorum canibus dixerit Plinius: *quorum greges suum quisque ductorem è canibus & ducem habent.* Quanquam non ex lyciscarum genere, aut Gallicus semper fuerit inductor. Fuit tamen ex Seusiorum fere genere, ut colligere est ex Lege Bojar. Tit. xix. §. 1. *Si quis canem seucem, quem Leithunt vocant, furaverit*, &c. & §. 3. *Si autem seucem, qui in ligamine vestigium tenet, quem Spurihunt dicunt, furaverit*, &c. *Seucis*, & *seusins*, detorta sunt ex *segusins*. Ita videtur canem inductorem, quia *hominem sequentem ducit*, vocasse recentior Latinitas, aut Galli fortasse ex semi-Latino vocabulo deduxisse; quasi *secutios*. Quanquam non canes, sed venator sequitur. Sicut & *ἰχνευτῆρες* ipsi venatores dicuntur, cum potius ita inductores canes dicendi sint. Nam quod *Segusios* à Gallica gente denominari conjecerit magis quam asseruerit Xenophon junior cap. iii. mihi nondum persuasum habeo. Est enim oppidum tantum *Segusium*, sive *Segusio*, ut apud Ammianum scribitur. Quod paulatim in *Seusia* & *Susae*, ut hodie vocatur, detortum possit videri, & inde *Seusios* dictos. Nisi ipsa verba le-

Adsumptus Metagon lustrat per nota ferarum
Pascua, per fontes; per quas trivêre latebras,

Pri-

NOTAE.

gis aliud innuerent. Tum si à Segusiana gente nomen habuissent, ita etiam communi idiomate indigetassent eos Galli, & Germani. Sed ex legibus eorum constat à M. retro annis *laitihunt* sive *leithihunt* vernacula sua dixisse, quod hodie nos *leyhont*, id est, *ductorem* canem nuncupemus. Verum de his suo loco, ubi simul & alterum errorem Xenophontis illius ostendam, quod Segusios omnes sagaces fuisse existimaverit. Nunc autem videamus cur in Bojar. lege *spurihunt* dicatur, *qui in ligamine vestigium tenet*. Hodierno idiomate ita vocatur canis accipitrarius, qui ibidem § 6. *hapichunt* vocatur. Sed *speurhont* videtur genus omnium investigatorum dicendum esse, & κατ' ἐξοχὴν pro eo, qui feras investigat. *Spoor* nos vestigium, & *speuren*, investigare dicimus. Galli vero *limier*, quasi à *limbo*, sive ligamine, quo tenetur, vocant. Unde & Angli detorquent suum *lyemmer*. Non autem ab Anglica voce, ut Cajus ariolatur. Qui hoc quoque fallitur, quod hunc ab *inquisitore* diversum facit. Cum ille, quem sic vocat, *inventor* dicendus proprie sit. Hic autem, quem *speurhont* vocari dixi, verbotenus *inquisitorem* significet Sed Plinius ipsum venatorem, qui ab eo ducitur, *inquisitorem* vocavit; Graeci ἐπακτῆρα. Homerus Odyss. T.

> Οἱ δ' ἐς βῆσσαν ἵκανον ἐπακτῆρες· πρὸ δ' ἄρ' αὐτῶν
> ἴχνι' ἐρευνῶντες κύνες ἤισαν.

Hesychius: Ἐπακτῆρες, κυνηγοὶ οἱ τοὺς κύνας ἐπάγοντες, καὶ δίκτυα, ἢ λόχους. Sed quomodo possunt dici ἐπάγειν τοὺς κύνας, qui ipsi à canibus ducuntur? aut quid ad inquisitorem pertinent retia, aliaque, quibus seorsim praeerat δικτυαγωγός? Melius sane Scholiastes Sophoclis ad initium Ajacis Mastig. πρόσκειται γὰρ τοὺς κυνηγέτας αἱ κύνες ἐπὶ τὰ ἐπαγόμενα. παρ' ὃ καὶ ἐπακτῆρες θηλυτι ἴδιοι αὐτὰς καλοῦσι, ὡς ἐπαγομένους ὑπὸ τῶν κυνῶν. Sed doctissimus Grammaticorum Hesychius ἀπὸ τοῦ ἐπάγειν, non ἀπὸ τοῦ ἐπάγεσθαι voluit derivari ἐπακτῆρα. Itaque sic canis ipse potius dicendus erat. Quod τῷ πάνυ Scaligero quoque in mentem venit, cum ἐπακτῆρα, pro cane vertit in Martialis illo: *domino venatur vertagus acer*, θηρᾷ τῷ κτήτορι δ' ὀξὺς ἐπακτήρ. quanquam male *vertagum* pro cane inductore accepit, ut superius notabam. Verum ἐπακτὴρ semper pro inquisitore, vel συνεκδεχικῶς pro venatore ponitur. Ut viceversa *segusius* canis, qui sequentem ducit VLIT. De *ductore* cane intelligendum reor Lucretium lib. IV.

> ——— ——— ——— *tum fissa ferarum*
> *Ungula quo tulerit gressum, praemissa canum vis*
> *Ducit.*

Si ita recte concinnavi, pro quo vulgo editur, *permissa canum vis*. Forte hinc metaphorice *perductores* dicuntur conciliatores stuprorum, apud Ciceronem l. Verr. qui amasios ad cubilia scortorum perducunt. VLIT. *in Add.*

221. Ferarum Pascua,] Seneca eleganter:

> *Qua comitatae gregibus parvis*
> *Nocturna petunt pabula foetae.*

perperam in opt. edit. legitur, *ferae*. A loco illo, ubi noctu pascitur fera, commode semper incipit investigatio: quae ad cubile inveniendum fit. Graeci hanc πρὸς τὰ ἐννᾶα ἴχνη vocant, quia illa desinit simulac ad cubile perventum est. Talem hic nobis instituit Gratius usque ad v. CCXLVI. VLIT.

221. Lustrat] *Lustrare* est lustra inquirere. Priscianus in Periegesi, docto carmine.

> *Trans istam, Zephyri sub parteis, degit Erembum*
> *Speluncis, genus infelix, & rebus egenum,*
> *Qui Solis radiis nigrescunt corpus adusti,*
> *Dispersique dolent, lustrantes more ferarum.*

Hoc est hinc inde vagantes. Nam Dionysius.

> Αὐτοὺς οἷά τε θῆρες, ἀλώμενοι, ἄλγε' ἔχουσιν.

Et hoc verbum paucis usurpatum. BART.

222. Per fontes,] Xenophon c. XI. τὰ ῥεῖθρα etiam canibus lustrari vult, quia, ut subjungit, ἔστιν ὅτε διαβαίνουσι τὰ ῥεύματα, καὶ ὑποκάμπτουσι, καὶ καταδύονται εἰς φάραγγας. Quod de leporibus dictum ad omnes feras extendi potest. Nam φάραγγες sunt, *quas trivere, latebrae*. Et flumina non modo lepores, sed cervi saepissime tranant. Quare & fontes hic lustrat Metagon, & hoc in Gortynia cane laudavit Varius apud Macrobium:

> *Non amnes illam medii, non ardua tardant.*

Unde autoritatem capere possit antiqua scriptura librorum apud Plinium: *Scrutatur vestigia atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens, quamvis aquam transiliens se occultasset.* Ubi vulgo legitur: *qua visa quam silens* &

Primae lucis opus: tum signa vapore ferino

In-

NOTAE.

& occulta, quam significans demonstratio est, &c. Quod contra venationis legem est. Nam excitata & visa fera clara voce excipienda est, ut supra jam coepi dicere, & porro ostendam. VLIT.

223. PRIMAE LUCIS OPUS:] Hoc inter omnes venandi peritos convenit, summo mane venationem inchoandam esse, praesertim si φῶς τὰ ἴχνια ἔχοι ea instituatur, ut hic fieri dixi. Homerus Odyss. XIX.

Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
Βάν ῥ' ἴμεν ἐς θήρην, &c.

Et significantius Apollonius Rhodius lib IV.

Ἦμος δ' ἀνέρες ὕπνον ἀπ' ὀφθαλμῶν ἐβάλοντο
Ἀγρόται οἵτε κύνεσσι πεποιθότες οὔποτε νύκτα
Ἄγχαυρον κνώσσουσιν, ἀλευάμενοι φάος ἠοῦς.

quae sic verti:

Tempore quo medios oculis depellere somnos
Ductores suevere canum, nec stertere longum
Gaudent, sed primae radios praevertere lucis.

Quid Latini quoque in eo admonuerint ad finem Aureliani Cynegetici dicam. Hic vero Maronem in examen ducam, quod, cum videatur Homerum sequi, *jubare exorto* cunctantem adhuc Didonem *tandem* venatum eduxerit lib. IV. Nam quod *jubar exortum* de Hespero interpretetur Servius, ad mentem Virgilii non facit, cum jam *surgens aurora* praecesserit, & omnino referri hoc debeat ad illa praemissa:

In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.

Post solis ortum igitur venatum exierunt, non Dido tantum, ne quid foemina in comptu suo moram excuset, sed Aeneas, Ascanius, & Trojana juventus. Quid, an decori observantissimus vates nescivit primae lucis hoc opus esse? Potuit ab Homero scire, qui postquam Ulyssem cum sociis eo tempore, quod in adducto loco videre est, exeuntem in saltus perduxisset, ita demum orientem solem canit:

Ἠέλιος μὲν ἔπειτα νέον προσέβαλλεν ἀρούρας.
Vix primis tandem radiis sol perculit agros.

Fortasse culpabilis Maro iis sit, qui temere censurae suae tantum vatem subjicere solent. Ego strenue causam illius suscipiendam potius existimo. Hiemem fuisse cum venatio illa instituetur, colligere est ex iis quae morandi Carthagine causam dederant Aeneae:

Dum pelago desaevit hiems & aquosus Orion,

& cum Dido illi ingerit: *hiberno moliris sidere classem.* Hieme autem ante solis ortum vestigia nimio gelu aut frigore mortua sunt, & à sole iterum recalescere debent, antequam odorem reddant. Ideo orto aliquantum sole mature satis exitur. Imo vel ipso meridie. Oppianus lib. I.

Χείματι δ' ἐν μεσάτῳ μετὰ ἤματος ἀγρώσσοιο.

Sed hoc tarde nimis, quia solis calore vestigia defervent, ut videbimus proximo versu. Sufficit igitur ut gelu aliquantum solvatur. Super quo egregie ratiocinatur Xenophon ὁ πάνυ cap. VIII. Ideoque venatum proditurο edicit cap. XVII. ut aestate quidem ante lucem exeat, hieme vero cum sole oriente: reliquo anni tempore μεταξὺ τούτων. Nam olim toto anno venabantur, contra quam boni solent venatores: ut ad Nemesianum dicam. Imo & totos dies, & in multam saepe noctem nimia aviditate perseverabant. Oppianus paulo ante:

——— *ποτὲ δ' ἑσπερίῃ, ποτὲ δ' αὖτε καὶ ὄρφνῃ*
Θῆρας ὑπ' ἀκτίνεσσι σεληναίης ἐδάμασσαν.
——— *nunc vespere, nunc quoque nocte*
Noctivagas domuere feras ad lumina Phoebes.

Hoc merito Flaccus, cum alias venationem summa laude affecerit, reprehendit lib. I. Ode I.

——— *manet sub Jove frigido*
Venator tenerae conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Vetus Scholiastes: *Dicit alios studio venandi plerumque in silvis pernoctare.* Unde facile intelligi potest, cur *venatica pernox*, canis sagax dicatur Ennio ex mea emendatione: aut cur in Gortynia cane laudet Varius quod, *nec ferae meminit decedere nocti*. VLIT. Observat hanc legem in Actaeone suo lib. III. Metam. in Cephalo bis lib. VII. Ovidius:

——— ——— ——— *altera lucem*
Cum croceis invecta rotis aurora reducet,
Propositum repetemus opus.

Opus, est venatio, ut passim Gratio. Varro Eumenidibus, citante Nonio: *Ante lucem suscitat, frigore torret, venatum ejicit jejuno villicum.* De Nocturna venatione Legem adde Platonicam: *Νυκτερευτὴν δὲ κοινὸν καὶ πλάνητας πιστὸν μηδεὶς μηδέποτε ἴδοι μηδαμοῦ θηρεύοντα.* Ne scilicet in excessu peccetur, contra τὸ μηδὲν ἄγαν. Cicero II. Tusculan. Quaest. *Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in nive; in montibus uri se patiuntur.*

Intemerata legens, si qua est qua fallitur ejus
Turba loci, majora secat spatia extera gyro.

At-

VARIAE LECTIONES.

225. *Majora*] *Majore* G. Ita legendum. VLIT. A. & Steyn. *majora*. male. JOHNS.

N O T A E.

tur. VLIT. *in Add.*

223. Tum Signa] Omnes consentiunt matutinum tempus venationi aptissimum. Vide Xenophontem. BART.

224. Intemerata] Sequitur Apollonium continuo:

Μὴ πω ἀμαλδύνῃ θηρῶν ἴχνος ἠδὲ καὶ ὀδμὴν
Θηρείην, λεπτῇσιν ἐνισκίμψασα βολῇσι.
Intemerata legant ut signa vapore ferino,
Quae nondum calido perfudit lumine Titan.

Ita haec interpretari liceat, ut commode cohaereant cum praecedentibus, & sensum potius quam verba assequamur. Hinc tralaticie Sophocles in limine Ajacis Mastig. *κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον* Ἴχνη τα *κείνου νεοχάρακτα*. Ubi doctissimus Scholiastes adnotat: *ὁπόταν γὰρ πᾶσι αἱ ἀποχαράξεις τῶν ζώων ὦσι*, *μᾶλλον ἐπακολουθοῦσιν οἱ κύνες, πρὶν ὑπὸ ἀνέμου ἀφανισθῇ ἡ ὀδμή*. Ita leg. non *οἱ κυνηγοί*). nisi poetice dictum putemus, ut *θηρητῆρες κύνες* Callimacho, *ἀγρευτῆρες* Nonno, & *Venator canis* apud Maronem & Silium. Seneca Hippolyto:

Dum signa pedum roscida tellus Impressa tenet.

Quae suavissime imitatur Aurelius noster:

Venemur dum mane novum, dum mollia prata,
Nocturnis calcata feris vestigia servant. VLIT.

Nondum mista odore aliarum ferarum, necdum solis aestu libata, & infirmiora. Apollonius, Lib. 4. 109.

——— *ἀλδήσκουσιν φάος ἠώς,*
Μὴ πρὶν ἀμαλδύνῃ θηρῶν στίβον, ἠδὲ καὶ ὀδμὴν
Θηρείην, λεπτῇσιν ἐνισκίμψασα βολῇσιν.

225. Turba] Vestigiorum videlicet. Si plura vestigia in uno loco reperit, egressum eorum longius sequitur, donec latibula deprendat. BART. Si qua fuerit eo loco turbatio, vel multitudo vestigiorum in diversa tendentium, majore gyro accessus abitusque ferae intersecat, ut cognoscat qua abierit. Sed de vestigiis ad cubile ducentibus haec intelligenda sunt, quae prout hac illac paverint ferae plurimum in pascuis earum conturbata esse solent. Alter paulo cum *τὰ ὀψιαίτα ἴχνη* turbatio incidit, quia hac parte accedere, alia abire solent agitatae ferae. At cum à pascuo suo ad cubile redeunt, eadem qua accesserant redire plerunque solent, nisi pascentes forte in diversa aufugentur. Eodem tamen modo intricata vestigia circuire debet canis, ut egressum eorum repetiat. Turba haec vestigiorum Xenophonti cap. xvii. ubi ad cubile investigatio instruitur, *διπλᾶ καὶ τριπλᾶ ἴχνη* dicuntur, ut etiamnum suo idiomate eam appellant Angli. *Secare spatia* dicuntur Xenophonti *περιφερόμενα διὰ τὰ αὐτὰ, διὰ τῶν αὐτῶν, ἐπηλλαγμένα, περίτρεχε*. Quae perperam interpretatus est Vir doctissimus. *Περίφορα ἴχνη*, sunt vestigia congirata. Nam hoc saepe passum prodeuntes ferae faciunt. *Secare* autem proprie dixit noster, cum tota pascua circumeuntes canes ex parallelo in accedentis vel abscedentis, quae eadem ad cubile ducunt, vestigia incidunt. Imitatur enim Xenophontem cap. xviii ut ego illa distinxi, ne videatur eadem frustra repetiisse, quae cap. praecedenti habentur. Nam illa ad primam investigationem cubilis pertinent. Hoc vero cap. xviii. currentis vestigia quomodo recuperanda sint, docet. Quae haud obscure sequitur Gratius, ubi infra pro lege observanda ponit, quaecunque hic in Metagonte laudat. VLIT. Confirmat explanationem meam Senecae appositissimus locus Epist. lxviii *Animalia quaedam, ne inveniri possint, vestigia sua circa ipsam cubile confundunt.* Haec sunt, *περίφορα ἴχνη*, quae & in cursoria observat Naso Metam. vii.

——— *modo deprendi, modo se subducere ab ipsa*
Vulnere visa fera est: nec limite callida recto,
In spatiumque fugit: sed decipit ora sequentis,
Et redit in gyrum. VLIT. *in Add.*

Intricata confusio vestigiorum in diversa tendentium. *Vlitius*. Lucanus de Pompejo fugiente.

——— ——— *Incerta fugae vestigia turbat,*
Implicitasque errore vias.

Sic lepus nunc dexter, nunc laevus, nunc ve-

sti-

Atque hic egressu jam tum sine fraude reperto
Incubuit, spatiis qualis permissa Lechaeis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Ex-

VARIAE LECTIONES.

226. *Egressu*] *E gressu* G.
227. *Permissa*] *Permista* B.

NOTAE.

stigiis suis obvius incertum iter texit. JOHNS.

225. MAJORA] Scribe; *majore.* Et ita V. E. Intemerata vestigia matutina ferarum dicit, quia calens altiore Sole terra vapores vestigiis exhalantes consumit, frigida vero à nocte, eosdem conservat. Vide Xenophontis Cynegeticum. BART.

226. EGRESSU] Ferae videlicet è latibulis. in Vet. Edit. duo verba facta sunt: *è gressu.* Quo nobis opus non esse arbitramur. BART. Ferae videlicet è latibulis, inquit Barthius. Quae arguunt quam parum in hisce intellexerit, quae aliis interpretari voluit. *Egressum* vestigiorum puta à loco illo, in quo turbata erant, ad cubile procedentium. Qui simul ac repertus est ὁ κύων περιχαρὴς τῇ εὑρέσει ὤν, αἰκάλλει τὸν δεσπότην, καὶ φιλεῖ τὸν πόδα, ut tradit Aelianus, sed qua authoritate incertum. Nec enim hoc fieri unquam observavi, sed contra ut egressu reperto nihil morati canes summo cum ardore spatiis incumberent, ut hic Gratius, & Xenophon quoque cap. XVII. retulerunt. VLIT. Ferae nempe ex illâ vestigiorum ambage. JOHNS.

226. FRAUDE] Errore. JOHNS.

227. INCUBUIT SPATIIS,] *Spatia* vocat tramitem sive egressum vestigiorum, qui ὡς τὰ δίαυλα duplex esse solet. Alter quo ad pascuum accedit fera, alter quo è pascuo ad cubile suum redit. Non aliter quum in circo duo utrinque spatia sunt; primum, quod à carceribus ad primam metam, sive deflexionem, decurritur; alterum, quo iterum ad carceres reditur. Unde *spatia* dicuntur quoque ipsae decursiones, quae per illa spatia fiebant. Egregia itaque tralatione duplicem vestigiorum tramitem *spatia* vocat noster. *Spatia extera*, quae statim habuimus, est trames ille qui extra turbam loci continuus procedit, cui nunc eum incumbere dicit. Eandem phrasin eadem in re infra repetit: *incubuit spatiis ad proxima versis.* Quare in proximo: *qualis permissa Lechaeis* ἀπὸ κοινοῦ subintelligi debet, *incubuit spatiis*, ut frequenter hoc occurrit in Gratio. Nisi elegantia illa capiamur, quam loco huic inesse docuit Cl. Gronovius, si ita distinguatur: *Incubuit, spatiis qualis perm. Lechaeis.* Qui egregie haec observavit, & ab interpretis audacia vindicavit. VLIT. Hic vim habet Graeci Aoristi. ut v. 45, *ostendit* & *exterruit.* v. 204. *cucurrit.* i. e. currere solet. Nudum apud Justin. L. 3. legitur, *ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit.* & Tacit. Annal. 4. *Si cuncti quibus libertas servitio potior, incubuissent.* Gronov. JOHNS.

227. PERMISSA] Scribendum *permista. Lechaeum*, Achajae promontorium. Achivi autem equi inter celeberriinos, ut clarum infra. ex v. DXXXI. Et Nemesianus, ut emendandus, v. CCXLII. Ait igitur quadrigam, quae ex equis Achivis & Thessalis constat, velut pernicitate nullis secundis. BART. Ἄσσυτα, εὐθεῖα, laxis habenis lata. JOHNS.

227. LECHAEIS] Lechaeum, portus Corinthi versus Occidentem ludis trietericis Isthmiorum celebris. Eo alludit Gratius; canemque his amfractibus evolutum emicare in praedam dicit ut Quadriga Thessala se jactat in pulvere Isthmico, seu spatiis Lechaeis. *Gronov.* JOHNS.

228. THESSALIUM] Pro Thessalum, aut Thessalicum, quod alii dixissent. Sie Latinitatis purissimae fabulas suas *Aesopias*, non *Aesopicas* inscripsit Augusti libertus, Phaedrus. Sic alia. Gens autem Thessala equorum usu nobilis pace belloque. Bello quidem ejus virtutem ignorare non potest, qui eximii saltim scriptoris Arriani Anabaseos Historias legerit. Quin hanc primam equestria praelia instituisse auctor Lucanus lib. VI. De caetero vide Xenophontem Agesilao, Polybium libro Quarto, alios. BART.

228. QUADRIGA] Singulari numero, ut cum Grammaticis loquamur, hanc extulisse Varronem ex Demetrio notat Gellius lib. XIX A. N. alioqui *quadriga* notat quaternionem, sive quam-

Excitat, & primae spes ambitiosa coronae.
Sed ne qua ex nimio redeat jactura favore,
Lex dicta officiis: ne voce lacesseret hostem,

Ne-

VARIAE LECTIONES.

231. *Officiis: ne*] Ita Gesner. A. & Steyn. *Officii*, *Neu.* Pi. *Officiis*, *neu.*

NOTAE.

vis quattuor copulationem, ut *biga* & *triga*, de quibus Scaliger ad Propertium. Hoc loci *quadriga* equos significat, at apud Plautum *quadrigae albae* Asinaria, & apud Papinianum. l. LXV. de Legatis. II. Ulpianum l. XXIX. de V. Obl. BART.

228. GLORIA PATRUM] Notissimum stirpes & genera equorum olim aestimata fuisse. Vide Juvenalis Satiram octavam. BART.

229. SPES AMBITIOSA] Quia, ut in Halieuticis est, *capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.* De equis Thessalicis suo loco plura dicam, ubi & haec attentius considerabuntur. VLIT.

230. NIMIO FAVORE,] Aut cum *frustra nimius properat furor*, qui latratum, *malignum officium*, excitat; cui haec lex dicta, *ne voce lacesseret hostem*: aut cum *virtus trita damno est*, quia feras taciti accedere non possunt; cui praecipitur, *ut signis occultos arguat hostes.* Ita mutuo haec inter se respondent, & incomparabili methodo connexa sunt à summo Vate, ne tamen affectatum quidquam adverti possit. Tanta tuis, Grati, respondet ab artibus ergo Gratia. VLIT. Impetu spe praedae excitato, & quasi sibi plaudente. JOHNS. Dicimus illos favere sibi ipsis qui ad labores non prompti sunt: sed in hoc vivaci & acuto animali ut describitur à poëta non convenit favor ille nimius; potius sic lege.

----- ----- *Ne qua ex nimio redeat jactura calore.*

Ne prius cursu & latratu excitet feras antequam sint laquei recte ordinati. BRU.

231. LEX DICTA OFFICIIS:] Adsuefaciendum ait, ne inventis ferarum latibulis statim baubitu iis fugam suadeat, neque obviam praedam statim insiliat, atque dilaniet. BART.

231. NE VOCE LACESSERET HOSTEM,] Inconsulte nimis inductor canis, ursos investigans apud Oppianum lib. IV.

—— *ἴχνι' εἰς ἄγρης ἴκηται*
Εὐπλαιὸς στίβης, θηρὸς δὲ πανάιολον εὐνὴν,
Αὐτίχ' ὁ μὲν θρώσκει πελάσας ἐπὶ θηρευτῆρος,
Οἶκτρὰ μάλ' ὑλακόων, κεχαρημένος ἔξοχα θυμόν.

Non enim fieri possit, quin excitaretur illo latratu fera, antequam retia & formido disponerentur. Sed oblitus est ejus, quod ipse lib. I. monuerat:

Μηδ' ὑλάειν ἐθέλοιεν, ἐπεὶ μάλα θηρελατῆρσι
Σιγὴ τίμιος ἐστι, πανέξοχα δ' ἰχνευτῆρσι.
Nec latrare velint; quoniam venantibus apta,
Sed mage quaerendis optata silentia lustris.

Xenophon ὁ πάνυ, cujus ad investigandum edicta ex cap. VII. in compendium redegit noster, hoc quidem non praeceperat; sed obiter cap. IV. ubi canum vitia recenset, reprehendit eos, qui *μανικῶς διεφθαρμένοι ὑλακτῶσι περὶ τὰ ἴχνη, ὅτε εἰσπίπτωσιν εἰς αὐτά, ἀφρόνως καταπατοῦσι τὰς αἰσθήσεις.* Ex quibus tamen colligi non potest latratum in canibus suis damnasse, sed potius τὸ ἄγαν, sive nimiam vocis intentionem, qua opus non est, nisi ad vestigiorum recuperationem significandam. Unde apparet cur vocalibus canibus usum fuisse Xenophontem τ̃ δεῖνα dicat alter synonymus. Cur autem Gratius ab illo hic discedat, evidens ratio est. Ille totum sagacium canum agmen instruit, qui semper cum latratu hodie quoque investigant. At noster hanc singulo inductori cani legem posuit, ne voce feram lacessat inter investigandum. Nec ideo prohibuit maturo lusu gaudia sua prensare, & latratu, ut fieri oportet, ferae bellum denunciare. Sed ideo nihil de eo dixit, qui tantum ὄντα ἴχνη ad demonstrandum cubile hic instruit. Ita accipienda quoque illa Lucani, jam aliquoties à nobis exagitata:

—— *& praeda nescit latrare reperta*
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.

Nam cubile quaerere, unica Inductoris cura est. Reliqua, quae huc spectant, Inductoris officia egregie describit Aelianus lib. VIII. de animalibus cap. II. *περιηγεῖται δὲ κυνηγέτην, ἱμάντι μακρῷ προτεταμένος, καὶ ἐνδεικνῦσι τὰς φωλεὰς ἔχων ἐγκρατῶς καὶ σιωπῶν.* Hoc quidem de silentio, quod investigationi tribuitur. Quando autem prope feram se esse significaverit venatori, ut is indagine statim

Neve levem praedam, aut propioris pignora lucri

Am-

N O T A E.

tim cubile claudat, & excitandae ferae tempus esse agnoverit, *ἐν ταῦθα δὲ καιρὸν ὑλακτεῖν ἡ κύων· ποιεῖ δὲ αὐτῷ ἐπικαῦτα ἡ βοὴ εἰς ἀνάστασιν τῆς συὸς ὑποδέξῃ, ἵνα ἐμπίπτῃ φεύγων, καὶ τοῖς δικτύοις καταληφθῇ. Tum opportune allatrat canis, quia voce opus esse intelligit ad excitandum suem, ut praecipiti fuga in retia incidens capiatur.* Quare nescio quid illud sit, quod in cane tali admiratur Plinius: *qua* fera *visa quam silens & occulta, sed quam significans demonstratio est, cauda primum, deinde rostro.* Non enim *visa*, sed latente adhuc fera cauda & rostro se prope cubile esse arguere debet, ut proxime videbimus in Gratio, à quo illa habere, sed male percepisse, videtur Plinius. Nisi illi meliorem lectionem reddamus, quam ex vett. codd. modo adduxi. Sed ne percepto quidem lustri odore, nedum fera visa, adeo se continere solet canis, quin aliquo gannitu, & fractae quasi vocis elisione gaudia sua testetur. Hoc *ἐκκαικλαγγάνειν* vocat Xenophon cap. XIX. non intellectum ab ullo interpretum, ut ibi ostendam. Oppianus lib. IV. ubi inductorem ad cubile perduxerat, ita loquitur de hoc gannitu: *ὁ μὲν θωΰσσει παλάμῃς ἄπο θηρητῆρος Οἶστρα μάλ' ὑλακόων κεχαρημένος.* Sed nimis haec ad latratum accedunt, cujus intempestivitas feram excitaret, antequam staret indago. Melius lib. I. *κνυζῇ τε κεχαρημένος*, v. DVI. Hinc animam recuperabit elegans, sed deploratus fere, Ennii locus, quem partim emendavi modo, confutata Scaligeri conjectura. Qui divine quidem ex diverso petita illa inter se cohaerere viderat in Conjectaneis ad Varronem:

——— animusque in pectore latrat:
*Veluti si quando vinclis venatica venenox **
*Apta solet * si forte ex nare sagaci*
*Sensit, voce sua nictit ululatque ibi acuta est. **

Sed nimium ab hac veteri scriptura, & ab Ennii mente discessit. Ego, partim quoque de meo, ita sarcienda haec conjicio:

——— animusque in pectore latrat,
Sic veluti, quamvis vinclis venatica pernox
Apta siles, lustrum *si forte ex nare sagaci*
Sensit, voce suem nictitque ululatque ibi acutâ,
Et citat absentem, cupiens discriminis, hostem.

Quae vestigiatim sequitur Seneca Thyëste Actu III.

Sic cum feras vestigat, & longe sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore: dum procul lento suem
Odore sentit, paret, & tacito locum
Rostro pererrat: praeda cum propior fuit,
Cervice tota pugnat, & gemitu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.

Pernox cur dicatur Ennio, vide ad v. CCXXIII. Non tamen adeo mihi hoc placet, quominus dubitem an non patria canis venaticae interciderit, vel etiam nomen. *Venaticam* absolute posuit, ut *Umber* Senecae, & Silio lib. III. *aut exigit Umber Nare sagax è valle feras:* & *pernix Venator Lacon*, ibidem. Unde & apud Ennium refingi poterat: *venatica pernix.* Quamvis enim pro sagace ponatur *venatica*, ut *venaticus canis* Plauto, potest & *pernix* dici, quia multum laudis in sagace quoque velocitas habet, ut supra monui. *Suem* non tantum Ennius, sed & Seneca, & Aelianus in hac singulari investigatione nominaverunt, quia proprie, ut addit hic, *ταῦτα ἐπὶ συῶν καὶ ἐλάφων δρῶσιν οἱ κύνες. Nictit*, non *nictat*, ut Scaligero placuit, scripsisse Ennium arguit Festi ex hox loco annotatio: *Nictit canis in ferarum vestigiis leviter gannient.* Hoc Senecae est: *gemitu vocat Dominum morantem.* Cave ita accipias, quod ex Halieutico alibi adduxi: *dominumque vocandu increpitant.* Ibi enim de aperto latratu agitur, quo agminatim investigantes canes feram excitant, vel forte *τὰ δρομαῖα ἴχνη* persequuntur. Sed huc referri debet illud Lucani: *& praeda nescit latrare reperta.* Id est ex Aeliano *τῆς φωνῆς ἔχων ἐγκρατῶς.* Scilicet, ut addit Lucanus, *contentus monstrasse cubilia.* Quamvis nec sic satis *λογεία* illa, quam aliquoties in hoc loco notavi, excusetur. Melius dixisset: *& praedo* tantum *latrare repertâ contentus.* Solent enim & hi inductores repertam aut visam feram valide allatrare, ut vidimus ex Oppiano. VI.IT. Adde statim insignem locum à Cl. & Amplissimo Gronovio insigniter restitutum Achill. II.

——— velut ille cubilia praedae
Indubitata tenens, muto legit arva Molossus
Venator, videat donec sub frondibus hostem.

Arnobius lib. II. miraculis naturae accenset *canem, cum invenerit praedam, cohibere & continere latratum.* Porro ad Ennii locum servit ille Lucretii lib. V. de canibus item:

Leu-

Amplexus, primos nequidquam effunderet actus.
Jam vero impensum melior fortuna laborem
Cum sequitur, juxtaque domus quaesita ferarum,

Ut

VARIAE LECTIONES.

233. *Effunderet*] Olim, *offenderet*. Gronov. *offunderet*. utrumque male. JOHNS.
235. *Cum sequitur*] *Consequ*. V.C. sive MS. Pythoei.

NOTAE.

Longe alio pacto gannitu vocis adulant.

Et si quis pro *venatica pernox*, malit *velox*, vel *pernix*, per me licet. Valerio lib. I. *pernix venator* dicitur. De *Sue* paulopost, adde Sidonium Avito:

Jam si forte suem latratibus improbus Umber
Terruit. VLIT. *in Add.*

232. PROPIORIS] Facilioris. Manilius lib. I.

Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum.

Id est, familiarius, Prudentius: Hamart.

Et datur occultum per proxima quaerere verum,

Hoc est, maxime obvia. Sic infra. v. CCCLXXXII.

Disce modos, & quae tutela est proxima, tenta.

Vide Casauboni & Wowerii notas ad Appuleii Apologeticum. BART. Propria significatione, viciniorem ac primo obvium denotat, non faciliorem, ut Barthius commentatur. Edicitur itaque à legislatore nostro, ne concepto semel odore desistat, sed iisdem vestigiis continuus inhaereat, etiamsi leviorem praedam facilius, aut aliam aliquam è vestigio propius habere possit. Quare merito in inductore hoc laudavit Aelianus: *καὶ πάλιν τῆς ἐξ ἀρχῆς ἰχνεύσεως ἔχεται, καὶ περιϊὼν βαδίζων ἔστ' ἂν ἀφίκηται πρὸς τὴν κοίτην.* Quae pari modo conjunxit Silius lib. IX.

——— *Nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem*
Deprendit spissis arcana cubilia dumis.

Unde imperitiae argui possunt illa Oppiani lib. IV.

Ἐξοπίσω δ' εἴπερ τι νεώτερον ἀθρήσειαν
Ἴχνος, ἐπειγόμενοι θοροῦσ' αὐτίκα κυγχαλόωντες
Ἀνθέμενοι τὸ πρόσθεν.

Videtur enim id in inductoribus laudare, quod hic, ne accidat, cavet Gratius. *Propioris lucri pignora*, sunt vestigia propius latentis ferae. Verbotenus enim Xenophontem expressit cap. IV. *ἀπολαμβάνονται ἐκ τοῦ πρόσθεν τὰ ἴχνη παραλείπουσι τοῦ λαγώ.* *Amplexae propioris lucri pignora derelinquunt primos actus.* Eleganti traductione *pignora lucri* vocat, vestigia ferae quasi oppignoratae per vestigia sua, ac certo lucrandae. uti infra etiam: *ne prima faventem pignora fallant.* VLIT. Notat hoc in Actaeonis canibus dominum suum venantibus Naso Metam. III.

Tardius exierant; sed per compendia montis
Praecipitata via est: Dominum retinentibus illis
Caetera turba coit. VLIT. *in Add.*

232. PIGNORA] *Pledges, hopes or temptations.* JOHNS.

232. LUCRI] Ferae lucrandae, praedae. JOHNS.

233. OFFENDERET] Spurcaret, temeraret. Sic *buccam offendere*, nequissimo sensu dixit Varro Marcipore. Vide Nonium. Alibi hoc verbo ita usus Papinius, & Juvenalis, à nobis conjectura emaculatus, ut in libris Ablegminum notavimus. BART. *Παραλείπη* ex Xenophonte. Sensum, quem hisce inesse aperui, offendit non tantum, sed conspurcat turpiter Barthii commentum. Si enim ea verbi vis est, quam ille attribuit, non dubitem subscribere Gronovianae conjecturae, *offundere*. Sed *offendere primos actus* est *τῆς ἐξ ἀρχῆς ἰχνεύσεως ἀπέχεσθαι*. Quae id faciunt, Polluci dicuntur, *ἐπαναχωρῶνται ἐκ τῆς διώξεως, καὶ περιλιπῶνται τὸ θηρίον.* Instare autem primis actibus, *ἐνδυθύνειν τὰ ἴχνη* idem dixerat antea. Lucretius lib. I. *Quae semel institerunt vestigia certa viaï.* Solent enim boni inductores vestigia semel concepta, etiamsi alia quantumvis recentiora aut olentia magis subinde occurrant, constanter persequi, donec ad id quod indagare occeperant, sive hominem, (nam ad fures etiam deprehendendos iis utuntur Angli) sive feram, delati fuerint. Quibus contraria sunt illa Oppiani modo citata. VLIT.

433. EFFUNDERET] Ita fidenter scripsi pro, *offenderet*, nesciebam enim quid sibi vellet: neque placebat Gronovii *offunderet*. quia nudum *offundere* non invenitur pro offuscare, obnubilare. Quam correctionem firmat illud Virgilii. Georg. L. 4. v. 492.

——— *ibi omnis*
Effusus labor ——— JOHNS.

235. JUXTA.] Cum prope est. BART.

235. Do-

Ut sciat, occultos & signis arguat hosteis:

Aut

NOTAE.

235. Domus] Spelea. Lucretius.

Frundiferasque domos avium ———

Idem *Saxea tecta* vocat speluncas ferarum. lib. v. BART. Nonius de var. V. S. *Lustra dicuntur ferarum habitacula. Virgil. Aeneidos libro* III. *vitam in silvis inter deserta ferarum Lustra domosque traho.* Videtur enim artis vocabulum esse, ut Angli lepori *sedem*, nos *cubile*, sed pressum, qualia castrensia sunt, attribuimus. Galli, quietis locum, sive in quo jacet. *Quietes* Lucretius lib. I.

Namque canes ut montivagae persaepe ferai
Naribus inveniunt intectas frunde quietes.

Quod tamen idem *saxea tecta*, ut Barthius, aut *instrata cubilia frunde*, ut Gifanius observat, feris attribuerit, nemo illis credet qui Lucretium ipsum lib. v. vel oculo jaculo inspexerit. Quale & Rittershusii πηρέργμα, cum canes foeminino genere dictas fuisse ex Lucretii adducto loco probare voluit, quasi *montivagae* ad canes referri debeat, quod male ex Gifanii Indice hauserat. Nam Lucretius ad feram retulit, ut l. II. bis occurrit, *montivagum genus ferarum.* VLIT.

236. Ut sciat,] Dubito utrum ad canem, an venatorem referri debeat. Si ad canem, jubetur is diligenter indagare, ut certo sciat an prope feram sit. Sin ad venatorem, jubetur canis signis arguere occultos hostes, *ut* hic *sciat.* Ita infra, *Admonet*, puta venator, vel Hagnon ille, cujus disciplinae haec omnia subjiciuntur. Quare erratum est sive typorum sive Viri docti, qui hoc loco citat: *Qui ciat.* VLIT. Nempe Hagnon, & detegat hostes ibi occultos suis è signis, canis aut test. *&c.* JOHNS.

236. Signis arguat,] Fallitur idem, si hic *argutarium* canem instrui putavit, qui inter veloces accensetur in L. Salica Tit. VI. Bojariorum. Falsus etiam Seneca, si haec exprimere conatus est in Hippolyto:

Eu diva favet! signum arguti
Misere canes. vocor in silvas.

Necessario enim haec de latratu intelligenda sunt, quo advertebatur Hippolytus feram excitatam, & accurrendi tempus esse, quia *longo* adhuc *itinere* aberat, ut sequenti versu ipse dicit. Et *arguti* canes sunt φιλόφθογγοι, ut vocantur in vet. epigrammate apud Pollucem. Signa autem, quae Gratius hic dari vult, tacite praesenti inquisitori fiunt. Plinius: *comitantem ad feram inquisitorem loro trahens. Qua visa quam silens & occulta, sed quam significans demonstratia est, cauda primum, deinde rostro.* Quae presso pede Gratium sequuntur, quamvis ille *occultam* demonstrationem minus concinne dixerit, quasi legisset hoc loco: *occultis & signis.* Imo manifesta potius signa dici debent, quia iis feram ὑποδηλοῦσι καὶ διαδηλοῦσι canes, ut Pollux hoc in illis probavit. Sed fera ipsa *occulta* dici debuit, quia simulac *visa*, non his signis, sed clamore, prodenda est. Ita recte *occultos hostes* hic posuit Gratius: & Silius lib. x.

Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros.

Occultos hostes manifestis signis arguunt, ut dum adhuc occultantur retia circumtendat venator, quod *visa* fera integrum non sit. Quare & hac in parte evidens Plinii error est. Quae illa signa sint luculenter docet Pollux cap. x. προσηγόρευσαι δὲ τῷ θηρευτῇ, κἂν ἐγγὺς ᾖ τὸ ἀνευρέσθαι. ὑποσημαίνειν, καταδηλοῦν, ὑποδηλοῦν, διαδηλοῦν. τῇ χαρᾷ τῆς ψυχῆς, τῷ πηδήματι τοῦ σώματος, τῇ φαιδρότητι τοῦ προσώπου, τῇ λαμπρότητι τῶν ὀφθαλμῶν, τῇ μεταλλάξει τῶν σχημάτων, τοῖς ἀναβλέμμασι τοῦ ὕψους, τοῖς πηδήμασι τῆς ἐλπίδος, τῇ στάσει τῶν ὤτων, τῷ σεισμῷ τῆς οὐρᾶς, τῷ τὸ σῶμα πᾶν ἐπισημαίνειν. Ita legenda haec. Postremo duo signa etiam habet Gratius, & ab eo Plinius, *cauda primum, deinde rostro.* Quare male τὸ σῶμα πᾶν ex Xenophonte substituit Gesnerus. Nam Pollux illa signa non omnia Caricis agminatim indagantibus, sed potius singulo inductori videtur appropriasse, atque à Xenophonte, ut aliquoties, divertisse. Μεταλλάξει σχημάτων ex Xenophontis tamen habet cap. VI. ubi interpretes quoque σημάτων legerunt, quo modo & apud Pollucem legi voluit Gesnerus. Sed σήματα omnino haec sunt, quae Gratius vocat, *signa.* Ut Xenophon cap. IV. dixerat ἀτρέμας investigare, qui auribus aut cauda immotis oberrant. VLIT. Hinc *arguti canes* Senecae: & Claudiano; *Argutaeque fremunt Cressae*, ut modo conjiciebam. *Argutum forum* dixit Ovidius Artis Amat. I. & *argutos libellos* Trist. v. El. IX. Homerus κύνας ἀργούς, diverso sensu, vocat. Porro ad *occultos hostes* refer illud Livii Andronici:

Dirige odorisequas ad caeca cubilia canes.

Id est, *occulta*, qualia aprorum maxime. Silius lib. IX. *Spissis arcana cubilia dumis*; Et Horatius, *alto latitantem fruticeto aprum.* ideo dixere. Ut

O &

Aut effecta levi testatur gaudia cauda,
Aut ipsa infodiens uncis vestigia plantis
Mandit humum, celsasve adprensat naribus auras.

Et

VARIAE LECTIONES.

239. *Adprensat*] P. *adpressat*. B. *adprendit*. *Naribus*] *Varibus*, G. *varicus*, B. fecit B. *aures*.

NOTAE.

& *fronde latentes feras*, Sidonius. Vide eorum loca ad v. XLIX. Adde & Homeri illa Iliad. X. de cervo, ἐπείγε τε λαιψηρὰ κ… ὑπὸ θάμνῳ, quae mox plenius adducam. Cl. Gronovius tamen *certa culcita* mavult in Diatribe sua Statiana cap. XVI. VLIT. *in Add.*

237. EFFECTA] *Producted*. Anglis tamen, ut verum fatear, quidvis malo, quam languidum illud Epitheton. *Effusa*. *Efficta*. JOHNS.

237. LEVI CAUDA,] Xenophon cap. VI. & XVII. σείουσαι ταῖς οὐραῖς τὰ σώματα ὅλα συμπεριφερόμεναι δῆλοι ποιοῦσι τῷ κυνηγέτῃ τὸ ὑπερχαίρειν, ὅτι τῶν λαγῶ ἴχνη εἰσί. Hoc est, *levi testantur gaudia cauda*, agili οὐρᾶς σεισμῷ. Pollux simpliciter, τῷ σεισμῷ τῆς οὐρᾶς. VLIT.

238. INFODIENS] Hoc quivis fere canes facere solent, cum praedam suboluerunt. Quare miror hoc signum à Xenophonte aliisque omnibus praetermissum esse. VLIT.

239. NARIBUS] In Veteri Editione. *varibus*, scriptum est. An scripsit Gratius *varicus*? nihil muto. BART. *Celsas apprensare naribus auras* opponitur τῷ *Mandit humum*. illud enim *mersa nare* fit: hoc vero (ut forte leg.) *celsis naribus*: ut in Halieutico: *elatis rimantur naribus auras*, quod ibi quoque opponitur, τῷ *demisso quaerunt vestigia rostro*. Unde mendi convinci potest Senecae locus:

Nunc demissi nare sagaci
Captent auras, lustraque presso Quaerant rostro.

Scribe: *demissi*. Non possunt *demissi auras captare*, quod *elatis naribus* fit. Itaque & apud Senecam *captare auras*, opponitur presse investiganti. Sed ibi, ut & in Halieutico, de investigatione hoc dicitur, hic vero de significatione inventi cubilis. Quod non animadvertebat meus ille (heu quondam!) Gerardus Vossius, G. F. cui hanc restitutionem, quod pro *aures*, nunc *auras* in ed. mea legatur, L. M. Q. acceptam fero. Sed putabat ille de pressis naribus nihilominus haec intelligenda ex corrupto Senecae loco. Omnino hic de illo gestu agitur, cum elatis & tremulis naribus ipsas auras rimantur, ut propinquam feram odorent. Hoc Polluci est: τὸ σόμα ταῖς ἐπιχειρήσεσιν. Solent enim tremulo rostro undiquaque odorem sectari, sed maxime eo intendi ubi cubile esse sentiunt. Quare gestum hunc non naribus sed oculis attribuit Xenophon, quasi circumspiciant an ipsa fera appareat. Hoc est quod dixit: ἀπὸ τῶν ἀναβλεμμάτων καὶ ἐμβλεμμάτων τῶν ἐπὶ τὰς καθέδρας τοῦ λαγώ. Et Pollux, τοῖς ἀναβλέμμασι τῆς ὄψεως. Aelianus simpliciter dixit; καὶ περιαιτέρω οὐ πρόεισι, nec ulla alia signa observat. Simpliciter etiam Xenophon cap. XIX. ἀγαίρουσαι τὰς κεφαλὰς, ὑποδηλοῦσαι. Ita restitui. Quod vero hoc loco scribendum *appressat naribus aures* conjecerit Clariss. Pythoeus, videtur ex Xenophonte petiisse, qui investigantes canes dicit ἐπικαταβάλλειν τὰ ὦτα. Nonnus lib. V. Dionysiac.

Ὄρθια ὀξυκέλευθον ἐπὶ δρόμον οὔατα τείνων.

Verum hoc expresse investigantis adhuc est, ut sciat hinc venator an odorem perceperit. Quare illos reprehendit Xenophon cap. IV. qui προϊᾶσι τὰ ἴχνια, ὥς τε μὴ γιγνώσκειν ὅτι ἰχνεύουσι. Ubi & illos vituperat, qui συνάγουσι τὰ ὦτα, quod est, *appressare aures*. Aut si aliud id est, non debet tamen inter signa demonstrandi cubilis accenseri, quod primum concepta, non *effecta*, *gaudia testatur*. VLIT. Ita legendum. Varro Atacinus:

Et bos suspiciens coelum (mirabile visu)
Naribus aërium patulis decerpsit odorem.

Quod imitatus est Maro Georg. lib. I.

——— ——— ——— *aut bucula coelum*
Suspiciens patulis captavit naribus auras.

Idem Aeneide XII.

——— ——— ——— *se gurgite tollunt*
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.

Sic & in Halieutico; *elatis naribus*; quos hic *celsos* vocat Gratius. VLIT. *in Add.*

240. Ex

Et tamen ut ne prima faventem pignora fallant
Circa omnem, aspretis medius qua clauditur orbis,
Ferre pedem, accessusque, abitusque notasse ferarum

Ad-

NOTAE.

240. Et tamen] Ne tamen prima vestigia, primus odor canem indulgentem cursui in errorem inducat, monet Hagnon, seu venator, circumire omnem orbem medium sepibus clausum, & observare exitus aditusque ferarum. JOHNS.

240. Ut ne] Τὸ *ut* eleganter παρέλκει. Phaedro hinc obiter afferam lectionem Fab. LXXXI. *ut ne irate dimissum te sentiam* Ubi miror quod particula tam innoxia offensam dederit editoribus, qui communi conspiratione eam expunxerunt. Item fab. II.

Qui dissolutos mores ut compesceret.

Ea genuina unici cod. Pythoeani scriptura est, pro quo in omnibus fere editionibus, etiam in optima Rigaltiana male substitutum est: *vi compesceret*. Quasi vero illi tam violentum regem, ac suo sibi tergo malum accersere voluerint. Sed ad rem. *Ne prima faventem pignora fallant*, idem est quod modo: *ne qua ex nimio redeat jactura favore*, & superius: *si qua est qua fallitur eius Turba loci*. Nam quae in Hagnonis cane laudavit, hic nunc in leges vertit. Haud aliter, ac Xenophon quaecunque praeceperat de signis c. VI. aut de investigatione cap. IV. eadem postea c. XVII. facto applicat. VLIT.

240. Faventem] Nimium incautum & successibus suis faventem. Ne fallatur dum feram praesentem putat, omnem aditum circa aspreta jubet rimari, an qua fera rursus effugerit. BART.

241. Aspretis*] Qua domus ferae in orbem aspretis clauditur. Exterendus est asteriscus & adhibenda parenthesis hoc pacto.

Circa omnem (aspretis medius qua clauditur orbis.)

Aspreta sunt loca aspera, aut asperis fruticibus consita. Usus ea voce non semel Livius. Et jam diximus Gratium lubenter vocibus non detritis uti. BART. *Orbem aspretis clausum*, intellige agros sepibus circummunitos, quorum ad sepes proxima obeunda sunt, ut agnoscat canis, an & qua inde se proripuerit fera. Hoc supra dixerat: *majore secat spatia extera gyro*. Hinc Nonnus, nisi fallor, intelligendus lib. V. de Actaeonis canibus dominum quaerentibus dicens:

Κύκλα δὲ ἔνθα καὶ ἔνθα περιτροχόωντι κολώνας.
Hac illac mediis circumdant montibus orbes.

Et Maro lib. XI. tralaticie de Arunte Camillam vestigiatim insequente loquutus;

Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, & tacitus vestigia lustrat.

Quod cum non intelligeret Servius, insidiantis id esse commentus est. Imo omnes ibi à venatione traductae locutiones. Jam antea quoque dixerat: *multa prior arte Camillam Circuit*. Apposite sane, quia ipsa Camilla *sola contenta Diana*, & cara illi *ante alias* venatrix erat. VLIT.

242. Accessusque, abitusque] Presso pede hoc exprimit, quod eo loco Maronis vett. libri scriptum exhibent: *Hos aditus, jamque hos abitus*. Qua scilicet fera ad cubile accesserit, & qua inde abierit. Τὰ εὐναῖα καὶ τὰ δρομαῖα ἴχνη. Canes qui accessoria & cursoria vestigia non discernunt, inutiles habentur. Idque in Segusiis culpavit Xenophon junior cap. III. τὸ ὁμοίως τὸ κλαγγάνειν ἐπὶ πᾶσι ἴχνει, καὶ τῷ δρομαίῳ μόνον, ἢ τῷ εὐναίῳ. *Eunaia cubitu impressa* vertit Holstenius, secutus Omnibonum, miserrimum Xenophontis alterius interpretem. Utrumque inepte. Ita accedentis & cubile suum petentis ferae vestigia vocavit uterque Xenophon. Tum maxime cum à pastu lento gradu domum redit. Ideo certiora quoque sunt. Xenophon major cap. IX. ἔστι δὲ τὰ ἴχνη ἐπὶ πλείω χρόνον τὰ εὐναῖα, ἢ τὰ δρομαῖα· τὰ μὲν εὐναῖα ὁ λαγὼς πορεύεται ἐφιστάμενος, τὰ δὲ δρομαῖα ταχύ. Pollux ideo videtur εὐναῖα ἴχνη etiam εὔρημα nuncupasse. Nisi glossema sit male infartum à librario. Interpres Pollucis neutrum intellexit. Δρομαῖα ἴχνη sunt quae cubili suo excitata fera relinquit, quae plerumque velociter percurrit, & ideo facilius evanescunt. Hoc in illis significat Xenophon. Sed non idcirco *velocia* verti debuerunt. Aliquando enim & iis diutius immorantur, prout propius vel longius institerint canes. De his nihil praecipit Gratius, qui cubilis demonstratione hinc inductoris investigationem terminat. Non enim illius est effugientes feras cursu consequi, sed demonstratas ex proximo, postquam indagine cubile cinxit venator, in retia impellere. Haec *plena* singularis investigationis *victoria* est. *Abitus* vero ideo no-

Admonet, & si forte loci spes prima fefellit,
(Rarum opus) incubuit spatiis ad prospera versis,

In-

NOTAE.

notare debet, ut *si forte loci spes prima fefellit*, & abiisse eam deprehenderit, venatori hoc significet, ne incassum casses suos tendat. VLIT. Sic Camilla apud Maronem. Et Homerus in Venatione cervi Iliad X.

Ὡς δ' ὅτε νεβρὸν ὄρεσφι κύων ἐλάφοιο δίηται,
Ὄρσας ἐξ εὐνῆς διά τ' ἄγκεα καὶ διὰ βήσσας,
Τὸν δ' εἴπερ τε λάθῃσι καταπτήξας ὑπὸ θάμνῳ,
Ἀλλά τ' ἀνιχνεύων θέει ἔμπεδον ὄφρα κεν εὕρῃ.

Intelligit τὴν εὐναίαν venationem. Uti & Cicero lib. II. in Verr. *istius avaritiae non jam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint.* Et in Philippicis: *Scelera tua non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus. Ingressus*, Id est *aditus* modo, & *accessus* infra, Gratio. VLIT. *in Add.*

243. ADMONET,] Venator scilicet. Nec sane canibus tanta ingenii vis est, ut conjicere possint qua abitum inventum iri verisimillimum sit. Quapropter venatori etiam injungit Xenophon canes ad recuperanda, si forte perdiderint, vestigia longo gyro circumducere cap. XIX. Hoc enim est, *περιάγειν αὐτὰς κύκλους πυκνὰ πολλοὺς ποιούμενον.* VLIT.

243. SPES PRIMA] Si forte *prima faventem pignora* fefellerint, & cubile eo quo putabat loco non fuerit, sed eum circumiens deprehenderit abitum ferae, sive vestigia longius inde praecedentia, iis porro incumbit, donec alio majore circuitu loca quae nondum adierat perlustrans, in prima vestigia iterum redeat. Si enim secundo circuitu nullum ferae abitum invenerit, certus sit intra *intactum gyrum* contineri feram. Hic sensus est difficillimi in toto Gratio loci, quem nemo ex corruptissima vulgo scriptura expiscari hactenus potuit. VLIT. Nemini non potest esse molesta illa repetitio τοῦ *prima*. ter sex versibus occurrit. quin & menti Authoris adversatur, ita ut post Vlitii explicationem quantum ego video, locus maneat adhuc obscurus aeque ac antea. at si loco *prima* suffeceris *Illa* (cujus Glossema illud erat) planam dederis sententiam. Nempe hanc, at si forte spes illa loci, quem canis monitu venatoris lustraverat (quod tamen raro evenit) caruit effectu, incumbit protinus spatiis, &c.

Est & altera amici conjectura, quae eundem conficit sensum, & propius receptae lectionis vestigiis inhaeret.

---- *Et si forte loci spes praeda fefellit.* JOHNS.

244. SISER] Ita & Editio vetus. Quin vero mendum in hac voce sit, dubitare nemo potest. Nobis dubium non est emendasse nos feliciter.

——— *ad prosperi seiri.*

τὸ Prospera ἀπὸ κοινοῦ ad vocem *vestigia* referendum arbitror. *Seiri* autem sunt criptae subterraneae, in quibus condi solet aliquid. Speluncas & recondita ferarum latibula hac voce insignivit Gratius Varro de re Rustica lib. I. c. LVII. *Quidam granaria habent sub terris, speluncasque quas vocant σειροὺς, ut in Cappadocia & Thracia.* Idem cap. LXIII. Vide plura de ea voce apud Suidam, Columellam lib. I. cap. VI. Curtium lib. VII. Plinium lib. XVIII. cap. XXX. Erunt fortassis qui *Siser* nomen canis autumabunt, sed illis accedere non possumus. Nam quae gens illa sit, docendum erit, & dubium nobis non est, non interrupta narratione de iisdem canibus loqui Gratium. Suspicor veteres & *Siras* foeminino genere dixisse. Nam in Glossis Isidori. *Sicar cluniculus.* Fortassis legendum, *sira, cuniculus.* Sed de illo nihil adfirmamus. Granariorum vero, de quibus Varro, subterraneorum meminit & Hirtius de bello Africano. BART.

244. AD PROSPERA * SISER] *Prossia* forte coaluerat in *prospa*. Virgula addita hoc abiit in *prospera*; illud fit *prossima*, sive *proxima*. *Siser* adjecta litera & trajectis mutuo syllabis, fit, *versis*. Proculdubio itaque scripsit Gratius: *ad proxima versis.* Barthius, ne nihil scivisse ingenue fateretur, inscitiam suam ineptia cumulavit. Dubium non esse, quin feliciter emendaverit, *ad prospera seiri.* Scilicet ut non in cubile, sed in amplissimum granarium inducat feram. Quale si omnes haberent, non facile foris quaererent victum, qui domi tam large suppeteret, & actum de venatione foret. Est autem σιρὸς vel σειρὸς vox Graeca, vel potius exoterica ex Cappadocia vel Thracia, significans speluncam subterraneam, in quam condi frumenta solent. Nec alia ulla notione usurpatum invenitur, quicquid deliret Barthius. Varro lib. I. cap. LVII. *Quidam granaria habent sub terris, speluncasque quas siros vocant, ut in Cappadocia & Thracia.* Quae verbotenus ab eo desumpserunt Columella lib. I. cap. VI. & Plinius lib. XVIII. c. XXX. Sed quid haec ad venationem? non magis quam cuncta

Bar-

Intacto repetens prima ad vestigia gyro.
Ergo ubi plena suo rediit victoria fine,
In partem praedae veniat comes, & sua nôrit
Praemia. sic operi juvet inservisse benigno.
Hoc ingens meritum est: haec ultima palma tropaei.

Ha-

VARIAE LECTIONES.

247. *Sua nôrit*] Ita Gronov. al. omn. *narit.*

NOTAE.

Barthii commenta, aut canis ad praesepe. VLIT. Ita omnes editi, ante Vlitium, qui *proxima* legit & legendum contendit. Illa tamen Lectio mihi optime se habere videtur, Vlitiana autem non posse defendi. Explicabimus modo.

Dejectus de illâ spe canis quid agere parat? Incumbit nempe, quantum potest, spatiis quae recta tendunt, ducunt ad *prospera*, hoc est, ad ea loca, unde felicem primus conceperat spem, unde prima pignora, primus odor se obtulerant. JOHNS.

244. Versis,] Olim *Sifer*, nullo sensu. Vlitius hinc feliciter satis, inverso literarum ordine, eruit *Versis.* poterat sane in fine versûs sic
sis
scribi. Hinc illa labes. *Ver*

245. Intacto] Perfecto gyro ad priora vestigia recurrens; Solertiam in hoc canum notat. BART. Non ante calcato. JOHNS.

245. Repetens ad vestigia] Virgilius Culice.
Ima susurrantis repetebant ad vada lymfae.
Ne quis Latinitatem suspectam habeat. BART. Subaudi cursum, viam. JOHNS.

246. Ergo ubi] Hic enim canis inductoris officia desinunt, quia, ut ille, *Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.* Cetera venatoris comitumque ejus sunt; ut puta indaginem circumponere, & vinctas ad retia feras conficere. Aelianus: καὶ περιστῆναι τὰ σχοίνια, puta ὁ κύων· σημαίνει δὲ ὁ θηρατής, καὶ ὑποδεῖξαι σημεῖον τοῖς θηρευταῖς. οἱ δὲ ἀποβάλλουσι τὰς ἄρκυς. VLIT.

246. Plena] Optabilis, perfecta. Nam *plenum* denotat absolutum omnibus numeris. Ita *plenam & optabilem Venerem.* Petronius conjungit, Claudianus
——— *concordia fratrum*
Plena redit. ———
Sic apud Plautum, *sublevit os mihi plenissime*, legit Carisius libro II. Grammat. *Plena sanitas* apud Vegetium lib. III. cap. XXII. Ita *Satuei* vocem usurpant Virgilius, & Severus, si is est, Aethna. *Gravidi* vocabulum alii, &c. BART.

247. Norit Praemia.] Felicissime ita hunc locum restituit Cl. Gronovius. Aelianus lib. VIII. cap. II. Κύων ἀγρευτικὸς ἅπας, αὐτὸς μὲν λαβὼν θηρίον ἥδεται, καὶ μετέχει τῆς ἄγρας ὡς ἄθλου, ἐὰν αὐτῷ συγχωρήσῃ ὁ δεσπότης. *Canis omnis venaticus ipse sibi capta fera plaudit, & praedae parte ut praemio fruitur, simulac accesserit venator.* Hoc *venandi munus* vocat Aurelius. Hanc primam canum laudem esse censuit in Halieuticis quoque, quam equis antea attribuerat:
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.
Quare non debuit victores hoc praemio suo fraudare Xenophon, qui suas partes canibus dare neglexit. Hodie exta illis objiciuntur, & sanguine calido tinguntur rostra, ut odorem captae ferae imbibant. Hoc videtur innuisse Hippolytus in optime venatoris munia exprimente prologo illo:
Tum rostra canes sanguine multo
Rubicunda gerunt: repetitque casas
Rustica longo turba triumpho. VLIT.
Olim *naris*, nullo sensu. sentiat hanc pro navatâ operâ sibi mercedem dari, ut hâc memoriâ & spe excitetur in futurum. *Gronov.* JOHNS.

248. Benigno.] Quod respondet meritis, & remunerat labores. JOHNS.

249. Ingens meritum] De hac voce vide Desiderii Heraldi Commentaria ad Arnobium. BART.

249. Haec ultima palma trophaei,] Quid, Grati, an haec adeo ampla spolia, & egregia trophaea sunt, feram cepisse? Non ideo sane *Romanis solemne viris opus* hoc fuit, sed quia *utile famae, Vitaeque & membris, olim his artibus futuri duces imbuebantur*, ut ex Flacco & Plinio

sci-

Hagnon magne, tibi Divôm concessa favore.
Ergo semper eris, dum carmina, dumque manebunt
Silvarum dotes, atque arma Diania terris.
Hic & semiferam Thoum de sanguine prolem

Fin-

NOTAE.

scimus. Sed secutus noster (utinam non hic) Xenophontem fuit cap. XXVI. qui miseram lepusculi capturam venationis summam aestimans, ita concludit: *ἔστι γὰρ θηρευτικὸν μέν. φιλόπονον δὲ, τὸ ἐκ παντὸς τρόπου ἑλεῖν ταχύ.* Quod in primaevis venatoribus ferri poterat, quos ipsa natura hunc primum acquirendi modum docuit, & *spoliis corpus vestire ferarum*, & *ditescere praeda*, ut divine canit Lucretius lib. V. Oppianus quoque lib. II. Centaurorum saeculo assignat quod *ἐπιδόρπιον εὕρετο θήρην. quae coenas venanti praebeat, artem.* Quare juri gentium non recte adscribitur, *quod nullius est, id naturale ratione occupanti conmedi*, in §. XII. Instit. de Rer. Div. Quod ab ipsa natura dictatum esse, ex Platonis Sophista perdisci potest. Hic tamen non ideo venationem tantopere laudavit lib. VII. de LL. scilicet ut praeda contentus abiret, sed easdem ob causas, quas Romani probaverunt, alibi à me latius expositas. VLIT. Symmachus lib. V. Epist. LXVI. *Haec igitur prima mihi de vobis gaudii causa est, quod rusticae voluptatibus sanitatem juvatis: secundus laetitiae meae gradus est, venatu capta meruisse.* Ovidius etiam liberaliorem venatorem laudat lib. II. Amor. El. IX.

Venator sequitur fugientia, capta relinquit.

Nec magni quoque ferinam carnem facit Xenophon Junior Cap. XXV. fine; dissimilis in hoc cognomini & populari suo, qui nimis avide illam adpetit. Horatius I. Sat. II.

—— leporem venator ut alta
In nive sectatur, positum sic tangere nolit;
Cantat & apponit.

Ubi vide Vet. Schol. & ipsum Cruquium. VLIT. *in Add.*

250. HAGNON] Liquido virum non canem alloquitur, cui Deos eam venationis artem monstrasse dicit. BART.

251. ERGO SEMPER ERIS,] Imitatio Virgilii. BART.

252. DOTES,] Voluptas & commoda. JOHNS.

252. DIANIA] Olim *Dianea*. male. JOHNS.

253. THOUM] Ex pardo & lupo, aut ex lupo & Hyaena, sive ex cane & Hyaena hoc genus belluae nasci ajunt. Canum sane commistionem Epitheton Gratii *semiferam*, agnoscit expresse. BART.

253. SEMIFERAM] Quae ex fera, & mansueta aut domestica bestia procreatur. Plinius lib. VIII. cap. *de semiferis animalibus: In nullo genere aeque* (ac in suibus ex praecedenti capite repetitis) *facilis mistura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas suos vocabant semiferos.* Ita lego ope vet. codicis. Unde constat *damas* hoc capite locum non habere, quas pusillanimitas omni feritate exuit. Sed *chamas* substituendos videri, quos ex lupo & pardo mixtos esse alibi tradit. Plinius illo cap. non tantum semiferos vocavit, qui ex diversis parentibus feritatem induerunt, sed etiam illos qui ambigenae proprie dicuntur, sive ex feris, sive domesticis animalibus mixti Extat in Pythoeano syntagmate epigramma vetus de *Ambigenis*, quod ita incipit:

Hae sunt ambigenae quae nuptu dispare constant.
Apris atque sue setosus nascitur ibris.
At lupus & catula formant coëundo Lycisciam.

Festus hinc emendandus: *Bigenera dicuntur animalia ex diverso genere nata, ut leopardus ex leone & panthera, ibris ex apro & scropha domestica.* Ita recte vett. lib. Vulgo, *cicur sus.* quod miror Scaligero potuisse arridere. Bene tamen idem ad Varronem observat *ibrida* quidvis semiferum & spurium significare: Quod & Plinius intellexit cum Antonium ita dictum fuisse annotat citato cap. Quo etiam spectat, quod in Glossis MSS. Amplissi. Petavii memini legisse: *Ibridae canes, Lycisciae.* Id est, semiferi, ambigenae. Servius ad Eclog. III. *multum latrante lycisca*] *Lyciscae sunt, ut etiam Plinius tradit, canes nati è lupis & canibus, cum inter se forte miscentur.* MS. meus lib. habet, *Lycisci sunt.* Uti hinc quoque de more exscripsit Isidorus lib. XII. cap III. *Lycisci autem dicuntur, ut ait Plinius, qui ex lupis & canibus nati.* Ego quidem nullibi isthaec apud Plinium invenio: nec falso tamen à Grammaticis adduci crediderim, sed librariorum injuria intercidisse hanc insolitam canisappellationem Lib. VIII. cap. de canibus: ex quo capite & reliqua, quae de canibus tradit, compilavit Isidorus: ne quis pu-

tet

Finxit. Non alio major sua pectore virtus,

Seu

NOTAE.

tet cum Servio simul lapsum fuisse, cum scribentibus illa Plinius ad manum fuerit, & procul dubio hic ipse locus: *Hoc idem è lupis Galli, quorum greges suum quisque ductorem è canibus & ducem habent.* Ita vulgatum. Sed quae inter *ductorem* & *ducem* tanta differentia? Videbat id Vir doctus qui *pastorem* pro *ductore* legebat. Male tamen. Quis canis *ductor* sit, jam supra ostendi. Mendum latet in *duce*. Τὸ & abest eo loco in vet. cod. In aliis fuit, *lintiscum*, ut testatur Gesnerus: quod hinc etiam in primas editiones Isidori manavit. Unde elicimus scripsisse Plinium: *suum quisque ductorem è canibus lycitscam habent.* Cujus vocabuli vestigium hodieque in Gallica voce *lice* restat, quae canem libidinosam significat. Maxima enim libidine necesse est ut incensae fuerint, antequam adulterum & hostem ferae admiserint. Recenset & lyciscam inter Actaeonis canes Naso: *& Cyprio velox cum fratre Lycisca.* Quem *Lycitan* vocaverat Aeschylus, citatus à Polluce. Cur tamen Cyprium eum faciat Ovidius, causam non comminiscor. Gallorum id inventum esse tradit Plinius. Nec vero abhorret. Auget fidem medii aevi poema bucolicon, quod in Galliis ante aliquot saecula conditum fuisse certis argumentis persuadeor. In eo laudatur talis *lycisca*, non è cane foemina & lupo, sed ex mare & lupa genitus. Sed quia ab instituto alienum adeo non est, en tibi ea, quae maxime huc faciunt, ex MS. codice desumpta.

Armentis erat his custos canis acer & atrox,
Et plures aderant, sed multis fortior unus.
Quod genus extiterit, quae vires, accipe paucis:
Rusticus à domino patrem susceperat ejus.
Nobilis ille canis, qui cervum solus, & aprum
Vi poterat retinere sua: nec pulchrior usquam.
Corpus erat nigrum, caput album, crura nigredo,
Postremos albedo pedes discreverat: ipsas
Aures, & collum color aspergebat uterque:
Laeserat hunc cervus, foditque per ilia cornu,
Commissumque sibi servabat rusticus illum.
Vulnere curatus jam vadit ubique solutus.
Forte lupam dudum captam nutriverat ille,
Hanc sequitur canis, & coitu commixtus adhaesit,
Atque canem genuit cui commendatur ovile.
Vires nativas generis pars utraque servat.
Robustos renes, robustum pectus habebat:
Cauda brevis, sed grossa nimis, villataque villis.
Fortis & acer erat, multumque audebat in armis.
Hunc dominus dives pascebat sufficienter.
Dispersere ferae: latratum noverat ejus
Addita sylvarum servantes turba luporum.
Haec fuit ergo quies armentis omnibus illis,
Dum vixit bonus ille canis, custosque fidelis.
Deseruit fortuna virum, nam perdidit illum.
Asciuit socios pastor, communeque damnum
Flevit, & in laudem canis haec duo carmina scripsit:

TE VIVENTE LUPI PERIERUNT, TE PEREUNTE

VIVENT. ARMENTIS ET NOBIS OCIA TOLLENT.

At ne cui delicatas aures obtundat rancidum hoc, hic desistimus, & ad propositum revertimur. Talem itaque hic nobis videtur commendare Gratius, si quidem Thoës ex luporum genere fuerint. Qui si leones domuere, non minor ab illis in Lycisca illo Gallico virtus restat, *qui cervum solus & aprum Vi poterat retinere sua.* Qualium canum crebra mentio est in Cod. legum antiquarum, quae eodem fere aevo latae, quo poëma illud conditum fuisse videtur. Alamannorum Lex. tit. LXXXIII. *Si quis bonum canem porcarium, ursaricium, vel qui vaccam vel taurum prendit,* &c. VLIT. Porphyrius & Acro ad illud Horatii lib. I. Sat. VII. *Hybrida Persius*] *Hybridas proprie dici canes, qui ex imparibus nati sunt, ut ex venatico & gregario*, commentantur. Plinius *ad homines quoque translatam appellationem* hybridae tradit lib. VIII. cap LIII. Hinc Suetonius Augusto meminit *Asinii Epicadi ex gente Parthyna hybridae*; Et *hybridarum libertinorum* Hirtius bello Africano. Martialis adulterinos intelligit lib. VI. Epig. XII. *hybridarum grex tibi foret plenus.* Quod porro de lyciscis ex Plinio allegat Isidorus, apud illum alio modo legitur lib. VIII. cap. XXI. *Crocutas, veluti ex cane lupoque conceptos omnia dentibus frangentes.* Cujus monstri & cap. XXX. mentionem diversam facit. Ubi an *Lyciscos*, legerit Isidorus, considerandum per otium, cujus nulla omnino nunc mihi copia est. Caeterum lupi & canes ut inimicissimos inter se ponit Jesus Siracida Cap. XIII. vers. 21. ubi tamen *ὑαίνας*, pro lupis, habent Septuaginta. VLIT. *in Add.*

253. THOES

Seu nôrit voces, seu nudi ad pignora Martis.
Thoës commissos (clarissima fama) leones

Et

VARIAE LECTIONES.

255. *Nôrit*] Ita Gesnerus, & P. *môrit* A. & Steyn. *Voces*] *Fauces* G.

N O T A E.

253. Thoum] *Θῶες. genus luporum, procerius longitudine, brevitate crurum dissimile, velox saltu, venatu vivens.* Plin. Lib. 8. Cap. 34. qui de his plura scire cupit, adeat Oppianum. Lib. 3. Pollucem. Aristot. Plinium. Non mei est instituti omnes Authorum locos huc congerere. JOHNS.

254. Sua] Non adscita per artem, sed domestica atque nativa. Sic supra. v. clxx.

Quaecunque domi sibi crimina fecit.

id est, sibi propria. Valerius Flaccus libro ii.

Mox somno cessere: regunt sua sidera puppim.

Ita plurimi scriptores. BART. Mihi omnino videtur legendum *Sub.* JOHNS.

255. Norit voces,] Acrimoniam & docilitatem in hoc genere conjungit. Male hoc loci. V. Ed. *fauces*. BART. Ita primus videtur emendasse *ὁ πάνυ* Gesnerus, cum in edit. sua invenerit, *morit.* uti in primis editionibus fuit. Barthius ex suo sibi lib. citat: *Seu norit fauces.* Unde olim, antequam de fide istius libri dubitarem, conjiciebam: *Seu morit fauces*; ut ad Thoëm haec referrentur, quasi ad etymon facta allusione: sive *θῶες ἀπὸ τ͂ θώξαι*, quod apud Hesychium legitur & exponitur *θηλυδῶς βοῦσαι*, sive *ἀπὸ τ͂ θῶαξ* id est *θωΰαξ*, ut recte emendavit in Hesychio Gesnerus, nomen adepti fuerint. Nunc vero mihi tanti non est ille suspectus nimium codex, ut aurum aere mutem. Nam voces domini sui noscere praecipua in cane obedientia est. Et locum hunc haud dubie imitatur Nemesianus:

Nec non consuetae norint hortamina vocis,
Seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus.

Quo loco plura hac de re observabo. VLIT. Ald. *morit.* hinc Barthius. *morit fauces.* at Vlitius alteram Lectionem retinet, quia praecipua virtus in cane obedientia est. Neutrum mihi placet. Quae enim haec Latinitas est? Seu norit voces, sive ad pignora. mihi verbum deësse videtur, quod utrique membro cohaereat; at, nî fallor, adest. Sic itaque refingerem hunc locum.

Sive voces naris, seu nudi ad pignora Martis.

jure credi possunt hoc immutâsse, qui nesciebant *τὸ ad pignora*, bis quasi positum esset, bis construi debere. v. 247. *Naris* occupaverat locum *τ͂ norit.* non itaque insolens haec inter se mutatio. Hic igitur sensus est, sive canem hunc evoces ad pignora naris, *i. e.* ad persequendas sagacitate feras, sive ad hostes nudo marte domandos. v. 152.

——— *sive indomitos vehementior hostes*
Nudo marte premas, seu bellum ex arte ministres.

JOHNS.

255. Nudi] Absque dolo. Sic *nudam virtutem.* v. 3. dixit, quod heic *nudum Martem.* Et v. cliii.

——— *sive indomitos vehementior hostes*
Nudo Marte premas ——— BART.

256. Thoes] *Luporum id genus est, procerius longitudine, brevitate crurum dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini*, autore Plinio lib. viii. cap. xxxiv. Quae particulatim obiter excutiemus. *Luporum genus* esse, plerique veterum consentiunt. Multa de eo recentiorum dissensio, quorum opiniones accurate collegit Gesnerus in doctissimo opere de animalibus. Verum ipse pessimam secutus mehercule videtur. *Cervarium lupum* à Gaza passim reddi, ne indignetur, autoritatem suam, si quam habent, interponunt Glossae veteres: *Lupus cervalis, Θῶς.* Aliae: *Cervarius, Θῶς*, Ita dicti, quia cervis maxime infesti. Oppianus ideo tanquam tritum quid canit Halieut. lib. ii.

Θῶας ὑπερφιάλους ἔλαφον δειπνοῦσι(?)
Thoas crudivoro cervum depascere morsu.

Statius hos videtur intellexisse lib. v. Thebaid. *Qualis cum cerva cruentis Circumventa lupis.* Et discerte Plinius lib. viii. cap. xxii. *de lupis: Sunt in eo genere, qui cervarii vocantur, qualem è Gallia in Pompeji Magni arena spectatum diximus.* Quae referenda sunt ad cap. xix. ejusdem libri: *Pompeji Magni primum ludi ostenderunt thoëm, quem Galli rufium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis.* Ita mihi scribendum nunc videtur. Oppianus enim verbotenus illa thoi attribuit, quem ex lupo & pardo mixtis nasci canit lib. iii. *κυνηγ.*

Θῶες

Et subiêre astu, & parvis domuêre lacertis.

Nam

NOTAE.

Θῶες ὁμῶ ϛ φέρωσι ὀπλῆς ἀμφοτέρων ἀλλήλων,
Μητέρος ἠ φυαῖ τε, &c. πατρός ἐξ αὖ ἑτέροιο.
At thoës utroque ferunt ex semine florem,
Effigiemque lupi, maculosaque tergora matris.
Lupum itaque genitorem esse inter omnes constat; de matre non item. Nec magna adeo differentia, cum pantherae, sive pardi, & hyenae maculis saltem conveniant, si caetera dissimiles. Hesychius: Θῶας θῆρας ἐξ ὑαίνης ἢ λύκου γινομένους. Sed idem infra thoes esse dicit εἶδος θηρίου οἷον λύκου, quasi μονολύκου genus sit. Quod & Plinius sensit, quamvis lupum effigie, pardum maculis referre dicat. Quomodo & Eustathius modo λυκώδεις θῆρας, modo ὑαινῶν παραπλησίους vocat. VLIT.

256. Leones] Plinius lib x. c. penult *dissident thoës & leones* Quod à Stagirita Philosopho habet lib ix. de hist. anim. cap. xliv. Θῶες πολέμιοι ἢ τοῖς κυσὶ ἢ τοῖς λευσὶ διὸ ἐν τῷ τόπῳ αὐτῷ οὐ γίνονται. Cum quo non bene convenit Gratio, si adeo inimici canibus fuerint thoës. Nisi scripserit forte Aristoteles, τοῖς κυσὶ. Nec enim credibile est canes & thoes eodem loco simul non inveniri, cum nulla regio adeo egena canum sit. Animadvertit hoc eruditus interpres, qui posteriora illa sic restrinxit: *quo fit ne eodem in loco sint cervarii & leones.* Imo nec canes simul & cervarii, si vera est vulgata scriptura. Sed nec si Φιλάνθρωποι adeo fuerunt thoës, ut tradit Philosophus, pugnare debuerunt cum *fidelissimis ante omnia hominis canibus*, ut Plinii verbis utar. Nec facilis adeo cum iis mistura fuerit, aut *huc exacta voluntas*, ut cum canibus foetus exercere voluerint, quod nulla molestia hic promittit Gratius, si potissimum canum generi infesti fuerint. Quae dum animadverto, succurrit alia conjectura, qua concilietur cum Gratio & Plinio Aristoteles, si scripserit: πολεμοῦσι ἢ τῷ τοῦ κυνὸς τοῖς λευσί. *pugnant una cum canibus contra leones.* Nec quicquam sane de thoum cum canibus inimicitia ullus retulit ex Aristotele. Non Plinius, ut vidimus. Non Aelianus lib. i. cap vii. Non denique Eustathius, qui ad Iliad. λ. ex ipso Aristotele citat, Θῶας πολεμίους λέοντι, idque aliquoties postea repetit, sed de canibus nihil. Imo contra, hoc inter illos convenit, ut & caecos pariant catulos, teste Aristotele, & ὁλότοκοι dicantur, ut observat Pollux. Quare & semifera ex thoë ac cane proles *commissos domuere leones*, combinata utriusque parentis virtute. Fallor nisi talis fuerit, quem maculis insignem, quasi ex thoë patre servatis, facit Callimachus Hymno in Dianam: οἳ ῥα λέοντας ἔτι ζωοὺς ἐπὶ αὖλιν, *qui vivos traxere in tecta leones.* Oppianus lib. i. nudi ad pignora Martis commendat canes, qui Σπαρτιήτας μὲν ἰσασι κυνηγεσίας, & quasi vulpina specie sunt:

Καὶ κύνας ὑπερτέρους ἰχνευτῆρας εἰς ὀλίγους,
Οἵτοι μηδὲ λέοντας ἐπὶ τρομέουσι ἀγῶνας
Id est, ut modo apud Aristotelem legebam, qui & cum suibus, & cum leonibus pugnant. Inter quos postmodo optimos esse canit Oppianus:

Τοῖς ἴκελοι μορφὴν μάλα θηρσὶν αὐτόθι,
Ἠ καὶ ἀλωπεκίοισι, ὁμοῖοι τε πανθήρεσσι.
Qui feris similes maxime sunt, sive qui *vulpina specie*, & thoës referunt. Videtur enim illa periphrasi ad vocis originem allusisse, quasi thoës dicti quia pardorum velocissimi sunt. Etymologicon magnum: Θῶες, ἀπὸ τοῦ θέω τὸ τρέχω γίνεται θῶς, ἢ ἀπὸ τοῦ θοὸς. ταχεῖς γάρ εἰσι καὶ πρὸς βραχυσκελεῖς ὄντες. Eadem sunt apud Phavorinum. Hic insuper θοὸς, θῶες, scribi docet, uti & Suidas. Θῶες etiam apud Arrianum leguntur. In qua vocabuli diversitate Plinius videtur haesisse lib. vi. cap. xxix. *Gentes Troglodytarum idem Juba tradit Therothoas à venatu dictos, mirae velocitatis, sicut Ichthyophagos, venantes sui maris animalia.* Ita obiter conjicio, donec melius quid afferatur loco non satis sano, qui jam corruptus ad Solinum quoque pervenerat. *Ichthyophagi* enim, non quia *natantes seu maris animalia* ut vulgo legitur, sed a piscibus capiandis & edendis dicti, ut *Therothoae*, a thoibus venandis. Sed cum Θηροθόας apud Jubam forte invenerit Plinius, non ausus id pro θηροθόοις accipere, videtur in ambiguo reliquisse, utrum sint Θηροθόαι, à thoibus venandis, an Θηροθόοι, qui mira velocitate venabantur. Illud prius verisimile satis Jubam intellexisse, quia θοὸς epitheton pluribus gentibus commune esse poterat. Sed θῶες differentiam insignem habent, quia thoës plurimum venabantur. Dicti enim θηροθόαι pro θῶας ἄγειν, ut ἰχθυοφάγοι apud Suidam, pro ἀγρεύοντες. Hoc vero, quod θηροθόαι, quia venatu veloces dictos putaverit Plinius, verba ipsius arguunt, sed non tamen certo affirmare. Qua enim videbat non Θηροθόας, sed Θηροθόους tum dicendos esse,

P &

Nam genus exiguum, & pudeat quam informe fateri
Vulpina specie: tamen huc exacta voluntas.

At

VARIAE LECTIONES.

258. *Fateri*] *videri* citat Gesnerus.
259. *Specie:*] *Species.* Stcyn. non male.

NOTAE.

& hoc genti illi Troglodyticae, quod aliis commune est, nomen dare non potuisse. Quam ambiguitatem Solinus quoque ex Plinio servavit: *Troglodytae tanta pernicitate pollent, ut feras quas agitant, cursu pedum assequantur.* Feras enim illas putavit thoës esse, quas ideo cap. xxx. lupos Aethiopicos vocasse videtur, qui Therothoae Aethiopiam habitabant. VLIT.

257. Lacertis.] Sic manus adscribit ursis Oppianus Cynegetico. iv.

—— *μάλα γὰρ τότε θυμαίνουσιν*
Ἄρκτοι, καὶ φρένεσι, καὶ ἀγκυλίοις παλάμῃσι.

Idem iterum:

—— *τις ἀνὴρ παλάμῃν ἐπιδήσεν ἄρκτῳ*
Δεξιτερὴν ——

Et de iisdem Plinius lib. viii. cap. xxxvi. BART. Hoc de Indicis semiferis canibus dixit Isidorus: *& nasci ex eodem foetu canes adeo acerrimos & fortes, ut in complexu leones prosternant.* Potuit itaque Gratius respexisse ad historiam canis illius, quem Alexander Magnus ex India vel Albania habuit, cujus apud omnes *clarissima fama* est, quo astu & impetu Leones domuerit. Vide quae supra de eo annotavi. Quod igitur thoi Gratius, id cani semifero attribuit Isidorus, & *complexu prosternere*, ex *parvis domuere lacertis* effinxit. VLIT.

258. Nam genus exiguum,] Duo, vel tria ad summum, genera thoum esse tradit Aristoteles, sed optimos, qui exigui generis: *ἄριστοι δ' οἱ μικροὶ τῶν θώων*: Hesychius hosce ex Homeri Iliad. Λ. loco intellexit: *Θῶες ὀρεσίτροφοι*] *θηρία μικρὰ ἐν τοῖς ὄρεσι.* quia videbat tales à Poëta censeri, qui metu leonis praedam desererent: *ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων Σίντην, θῶες μέν τε διέτρεσαν. tum forte superveniente leone Diffugiunt thoës.* Sed nec sic quidem conciliantur haec cum Aristotele, qui postquam de universo genere dixerat, cum leonibus pugnare thoës, subdit: *ἄριστοι δ' οἱ μικροὶ τῶν θώων.* Ergo & minimos cum leonibus maxime pugnare sensit. Quem sequitur hic Gratius, non temere ideo à Bodino reprehendendus, quamvis aliud finxerit Homerus. Eustathius vero, ex quo errorem hunc Gratii convinci posse credidit, utramvis opinionem exposuit, sed pro vulgatiore eam habuit quae Aristotelem sequitur. ideo noster quoque *clarissimae famae* assignat, tam *exiguum genus* thoës Leonum domitores Et Plinius quoque universim brevitate crurum dissimiles eos esse dixit à reliquo luporum genere. Ita *βραχυσκελεῖς* vocarunt Phavorinus & Etymologicon magnum. Sed Oppianus inter lupos etiam agnoscit, qui *Καὶ ποσσὶ, ἠδ' ἀτύσαντες ἐλίζοντες* lib. iii. post quos separatim de thoibus agit. Gratius illos *ἀτύσαντες ἐλίζοντας, ὄμμασι βαιοῖς*, videtur hic intelligere, ut sequentia ostendunt. VLIT. Aristotel. *ἄριστοι δ' οἱ μικροὶ τῶν θώων.* qui Thoum minimi, iidem fortissimi sunt. JOHNS.

259. Vulpina species:] Dispescendus distinctione hic versiculus, *Vulpina species: tamen his exacta voluntas. Exacta*, verbum est, ut loquuntur Grammatici, non nomen. Et subintelligendum, *est: huic* etiam pro *huc* rescribendum. Quamvis pene turpis his canibus sit species, ait, & ut pene nos pudeat fateri quam deformes sint; tamen exigere voluntatem suam norunt, nihilque incipiunt, quod non exigant ad finem. *voluntatem* pro conatu in canibus agnovit & supra. v. clxxiii. BART. Pollux, si credimus Viro magno ita citanti ad Oppianum, dicit *θῶας λύκοις ἀλωπεκώδεις ὁμοίους εἶναι.* Viden' quam prope minores lupos Oppiani referant thoës, quos & adeo *deformes vulpina specie* esse dicit Gratius, *ut fateri pudeat?* Hic sensus & ordo verborum, quae in omnibus editionibus pessime distinguuntur, & pudeat fateri, quam misere à Barthio deformentur. Laudatur haec in bellicoso cane quantumvis deformis videri, *vulpina species* ab Oppiano, quia feritatem maxime refert, ut apparet ex iis quae modo adduximus. Nec alia de causa putem *ἀλωπεκίδας* optimos Laconum canes olim indigetatos fuisse quam quia *vulpinam speciem* prae se ferrent. Eamque

260 At non eſt alius, quem tanta ad munia foetus

Exer-

VARIAE LECTIONES.

260. *Tanta*] *Tanti.* Gronov. non temere. VLIT. & JOHNS.

NOTAE.

que appellationem occaſionem praebuiſſe, cur ex vulpe mixti eſſe vulgo crederentur. Non autem, quia quotidie ita mixtim naſcerentur, quamvis id tradat Ariſtoteles. Conjecturam meam adjuvat Pollux, qui ἀλωπεκίδας dictas eſſe ex Xenophonte refert, quarum olim foetura cum vulpe mixta fuiſſe dicitur: λέγονται τὰς μὲ Λακαίνας ἐξ ἀλωπέκων τὸ ἀρχαῖον κ̀ κυνῶν γεγονυίας κληθῆναι ἀλωπεκίδας. Ita quippe intellexit Xenophontis illa cap III. ἐν πολλῷ ᾗ; ϛέρω συμμέμικ̄ ται αὐτῶν ἡ φύσις. Quod vulgo recepta opinio confirmavit adeo, ut omnes fere ita credi tradant, nemo autem compertum habuerit. Non negaverim ego ex vulpe & cane mixtam prolem ſaepe naſci ſolitam, ſed omnes Laconicas ἀλωπεκίδας ejus generis fuiſſe ne ipſi quidem, ſi id aſſerat, Ariſtoteli credam. Heſychius ἀλωπεκίδας, κυνὸς εἶδος ſimpliciter vocat: τὰς δ᾽ ἐξ ἀλώπεκος κ̀ κυνὸς ὥσπερ τὰς Λακωνικὰς κύνας φασὶ γίνεσθ. κυναλώπεκας dici, alibi tradit Scholiaſtes Callimachi: Κυνοσ[κε]ίδας] τὰς ἀπὸ κυνῶν κ̀ ἀλωπεκων γεγονυίας. Η τὰς Λακωνικὰς. Κυνοσ[κε]ὶς γδ τοπ Λακωνικῆς. Non omnes ἀλωπεκίδες igitur Laconicae, ſi mixtum ex vulpe genus fuerunt. Sed omnes Laconicos canes ἀλωπεκίδας fuiſſe credibile eſt, ideoque ἀλωπεκίδας dictos. Ita videtur credidiſſe ille Scholiaſtes, omnes Laconicos canes vulpini generis fuiſſe. Nam καϛόριαι & ἀλωπεκίδες ſaepius inter ſe mixtae in unum quoddam genus paulatim coaluerunt, & quia *vulpinam ſpeciem* omnes ſervarent, ἀλωπεκίδες univerſo generi nomen manſit. Ut hodie leones & leunculos appellamus canes, qui ſpeciem leoninam habent. Varro lib. II. de R. R. canem paſtoralem excernit, *colore potiſſimum albo, quod in tenebris ſpecie leonina*. Ita hic *vulpina ſpecie* dicuntur canes ſemiferi, non quod ſpeciem vulpini generis conſtituerent, aut ex vulpibus mixti eſſent, ſed quia formam & vultum vulpinum haberent. Unde etiam Caſtorii canes cum vulpinis mixti, ἀλωπεκίδων nomen obtinuerunt, quia faciem ſervarent. Vel forte quia eam ex ſe referrent. Unde Ariſtoteles omnes Laconicos canes ἀλωπεκίδας eſſe credidit. Pollux: αἱ ᾗ Καστόριδες Κάστορος θρέμματα, Απόλλωνος τὸ δῶρον. Ταύτας δ᾽ ὁ αὐτὸς ποιητὴς τὰς ἀλωπεκίδας λέγει, μιξαμένου τοῦ ζῴου ἀλώπεκι κάστορος. Sed horrendum prorſus monſtrum, ex vulpe & caſtore mixtis canis natus! Scribendum omnino: ταύτας δ᾽ ὁ αὐτὸς ποιητὴς κ̀ ἀλωπεκίδας λέγει, κ̀ μιξαμένης τὸ ζῷον ἀλωπεκικωτέρας. Merito autem Nicander, ex quo hoe citavit Pollux, etiam Caſtorios canes vulpinos vocavit, quia non minus, quam alii Laconici, vulpinam ſpeciem referrent. Et Xenophon, quamvis duo illa genera citavit, forma tamen inter ſe diſcrepare, aut diverſos revera magis quam nomine eſſe, non obſervavit. VLIT. Ald. *ſpecies.* non male JOHNS

259. EXACTA] Aptiſſima, quaſi ad normam exacta. JOHNS.

260. AT NON] Acervus vitiorum. Scribe.

At non eſt alius, quem tanti ad munia foetus
Exercere velis: haud te tua culpa refellat
Inter opus, quum ſera redit prudentia damno.

Exercere ad munia tanti foetus, eſt jungere cum cane in Venerem ad nobilem Metagonta generandum. quam curam ſi praeſtiteris, non te poenitebit poſtea hoc foetu in venando uti, nec evenict tibi ut in eo te peccaſſe, & aliquam in te culpam admiſiſſe deprehendas, quae te tum refellat, accuſet, confutet, ut ſolet fieri ſero & damno ſuo ſapientibus. *redit* ut infra,

—— *haec magno redit indulgentia damno.*

Gronovius quia in C. Ald. *refellat* reperitur textui inſerendum duxi. reliqua Gronovio debes. JOHNS.

260. AT NON EST ALIUS,] Dubitari poteſt, utrum de thoë, an ſemiſera ex thoë prole accipienda haec ſint? Sed & illa, *Nam genus exiguum*, &c. eodem, quo haec, pertinent. Itaque ad Metagontas ſemiferam prolem Hyrcanis referenda potius ſunt, ut ſive lyciſcas, ſive ἀλωπεκίδας, ad foeturam commendet. Sed potiſſimum ἀλωπεκίδας Spartanorum canes commendari à Gratio, praecedentia illa arguunt:

Ad veſtrum non vile genus, non patria vulgo
Sparta ſuos & Creta ſuos promittit alumnos.

Nimirum ad ſemiferam prolem fingendam. VLIT.

P 2 261. AUT

Exercere velis, aut te tua culpa refellat
Inter opus, quo sera cadit prudentia damno.
Junge pares ergo, & majorum pignore signa
Foeturam, prodantque tibi Metagonta parentes,
Qui genuêre sua pecus hoc immane juventa.

Et

VARIAE LECTIONES.

261. *Refellat*] Ita B. &. Steyn. bene. caeteri, *revellat.* JOHNS.
263. Hic potius tit. figendus, qui in Edd. ante v. 259. inferitur: *Canum foetus.*
265. *Genuere*] Ita Gesn. & Pyt. *tenuere.* A. Steyn. *Immane.*] *Manente.* G. *mutante.* B.

NOTAE.

261. Aut te] Scribendum, *refellat.* Exercitium hujus generis ad varios usus. Injungit illud venationis studioso, nisi ipse sua sibi culpa deesse velit Nam canibus non exercitatis opus aggressus, in media venatione videbit peccatum suum, cum jam Prudentiae locus non sit in medio damno. BART.

261. Refellat Inter opus,] Ἡ τε γὰρ τέχνη πᾶσα ταύτῃ στοχάζεται, ἵνα τὸ κατασκευασθὲν ἐπιτηδείως ἔχῃ πρὸς τὸ ἔργον, πρὸς ὃ κατεσκεύασται. ὅτε καὶ ὁ τῆς ἀμπέλου καὶ ὁ τοῦ ἵππου ἐπιμελούμενος τοῦτο ζητεῖ, ut egregie ratiocinatur Antoninus Imp. lib. vi. Itaque *opus* hic quoque est, quod in foetura canum consistit: ut supra, *Inter opus*, quod ad retiarium pertinet. Alias pro venationis actu fere ponitur, cujus *tanta ad munia foetus* semiferos ex thoë requirit. Nam si hic ita sumas, idem bis diceretur. Oppianus haec vocavit φιλοτήσια ἔργα, ubi de canum foetura agit lib. 1 sed leviter nimium pertractavit, & pleraque omisit. Diligentior hac in parte Xenophon cap. xx. quem noster presso pede sequitur. Ideoque putabam ἀλωπεκίδας hic quoque commendari ad foeturam, quamvis nemo sit, qui thoës vulpino generi accensuerit. Habent tamen *vulpinam* speciem, ut ostendi, ideo & mixti ex thoibus canes *exiguum genus & vulpina specie deforme* describi potuit, & ἀλωπεκιδεῖς dici, si bene conjeci ita magis à specie, quam genitura, dictas esse. VLIT.

262 Sera cadit Prudentia] Nimirum Claudiani vera est sententia in Eutropium.

—— *non jam reparabile damnum*
Eventis stolidi rerum didicere magistri.

Similis quaepiam extat in prima Anabasi Arriani. Porro post hunc versum nonnihil de conjugio canum videtur excidisse, ut totum Poëma plenum lacunis. BART.

262. Cadit] Vanescit, incassum recidit. Ita *cadere studia* dixit Priscianus praef *Cadere sapientiam* Lactantius libro iv. cap. 1. BART.

263. Junge pares] Nemesianus.

Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum. BART.

263. Pignore] Junge pares, inquit Gratius, eosque animi expertos, formâque non indecoros, ut ex parentum virtutibus, quasi totidem pignoribus datis, jam designes animo pro certoque spondeas dignam majoribus prolem, parentesque ante partum, futurum Metagonta significent. JOHNS

264. Foeturam] Nemesianus,

Sed diversa magis foeturae convenit aetas. BART.

265. Qui genuere] Versum ego hunc non levibus conjecturis σαθρὸν esse autumo. Quid enim pecoris immanis sibi vult appellatio? Sane totum obsitum Lacunis hoc est Poëmatium. Vetus liber, *pecus hoc manente juventa.* A qua lectione haud dubio illa vulgaris genita est. Forte

—— *pecus hoc mutante infra* V. Virilem aetatem quasi dicat. Sed suspicio prior excuti mihi non potest. BART.

265. Qui genuere] Hunc versum Vlit. contra Barth. mordicus servandum censet. Nae ille Musis invitis, quae omnes siquid ego sapio, praecipitem illico furcillis è Parnasso deturbarent. Nihil enim est nisi insulsa periphrasis τῷ *parentes.* cui geminum habes apud Ovidium

Nec nisi finitâ per plurima vulnera vitâ. JOHNS.

265. Pecus hoc immane] Quia *pudeat quam informe fateri Vulpina specie.* Non est igitur cur σαθρὸν hunc versum esse declaret aliquis tenebrio, qui ex invisio illo cod. coecam conjecturam facit, *mutante juventa.* Imo in ipsa juventa foe-

Et primum expertos animi, quae gratia prima est,
In Venerem jungunt: tum sortis cura secundae,
Ne renuat species, aut quae detrectet honorem.
Sint celsi vultus, sint hirtae frontibus aures,

Os

VARIAE LECTIONES.

268. *Aut quae*] *Aut qua*. B.

NOTAE.

foetura exercenda est,

Dum superant vires, dum laeto flore juventus,

Aurelio astipulante. Sed ille insuper inepte ariolatur, intercidisse hic aliqua. Non potuit convenientius ad canum foeturam transgredi, quam ubi primum ipsos majores descripserat, ex quorum notis & specie proles agnoscitur, an bono pignore eorum virtutem referat. Hic sensus & ordo elegantissimae continuationis est. VLIT.

266. Prius expertos animi,] Animos & virtutes canum prius experiuntur, quam eos in Venerem jungant. *Expertos* κατ' ἐξοχὴν dixit. Ita Virgilius, Papinius, Vellejus, Suetonius, ut ad Ceirin notamus. BART.

266. Expertos] Virtutis spectatae canes. JOHNS.

267. Sortis] *Qualification*. JOHNS.

268. Ne renuat species] Ne forma inter se diffideant, aut inhonora illa sit. Quod statim dicebat, *Junge pares*. Ita modo *speciem* & *decores* in Britannico cane desideravit, & statim *vulpinam speciem*, pro vultu posuit. Varro canem pastoralem vult esse, *colore potissimum albo, quod in tenebris specie leonina*. Fuit tamen cum locum hunc ita refingerem:

Et primum expertos, anni quum gratia prima est,
In Venerem jungunt: tum fortis cura secundae
Ne renuat species, aut quae detrectet amorem.

Quae Aurelius pari ordine sequitur:

Principio tibi cura canum non segnis ab anno
Incipiat primo, &c.

Per *expertos* vero intellexit, *facilem cursu, facilemque recursu*. *Ne renuat specie*, hoc illi est:

Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum.

Nisi quod de foemina apud nostrum intelligere illa conveniat. Ita etiam *gratia prima anni*, non sit *cum Janus temporis auctor Pandit* annum, sed ipso vere, quod & Oppianus praecipit:

Εἴαρι μὲ πρώτιστα λέχος πίσυνοι κύνεσσι.

De quo latius ad Nemesiani illa. Hoc vero loco nihil temere mutandum tandem κύρια. VLIT. Lege.

Ne renuat species, aut ne detrectet honorem.

Curandum est, ut sint pari specie, & ne illa sit talis, quae omnem detrectet honorem & venustatem. Malo tamen, fateor, *praedetrectet*, quod propius veteri lectioni, & sensu elegantius. *Prae* solenne est in decompositis, *praedelasso, praeconsumo*. JOHNS.

268. Aut quae] Scribendum puto, *aut qua*. Ne species renuat honorem, aut aliqua parte detrectet. Canum porro descriptiones habes apud Nemesianum & Xenophontem, quas conferre cuivis facile. BART.

269. Sint celsi vultus,] Nunc canum formam & speciem, quae optima sit, paucis his versibus absolvit, quae aliis totam paginam facit. Quia nemo est, qui accurate haec examinavit, ego singula cum aliorum descriptionibus comparabo, ut appareat, an non etiam hae praecipua in parte palmam obtineat noster. Cum *celsos vultus* requirit, necessario & nervosa & levia capita esse sequitur. Si enim carnosa & gravia sint, pondere suo pronas terras spectare cogerentur. Contra *celsi vultus*, ut *Os hominis sublime*, & *Ardua frons* in equo, elatum animum prae se ferunt. Egregie itaque κεφαλὰς ἐλαφρὰς καὶ ἀρθρώδεις utriusque Xenophontis, & longiorem Pollucis super haec dilatationem, compendii fecit nusquam verbosus Vates. Hoc insuper complexus videtur, quod & τὰ μέτωπα πλατέα requirunt Xenophon major & Pollux. Nam certissimum id levitatis & agilitatis signum est, ut plerique equi Anglici, qui simum caput habent, elata fronte currunt, maxime cum de velocitate certant. Miror itaque quod alter Xenophon parum referre dicat γρυπαὶ ἢ σιμαὶ εἶεν, cum ille velocis canis formam describat, & Gratius etiam in bellicoso cane celsos vultus, & in villatico *faciem formosam* Varro, commendent, quorum virtutem potius, quam *speciem mentiturosque decores* considerari convenit. At in veloce, ut simitas caput le-

Os magnum, & patulis agitatos morsibus ignes

Spi-

N O T A E.

leve, ita levitas agilitatem arguit. Bene itaque addit: ἀλλ' αἱ βαρυκέφαλοι μάλα πανυοὶ. Ideoque Oppianus ποδῶν κοῦφον cani suo affingit, quem illi, quos leve tangit opus

——— τοιοῖσιν ἐλαφρίζοντι δρόμοισι,
Δίκτυες, ἠδ' ἰχνευτῆρες, ἀποπτῆσαι τε λαγωοῦ.

Hoc enim in antecessum moneo, generosum à Gratio hic delineari, sagacem à majore Xenophonte cap. v. & Polluce cap. x. sagaci-celerem, qualis Petronius canis, ab Oppiano lib. I. velocem sive Vertragum à juniore Xenophonte cap. IV. & v. uti vulgo, sed pessime, distinguuntur. Sed generosis accensendi sunt, ut supra dicebam, pastorum *canes defensores* & villatici, quos describunt M. Varro lib. II. cap. IX *ad formam artis expositam in novem partes*, & Columella lib. VII. cap XII. Hic quidem duplicem habet, pecuarium, qui propius ad generosos accedit, quia gregum defensor, & aliquanto velocior esse debet, quam villaticus, qui *plus cominus & in gradu, quam eminus & in spatioso cursu facere debet*, ideoque *capite tam magno* est, *ut corporis videatur pars maxima*. VLIT.

269. HIRTAE AURES,] Quales apparent in duobus illis ingentibus & jubatis fere canibus, quos ex veteri marmore repraesentavit Marlianus. Sed in Adonidis statua, de qua ad Nemesianum dicam, canis, qui ad latus eius est, curtas aures habet, ut hodie plerique villatici. In bellicosis enim magis oneri, quam usui sunt longae, aut pendulae aures. Causam non comminiscor itaque, cur pastoralem suum Varro *capitulus & auriculis magnis & flaccis*, & villaticum Columella *dejectis & propendentibus auribus* forment. Nisi hanc illis gratiam facimus, ut *facie formosi esse*, quod Varroni placet, appareant. *Plaudi*, Festo autore, *appellantur canes, quorum aures languidae sunt ac flaccidae, & latius patere videntur.* Tales hodie omnes fere sagaces sunt. Fortasse & olim. Sed quid Xenophonti & Polluci fiet, qui ὦτα λεπτὰ, καὶ μικρὰ, καὶ ψιλὰ ὄπισθεν, contra Gratium & omnem gratiam obtrudunt? Quid Polluci, qui inter vitia annumerat, δασεῖας τὰ ὦτα, hirtos auribus? Sed male ille τὰ ψιλὰ ὄπισθεν per universas aures propagavit. Nec μικρὰ ὦτα, scripsisse Xenophontem, aut Laconicos canes parvas adeo aures habuisse verisimile mihi fit. Nam παναιλίας, quos celebrat Callimachus Hymno in Dianam, Laconicos fuisse, & auritos significare, dubitari non potest. Nec diversi adeo generis sagaces olim fuisse, quam qui hodie sunt, auribus semper longis & flaccidis, ex veterum monumentis colligere est, in quibus tales auriti canes visuntur. Tum quomodo dici possunt ἐπικαθεῖσθαι τὰ ὦτα, quod tales canes agere observat Xenophon cap. VI si pendulae non sint aures? Quare scripsisse illum jamdudum mihi persuasi, τὰ ὦτα μακρὰ, λεπτὰ, ψιλὰ ὄπισθεν. Flaccidae enim aures & molles, & non hirtae plerumque sunt. Pollux autem & Oppianus corruptam Xenophonteae loci scripturam adeo secuti sunt, ut rem ipsam non attenderint. Sed minime excusandus est Oppianus, qui, cum in sagace suo velocitatem jungat, scire poterat longas aures remigii instar esse, ut cauda longa, quam merito laudat, pro gubernaculo habenda est. Quapropter & Xenophon cap. XIV cursum suum leporem auribus, non cauda, dirigere dicit: ἐπεὶ ἀδύνατον γὰρ τὸ σῶμα ἐχὴ ἰσχυρὰν ἡ οὐρὰ, διὰ τὸ βραχύτητα, ἀλλ' τῷ ὠτί ἑκατέρῳ τοῦτο ποιεῖ. Scire etiam potuit Britannicos Agassaeos auritos maxime fuisse, qui quantum remigio illo aurium proficiunt, quo capita sustenrant & dirigunt, tantum plus velocitatis acquirunt. Ut merito de illis dicas, quod de Lacedaemonio cane Nemesianus:

Cuique nimis molles fluitant in cursibus aures.

Ex quo versu colligas non parvas aures habuisse Laconicos, ut vulgo apud Xenophontem describuntur, & manifesti erroris Oppiani illa convincas:

——— ——— ——— βαιὰ δ' ὕπερθεν
Οὔατα λεπταλέοισιν ἀειρόμενα ὑμένεσσι.

Nisi quis λῖα δ' ὕπερθεν Οὔατα, ut ψιλὰ ὄπισθεν, quod idem fere est Xenophonti, scribi malit, aut βαιὰ pro levi & flaccido ex Aurelio interpretetur. Quod exemplo tamen caret. Nam βαιὰ expresse referunt μικρὰ ὦτα ut apud Xenophontem legisse videtur: & βαιὰ, μικρὰ, exponunt vetr. Grammatici. Nullo itaque modo hanc Oppiani negligentiam excusaveris, quantumvis alias magniloqui Vatis. Melius alter Xenophon cap. v. ὦτα δὲ μεγάλα εἶναι τοῖς κυσὶ, καὶ μαλακὰ, ὡς ὑπὸ μεγέθους καὶ μαλακότητος ἐπικεκλασμένα φαίνεσθαι. Quod Aurelius dixit: *molles fluitent in cursibus aures*. Hodie tamen in Vertrago, ut plerumque sunt inflexae, ita an magnae sint aures, parum attenditur: nec *flectant in cursu*, sed retroversum

ἀνα-

Spirent, adstricti succingant ilia ventres,
Cauda brevis, longumque latus, discretaque collo

Cae-

VARIAE LECTIONES.

271. *Ventris*] Id est, *ventres*, uti cit. Jul. Scaliger. VLIT. Olim, *ventris*, quod idem est. JOHNS.

NOTAE.

ἀνακεκλασμένας, ut ita loquar, non ἐπικεκλασμένας sive propendulae sunt. Hoc quoque videtur agnovisse ὁ δεῖνα cum addit: ἢ μήτοι ἀπὸ ἢ εἰ ἐρ-θῇ φαμεῖς, ἢ πτερυγ. Sed quod subjungit, εἰ μὴ μικρά τε εἴη ἢ σκληρὰ, hodierno usui pugnat, & correctioni meae in altero Xenophonte fidem Atticam astruit. VLIT.

269. HIRTAE AURES.] Apulejus lib. IV. Metam. *Nec secus canes etiam venaticos auritos illos & horricomes ad comprimendam bestiam cohortantur.* De lepore quod observavi, confirmat Aelianus lib. XIII. cap. XIV. de Animal. Vide & ad Nemesianum. VLIT. *in Add.*

270. OS MAGNUM,] Ut ex diducto & patulo rictu possis aestimare, quanto animo & morsu feras invasuri sint. Varro: *latratu gravi, hiatu magno. Dant etiam jus ex offibus, & ea ipsa offa contusa: dentes enim facit firmiores, & os magis patulum, propterea quod vehementius diducuntur malae; acrioresque fiunt, propter medullarum saporem.* Ita distinguenda haec, quae ex vulgari interpunctione ineptum sensum trahunt. Tantus rictus in bellicosis tantum requiritur. Quare alii omnes consulto hoc praeterierunt. Nam quod Oppianus dentatum os, καρχαρόδοντα στόμα sagaci attribuat, poëtice dictum est. Tum quod etiam ἐυπέδιον τετρῶσι στόμα producit, ad μέτωπα μεγάλα magis spectat, quam ad ipsum os. VLIT.

270. IGNES] Hyperbole Poëtica, qua fumus flammae proximus in oribus canum & equorum ignem invenit. BART. Ita Poëtae fere semper, cum animal depingerent animosum. Virg. G. 3 v 85. de equo.

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

& passim JOHNS.

271. ADSTRICTI] Eleganter hoc extulit Nemesianus.

——— *sit viribus altis,*
Sit rigidis multamque gerat sub pectore lato
Costarum sub fine, decenter prona, carinam,
Quae sensim rursus sicca se colligat alvo.

Et in eo libello multum Afri acuminis latet. BART.

271. ILIA VENTRES] Divine prorsus, tribus verbis extulit, quae copiose παρὰ ... Aurelius:

——— *multamque gerat sub pectore lato*
Costarum sub fine decenter prona carinam,
Quae sensim rursus sicca se colligat alvo.

Gratii mentem & verba ita exprimit Naso:

Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon.

Hoc est quod & in Villatico suo quaerit Varro: *à feminibus summis corpore suppresso.* Quam elegantiam non assequuntur Graeci. Xenophon: Πλευρὰς μὴ ἐπίπεδα βαθείας, ἀλλ' εἰς τὸ πλάγιον παρηκούσας. Pollux: αἱ πλευραὶ δ' ἔσωθεν συνεσταλμέναι, ἢ μὴ ὥς τὴν βαθυνομένας. Quae Nemesiano, & decoro contraria sunt, nisi τὸ μὴ expungatur, aut potius τὸ ἐπίπεδα ex Xenophonte interferatur, ut scripserit: ἢ μὴ ἐπίπεδα ὡς τὴν γῆν βαθυνομένας. Hoc verissimum mihi videtur. Non enim ubique terram versus profunda esse debent latera, sed carina illa *sensim siccâ rursus se colligat alvo.* quod noster: *astrictis succingant ilia ventres.* Hoc Oppiano est: πλευρὰ ἐπικάρσια τετρὰ. *laterumque obliqua carina.* Quod maxime in Vertragis apparet, qui latissimas circa pectus costas habent, alvum strictissimam. De hisce Xenophon minor cap. V. Λαγόνες ἁπαλαί, ... Quae ita verti: *Ventres soluti, coxendicem non coartatam, ilia concava.* Interpres enim nihil recti percipit, ut ex altero Xenophonte videre est, & latius eo loco exigam. VLIT.

272. CAUDA BREVIS,] Hoc quoque arguit bellicosum canem delineari à Gratio, aut fallentur in quo velocitas non requiritur: cujus generis etiam villaticus Columellae, *cauda brevi*, & Varronianus, *cauda crassa.* Sic in Bucolico illo medii aevi:

Cauda brevis, sed grossa nimis, villataque villis.

Cui vel melius fuerit ut tota truncetur, ut hodie fit; & ipse Columella, *catulorum caudas post diem XL. castrari*, docet. Secus vero, si cursus res agenda est. Tum enim commendatur

Στεγνὴν, ... πέλας ... ἠδὲ.

quem merito ad velocitatem sagacis diligendam

Caesaries, non pexa nimis, non frigoris illa

Im-

NOTAE.

requirit Oppianus. Ubi ridiculum est Viri docti commentum: *Melius Gratius: Cauda brevis. Magna namque cauda venaticis cursoribus oneri.* Quis adeo delirus est, ut hoc ei credat? Nam etiam in venaticis non cursoribus, οὐρὰς μακρὰς, ὀρθὰς Xenophon major (ne de altero dicam, qui λεπτὰς, μακρὰς Vertrago, ut omnes hodie venatores, attribuit) & σπουδαίας omnino requirit Pollux. Sed maxime in cursoribus longissima probatur cauda, quae gubernaculi instar est, & totum corpus dirigit. Xenophon de lepore c. XIV. οὐρὰν δ' οὐκ ἐπιτηδείαν ἔχει πρὸς δρόμον· ἀπευθύνειν γὰρ οὐχ ἱκανὴ τὸ σῶμα διὰ τὴν βραχύτητα. *Caudam vero ad currendum idoneam non habet, quia propter brevitatem totum corpus dirigere non potest.* Ideo in Vertrago scilicet caudas ὑγρὰς & ἀνακαμπεῖς requirit Xenophon minor; pro quo apud alterum scribitur λιγυρὰς, quod ego non capio. Corruptissimum locum ita restitue: οὐρὰς μακρὰς, ὀρθὰς, ὑγρὰς μηροῖς μὴ σκληράς. Quae nemo interpretum intellexit. Quid enim est οὐρὰ μηραία? Sed mendum hoc adeo antiquum, ut Pollucem quoque occupaverit, qui hinc similiter restituendus. Nisi λιγυραὶ dicantur caudae, quae dum hac illac in cursu jactantur, sibilum edunt: adeoque σειρῶαι & λεπταὶ sint. Gratius supra: *levi testatur gaudia cauda.* Quod tamen mihi non persuadeo. VLIT.

272. LONGUMQUE LATUS,] Columella: *Pecuarius canis, neque tam strigosus, aut pernix debet esse, quam qui damas, cervosque, & velocissima sectatur animalia, nec tam obesus & gravis, quam villae horreique custos, sed & robustus nihilominus, & aliquatenus promptus, & strenuus, quoniam & ad rixam, & ad pugnam, nec minus ad cursum comparatur, cum & lupi repellere insidias, & raptorem ferum consequi fugientem, praedamque excutere, atque auferre debeat. Quare status ejus longior productiorque ad hos casus magis habilis est, quam brevis, aut etiam quadratus, quoniam (ut dixi) nonnunquam necessitas exigit celeritate bestiam consectandam.* Eadem quippe ratio, cur in bellicoso *longum latus* poscat Gratius, quod proprium alias velocitatis signum. Μακρὰ πλευρὰ ideo Oppiano placet, & maxime in Vertrago Xenophonti: ἡ γὰρ οὐρὰ inquit, κατὰ τετμημένη εἰς αὐτὴν τε καὶ γυμνότητα εὕρῃς ἐν ἐπιλεγομένῳ ταχεῖς ἐπὶ πλευρᾷ κύνας, ὡς τὸ μῆκος καὶ τὴν πλατύτητα τὴν βραχύτητα, ἐς τὸ βραδὺ καὶ ὀξύ. Imo addit, quantumvis vitiosos canes, si modo longi sint, & veloces, & animosos esse. Hinc item *longos canes κατ' ἐξοχὴν* Vertragos hodie nostrates dicunt venatores. Potiorius hoc etiam apud Gratium locum habet, si in bellicosos ratio illa extendi potest. Τὴν ἀρμονίαν certe hinc in bove matre metitur Virgilius Georg. III. *Tum longo nullus lateri modus.* Et in equo Nemesianus: *Immodicumque latus.* VLIT.

272. DISCRETAQUE COLLO] Quae ab reliquis corporis pilis discerni possit. Vel quae à collo videatur remota. BART. Traducta haec locutio à comae comptu, quam in fronte olim, & nobis nuper plurimum discernere, moris erat. Ita canem suum pilos in collo discretos, & hinc illinc quasi demissos, habere vult Gratius. In villosis animalibus discretio illa tota tergora discriminat. Imo & Festo autore, *biseta porca dicitur, cujus à cervice setae bifariam dividuntur, cum iam esse in ipsi major sex mensium.* At in cane discretio pilorum ab interstitio oculorum per frontem & collum usque inter scapulas extenditur. Quare Xenophon in ipsa fronte ponere videtur τὰς διακρίσεις βαθείας. Ita certe ex verbis ejus collegit Pollux: τὸ μέτωπον πλατὺ, τὰς διακρίσεις ἐντελεῖς ἔχον. Noster vero in ipso *collo discretam caesariem* agnoscit, quod in pilosis tantum est, & qui collum longum ac rotundum habent. Ideo de collo amplius quicquam monere supervacaneum illi visum fuit. Nam longum ac rotundum id esse debere Xenophon uterque, Pollux, & Oppianus uno spiritu pronunciant. Sed Varro pastoralem suum *crassis cervicibus & collo* commendat. VLIT.

273. CAESARIES, NON PEXA NIMIS,] Non quae à reliqui corporis pilis discreta, ut tanquam de lana caprina somniat Barthius, sed de universo pilo canino intelligenda haec sunt. *Pexum* in vestibus villosum, sive multis floccis pectine aequatis obductum proprie significat, ut docuit ad Solinum omni laude major Salmasius. Nec aliter ego hic accipio *pexam caesariem.* Non villosos nimium, nec raros adeo pilos, ut frigoris injuriae pateant, sed medium quid requirit Gratius. Si enim *pexam* pro laevi & molli interpretere, pugnaret hoc cum aliis omnibus, qui tenues, ac molles pilos poscunt. Xenophon major c. VII. Εὔτριχες δὲ, ἐὰν ἔχωσι λεπτὴν καὶ πυκνὴν, καὶ μαλακὴν τὴν τρίχα. Et significantius alter

cap.

Impatiens: validis tum ſurgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit.
Effuge, qui lata pandit veſtigia planta,

Mol-

NOTAE.

cap. VI. καὶ ἡ θρὶξ, εἴτε ἂν τῶν δασέων ᾖ χιόνος, εἴτε τῶν ψιλῶν τύχοιεν αἱ κύνες, λεπτὴ ἔσω, καὶ πυκνὴ, καὶ μαλθακή. Sed Gratius hic *non nimis pexam* ſive πυκνὴν τὴν τρίχα, nec nimis ψιλὴν eſſe jubet, quia μηδὲν ἄγαν. Hoc ita moderatur major Xenophon eod. cap. ἐπὶ δὲ ταῖς μηριαίαις ἄκρας τρίχας ὀρθὰς, βαθείας, καὶ ἐπὶ ταῖς ὀσφύσι καὶ ἄκραις ταῖς οὐραῖς κάτω ἄνωθεν δὲ μετρίας. Et Columella *quadratum* ſuum ruſticum canem *cruribus hirtis*, *villeſque pectore* conſtituit, caetera, ut colligere eſt, minus villoſum. Idem de ove l. VII. cap. III. *Id pecus, quamvis ex omnibus animalibus veſtitiſſimum, frigoris tamen impatientiſſimum* Unde facile intelligere eſt, quae *caeſaries frigoris impatiens* hic dicatur. VLIT. Parvus error irrepſit in textum, ut mihi videtur, ſed non magni momenti. melius enim legitur:

Ceſaries non pexa nimis, NAM frigoris illa Impatiens. BRU.

273. Frigoris] Scilicet nivis & pruinarum in coma ſolitarum concreſcere. BART.

274. Impatiens: Quae non poteſt defendere frigus. JOHNS.

274. Validis ab armis,] Columella: *amplo villoſoque pectore, latis armis*. Gratius Xenophontea illa reſpexit: στήθη πλατέα, μὴ ἄσαρκα· ἀπὸ τῶν ὤμων, τὰς ὠμοπλάτας διεστώσας μικρόν. Pollux: στήθη εὔσαρκα, εὐρύτερα. αἱ δὲ ὠμοπλάται τῶν ὤμων μικρὸν ἀφεστηκυῖαι. Non videtur Xenophontem intellexiſſe, apud quem ſcapulae non ab humeris disjunguntur, ut perperam iſte credidit, quodque fieri non poteſt, ſed inter ſe diductae ſtatuuntur, adeoque totum pectus amplificant. Ita haec explicat alter: τὰς ὠμοπλάτας διεστώσας ἰσχυρὰς, καὶ μὴ ξυμπεπληγυίας, ἀλλ᾽ ὡς οἷόν τε λελυμένας ἀπ᾽ ἀλλήλων. Hinc Εὐρέες ὠμοπλάται Oppiano: quod inepte disjunctim edidit & interpretatur Ritterſhuſius, quaſi ὠμοπλάτῃ canibus ut epitheton attribuatur. VLIT.

275. Pectus quod magnos capiat motus,] Non potuit majore ſpiritu pectoris amplitudinem commendare ſummus Vates. Inferiora omnia ſunt, quae alii exaggerant, quorum nemo rationem addidit. Leviter eam attigit Xenophon περὶ ἱππικῆς in initio: καὶ μὴν στέρνα πλατύτερα ὄντα καὶ πρὸς κάλλος, καὶ πρὸς ἰσχὺν, καὶ πρὸς τὸ μὴ ἐπαλλὰξ, ἀλλὰ διὰ πολλοῦ τὰ σκέλη φέρειν, εὐφυέστερα. Ad velocitatem poſteriora haec maxime ſpectantur in equo. Sed quod obiter addit, καὶ πρὸς ἰσχὺν, hoc in cane noſtro primas tenet. Autor ſemiveteris bucolici, quod ſupra citavi, paſtorali cani attribuit, *Robuſtos renes, robuſtum pectus*, hoc eſt *amplum* ex Columella. Ita enim utrumque conjunxit Oppianus: καὶ στήθεα νέρθε κραταιὰ, Εὐρέα. Ideoque εὔσαρκα probant Xenophon & Pollux. Alter ſimpliciter, πλατέα ἀμείνω τῶν στενῶν. Melius ſane, quia lata pectora non laudantur propter κάλλος aut εὐσαρκίαν, ſed quia in tam laxo domicilio praelargiores pulmones, majoreſque animi habitant, qui ſpiritu ſuo non deſtituuntur, aut crebrius reſpirare cogantur, atque ita defatigentur. Hinc tralaticie Perſius Sat. I.

Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.

Nec aliter Sat. V. *ſinuoſum pectus* vocat, quam ex quo *centenas voces* ſimul eloquatur. Ea enim per totum illud exordium utitur metaphora. Quod mirum Virum maximum non advertiſſe, qui *ſinuoſum pectus* pro intimo exponit. *Sinuoſum pectus* merito etiam in cane noſtro dicas,

Quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit. Id eſt, quod neque anguſtiis ſuis extenuat, & praecludit ſpiritum, neque crebrius reſpirantem fatiget nimium. Sed quicquid excogito, non poſſum aſſequi tam auguſtam hanc ſummi Vatis mentem, quae ſtuporem magis, quam interpretationem admittit. VLIT. Quod, quantumvis magnos pulmonum anhelitus capiat, ſatis ſuperque tamen amplum ſit, nec laborantem deficiat. JOHNS.

275. Magnisque superſit.] Non defatigetur iis, aut affligatur. *Supereſſe rebus ſuis*, pro curam earum adminiſtrare poſſe. dicit Paulus JC. l. II. de Curator. Furioſ. & Ulpianus l. XII. de Tutor. & Curat. Moderationem ita magni motus intelligit Gratius. BART.

276. Vestigia] Imos pedes ſeu plantas hac voce innuunt ſcriptores. Claudianus de Baccho.

Q *Ebria*

Mollis in officio. ſiccis ego dura lacertis
Crura velim, & ſolidos haec in certamina calces.

Sed

NOTAE.

Ebria Maeoniis fulcit veſtigia thyrſis. BART.

276. Planta,] Contra laudant hoc Varro & Columella. Ille in paſtorali: *pedibus magnis & altis, qui ingredienti ei diſplodantur: digitis diſcretis: unguibus duris ac curvis: ſolo nec ut corneo, nec nimium duro, ſed ut fermentato ac molli.* Hic in villatico: *veſtigiorum articulis & unguibus ampliſſimis, qui Graece δρακαὶ appellantur.* Δρακαὶ, & δράκες expanſam palmam *diſcretis digitis* ſignificant. Heſychius: δράκος, τὸ πλάτος τῆς χειρός. Et paulopoſt: δράξ, δρᾶκα. Uſitatius eſt δράξ, pro *pugno*, ut Gloſſae exponitur. Sed quia diſtincte additur δράξ, ἡ τῆς χειρός, *pugnus*, non temere hinc colligas ad pedem alias quoque pertinere, ut hic apud Columellam δρακαὶ pro δράκες. Ita Heſychius quoque hanc vocem agnoſcit, quam alibi fruſtra quaeras. *Ploti appellantur, qui ſunt planis pedibus*, autore Feſto. Proprie *plauti, qui lata pandunt veſtigia planta*, id eſt, qui δρακὰς habent. At *plaudi canes* apud eundem ſunt, qui aures late patentes habent: ubi male quidam libri, *plauti*. *Plaudi* enim à plaudendo; at *plauti* à πλατὺς deducuntur, quod & vernacula noſtra in *plat-voet* ſervat. VLIT.

277. Mollis in officio] Ex Xenophontis cap. III. αἱ δὲ ἄποδες, οὐδ᾽ ἐὰν ὦσιν εὔψυχοι, τοὺς πόνους δύνανται ὑπέχειν, ἀλλ᾽ ἀπαγορεύουσι διὰ τὸ ἄλγος τῶν ποδῶν. Quibus opponuntur εὔποδες cap. VII. εὔποδες δὲ, ἐὰν μὴ καταρρηγνύωνται αὐτῶν οἱ πόδες τὰ ὄρη θεουσῶν. VLIT.

277. Siccis cruribus] Nemeſianus:

——— ——— *ſit cruribus altis,*
Sit rigidis ———

Idem *ſiccam alvum* pro tenui & gracili dixit. BART.

278. Dura crura] Σκέλη σκληρὰ Xenophonti, pro quo apud Pollucem minus proprie στερεὰ dicuntur: niſi pro ὑψηλὰ, quod alter Xenophon habet, ille poſuerit. Varro: *cruribus rectis, & potius varis, quam vatiis.* Columella: *cruribus craſſis & hirtis.* Hoc quidem quadrato ruſtico non invidemus. Illud vero, quod in defenſore ſuo *recta crura*, depoſcit Varro, etiam in venaticis ſuis probant uterque Xenophon & Pollux. Oppianus:

Ὀρθοτενῆ κώλων ταρσοὶ δολιχήρεες εἶεν.
Et recta, & longis extantia crura lacertis.

Poſterius hoc etiam Nemeſiano placet: *ſit cruribus altis, Sit rigidis.* *Rigidum* vero hic *ſiccos lacertos* refert. Sed de longis cruribus nihil Gratius, qui non ad curſum, ſed *ſolidos haec in certamina calces*, & ad magnum opus canem ſuum armat. Secus vero, qui velocitatem ad *leve opus* requitunt. Oppianum & Nemeſianum dico. Quare miror Xenophontem juniorem longa crura Vertrago non attribuiſſe, quae non ex verbis illius, ſed de ingenio ſuo appoſuit interpres. Ille autem ex altero priora crura poſterioribus breviora praefert. Unde & Oppianus: τοὶ πρόσθεν δέ τ᾽ ὀλιζοτέρω πόδε ἔστω. Quod in aſcendendo tantum uſum habet. Per aequalia autem longiora jugiter crura plus proficiunt. Ridicula itaque Graeculorum Lexicographorum ratio eſt, quam de thoum velocitate dant, quia βραχυσκελεῖς ſunt. VLIT.

278. Solidos calces] Πόδας στρογγύλους καὶ στιφροὺς uterque Xenophon & Pollux. Cui contrarius eſt Varronianus, *pedibus magnis, & altis, qui ingredienti ei diſplodantur.* Nam Pollux inter vitia poſuit, πόδας πεπταμένους. Qui incompacti ſunt, & *ingredienti diſploduntur*, id eſt, dilatantur. Unde ſcripſiſſe Varronem opinor: *pedibus magnis & latis.* Fronto conjecturae huic meae fidem aſtruit certiſſimam, cum Varronis verba ita vertit: πόδας μεγάλους, ἐν δὲ τῷ ἐπιβαίνειν πλατυνομένους. Nam *alti* pedes plerunque στιφροὶ & nervoſi ac *ſolidi* ſunt. At *lati* ſunt, qui *veſtigiorum articulos ampliſſimos* habent, ut Columella quoque eos vult. *Veſtigia* autem, & *ſola* Varroni, modo *plantas*, & nunc *calces* eleganter vocat Gratius. Haec cur *mollia* & *ut fermentata* velit Varro in tam ſolido cane, cauſam nullam comminiſcor. Imo alienam hanc ruſtico mollitiem ac moleſtam eſſe vel ruſticus videat. Quid ſi igitur ita opitulemur: *ſolo nec ut corneo ac nimium duro, ſed nec ut fermentato ac molli?* Ita modus etiam hac in re optimus ſervetur. VLIT. Quod recte apud Varronem emendarim, *pedibus magnis & latis*, liquet ex ipſo ejus interprete Frontone: πόδας μεγάλους, ἐν δὲ τῷ ἐπιβαίνειν πλατυνομένους. Legendum porro apud eundem; *ſolo nec ut corneo nec nimium duro.* Nam in MSS. eſt: *ſolone ut corneo ne nim. duro.* VLIT. *in Add.*

279. Sed

Sed frustra longus properat labor, abdita si non
Altas in latebras, unique inclusa marito
Foemina, nec patitur Veneris sub tempore magnos

Illa,

NOTAE.

279. Sed frustra] Frustra, ait, multum laboraveris nisi tempore canis catulientis, faemina inclusa uni marito adservetur. Nec multos vulgivaga Venere admittat mares, nec generis sui fastigia illibata non conservet posteris. BART.

279. Longus labor,] Educationis & Institutionis. BART.

280. Latebras] Vide Xenoph. Jun. c. 28. JOHNS.

280. Unique inclusa marito] Xenophon junior cap. XXVIII. *Κράτιστον δὲ καθεῖρξαι ἐν ταὐτῷ τὸν ἄρρενα ἅμα τῇ θηλείᾳ· αὐτὸν δὲ ἀφανῆ εἶναι ἅμα ταῖς κυσίν. αἱ γὰρ ἐν τῷ ἐμφανεῖ ὁμιλίαι οὐ γόνιμοι, εἰ χρὴ πιστεῦσαι ἐνδιαίτοις κυνηγετικοῖς.* *Optimum autem est marem cum foemina solum includi, nec conspici a quoquam dum cum foeminis rem habet. Nam coitus qui in propatulo fiunt, infoecundi sunt, si peritis venatoribus credendum.* VLIT.

281. Magnos] Multos. Vel *magnos* pro vulgarib. & ineptis dixit, ut eo verbo interior Latinitas uti solet. Ita Lucius hominem barbarum & incompositum laniorum magnis canibus aequiparat. Apud Varronem libro IV. de Lingua Lat.

Nequam & magnus homo es, laniorum immanis canes ut.

Plura de hac voce Casaubonus ad Athenaeum, Joannes Meursius Conjectaneis ad Plautum. BART. Non temere forte suspecta vox haec fuit Viro doctissimo, qui conjecit:

—— nec patitur Veneris sub tempore mores
Illa, neque immeritae servit fastigia laudis.

Nam quae Barthius adduxit, ut *magnos*, multos, aut vulgares interpretetur, neque coelum, neque terras tangunt. Sed donec meliora ex libris vetustis afferantur, ne temere quid mutemus, ego vulgatam simplicissimo sensu pati potero. Frustra laborari dicit Poëta, nisi canis foemina uni inclusa marito fuerit, eumque quantumvis magnum patiatur, ac admittat. Nemesianus hinc praecipit:

Huic parilem submitte marem sic omnia magnum.

Magni enim canes in suo quique genere praeferuntur. Xenophon canum formam, quae optima sit, descripturus ita orditur: *πρῶτον μὲν οὖν χρὴ εἶναι μεγάλας.* Quod erudite temperavit Pollux: *Ἀγαθαὶ δὲ τῶν κυνῶν ἐπὶ μὲν σώματος, μεγάλαι, μὴ δὲ ἀσύμμετροι, μὴ δὲ ἀνάρμοστοι.* *magni quidem, sed non immanes, non incompositi.* Quae latius exequitur alter Xenophon. cap. IV. Unde lucem capit versus Lucilii apud Varronem de L. L. lib. VI.

Nequam & magnus homo es, laniorum immanis canes ut.

Et vulgare paroemium: *μέγα βιβλίον, μέγα κακόν.* Quae omnia referenda sunt ad Platonicum, *μηδὲν ἄγαν.* Sed merito Gratius canem admissarium in bellicoso genere magnum requirit, cum totum illud genus *immane pectus* supra vocaverit, id est, magnum. Ut contra *magnum* pro immani & enormi posuit Lucilius. Ejusdem generis fere sunt villatici & defensores canes, quos *magnitudine ampla* Varro, & *amplissimi corporis* facit Columella. Imo vel veloci suo *Μυνδαίαις κρατερὸν δέμας, ἄγριον*, attribuit Oppianus. Similiter de Vertragis Xenophon: *καὶ μὴν καὶ αἱ μείζους, ἢν τὰ ἄλλα ὅμοιαι τύχωσι, κατ' αὐτὸ τὸ μέγεθος ἀφυέστεραι τῶν σμικρῶν.* Quibus potius tantum corpus impedimento esse quis credat. Sed ita compertum habent artis hujus periti, maximis corporibus, si non immodicis, maximos animos fere inesse, sive ad robur, ut maxime, sive ad sagacitatem, vel etiam ad velocitatem natura sua comparata sint. Nemesianus:

Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibusque leves gravibus praenoscere cursus.

Quod noster statim: *leves dedu et pondere fratres.* VLIT. Placet omnino Gronoviana conjectura, *patitur mores.* Sic Plinius eleganter lib. XXXVI. cap. XVI. *Quid ferri duritia pugnacius? sed cedit & patitur mores.* VLIT. in Add. *Mores.*

Illa, neque in meritae servit fastigia laudis.

Grotius. *Magnos* retinet Vlitius, & exposuit. Frustra laborari dicit Poeta, nisi canis foemina uni inclusa marito fuerit, cumque quantumvis magnum patiatur & admittat. At haec locum nullatenus dilucidiorem reddunt, cur enim magnos, si unum Gratius tantum voluit? nos levi mutatione defungemur hac difficultate. lege modo

Illa, neque emeritae servat fastigia laudis.
Primi complexus, dulcissima prima voluptas.
Hunc Veneri dedit impatiens natura furorem.
Si renuit cunctos, & mater adultera non est,

Da

VARIAE LECTIONES.

282. *Neque emeritae*] *Nec immerito.* G.
285. *Renuit*] A. Steyn. *tenuit.*

NOTAE.

——— *Nec patitur Veneris sub tempore moechos Illa,* ———
Ita sententia loci haec erit. Frustra laboratur si non foemina uni inclusa marito & non patitur (*i. e.* & renuit) in ipso coitûs tempore moechos (adulteros) & si non servat tanquam sacra, fastigia virtutis emeritae & spectatae. magis placeret, si *fastidia* legeretur. Ita elegans servabitur tenor & continuatio comparationis institutae, sed & confirmant hanc conjecturam sequentia. *Si renuit cunctos, & mater adultera non est.* JOHNS.

282. Neque immeritae] Suspicio est haec in mendo esse. Nam dicendum erat: *nec non immeritae laudis fastigia servat.* In Veteri Edito, *nec immerito.* Quo sane sensu tolerabilis est lectio. Nec patitur multos sub Veneris tempore, nec fastigia immeritae laudis servat. Hoc est, non nisi meritae. BART. Hinc Nemesianus catulos quoque vult, *emeritae laudes virtutis amare.* Sed in matre ea laus intelligenda est, qua tam dignum & magnum conjugem demeruerat, cujus primo complexu contenta esse debet, ut laudis suae fastigia & conjugii legem servet, aliosque omnes renuat minorum vulgo gentium maritos. Xenophon cap. xx. ἄγειν δὲ καθαπερὰ μείρακας, ἵνα θᾶττον ἐγκύμονες γίνωνται), τὰς κύνας ἀγαθάς. Ideo *primos complexus* laudat, eosque sufficere censet Gratius noster. VLIT.

283. Primi complexus,] Primam coitionem acerrimi Amoris genitricem esse ajunt, & litteris hoc testatus Auctor Epistolarum fictitiarum Cleopatrae, Sorani, & Antonii. Quas Goldastus edidit. BART. Ex Maronis Georg. iii. *ubi concubitus primos jam nota voluptas Sollicitat.* Sed in diversum sensum traducta. Apud illum *nota voluptas* est, quam noster statim vocat *impatientis naturae furorem.* Quae se invicem mutuo explicant. VLIT.

284. Impatiens] Indomita, effera in libidinem. De tali libidine Prudentius eleganter in Symmachum.
——— *interque salicta*
Et densas sepeis obscena cunibula inire,
Indomitum intendens animum, semperque paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Sic *indomitum Terea* Thracem vocat Attius. BART. Suae libidinis impatiens Natura hunc Veneri caninae dedit furorem. Impatientia, libido immoderata, at tu, cui haec placent, adi propere Gronov. Observ. l. 4 p. 396. JOHNS. Dudum perspexi hic latere errorem, qui grammatistas cruciavit; Johnsoni constructio videtur coacta & barbara, *hunc furorem* ait *impatiens natura dedit Veneri.* Sed cujus rei impatiens quaeso. nonne Veneris? Nam hoc certe pendet ab adjectivo, aliter non video quomodo possit constare sensus. Lego igitur,
Hunc VENERIS dedit IMPATIENS natura furorem.
Valerius Flaccus 3:673.
Jamque morae impatiens.
& 1:776.
——— ——— ——— *Ipse aeger, anhelans, Impatiensque loci.* BRU.

284. Furorem] Amor *furor* est. Eleganter Prodicus cupiditatem geminatam *amorem*, Amorem geminatum *furorem* dixit, apud Stobaeum Sermon. lxii. Et Menander scivit amorem hominibus *furorem* esse. Vide plura apud Alcinoum Dogmat. Platon. cap. xxiii. Maximum Tyrium sermone. viii. & x. Heliodorum lib. i. Aethiopic. Aristenaetum lib i. Epist. xvi. & xxii. Theocritum Bucolisco, Ergatinis, Cyclope. Chrysostomum de virginitate cap. lxiii. & c. ix. ubi eleganter Amorem φύσεως μανίαν appellat. Saepissime ita Graeci scriptoreis. BART.

285. Cunctos,] *Junctos*, Heinsius, male. JOHNS.

285. Adultera] Mire *matrem* pro gravida dixit.

Da requiem gravidae, ſolitoſque remitte labores.
Vix oneri ſuper illa ſuo. tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percenſere notis, jamque inde excernere parvos.
Signa dabunt ipſi. teneris vix artubus haeret

Ille

VARIAE LECTIONES.

286. *Solitoſque* —— *labores*] *Solitoque* —— *labore*. G. B.
290. *Ipſi*] P. *ipſae*. A. Steyn. *ipſe*. f. *ipſi*. VLIT.

NOTAE.

dixit. Nam cum gravida non eſt adultera, neque admittit alium inſcenſorem, dicere vult. BART.

286. Da requiem] Idem prorſus in equa obſervat Virgilius ibidem. Xenophon hoc moderatur, ut gravidae non quidem continuo, ſed modice ac intermiſſe tamen exerceantur. Rationem addit: ἵνα μὴ φιλοπονίαν διαφθείρωσι. *ne à laboris ſtudio deſueſcant.* Inepte enim interpres vertit: *ne nimio labore foetum perdant*: Quaſi ſcriptum fuerit ἵνα μὴ διὰ φιλοπονίαν φθείρωσι. Fefellit illum τὸ διαλείπειν quod non deſinere eſt, ſed τῷ ἐνδελεχῶς ἐξάγειν opponitur. Non indeſinenter, nec omnino deſinere, ſed intermiſſe eas venatum educi praecipit, ne à labore deſueſcant. Nec diverſa longe ratio eſt quam alter poſuit cap. XXVIII. ὁ γὰρ πόνος ἀγαθὸν εἰς ῥώμην ταῖς κυσίν. Sed hic indifferenter dixerat: μετὰ ταῦτα δὲ ἐξάγειν μὲν ἐπὶ θήραν, ἐφιέναι δὲ αὐτὰς λαγωῷ μηκέτι. Gravidas quidem venatum educendas, modo non in leporem. Ut contra Gratius *ſolitos remitti labores*, nullo excepto, jubet. Inter utrumque tenet ὁ πάνυ Xenophon, quod tutiſſimum eſt. VLIT.

286. Solitosque remitte] Vetus Liber,
—— —— *Solitoque remitte labore.*
Quod non eſt adſpernandum BART.

287. Oneri super illa suo.] Sic loquitur. v. CCLXXV. BART.

287 Super] Heinſius, *Par.* at Virgil. G. 3. verſ. 127.
—— *ne blando nequeant ſupereſſe labori.*
Ita Colum. *Roborandus largo cibo*, &c. *ut Veneri ſuperſit*. Sic itaque Gratius. Vix ſuperſtes erit oneri ſuo. JOHNS.

288. Indocilis] Venationis non capax. inutilis venationi futura. JOHNS.

288. Fatiget,] Eleganter Nemeſianus.

Sed, quamvis avidus, primos contemnere foetus
Malueris, mox non omnes nutrire minoreis.
Nam tibi ſi placitum populoſos paſcere foetus,
Jam macie tenues, ſuccique videbis inaneis,
Pugnanteſque diu quiſnam prior ubera lambat,
Diſtrahere invalidam, laſſato viſcere, matrem.

289. Percensere notis,] Harum notarum aliquas recenſet idem Nemeſianus. Inter quas iſta egregia eſt. Circulum igne faciunt, in ejus medium deponunt catulos, quorum indolem probaturi ſunt. Mater extra circulum flammis ambitum, cum periculum catulorum videt, per ignem graſſata, ut quiſque altioris eſt indolis, primum periculo eripit Ita ſuarum prolium ipſa honeſtum examen facit. BART.

289. Excernere] Non vulgaris uſus hic hujus verbi. Uſurpavit hoc modo aliquoties Columella. BART. Varro: *In nutricatu ad ſecundum partum, ſi plures ſunt, ſtatim eligere oportet, quos habere velis; reliquos abjicere. Quam pauciſſimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt, propter copiam lactis.* Ita ſcribendum eſſe, apud Nemeſianum oſtendam. Hic autem de electione optimi agitur. *Parvos*, pro catulis poſuit, quos mox *minores* quoque vocat. VLIT.

290. Signa dabunt ipsae.] Ipſae matres. Quae illa ſigna ſint, egregie canit Aurelius noſter: *dabit mater partus examine honeſtos Judicio natos ſervans.* & paulo poſt:
—— *ſic conſcia mater*
Segregat egregiam ſobolem virtutis amore.
Videtur tamen ſcribendum: *ſigna dabunt ipſi*: nimirum, quos proxime vocavit, *parvi*, ſive catuli. Quod & ſequentia probant, in quibus ſigna, quae ipſi dant, exequitur. VLIT.

290. Teneris vix ossibus haeret] Moles enim inconcinna & inepta curſui, nec habilis ſagacitati. Ut inter homines etiam corpora illa

Ille tuos olim non defecturus honores:
Jamque illum impatiens aequae vehementia fortis
Extulit: affectat materna regna sub alvo.
Ubera tota tenet, à tergo liber aperto,

Dum

VARIAE LECTIONES.

291. *Tuos*] *Suos* G. B.
294. *Ubera*] *Libera tota tenet* * *ea* * *tergo.* A. St. P. *eat ergo.* P. Conjecit *stat tergo.* Gronov.

NOTAE.

obesa indicia stupidorum plerumque ingeniorum. Et Nemesianus pondere catulos examinare mandat. Quem vide. BART. Incompactis & ἀσυμμέτροις prorsus membris optimae ipsi catuli plerunque sunt. Unde de magnitudine eorum facilis praesumptio est. Enormia autem illa membra, & *crura natantia*, ut cum Aurelio loquar, paulatim, ut valida esse incipiunt, ita simul aptiore compage adulti corporis normam sequuntur. Sin minus, pessimae notae illi futuri sunt, qui τὴν ἀσυμμετρίαν adulti servant. Xenophon minor cap. IV. φαῦλαι δὲ τῶν μεγάλων, ὅσαι τὰ μέλη ἀπαγεῖς καὶ ἀξυμμέτρως· αἱ δὲ φαυλότεραι ἂν εἶεν οὕτω γε ἔχουσαι τῶν σμικρῶν, εἰ τὰ ἄλλα κατὰ ἴσα πρόσεστιν αὐταῖς. Quia membra incomposita, quanto majora sunt, eo majus impedimentum afferunt. Contra in minoribus minus hoc vitii habet. *Teneri* itaque artus sunt qui soluti & quasi luxati sunt. Haec ideo explicanda erant, ne quis Barthio assentiatur, qui locum hunc, quem exponere tentat, ne inspexisse quidem videtur. Nam ipsa verba quoque male citavit: *vix ossibus haeret*] moles enim, ait, inconcinna & inepta cursui, nec habilis sagacitati. Non reprehendit hic inconcinnam molem, sed laudat potius in catulo Gratius. Nec magnum corpus usquam vituperavit: nec quid adulto ad cursum vel sagacitatem conveniat, sed quid in catulis excernendis spectandum sit exequitur hoc quidem loco. VLIT.

291. Tuos] In veteri libro, *suos.* quod ego praeferendum puto. Non defecturus munia ad quae illum applicaturus es. Scite vero *honores* ut in Republ. dicit, cum gradus sint officiorum inter canes. BART.

291. Defecturus] *i. e.* desertturus. Ovid. Met. 2. v. 382. de Sole:

——— *qualis cum deficit orbem,*
Esse solet.

Amor. l. 1. Eleg. 8. v. 93.

Cum te deficient poscendi munera causae.

ubi plura. Vide quoque Gronov. ad Epist. Senecae 30. JOHNS.

293 Affectat materna regna sub alvo] Maturam ostentionem indolis loquitur, qui ad ipsa ubera dominari caeteris cupiat. Et hoc de hominib traductum. Ovidius.

Ingenium coeleste suis velocius annis
Crescit, & ignavae fert male damna morae.

Sic de praecocibus ingeniis ante diem functis Solomon Sapient. IV.

Τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνους μακρούς.

Alia notavimus ad Claudianum. III. Consul. H. BART.

294. Ubera tota tenet * ea tergo] Nihil opus est illa exsecrabili nota asterisci. Lege.

Ubera tota tenet, à tergo liber aperto

Et ita, ne quid alienae opis mihi arrogem, diserte liber vetus, sine suspicione ulla mendi. Ait ergo eum non pati quemquam tergum suum insilire, aut premere sese ex fratribus. Sciolos in asterisci appingendi facinus adegit literae *T.* usus pro longa, qui Gratii reducti aevo paucis notus erat. Possem appingere mille ex Antiquitate exempla, non pauca etiam ignorata hac usurpatione corrupta, nisi ea Analectorum Poëticorum Commentario jam inseruissem. Notat vero *T.* non raro longam poni Capella, ut observavit Politianus. Aliam distinctionem adfert Valerius Probus lib. 1. Institut. Grammat. Quae tamen usu eliditur. vide & Faërni notas ad Terentium. Viri docti qui Poëmata & Epigrammata edidit, *eat ergo liber aperto.* locum habere non potest. Id quod cuivis in promtu di-

spi-

Dum tepida indulget terris clementia mundi.
Verum ubi Caurino perſtrinxit frigore veſper
Ira jacet, turbaque potens operitur inerti.
Illius è manibus vires ſit cura futuras
Perpenſare: leveis deducet pondere fratres:

Nec

VARIAE LECTIONES.

297. *Ira jacet*,] Olim, *ire placet*. nullo ſenſu. JOHNS. *Operitur*] *Aperitur* G.
299. *Leveis*] Olim *levis*. O. lib.

NOTAE.

ſpicere, qui verſum 297. conſiderare voluerit. Nam ſi primo frigore ire placet, quo pacto vere jam apertis ſpaciis exeat? BART. Logi editio. *Libera tota tenet ea*. Pithoeana. *Ubera tota tenet ea tergo*, unde Pithoeus. *eat ergo*. Gronovius conjecit *ſtat tergo liber aperto*. quid ſi *Ubera tota tenet ſua, tergo liber aperto*. JOHNS.

295. TEPIDA] Non dubito ver circumloqui. *Egelidum*, illum paris potentiae verbo vocarunt Columella & Catullus. BART.

295. MUNDI] Solis. Nam & Manilius *Mundum* pro ſole uſurpavit, cum Heſiodum interpretaretur, ut ad Ceirin Virgilii notavimus. BART.

297. IRA JACET,] Inepte vulgo legitur: *Ire placet*. Nihil nobis rei eſt cum ſatellitibus à latere, quos catulo quaſi curiam adituro circumfundit interpres. Ego non dubito bonae frugis eſſe lectionem, quam dedi *Ira iacet*, cum *impatiens aequae vehementia ſortis* frigeſcit. Perſentiunt enim citius ac minus tolerant frigus teneri, qui meliores, catuli. Non aliter quam tremor ille membrorum laudatur in equo. Ideoque patitur turbâ inerti operiri, ac tegi, ut à frigore defendatur. VLIT.

297. TURBAQUE POTENS OPERITUR] In vet. libro, *aperitur*. hoc eſt, clareſcit inter ſequiores generoſior. Sed eruditior interpretatio in altera ſcriptura, *operitur*, hoc eſt, ab omni latere cingentibus minoris ſpiritus catulus ille qui indole potentior eſt, medius vadit, caeteris latera ejus tegentibus. Et hoc à more Imperatorum aut Principum, qui medio loco inter minus generoſos incedunt. Lucanus.

Et celſus medio conſpectus in agmine Caeſar.

Alia exempla apud Appianum Parthico & Civilium II. alioſque omnis generis ſcriptoreis. Non abludit ab hac Gratii phraſi *Operire latus alicui*, quam enarravit magnus Turnebus libro. XIV. c. XXIV. *Caurinum* porro *frigus* à veſpere dicit, quia id ſpirantis inde venti nomen. Vide Gellium lib. II. Apul. de Mundo. BART.

297. INERTI.] Ἀτεχνὴς, & venationi inepta. JOHNS.

298 MANIBUS] Nec *manus* hic catulis attribuuntur, quum ſint hominis pondus catulorum exigentis: nec *deducet*, eſt ipſe levior fratres deſcendere coget, quum graviores magis probentur, nec *deducere* eſt vincere citra reſpectum librae, nam de *manibus* loquitur, ut de lancibus librae nimirum *deducere* Gratio, ut *deprimere* Ciceroni id dicitur in librâ, quod gravitate vincit. L. 5. de finibus. *Terram, mihi crede, ea Lanx & maria deprimet*. Demoſth. de Pace: Ὅταν δ' ἐπὶ θάτερα, ὥσπερ εἰς τρυτάνην, ἀργύριον προστεθῇ, οἴχεται φέρον καὶ καθείλκυσε τὸν λογισμὸν ἐφ' αὑτό. Gronov. JOHNS

299. DEDUCIT] Cum levitate ſua ipſe adſcendat, fratres pondere deſcendere cogit. Loquitur tamquam catuli in libra appenſi eſſent. Par ſentit Nemeſianus, leviorem nimirum catulum generoſiorem eſſe BART.

299. LEVIS DEDUCET PONDERE FRATRES:] Ita ſcribendum eſt. i. *leves*. Quo ſenſu imitatur haec Nemeſianus:

Corporibuſque leves gravibus praenoſcere curſus.

Graviores itaque praeſtant, qui fratres ſuos *pondere deducunt*, id eſt, vincunt. Non quia in libra quaſi appendantur, ſed *è manibus*. Neſcio itaque cur *manus* catulo attribui velit Vir doctus in Indice ſuo ad Curtium, cum promptior ſenſus ad manum ſit. VLIT. Pſalmo LXII. 10. *Ita vani hominum filii ſunt, ut omnes ſimul elevarentur in libra contra* [ipſam appenſi] *vanitatem*. VLIT. *in Add.*

300. Pr-

Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.
Protinus & cultus alios & debita foetae
Blandimenta feres, curaque fequêre merentem:
Illa perinde fuos, ut erit delata, minores;

Ac

VARIAE LECTIONES.

303. *Ut erit delata*,] Sic Parif. Lugd. Vlitian. *delacta*. A. Steyn.

NOTAE.

300. PIGNORIBUS,] Notis illis & documentis, quae *pignora* vocat futurae utilitatis. In veteri libro luxatus hic ordo carminum eſt. Nam hic verfus mediis duobus fequentibus interjectus loco non fuo vifitur. BART.

301. PROTINUS] Ab examine fobolis, quod interjecit, redit ad foetae curationem. BART.

301. FOETAE] Latini *foetam* dicant, & gravidam & partu liberatam. ut recte Servius ad primam Aeneida. Hinc *foetus* & conceptus & partus. JOHNS.

302. BLANDIMENTA] Quae de matris cura hic praefcribit Gratius, ipfi proli eadem praeftari vult Varro lib. II de R. R. cap. II. *Cum depulfi funt agni à matribus, diligentia adhibenda eſt, ne defiderio lactis fenefcant. Itaque deliniendum in nutricatu pabuli bonitate: & à frigore & aeftu ne quid laborent curandum. Cum oblivione jam lactis non defiderant matrem, tum denique compellendum in gregem ovium.* VLIT.

303. ILLA] Cura videlicet gravidae. ut cura illi foetae erit delata, ita fuos minorcis faciet valenteis atque operi venatico commodos. Si verum fatendum, non negavero vocem *delata* valde mihi fufpectam effe, editio vetus nihil immutat. Nec nos audemus. Et videtur τὸ *illa* ad *Matrem*, *delata* vero ad *curae* vocabulum referri oportere. Stilus quidem Gratii hinc non abludit, qui phrafibus fcatet minime vulgaribus. BART.

303. UT ERIT DELATA,] Ita vulgatam, quae fenfu prorfus carebat, levi diftinctione ad aliquem faltem fenfum accommodavi. *Illa*, nimirum mater, *perinde* ac tu illam cura fequere, minores fuos quoque profequetur. *Ut erit delata*, id eſt, cum ad catulos fuos deferetur, quia interdiu fere femoventur catuli, ne diftrahant *invalidam laſſato vifcere matrem*, ut Aurelius loquitur. Vel, *ut erunt delata*, blandimenta illa. Sed nequid diffimulem, non placet mihi tam concifa & obfcura βραχυλογία. Primae editiones ex Romano illo antiquiff. cod. conftanter repraefentant: *fuos ut erit delacta minores.* Quod arguit primum editorem non potuiffe veram fcripturam affequi, ideoque ipfa MS. Cod. veftigia propofuiffe. Unde Pythoeus fecit: *fuos, ut erit delata, minores, Ac longam*, &c. Sed ego veram lectionem dudum eſt elicui:

Illa perinde fuos, uteri de lacte, minores,
Ac longam praeftabit opem.

Ut fit σύγχυσις, quâ aliquoties uti Gratium oftendi. *Illa perinde minores fuos cura profequetur, ac uteri de lacte longam praeftabit opem.* Sed quia & haec abftrufam fatis fententiam formant, fuit, dum capillo promiffo ariolari occiperem, ut ita quoque refingerem aliquando:

Illa petendo fuos, ut erit dilata, minores
Ad longam perftabit opem.

Quod fit cum à catulis fuis venatum abducitur, ut frangat induftria matrem. Sunt enim qui hoc faciunt, ne lactatione nimia virtutem ftudiumque mutent. Xenophon junior cap. XXX. Τεκούσαις δὲ εἰ μὲν ἔτι θέλοις ἐπαναλαβεῖν τὴν αὖθις ὠκύτητα, μὴ ἐᾷν ἐκτρέφειν αὐτὴν, ὅτι μὴ ἐς ὅσον ἀποκουφίζεσθαι τὸ πολὺ τοῦ γάλακτος: *Si foetam priftinae fuae velocitati reddi cupias, enutrire catulos fuos ne finveris, nifi quatenus nimio lactis levanda eſt.* Non poteſt tamen ita differri, quin ejulatu fuo ad opem hanc catulis fuis praeftandam admitti efflagitet, ac aliquamdiu perftet, donec longa induftria defueta operi huic fuo renunciet. Semota interim matre catuli alienae nutrici fubjiciuntur, non tamen è vulgo petitae, ne degenerem fuccum aut fpiritum trahant: fed ταῖς ἐπιλεγομέναις τιθηναῖς, ut praecipit ibidem Xenophon. Imo Oppianus à cerva, vel leaena, aut lupa lactari catulos docet, addita ratione:

Ὧδε γὰρ ἂν κρατερῇσι, καὶ ὠκίαις ἔξοχα θήρσι,
Εἰδόμενοι αὐτῇσι γαλακτοφόροισι τιθήναις.
Curfibus ut fimiles nutricum & robore fiant.

Con-

Ac longam praestabit opem. tum denique foetû
Cum desunt, operis fregitque industria matres,

Trans-

VARIAE LECTIONES.

304. *Foetu*] A. Steyn. bene. dativus. sequitur *desunt*. alii, *foetae*.
305. *Fregitque* —— *matres*,] *Frigetque* —— *matrum*. G. B.

NOTAE.

Contra major Xenophon cap. xx. matri suae relinquendos esse censet: αἱ γὰρ θεραπεῖαι αἱ ἀλλότριαι οὐκ εἰσὶν αὔξιμοι· τὸ δὲ τῶν μητέρων καὶ τὸ γάλα ἀγαθὸν, καὶ τὸ πνεῦμα. Quae cum distinctione aliqua probavit quoque alter, post illa quae modo adduxi. Columella: *Nec unquam eos, quorum generosam volumus indolem conservare, patiemur alienae nutricis uberibus educari, quoniam semper & lac & spiritus maternus longe magis ingenii, atque incrementa corporis auget. Quod si effoeta lacte deficitur, caprinum maxime convenies praeberi catulis, donec fiant mensium quatuor.* A qua sententia nec Gratium abhorruisse, sequentia evincunt. Quocirca potius est ut secundam conjecturam, ex qua hoc quoque percipiatur, hoc loco teneamus: *uteri de lacte*. VLIT. Ed. Log. *delacta*. Pithoeana, *delata* Vlitius εὕρηκα exclamat, atque ita locum legendum jubet.

Illa perinde suos, uteri de lacte, minores,
Ac longam praestabit opem ——

ut fit σύγχυσις. Illa perinde suos curâ prosequetur, ac uteri de lacte longam praestabit opem. Nec tamen inventis contentus refingit.

Illa petendo suos, ut erit dilata, minores
Ad longam perstabit opem

Non fluctuat animus in veris, obfirmatur, acquiescit. forte legendum.

Illa perinde suo nutrit de lacte minores,

Vel,

Illa perinde suo saturat de lacte ——

Cui Lectioni Longobardica Scriptura unice favet. V. Mabillon. Lib. 5. de re Diplomaticâ. Tab. V. JOHNS.

303. Minores;] Ab hominibus traductum. *Minores* pro junioribus. Ovidius.

Utque ego majores sic me coluere minores.

Sic Virgilius de apibus Georgico. IV. Nemesianus pariter de catulis.

—— *primas contemnere foetas*
Malueris, mox non omneis nutrire minores.

Sic *junior* aliquando absolute pro aetate minori usurpatur. Ut apud Senecam lib. III. Nat. Quaest. c. I. Ut *minoris* voce usus Juvenalis.

—— *obscoeno facies metuenda minori.* BART.

304. Tum denique foetae] Distinguendum,
—— *tum denique, foetae*
Cum desunt operi fregitque industria matres.

Sed omnino vera est lectio quam praefert. v. c. *frigetque industria matrum.* Quae longe sententiae concinnior, & phrasi etiam venustior. Mirum cur mutarint hoc, utique in primo exemplari inventum, correctores. Nam industriam matres frangere, utique foetas, durum dictu. Et contra sententiam vatis, qui gravidas molliter curari, nec suetis laboribus frangi monet. Sed cum accuratiusista perpendimus, sententiam Poëtae esse videmus de matribus senio & labore jam confectis. Itaque & vulgata lectio non est adspernanda. BART. Ita (*Foetû*) Logi Ed. pro *Foetai*. quam lectionem alteri nempe *foetae* (quia modo praecesserat) anteponere non dubitavi. haec Verba sic Vlitius exponit. Cum foetae desunt operi, *i. e.* nutritioni, & industria vicit naturalem matrum affectum. *Mater* enim pro amore materno. Mihi tamen ejusmodi videtur esse sententia. Cum matres suo desunt foetui, nec ultra lac praebere valent, & operis illius, nimirum nutriendi, labor debilitavit omnino vires ——

Operis malo cum Vlitio. olim *operi*. quam lectionem immutatio τοῦ *foetû* in *foetae* dedit illis, quibus casus aliquis deesse videbatur post *desunt* JOHNS.

305. Cum desunt operi,] Id est, nutritioni. Tum denique, cum nutritioni, quod proprium matris opus est, supersedebunt, & aliud agendo desuefecerint, in ipsos *catulos* à matre *relictos curam transfire* praecipit Gratius, ex Maronis illo Georg. III.

Post partum cura in vitulos traducitur omnis.

Utitur noster aliquoties *operis* voce, pro quovis actu, ut alibi annotavi. Imo pro quovis motu validiore, etiam inanimatis rebus *opus* suum adscribitur. Cornelius Severus de Aetna:

Transeat in catulos omnis tutela relictos.
Lacte novam pubem, facilique tuebere maza:

Nec

NOTAE.

Hinc spissae rupes obstant, discordiaque ingens
Inter opus uectit varias, mediasque coërcet.

Id est, prout ignis se agitaverit, nunc varias rupes motu suo connectere, modo medias spissim obstantes coërcere, ac supprimere. Sequitur enim:

Pars igni indomitae, pars ignes ferre coactae.

Rupes aliae igni indomitae, nimirum quae spissae obstant, aliae, quas ignis coërcet, illum ferre coguntur. Hoc illud *opus* est, quod *artificem*, cui *divina rerum cura* est, *incendit*. Additur statim:

—— —— res ipsae credere cogunt;
Quin etiam tactu moneant contingere toto,
Si liceat. Prohibent flammae (custodiaque igni
Illi operum est) arcentque aditu, divinaque rerum
Cura sine arbitrio est.

Ita fere scribendus hic operosissimus, & nulla hactenus magnorum Virorum opera intellectus ulli locus, qui nunc sua ista sibi luce clarius, quam olim cum sudum est, lucet. Sed ego ad *opus* meum à παρέργῳ hoc jam redeo. Ita enim venationem saepissime vocat noster, ut alibi observavimus. Unde & hic conjiciebam olim:

—— tum denique foetae
Cum desunt, operis fregitque industria matres.

Id esset, venationis studium, cui dum intentae sunt, catulos suos citius deserunt, atque ita cum φιλοτεκνία ubera pereunt. Duplicem itaque ob causam foetae venatum educuntur. Prima, quam de gravida exercenda reddit Xenophon, ἵνα μὴ φιλοπονίαν διαφθείρωσι. Altera, ut citius ubera siccentur, & ita ad munia sua ac pristinam virtutem redeant. Hanc consideravit alter Xenophon cum in iis quae ex cap. XXX. adduxi, tum in sequenti, ubi foetae lacte graves cavet ne in leporem immitantur, aut valide nimis exerceantur, ne ilia rumpantur. Hoc sane venatoris industriae videtur attribuisse Gratius, quamvis nihil mutemus, ut satius est. VLIT.

305. FREGITQUE INDUSTRIA] *Frangere matrem* hic est, naturalem affectum, quem in prolem habent matres, vincere, ac tandem abolere. Ita *fractae claustris ferae*, quibus diuturna captivitas omnem feritatem exuit. Plinius Caecilius in Panegyrico versus finem: *Usurpabant gloriam istam* (Venationis scilicet) *illi quoque principes, qui obire non poterant: usurpabant autem ut domitas fractasque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas, mentita sagacitate colligerent.* Ita restituo ex melioribus libris. Vulgo ineptissime in omnibus editionibus legitur: *fractisque claustris.* *Industria* haec venatoris est, ut nec repente, sed paulatim hanc oblivionem catulis simul & matri inducat. Hanc pastori quoque praescripsit Varro: *Duobus mensibus primis à partu non disjunguntur à matre catuli, sed minutatim desuefiunt.* VLIT. Cicero ita frequenter, lib. II. Epist. I. ad Att. *Fregi hominem, & inconstantiam reprehendi.* Et alibi, *hominis audaciam, furorem frangere.* Ovidius Met. VIII. de Althaea:

Nunc animum pietas maternaque nomina frangunt.

Cyprianus lib. II. Epist. II. de eviratis item: *Quisquis virum in foeminam magis fregerit.* Placet autem omnino vetus conjectura: *operis fregitque industria matres.* Ut *opus* sit venatio: ut modo *leve opus*, pro cursoria, *magnum opus*, pro bellica; & mox, *Ergo in opus vigila.* Sic Horatius venationem vocat ἀνδρεγετικῶς, *Romanis solenne viris opus.* Sic Ovidius Met. III. de Actaeone venante: *Participemus opus*, & mox: *Propositum repetemus opus.* Iterumque: *sistite opus praesens.* VLIT. *in Add.*

305. MATRES,] Τὴν φιλοτεκνίαν. Ovidius Metamoph. VIII.

—— pugnat materque sororque
Et diversa trahunt unum duo nomina corpus.

Ἡ φιλοτεκνία καὶ φιλαδελφία Althaeae modo filium suum modo fratrum funus objectat. Hinc lucem capit Germanicus Caesar in Phaenom.

Sidere donavit cancrum Saturnia Juno
Nunquam oblita sui, nunquam secura novercae.

Quod ita παραφράζει Avienus alibi:

—— novercales ut semper proderet iras. VLIT.

307. LACTE NOVAM PUBEM] Geoponic. lib. XIX. c. I. *panes catulis poni jubentur bubulo lacte madefacti, non enim sufficere matres plerumque copiae catulorum alendae.* BART. Sequitur Xenophontaea illa: ἐπειδὰν δ' ἤδη πλανᾶται τὰ σκυλάκια, διδόναι γάλα μέχρι ἐνιαυτοῦ, καὶ οἷς μέλλει τὸν ἅπαντα χρόνον βιοτεύσειν. *Mazam* hinc accepit quoque noster: quem sequitur, sed granditis passibus, Nemesianus vers. CLIX. & sequ. apud quem latius de lacte, quo nutriendi sunt catuli, dicemus. VLIT.

307. FA-

Nec luxus alios avidaeque impendia vitae
Noſcant. haec magno redit indulgentia damno.
Nec mirum: humanos, non eſt magis altera ſenſus.

Tol-

VARIAE LECTIONES.

310. *Non eſt magis*] *Non & m.* Vlit. *Non eſt magis alt. ſenſus : Tollit ſe ratio* , &c. ſic vulgo omn. Edd. Vide Comm. VLIT.

N O T A E.

307. Facilique] Parabili, avidae enim impendia vitae omnino vitanda. JOHNS.

307. Maza :] Pane ſubacto. Varro : *nec non ita panem ordeaceum dandum , ut non potius eum in lacte des intritum.* Quod per totam vitam , ut Xenophon videtur intellexiſſe , iis cibarium eſt. Ut & Columella , *omnes ſine diſcrimine canes ordeacea farina cum ſero commode paſcit. Sin autem ſurculo conſitus ager ſine paſcuo eſt , farreo vel triticeo pane ſatiandi ſunt , admiſto tamen liquore coctae fabae , ſed tepide.* Haec maza eſt , ſive lacte, ſive aqua ſubacta. Hanc Nemeſianus *Cererem cum lacte* vocat , ſed catulis *interdum* , non ſemper , praeberi vult , *tenueſque magis retinere cibatus.* Gratius vero Xenophontem exprimit: *καὶ οἷς μέλλει τὸν ἅπαντα χρόνον βιώσεσθαι.* Ut totius haec *impendia vitae* jam catuli noſcere incipiant. Calpurnius Ecl. II.

Et gregibus portare novis , ut carpere frondes
Condiſcant , primoque recidere gramina morſu.

Ita emendavi in editione mea. *Novi greges* ſunt agni , qui frondes carpere diſcunt , ne depulſi à matribus aliquando *lactis deſiderio ſeneſcant* , uti loquitur Varro. Ideo & hic noſter mazam praeberi catulis jubet. Quos alii lacte contentos eſſe volunt. Nam alter quoque Xenophon ex majore videtur percepiſſe ; *ὅτι χρὴ γάλακτι διατρέφειν τὰ σκυλάκια* , quaſi nihil praeter lac illis aſſignaſſet. Sed melius noſter per illa, *οἷς μέλλει τὸν ἅπαντα χρόνον βιώσεσθαι* , mazam intellexit. VLIT.

508. Nec luxus alios] Subjungit Xenophon : *ἄλλο δὲ μηδέν.* Quae verbotenus ſequutus eſt Gratius. Pollux neſcio unde novum praeceptum addidit : *ἀλλὰ μετὰ τοῦτο τὸ τῶν ἁλισκομένων αἷμα δεῖ προσφέρειν τοῖς σκύλαξιν, ἵνα προσεθίζοιντο τῇ κυνηγετικῇ τροφῇ.* Μετὰ τοῦτο , puta τὸ ἐκ τῶν μητρῶν γάλα , quod male ex margine in textum quorundam codd. irrepſit. Unde etiam eſt quod vulgo τὸ μετὰ paulo ante perperam inculcatum ſit. Scribendum eſt : *Τροφὴ μὲν δὴ τοῖς σκύλαξι τὸ ἐκ τῶν μητέρων γάλα.* Poſt hoc ſecundo loco ferinum ſanguinem commendat Pollux. Unde hoc hauſerit , an de ſuo addiderit , incertum mihi eſt. Illud certum Gratii praecepto adverſari , qui talia *avidae impendia vitae* à catulis amolitur. Quare potius inter praemia , quae diſcentibus poſt captam feram ex ipſa praeda conceduntur , accenſenda eſt ferini ſanguinis libatio. Quo Senecae illud modo applicabam :

——— *tum roſtra canes*
Sanguine multo rubicunda gerunt. VLIT.

308. Vitae] *Vitae* vocabulum heic luxum & delitias vivendi denotat. Nam *vivere* eſt genio indulgere : vetus inſcriptio. AMICI. DVM. VIVIMVS. VIVAMVS. Catullus. *Vivamus , mea Lesbia , atque amemus.* Petronius.

Vivamus dum licet eſſe bene.

Manilius.

Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

Hoc eſt propter delicias & voluptateis victus. Adde hanc hujus vocis ſignificationem notis Nicolai Loenſis, qui quinque aut ſex alias non ſatis vulgatas notavit libro VI. Miſcellaneorum cap. III. BART.

310. Est] depaſcitur , edit , lacerat , atque exſugit: vetus Poëta , ut puto , ex Homero ,

Ipſe ſuum cor edens , hominum veſtigia vitans.

Quod à Pythagora uſurpatum. Athenaeus libro X. *καὶ τὰ Πυθαγόρου δὲ αἰνίγματα τοιαῦτά ἐστιν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Βυζάντιος ἐν τετάρτῳ περὶ ποιητῶν : καρδίαν μὴ ἐσθίειν ἀντὶ τοῦ, ἀλυπίαν ἀσκεῖν,* &c. Juſtinus Martyr ad Zenonam & Serenum , *ἑαυτοὺς δὲ ἐσθίοντας καὶ ὀδυνῶντας.* Sic *eſto* pro *ede* exſtat apud Apulejum , item *eſtur* pro *editur*. Et apud Maronem

——— *eſt mollis flamma medullas* BART.

310. Non est magis] Humanum ingenium & acumen non alia magis re in ſtuporem dari & obtundi dicit , quam luxuriae ſervitio. Claudianus.

Lu-

Tollit se ratio, vitiis adeuntibus abstat.
Haec illa est, Pharios quae fregit noxia reges,
Dum servata cavis potant Mareotica gemmis,

Nar-

NOTAE.

Luxuries praedulce malum, quae dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus.

Vide animadversiones nostras ad Claudiani Gildonem. BART.

310. HUMANOS, &c.] Elegantissima & digna Maronis aemulo digressio. Ille sub finem Georg. III. ubi boum morbos deplorat, ita quoque luxuriam causatur, quasi communem vitiorum matrem:

—— atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulae nocuere repostae.

Ubi Servius: *Et per transitum tangit illa, quae dicunt Physici, morbos venire ex cibi & potus nimietate, vel mutatione.* Unde ansam habuit Gratius tam speciose & spatiose digrediendi. Verba ejus vulgo depravata aliquantum leguntur, & miserrime tractata ab Interprete. Ea ego leviter immutavi, ut si non decori, saltem sensui suo restituerem, donec certiora suppeditant meliores, si qui sunt, codices. VLIT. Ita omnes codices ante Vlitium hos versus exhibent, nisi quod *obstant* in fine, pro *abstant*, ut opinor. recte quidem illi, nec melioribus hâc in parte opus est codicibus, nec Vlitianâ στοχαστικῇ. qui sic legit,

—— Humanos non & magis altera sensus
Tollit, nec ratio vitiis adeuntibus obstat.

Hic est enim verborum sensus.

Non altera *indulgentia* magis *est*, *i. e.* Edit, corrumpit, praedatur humanos sensus. Ratio enim, ut Astraea olim, subducit se, & vitiis adeuntibus interesse non sustinet. JOHNS.

311. TOLLIT SE RATIO] Ratio sese ipsam exstinguit & deliquium sibi creat luxuriae serviendo. Vel *tollit se*, hoc est, sublimem & efferam se vitiis abeuntibus objicit, à similitudine equi efferi. Ut apud Maronem.

Tollit se erectum quadrupes. BART.

311. VITIIS ADEUNTIBUS] Manifesto haec contraria sunt menti Gratii nostri. Nam sternacem quasi & efferatam Rationem dicere vult viam omnibus vitiis aperire planam atque facilem. Haec vero lectio viam obstruere vitiis canit. Prorsus scribendum. *vitiis abeuntibus.* Nam Ratio efferata & luxuria intumescens non patitur vitiorum amorem semel haustum abire. In veteri edito nihil variatum invenio. Si omnino lectio vulgata placebit; subintelligendum erit *cum.* & *obstat cum vitiis adeuntibus.* Sensibus videlicet humanis, ut dixit. BART.

312. HAEC ILLA EST,] Haec illa noxia est quae fregit Pharios reges. Quaerendum cur Aegypti reges nominaverit primos. Cum dicturus esset omnia summa imperia luxu regum concidisse. Sane cum Persicam & Graecam Monarchiam post Romanam etiam recensiturus esset, potius hoc loco Assyriam nominari decebat, quae & illas antecessit, & nulla earum minor fuit, ad quam comparata Aegyptiorum Potentia, Regnum unum videri potest. Etsi enim Aegyptii reges late olim dominati sint, non tamen tam stabilis eorum dominatus fuit, ut his annumerari debuerit. Et notum de luxu Assyriae Regum. BART.

312. FREGIT] Exprimere voluit Graecum ἔθρυψε. JOHNS.

312. NOXIA] Perniciosa indulgentia. sumitur & substantive pro damno, vitio, labe. JOHNS.

313. SERVATA] Vetustatem eorum arguit, quam veteres adfectasse clarum. Ut Pindarus laudare jubet οἶνον μὲ παλαιόν, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Et Plautus *sapientes* vocat *qui vino vetere utuntur.* BART.

313. MAREOTICA] Errorem hic Gratio vix defendam. *Mareotis* Nili palus in Aegypto quidem est. *At, Mareotica vina* non ab Aegypti parte illa, sed ab alia Graeciae aut Epiri potius, acceperunt. Nam Columella *Mareoticas* vites inter Graeculas recenset li. III. c. II. Eundem errorem videtur dehrasse Servius, in alterum Georgicum, qui *Mareotica vina* Aegypto arcessit. Alia plurima nobilium vinorum genera recenset Galenus ὑγιεινῶν IV. & II. περὶ μεθόδου θεραπευτικῆς. Sed fortasse & *Aegyptia* illa *vina* commendata fuerunt. BART. Non dimittam hoc loco impunitam interpretis audaciam, qua purissimum & nullius culpae reum Vatem perstringit effrictae frontis nequam. Age, & dum Magister noster extravagatur, nos etiam relicta praeda soricem istum suis vestigiis & judicio prodamus. *Errorem hic Gratio vix defendam*, inquit. Quid haec significent, equidem argutari nolo.

Sed

Nardiferumque metunt Gangem, vitiisque ministrant.

Sic

N O T A E.

Sed an alibi errores Gratii defenderit, ipse videat. Ego nullum in nitidissimo hoc poëmate vel naevum agnosco, nisi quos affingere ei conatus est hic ipse erro ex sua sibi Germanica editione. Hoc insuper inepte mendax, quod mendacii sui meminisse non potuerit, qui in titulo gloriatus est, autores hos nunc commentariis luculentis à se explanatos, in Germania hactenus editos non esse. Quod addendum est iis, quae in Prolegomenis ad destruendam fidem Germanicae istius editionis adducebam. Sed videamus qua in re erravisse Gratium putaverit. *Mareotis*, subjungit, *Nili palus in Aegypto quidem est. At Mareotica vina non ab Aegypti parte illa, sed ab alia Graeciae aut Epiri potius acceperunt.* Primum, ut vera haec esse ponamus, quid erroris haec arguunt in Gratio? Aut quid contrarium illis pronuntiavit Gratius? Atqui *Pharios reges Mareotica* potasse cecinit. Ideone *Mareotica* vina Aegypto assignavit? Non poterant tanti reges Agyptii Mareotica ex Graecia, si modo inde petenda erant, habuisse, cum tot inter Graecos ac Aegyptios commercia jam ab antiquo intercesserint? Si Barthius inter compotores suos Hispanica vel Graeca vina strenue hauriat, an adeo propere deliret, ut Germanica se bibisse confestim dicat? Imo contra, si Graeca vina sint Mareotica, eo ardentius expetita à luxuriosis illis Aegyptiorum regibus contendi possit. Ut solent è longinquo advecta cariora esse, quantumvis Rhenano suo insterere malit Barthius. Quis tamen illi dixit *Mareotica* vina non ab Aegypti parte illa denominata esse, cum ipse fateatur *Mareotidem* paludem Nili esse. An Mareotis non facit Mareoticum? Non ausus fuit hoc negare. At *Mareotica vina non tamen ex Aegypto sunt*, inquit. Quod falsissimum esse & haec appellatio, & res evincit. Servius ad illa Geor. II.

Sunt Thasiae vites, sunt & Mareotides albae.

Aegyptiae: Mareotis enim pars est Aegypti. Eundem errorem cum Gratio delirasse Servium pronuntiat delirus Interpres. Deliraverunt itaque omnes, quotquot sunt, qui Mareotici vini meminerunt, antiqui scriptores. Strabo lib. XVII. περὶ Μαρείας λίμνης, quam & Mareotim dici antea monuerat: εὐοινία τε ἐστι περὶ τοὺς τόπους, ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν Μαρεώτην οἶνον. *In his locis maxima vini copia est, ut etiam Mareoticum vinum diffundatur, & in longam tempus servetur.* Ita scribendum esse bene observat Casaubonus. Nam, ut patet ex Hesychio, Μαρεῶτις, εἶδος ἀμπέλου. Uti & *Mareotides* apud Maronem. Nolo tamen negare Μαρεώτην usitatius dici. Athenaeus sub finem lib. I. ὅτι ὁ Μαρεώτης οἶνος Ἀλεξανδρεωτικὸς τὴν προσηγορίαν ἔχει ἀπὸ τῆς κρήνης Μαρείας καὶ πόλεως ὁμωνύμου, &c. Stephanus non fontem, quod fabulosum est, sed lacum esse refert: Μάρεια, πόλις καὶ λίμνη, ἡ καὶ Μαρεῶτις λέγεται, ἀφ᾽ ἧς καὶ Μαρεώτης οἶνος. Adeo nec ille vini hujus Aegyptii celebritatem praeterire potuit Nec Horatius post Caecubum vim Mareotici vini extollere omisit lib. I. Ode XXXVII.

Mentemque limphatam Mareotico
Redegit in veros timores.

Mareotico vino. Mareotie in Aegypto palus est, juxta quam vinum optimum nascitur. Ita recte vetus Scholion. Nec audiendus Vir doctus, qui de Agypti opulentia ea interpretatur. Respexit enim proculdubio Horatius ad panicum illum terrorem, quo bacchantes agitantur, quasi potu à Baccho immissum. Eum *in veros timores redegisse* Caesar canitur. Sed ad Barthium redeamus, si tantum modo ab incredulitate sua impetrare potest, ut nunc Mareotica vina Aegyptia esse tot autoribus credat. Aut saltem dicat nobis à qua Graeciae parte, an Epiri potius, Mareotica vina accipi velit. Nemo Geographorum est, qui hujus similisve appellationis locum ullum in Graecia, aut alibi quam in Aegypto, posuit. Sed omne illi fundamentum esse videtur Columellae locus lib. III. c. II. ubi Mareoticas vites Graeculis accenset: *Nam quae Graeculae vites sunt, ut Mareoticae, Thasiae, Psythiae, Sophortiae, sicut habent probabilem gustum, ita nostris regionibus & raritate uvaram, & acinorum exiguitate minus fluant.* Heic cardo totius ineptiae Barthianae vertitur, quem si emoverimus, tota concidet somniorum machina. *Graeculas* eas vites videtur vocare Columella, quia Maro lib. II. Georg. juxta Graecas vites etiam *Mareotides* posuerit, ut modo vidimus. Quod an bene collegerit, aut, si fortasse, Mareoticas vites in Graeciam propagatas esse, ut Thasias quoque quae ad Thraciam magis pertinent, an adeo compertum habuerit, non te-

R 3 mere.

Sic & Achaemenio cecidisti, Lydia, Cyro.
Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
Scilicet, ad summam ne quid restaret habendum,
Tu quoque luxuriae fictas dum colligis arteis,

Et

VARIAE LECTIONES.

315. *Achaemenio*] Vlitius male *Achaemonio*. JOHNS.
316. *Atqui*] Ita leg. B. & cit. *Atque*, G. *At quam*.
318. *Fictas*] *Victas*, G. B.

NOTAE.

mere asseruerim. Videant alii utrum hoc sibi persuadere possint, an potius scripsisse Columellam: *Nam quae trunculae vites sunt*. Qua voce alibi quoque utitur. *Trunculae vites* sunt, quae minus alte coluntur, quam praecedentes quae in *summa arbore*, quibus has opponit, quae & *acinorum exiguitate* formae suae respondent. Ut statim *inerticulam* vocat, ab inertia denominatam Utcunque haec accipiamus, scio non debuisse hinc Gratio lapidem moveri, qui totam antiquitatem pro se habet. Nisi & reliquos ejusdem delirii accusaturus sit insulsus Interpres, qui, quod in aliis quaerit, ipse sibi mali cacat. Apage tam putidas nugas. VLIT. Vina Aegyptia. Mareotis enim in Aegypto palus est; *Strabo* Lib. 17. Ἐυοινία τέ ἐστι περὶ τοὺς τόπους, ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν μαρεώτην οἶνον. Hinc *Servata* Gratius vocat. JOHNS.

313. Gemmis,] Poculis ex gemma cavatis. Virgilius.

Ut gemma bibat & Sarrano dormiat ostro.

Servius. *gemmeo poculo, non gemmato. Gemmata* absolute sequiore aevo dicebantur pocula gemmis exornata. Ut apud Trebellium Pollionem. BART.

314. Gangem,] Καθαχεντικῶς, pro metunt loca Indiae vicina Gangi, quae ideo nardum ferunt optimam. JOHNS.

314. Vitiisque ministrant.] Elegantissime dictum, velut ad ciathum stant vitiis, & eorum libidini serviunt: Nam *ministrare* est illud proprie hoc loco. Petronius: *pueri detersis paulisper oculis redierant ad ministerium*. Pari figura *subministrantem Fato Saevitiam* dixit Apulejus lib. v. Metamorph. διακονίαν & οἰνοχοΐαν pariter apud Graecos conjungit Heliodorus libro. viii. Aethiopic. καὶ τέλος τὴν ἐπὶ τῷ Θεαγένει τῆς Αρσάκης ἔρωτα, καὶ τὴν εἰς τὰ βασίλεια τοῦ Θεαγένους εἰσοικισμόν, καὶ τὰς περὶ αὐτὸν φιλοφρονήσεις, καὶ τὰς ἐπείτα διακονίας καὶ οἰνοχοΐας. VLIT. Διακονεῖ. Ministros se praebent. *Minister* enim proprium in conviviis & comessationibus verbum, ut & *ministro*. αὐτοὶ τῇ ἑαυτῶν τρυφῇ οἰνοχοοῦντι. JOHNS.

315 Achemaenio] Persico, vel Persa potius. Stephanus & alii peculiarem Persiae regionem eo nomine autumant. Sequior aetas hoc vocabulo & *Parthos* censet. BART.

316. Atque] L. *atqui*. Caetera ad auriferum fluvium Pactolum referenda, cujus fabulae lippis & tonsoribus notae. In veteri edito est, *At quam*: Quod non improbum. BART.

317. Scilicet] Haec verba longe efficacius cohaerent cum sequentibus, & ironiam continent acerbissimam. Tu quoque Graecia, nequid, si diis placet, ad summam felicitatis restaret parandum, eo inquam fine dum fictas luxuriae artes colligis, demens amisisti gloriam paternam. JOHNS.

317. Summam] Perfectionem, & summum decus. Propertius:

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.

Petronius. *Quis Thucydidis ad summam, quis Hyperidis ad famam processit?* Vel *ad summam* exponendum, *summatim*. ut apud eundem in Petronium; *ad summam statim, inquit, scietis cui dederitis beneficium*. Vitruvius Prooemio libri. vii. *ad summam, mors ejus, ut patricidii damnati, varie narratur*. BART.

317. Habendum] Invidiam quandam avariciae hoc verbum adfert. Ut apud Ovidium

——— *amor sceleratus habendi*

Paulinus Natali. ix. Felicis.

——— *urit*

Defectus miseri metus, & miser ardor habendi.

Ita plerique scriptores hoc verbum infamarunt. BART.

318. Fictas] *Arteis fictae* sunt verarum aemulatriceis, & ita sane tacitis quibusdam praeceptis

Et sequeris demens alienam, Graecia, culpam,
O quantum & quoties decoris frustrata paterni!
At qualis nostris, quam simplex mensa Camillis!
Qui tibi cultus erat post tot, Serrane, triumphos?
Ergo illi ex habitu, virtutisque indole priscae,
Imposuëre orbi Romam caput: actaque ab illis

Ad

VARIAE LECTIONES.

324. *Actaque*] *Ortaque*. G.

NOTAE.

ceptis luxuria ingenuas arteis sequebatur. Non displicet tamen, quod in v. e. reperio, *victas*; ut victarum gentium intelligat. Notum omnibus quam infames Persae & aliae Orienti subjectae genteis luxuria. Eo pertinet quod in sequenti versu dixit alienam culpam Graecos secutos. Et sane *colligendi* verbum idem signare videtur. BART.

318. Luxuriae arteis,] Ita *ingeniosam gulam* appellarunt Petronius & Martialis. Sic artes & libidines synonyma habet Sallustius. *animus imbutus malis artibus, haud facile libidinibus carebat*. *Grajas arteis* pro deliciis posuit Juvenalis Sat. xi.

Tunc rudis, & Grajas mirari nescius arteis,
Magnorum artificum frangebat pocula miles.

Eleganter in eandem sententiam *militiam luxuriae* dixit Manilius libro iv. Astronomici.

318. Fictas arteis,] Diximus in v. e esse, *victas*. id quod videtur reliquisse Gratius. Nam victoria de Xerxe morum prima corruptela fuit apud Graecos, ut Romanos Carthago excisa, de quo Vellejus lib. ii. sic Juvenalis. Satira. vi.

Nunc patimur longae pacis mala, saevior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

Et Florus libro iii. cap. xii. *Syria prima nos victa corrupit*. Vide & Petronii carmen de Bello civili. BART. Studio elaboratas. JOHNS.

318. Colligis] Undecunque corradis. JOHNS.

319 Alienam culpam,] Hoc enarrabit Justinus ex Trogo. libro. ii *Victus Mardonius veluti ex naufragio cum paucis profugit, castra referta regalis opulentiae capta sunt. Unde primum Graecos diviso inter sese auro Persico divitiarum Luxuria cepit*. BART. Peregrinam, non naturalem, nec tuam. JOHNS.

320 Decoris] Usus Genitivi casus Graecanicus. Cujus exempla plurima in indice ad Appulejum collegimus. BART.

320. Decoris frustrata] Subaud. *es*: quod passim Gratius omittit. Exprimere voluit Graecum *ἀπέτυχες*, seu *τυγχάνεις ἀποτυχοῦσα*. ideoque cum genitivo jungitur. JOHNS.

321. Simplex] Vide Juvenalis Satyram. xi. Notandum *mensam* pro victu usurpari. Quod & ipsum Graecanicae aemulationis. Nam *τραπεζοκόρους* mensarum attonsores, pro victum arrodentibus parasitis dixit Phocylides. Ut notavit Lambinus ad Epidicum Plauti. BART.

322. Cultus] Totam vitae culturam hoc verbo denotat. Tibullus. libro. iii. Elegiar.

Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge posse frui.

Frugalitate porro orbem terrarum Romanos subjecisse, multis inculcant Seneca atque Juvenalis, ut taceam omnis generis scriptores, qui saltim meminerunt incrementorum Romani Imperii. BART.

323. Ex habitu,] *Τὸ ex* superfluum, ut plurimis locis apud scriptorum omne genus. Vide ad Ceirin Virgilii, & Claudiani libros in Eutropium Animadversiones. BART.

323. Indole] Vi innatâ. JOHNS.

324. Romam orbi caput:] Quia *caput* rei dicitur cujusque pais praestantissima Ptolemaeus. *ἀρχὴ δὲ πάντων τῶν ἐν ἡμῖν μορίων ἡ κεφαλή*. Ita Roma merito mundi *caput*. Claudianus Bello Gildonico.

——— *caput insuperabile rerum*
Aut ruet in vestris aut stabit Roma lacertis.

Totidem verbis Paullus Orosius libro. ii. cap. xii. BART.

324. Actaque] V. ed. *ortaque*, quod non receperim. Alludit Maronianum illud.

Imperium terris, animos aequabit Olympo.

Quod & ab aliis Poetis expressum. BART.

325. Ta-

Ad coelum virtus, ſummoſque tetendit honores.
Scilicet exiguis magna ſub imagine rebus
Proſpicies, quae ſit ratio, & quo fine regenda.
Idcirco imperium catulis, unuſque magiſter

Ad

NOTAE.

325. Tetendit] Τὸ *ad* ἀπὸ κοινοῦ repetendum: *& ad ſummos tetendit honores.* Hoc moneo, ne quis ulla in parte pulcerrimae & incomparabilis prorſus hujus ſententiae pedem offendat, aut Barthii nugas audire neceſſum habeat. Adeo illuſtria & perſpicua haec ſunt, ut facula non magis quam merus dies, nedum Scholaſtici iſtius tenebrionis offuciis, indigeant: quem ego iterum Anticyras faceſſere jubeo. VLIT.

326. Scilicet] Ita enim eſt. à magnarum rerum imagine & repraeſentatione licet proſpicere quae ſit exiguis rebus ratio, & quo modo, quo intuitu dirigenda & moderanda. JOHNS.

326. Exiguis] Quia jam de orbis Imperio inter canum tuendorum praecepta locutus eſt, à tantis reb. ſpecimina ſumenda etiam ad minimorum curam. BART.

326. Imagine] Exemplo atque figura. Seneca Epiſtola LXXII. *Solebat Attalus hac imagine uti. Vidiſti aliquando canem miſſa à domino fruſta panis aut carnis ore aperto captantem? Quicquid excepit protenus integrum devorat. Et ſemper ad ſpem futuri hiat? Idem evenit nobis.* BART.

327. Ratio,] Proſpicies quae ſit Ratio rebus exiguis & quo pacto regenda, exemplo maximarum. BART.

328. Imperium] Imperator, JOHNS.

328. Unus] Ut unius adſueſcant imperio, & vocem ejus diſcant, qua cauſa pluribus opusnon eſt. BART.

328. Unusque magister] Hic κυναγωγὸς eſt Polluci. Cujus nulla, quod miror, mentio apud alios eſt. Sed major Xenophon ipſi venatori hoc magiſterium videtur reliquiſſe, quem ideo κυνηγέτην vocat, quia *prima illa canum, non ulla peritis Cura prior*, ut ſupra monuit Gratius. Pollux; καὶ ἡ τῶν κυνῶν δὲ ἀγωγὴ, κυνηγέσιον ὁμωνύμως τῷ ἔργῳ καλεῖται). Ab hac ſcilicet parte tota venatio nomen ſortitur. Olim enim ipſe venator omnia haec munia obibat, *nec ſibi turbam Contraxit comitem.* Ipſe canes ducere, quod praecipuum eſt, ipſe feram perſequi & inquirere ſolebat. Qualis ille, quem ſupra laudavit noſter, Hagnon, qui uno cane inductore aſſumpto totam venationem ſolus exequebatur. Hinc κυνηγέται & κυνακτῆρες (ſi modo integra haec vox eſt apud Pollucem lib. VII. cap. ult. §. 9.) & ἐπακτῆρες ipſi dicti. Hi ſunt Ἀγρέται, εἴτε κυνέοισι πεποιθότες, Apollonio. Poſtea vero in diverſa officia venatio diſtributa eſt, & totam familiam requirebat. Hippolytus eam egregie partitur in prologo ſuo apud Senecam. Δικτυαγωγὸς ita protinus ab exordio affatur:

Ite umbroſas cingite ſilvas.

Statim ἰχνευτὰς, ſive inveſtigatores dimittit:

Summaque montis juga Cecropii
Celeri planta luſtrate vagi.
Hac hac alii, qua nemus alta
Texitur alno; qua prata jacent.
Vos, qua Marathon tramite laevo
Saltus aperit. Vos, qua tepidis
Subditus Auſtris frigora mollit
Durus Acarnan. Alius rupem
Dulcis Hymetti: parvas alius
Calcet Aphidnas, &c.

His ita paſſim oberrantibus ipſos, quos dixi, κυναγωγὺς officii ſui diſtincte quoque admonet:

At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas, &c.

Tum δρυμαρχὺς & λινόπτας, alioſque ejuſdem fere officii miniſtros ordinatim diſponit:

——— *Alius rarae*
Cervice gravi portare plagas;
Alius teretes properet laqueos.
Picta rubenti linea pinna
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur miſſile telum:
Tu grave dextra laevaque ſimul
Robur lato dirige ferro.
Tu praecipites clamore feras
Subſeſſor ages: tu jam victor
Curvo ſolves viſcera cultro.

Haec ultima palma trophaei. Quae ſingula, uti ea quaeque in venatore ſuo requirit, Gratii praeceptis applicanda. Sunt enim divina prorſus & ex arte, ac methodice ab optimo venatore diſpoſita. VLIT. Magiſter catulorum, ut magiſter Equitum. alibi enim catulorum agmen *exercitum* vocat. & ubique fere ad Romanam militiam alludit Gratius. paulo poſt, *Socios*. JOHNS.

330. Hunc

Additur, ille dapes, poenamque operamque ministrans
Temperet: hunc spectet silvas domitura juventus.
Nec vile arbitrium est: cuicunque haec regna dicantur,
Ille tibi egregia juvenis de pube legendus,

Utrum-

NOTAE.

330. Hunc spectet] Ad hujus nutum pendeat. Similis in Psalmo divino phrasis: *Sicut oculi servorum in manus dominorum, sicut oculi ancillarum in manus dominarum, sic oculi nostri ad Deum spectant. Silvas* denuo hoc versu pro feris dixit. *Juventutem canum* ut *apum* Virgilius Georgic. iv.

Ipsi um prima novi ducent examina Reges,
Vere suo, luditque favis emissa juventus.

Ita alibi *pubem* noster dixit. & Virgilius *Quirites*. BART. Imitari haec videtur Oppianus lib. i. ubi venatoris habitum ita delineat:

Τῶ μὴ πιαλέοι δέμας ἔπι μάλ᾽ ἔστω,
Μηδὲ τε λεπταλέοι· καὶ γὰρ ποτὲ δηρίσασθαι
Θηρσὶν ἐναντιβίοις χρειὼ πολυαιγέϊ φωτί.
Τοῦνεκά μοι δέμας ὧδε κεκροτημένοι φοιτώντων,
Ἀμφότερον κραιπνοί τε θέειν, ἀλκηεντές τε μάχεσθαι.
Καὶ δ᾽ ἄρα δεξιτερῇ μὲν ἐπικραδάοιεν ἄκοντας,
Ἀμφιδύμους ταινούς· δρέπανον δ᾽ ἐπὶ μεσσόθι ζώνης. ——
Λαιῇ δ᾽ αὖ πεζὸς μὲν ἄγοι κύνας. &c.

Corpore nec veniant *haec in certamina* obeso,
Nec graciles nimium: *sed agendi tempora belli*
Noverit, & socios tutarier hoste minores.
Ille mihi media *juvenis de pube legendus,*
Utrumque & pernix, *& sumptis impiger armis.*
Terribilique manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, medio *praecingatque ilia cultro.*
Quem laevâ sequitur *silvas domitura juventus.*

Ita mixtis Gratii verbis haec vertere liceat, ut agnoscatur quam presso pede ea secutus fuerit Oppianus. VLIT.

330. Juventus.] Sic Virg. de apibus. *luditque favis emissa juventus.* JOHNS.

331. Arbitrium] Electio videlicet Magistri canum. Vel *arbitrium* pro Imperio usurpatum. Ut *Arbiter* est Imperator. Horatius de Neptuno.

—— *quo non arbiter Adria*
Maior, tollere seu ponere vult freta.

Claudianus de Plutone.

—— *ô Maxime noctis arbiter.*

Seneca:

Tandem noctis, ait, vincimus, arbiter. BART.

Arbitrium hic est ἐπίσκεψις, ut & evidentius in illo C. Severi loco, quem modo emendavi: *divinaque rerum Cura sine arbitrio est.* id est, frustra hic esse, qui curant rerum cognoscere caussas, quia cominus arbitrari & inspicere, aut palpare non licet,

Ut major species Aetnae sit cura inanis.

Versus enim hic, si retinendus est, parentheticus fieri debet, & hoc ordine explicandus. Mihi tamen semper placuit eum expungi, ut male repetitum ex praecedenti. An bene, aliorum arbitrium esto. VLIT. I. e. Imperium JOHNS.

331. Haec regna] Merito itaque acceptâ venandi à patre suo venia Rex etiam sibi esse visus est Scipio, ut refert Polybius in Excerptis, quae ex Constantino Porphyrogeneta edidit doctissimus Valesius: ὡς ἐπιλελυμένος, καὶ νομίζων εἰσὶ βασιλεύειν. *Qua facta sibi venandi potestate, quasi regnum adeptus.* &c. Semper enim Regium hoc & solum Rege dignum habitum fuit exercitium, quia ex eo στρατιῶταί τε ἀγαθοὶ, καὶ στρατηγοὶ γίγνονται, ut graphice ἐπιλογίζει Xenophon. Quapropter & Oppianus & Aurelius noster Imperatoribus suis μεγαλοκινδύνους θῆρας cecinerunt. Et Philostratus venatorem suum regali quoque ornatu insignivit εἰκόνων lib. i. cap. xxix. De quo latius alibi dicam. VLIT.

331. Dicantur, Destinantur, vel conferuntur. JOHNS.

332. Juvenis] Xenophon cap. ii. Χρὴ δὲ τὸν μὲν ἀρκυωρὸν ἐπιθυμοῦντα τοῦ ἔργου, καὶ τὴν φωνὴν Ἑλλάδα, τὴν δὲ ἡλικίαν περὶ ἔτη εἴκοσι, τὸ δὲ εἶδος ἐλαφρὸν, ἰσχυρὸν, ψυχὴν δὲ ἱκανὸν, ἵνα τῶν πόνων τούτοις κρατῶν χαίρῃ τῷ ἔργῳ. Quae vestigium sequitur Gratius, ut Gratium Oppianus. Nisi quod Xenophon ea ad retium curam, quasi ea praecipua venatoris sit, commendaverit, quae proprie, ut melius ea applicuit Gratius, ad κυνηγεσίαν requiruntur. Sed, ut dixi, omnia haec munia ipsi olim venatori obeunda erant; idem canum ductor, & ad retia subsessor erat. Unde Xenophon τὸν ἀρκυωρὸν, ut habent MSS. codd. inibi, pro venatore posuit. Et Plinius Caecilius, quum *ad retia* tantum *sederet*, sive ἀρκυωρὸν ipse ageret, venari tamen se professus est lib. i. Epist. vi. & lib. v. Epist. xviii. VLIT.

Utrumque & prudens, & sumptis impiger armis.
Quod nisi & accessus, & agendi tempora belli
Noverit, & socios tutabitur hoste minores:
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno est.
Ergo in opus vigila, factusque ades omnibus armis:

Arma

VARIAE LECTIONES.

333. *Impiger*] *Integer* B. Ed. Vide Comm.
336. *Cedent*] Ita leg. B. & cit. *sedent. illa*] *ipsa* G. & B.
337. *Facilisque*] Ita ego. Vulgo :*factusque* G. *fartusque*. B. *factisque*. Vide Comm. VLIT. Sed *factus* idem praefert in Cur. Secund.

NOTAE.

333. Utrumque] Homerum imitatur. *Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.* JOHNS.

333. Integer] In veteri ed. *impiger*. Quod quare mutaverint, siquidem eam editionem secuti sunt non pauci, Correctores, ego non dispicio BART.

334. Accessus,] Videtur haec transtulisse noster ex iis, quae per venationem addisci posse, ut militantibus usui sint, docet Xenophon in Epilogo: Εἰ δὲ τοῖς ἀνθρώποις τοῖς πρὸς τοὺς πολεμίους ἅμα οἷοί τε ἔσονται ἰέναι, καὶ τὰ παραγγελλόμενα ποιεῖν, διὰ τὸ οὕτω καὶ αὐτοὶ αἱρεῖν τὰς ἄγρας. *In accessibus quoque hinc scient quomodo hostes invasuri sunt, & imperata faciant, quia & feras ipsi hoc modo venantur.* Hi sunt accessus, haec agendi tempora belli. Hinc tralaticie Maro Aeneid. XI.

Hos aditus, jamquehos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, & certam quatit improbus hastam.

Quod jam supra ad vers. CCXLII. applicavi. VLIT.

334. Agendi belli] Insolentior phrasis, *agere bellum* pro gerere. Claudianus lib. II. in Eutropium.

Tamdem Consilium belli confessus agendi.

Et in Epigrammatis.

—— bello quibus ille peracto
Conspicuus, reges inter fulgeret Achivos.

Operari bellum dixit Boëthius li. IV. de Consol. Philos.

Bella bis quinis operatus annis. BART.

335. Socios] Canes intelligit. BART. Haud aliter ac Romani, *ubi virtute pericula propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant*, ut loquitur Salustius in prooemio belli Catilinarii. Sed *socii* hic sunt canes. Ut supra quoque: *nec sibi turbam Contraxit comitem*, de canum agmine possit intelligi. Pollux enim cap. III. περὶ συνεργῶν κυνηγέτου καὶ σκευῶν inscriptum ita orditur: Καὶ συνεργοὶ μὲν κυνηγέτου κύνες, ἵπποι, &c. *Et venatoris socii sive comites sunt canes, equi.* VLIT. Id est, canes. Ovidius I. Remedii Am.

—— & comites, sedula turba, canes. VLIT. *in Add.*

335. Hoste minores:] Minus validos hoste stabulis excito. BART.

336. Sedent,] Legendum *cedent*. Quod pueris perspicuum est. Sine ope impigri atque solertis magistri canes aut venationem fuga deserent, aut cominus hosteis aggressi, licet vicerint, multi tamen cadent, & victoriam cruentam parient. Pro *illa* in v. e. *ipsa* quod ego verius esse & magis conveniens, non dubito. BART.

337. Factusque] Dubitare licet de ingenuitate hujus vocis, Valere potest, compositum, ad amussim expeditum & subactum armis gerendis. Ita *Argentum factum* dicimus, quod eam figuram adeptum est, in qua utibile est. Non abludit ab hac phrasi illud Boëthii li. II. c. IV. de Conf. Phil. *quod vitae pretio non segnis emeres, vir totus ex virtutib. factus*, Uti hic *factus omnibus armis*. Praeterea id allusit hoc verbo, quod armis omnibus induti velut alii à priorib. facti videntur, ut de Cataphractis Ammianus & Poëtae loquuntur vivum aut animatum eos esse chalybem. Nec absimilis modus loquendi in illo Propertii. libro. II.

Nam rursus licet AEtoli referas Achiloi.
Fluxerit ut magno factus Amore liquor.

Quasi factus ex ipso Amore, Ita hic *factus* ex armis. Sed quicquid adferatur, non videtur sine menda esse Gratius. In v. e. *fartusque*. Quod barbarum est. An scribendum.

—— factisque ades omnibus armis.

Omnib.

Arma acuêre viam. tegat imas fascia suras.
Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo

Man-

VARIAE LECTIONES.

339. Lege & distingue: Sit sociis *vitulina tuis*, &c. Vide Comm. Duo hi mutili versus desunt in G. VLIT.

NOTAE.

Omnib. quae manu gerenda sunt, armis accinctus adesto. BART. Ita edidi ex conjectura, donec melius quid succurrat. Nam *fartus*, aut *factis* Barthio, non Gratio, digna sunt. Sed poterat vulgata defendi pro captu recentioris librarii, qui ex sui saeculi loquela hanc phrasem videtur Gratio affinxisse: *factus armis*, id est, factis armis instructus. Sic passim loquitur sequior Latinitas. Jul. Capitolinus in Maximinis: *Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas.* Scilicet factis ex auro usus est. At nunquam ita loquuti sunt principis, quo vixit noster, aevi authores. Quem nasuti librarii barbarismum ut à cultissimo hoc poëmate abigerem, malui audaciâ quam negligentiâ peccare. Sed enim omnino ex genio autoris est, *facilis armis*; ut supra: *faciles, magnique Lycaones armis.* Et de Ancaeo: *geminisque securibus ingens.* VLIT. Nihil mutandum fuit. *Factus armis*, id est: instructus, paratus. Cicero lib. 11. Epist. xxiv. ad Attic. *Hic ille omnia quae voluit de rep. dixit ut qui illuc factus instructusque venisset.* De ipso Attico Cornelius Nepos: *Neque tamen horum* [artificum] *quenquam nisi domi natum, domique factum habuit.* Id est, propria industria instructum, ut ex sequentibus patet. Sic *facere*, pro parare, instruere. Seneca ad Marciam: *prout illum consuetudo fecit.* Sed editur vulgo, *infecit.* Silius lib. XIII. *turmas, Libyco quas fecerat auro Hasdrubal. Nardi florem facere*, i. e. praeparare Lucretio lib. II. Aliquando & pro idoneum esse, *facere* legas. Ovidius I. Amor. II. *quisquis ad arma facit.* & Epist. Hipsipyles:

Medeae faciunt ad scelus omne manus.

Aliquando & pro juvare. Idem III. Trist. *Nec coelum, nec aquae faciunt.* Tertullianus de Patientia cap. v. *Neutrum alteri facit. Facere literas*, Cypriano lib. II. Epist. III. *Facere Epistolam*, in Digestis, mandati. Sed haec parum ad Gratium faciunt, cui *factus armis* ita dicitur, ut antea *magnique Lycaones armis.* Et Ovidio, ut modo restitui, *Totus eram jaculo:* & Valerio, *totus Tirynthius arcu.* VLIT. *in Add.*

337. FACTUS] Paratus, instructus. Cic. L. I. ad Verrem. *Erat comes ejus Rubrius quidam, Homo factus ad ejus libidines.* ad Attic. 14. 21. *Erotem, ad ista expedienda factum, reliqui.* i. e. aptum & accommodatum. JOHNS.

338. ARMA ACUERE VIAM.] Ingeniosam reddiderunt & acriorem viam seu methodum aut artem venandi. Manilius.

—— *longa dies acuit mortalia corda*
Et labor ingenium miseris dedit ——

Juvencus lib. I. Historiae Euangelicae.

—— *salis absumtos acuet substantia gustus.*

BART. Quid sit *acuere viam* prorsus nescio. fas sit itaque conjecturâ non audaci nimis sanitatem loco restitutum ire. Videtur ergo legendum *Virum*, & verba parenthesi includenda. Haec itaque loci mens. Primo mane accinge te ad venationem, instructusque adsis omnibus armis, armis, inquam omnibus (Arma enim viris, animos addere solent.)

—— αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. JOHNS.

338. FASCIA] Notarunt jam pridem cum renascentibus bonis literis eruditi, Romanos consuesse fasciis crura involvere, non vero uti qualibus nos hodie commodius solemus, indumentis, nisi si perones aut alia graviora arbitreris, quae incommodiora, quam ut semper gestari potuerint. Vide Commentarios Alciati & aliorum. BART.

338. TEGAT IMAS FASCIA SURAS.] Pollux inter Venatoris σκευῶν etiam recenset: καὶ ὑποδήματα κοῖλα ἐς μέσην τὴν κνήμην ἀνήκοντα, δεσμῷ ἄνωθεν προσεσταλμένα. *Et semiplotia ad mediam tibiam* (sive *imas suras*) *fascia astricta.* Ita enim ὑποδήματα illa vocari docet Festus in *Ploti*: *Soleas quoque dimidiatas, quibus utebantur in venando, quo planius pedem ponerent, semiplotia appellabant.* Xenophon simpliciter ἀνυπόδετον venanti accommodat. Oppianus γυμνοῖσι δὲ ποσσὶν ὁδεύειν, *pedibusque incedere nudis*, investigatoribus edicit, ne solcarum strepitu feras excitent. Quod alias incommodum nimis est, & hodie usu prorsus caret. VLIT.

339. INULINA,] In veteri editione nihil no-

Mantica, *curta chlamys*, canaque è Maele galeri:
Ima Toletano praecingant ilia cultro:

Ter-

VARIAE LECTIONES.

340. *Canaque*] Sityu. *cavaque*.

NOTAE.

bis opis hoc desperato loco fuit, nam illa totos hos versus omisit, & ordinem reliquorum pene capitali errore damnavit. Non difficile nobis erat de pelle hinnulei, tergore suis, caprino galero, & aliis tantis suppletiones componere. Verum ducum ei sectae nomen dedimus, quae mavult vel deploratissimas lacunas in veterum scriptis, quam cujuscunque etiam ingenii argutas atque suave tinnientes expletiones. Quae, qualicunque etiam cunque acumine extulae, χαλκὸς γε ... sunt, & Bardocucullus ad Tyrianthina. BART. Tinearum hasce injurias, si quidem absque veterum librorum ope vindicare non est, id quod possumus, celabimus aliquatenus, si ita farcitur haec lacuna:

Sit sociis *vitulina tuis, aut tergore fulvo*
Mantica, cincta chlamys, *canaque è maele galeri.*

Quae particulatim excutiemus. *Vitulina mantica* est μόσχειος κωρυκος, quem requirit Xenophon c. II. Εσω δὲ καὶ ἐν ὅτῳ ἔζωσται αἱ ἄρκυες καὶ τὰ δίκτυα ἐν ἑκατέροις κώρυκος μόσχειος. Quae proculdubio inde mutuatus est Gratius, cum & sequentia de falce verbotenus transtulerit, ut statim videbimus. Pollux: κώρυκος δὲ, δέρμα μόσχειον, εἰς ὃ ἐνέβαλλον τὸ δίκτυον, τῷ χήμαλι πιστοποιηθὲν, ὥσπερ τὰ ὀψάρια βαλάντια. Hinc est quod Hesychius exponat: Κώρυκος, θυλάκιον, βαλάντιον, ἢ μαρσίππιον. Nam hac generali notione apud autores non invenitur. VLIT

339 Sit famulis] Quae in hoc & sequenti versu diverso charactere impressa vides, Vlitiana sunt. MS. Longobardicus hic loci mutilus erat, frustra itaque conjecturis indulgetur ubi nulla datur conjectandi ansa. JOHNS.

343. Canaque e macle] Potest & vulgata haec servari Est enim *maclis* sive *machlis* fera, ut testatur Plinius lib. VIII. cap. XV. *Item notam in Scandinavia insula, nec unquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam machlin, haud dissimilem illi, sed nullo suffraginum flexu* Hanc si intelligere potuit Gratius, merito *canam* dixit, cum pleraque etiam hodie Septentrionalis orbis animalia pilo albido sint. Ursorum pelles albas quotidie inde advehunt nostrates nautae, & ipsos saepe lepores ac mures terrestres albos inveniri referunt. Dubitari tamen merito potest, an Gratii aevo innotuerit jam hoc cum patria sua animal. Itaque melius est ut τῷ πάνυ assentiamur scribenti *maele*. Sed quod idem *lucifugaque e maele*, reponat (pace ipsius dixerim) ipse versus fere respuit. Commodius autem vulgata exponi & teneri potest, quia maelinae pelles, quarum & hodie frequens usus, omnino canae sunt, & ipsae maeles tam Gallis quam Anglis *canae* peculiariter indigetantur. De quibus latius infra dicam. Omnino itaque vera hic lectio est: *canaque è maele galeri*. Haud dissimili capitis tegmine usi fuisse videntur Albani, venatione celebres olim, quos Strabo l. XI. refert habuisse κράνη θήρεια πυραμωτά ... VLIT. Martialis Spect. de damis:

Spectavere canes praedam, stupuitque superbus
Venator cultro nil superesse suo.

Meminere etiam *venatorii cultri* Seneca Epist. LXXXVIII. & Suetonius Augusto cap. XIX. & Claudio XIII. VLIT. *in Add.*

341. Cultro:] *Cultri* in venatione magnus usus, nam id experientia constat. Martialis excusso venabulo cum aprinis praeliis aptum arguit libro. XIV.

Si dejecta gemes longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Lemma Epigrammatis, *culter venatorius*. Vide doctissimum Lipsium Saturnalium libro II. cap. XII. BART.

341. Toletano cultro:] Gladium Hispaniensem significari suspicor. De eo jam alii dixerunt. Sed culter venatorius diversum habet. Martialis Apophor XXIX *Culter venatorius*:

Si deiecta gemes longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Ita leg. ex MS. Cod Prior versus lucem accipit ab illo Nasonis Metamorph. X. *excussit pando venabula rostro*. Vel legendum, *defecta longo ven. rostro*, id est, quae cuspide sive dente suo exarmata sunt. Sed & alium usum in venatione habet hic culter, ut videre est in illis, quae modo ex Seneca apposui:

Tu

Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, & curva rumpant non pervia falce.

Haec

VARIAE LECTIONES.

342. *Dextrâ*] Steyn. *dextro*.
343. *Non*] *Nova*. A. Steyn.

NOTAE.

Tu jam victor curvo solves viscera cultro.
Quod de exenteranda fera accipi potest. Nisi quis malit etiam ad priorem, quem posuit Martialis, usum hoc applicare, siquidem is praecipuus est. Pollux: ξίφη μὲν, ὡς ὅπως συμπίπτοι θηρίῳ, ἔχειν ἀμυντήριον. Hinc Oppianus venatori suo accingit,

—— δρεπάνην δ' ἐπὶ μεσσόθι ζώνης·
Καὶ γὰρ καὶ θήρεσσι πικρὴν πόνον ἐντύνοιτο,
Καί τι κακῶν φορέοιεν ἀλεξητήρια φωτῶν.

Δρεπάνην pro *curvo*, quem vocat Seneca, *cultro* posuit. Impropric, & confuse quidem. Δρεπάνη enim proprie falcem denotat, cujus diversus longe usus est, ut statim ostendam. Oppianus utrumque confudit. Quod enim ille τῇ δρεπάνῃ assignat, proprium est venatorii cultri, quo se cum adversus feras, tum malignos, si qui occurrant, homines defenderent. Tacitus Annal. III. cap. XLIII *Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis; caeteri cum venabulis & cultris, quaeque alia venantibus tela sunt.* Unde colligere est diversos aliquantum hos cultros à gladiis Hispaniensibus fuisse, non adeo tamen, ut non eidem usui inservire potuerint. Ideo ξίφη cultri loco posuit Pollux. Et tumultuarii illi apud Tacitum cultros gladiorum vice habuerunt, ut venabula pro pilis. VLIT. Gladius Hispaniensis significatur quo se cum adversus feras, tum malignos, siqui occurrant, homines defenderent Vlit. De cultro Toletano, qui & hodie celeberrimus, Gratius (credo) primus è veteribus meminit. JOHNS.

342. Falarica] Lucanus: *tortilibus vibrata phalarica nervis.* Unde Silius lib. I.

Librari multa consueta phalarica dextra.

Ubi *vibrari* quoque reponendum videtur. VLIT. Grandiorem solito hastam designat. venabulum praegrande. alius enim erat falaricarum usus in obsidionibus. JOHNS.

343. Det sonitum,] Virg Aen. XI. *sonitum dat stridula cornus.* Falaricam autem graphice describit Livius lib. XXI. cap. VIII. VLIT. *in Add.*

343. Curva falce.] Xenophon cap. II. continuo post κυνοῦχον μοχλὸν requirit & δρέπανα, ἵνα ᾖ τῆς ὕλης κόπτοντα φράττειν τὰ δεόμενα *falces, quibus silva caedatur, ubi obsepiri aliqua loca oportet.* Ita enim ea voce utitur Apulejus, ut superius annotavi. Pollux cap III. δρέπανα δὲ, ὅπως εἰ εἴη τῆς ὕλης κόψειν εἰς τὴν τῶν ἀρκύων στάσιν, ἐπιχώρια τὰ δρέπανα. Quando id fieri conveniat, etiam superius demonstravi ad vers. XLIX. Noster autem longe alio usu falcem habet, ut *rumpant non pervia.* Ita quippe legendum conjecit Vir doctissimus. Vulgo: *rumpant nova pervia.* Quod eundem sensum admittit. Similis enim locutio apud Val. Flaccum initio l. I. *mediosque inter juga concita cursus Rumpere.* Id est, rumpendo patefacere, ut & hic in Gratio. Inepte vero interpres, *rumpat*, legendum esse monet. *Rumpant*, ut modo *praecingant*, nimirum *socii* vel *famuli*, quorum appellationem intercidisse vel hinc certum est. Aut eadem hic ellipsis est, quam ad vers. CCXLIII familiarem Gratio esse ostendi. VLIT.

343. Rumpant] *L. rumpat.* Nimirum dextra. BART.

343. Nova pervia] Novos aditus Ut per saltum hinc inde impeditum, penetrare possit. *Pervium* heic substantivi, ut Grammatici loquuntur, vocabuli vim habet: alias adiectivi: ut apud Hygenum fab. XIV. *Hi capita pedesque pennatos habuisse feruntur, crinesque caeruleos, qui pervio aëre usi sunt.* Sic *Avia* substantivo posuit Valerius Flaccus libro. 5. Argonauticon.

—— *tot casus, horrenda tot avia mensi*
Cernimus. VLIT.

343. Rumpant nova pervia] Recta locutio & lectio; nec mutanda sunt. Frequentissima Silio Lib. I. de Aufido flumine.

Vix iter Adriaci rumpentem ad litora ponti.

Et paulo post: *rumpitque horrenda per auras Sibila.* Lib. IV. Gracchus Cos. *rumpens iter:* ac statim, *det Phoebus rumpere voces.* Lib. XII *obsepta viarum Rumpere nitentes.* Petronius etiam in poemario:

Haec tua militia est: quin & Mavortia bello
Vulnera, & erranteis per tot divortia morbos,
Caussasque, affectusque canum tua cura tueri est.

Stat

VARIAE LECTIONES.

344. Tit. in Edd. *Canum remedia.*

NOTAE.

Atque has erumpit furibundo pectore voces. VLIT. *in Add.*

343. Non] Vet. Edit. *nova.* quod quid sit nescio. amplector itaque emendationem nescio cujus, legentis *non.* Vlitius veterem lectionem admittit, & posse defendi putat, viderint alii. JOHNS.

344. Canum remedia] Haec epigraphe est haud exiguae in hoc poëmatio partis, qua totius κυνηγετικῆς peritissimus vates canum medicinam pertractavit. Nihil enim de hac Xenophon, aut quisquam recentiorum post Gratium. Nisi paucula quae ex Aristotele transcripsit Pollux, & peculiari capite VIII. περὶ νοσημάτων complexus est. Quae parum est ut sciamus, si remedia ignoremus. At ea hic Gratius luculenter & affatim suppeditat. Quorum aliqua mutuatur, aliqua de suo addit Aurelius, ut in cynegetico illius advertemur. At nec tanti illa sunt, ut de palma cum nostro possint contendere. Videtur enim, ut omni in parte perfectum se ostendat κυνηγέτην, huic ex professo curam quoque impendisse, &, si non vane hinc auguror, medicinae dogmata haud leviter tantum calluisse. De quo videant Medicorum filii. Non enim meum est officinas illorum evertere, aut arcana artis perscrutari. Contentus mihi ero, si ea, quae ab antiquis magistris didici, in symbolum conferam, ut antiquitati, & verborum magis quam curationum integritati consulam. Non est tamen, cur de salute gregis nostri ex hisce petenda diffidam, cum Hypercritici Censoris illustre illud elogium considero: Ubi canum, inquit Scaliger Julius, tum morbos tum remedia describit Gratius, satis ostendit aetatis (imo & artis) suae felicitatem: sunt enim luculentissima. VLIT.

344. Militia] Bellicus apparatus. JOHNS.

344. Mavortia bello] Vulnera inter praeliandum per feras accepta. JOHNS.

345. Erranteis] Copiam innuit. Horatius

—— & nova febrium
Terris incubuit cohors —— BART.

345. Divortia] Discrimina. Varias species, genera diversa, vel successiones. Ut oppido eleganter Columella *divortia veris & hyemis* dixit. libro. IV. ca. XXVII. Sunt autem *divortia viae* in varios fines tendenteis. Lucanus lib. II.

Fluminaque in geminis spargit divortia campi.

Isidorus libro Origin. XV. cap. XVI. BART. Tot flexibus huc illuc per corpus serpentes, & inexpectatis vicibus adorientes. JOHNS.

346. Caussasque,] Haec quoque à Medicis petita vocis notio, ut supra ostendi ad illa: *caussaeque malum fecere paludes.* Eaque saepiuscule in Medicis his utitur: ut mox: *fallentesque argue caussas.* Et paulo post, ubi de pestilentia inquirit:

Cum vitium caussae totis egere latentes
Corporibus, seraque aperitur noxia summa.

Sed deinde: *& primas vincere caussas.* Dubitari possit utrum hoc modo, an simpliciter intelligendum sit: ut illud, quod sequitur: *elementa mali caussasque recidunt.* Potius tamen est ut eo, quem dixi, significatu accipiatur. *Caussae* sunt enim, *elementa mali*, quas αἰτίας ἀρχικὰς in genere vocant Philosophi. De quibus consulendi Medicorum illi, qui αἰτιολογικῶς pertractarunt, & ante alios Hippocrates. VLIT.

346. Affectusque] *Symptoms.* JOHNS.

346. Tueri] Curare. Lucretius libro. I.

—— Cibo natura animantum
Propagare genus possit, vitamque tueri. BART.

Non vulgaris haec vocabuli notio à Marone mutuata videri potest, quae illi frequentissima est. Et maxime ex Georg III. siquidem ex illo libro plurima in hac pharmacopoea sua condidit Gratius. Huic itaque loco geminum est:

Haec quoque non cura nobis leviore tuenda.

Id est consideranda. Ita & hic *tueri*, est advertere curam. Et superius *tutelam* eodem sensu posuit:

Transeat in catulos omnis tutela relictos.

Idem enim deinde *arbitrium* vocavit, ut suo loco

co

Stat fatum supra, Totumque avidissimus orcus
Pascitur, & nigris Orbem circumsonat alis.

Sci-

NOTAE.

co notavi. Hinc quoque *tutelam* in jure dictam esse puto; non à *tuendo* i. defendendo: quanquam id jam omnibus JCC. sedit. Autor inveteratae hujus opinionis est Servius Sulpicius, ut videre est L. *I.* D. de tutelis. Quo loco post Servianam tutelae definitionem subjicit Paulus JC. *Itaque appellantur tutores quasi tuitores, atque defensores: sicut aeditui dicuntur, qui aedes tuentur* Imo *aeditui* dicti, quia *aedes tuentur*, id est, inspiciunt. & ἐπισκοποῦσι. Sic & *tutores* dicti, quos *momboirs*, i. inspectores impuberum vernacula nostra indigetamus. Nec alia de caussa ἐπίτροποι Graecis dicti videntur, quasi animadversores. Ἐπιτρέπεσθαι enim esse advertere. Et *mommen* antiqua Belgarum lingua intueri significavit, ut ex derivatis agnoscere est. *Vermommen*, intuitum obvelare, aliaque in vulgus nota hoc arguunt. Sic etiam *tutores* olim dictos fuisse quid vetat? Frustra enim etymologiam à JCC. discamus, cujus inscitiam passim ipsi produnt. Error ille, quo tutorem, ut aedituum, quasi aedium defensorem, dictum fuisse argumentatur Paulus JC. utrumque evincit. Nam *Aedituus est sacrae aedis tuitor, id est curam agens*, ut recte docet Festus. Varro lib. VI. de L. L. *A quo etiam quidam dicunt illum, qui curat aedes sacras, Aedituum, non Aeditumum. Sed tamen hoc ipsum ab eadem profectum est origine, quod quem volumus domum curare, dicimus: tu domi videbis. ut Plautus cum ait: Intus para, cura, vide quid opus siet. Sic dicta Vestispica, quae vestem spiceret, id est videret vestem ac tueretur.* Hinc *tutor*, ἐπίσκοπος, ἔφορος, ἐπόπτης, vel *custos*; ut Flaccus in arte Poët. *custode remoto.* Et *tutela*, ἡ ἐπισκοπὴ quo sensu modo usurpavit noster. Nam *tueor*, & antiquitus *tuor* tam videre, quam defendere significant. Errant illi qui *tuor* & *tueor* diversa esse putant: quasi hoc defendere, illud videre tantum denotet. Quod alias latius ostendam, ne hic in scholiasticum pulverem nimis excurram. VLIT. Maro Georg. II.

Sin armenta magis studium vitulosque tueri.

Calpurnius noster Ecl. v. de gregibus item; *ipse tuendos Accipe.* id est, curandos. Sic Plautus Trucul. *ecquis huic tutelam Januae gerit*; id est, curam. Caeterum ἐτυμολογία τοῦ *Momboirs* à *Mommen*, omnino nunc displicet, & litura obducenda. Rectius ὁ πάνυ Grotius, quasi *Mondbergen.* Sane Francis antiquis *Mundebur*, tutela dicitur, in tuitionis formula apud Cassiodorum. Unde per metathesin Germanicum (nam idem cum istis Francis idioma habuere Germani ac Belgae veteres) *Vormundt*, id est, Tutor, derivatum videri possit. *Voormond* etiam dicitur in Frisica L. apud Siccamam. Quia scilicet ore suo pro pupillo foeminave, qui personam in judicio standi non habent, agit. Unde forsan factum prius *Mondvoor*; atque ita deinceps, *Monboor*, & *Momboir.* VLIT. *in Add.*

347. STAT FATUM SUPRA,] Hoc est, *imminet.* Virgilius.

Olli caeruleus supra caput adstitit imber.

Theognis,

Οὔ ποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω,
Δύσλοφον οὐδ' εἴ μοι Τμῶλος ἐπίκει κ. τ.

Sic & Pacatus locutus Panegyrico Theodosii. BART.

347. TOTUMQUE] Novi quidem *totum* posse conjungi cum *orbem*, videtur tamen expressum voluisse Graecum τὸ Πᾶν. JOHNS.

347. AVIDISSIMUS ORCUS] Mors ipsa, sive Pluto. Plautus.

Aggeruntem recipere Orcus noluit.

Tibullus libro III.

Me vocat in vastos amneis, nigramque paludem
Ditis, in ignava luridus Orcus aqua.

Lucretius libro. v. Alii. BART.

348. PASCITUR,] Deglutit, devorat, atque instar pecudis summos ejus floreis depascitur. Hinc interpretandum epigramma Martialis libro. IX. LXXXXII.

Duxerat esuriens locupletem pauper anumque
Uxorem. Pascit, Gellius, & futuit.

Hoc est, nihil aliud agit in conjugio tam absono Gellius quam laute vivere, aut famem pristinam magnis bolis explere, & illud nequam in gratiam anus patrare. Sic Firmicus, ut Gratius noster. *ardebis ut stipula, cujus inanis vilitas in cinereis favillasque servatur, quam rapax ignis violentia congeniti spiritus, pascitur.* Virgilius Georg. III.

Pascuntur vero silvas & summa Lycaei,
Horrentesque rubos ——

Ubi Servius: *& pasco & pascor illam rem, dicimus.* Falsus olim in Latinitatis damnanda hac phrasi Angelus Politianus, princeps Litteratorum

Scilicet ad magnum major ducenda laborem
Cura, nec expertos fallet Deus. hinc quoque nosse
Est aliud, quod praestet opus placabile numen.
Nec longe auxilium, licet alti vulneris ora

Ab-

VARIAE LECTIONES.

352. *Ora*] *Orae*. G. B.

NOTAE.

rum sui aevi, & sine quo fuisset, plurima nostra aetate in Litteris obscura essent. Latinitatis vero tam exactus & elegans, ut ipse cum Romanis, cum ipso nostri aevi nemo ullus certare possit. BART.

348. Nigris] Elegantissima pictura Mortis omnibus imminentis, & cujus stridorem omnium corda exaudiant; nigras illi alas tribuit, quod omnia funesta *nigra* vocare antiqui consueverint, omnia vero felicia, *candida*. De quo ad satiem alibi scripsimus. BART.

349. Laborem] Malum, quo corpus animusve laborat. *Malum* quoque saepe idem valet quod labor, quo exercitamur. Virg. *Adsuetumque Malo Ligurem*. JOHNS.

350 Deus.] Eventus; Fortuna. τὸ Θεῖον ita usurpant Graeci, maxime Eunapius & Zosimus in Christianorum invidiam. Saepe ita Heliodorus. Virgilius.

Nunc tremere instantis belli certamina dicit
Communemque timere Deum ——

Hoc est, Fortunam. Claudianus.

Desinet elatis quisquam confidere rebus,
Instabilesque Deos & lubrica numina discat.

Horatius.

—— *non tibi sunt integra lintea,*
Non Dii, quos iterum pressa voces malo. BART.

350. Hinc] Ab experentia nempe licet nosse aliud opus, quod praestat numen placabile. Heinsius hunc locum ita emendandum censet

—— *Hinc quoque nosse*
Est illud, quod praestet opis placabile numen.

numen opis, *i. e.* opiferum. postea, *animae numen* at quo saepius repeto hunc locum, eo magis displicet, ita merum frigus est, ita tarde incedit, utcunque omnis ponderis expers. Audacius itaque agamus, & sanitatem amputando licet restituere conemur. Sic ergo locum lege,

Scilicet ad magnum major ducenda laborem
Cura; nec expertos fallet placabile numen.

Idem postea vocat, facilis Paean.

Poterat sane aliquis paulo religiosior hanc notulam margini adscribere. JOHNS.

350. Nosse est] Graecismus. Menander.

Κατηγορεῖν οὐκ ἔστι τὸ ζητεῖν ὅμως. Idem.
Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ζῶντα: τοῦτο πείσομαι.

Vide Commentarium Indicis Appuleiani BART.

352. Est aliud quod praestet opus] Est aliud opus quod praestet. Simili trajectione Maro usus, in versu de cujus scriptura multis seculis dissidiae fuerunt.

Sunt aliae quas ipse vias sibi repperit usus.

Et Q. Serenus.

Sunt alii, quos dura movet Natura, tumoreis.

BART. Scribendum olim putavi: *hinc quoque nosse Est aliud*, vel potius, *illud*, *quod praestet opem*, *pl. n.* Nunc vero nihil mutari volo, postquam σύγχυσιν hanc verborum Gratio familiarem adeo esse observavi. Quae ut promptius agnoscatur, distinguendum erat:

Est aliud, quod praestet, opus, placabile numen.

BART.

351. Numen] *Deus. Hinc quoque nosse est illud, quod Deus praestat opus.* JOHNS.

352. Nec longe auxilium,] Virgilius Geor. III.

Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo.

Hinc noster *vulneris ora* dixit; pro quo inepte *orae* ex suo sibi codice adducit & commendat Barthius. Ita mox: *lacerique per ulceris ora.* Et deinceps: *si pernicies angusto pascitur ore Contra pande viam.* Quae plane ex Maronianis hisce expressa sunt VLIT.

352 Longe] Ex Marone,

Longe illi Dea mater erit —— BART.

352. Vulneris ora] V. *e. orae.* Quod hoc loco recipiendum. nam *ora* post paucos versus repetitur. BART.

353. Ab-

Abftiterint, atroque cadant cum fanguine fibrae:
Inde rape ex ipfo, qui vulnus fecerit, hofte
Virofam eluviem, lacerique per ulceris ora
Sparge manu, venas dum fuccus comprimat acer.

Mor-

VARIAE LECTIONES.

353. *Atroque*] Ita ego. *utroque* A. *utereque* Gefn. VLIT. A. Stern. *utroque*. Vlit. legit *atroque*. Parif. Lugd. *uteroque*. ex conj. Pyth. JOHNS.

NOTAE.

353. Abstiterint,] A fe videlicet invicem. Elegantiffimo hoc verbo, multi ita ufi funt. Apud nos exftat vetus membrana, in qua Lyrica quattuor carmina fub nomine Vefpricii defcripta, elegantiffima fane, & vetuftatis non dubitandae, ubi idem ufus hujus verbi. BART. Difcefferint ab invicem. JOHNS.

353. Atroque,] Ita elicui ex veteri lectione, *utroque*, quam ex archetypo fervaverunt primae editiones. Primus Gefnerus legendum conjecit, *uteroque*. Quod in editiones pofteras male propagatum fuit. At quis nefcit A & V nihil inter fe differre in vetuftioribus manu exaratis libris, quorum vetuftas hoc maxime argumento intelligitur? Defcriptoris itaque incuria *utroque* hic fcriptum fuit, pro, *atroque cadant cum fanguine fibrae*. Hoc etiam ex Georg. III. petitum videtur: *it naribus ater Sanguis*. Item Aeneid. III. *huic atro liquuntur fanguine guttae*. Ut *μέλαν αἷμα* Theocrito in Pharmaceutr. VLIT. Sic Vlitius. olim *utroque*, unde Pithoeus *uteroque*. non male JOHNS.

354. Rape ex ipso] Plurima in Naturae arcanis latent, quorum caufae parum funt vulgo exactae. Inter quae medicina illa quae ex corporibus laedentium ducitur, merito fuo recenferi debet. Scorpionis curatio nemini ignota eft, nec ulli Achillis medicina, qui cum à praeftantiffimo medico inftitutus effet, quem ipfe vulneraverat, eum ipfe optime perfanavit. quod in fabulam fomnii Poëtae deduxerunt. Sic adverfus muris aranei morfum ipfe necatus & oleo immerfus remedium praeftat. Aliorumque fui generis ictus innoxios facit, in cretam conclufus, & collo laefi appenfus, ut fcribit Vegetius Veterinar. libr. III. cap LXXXII. Ita & canis rabidi morfum jecur ejus decoctum atque deglutitum emendat, ut idem auctor eft libro eodem. cap. LXXXIV. &c. BART. Serenus Sammonicus c. XLVII.

Quem nocuit ferpens, fertur caput illius apte
Vulneribus jungi; fanat quem fauciat ipfa,
Utque Lariffaea curatur Telephus hafta.

Ita legendum eo loco, non *Cui nocuit*, quod Viro docto in adverf. placuit. Epitaphium vetus:

Nil te damna nocent communis funere lethi.

Haec quidamtarii fcriptura eft. Pro quo alii ediderunt: *Nil te dura movent*. Uti & antea in eodem Epitaphio: *Multorum invidiam tandem cavuiffe*. Quo loco iidem fuppofuerunt: *invidia*. Sed haec ὡς πάρεργα. Nunc pergamus. VLIT.

355. Virosam eluviem,] Pus vulneratae aut occifae ferae dicit, faniemque vulnerib. emanantem. Vel pinguem tabum vifceribus inhaerentem, aut omento adgnatam. BART. Non pus aut faniem, fed lotium intellige. *Virofam* vocat propter falfedinem. Ut *falfedinis virus* Plinio alicubi: & lib. XXXI. cap. VI. aquam marinam *vetuftate virus deponentem* dixit. De lotio autem loqui Gratium fequens illud arguit: *venas dum fuccus comprimat acer*: id eft, lotii virus. Et Diofcorides quoque adverfus vulnera à cane non rabido facta probat urinam ejus. Quod cum laudaret Gefnerus ὁ πάνυ, mirum eft, non vidiffe & haec de lotio ferino intelligenda effe. Fimum itaque caninum, quem illic Gratio oggerit, fomniis relinquimus, cum urinae *fuccus acer* aperte attribuatur, nec de fimo accipi poffit. Nec melius promiffo capillo hic ariolatur Barthius, & nefcio quae inaudita nobis obtrudit remedia ex pure, aut tabo; & aceto, quae nec cogitavit quidem hoc loco Gratius VLIT. Salfam. *virus* pro maris falfedine. Lucretius.

Ionium glaucis afpergit virus ab undis.

Plin. Lib. 31. c. 6. *aquam marinam vetuftate virus deponentem* dicit JOHNS.

355. Eluviem,] Urinam effufam. adi Doctiffim. Gronov. ad Livii L. I. c. 4. qui te doctiorem, pro fuo more, dimittet. JOHNS.

356. Succus acer,] Omnia acria fiftunt fanguinem. Per *fuccum acrem* Gratius acetum intelligit, quod praeter caetera bene cruorem fiftere,

Mortis enim patuêre viae. tum pura monebo
Circum labra ſequi, tenuique includere filo.
At ſi pernicies anguſto paſcitur ore,
Contra pande viam, fallenteſque argue cauſſas.
Morborum in vitio facilis medicina recenti.
Sed tactu impoſitis mulcent pecuaria palmis,

(Id

VARIAE LECTIONES.

358. *Anguſto*] Ita cit. Geſn. & P. *auguſto*. A. Steyn.
362. Hiatum interſerit poſt hunc verſum G.

NOTAE.

ſtere, ſcribit Celſus libro v. Vide & Plinium libro. XXIII. cap. I. Quare *tum* non *dum* ſcribendum, ut poſtulat ſententia. BART.

357. MORTIS ENIM PATUERE VIAE.] Elegantiſſime. Nam de magnis & latis vulneribus loquitur, ubi ex ventre fibrae cum ſanguine, ut loquitur, cadant. Ibi patet mortem minari canibus. BART.

357. PURA] Uno hoc vocabulo elutionem vulneris inſinuat. Nam *purum* prius fieri, dein de conſui decet. Labra autem vulnerum ita conſuenda, ut aliquantillum carnis vivae ex utroque latere acus trajiciat, ne filum facile cutem perrumpat. auctor Celſus libro. v. cap. XXVI. BART. Sic mundata, ſordibus purgata. JOHNS.

358. SEQUI,] Manu ſequi, & revocare diſcedentia vulneris ora. JOHNS.

360. CONTRA] E contra os ulceris amplius redde & latentes detege cauſſas. JOHNS.

360. PANDE VIAM,] Exſcindendum in viam latiorem vulnus praecipit, ut cauſae & laeſionis arcana pateſcant. Nam caeca illa & minus hiantia vulnera perìculoſiora norunt omneis. Contra, à ſana parte ad vulneris profunditatem ſcalpellum trahendo. Nam & in eo aliquid commodi eſſe autumant harum rerum periti. BART.

361. VITIO FACILIS MEDICINA RECENTI.] Id pro confeſſo omnibus. Perſius.

Elleborum fruſtra cum jam cutis aegra tumebit
Poſcenteis videas, venienti occurrite morbo.

Cicero Philippica VIII. *Omne malum naſcens facilius opprimitur, inveteratum fit plerumque robuſtius.* Eodem pertinet dictum Euripidis apud Stobaeum ſermone. c

Μικροὶ δ' ἰατρὸς τῇ νόσῳ διδοὺς χερῶν
Ἰᾶται ὕδη μᾶλλον ἢ μέγας χερά.

Quod perperam aliter exponas. Paria etiam apud Silium Italicum, & Ovidium. BART.

362. SED TACTU] Haud dubio intelligit aretalogorum aut circulantum, ut loquitur Seneca Epiſt. XL. quaeſtum, qui ſolo tactu morbos jumentorum curare dicuntur etiam hodie. Et ſaepe eventus ambigua credentium mente, reſpondit, fortuna non è re. De Pice exempla apud Plin. & Vegetium. Porro in v. e. ita diſparati ſunt hi verſus ut ſuſpicari ſubeat aliquot intercidiſſe. Sequentib de canum ſaliva loquitur, cui vis ineſt ſufficiens ſolo linctu vulnera minora perſanare. BART.

362. AUT TACTU] In morborum vitio recenti, manibus tantum leviter impoſitis mulcent pecuaria, id ſatis eſt. JOHNS.

362. *Tactu.*] Coelius Aurelianus L. I. Acut. *Manibus leviter defricandum, ſed non impreſſis.* quo nihil ad hunc locum accommodatius. idem enim Gratius dicit, *mulcent pecuaria manibus, ſed tactu impoſitis.* quae manus mollis partibus affectis calefaciendis & leniendis inſervit. Sed & inter Ludibria artis magicae erat, ut praeter carmina tactu etiam offenderent, aut devotiones ſolverent. Silius. L. I.

Nec non ſerpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactuque graves ſopire chelydros.

Plin. *Genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocat, ſerpentium ictus contactu levare ſolitos & manu impoſitâ extrahere corpori.* Vid. Gronov. l. 2. Obſerv. c. I. ubi haec, & plura. JOHNS.

362. PECUARIA] Interpres iterum hic homini libero nato ſtigmata inurit, mutilum pronuntiat, & de praeſtigiis neſcio qnae ex anili diſciplina nobis adducit. Omnem illi lapidem movit τὸ *ſed* non disjunctivum, ſed copulans. Quod etiam alibi notavi. *Pecuaria* autem de canibus dici mirum videri non debet. Infra: *defecta*

mala

(Id satis) aut nigrae circum picis unguine signant.
Quod si districto levis est in vulnere noxa,
Ipse habet auxilium validae natale salivae.
Illa gravis labes, & cura est altior illis,
Cum vitium caussae totis egêre latentes

Cor-

VARIAE LECTIONES.

365. *Validae*] Ita Parif. Gesn. Lugd. *validum*, A. Steyn.
366. *Cura est*] *Curas altior*. A. Steyn. Vlitius, *curis*, legit. & *illi*.
367. *Totis*] *Toties*. Ed. B. &. cit. Vide Comm.

NOTAE.

mala pecuaria tabe. Ita & Xenophon lib. VIII. de instit. Cyri equos & canes βοσκήματα vocavit. Et in Geoponicis lib. XIX. cap III. de canibus adjicitur: καὶ τὰς ἄλλας νόσους τῶν κτηνῶν, & *reliquos morbos pecorum*. Quo loco frustra Viri docti Cornarius & Gesnerus κυνῶν rescribi voluerunt, quasi pecorum appellatione canes non veniant. VLIT. Canes. quasvis bestias significat. Virgil. Equos Juvenal Asinos. JOHNS.

364. Destricto] Libri, *districto*. male. *destringi* & *abradi* simul leguntur, ut συνώνυμα. JOHNS.

365. Ipse habet auxilium] Aelianus lib VIII. cap IX. de canibus item: Τραύματος δὲ ἔχουσι τὴν γλῶτταν φάρμακον. VLIT. *in Add.*

365. Validae] Logi Edit *Validum* JOHNS.

366. Gravis labes,] Scabiem dicit, fatale canum malum. De ejus cura vide Plinium & alios Phamonis etiam exstat libellus in Germania olim editus, quem in hanc rem legisse utile sit, quamvis paucis is sit notus. BART.

366. Cura] Medicinale verbum, quod ea scientia sibi vindicavit quasi proprium. Salvianus libr. V. de Provid. *Qui cum ingravescere sibi morbos vitio suo fecerit, imperitiam medentis incusat, quasi vero curare ullam infirmitatem praecepta possint, si iis infirmus non obediat*. Et *cura* pro applicatione medicinae Prosper Aquitanus in pulcerrimo carmine contra ingratos.

Atqui salvator mundi non praemia justis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam,
Sed quod dispersum exciderat, fractumque jacebat,
Quaerere, & inventum reparare, ac reddere curae BART.

366. Cura est altior] Ita ab ingenio primus edidit Pythoeus. Ante quem omnes editiones repraesentant, *curas altior illis*. Quasi scriptum primitus fuerit:

Illa gravis labes & curis altior illis.

Altior labes, quam ut curae illam vincere possint Ut infra: *curaque potentia major*. Altiorem labem vocat, quam *caussae totis egere latentes Corporibus*. Quemadmodum paulo ante: *licet alti vulneris ora Absiliterint*. *Altum* enim & infra pro profundo posuit: *circum atrae moenia silvae Alta premunt*. Eodem sensu hic *altior labes* dicatur. Si tamen ex cod. suo: *cura est altior illis*, edidit Pythoeus, non est quod rejiciamus: modo *illi*, non *illis*, scribatur: *& cura est altior illi* Hoc enim est quod infra dicit: *ad magnum major ducenda laborem Cura*. *Cura altior* hic eadem, quae ibi *major* dicitur Cui etiam quadrat, quod supra ex hoc, uti vulgo legitur, loco illustravi:

Magnum opus, & tangi, nisi cura vincitur, impar. VLIT.

Ita in vett. libb. Unde proclive erat mihi olim rescribere, *curis altior illis*; *illis* δεικτικῶς, nimirum de quibus jam dixerat. Postliminio hunc locum retractans conjeci: *& cura est altior illi*, scilicet *labi*: pro, illius labis Ita Plautus Trinummo: *Ecquis huic tutelam Januae gerit*; pro hujus. VLIT. *in Add.* Ita ab ingenio primus edidit Pithoeus. Vett. Lib. *Curas altior illis*. Heinsius alicubi ad Ovidium plurimos confessit locos ubi simile occurrit mendum, ex brevi scribendi modo ortum. *Cura est*. Vlitius conjecit, *curis altior illis*. Pithoeana magis placet. Nam *illis* refertur ad *caussae* proximo versu, non ad *labes*, quod praecessit falsus est hic Vlitius qui putavit *illis* non posse stare & reposuit *illi*. JOHNS.

367. Toties] Nam semel licet exstirpata scabies, redintegratur saepius, & insanabilis ad

T 2 ex-

Corporibus, feraque aperitur noxia summa.
Inde emissa lues, & per contagia morbus

Ve-

N O T A E.

extremum fit. Gratius tamen scripsisse videtur, ut est in v. e.

—— cum vitium caussae totis egere latenteis
Corporibus —— BART.

Ita omnes praeter Barthianam editiones. Illa habet, *toties.* Quod supinitati suae imputare debuit Barthius, nec ideo codicem suum, quem nunquam vidit, ementiri, ut tanquam suum praedicet, quod omnes libri habent. Ejusdem formae & alia butrubata multeus ille luculentorum commentariorum (hoc enim encomium, tanquam foenum in cornu, titulo praefert) liber exhibet. Unum, quod ad manum erat, pro aliis loquatur. Versu cccxxxiii ubi omnes editiones habent, *& sumptis impiger armis*, ille edidit, *integer.* Animadvertit tamen in sua quoque sibi editione veteri legi, *impiger.* Atque adeo correctores (quo nomine nemo ante illum quam Pythoeus intelligi potuit) suggillat, quod hoc mutaverint, siquidem eam editionem secuti sunt. Quam, malum, editionem secuti sunt, Barthi! An eam, quam negas ulli visam, & ἄτοπον toties vocas, quia scilicet ex Nephelococcygia eam tecum dormitabundus advexisti? Sed eadem, qua ita vocas, pagina Lipsiae excusam esse ex literis Germanicis sive Longobardicis te arbitrari dixeras, & Germanicam passim indigetaveras. Quia nempe in Germania tua de ea, quam nunquam nisi per somnum vidisti, somniaveras aliquando. Nam in Germania ante te neminem autores hosce edidisse aperte in ipso luculentae editionis tuae capite pronuncias. Quid tamen immutaverunt, quos incusas, correctores? Ego in omnibus editionibus, *impiger*, legi vigilans video. At tu, *integer*, quod cerebro tuo excudisti, illos edidisse accusas. Nimirum quia nec alias editiones, nisi per somnum, inspexisti, qui tuam adeo ut simia simiam amas, laudas, commendas. VLIT.

367. Sera summa.] Sero enim summa mali aperitur, cum tota corpora intus scabie infecta & possessa sunt. *Summa* est, ut & supra diximus, ipsa mali perfectio, atque summitas. Sic Q. Serenus.

Summa boni est alacres homini contingere visus.

Seneca Epistola xl. *summa ergo summarum haec erit. tardiloquum te esse jubeo.* Plautus Truculento.

—— Venus
Quam penes amantum summa summarum redit.

Saepissime hoc usus verbi apud Lucretium. BART.

368. Seraque] Cum noxia lues jam inveteraverit, & sero prodiderit se ad *summum* evecta. *Summam* usurpat pro perfectione, consummatione, & rei ἀκμῆ. Petronius in initio. *Quis postea ad summam Thucydidis, quis ad famam Hyperidis processit?* JOHNS.

369. Per contagia morbus] Lege, *morbi.* Passim enim noster hic Maronis illa sequitur, ubi *morborum caussas & signa docet* Georg. iii.

Continuo ferro culpam compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Quam multae pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt, sed tota aestiva repente
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.

Hinc illud, quod praecessit: *Contra pande viam.* Et reliqua, quae operae pretium est inter se comparare, ut appareat quam parum summo vati inferior sit Gratius. Versu cccLvii. *Mortis enim patuere viae.* Hoc Maroni est: *Nec via mortis erat simplex.* Tum quod sequitur hic: *nec viribus ullis, Aut merito venia est.* Expressum est ex alio ejusdem libri loco, ubi supra boum stragem ita ingemit Maro: *Quid labor aut benefacta juvant?* Quodque addit noster: *aut spes extre precanti.* Respexit ista longe antecedentia:

—— alitur vitium vivitque tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora deos sedet omnia poscens.

Item quod hic continuo sequitur: VLIT. Virgilius Ecl. i.

Nec mala vicini pecoris contagia laedant.

Quod pro adagio habet Erasmus. Ovidius ii. Remed.

—— facito contagia vites,
Haec etiam pecori saepe nocere solent.

Porro ad *Mortis vias* ibidem adde Livium lib. xxxi. *Seque ipsi per omnes vias lethi interficereat.* Id est, modos. Ita Nemesianus Cynegeticon orditur: *Venandi cano mille vias.* Et frequens hoc in S. Scriptura. VLIT. *in Add.*

370. Exer-

Venêre in vulgum, juxtaque exercitus ingens
Aequali sub labe ruit: nec viribus ullis
Aut merito venia est, aut spes exire precanti.
Quod sive à Stygiâ letum Proserpina nocte

Ex-

VARIAE LECTIONES.

371. *Ullis*] *Ulli* B. conjecit.
370. *Vulgum*] *Vulgus* Ed. Johns. *Juxtaque*] *Jussaque* A. Steyn. ἀρχαϊκῶς.

NOTAE.

370. Exercitus] Turba omnis hoc vocabulo significatur. Claudianus de apibus, elegantissimo versu.

Mellifer electis exercitus obstrepit herbis. BART.

371. Aequali] Ὁμοῖος. communis. nulli parcens. JOHNS.

371. Ullis] Multo scitius legas, *ulli.* quomodo & à Poëta relictum contendere ausim quovis pignore. Nulli veniam à labe facit vel meritum, h. e. sagacitas & industria, vel supplex animus, vel vires denique. De *meriti* vocabulo vide nostra ad Claudianum, & eruditissimi Heraldi Commentaria ad Arnobium. BART.

372. Exire] Labem. ut & antea, *exibit vitium.* JOHNS.

373. Quod sive a Stygia, &c.] Maro paulo aliter in fine ejusdem libri:

Saevit & in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone: morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.

Ut haec Gratius, ita Gratium imitatur Aurelius:

Quod seu coelesti corrupto sidere manat,
Cum segnes radios tristi jaculatur ab aethra
Phoebus, & attonito pallens caput exerit orbe.

Quae se invicem mutua luce elucidant. Sed, ut dixi, à Marone divertitur paulum noster, ut altiorem exquisitionem institueret. Videtur enim respexisse Actaeonis fabulam, cujus temeritatem non in ipso tantum, sed etiam in canibus ulta est Diana, quae eadem Proserpina esse ab antiquis traditur. Namque & illis continuo tantam rabiem immisit, ut non modo dominum suum invaderent, sed etiam βραδυτέρῃσι γένυσσι Δαρδάπτειν κατὰ βαιόν. *tardisque vorarent Lenti maxillis*, ut canit Nonnus lib. v. Dionys. Dixerat jam antea:

——— ἀχνυμένης γὰρ
Νήπια σύνθεσαν βαρυφθόγγοιο ἰοχεαίρης
Φοιβάδος οἰστρήεντι μεμηνότες ἤθεα λύσσῃ.

Quos furtim commissa & inevitabilis ulli
Ira pharetratae in furias rabiemque Dianae
Egerat, sajanos vibrantes morsibus ignes.

Ita liceat haec Gratii verbis contexere, ut appareat *furtim commissam iram* ad Actaeonem referri posse, quia furtim tantum nudam Dianam conspexerat. Sed interpres τὸ *furtim* ad ultionem duxit, quasi latente causa ejus. *Commissa ira est*, quam vocat alicubi Maro, *ira irritata Deorum* Ut plane infra hoc reperit noster: *commissa quantum Deus ultor in ira Pone sequens valeat.* Aut si Virgilii illud Georg. iv. respexit noster:

Non te nullius exercent numinis irae,
Magna luos commissa.

Ira quoque, ut *lues* & *piaculum* alias, pro culpa hic potest accipi, tanquam effectum pro efficiente. Livius lib. xxvii. c. vii. *ob similis iram fugae missi eo erant*, i. culpam fugae. De quo Grammaticorum judicium esto. Agitur autem hic apud Gratium non de rabie, sed de pestilentia canum ab illo versu: *Illa gravis labes*, usque dum ad rabiem transit. Uti etiam Maro in adducto loco: *Pallida Tisiphone* Quare non frustra ibi adnotat Junius Phylargyrius: *Tisiphonem hic non unam Furiarum debemus accipere, sed pestilentiam cui eleganter Poëta hoc nomen dedit.* Gratius autem Proserpinam, sive Dianam autorem mali hujus nominat, quia summum illi in canes vitae necisque arbitrium attribuerunt veteres. Theocritus in Pharmaceutriis:

Τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι
Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα.
Nocturnaeque Hecatae, catuli quam protinus horrent
Sanguineos circum tumulos & busta meantem.

VLIT.

373. Nocte] *Nox* Poëtis Orcum notat, chaos illud in quod omnia resolvi putabant. Quia obscura omnia post mortem animantium illis erant. Exempla obvia. BART.

 374. Fer-

Extulit, & Furiis commissam ulciscitur iram;
Seu vitium ex alto, spiratque vaporibus aether
Pestiferis, seu terra suos populatur honores:
Fontem averte mali. trans altas ducere valles

Ad-

VARIAE LECTIONES.

374. *Furiis*] *Furtis* A. Steyn. optime, si apicem mutaveris. *furtim.* alii. JOHNS.

NOTAE.

374. Furtim] Causis latentibus. Omne enim quod clam fit, *furtum* dicitur. *Committendi* vero verbum mirifice positum. Nam *commissa ira* est, quae causam accepit ab aliorum commissis. Ut *committere iram*, esset provocare iram. An deductum à Circensibus, ubi ludi *committi* dicuntur, quibus concurrendi signum datur. Ut Varro *coenam committere* dixit. *Discumbimus, Dominus matura ovo coenam committit.* Multa de hoc verbo Nonius. Jureconsultorum phrasis *poenam committere*, pro ea quid dignum facere, Gratianae huic simillima est. Paulus ex Catone l. iv. de verbor. oblig. *commissa condemnatio* in Institut. de Action. De quibus vide eorum Commentaria. Hotomanum praesertim JCtum eximie Antiquitatis gnarum & Jurisprudentiae mystam fere incomparabilem. Est igitur apud nostrum *commissa ira*, in quam inciderunt crimine aliquo, qui ea plectuntur. Et repetit eam phrasin v. cdlv. BART.

374. Furtis] Ita Logi Edit. quod miror nullius oculos advertisse, cum ad sensum Authoris & stylum poeticum tam prope accessit. levissimâ enim mutatione *Furiis* legendum videtur, poenarum illis administris. & quibus omnia mala ascribunt Poëtae: Nonne in peste Virgilianâ suas agit partes Tisiphone? Furiis itaque recte Gratius dicit id officii mandari, committi, ut ulciscantur iram Deae Proserpinae. Si cui tamen *furtis* magis placuerit, & Historiam putet Gratio designatam, quae apud Livium perscripta est De Pleminii in compilandis Proserpinae Thesauris audaciâ & poenâ, per me licet Locum hunc Livii, Lib. 29. Sect. 8. amicus mihi suggessit, & cum Gratianis sane convenit unice. JOHNS.

374. Iram.] Pro culpa posuit & Livius lib. xxvii. cap vii. *Quique ex Praetoris Cn. Fulvii exercitu ob similis iram fugae missi eo erant.* Cornelius Celsus initio lib. i. de Re Medica, tradit ab Homero *morbos ad iram deorum relatos esse.* VLIT. *in Add.*

375. Ex alto,] Heinsius. *Exhalat.* at pace tanti viri nihil hic mutandum censeo. Nam unde quaeso exhalat illud vitium? E terrâ scilicet. atqui alterum sententiae membrum conficit vitium terrenis vaporibus ortum. Undecunque lues orta est, sive ex alto & vaporibus ex aëre pestiferis, seu terra suos populatur honores, &c. JOHNS.

376. Terra] Exhalationibus nimirum pestiferis. Scite vero animalia *terrae honores* nominat. Suadet vero cum primum contagio canes tetigerit, eorum stabula alio deducere. BART. Hinc Nemesianus:

Exhalat seu terra sinus, seu noxius aër
Causa mali.

Sed ille rabiei has causas assignat, nec videtur percepisse de pestilentia hic agere Gratium. Easdem quippe & pestilentiae causas recenset Maro:

Hic quondam morbo coeli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit aestu,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo. VLIT.

377. Fontem averte] *Avertere* dicitur de fontibus aut fluminibus. Claudianus iv. Consul. Honor.

Jusserat averso fluvium migrare meatu. BART.

377. Trans altas ducere valles] Maronis est alia in re eodem tamen lib.

——— ——— ——— *in sola relegant*
Pascua, post montem oppositum, & trans flumina lata.

Hinc est, quod subditur: *latumque fuga superabitis amnem.* Sed Gratius *vallem* pro *monte* posuit, quam per hypallagen *altam* videtur vocasse. Si enim pro profunda interpretere, ut alibi quidem, intellectu tamen duriusculum erit. Nec legi velim *latas*, quod olim mihi in mentem venit. VLIT.

378. Su-

Admoneo: latumque fuga ſuperabitis amnem.
Hoc primum effugium leti. tunc dicta valebunt
Auxilia, & noſtra quondam redit uſus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus una poteſtas.
Diſce vices, & quae tutela eſt proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,
Praecipitat letale malum: ſic tutius ergo

An-

VARIAE LECTIONES.

379. *Dicta*] *Ficta*. A. Steyn. Par. Lugd. *victa*. B.
380. *Redit uſus*] A. Steyn. *rediturus*.
384. *Praecipitat*] A. Steyn. *praecipiat*. *Sic tutius*.] A. Steyn. *ac tutius*.

NOTAE.

378. SUPERABITIS] Praeceſſit, *averte*; & ſequitur, *Diſce vices*. Quare hic quoque olim *ſupera citus*, aut tale quid legendum comminiſcebar. Nunc aliter ſentio, nec quicquam mutari volo. Frequentiſſima enim haec Poëtae noſtro verborum *ἀφελεια*. Et maxime obvia, qualis hic eſt, numeri enallage, cujus exempla alia inferius dabo. VLIT. Tu & tui canes. JOHNS.

379. VICTA] Ante nullius pretii aeſtimata, & ſuperata mali inſuperabili vi. v. c. *ficta*. Quod fictum. BART.

379 DICTA] Ita edidi ex conjectura. Jubet enim illa quoque remedia adhiberi, quae modo ulceribus curandis praeſcripſit; non quidem promiſcue, ſed cum delectu, & examine, quid optimum, ac praeſentiſſimum ſit. Hoc eſt quod addit: *&, quae tutela eſt proxima, tenta*. Fruſtra enim hoc ſit tentare, niſi remedia aliqua ſciamus, quae experiamur. Atqui *dicta* illa jam ſunt. Inepte ergo Barthius *victa* edidit, ineptius explicat. Tum *ficta*, quod ex ſuo ſibi ficto codice adducit, idem in aliis omnibus editionibus figmentum obtinet. Idem error exſcriptorum initio Apulejani Apologi corrigendus eſt: *Propter quod paulo prius patroni Aemiliani multa in me proprie conficta, & alia communiter in Philoſophos dicta ab imperitis, mercenaria loquacitate effutierunt*. Quod tamen verum eſſe non juraverim. VLIT.

379. DICTA AUXILIA,] Sic Ovidius Met. IX. de Iphide: *num me puerum de virgine dictis Artibus efficiet*. Nimirum quibus & Daedalus, & reliquae, quas dixerat, in amoribus ſuis adjutae fuerant. Quare, pace amiciſſimi & accuratiſſimi Editoris, dixerim hoc mihi praeplacere, quam *doctis Artibus*, quod languidum videtur. VLIT. *in Add.*

380. QUONDAM] Ita reſcripſi amici monitu. Libri omnes *quidam*. quod poſitum pro *aliquis* jure diſplicebat. JOHNS.

381. MOTUS,] Quibus ſanitas concutitur. BART. *Diſorders*. V. 391.

Scilicet hoc motu ſtimuliſque potentibus acti, &c.
JOHNS.

381. POTESTAS.] Non in omnibus canum motibus una eademque vis eſt, non iidem affectus & Symptomata. JOHNS.

382. DISCE VICES,] Diſcrimina & variationes ſe invicem excipientes. JOHNS.

382. PROXIMA] Primum obvia. Vide ad v. CCXXXII. BART.

383. PER CATULOS] In catulis. phraſis eſt Manilio uſitatiſſima, cui ad reprehenſionem *per ſidera, per mundum*, & alia talia repetuntur. BART.

383. INVICTAQUE TARDIS] Male in editione meâ typotheta aut hypotheta aliquis ſuppoſuit, *tardos*, cum praeſtet veterum librorum ſcripturâ ſtare. *Tardis* remediis, aut potius tertio caſu *tardis* medicis (qualis ille apud Maronem,

Qui medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat & meliora deos ſedet omnia poſcens)

invictam fieri rabiem dicit, quia interim malum praecipitatur. Idcirco addit: *ſic tutius ergo Anteire auxiliis*. Cui reſpondet Ovidii illud:

Principiis obſta; ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras. VLIT.

383. TARDIS] Non ſanabilis tardis, & ſtulte morantibus. JOHNS.

384. PRAECIPITAT] Logi Edit. Ita hunc verſum exhibet.

Prae-

385 Anteire auxiliis, & primas vincere caussas.
Namque subit, nodis qua lingua tenacibus haeret,
(Vermiculum dixêre) mala atque incondita pestis.
Ille ubi salsa siti percepit viscera longa,

Ae-

VARIAE LECTIONES.

388. *Percepit*] Gronovius egregie conjecit, *percepit*. Alii *praeterit* Plautus Menaechm. *prius|quam percipit insania*. VLIT.

NOTAE.

Praecipiat letale malum. ac tutius ergo.
Nemini non displicere languidum illud *sic tutius* puto. nonne itaque tibi videtur posse legi, praesertim cum mora tanto redit damno.

Praecipitat letale malum maturius ergo.
Anteire auxiliis, & primas vincere causas.

ac tutius mutandum est, in *Maturius*. Neque haec audacia est, prius enim *M* in fine *τ* malum absorpserat sequens ut passim fit. Sed & *praecipiat*, quod Logi Editio exhibet forte bene se habeat, hoc nimirum sensu. *Praecipiat* itaque custos canum anteire, *i. e.* occupet *anteire lethale malum maturius, & primas vincere causas.* JOHNS.

387. VERMICULUM DIXERE] In ambigua enim fide ab ipsis medicis habitum, vermiculus sit, nec ne, ut fuse ostendit Gesnerus in perfectissimo opere de animalibus Plinius tamen id quasi asserere videtur lib. XXIX. cap. V. *Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Graecis lytta: quo exempto infantibus catulis nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt* Quicquid itaque hac de re dissentiant alii, scio & nescientibus aut dubitantibus affirmo vidisse me exsectum canis mei lingua tendonem aculeatum utrinque & propemodum moventem se ad contactum. Quin etiam asserebat mihi ille exsector, qui quotidie hoc artificii ossiatum exercet, nunquam citius in rabiem agi canes, quam cum vitam nanciscitur & attactu suo vexare nervos incipit ille qualiscunque est vermiculus. Atque ideo vivum exsecari ex rabido jam cane non posse. Eo ne deveniatur, ut canit noster aliquanto post,

——— ——— ——— *ergo insita ferro*
Jam teneris elementa mali caussasque recidunt.

Nemo itaque est qui vermiculum hunc vidisse tradidit, quamvis ex communi opinione *vermiculum dixere*. Sextus Platonicus, siquidem Pliniana illa verbotenus fere descripserit, non vermiculum, sed *canis rabidi id quod sub lingua habet*, periphrastice vocavit. Confidentior non hic tantum Plinius, *cervis* etiam *inesse vermiculi sub linguae inanitate circa articulum qua caput jungitur numero viginti produntur*, refert lib. XI. cap. XXXVII. Cui malim fidem suam deneget, quam *musculos* supponat Clarissimus Rondeletius. Autor enim Plinio Aristoteles lib. II. Histor. Animal. cap. XV. ex quo etiam apparet scripsisse Plinium eo quo citavi modo, ne videatur duobus diversos locis vermiculos constituere. Unde tamen didicerit Plinius *lyttan* Graece vermiculum dici, ego adhuc quaero, cum omnes, quos consului, Graecorum medici ipsam rabiem, & propric tere caninam ita indigetent. Pollux cap. VIII. *Νοσήματα μέντοι κυνῶν τρία, λύσσα, ποδάγρα, κυνάγχη. ἀλλ' ἡ μὲν ποδάγρα οὐ πάντη ἀνίατος. ἡ δὲ κυνάγχη ἀνίατος· ἡ δὲ λύσσα εἰς θάνατον ἄγει.* Ita scribendum esse patet ex Aristotelis lib. VIII. Hist. Anim. cap. XXII. unde illa desumpta sunt. Aut si defendi potest vulgata lectio: *ἡ δὲ λύσσα ἀνίατος*, omnino id accipiendum ita ut Gratius *invictam tardis* rabiem esse modo dicebat. Sed melius etiam cum illo conveniat Polluci si eo, quo posui, modo verba ejus concipiantur *Ἡ δὲ κυνάγχη ἀνίατος*, id est quod inferius habetur:

Aut inmeritae si qua est tutela podagrae.

Ἡ δὲ λύσσα εἰς θάνατον ἄγει. plane Gratii verbis est, *rabies Praecipitat letale malum.* Unde & Nemesianus:

Est etiam canibus rabies letale periclum. VLIT.

387. INCONDITA] Barbara, & horrenda. Multa alibi super hoc verbo notavimus. BART. Informis, *shapeless* JOHNS.

388. ILLE] Ubi Vermiculus ille penetravit, occupavit viscera longa siti. ea enim est vis verbi, *percepit* quam emendationem Gronovio debes. Libri omnes *praecepit*. Vid. Gronov. ad Liv. Lib. 7. Sect. 26. JOHNS.

388. SITI] Hanc quoque causatur ibidem Nemesianus noster:

——— *seu*

Aestivos vibrans accensis febribus ignes,
Moliturque fugas, & sedem spernit amatam.

Scili-

VARIAE LECTIONES.

389. *Aestivos*] *Aestivosque*. B *Vibrans*] A. Steyn. *vibrant*. *Accensis*] *Accensi*. A. Steyn.
390. *Amatam*.] Sic Vlit. *amaram*. A. St. P. Lugd.

NOTAE.

——— seu cum gelidus non sufficit humor,
Torrida per venas concrescunt semina flammae:
Quicquid id est, imas agitat sub corde medullas.
Ultimum hoc Gratio est: *praecepit viscera.* quasi vermiculus ille, haud secus ac angina, etiam fauces occludat, aut potius motu suo incendat. Ita obiter rationem videtur assignasse perfectissimus vates, quam nemo inter veteres, quod sciam, tam prope attigit. Virgil. Geor. III. eandem ex aëris intemperie, quae pestilentiam producit, rabiei & anginae quoque originem deduxit: *Hinc canibus blandis rabies venit.* Nimirum postquam ex infecto aëre
——— ——— ——— ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus.
Quo noster haud dubie respexit. VLIT.

388. PRAECEPIT] Exhausit atque occupavit. Maro,
——— si lac praeceperit aestus
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
Ovidius lib. IV. Fastorum.
Et canis, Icarium dicunt, quo sidere moto,
Tosta sitit tellus praecipiturque seges.
Nemesianus.
Haec jam magnorum praecepit copia vatum.
Appulejus li. IV. *Et ipsum quod incipit velle statim quasi pridem praecepit.* Hoc est, occupavit. Quae Appuleji verba, ejus stili non adeo felix aemulator Martianus Capella versiculo expressit, omnibus notissimo. Sic Livius li. XXXI. *nox, diesque insequentis pars ad praecipiendum iter Philippo data est.* Hoc est, antecapiendum, sive ut Ausonius loquitur, *anticipandum.* Virgilii & Gratii nostri phrasis Lucretium auctorem habet lib. VI.
——— aestus ubi aëris
Praecepit ferrique vias possedit, apertas.
Constructio porro ne cui moram faciat, talis concipienda est sermonis: Vermiculus ubi occupavit viscera salsa longa siti, canes occupati vibrant aestivos ignes, febribus accensi. Vibratio ignis ad fervidissimum halitum referenda. Quo videntur aërem ipsum canes incendere. Concinnior erit sententia si scribatur, *aestivosque vibrant.* Ut illud ad canes referendum clarius videatur. *Vibrandi* verbum priore syllaba brevi ponit Catullus. Ne quid dubii inde sit. BART.

389. AESTIVOS VIBRANT] Nonnus Dionys. V.
Φοιτάδ᾽ ὅπως λυσσῶντες ἀκοντίζουσιν ἀϋτμήν.
Dum vibrant rabidis agitatos morsibus ignes.
Φοιτάδ᾽ quasi *fugam molientis*, si bene id ad verniculum retulit Interpres, qui mala tamen conjecturandi rabie hic legi voluit: *Aestivosque vibrant. Vibrare* autem propria de rabidis locutio videtur esse. Unde Ammiano suam facile scripturam asserere est initio lib. XIV. *sed adversando jurgandoque, cum parum congrueret et, ad rabiem potius evibrabat Augustum, actus ejus exaggerando creberrime docens (an loquens?) idque, incertum qua mente, ne lateret, affectans.* Quam miror ex Regio cod. in editione sua non servasse Doctissimum nuper Editorem, sed pessime interpolasse. Nec felicius alter ingenio suo, ut monstrum vocabuli ostentaret, quam veteri scripturae credere maluit. VLIT.

389. VIBRANS] Ita ex conjecturâ Gronovius. olim *vibsant*. nullo sensu. JOHNS.

389 AESTIVOS] Quales in Aestu solet. JOHNS.

389. ACCENSIS] Olim *accensi*. JOHNS.

390. MOLITURQUE FUGAS] Vermiculus videlicet ille pestifer, laborat exire lingua ambusta caloribus, & sedem amaram migrare. *Amarum* pro incommodo atque hostili ponitur imitatione Graecorum. Quod cum minus notatum sit hactenus, exemplis pluribus docebimus. Solon optat a Musis, εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν. Musaeus.
Καὶ δὲ λύχνον ἄπιστον ἀπέσβεσε πικρὸς ἀήτης.
Cebes Thebanus, si quidem is est. πικροὺς καὶ κακοδαίμονας, καὶ πικροὶ, καὶ ἀμαθεῖς ... κακῶς βιοῦσι δέ. Sic Aristotel. scribit. τοὺς μονοσιτοῦντας πικροτέραν τὴν ἔχειν, ἢ τοὺς δὶς τροφαῖς χρωμένους. Quod ex eo memorat Antigonus περὶ θαυμασίων. Aeschylus Prometheo Σὲ τὸν σοφιστὴν, τὸν πικρῶς ὑπέρπικρον. Idem Persis:

Scilicet hoc motu, ſtimuliſque potentibus acti
In Furias vertêre canes. ergo inſita ferro
Jam teneris elementa mali cauſſaſque recidunt.

Nec

NOTAE.

—— πικρὰν δὲ πάϲ ἐμὰς τιμωρίαν
Ἀλαστόρων ἀλλαστόρων ὄψει ——

Heliodorus libro VII. καὶ τὼ χεῖρε διαρρήψας, ἐγώ, ἔφη, πικρογάμους θύσω συμπλακείς. πικρὰς Συνοδίας apud Philonem, cujus codex ad manum non eſt. Lucianus Diſſert. cum Heſiodo. καὶ εἴτι ἐν τῷ τῆς ποιήσεως δρόμῳ προσφέροιτο λαβὴ πικρῶς τοῦτο ἐξετάζειν. Zoſimus lib. I. διὰ τοιούτου τολμήματος ἐλευθερώσαντες πικρᾶς τὸ πολίτευμα τῆς τυραννίδος. Ita πικρὰ βέλη apud Crinagoram, πικρὸς ὀιστὸς apud Statyllium Flaccum. πικρὸς ζῆλος apud Chriſtodorum. πικρὸς ἔλεγχος καθύπερθε apud Julianum lib. VI. Epigramm. ἀρὰ πικρὰ apud Damaſcenum Hymno in Theogoniam. ἄτης πικρὸς apud Marcum Epiſcopum Hydrunti, &c. alia exempla collegit Petrus Victorius Commentariis in Ariſtotelis Rhetorica. Sic Latini. Ovidius, de Ponto lib. I. Eleg. X.

O quoties vitae cuſtos invifus amarae
Continuit promtas in mea fata manus.

Ita *acidi* vocem uſurpant. Ut Petronius *acide ſibi fuiſſe* pro male ſe exceptum, dicit. Et *acerbi*. Rutilius.

Quo magis eſt facinus diri Stiliconis acerbum.
BART.

390. SEDEM SPERNIT AMATAM.] Ita levicula mutatione locum hunc reſtitui. Lucanus lib. I. *& extremo tunc forſitan urbis amatae Plenus abit viſu.* Nec pejor tamen, ſi cui arridet, Viri Clariſſimi conjectura eſt: *& ſedem ſpernit avitam.* Cui aſtipulatur Virgilius lib. III. Georg.

Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.

Nam Barthii phalerae, quibus vulgatam adornat, emptorem non adeo facile deliniant; niſi qui poſt bonae frugis oblationem glandem malit. Nec recte haec ad vermiculum applicavit, quae ad canem pertinent. Fefellit illum, ut ſemper, numeri enallage, qua toties jam uſus eſt Gratius. Quod ne identidem oſtendere neceſſe ſit, ad verſ. DIX. una congerie exempla omnia proponam. *Molitur fugas*, nimirum, ut dixi, canis, id eſt, jam vagari & hac illac infane diſcurrere, ut ſolent rabioſi, incipit. Ideoque includi praecipiunt κυνάγχαι: quia ipſo motu validius inſanire & furere occipiunt. Ita intelligendum quod ſequitur poſtmodum apud Poëtam noſtrum:

Scilicet hoc motu ſtimuliſque potentibus acti
In furias vertêre canes. VLIT.

Ita recte, pro *amaram*, reſtitui. Eadem opera indiget Maro Ecl. I. ubi ſuis dicit capellis: *falices carpetis amatas.* Quo loco mirum jam Servii aetate lectum, *amaras*; quod ille inepto commento fruſtra defendit; cum ipſe fateatur, *capris dulces* eſſe falices. Nam & ipſe ita Maro Ecl III.

—— *Dulce*
Lenta ſalix foeto pecori. VLIT. *in Add.*

390. AMATAM.] Vlitius pro *amaram.* recte. Nec Heinſiana diſplicet lectio, *Avitam.* JOHNS.

391. STIMULISQUE POTENTIBUS] *Stimuli*, Graeca imitatione quivis affectus mentem aliquo impellenteis. Ut hoc loco *furor* eorum vocabulo cenſetur. Auſon.

Terrorem ingeminat, ſtimuliſque accendit amaris.

Appulejus libro V. *illa veſana libidinis & invidiae noxiae ſtimulis agitata.* Claudianus in Rufinum.

Invidiae quondam ſtimulis incanduit atrox
Alecto ——

Stimuli conſcientiae apud eundem Appulejum libro VII. Virgilius libro IX.

Heic Mars armipotens animum vireſque Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit.

κέντρον eo modo frequenter cadentis Graeciſmi Poëtae poſuerunt, ut Nonnus, Muſaeus. Sed & alii, melioris aevi. BART.

392. VERTERE] Verſi ſunt. Hac figura ſaepe utitur. BART. Verſi fuere frequens eſt illa Ellipſis pronominis poſt verba activa. JOHNS.

393. ELEMENTA MALI] Prima cujuſque rei principia *Elementa* vocantur. Lucretius libro VI.

Conſieri ex ipſo poſſunt Elementa vaporis.

Horatius lib. I. Epiſtol. I.

Reſtet ut his ego me ipſe regam ſolerque Elementis.

Comment. *principiis philoſophiae & praeceptis primis.* Hinc factum eſt Literas, quae prima principia ſunt ſcientiarum, vocari *Elementa.* Idem Horatius.

—— *pueris dant cruſtula blandi*
Doctores elementa velint ut diſcere prima.

Terentianus Maurus.

Elementa rudes quae pueros docent magiſtri.

Un-

Nec longa in facto medicina est ulcere. purum
Sparge salem, & tenui permulce vulnus olivo.
Ante relata suas quam nox bene compleat umbras,
Ecce aderit, factique oblitus vulneris, ultro
Blanditur mensis, Cereremque efflagitat ore.
Quid priscas arteis inventaque simplicis anni
Si referam? non illa metus solatia falsi

Tam

NOTAE.

Unde Senecae illud Epistola XXXVI. *turpis & ridicula res est, Elementarius senex.* BART.

394. ULCERE.] *Tuberculum* ita vocat, qui post sectionem subnasci solitus. Vide Celsum lib. v. cap. XXVI. BART.

395. TENUI] Non qualitatis, ut quis putet, sed quantitatis hoc est. Ut Virgilius Georg. III. cum meridie quidem *alta greges ad stagna* jussisset

Currentem ilignis potare canalibus undam,

Solis ad occasum, Tum tenues dare rursus aquas, praecipit, nimirum ut mane ipso rore sitim sedaverant. Unde Palladius Novembri tit XIII. *Deinde ubi flexo jam die ardor infringitur, & solum primo imbre vespertini roris humescit, gregem revocemus ad pascua.* Ille enim per *tenues aquas* rorem intellexit apud Maronem, à quo illa desumpsit. Sed praestat de aqua interpretari, ut rectius Columella lib. VII. cap III *Tenues*, id est modicas: quod forte & Phylargyrius intellexit, dum exponit, *parvas*. Inepte vero Servius aquarum id epitheton esse ex alieno ad hunc loco collegit. VLIT.

395. TENUES AQUAS] Id est, *exiguas*, ut Plinius fabam desiderare dixit lib. XVIII. cap. XII. Procopius in Arcanis βραχεῖ ὕδατι Justinianum se sustinuisse refert. Ita promiscue Graecis, βραχύ τι ὕδατος. Ovidius II. Fast.

Et tenuem vivis fontibus affer aquam.

Quantulum scilicet crater corvi pedibus vehendus caperet. VLIT. *in Add.*

399. QUID] Quid si referam veterum artes, & reperta aevi imperitioris? operae pretium sane foret. Non enim illa inventa, (si fuissent solummodo Θέλγητρα δεισιδαιμονίας, ad deliniendas superstitiosorum mentes fabricata) tam diu fidem apud omnes sustinuerant. JOHNS.

399. ANNI] Ita habet & v. e. Mirum vero simplicem *annum* pro aevo rudi usurpatum. *Annus* quidem ponitur pro omni tempore. Sed ego hunc locum suspicor corruptum; & quam facile *anni* ex *aevi* factum? BART.

399. SIMPLICIS ANNI] *Annus* per synecdochen partis pro toto, ut *Longa dies* apud Poëtam, pro aevo ponitur. Noster supra: *illum primis nemorum Dea finxit in annis.* Illud enim venationis primum aevum hic respexisse videtur. Quare nimia inepti interpretis contumacia est, qui cum haec intelligeret, nihilominus ibi *armis*, hic *aevi*, & apud Nemesianum Ecloga IV. *annis* ex suo sibi cod. obtrudat. Ubi proba lectio est, quam in hac editione servavi:

Donum forma breve est, nec se tibi commodat annus.

Id est tempus, quod mutare omnia consuevit. Seneca:

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis.

Hinc est quod *annuum* pro longaevo saepe ponitur. Glossae veteres: *Annua, anus, γραῦς, πολυετής.* Ita scribendum conjicio. Ut forte respexerit Glossographus illud Poëtae alicujus: *fama loquetur anus.* i. longaeva. Eaedem Glossae paulo post: *Annosa, annua, πολυετής.* Sic emacula. Latinus Pacatus: *Spe victoriae, cum luce ventura pervigil ageret, tardum solem, desertorem diem, annuum noctis aestivae tempus criminatur.* Adeo enim morarum impatiens erat Imperator, ut quamvis brevissimae aestate noctis tempus anno longius illi videretur. Ovid. Epist. XVIII.

Septima nox agitur spatium mihi longius anno.

Quod antea dixerat: *& nox erat annua nobis.* Epitaphium vetus à Pythaeo editum:

Nondum vicenos annos compleverat, annum
Supremum Parcae forte dedere mihi.

Id est, supremum tempus. Scribendum ipso ex lapide tamen est: *annos compleverat annus, Supremum* &c. VLIT.

400. NON ILLA METUS. *Non falsi metus solatia tam antiquam fidem habuere. Non falsi metus solatia* vocat curam canum & instrumenta ejus ab

V 2 usu

Tam longam traxêre fidem. collaribus ergo

Sunt

NOTAE.

usu probata. Quae non tam diuturno tempore fidem habuissent, si falso metu aut religione fuissent inventa atque usui mandata. Hic sensus est Gratii. BART.

400. METUS] Religionis. Hinc fortasse interpretandum illud Virgilianum Ciris, quod negotium nobis fecit.

Ergo metu capitis Scylla est inimica paterno.

Sic frequenter *horror* pro religione usurpatur. Proba Falconia.

Non mihi saxa loqui vanus persuadeat horror

De quo vide quae notamus ad Claudianum. BART.

400. SOLATIA] Haec vox frequenti usu ad inanima ab animatis deducta est. Lucretius libro v.

Et vigilantibus hinc aderant solatia somni,
Ducere multimodis voces, & flectere cantus.

Virgilius Georgico primo.

Interea longum cantu solata laborem
Arguta conjux percurrit pectine telas.

Horâtius libro II. Od. v.

—— nunc flaviis gravem
Solatus aestum ——

Solatium famis apud eundem Virgilium. *Solatium mortis* apud Phaedrum, *ultionis* Appulejum, &c. *Oblectandi* verbo eodem modo usus Plautus non semel BART.

401. LONGAM] Longe durantem. Simili phrasi *longum jactum* qui quam remotissima penetrat, dixit Apulejus. BART.

401. COLLARIBUS] Necessarius eorum usus cum in armandis validioribus, & majores feras invasuris, tum in alligando *inductore*. Itaque diversa illis atque huic conveniunt. Bellatoribus illis aeque ac villaticis graviora: ferreis quidem clavis munita, sed non pari modo. Villaticorum *millos* vocant veteres: alii *milla*, & *mella*. Varro lib. II. R. R. cap. IX. de villaticis agens: *Ne vulnerentur à bestiis, imponuntur his collaria, quae vocantur mellum, id est cingulum circa collum ex corio firmo cum clavulis capitatis; quae intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri.* Ubi non fero Illustrem Criticum, qui *maelium* legit, ut a transmarina origine vocem deducat, quae Latio nota. In schedis Festi: *Millus collare canum villaticorum factum est ex corio, confixumque clavis ferreis eminentibus adversus impetum luporum. Scipio Aemilianus ad Pop. Vobis, inquit, Reique publ. praesidio erit is quasi millus canis.* Perperam vulgo: *canum venaticorum*, Glossarium Isidori: *Millum, collare canis*. Melius mihi quidem videtur a *mele* vel *armillà* Gesnerus, quam a *μιλαξ* Scaliger, vel a mille clavis alii vocis ἔτυμον petiisse. Quanquam vix ex illis Propertii id capiam:

Serica nam taceo Volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes.

Lascive enim istos armillis Cynthiae ornatos, ut & serico carpento vectam ipsam fuisse, accipio, ne quid temere, si modo vetus scriptura est, mutandum cum reliquis censeam. Nam Scaligeri conjecturam diu est quod illegitimam esse nos docuerit ὁ πάνυ Salmasius; sed cur ipse *Syrica* quam *Serica* malit, nondum didici. Ita munitum ferreis clavis *millum* villaticis convenire, dubio procul est: an & venaticis, dispiciemus; ne temere ita apud Festum reposuisse videamur. Quale id fuerit, docet Xenophon: Κυνῶν δὲ κόσμος, δέραια, ἱμάντες, τελαμώνιαι. (ita enim ex MSS. potius scribendum, mox apparebit) ἔστω δὲ τὰ μὲν δέραια μαλακά, πλατέα, ἵνα μὴ θραύῃ τὰς τρίχας τῶν κυνῶν. Nihil in eo duri aut clavorum. An ne currentum pedes implicent, vel aures ne laedant, aliâve de causa, non dixerim. Videtur id tamen praecautum; dum in utroque latere lorum clavis & aculeis ferreis confertum pro munimento erga validiores feras habuerint. Tales fuerunt illae τελαμώνιαι, quas ita describit porro Xenophon: αἱ δὲ τελαμώνιαι πλατεῖς τοὺς ἱμάντας, ἵνα μὴ τρίβωσι τὰς λαγόνας αὐτῶν. ἐγκαττυμέναι δ' ἐγκεντρίδες, ἵνα τὰ γένη φυλάττωσι. Sed planius Pollux: Τελαμωνία δὲ καὶ αὐτὴ, πλατὺς ἱμὰς ἐκτεινόμενος ἀπὸ τῆς δέρης περὶ τὰς πλευρὰς παρ' ἑκάτερον ... ὡς τὸ γίνεσθαι τὰ μὲν τὰς ὠμοπλάτας ἄκρας καὶ τὰς λαγόνας εἰργόμενα· ἧλοι δὲ καὶ ἐγκεντρίδες ἔνεισι ταῖς τελαμωνίαις. Certa itaque praelia facturi ita armabantur canes; vel etiam ferinâ toti pelle contegebantur, ut ibidem adnotat Pollux. Ornatus gratia in cervo suo tale quid videtur finxisse Calpurnius Ecl. VI.

—— & a dorso quae totam circuit alvum
Alternat vitreas lateralis cingula bullas.

Lo-

Sunt qui lucifugae criſtas inducere Maelis

Juſ-

NOTAE.

Lora iſthaec utrinque collari alligabantur; ita ut & ſeparari ac omitti poterant, ſi uſui non eſſent. Collare autem ſimplex & unum ac idem ſemper, ſive ... jungendis, ſive ... , de quo loro ductitio ſupra egimus: vel etiam copulandis, aut domi alligandis inſerviat, ut ad Nemeſianum dicam. Collare vocat, ..., autor Epigrammatis apud Suidam in ..., quia ſive clavis. Sed nec ipſe Suidas, nec H. Stephanus inde recti quicquam percepit. Κνῶξ..., inquit, ... Ille enim pro loro quo ducitur & retinetur in inveſtigando canis accepit. At in adducto verſiculo omnino pro collari poſitum, quis myops non videat? Solent ea quam latiſſima ac mollia maxime habere inductores, & reliqui ſagaces. Fruſtra itaque veretur Interpres ne durum nimis collare ſit ad *inducendas maelis criſtas* Nec proximum verſum memoria tenuit: dum *millis* reſcribendum magna voce clamitat. Quid enim ſit, *collaribus millis criſtas inducere lucifugae?* Unum idemque eſt *millus*, & *collare*. Iſthic vero abeat cum *veſpertilione* ſua ..., ne ſaltem noctuas Athenas. VLIT.

402. Cristas inducere Maelis] Quale animal *Maelis* dicatur omnib. notum. Sed hoc loci nomen non habet. Et vix ullum puto hunc locum hactenus intellexiſſe. Scribendum primo, *Millis*, id eſt, collaribus caninis, quae ita vocantur. Feſtus. *Millus collare canum venaticorum factum eſt ex corio, confixumque clavis ferreis eminentibus adverſus impetum Luporum.* Scipio Aemilianus ad populum: *volis* inquit, *Reique Publicae praeſidio erit is quaſi millus cani.* Ita apud Feſtum ſcribendum, non *ertis*, ut vulgo proſtat. Varro lib. II. de re ruſtica. cap. IX. *ne vulnerentur à beſtiis, imponuntur his collaria, quae vocantur maelium* (ſcribendum puto *Millum*) *id eſt cingulum circa collum ex corio firmo cum clavulis capitatis, quae inter capita inſuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. Quod ſi lupus aliuſve quis his vulneratus eſt, reliquos quoque canes facit ut ſint in tuto.* Quis uſus *Maelis* ſit in duriſſimo illo corio, quod clavos verſim capitatos ſuſtinere debet, nemo reſponſurus eſt At *millos* vocatos ipſa canum collaria, Feſto fides non deneganda eſt. Iam per *Lucifugae criſtas* Gratius nihil aliud quam Veſpertilionis criſtas intelligit, quam commodiſſime avem eo nomine inſignivit. Notum autem in multis incantationibus, & aliis amuletis aut appendiculis ejus animalis uſum veteribus fuiſſe. Ita ejus criſtas collaribus canum inſui praecipit, tamen ſingularis cujuſdam vis contra morbos participes. Alioqui quae *Maelis* criſtae ſint, aut quem uſum in collari habiturae, quae abſurde tamen vel nominentur, ego non capio Omnino latentem Gratii ſententiam proſpero Apolline extricavimus. Varronis adſcripta modo verba & ipſa mendoſa etiamnum ſunt. De Collaribus enim caninis loqui Gratium ex ſequentibus liquido apparet. BART.

402. Lucifugae Maelis] Quia cavernas incolit, & ſaepe haud aliter ac urſi totam hyemen in iis ſe tenet, ut referunt mihi fide digni amici mei, qui aliquoties in Germania maelem venati ſunt. Hinc Rutilius Numatianus in Itinerario ſuo lib. I.

> *Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit:*
> *Squallet lucifugis inſula plena viris.*
> *Ipſi ſe monachos Graio cognomine dicunt,*
> *Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.*

Unde & *ergaſtula* mox illis adſignat, quae ſubterranea fuiſſe ex Plauto aliiſque didicimus Itaque *Lucifugae* dicuntur Maeles quia foveas ſub arboribus plerunque, quas nunquam luce ſua perfundit Titan, inhabitant: non autem quod noctu tantum graſſentur. Aliam enim eſſe *maelem* ac *foinam*, quam vocant Galli, dudum nos docuit Geſnerus. Nec quidem contrarium Varronis loco evinci poteſt lib III cap. XII ubi leporarii ſepta, *ut tectorio tecta ſint*, praecipit, *ne meles aut feles aliave quae beſtia intrare poſſit.* Nam & *taxi*, qui omnino maeles veterum ſunt, ungues ita probe aculeatos habent, ut ſeptum aliquod mediocris altitudinis aſcendere valeant. Quanquam illis, qui ex ſuillo, quod dicunt, genere ſunt, hoc denegatum ſit. Alterius vero aliquem generis, quod caninum vocant, ipſemet ego vidi in Anglia arborem conſcendiſſe. Angli inter alia taxi nomina etiam *gray*, ut Galli *griſart*, id eſt canum à colore pili indigetant. Ideo enim & Gratius ſupra: *canaque e maele galeri.* Non eſt itaque cur Geſnero non aſſentiar *taxum* hodiernum revera eſſe antiquorum *maelem*. Poſſit tamen ſcrupulum injicere id quod Plinius

V 3 tra-

Jussère, aut sacris conserta monilia conchis,

Et

NOTAE.

tradit lib. VIII. cap. XXXVIII. *Alia solertia in metu melibus: sufflata cute distentae ictus hominum & morsus canum arcent.* Alia enim solertia taxo: inclinato & per posteriora crura extento capite dorsum arbori applicans canes morsu venenifero arcet. Habet tamen cutem durissimam. Itaque quod de distentione illius refert Plinius, vereor ut fidem mereatur. VLIT.

402. LUCIFUGAE] Minutius Felix de Christianis sui aevi: *Latebrosa & lucifugax natio.* Durius, quam *lucifuga.* Ammianus lib. XVI. *cum soleant latebras captare secretas, ut lucifugae vitantes multitudinis laesae conspectus.* VLIT. *in Add.*

402. CRISTAS INDUCERE] Plurimum in collaribus, scutis, pharetris, aliisque id genus a pluvia muniendis melini corii usum & olim & hodie esse, fuse ostendit ὁ πάνυ Gesnerus. Non hoc tamen spectasse hic Gratium, verba ipsa fidem faciunt. Sed potius, ut morbos, & maxime scabiem, praeveniat, melinam pellem collari intrinsecus induci velle: quandoquidem ita molliter vestitum collare collum non exasperet, neque terat. Maxime si ferreis clavis confixum fuerit. Varro: *quae intra capita* clavorum *insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri.* Sed etiam ne, dum *tendant fortia trito vincula collo,* ut Seneca loquitur, nimium noceant inductoribus aut sagacibus, id fieri convenit. Nam eapropter & agnino corio ad quaevis collaria olim usi. Pollux: [illegible] puta) [illegible]. Huic usui itaque melinam pellem vel caudam videtur commendare noster. Nec verisimile est adversus veneficia hanc tantum adhiberi velle, ut quidem illa quae sequuntur. Quare illa omnia hoc fere modo interpungi ac scribi malim:

——— ——— ——— Collaribus ergo
Sunt qui lucifugae cristas includere maelis
Jussere: aut sacris conserta monilia conchis,
Et vivum lapidem, & circum Melitesia nectunt
Coralia, & sacris adjutas cantibus herbas.
VLIT.

402. MAELIS] Hanc eandem esse cum *Taxo* (*Badger*) censet Vlitius. contra Salmasius, qui pro *Cato putoso* (*Pole-Cat*) habet, vel viverrâ; quae Graece dicitur κτίς: unde κτιδέη galea vel galerus ex pelle hujus animalis factus, & sane hic Gratius,

——— Canàque e Maele galeri.

Hinc fortasse sua lux huic loco reddatur; nemo enim interpretum hucusque intellexit, quid sit *inducere cristas Maelis collaribus* canum. Crista autem galeae pars summa, & pro ipsa Galeâ sumitur. licet igitur primâ fronte nihil ultra videatur intelligi hisce verbis, quam Veteres inter praecepta tradidisse, collaria canum ad amoliendam fascinationem morbosque pelle maelina induci tegique debere: quis tamen ferre potest *Cristas* simpliciter dictas pro pelle vel corio Maelino, si non Metaphoram duram minus reddiderit cogitando, tum galeas ex pelle Maelinâ fieri solitas, tum usum galearum eundem esse. quidni itaque Gratius rem simplicem ita dictis efferat & grandiorem det? Sunt igitur qui pilosam pellem Maelinam, (quae quasi altera galea protegat canes, defendatque malignos fascinantium ictus) collaribus eorum induci jussere. JOHNS.

403. SACRIS] Propter Venerem hoc dicit, cui concha sacra, ut notissimum. *Conchae* autem acutae ut manum insertam incautius praecipiant, vide Plinium li. IX. c. XXXV. Ideoque collaribus annexas dicit. Vel propter religionem occultam. BART. *Venereas conchas*, sed minusculas, innui ex Plinii illis persuadeor lib. XXXII. c. I. *Nec dubitamus idem* (quod remorae) *valere omnia genera, cum celebri & consecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerem conchas quoque ejusdem potentiae credi necesse est.* Nimirum ut navem remorentur: *conchasque quae id praestiterint apud Gnidiorum Venerem coli*, tradit idem lib. IX. cap. XXV. Unde tamen perperam visum Viris eruditis concham Veneream eandem esse cum remora. Eam potius esse, quae vulgo *porcellana* dicitur, egregie astruit Gesnerus. Frequens Venerea inventu & usu tam olim quam hodie. Nec aliam intellexit Tibullus lib. II. Eleg. IV. *e rubro lucida concha mari.* Quod Propertiano illi geminum est: *e rubro concha Erycina salo.* Martialis lib. II. Epigrammate XLVII.

Laevior ô conchis, Galle, Cytheriacis.

Nam chartas iis laevigare solebant. Idem Apo. CCVII.

Lae-

Et vivum lapidem, & circa Melitesia nectunt

Co-

NOTAE.

Laevis ab aequorea cortex Mareotica concha
Fiat, inoffensa curret arundo via.

Plinius *concha* simpliciter id fieri tradit lib. XIII. cap. XII. Ita ut utrobique κατ' ἐξοχὴν poni bene monuerit Gesnerus. Noster expressius *sacras* vocavit, quia Veneri dictas & dicatas. sed minusculas, quae commode in monilia conserantur, qualia hodie infantibus quoque appenduntur, intelligere congruum est. *Monilia* illa non collaribus induci possunt aeque ac cristae maclis, quod vulgata interpunctio prae se fert, sed pro collaribus circumnectuntur collis, ut & vivi lapides, & coralia. Nam & Graeci περιδέραιον tam pro collari canis, quam monili foeminarum ornatu ponunt. Quare potius eo, quo posui, modo distinguenda haec sunt. Perperam Blondus in libro de venatione ex hoc quasi loco (ut plurima habet a Gratio, quem Maximi nomine citat) exscripsit: plerique autem alii ex corallio baccatum monile circumdant collo: Quidam & sacris herbis praetegunt, & cingunt frontem bacchare. VLIT. Veneri dicatis. Propertius. *E rubro concha Erycina salo.* Martial. Lib. 2. Epigram. 47. *Laevior ô conchis, Galle, Cytheriacis.* Vlit. JOHNS.

404. VIVUM LAPIDEM,] Ut natus est scilicet, non temeratus usu. Pyriten intelligit maximus Turnebus libro VI. Adverf. cap. IX. quem ipse fortassis legerat ad incantationes aut amuleta usurpatum. Eum lapidem oculis offusam caliginem eximere auctor Dioscorides libro V. cap. LXXXIX. & ex eo usu suspicari liceat ad *oculi maligni*, ut Gratius loquitur, fascinum adhibitum. Nam alioqui de Pyrite talia legisse jam non succurrit. Malimque ego *vivum lapidem* Magnetem illum vivis animalibus attracta similem capere, tum quod hic vilior comparatu illo Persico, tum quod lectum sit, prodigiose multa ejus usu patrata ab antiquis. Hoc autem loco eae res describuntur quae cum incantationibus effectu concurrunt. Vide Orpheum libello de Lapidibus, Barbaricque ora exercentem Gallum semiprisum versificem, Marbodaeum. BART. Plinius lib. XXXVI. cap. XIX. *Pyritarum etiamnum aliquid genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus, & ponderosissimi sunt.* Hinc Isidorus lib. XVI. cap. IV. *Est alius Pyrites vulgaris, quem vivum lapidem appellant, qui ferro vel lapide percussus scintillas emittit.* Hic ipsus est, quem *igniarium* vulgo vocamus. An hunc tamen intellexerit noster, quod Turnebo visum, vehementer addubito. Nullam enim adversus veneficia vim illi quisquam attribuit. Sed tale quid Amianto lapidi adsignat post illa, quae adduxi, Plinius: *Amiantus alumini similis, nihil igni deperdit: hic veneficiis resistit omnibus, privatim Magorum.* De quo tamen nihil apud alios invenio, & falluntur qui Theophrastum ad haec allegant. Fuit cum aluminis id genus esse hariolarer inductus doctissimi Cornelii Severi loco, quem ita dudum, ut vulgo corruptissimus erat, emendavi:

Quamvis aeternum pinguescat ab ubere sulfur
In mercem legitur tantum. Foecundior Aetnâ
Insula, cui nomen facies dedit ipsa rotundae,
Sulfureumque solum, nec obesa cavamine terra,
Et lapis accretus regerendis ignibus aptus.

Strongylen enim non tantum quia rotunda est, & nullo *cavamine* (ut bene emendavit Scaliger) obesa est, sed etiam quia multa in eo στρογγύλη reperitur, ut insuper a Θεῖον, id est sulphure, Dian, dictam fuisse videtur innuere. Nam & Plinius testatur Strongylen Dian vocari. Strongyle autem aluminis genus, cujus multa apud medicos mentio. Plinius lib. XXXV. cap. XV. id supra alia commendat, quod *rotundum natura*, utpote revera στρογγύλον. Sed diversum jam antea ab eo nominavit *concreti aluminis unum genus*, quod *schiston appellant Graeci.* Cum Severus tamen ipsam στρογγύλην videatur *accretum lapidem* vocare. Sed haec extra orbitam. Nec sic enim strongylen, quamvis *regerendis ignibus aptam*, atque adeo vivam, aut, si modo aluminis genus est, amiantum a Gratio intelligi assertum iri potest. Nec an amuleti vice illa adhiberi soleant ego adeo scio. Dicant mihi, si qui sunt, incantationum periti. VLIT. Ita mystico sensu D. Petrus 1. Epist. II. 5. ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικός. VLIT. *in Add.* Latini lapidem Graecis πυρίτην dictum vocant lapidem vivum. sic ad haec verba Turnebus, quae a Plinio sumpta sunt. L. 36. C. 19. & Isidor. Lib. 16. Cap. 4. dubitat Vlitius, an eundem Gratius voluit, cum tamen nihil sit apud Plinium, Isidorum, locis citatis planius expressiusve. JOHNS.

404. MELITESIA CORALIA,] Plinius lib. XXXII. cap. II. de Curalio: *Aruspices* Indorum *vatesque*

tam-

Coralia, & magicis adjutas cantibus herbas.

Ac

VARIAE LECTIONES.

405. *Coralia,*] *Curalia* cit. Salmasius. *Adjutas*] Ita A. *adjutant* cit. Gesn. à quo, ut plurima, mutuavit P. *adjurant* cit. Smetius, & B. in Advers. VLIT. A. St, *adjutant.* & sic G. citat. JOHNS.

NOTAE.

imprimis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Et paulo post: *Surculi infantiae adligati tutelam habere creduntur.* Vide quam prope hoc sequentia illa referat: *tutela pax impetrata Deorum.* Solinus cap. II. de eodem curalio: *Excuduntur ex illis multa gestamina. Habet enim, ut Zoroastres ait, materia haec quandam potestatem, ac propterea quicquid inde fit ducitur inter salutaria.* Ubi frequens sit, aut plurimum nascatur, discendum ex citato Plinii capite. Melitaeum tamen non celebrat, quod mirum sit, siquidem per excellentiam *Melitesia coralia* commendet noster. Scribitur tamen apud Plinium *& in Siculo circa Heliam ad Drepanum* laudatissimum nasci. Quae dudum fuere mihi suspecta, *Helia* enim in Siculo mari nulla est aut fuit. Nec quidem ulibi; nisi quod Veliam ita olim dictam fuisse tradat alibi Plinius. Sed ea tamen ad Paestanum sinum est. Praeterea vett. quoque Libb. *Heliam* non agnoscunt, sed *Aeolias* habent, quae tamen non magis in Siculo mari, aut ad Drepanum, quam Helia, adjacent. Unde non temere conjeci scribendum esse; *circa Meliten ad Drepanum*, aut potius, *ad Pachynum.* Ad distinctionem alterius Melitae, quae ad Illyricum est. De hac etiam Strabo lib. VI. (Περὶ κερ.) τ̃ Παχύνε Μελίτη. At Dioscorides ipso in Pachyno plurimum inveniri κοράλλιον tradit lib. v. (Δερίτκι), ἣ πλεῖστοι ἐν τῷ κτ᾽ Συρακούσας ἀκρωτηρίῳ τῷ καλουμένῳ Παχύνῳ. Unde Vir doctus in Plinio conjecit: *ac Pachynum* Sed quid *Heliae* tamen fiet, quae nulla, ut dixi, in Siculo mari reperitur? Scribendum itaque saltem est: *circa Melitam ac Drepanum*, vel *ac Pachynum* In Siculo enim & Melitam hanc constituit Plinius lib. III. cap. VIII. Majori audacia dudum, cum apud Hesychium legerem Κοράλια ἐν Μελίτης ἄλφια, offensus inusitata voce, scripsisse illum ariolabar: Κοράλλια ἐν Μελίτης ἀλφοῖς, vel ἀλφιτοῖς, usitata voce, & nihil, nisi hoc, significante. Nam Dioscorides quoque κοράλλιον vocat φυτὸν ἐνάλιον. Haec autem ideo tentabam (viderint quam bene Eruditi) ne solus Gratius *Melitesia curalia* celebret. Videtur enim ad distinctionem alterius Melitae incolarum, quos Melitaeos vocant Plinius & Stephanus, Melitesios hos fecisse. Quanquam Strabo etiam hos ad Pachynum Μελιταίους vocet, & ab ipsis Melitaeos catulos deducit, quos Plinius & Stephanus expresse alteri ad Epirum Melitae asscribunt. Fortean rectius, *Melitensia.* Lucretius lib. IV. *Melitensia, Chiaque vertunt.* VLIT. Sic Μελιταῖοι κύνες apud Suidam restituendi, ubi vulgo μελιτηροὶ in Μελιταῖοι κυνίδιοι. Sed ille ἰδιωτὰ haec non distinguit. Eadem haec Melite miras turbas dedit in Fastis Nasonianis lib. III.

Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae
Insula, quam Libyci verberat unda freti.

Ita constans vett. libb. Scriptura; quam cur sollicitarint Scaliger & Heinsius, Viri Maximi; hujusque dignissima proles etiam in novissima sua editione interpolarit, nec autoritatem, nec rationem video. Non enim Epiroticam (ut perperam ὁ δεῖνα sibi fingebat) sed alteram, quae in *Libyco freto* prope Pachynum, intelligit. Cui & propinqua Cosura Plinius lib III. cap. VIII. *de Sicilia: Insulae sunt in Africam versae, Gaulos, Melita, Cosyra.* Ita & Strabo lib. VI qui Κόσσουρον vocat. Sed ut & vineta egomet caedam mea, conjecturam illam in Hesychio de Κοραλίοις omnino obliterandam censeo. Apud Lucretium vero malim nunc: *Melitensia, Coaque vertunt. Meletensem mitram* memorat & Varro I. Prometh. apud Nonium de vestibus. Talia enim illa & Melitensia & Coa erant olim mercimonia, e quibus luxum ejus Insulae, neque ita sterilem fuisse, ut Scaliger vult, colligere est. *Coa* vero (subintellecto, vestimenta) peculiariter ita dicta, celebrantur passim. Ciae vel Chiae nusquam. *Coa* ita simpliciter pro vestibus Horatio I. Sat. II. *Cois tibi paene videre est, Ut nudam.* Ubi vetus: *Haec autem vestis in Co insula conficitur, per quam, ob nimiam subtilitatem, quaecunque sunt interiora, translucent.* Ovidius item II. Artis Amatoriae:

Sive erit in Cois; Coa decere puta.

Pru-

Ac fic offectus, oculique venena maligni

Vi-

VARIAE LECTIONES.

406. *Oculique*] A. Steyn. *oculisque.*

N O T A E.

Prudentius Hymno Jejunantium, *Coos aestuantem murices laevam*, hinc dixit. VLIT. *in Add.* Melite insula inter Africam & Siciliam. Hodie Malta. [illegible] Παχύνῳ. Strabo. Vid. Bochartum, L. I. partis posterioris Geograph. S. lege potius cum Vlitio *Melitensia*, nam sic Lucretius. JOHNS.

405. Coralia,] Eandem vim in abstergendis oculis tribuit *coralio* idem Dioscorides libr. v. c. lxxxvi. Mira in Magicis de eo rebus prodit quem modo nominavimus seculo suo non ineptus auctor Matbodaeus. BART.

405. Curalia] Ita apud omnes Auctores hoc verbum, quoties prima producta est, legendum monent Vett. Libri. Vid. Ovid. Metam L. 4. Graeci κουράλιον. Plinius de Coralio. Lib. 32. Cap. 2. *Aruspices Indorum vatesque imprimis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur.* Vlitius. JOHNS.

405. Magicis cantibus] Quivis *cantus inhumani*, ut loquitur Appulejus, *magici* dicuntur, scientia nobilissima cum ipso nomine mancipata abusui vulgi, quae origine sua omnium sanctissima. *Magicum carmen* est Incantatio. Propertius libro II.

Deficient magico torti sub carmine rhombi,
Et jacet exstincto laurus adusta foco.

Unde *Dii magici* appellati sacris cantibus praesides, quibus sacra fiebant impiatis illis cantibus, quorum scilicet ea in tutela essent. Virgilius in Ceiri.

Hinc Magico venerata Jovi Stygialia sacra.

Lucanus libro sexto Pharsaliae.

Illa Magis, Magicisque Diis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.

Tibullus libro I.

Et me lustravit taedis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.

Quem Virgil. eo Ceiris versu *Magicum Jovem* appellat, eum *Terrificum* Claudianus noster. VI. Consul. Hon.

——— dira fugantibus herbis
Numina, Terrificumque Jovem Triviamque precatus.

Tartareum Valerius Flaccus libro I.

Tartareo tunc sacra Jovi, Stygiisque ferebat
Manibus Alcimede ———

Ea juvat prolixius notasse, ut ludibrium omnibus debere sciatur, impudentissimae supinitatis Corrasor, qui immaneis in Senecae Tragoedias Commentarios edidit Is, ut veritati & Scaligero oppederet, nihil pensi habens, primum, Valerium, si diis placet, Catonem Ceiris nobis, genuinum, scilicet, auctorem laudat; deinde versum ipsum modo productum, divina plane correctione, ingenioque felicissime acuto ita proponit.

Hinc magno venerata Jovi frigidula sacra.

Qua quidem lectione argutius nihil excogitari posse, omnes facile Patrato patri adsensum dabunt. At ô Deum immortalem, quid est in litteris Criticum esse, si hoc non est? Quid est munitum omni eruditionis genere pectus, omnibus doctis opponere, si hoc non est? Ignosces, amice Lector, adfectui quem litteratis debemus. Qua fronte, impurissimi Theatrorum architecti, gens ex vitiis atque criminibus, barbarie, paedore, stultitia, arrogantia, inhumanitate composita, frigus hoc excusabitis? Qua indole animi personam auctoritatis ejus sustinebitis, qua soli facere & exponere Poëtas solis vobis cum congrege morbo, videmini? Si ex bonis aut cordatis aliquis hunc naevum scriptis admisisset, non ineruditum, sed Atheum plane clamaretis. Adeoque jam novae scenae & histrio capitalis festivitatis in mundo foret, qui ex uno errore mille scelera desaltaret BART.

405. Adjurant] Prorsus alia hujus verbi vis est, quam literatores vulgati putent. *Adjurare* est aliquando testimonium alicujus juramento ciere. Virgilius lib. XII.

Adjuro Stygii caput implacabile fontis.

Catullus: *Adjuro teque tuumque caput.* Hoc autem loco *adjuratae herbae* sunt juramento incantatae atque devotatae. Ita usus Tertullianus Apologet. *Daemones adjurare consuevimus, et eos de hominibus exigamus.* Sic *adjuratores* in Ecclesia veteri dicebantur *exorcistae*; teste Isidoro libro VII. Originum cap. XIII. Alia alibi. Abusa enim cadens Latinitas ut aliis talibus, ita & hoc verbo mirifice. BART.

405. Adjutas cantibus herbas] Ita restitui

X ex

Vicit tutelâ pax impetrata deorum.

At

NOTAE.

ex principe Editione. Perperam Pythoeus, *adjutant*, & Barthius *adjurant* edidere. Quibus & vetustissimi cod. autoritas, & ipse sensus aperte refragatur. Quid enim prosit si magicis cantibus herbas adjutent, nisi ita adjutas herbas circumnectant cani cum reliquis amuletis? Hoc ipsum vero innuere voluit noster, & proculdubio eo quo repraesentavi modo scripsit. VLIT. Sic Circe Metam. xiv. initio, *& tristis Hecateia carmina miscet*; scilicet herbis. Et Horatius hanc quoque carminibus vim attribuit lib. ii. Epist. i.

Avertit morbos, metuenda pericula pellit.

VLIT. in Add.

406. Offectus,] Admodum bel[l]e hoc restitutum hoc loci vocabulum. Nam *offendere* vox incantationibus propria. Ut apud Petronium Arbitrum. *Numquid te osculum meum offendit?* Quasi excantato & magicis praestigiis in nihilum redacto juveni hoc dicit lasciva mulier. BART. Nescio quae malae hic Barthium ceperint praestigiae, dum *offectus* ab *offendo* deducit, & verbum hoc incantationibus proprium esse probaturus Petronii locum adducit: *numquid te osculum meum offendit?* Quasi excantato & magicis praestigiis in nihilum redacto juveni hoc dicat lasciva mulier. En ipsa doctissimi, si diis placet, Viri verba, ut hoc ex ungue leonem aestimemus. Sed Gratius noster vel Orpheo interprete contentus esto, aut quisquis ille autor est, qui ita de Curalio:

> Φάρμακα δ' ὅσσα πέλονται ἀτάσθαλα, καὶ καταδέσμοι,
> Ἀρῇ τ' ἀγνάμπτοιο Ἐριννύος πάγχυ μέλουσαι,
> Εἴτε μῖσος κρύφιον [illegible]
> Ἄτης, [illegible] ἐνὶ στήθεσσι, καὶ ἐπαοιδὰς
> Σχέτλιος ἀλλήλοισι μεγαιρόμενος τελέσειε,
> Πάντων ἀμφιλύειν τοῖς κουραλίου [illegible] εἶναι.

Quae obiter hoc modo interpretatus sum:

> *Letiferos potus, & fictae fascina cerae,*
> *Et diras, quas ipsa licet cantarit Erinnys*
> *Saeva, preces, odio aut si quis devotus acerbo*
> *Nesciat occultam fraudem, quasque invidus iras*
> *Foverit, inque vicem mala carmina & impia vota*
> *Dixerit, exsolvet tutuli vis cuncta coralli.*

VLIT. Ab *officio* est *offectus*, non ut Barthius, ab *offendo*. JOHNS.

406. Oculique.] Mira superstitio in fascinis oculorum priscis fuit. Nam credebant homines invidos & malivolos solo obtutu oculorum nocere posse felicitati eorum, quibus male cuperent. Virgilius.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hinc *noxios invidiae oculos* dixit Appulejus li. iv. Metam. βάσκανον ὀφθαλμὸν ab Aphrodisaeo, Alciphrone, Plutarcho usurpatum enarravit magnus Turnebus li. ix. c. xxviii. Quem consule. & Virgilii Commentaria. BART. Notum Maronis illud Ecl. iii.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Fascinum enim vocatur haec maligni & invidi oculi defixio, sive ut Orpheus vocat καταστιγμός. Ejusdem quippe originis esse, cujus *fascis* & *fascia*, etiam *fascinum* videtur. Grammatici Graeci βασκαίνειν proprie esse dicunt, quod maligno oculo peragitur veneficium, quasi φάεσκαίνειν, ἀπὸ τῶν φαέων καίνειν. Hinc & apud Plutarchum lib. v. Sympos. Problema vii. est, περὶ τῶν καταβασκαίνειν λεγομένων, καὶ βάσκανον ἔχειν ὀφθαλμόν. Ubi Florus ille fidem astruere conatur vulgiverbio, quo fascinum hoc oculis attribuitur. Aliis rejicientibus, quia vulgo tantum credebatur. Quo proculdubio respexit B. Hieronymus ad illa Apostoli, *O insensati Galatae, quis vos fascinavit non credere veritati: Quod usus sermone sit trivii, & verbum quotidianae sermocinationis assumpserit.* Quia vulgari tantum sermone & dicto fascinum tale praedicabatur. Sequitur enim post aliquanto: *quod ex opinione vulgi sumptum putamus exemplum.* Non itaque verbum *fascini*, quod visum Viro omnia maximo, sed eam de fascino opinionem vulgo adscribit, quia prudentiores risu illam fere excipiunt, ut videre est apud Plutarchum citati problematis initio. Plinius quoque eo intendit lib. viii. c. xxii. *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens.* Dicit enim non tantum *quondam*, ut id de quo praecedenti cap. loquutus erat, sed in Italia quoque id jam credi, luporum visum esse noxium. Male autem ex hoc Plinii loco Solinus cap. ii. Italicis lupis illud privatim, *quod cum caeteris simile non sit*, asscribit. Quod quidem Gesnerus obiter monuit. Respexit itaque & Plinius vulgarem de fascino oculari opinionem, eamque jam per Italiam vagari tradit. Ideo etiam praecaute Gratius noster, ut vulgarem opinionem elevet, expostulare cum iis videtur,

qui

At si deformi lacerum dulcedine corpus

Per-

NOTAE.

qui contra sentiunt: *non illa metus solatia falsi Tam longam traxere fidem.* Ac denique ab experientia haec amuleta commendat, quorum nullus usus sit, si falsus ille vulgi jam olim metus fuisset. Sed quia opinioni huic tam longa fide praescriptum quasi sit, ergo & illis utendum esse, ac merito uti artis peritos concludit. Falsum tamen est, quod eandem amoliendi veneficia vim coralio tribuere Dioscoriden hic adnotat Barthius. Quod enim ille scribit: καὶ ἑλκῶν κοιλώματα τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς. id paulo latius exponit Plinius: *Cinis eorum miscetur oculorum medicamentis. Spissat enim ac refrigerat. Hulcerum cava explet. Cicatrices extenuat.* Quanquam Dioscorides id quod subdit: πληροῖ δὲ καὶ κοιλώματα καὶ οὐλάς. quod verbotenus est: *hulcerum cava explet*, ad oculos non videatur restrinxisse. Sed haec nihil ad Gratium, inquam. VLIT.

406. VENENA] Par enim effectus oculorum malignorum & veneni creditus. Sic Horatius:

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro, morsuve venenat

Comment. *Venenat*, fascinat. Nove dictum. BART.

406. MALIGNI] Mali, invidi, qui fascinare credebatur. talem oculi fascinum eleganter enarrat Heliodorus lib. III. Aethiopicorum. *Mali* & *malivoli* pro fascinatoribus Latinis usurpantur. Catullus.

Ne quis malus invidere possit
Cum tantum sciat esse basiorum.

Tibullus *malam mentem* pro fascino impedita dixit lib. II.

Et se jurabit mente fuisse mala.

Deos malignos pro scaevis atque invidis Val. Flaccus lib. VII.

——— *Diis nata malignis*
Messis ———

Malivolum pro fascinatore posuit Appulejus, ut volunt, Celsus de Herbis. c. LXXXIV. *Siquis malivolus denotaverit hominem.* Idem c. X. de Herba Artemisia. *Fugat & Daemonia in domo posita & prohibet mala medicamenta, & avertit oculos malorum hominum.* Tali fascino adfici aut percelli *contristari* veteribus dictum docet idem ignotus auctor c. XIX. *Si infans contristatus fuerit, Herba aristolochia suffumigabis infantem, hilarem facit, & convalescit infans fugato daemonio.* Idque dubio procul inde dictum quod fascino perculsa, stuporem prae se quempiam tristificum ferant, nullisque modis ad hilaritatis obsequiuma vocari possint. Vegetius Veterinar. lib. III. cap. LXXIV. *fascinatum animal triste est, gravatur incessu, marcescit, & nisi subveneris, incidit in morbum.* Deos illos qui ad fascinum faciendum invocabantur, *malignos* licet cum Valerio appellare. Eosdem eleganter *Male-Deos* quasi κακοδαίμονας dicas, indigitavit Seneca Thyeste.

Quis male-Deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum? ———

Atque inde, ut suspicamur, originem duxit ut scelerati alii atque pessimi homines, *male-homines* appellati inveniantur. Ut *male-mater* apud Ovidium lib. VII. Metamorph.

Ultaque se male mater Iasonis effugit arma.

Ita *male amicum numen* pro infestissimo apud Virgilium lib. II. Aen.

Heic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Eripuit mentem ———

Ita apud Varronem *male-natus-ager*, infelicem, & laevo numine tactum notat lib. I. de re Rust. cap. VI. *Mala astra*, quae quasi quadam invidia nascentibus nocent. Petronius Satirico. *O Enothea, hunc adolescentem quem vides malo astro natus est.* Ita *malae Furiae* ab Horatio pro infaustis & nocuis dictae.

At non ante malis dementem actum furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum.

Mala ales apud eundem. Epodis.

Mala soluta navis exit alite
Ferens olentem Maevium.

Malae tenebrae apud Catullum.

At vobis male sit malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis.

Maligna verba, invida, & pessimi odii. apud Manilium libro IV.

——— ——— *linguaeque venenum*
Verba maligna novas semper mussantis ad aureis.

Sexcenta alia apud auctores, quae ociosum adgerere. *Malignus* videtur *oculus* exinde dici, quod, quae inviti videmus, *contortis oculis* adspicere solcamus. Virgil. libr. V.

At matres primo ancipites, oculisque malignis
Ambiguae spectare rateis ———

Unde explicandum illud Horatii.

——— *ingenteis oculo irretorto*
Spectat acervos. ———

Hoc est, citra invidiam. Congruit huic ἀβάσκανος

πο-

Persequitur scabies, longi via pessima leti,
In primo accessu tristis medicina; sed unâ

Per-

NOTAE.

πονηρὸς apud S. Euangelistam. Avertendae porro huic oculorum malignitati *res turpiculas*, ut loquitur M. Varro, collo suspendebant, in quas deverteretur videlicet mali illius luminis nocens ictus, qua de re & alii eleganter, & in primis notavit Isaacus Casaubonus in Lectionibus Theocriticis. BART.

407. PAX] Favor. Lucretius.

——— ——— ——— prece quaesit
Ventorum pavidus paces, animasque serenas.

BART. V. 482. ad illa verba,

Supplicibusque vocanda sacris tutela Deorum.

sic Vlitius. Geminum germanum est, quod praecessit, *tutelâ pax impetrata Deorum. tutela* enim *Deorum*, *non pax Deorum* interpretandum. Nam *Pax* ibi pro integritate sumenda est. Nihil pejus. Pax enim Deorum, est favor, benevolentia, gratia Deorum redux. Deus immittit morbos; tutela vero curaque, quae vincit sanatque mala, dicta est simul placare & impetrare favorem Deorum. JOHNS.

407. IMPETRATA] Passiva vi, ut loquuntur Grammatistae, hoc capiendum. *Vicit venena maligni oculi tutela, impetrata Pax Deorum. Tutela* curam valet, ut *tueri* alias hoc Poëmate usurpavit. BART.

408. DEFORMI] Horrida, & turpi

Οὐ καλὸν φίλον ἐστὶ τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.

Inde omnia *deformia* nociva dicuntur & contra. *Turpem* vocat *scabiem* Virgilius.

Turpis oves tentat scabies ———

Vegetius Veterin. lib. III. cap. LXXI. *scabies jumentis deformem passionem, & interdum periculum generat.* Apud eundem quae curae scabiei exstant, in canibus tentatae profuerunt. Quod nos experti sumus. BART. Nemesianus: *scabies & sordida ventis Saepe venit.* De qua ille praeterea nihil. Habet aliqua, quae huc faciunt, Columella lib. VII cap ult. *de morbis & medicinis canum: Si scabies infestabit, cytisi & sesami tantundem conterito, & cum pice liquida permisceto, vitiosamque partem linito. Eadem pestis si fuerit vehementior cedrino liquore abolетur.* Fallor etiam nisi & Calpurnii illa de scabie intelligenda ita atque scribenda sint Ecloga V.

——— ah! miserum fragili rubigine corpus
Corrodet scabies, & putrida contrahet ossa.

Quae itidem ex Maronis Georg. lib. III. ut totam fere istam Eclogam, mutuatus est. VLIT.

408. DULCEDINE] Quid sibi vult haec *dulcedo*? num morbidus humor est dulcis? at nihil minus. num voluptatem scabendo natam intelligit? non credo. Scribe itaque *salsedine*. salsus enim ille humor. eaque acrimonia impellit canes ad corpus suum lacerandum. Tum qui Longobardicam scripturam novit, sentiet mutationem non eam esse; quae primâ fronte videtur. JOHNS.

409. LONGI] *Lenti*. Quod non cito conficiat. *Longi* enim *morbi* dicuntur diu inhaerentes. Cor. Celsus: *longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet.* Idem lib. II. cap. I. *si qua genera morborum in infantem incidunt, ac neque pubertate, neque primis coitionibus, nec in foemina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt.* Idem cap. V. *post haec indicia notum est longum morbum fieri.* &c. BART.

409. LONGI VIA PESSIMA LETI] Virgilius ibidem: *Nec via mortis erat simplex* VLIT.

409. VIA LETI] Horat. *Omnibus est calcanda semel via leti.* Achilles Tatius. ὁδὸν δὲ ἀκριβῆ τοῦ θανάτου καλοῦσιν ὁδόν. Ita plurimi alii. BART.

410. SED UNA] Sed utcunque tristis sit medicina, unius animae jacturâ, quasi quodam redemptionis pretio, malum illud perniciosum sistendum & avertendum est. JOHNS

410. UNA] Primum canem scabie infectum protenus enecandum praecipit, ne contagio omnes inficiat. BART.

411. REDIMENDA] Scite ita hoc verbo utitur Latinitas. Juvenalis

——— nulla virtute redemtus
A vitiis ———

Appulejus libro VI. *rursus remeans canis saevitiem offula reliqua redime. Animam canis* pro vita dixit. Ita Maro Culici suo *animam* dat. *Virides animae* arborum apud Nemesianum Cynegetico. v. XXIX. Quod in iis vita quaedam, cum frondibus moritura. Virgilius de Apibus Georgico. IV.

——— errando duris in cotibus, alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce dederunt.

BART. Haec etiam ex Virgilio hausta est *tristis medicina:*

Con-

Pernicies redimenda animâ, quae prima sequaci
Sparsa malo est, ne dira trahant contagia vulgi.
Quod si dat spatium clemens, & promovet ortu
Morbus, disce vias, &, quâ finit, artibus exi.
Tunc & odorato medicata bitumina viro,

Im-

VARIAE LECTIONES.

412. *Vulgi*] *vulgo* G. & B.

NOTAE.

Continuo ferro culpam compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Hinc enim & illud: *ne dira trahant contagia vulgi.* Quod paulo aliter superius expressit: *& per contagia morbi Venere in Vulgus.* VLIT.

411. SEQUACI] Belle usus hoc verbo, quod scabies sequatur ab uno omnia animantia. Sic *curas sequaceis*, quae quocunque hominum sectentur, dixit Lucretius. Nugas agit cum hoc vocabulum Latinitatis damnat, ipse nescius suae barbariae, Baptista Pius. BART.

412. MALO] Morbo. Ita alibi.
——— *clausaeve malum fecere paludes.*
Et ——— *fontem averte mali.*
Virgilius lib. VII.
——— *penitusque in viscera lapsum*
Serpentis furiale malum totamque pererrat &c.
Aliquando *mala* dicuntur ipsae parteis venenatae, aut alioquin malo adfectae. Serenus cap. IX.
Vel testudineo mala permulceto cruore BART.

412. TRAHANT] Attrahant, concipiant. Peculiare verbum ad morbos, ut Gratius loquitur, *sequaceis*. Ovidius libro I.
——— *immedicabile vulnus*
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
BART.

412. VULGI.] Vetus editio, *vulgo.* Quod omnino Poëtae esse arbitror. Vide quae ad v. CXXV. notamus; nam hoc eodem pertinet, ex more Gratii. Fatuatur vero Carisius qui negat *vulgum* pluralem numerum recipere libro I. Grammatic. Institut. BART.

413. PROMOVET ORTU] Non simul omne corpus invadit. Sed uno loco oritur, & deinde porro alio movetur. Eo casu medicamenta adhibenda praecipit. BART. Ἀπὸ κοινοῦ repetendum est *clemens.* Si morbus clemens, lentus & paulatim se diffundens dat spatium admovendis medicinis, & clemens, *i. e.* paulatim & sensim promovet se ortu, *i. e.* ab ortu, ex quo primum oritur, tum disce vias, &c. JOHNS.

414. EXI.] Ductum ab iis qui vitant corporis declinatione ictum alicujus teli. Virgilius libro V.
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
BART.

415. ODORATO VIRO,] *Odoratum virus* nihil aliud intelligimus quam *sulfur.* Nam supra saniem *virus* appellavit, ei vero concolor materies sulfuris. Itaque *odoratum virus* sulfur appellavit. Ejus autem usus in scabie curanda vulgo notissimus, ut vix ulla materies sit, quae tam cito pus omne illi exsugat, & aresactum malum abjiciat. *Virus* indeclinabile habent Grammatici. Eorum tamen princeps Carisius declinationem agnoscit, simul & refutat eodem li. I. Ut totum illud genus Adria inconstantius est. Lucretius lib. II.
Linquit enim supera tetri primordia viri.
Quo loco ingenue fatetur doctissimus Gisanius alibi se non observasse. Si bene memini, in Sereno etiam legi, sed libri jam non est copia. Nam & Gratium ipsum, nisi nostra manu ex editione Pithaeana descriptum, non habemus his locis. Nec sane ullus hic est vel inter doctissimos, qui nomen ejus in hac civitate, (quae tamen viris clarissimis & Poëtis non vacua est egregiis,) vel fando perceperit. BART. Nihil aliud quam sulfur per hoc intelligere se ait Barthius: quia supra saniem *virus* appellavit, ei vero concolor materies sulfuris Itaque iterum concludit sulfur sic appellari. Primum virus pro sanie alibi posuisse Gratium, hoc jam falsum esse ostendi ad vers. CCCLV. si modo eo spectat interpretis hoc delirium. Tum consequentia illa, quam ille facit, nulla omnino est, quia virus nunquam ad colorem, sed ad odorem fere refertur. Ideoque & hic *odoratum virus* ipsum,

 si for-

Imponasque pices, immundaeque unguen amurcae.
Miscuit, & summam complectitur ignis in unam.

Inde

VARIAE LECTIONES.

416. *Pices*] *Pisces.* P. f. errore typor.

NOTAE.

si forte, scabiem vocat. Calpurnius Ecl. v. *tacitum ne pustula virus Texerit occulto sub vulnere.* id est virulentam scabiem, ut ipse paulo post, si bene conjeci, eam aperte vocat. Sensus itaque verborum est: tunc vel bitumina scabiei medicantur, cum lenta procedit. Ita prorsus eadem in curatione loquutus est Palladius Majo Tit. VIII. *Sed tonsas oves hoc unguine medicemur.* Haec germana, & duum codd. autoritate confirmata lectio est. Vulgo: *medicemus.* Ne quid tamen dissimulem *odoratum virus* de bituminis graveolentia accipiendum est. *Odorato medicata bitumina viro*, sunt infecta pestifero odore. Tacitus l. v. Histor. ipsum lacum Asphaltiten bituminis matrem *gravitate odoris accolis pestiferum* esse tradit. *Medicata* id est, infecta; ut *medicata veneno tela* Poetae alicui. VLIT. Id est, gravi odore, ut recte exposui olim. Sic & Lucretius lib. II.

Quam minime ut possit mistos in corpore odores,
Concoctosque suo contactos tangere viro.

Nonius tamen pro naturali virtute exponit; perperam. Idem Lucretius eodem libro, de aqua marina per terram colata:

Linquit enim supra tetri primordia viri.

Plinius de Halimo: *necat viro, quod ἄλιμον vocant Graeci.* Vide Salmas. ad Solin. pag. 1307. VLIT. *in Add.* Pro ipsa scabie accipit Vlitius, & *medicata*, sanantia exponit. postea, odore pestifero infecta, exponit, & in secundis curis firmatum it. utrumque male. neque enim *odoratum* idem quod graveolens unquam, sed è contra; neque *medicata* simpliciter sumptum est pro *infecta.* Omnino legendum est, (ut omnes medici, & ipse Gratius, v. 474.) *vino.* Sic enim ille,

—— *defusaque Massica prisco*
Sparge cado; Liber tenues è pectore curas
Exiget; est morbo Liber medicina furenti.

Κυνοσοφιον Edit. Lutetiae cum rei accipitrariae scriptoribus sic jubet, μετ' οἴνου ὠκέως. Sic Celsus. *Medicata* autem idem valet ac medicorum more composita & concinnata. *Medicinally prepared, impregnated.* JOHNS.

416. IMPONASQUE PICES,] Ea quidem vett. librorum scriptura est: sed dubito an non melius ita constituantur, & interpungantur haec:

Idaeasque pices, immundaeque unguen amurcae
Miscuit, & summam complectitur ignis in unam.

Ut plane Virgilium referant lib. III. Georg.

Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura,
Idaeasque pices, & pingues unguine ceras,
Scyllamque, elleborosque graves, nigrumque bitumen.

Hinc etiam Calpurnius noster Ecloga v.

—— *viventia sulphura tecum,*
Et scyllae caput, atque intacta bitumina porta
Ulceribus laturus opem: nec Brutia desit
Dura tibi, & liquido simul unguine terga linantur. VLIT.

416. UNGUEN AMURCAE] Vulgo unguentum dicunt. Saepe hoc verbo usus in elegantissimo & minime tumoris adfectante libro Q. Serenus. *Amurcam* scabiei medicandae esse dicas ex Catone de R. R. c. XCVI. BART. Ita sordes olei vocantur. Vid. Virgil. Georg. 3. v. 448. 9, 10, 11, 12. ubi haec, quae apud Gratium occurrunt, totidem fere verbis invenies. Sic Celsus, sic Columella, Lib. 6. Cap. 12. & Cap. 31. JOHNS.

417. MISCUIT,] Legendum, *Miscet id. &c.* Unguen commiscet & unam in summam redigit ignis. Alioqui illud inconveniens, & Gratiana elegantia indignum. BART. Imitatur hoc Aurelius:

Admiscensque diu facies concrescere utrumque

Palladius quoque eadem in re: *Succum decocti lupini, faeces vini veteris, & amurcam pari mensura miscebis, & in unum corpus omnia redacta curabis adhibere.* Plane enim hoc est, quod addit noster: *& summam complectitur ignis in unam.* Ille tamen igni poetice hoc attribuit, quod sine eo misceri illa non possint. Sed quod inconveniens hoc & Gratiana elegantia indignum esse censeat Barthius, nisi legatur, *Miscet id*, &c. omnino ferri non potest ab iniquo censore, qui frequentem hanc temporis mutationem sive enallagen nus-

Inde lavant aegros. est ira coërcita morbi,
Laxatusque rigor, quae te ne cura timentem

Dif-

VARIAE LECTIONES.

418. *Lavant*] Gesn. conjecit *linunt*. *Est ira*] *Atque ira* —— *morbi est*. G. B.
419. *Ne cura*] A. Steyn. &c. *natura*. Recte conjecit Gronov. *ne cura*.

N O T A E.

nuspiam in toto Gratio observavit, eaque incuria hic ignorantiam suam quoque prostituit. Ita superius de lino:

Ostendit l.... fraudem, atque exterruit hostes.

Quo loco jam aliqua adduxi. Addam hic & alia:

Osyr affectu mentis pinnaque cucurrit,
Sed premit inventas, &c. pro, currit.
Extulit & furtim commissam ulciscitur iram.

pro, effert. Et mox: *Blanditur mensis*, cum praecesserit, *Ecce aderit*. Et id genus plurima, quae legenti passim obvia fiant, ne singula enotari opus sit. VLIT. Sic & Medaea Metam. VII. *summisque immiscuit ima*. VLIT. *in Add.*

417. SUMMAM] Cinnum quempiam. BART. In unum corpus, in unam massam quid si hic legeretur *massam?* mihi sane non displiceret? Tu vero, Lector, ut lubet. JOHNS.

418. INDE LAVANT] Id est, *ungi debet tali medicamine*, ut loquitur hac in re Columella. Inferius noster: *His lave praesidiis*. Quae se invicem à mala manu correctorum tutantur. Frustra Gesnerus, *linunt* conjicit, aut de lotione haec accipi voluit, de qua tantummodo inferius agitur. VLIT.

418. EST IRA COERCITA] Non dubito veram esse scripturam Poetae; quae in editione veteri visitur.

—— *atque ira coërcita morbi est*
Laxatusque rigor ——

Iram morbi dixit ut *furorem* in simili unctione Serenus cap. XLII.

Unguine quo gliscens deponit flamma furorem.

Idem *rabidam podagram* eadem sermonis facie posuit cap. XLIII. Pari modo Gratius & v. cccc LXVI. BART.

419. QUAE TE NATURA] Locum hunc mendosum esse nemo dubitabit, qui videbit falsum. Emaculandus vero ad hunc modum potissimum videtur.

Laxatusque rigor, qui te, Natura timentem
Differat: Et pluvias & Cauri frigora vitent
Sic, magis ut nudis incumbant vallibus, aestus
Adventu, clarique faceit ad Solis; ut omne
Exsudent vitium &c.

Rigor laxatus, qui Naturam differat. Hoc est, alioqui lancinet omne corpus adfecti animalis, & in frusta quasi concidat. Id quod scabies facere solet, nisi maturo illi medicamine obviam eatur. Cum vero inuncti canes fuerint, vitent pluvias & Cauri flabra, ita ut potius nudis vallibus incumbant, ubi aestus increverint, & adverso corpore solis bibant caloreis, ut unguen per poros laxatos penitus venas pervadat & vitium ipsis carnis penetralibus excoquatur. Haec dubio procul à Gratio sunt relicta, ut à nobis proposita: *Differre* pro lancinare, aut lacerare, usurpatum saepius reperias. *Magis* pro potius Jure consultis familiarissimum, & alibi à nobis exemplis eonnotatum. Virgilius.

Haud procul inde citae Metium in diversa Quadrigae.
Distulerunt. ——

Plautus Trinummo, alii. Ita difficilis locus nulla mutationis licentia constitutus est. BART.

419. QUAE TE NE CURA] Haec ipsius Gratii manus est jam dudum felici conjectura Cl. Gronovii restituta. *Cura* autem, si non proprie, etiam pro curatione hic sumi potest, uti saepe ea voce utuntur medici. Noster infra: *curaque potentia major*. Quod & antea pari extulit modo: *& cura est altior illi*; ut suo loco adnotavi. Et in ipso exordio canum medicinae: *affectusque canum tua cura tueri est*. Haec ipsa est *cura*, quae sollicitum differat magistrum, nisi dextre adhibeatur, & feliciter succedat. VLIT.

419. NE CURA] Ita Gronovius. olim, *natura*. Sensus verborum hic est. Quae medicina, quae curatio ne suo careat effectu, ne te dubium pendentemque animi diutius teneat, amovendi sunt catuli à pluviis & Cauri frigore. JOHNS.

420. I.x

Differat, & pluvias, & Cauri frigora vitent;
Sic magis, ut nudis incumbunt vallibus aeſtus,
A vento; clarique faces ad ſolis, ut omne
Exudent vitium, ſubeatque latentibus ultro,
Quae facta eſt medicina, vadis. nec non tamen illum
Spumoſi catulos mergentem litoris aeſtu
Reſpicit, & facilis Paean adjuvit in arteis.

„O

VARIAE LECTIONES.

422. *A vento*] *Aventu*. B. *Clarique*] Pyth. *clariſque*.

NOTAE.

420. Et pluvias,] Quia hae ſcabiei cauſae [illegible] ſunt. Virgilius Georg. III.

Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu.

Quo reſpexit noſter VLIT.

421. Sic magis,] Barthius mirifice haec diſtinguit, legitque: *Dic magis ut nudis incumbant vallibus, aeſtus Adventu.* Dic magis ut nugis incumbat Barthius ergo. Gratius Maroniana illa ex lib. III Georg. ſequitur:

Et ſtabula à ventis hiberno opponere ſoli
Ad medium converſa diem.

Sic etiam canes videlicet jubet totos à vento ad ſolem converti meridianum, vel etiam hibernum, cum nudae adhuc gignentium valles ſunt. Sed praeſtat de ipſo meridie illa ſumere, & *nudas valles* interpretari rubis ac ſpinis vacuas, ne iis ſe adfricent ſcabioſi canes. Columella enim & hanc ſcabiei cauſam recenſet, *ſi tonſum gregem patiaris ſilveſtribus rubis ac ſpinis sauciari.* VLIT.

421. Sic magis,] Idque eo magis, cum aeſtus incumbunt vallibus nudis, & ſpinarum vacuis, ne iis ſe adfricent ſcabioſi canes. Vlitius. amicus tamen meus loco *ſic* reponit adverbium *Hic*. recte. *Vitent catuli*, inquit Gratius, *pluvias & frigora*. *Hic* praeſertim, ubi *nudis incumbunt vallibus aeſtus*, *à vento* poſitis *clarique faces ad Solis*. *Hic magis* Angl. dicitur, *Here to chooſe*. JOHNS.

421. A vento] Poterat & hoc cum interpretatione tolerari, *Nudis à vento vallibus.* Sed in V. Ed. diſertim *advento* excuſum eſt, quod Gratii eſſe nemo dubitavit. Aliquando in ſuperiori ſcribendum verſu autumabam,

Dic magis ut nudis incumbant vallibus.

Dic enim, jube, valet. Virgilius.

Dic in amicitiam coeant, & foedera jungant.

Faceis Solis Graecanicum eſt. Nam Lampas iis frequentatiſſima. Et ita alii Latini Poetae. BART.

423. Exudent] M. Cato de R. R. cap. XCVI. *Poſtea cum detonderis oves, unguito totas, ſinito biduum aut triduum conſudent.* Columella lib. VII. cap. IV. *eoque liquamine tonſa ovis imbuitur, atque ubi per triduum delibuto tergore medicamina perbiberit, quarto die, ſi eſt in vicinia maris, ad litus deducta merſatur.* Gratius quidem Maronis illa diverſa in re ex lib. I. Georg. reddidit:

—— —— Sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor.

VLIT. Heinſius. *Exudet*. Sic Virgil.

—— atque exudet inutilis humor. JOHNS.

423. Ultro,] Facile. Laxatis enim vi aeſtus venis facile medicamentum inſinuat ſeſe. BART.

424. Vadis.] Venis. quae ſunt quaſi totidem ſanguinis alvei, rivique. JOHNS.

424. Illum] Subintelligendum &. Commendat autem ſaliam maris undam, in eluenda & perſananda ſcabie apprime utilem. BART.

425. Mergentem] Hoc eſt quod inibi probat Columella. Cujus praecepti antiquiſſimus traditor M. Cato eopſe, quo citavi, loco: *Deinde in mari lavito.* Tum ſubdit; *Eodem modo in omnes quadrupedes utito, ſi ſcabrae erunt.* Quo magis & canibus ſcabioſis haec conveniant, in quibus eadem, ut jam oſtendi aliquoties, medendi ratio praeſcribitur, ac ovillo gregi. Palladius: *Poſt triduum deinde, ſi mare vicinum eſt, litori merguntur extremo.* Id noſtro eſt: *mergentem litoris aeſtu.* VLIT. Non debuit hic Maronis locus omitti Georg. I.

Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

De *ſcabioſis* recte interpretatur Servius. VLIT. *in Add.*

426. Facilis] Paean facilis in artes. idem
mihi

O rerum prudens quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, si vincere curent.
Desidiam, & gratos agitando prendere fines!
Est in Trinacria specus ingens rupe, cavique

In-

NOTAE.

mihi videtur velle, quod supra,

——— ——— *nec expertos fallet Deus.*

Paean paratum quovis loco facilemque peritis se adjutorem dat. JOHNS.

426. ADJUVIT] Praecesserat, *respicit.* frequens haec Gratio variatio temporis. supra.

Miscuit, & summam complectitur ignis in unam.

& passim. JOHNS.

427. RERUM PRUDENS] Usus Genitivi casus Graecanicus. Exempla multa ad Appulejum congessimus. BART.

427. QUANTAM] O Lib. *quantum.* nec interpretes animadvertunt. Transit etiam Vlitius, nec ille quicquam Sentit. at verborum series haec est. *O rerum prudens experientia, quantam materiem boni largita es vulgo*, i. e. mortalibus. JOHNS.

428. CURENT] Nempe mortales. JOHNS.

429. GRATOS] Qui rependant laborem pretio Sic v. XXXIII. *ingratos casses* vocavit, qui cum perfecti sint, nesciant pretium operae & impendii reddere. BART.

429. AGITANDO] Crebro agendo. Nam *per varios usus artem Experientia fecit*, ut canit Manilius. BART. Multa secum agitatione, diuturnâ meditatione. translatio ab agitatione curruum in Hippodromis. JOHNS.

429. FINES! Quod in prooemio dixit: *tetigitque industria finem.* Et in suo Manilius:

Omnia conando docilis solertia vicit,
Nec prius imposuit rebus finemque modumque,
Quam coelum ascendit Ratio. Et antea:
Et quodcunque sagax tentando repperit usus
In commune bonum commento laeta dedere.

Ita legendum, quod vel Gratius supra astruat:

Blandimenta vagae fugias novitatis ibidem.

Quia unusquisque commento fere suo laetus est, *& ab expertis festinant usibus omnes* novum quid adinvenire, donicum finem, quem sibi quisque suum imaginatione determinat, jam invenisse se credant. VLIT.

430. EST IN TRINACRIA SPECUS INGENS RUPE,] Quae hoc loci memoriae tradit Gratius, quam in eo, in nullo alio scriptore legere memini. BART.

430 TRINACRIA] Aetnam innuere videtur per Trinacriam rupem, quanquam nemo haec Aetnae miracula attribuerit. Non mirum tamen, si prodigiorum omnium quasi compendio Aetnae illa affinxerit Gratius, quae plerique scriptores diversis locis ac regionibus assignant. Strabo lib VI. Agrigentinum lacum eandem, quam Asphaltites, vim habere tradit ut injecta supernatent, quod non potest nisi à bitumine esse. Dioscorides lib. I. cap. C. & Plinius lib. XXIV. cap. XV. Agragantinum fontem vel fontes eo nomine celebrant. Solinus cap. V. lacui Agragantino eadem affinxit, a quo non longe absit collis Vulcanius Quae ille à Gratio habet, ut mox ostendam, sed inepte conciliavit. Aristoteles lib. de mirabil. auscult. versus finem, & Athaeneus lib. II. in Siciliae, quae Carthaginensibus paruit, regione fontem hunc constituunt. Unde Vitruvius lib. VIII. c. III. Carthagini talem fontem esse tradidit, ex male intellectis Philosophi verbis. Antigonus Histor. mirabil. cap. CLIV. inter Sicanorum regionis fontes etiam hunc in Cystitrato ponit; ubi Mytistraton bene supponunt Viri docti, siquidem id Carthaginensis ditionis, cui & tota subjacebat Sicania, fuisse ex Polybio colligitur, adeoque non procul Agrigento Sicaniae capite. De quo mox latius. Sed omnium maxime hac in re cum Gratio convenit Aeliano lib. XI. quanquam ipse ab se parumper eodem libro dissentiat. Plurimum huc facit cap. III Ἐν Αἴτνῃ [illegible]. *In Aetna Trinacria rupe Vulcano condicta domus, quam circum sacrae moenia silvae, ubi & ignis perpetuus & inextinctus adservatur.* Adeo enim prope haec Gratium exprimunt, ut melior interpres dari non possit Quod & in sequentibus apparebit. Constituit itaque noster in radicibus Aetnae specum ac stagna oleum ferentia, quo scabiosi canes curantur Sane talia flammarum alimenta Aetnae etiam adscribit C. Severus:

Introrsum reditus. circum atrae moenia silvae
Alta premunt, ruptique ambustis faucibus amnes.

Vul-

NOTAE.

Nunc spissus crebro praebetur flumine succus:
Pingue bitumen adest, & quicquid comminus atras
Irritat flamma: ita ius corporis Aetna est;
Atque hanc materiam penitus discurrere fontes,
Infectae erumpunt & aquae radice sub ipsa.

Ita legenda haec. In postremis autem nihil mutandum. Ait enim bituminosam illam materiam non tantum penitus fontes discurrere, sed etiam eam per infectas aquas erumpere sub radice montis. Fuit tamen cum ita haec constituerem:

Atque hanc materiam penitus discurrere fontes,
Infectae erumpunt & aquae radice sub ipsa.

Ut planior, sed idem fere sensus sit. Fontes bituminosi, & infectae pariter sub ipsa radice aquae evincunt talem materiam penitus, i. intrinsecus discurrere. Itaque & Severus agnoscit bituminosos ab Aetna fontes decurrere, & aquas ita infectas sub radice ejus stagnare. Haec enim sunt, quae vocat mox noster, *stagna oleo madentia vivo*, quae ad radicem Aetnae etiam constituit. *Trina via* ergo *rupes* Aetna est. Solinus tamen pro Aetna accipere non ausus est, quia videbat alios, & in iis Plinium suum Agrigentino fonti isthaec ascribere. Addit itaque: *Nec longe inde collis Vulcanius.* Quasi in ambiguo relinquens, utrum de Aetna, quae tamen longe Agrigento distat, an de alio aliquo monte Vulcano sacro ista intelligeret. Respexit autem Gratii ista: *Vulcano condicta domus*, & hinc Vulcanium collem intrigetavit. Solet enim ille Poëtarum non modo traditiones, sed ipsa saepius verba repraesentare, ut multis locis apud eum indicavit Salmasius. Hic autem Gratium vel aliquem Gratii imitatorem sequutus videtur, quod ipsa porro verba inter se mutuo collata manifestabunt. VLIT.

430. Rupe,] Aetnam describit Gratius his versibus, ut ex Aeliano patet, qui L. 9. Cap. 3. sic scribit: Ἐν Αἴτνῃ ὄρει τῆς Σικελίας Ἡφαίστου τέμενός ἐστι, ... JOHNS.

431. Reditus] Flexus & Maeandri. JOHNS.

431. Atrae] Arborum vel densitate, vel fuligine. JOHNS.

431. Moenia] Naturalem saxorum structuram, murorum instar sublimem dicit. BART. Juga montis instar maenium, specum illam cingentia. JOHNS..

432. Alta premunt,] Id est, presse circumjacent. Haec περίβολα vocat Aelianus, sive atrae alta moenia silvae. Aut *alta* sunt cavi illi & profundi recessus. Quo sensu olim *Antra premunt* conjeci. Ut infra: *cujusque reconditur antro.* Maximianus Eleg. III.

Ut magis inclusis ignibus antra fremunt.

Ita restituendum ex MS. codice Vossiano. Praestat tamen hoc loco *Alta* teneri, ut desuper hanc silvam imminere specui intelligamus. Nec enim de gemino Aetnae camino loquitur, sed de specu aliquo in inferiore parte montis. VLIT.

432. Ruptique] Amneis inde exierant, quorum adhuc viae patebant, sed ambustae vi flammae. Hinc patet quantus Poëta Gratius fuerit. Haec enim tam grandia & magnifica sunt, ut vel Virgilius meliora non fecisset. BART. Erumpentes se, effusi, ferventes scilicet ebullienteique. JOHNS.

432. Ambustis faucibus] Non ex specu illo, sed qui ex summis faucibus, ubi flamma exit, decurrunt. Silius lib. XIV.

——— ——— ——— *stat vertice celsi*
Collis hyems, gelidamque nivem tegit atra favilla.

Ita scribo. Claudianus de eodem lib. I. rapt. Proserp.

Arcano defensa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innexa flamma pruinas.

Sed illi tantum de nive. At Plinius etiam fontes ex Aetna exsurgere miratur lib. II. cap. CIII. *Cum omnis aqua deorsum feratur, exilire fontes, atque etiam in Aetnae radicibus flagrantis in tantum.* Duplex enim miraculum in hoc est. Primum quod cum omnis aqua deorsum feratur, ex radice montis exilire fontes. Alterum, quod ex Aetna adeo flagrante fontes profluant. Non video tamen unde Plinius fontes illos magis sursum, quam deorsum ferri collegerit, siquidem in ipsis radicibus montis exilirent. Non temere itaque sive ex conjectura sive ex codice suo Rodbertus Criceladensis (quem in cod. MS. ex instructissima Patricii Junii τοῦ πάνυ bibliotheca depromptum penes me habeo) in defloratione sua Pliniana verba illa hoc modo definxit: *Nives in alto mari non cadere, cum omnis aqua deorsum feratur. Exilire fontes atque etiam in Aetnae radicibus flagrantis in tantum.* Quo sensu legendum sit: *Exilire fontes aquae etiam in Aetnae apicibus. Fontes*

Vulcano condicta domus, quam fubter eunti
Stagna fedent, venis oleoque madentia vivo.,

Huc

NOTAE.

tet aquae, quia & ignei fontes, & flumina flammae indidem manant. *Aetnae apices*, quia geminis caminis ardet, quas ambullas fauces vocat noster, eque iis rumpi amnes miratione dignum sit. Severus:

Atque hanc materiam proni decurrere fontes,
Infeclae emittant & aquae radice fub ipfa.

Ita quoque legi haec poffint. Utcunque malis, *fontes* opponuntur *aquis*, quae *radice fub ipfa* funt, ut hic *ambuftis faucibus amnes* ftagnis, quae fubterfunt. Poffit huc facere, quod Ariftoteles narrat, juxta hunc olei fontem πῦρ ... εἶναι ... πηγὴν αὐτοφυᾶ, ex qua aeftate flamma emicaret, hyeme vero ἐκ δὲ αὐτοῦ τόπου κρηνίον ὕδατος ἀναβλύζειν, ut hae ambuftae fauces fint, quae & flammas & amnes fimul vomerent. Eadem quippe & ex Lyco quodam Rhegino narrat Antigonus cap. CLIV. Sed de incompertis nihil tamen hic affevero. VLIT.

432. FAUCIBUS] Patulis fontium oribus. JOHNS.

433. VULCANO] Notiffimum, domum Vulcano in Sicilia Poëtas dediffe. *Condicta*, omnium teftimonio addicta. BART.

433. VULCANO CONDICTA DOMUS,] Nimirum tota haec rupis. A Virgilio Aeneid. VIII. mutuatum:

Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Ideo *Vulcanium collem* appellavit Solinus. Sed Aelianus templum Vulcani in Aetna effe fcribit: Ἐν Αἴτνῃ τῇ Σικελικῇ Ἡφαίστου ἱερόν ἐστι. Et cap. XX. ejufdem lib. Adrani non Vulcani hoc templum in urbe Adrano effe ex Nymphodoro refert, quam urbem in ipfa Aetna conftituit Stephanus. Heic itaque *Vulcano condicta domus.* Perperam autem folius Solini fide *Vulcanium collem* prope Agrigentum tam in tabulis quam Lexico fuo Geographicis locavit accuratiffimus alias Ortelius, & de ejus collis antro hic Gratium loqui ariolatus eft. Pofuiffet potius eopfe loco Μυτιστράτου, prope quod oppidum hic ipfe fons erat, ut bene reftituit in Antigono fuo Cl. Meurfius. Fuit enim non minus in Carthaginenfium ditione quam Agrigentum, ut ex Antigono & Strabone colligere eft. Perperam itaque ad Septentrionale Siciliae latus id collocavit in tabulis fuis idem, quem dixi, Ortelius. VLIT.

433. CONDICTA] Conftituta, defignata. non tamen fatisfacit mihi omni ex parte. JOHNS.

433. SUBTER EUNTI] Vulcano videlicet vel igni. Nam homo natus nemo illuc pedem penetrare poffit. Ignis autem in vifceribus montis fubter ftagna illa vivi olei venis manantia, ambulat; Poëtica defcriptio thermarum. Omnia prorfus divina funt BART. Nimirum ubi *aquae radice fub ipfa*, ut loquitur Severus. Subter ipfam domum Vulcani, five pro Aetna five aede aliqua ibi pofita interpretere. VLIT.

434. STAGNA SEDENT VENIS,] Venis vivis & oleo vivo madentia. Ita enim ἀπὸ κοινοῦ τὸ *vivis* fubintelligendum eft. *Vivis venis* haec ftagna funt, quae ex fe ipfis aquam perpetuo habent. Fontes etiam aliquantulo poft vocat, quae hic ftagna dicuntur: *Liceatque attingere fontes, Sancte, tuos.* Strabo quoque circum Agrigentum non unum, fed plures lacus, ut videtur, bituminofos facit. Non temere itaque *lacum*, in quo *oleum fupernatat*, dixit Solinus, quanquam alii *fontem* vocent. De quo inferius. VLIT.

434. STAGNA] Ovidius II. Ponto El. X. *Aetnaeos lacus* hos memorat, & *olentia ftagna Palici.* Quod porro *oleum vivum* de *naphtha* accipiat Turnebus, affentit huic & Salustius apud Probum: *Hoc naphthas genus eft oleo* cedri fimilis. Et Ammianus lib XXIII *naphtham*, dicit effe *materiam venae naturalis, fimilem oleo craffiori* Un vide doctiffimum caecorum Valefium. VLIT. *in Add.*

434. SEDENT] Lenta haerent, fcilicet fallente motu manantia. JOHNS.

434. VENIS, OLEOQUE] Ἐν διὰ δυοῖν. pro venis olei vivi. JOHNS.

434. OLEO VIVO] Solinus etiam *oleum* aperte vocat, & Ariftoteles: κρήνην ἐλαίου ..., τὴν ὀσμὴν ... τοῖς ..., Quae ita reddidit Vitruvius: *Item Carthagini fons eft, in quo natat infuper oleum odore uti fcobes cedri, quo oleo etiam pecora folent ungi.* Ita fcripfiffe illum puto ex verbis Ariftotelis. *Scobes cedri* funt ... τῆς κέδρου. Perperam interpres *guttas cedri* vertit. Plinius de bitumine: *Gignitur & pingue liquorifque oleacei in Sicilia Acragantino fonte inficiens rivum.* Vetuftiffimus codex Pintiani habet: *impingue dicique liquoris oleacei.*

Huc defecta mala vidi pecuaria tabe

Sae-

NOTAE.

Unde refingi possit: *Gignitur & pingue, vivique liquoris ac olei*. Vivum liquorem & oleum, quia ἐπιπολάζει, i. supernatat, & perpetuo movetur. Ut vivum argentum, quod vernacula nostra *mobile*, sive *agile* dicimus, eadem ratione. Male autem naphtham hic à Gratio *vivum oleum* vocari adnotat Turnebus, quam *procul ab omni usu abesse* jubet Plinius ibidem. *Vivum oleum* etiam dici potuit hoc liquidi bituminis genus, quia diutissime ardet. Severus de pyrite sive molari lapide:

——— ——— ——— *illa profecto*
Miranda est lapidum vivax animosaque virtus.
Caetera materies, quaecunque est fertilis igni,
Ut semel accensa est, moritur. &c.

Ita alibi, *vivaces Aetnaei verticis ignes*, eidem, & *vivum sulphur* Maroni III. Georg. quod Graeci *apyron* vocant, teste Plinio. Severus:

Quamvis aeternum pinguescat ab ubere sulphur,
In mercem legitur tantum.

Aeternum sulfur τὸ ἄπυρον vocat, quod etsi abundet ibi, non tamen ignem ex se concipere, sed impune tantum legi. Perperam itaque illa tentavit ὁ πάνυ Scaliger. Tertia insuper causa dari potest, cur *vivum oleum* dicatur hoc loco, quod non artificiale, sed naturale sit. Ut *vivi lacus* Georg. II. *vivoque sedilia saxo* Aeneid. I. quae pro naturalibus utrobique exponit Servius. VLIT.

434. MADENTIA] Scatentia, plena. JOHNS.

434. VIVO.] Tripliciter exponit Vlitius. Mobile, ut vivum argentum dicimus. Vel, quia diutissime ardet. Vel, quia naturale est non artificiale, ut *Vivi Lacus*. Georgic. 2.

——— *vivoque sedilia saxo.*

Aeneid. I. JOHNS.

435. DEFECTA.] Pene ad defectionem adacta. *Defectum* dicitur quod proximum est morti. Sic *Leonem viribus & annis defectum* dicit Phaedrus. Valerius Flaccus libro II. Argonautic.

——— *visuque enixus, in alta*
Rupe truces miratur, defectaque virginis ora
Cernit ——— BART.

435. VIDI] Potuit tale, quod statim nobis descripturus est, sacrificii genus ipse in Faliscis suis vidisse Gratius, idque poëtica licentia Siculis affinxisse. Solinus ex Plinio refert cap. II. *quod perpaucae familiae sint in agro Faliscorum, quos Hirpos vocant. Hi sacrificium annuum ad montem Soractis Apollini faciunt: id operantes gesticulationibus religiosis impune insultant ardentibus lignorum struibus, in honorem divinae rei flammis parcentibus.* Sed & spelunca in amfractu hujus montis erat non minore metu adeunda, quam ea quae hic nobis à Gratio depingitur. Plinius lib. II. cap. XCIII. *Item in Hirpinis aufractis Soractis ad Ditis aedem locum, quem qui intravere, moriuntur.* Vulgo legitur: *amsanctis ad Mephitis aedem.* Chiffletianus cod. Ms. habet, *ansactis*. Unde ego elicui *aufractis*, vel *aufractum*. *Soractis* ex Servii loco, quem subjeci hic, autem aedem dum Oedipus aliquis nobis designet, *Ditis aedem* supposui applaudente Servio ad XI. Aeneida: *In hoc autem monte* (Soracte) *cum aliquando Diti patri sacrum persolveretur* (*nam Dis Manibus consecratus est*) *subito venientes lupi exta rapuerunt; quos cum diu sequerentur pastores, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret.* Sed haec nihil certi evincunt, non magis quam Faliscum fuisse Gratium ex eo, quod *nosteros Faliscos* dixerit, assertum iri possit. Ablit itaque ut temere quicquam secus suspicemur, aut poëtica magis quam historica fide oculatum testem dignemur. VLIT. De *aufractis* apud Plinium addi posset, *amfracta spatia*, Marcellino ita dicta lib. XXIX. Forte & *Soractis* posset legi, ex Solino & Servio. Sed praestat omnino vulgatam retinere, *amsancti*. Nam ita de eodem loco Virgilius VII. Aeneid. *Amsancti valles*, id est, *omni parte sancti*, Servio. VLIT. *in Add.*

435. PECUARIA] Vitruvius: *quo oleo etiam pecora solent ungi.* Plinius: *Utuntur eo ad lucernarum lumina, olei vice: item ad scabiem jumentorum.* Hinc Solinus: *è quarum capillamentis legitur unguentum medicum contra armentarios morbos.* Athenaeus: ὁ ἀπὸ τῶν κεράτων χρῶνται πρὸς τε πρόβατα καὶ τὰ κτήνη. *Ktenen* autem & *pecuaria* de canibus etiam dici supra observavi. Quare etiam hic ita commode accipi potest, ne alienum gregem curare videatur Magister noster. *Malam* autem *tabem* pro scabie posuit, cui propriе curandae hoc oleum commendatur. Antigonus: τοῦτο δ' ἔστι τοῖς λύχνοις καίεσθαι, καὶ δυνάμει φάρμακα, καὶ ψώρας ἰᾶσθαι, προσαγορευόμενον Κυνιστραῖον. *Idque in lucernis uri, & pustulis ac scabiei mederi, appellatum vulgo Cynistracum.* Quae appellatio videri possit à canibus vulneratis deducta esse; nisi potius scriptum fuerit, Μυτιστραῖον. Quia ipsum oppidum, prope quod hic fons erat, Mytistratum fuis-

Saepe trahi, victosque malo graviore magistros.
Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur
Incola Sancte tuam, des ipsis ultima rebus

Auxi-

NOTAE.

fuisse jam bene animadvertit Vir doctus, atque ita apud Antigonum scribendum esse. Quanquam Dioscorides à tota insula Σικελῶν ἐλαίων vocari tradat. VLIT.

436. Trahi,] Non aeque convenit hoc verbum cum *Magistros*. Solenne tamen hoc Poëtis, nec exemplis opus est. JOHNS.

436. Victosque malo] Cui pares non fuerunt, in quo sanando sua illos defecit ars. JOHNS.

437. Te primum, Vulcane,] Ex abrupto orditur ipsam aegrorum magistrorum precationem. More optimi cujusque Poëtae, qui omnes semper in medias res festinant, ut ab Horatio praeceptum est. Alius quis sequentis aevi Poëta non pepercisset longiori ambitu in occasione tam bella, sed aliquam multos versus praemisisset. *Primum* principem valet; ut apud Maronem.

——— *Trojae qui primus ab oris*
Italiam fato profugus, Laviniaque venit
Littora. ———

Non enim primus tempore in Italiam venit Aeneas à Troja, cum ipsius Virgilii testimonio prior Antenor eodem appulerit, ex eadem Phrygiae urbe oriundus. Sed *primus genere*, auctoritate, dignitate, fortitudine. Cujus eruditae interpretationis auctor nobis Aurelius Victor in Originibus Romanis. Multo quidem ille dignior fide Servianis Concinnatoribus quorum farcta saepe ineptiis meris est commentatio. BART. Id est, principem, inquit Barthius, ut Maroni, *Trojae qui primus ab oris*, &c. Quod quia pro principe etiam non exposuerit Servius, commentationem ejus meris ineptiis farctam esse pronunciat. Sed habet tamen hoc, quod voluit, argutiae etiam Servius, quem invisum inauditum à schola exulem immerito proscribit hic Scholasticus, qui si vel tria grammata bene intellexisset, nec haec ad Gratium, nec ex illis Gratii haec exponere fategisset. Nemo, qui vel poëtam ullum legit, nescit ab invocatione numinis ordiri sacrificia sua sacrificos. Ideo primum Vulcanus hic invocatur, quia *Vulcano condita domus*. Ordo autem verborum de more inter se mixtorum hic est: *Te primum Vulcane, Incola sancte loci, pacemque tuam precamur.* Sed hoc Barthio, non intelligentibus dico. VLIT.

437. Pacem.] Vide Brissonium Formulis. BART.

438. Incola] Ἐπιχώριον ejus loci θεὸν Vulcanum facit. *Gentium* cujusque regionis Latini id alioquin vocant, quod eo nomine censent Graeci. Qui in quemcunque locum venirent Ἐπιχώριον ejus numen precabantur. Exempla apud Xenophontem & Arrianum. BART. Aelianus de animal. l. xi. cap. xx. καὶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Ἀδρανοῦ νεὼς ἐπιχωρίου δαίμονος. Vir doctus de Adriano Imp. an hic sit, quaerendum vult. Nugae. Fuit quidem hic Adrani fanum à Diodoro lib. xiv. & Plutarcho in Timol. celebratum. Sed quia cap. iii. ejusdem libri Aelianus id Vulcano expresse assignavit, malui aliquando hic quoque legi: καὶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Ἀδρανοῦ νεὼς ἐπιχωρίου δαίμονος. Atque ita τὸ Ἀδρανοῦ ex glossemate appositum videtur. Νεὼς ἐπιχωρίου δαίμονος, *templum indigetis alicujus dei.* Solent enim fere indigetes dii innominatim citari, quod etiam ex SS. foederis arcano idololatris suis transcripsit ὁ κακοδαίμων. Nam & veri Dei nomen ineffabile dicitur, & exprimere illud grande nefas semper habitum Judaeis. Ita & indigetes Dii habiti apud gentiles, quorum nomina indigetare non liceret, quasi per ἀφράστως ita dicti. Festus: *Indigetes dii, quorum nomina vulgari non licet.* Apollonius Rhodius lib. i.

Τῶν μὲν ἔτ' οὐ προτέρω μυθήσομαι, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Νῆσος ὁμῶς κεχάρηστο, καὶ οἳ λάχον ὄργια κεῖνα
Δαίμονες ἐνναέται, τὰ μὲν οὐ θέμις ἄμμιν ἀείδειν.
Plura quidem cecinisse nefas. quin insula & ipsa,
Ipsique hinc longum valeant quicunque deorum
Indigetes, sacrisque metum servemus opertis.

Indigetes, si olim *indicetes* ab *indico* dicti, ut docuit ὁ πάνυ Salmasius, dubium non est quin eo respexerit Festus, cum *indigetes* interpretatur, *quorum nomina vulgari non licet.* Ut *indigetes* sint, quorum nomina non dicata & ignota sunt. Hinc etiam ἀγνῶτας θεοὺς dixisse patrios, & indigetes Deos videntur Athenienses, non autem peregrinos & ignotos prorsus, ut quidem ple-

Auxilia: &, meriti si nulla est noxia tanti,

NOTAE.

rique interpretantur. B. Hiëronymus ad Ezechielis cap. XVI. *Signum dominicae sanctificationis nomen est Omnipotentis Dei quod quatuor literis Hebraicis scribitur* (nimirum יהוה) *& apud eos vocatur ineffabile, dum nomen ejus non potest dici. Cujus majestatem etiam gentilitas non ignorat, & Atheniensium testatur ara, ignoto Deo.* Imo gentilitas etiam suorum deorum nomina ineffabilia habuit propter majestatem, quam vero numini ita derogatum iri sperabat impius obtrectator, sive diabolus. Non autem ignotus Deus pro vero Deo Judaeorum, sed ignoti Dii plurium numero apud Athenienses colebantur, ut alibi adnotat idem Hiëronymus. Quod tamen Asiae, Europae, & Africae ignotis Diis eam aram extructam fuisse existimat, nondum ego unde id sciverit, & an vere tradat, compertum habeo. De quo videant Eruditi. Ego interim pro innominatis τοὺς ἀγνώστους θεοὺς accipio, quos & indigetes vocant. Virgilius Georg. I. *Dii Patrii indigetes.* Quia enim locales sive patrii Dii plerunque non expresso nomine *indigetes* dicuntur. Idque propter metum ac majorem quasi reverentiam factitatum fuisse videtur. Ita cum Aenean patrem suum Dei loco coli voluit Ascanius, *indigetem* eum appellavit. Servius ad XII. Aeneida: *Ascanius filius ejus victo Mezentio cum caeteris Trojanis credens & jactitans inter numina receptum, sive patrem volens consecrare, templum constituit, quod Dei Indigetis appellare jussit.* Sed ne quid nimium exorbitemus, sufficit hic ostendi *incolas* sive topicos deos plerunque nomine caruisse, ut intelligatur cur templum illud Adranense ἐπιχωρίου δαίμονος simpliciter dicat Aelianus, non Adrani, ne sibi ipsi obloqui censeatur. Vulcani potius dixisset, ut jam antea expresse c. III. Ἐν Αἴτνῃ τῇ Σικελικῇ Ἡφαίστου τιμᾶται νεώς. Illud ipsum templum est, quod hic cap. XX. in oppido Adrano esse dicit. Adranum enim, sive σικελικῶς Ἀδρανὸς, in ipsa Aetna urbs fuit autore Stephano, apud quem ita legendum esse ex Aeliano patet, non Ἀδρανοῦ. Quanquam amnem ita vocari hinc perperam intellexerit Doctiss. Cluverius. Melius Ortelius ipsi amni quoque Ἀδρανὸν nomen indidit ex ipsius Stephani verbis. Verum ex iis quoque, quae de canibus Vulcani utrobique narrat Aelianus, apparet tam hic quam ibi de eodem agi, quanquam diversa parum. & ex diversis, ut videtur, autoribus desumpta sint. Ἐπιχώριος δαίμων, est topicus sive localis deus. Servius ad Aeneida VII. *Dii sunt topici, id est locales, ad alias regiones nunquam transeunt.* Hi Apollonio sunt, Δαίμονες ἐνναέται, & interprete Gratio, *dii incolae loci.* Possunt enim verba ejus hoc ordine disponi: *Te primum Vulcane* (utpote cui tota Aetnae domus condicta) & secundo loco tuam quoque pacem precamur, ô *sancte loci incola!* Ut & hic innominatum localem sive ἐπιχώριον δαίμονα invocet. Ita certe in illo quod sequitur: *liceatque attingere fontes, Sancte, tuos.* Videlicet, *Incola sancte loci.* Nec obstat quod praecedit: *Vulcano condicta domus.* Illud enim de Aetna accipiendum, *quam subter eunti* demum haec stagna, & hi fontes suum genium privatim habentia sedent. Ita Virgilius Georg. I. postquam Deos patrios indigetes invocasset, insuper Romulum separatim citat: *Dii patrii indigetes, & Romule.* Romulus enim, quin inter patrios deos habitus fuerit, dubio procul est. Non erat tamen inter indigetes deos, quia nomen ipsius ab invocante exprimitur. Praemittuntur autem merito indigetes (inter quos & Aeneas relatus fuit, ut ex Servio vidimus quia nunquam suo nomine seorsim invocatur) siquidem hoc majestatis majoris erat, ut indicta nomina ipsorum manerent. VLIT. *Indigetes* recte interpretatus mihi videor, quamvis Maximos viros dissentire videam. Ita & *Indigetes Samothracii*, bis Arnobio lib. III. iidem qui ἐνναέται. Apollonio. Quo loco non patior *digitos* substitui à Viro Maximo ad Solin. De nomine porro ineffabili Dei Lucani addendus locus lib. II. *Et dedita sacris Incerti Judaea Dei.* Nam ita ipse Deus Iud. XIII. 18. nomen suum quaeri noluit, quia θαυμαστόν. Lactantius ex Trismegisto lib. I cap. VI ὁ Θεὸς εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται· ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. Rabbi Moses Ben Maimon de Idol. cap. II. § 9. & 10. formidabile & honorabile vocat nomen Dei, in quo pronuntiando omnis blasphemia consistat. Arnobius lib. IV. *Ipse ille Jupiter, cujus vos nomen essari non sine metu decuit.* Idem lib. III. *ignotis nominibus Penates* quoque dici putat. Et lib. IV. *aeternas ignotorum deorum gentilibus exprobat*; & paulo post quaerit *unde nominari coeperint*: opponitque illis, *deos certissimos.* Tertullianus lib. I. advers. Marcionem: *Invenio plane ignotis diis aras positas; sed Attica Idololatria*

Tot miserere animas, liceatque attingere fontes,
Sancte, tuos. ter quisque vocant, ter pinguia libant

Tu-

VARIAE LECTIONES.

441. ***Vocant*** **,** ***ter*** **] Ita G. & B. al. O.** ***vocantes.*** **Nemes. Ecl. IV.** ***ter fronde sacra*** **,** ***ter ture vapore Lustravit.*** **VLIT. Bart. conjec. O. Ed.** ***vocantes.*** **& hoc non mutandum. JOHNS.**

NOTAE.

tria est. Item incertis diis ; sed superstitio Romana est. Minutius : *dum extruunt aras ignotis diis & manibus.* Sed miror tantopere hoc exagitari in Gentilibus, cum & veri nomen Dei ignotum nobis sit. Unde Diabolus & in suis numinibus idem religionis quasi velamentum adumbravit. Et hinc Paulus captabat occasionem verum Deum Atheniensibus indicandi. Hiëronymus in Epist. ad Tit. cap. 1. *Inscriptio autem arae non ita erat, ut Paulus asseruit, Ignoto Deo, sed ita: Diis Asiae, & Europae, & Aphricae, diis ignotis, & peregrinis. Verum quia Paulus non pluribus indigebat diis ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo est usus, ut doceret illum suum esse Deum.* Sed haec ad Originem Idololatriae melius spectant. Adde denique Ovidii locum sine Metam. *Disque Indigetes, genitorque Quirine.* Quo confirmetur, quod de his dixi ad Maronis I. Georg. VLIT. *in Add.*

438. Des ipsis] Emacula,

——— *Des ipse his ultima rebus*
Auxilia ———

Quae emendatio certissima est. BART.

438. Ipsis] Heinsius, *lapsis.* recte. Vlitius. *Ipse his.* JOHNS.

439. Et] Ita O. Cod. recte. praeter Vlitianam, quae *aut* exhibet. JOHNS.

439. Meriti] Si nullus morbus aut nulla clades digna tuo est auxilio, tamen tot animas miserere. Sed *noxia* potius damnum quam morbum ipsum valet. BART.

439. Si nulla] Si nulla est culpa, si nihil à nobis peccatum est, quod tantum mali mereatur, & deprecationibus nostris aures merito occludat. JOHNS.

440. Fontes,] Aristoteles κρήνην ἐλαίου vocat. Athenaeus simpliciter κρήνην, ut & Vitruvius, *fontem.* Dioscorides: ὑγρὸν ἐπινηχόμενον ταῖς κρήναις. ut Gratius quoque plurium numero *fontes.* Plinius: *Agrigentino fonte insiciens rivum.* Quia oleum illud supernatat, & inficit magis, quam implet rivum. Dioscorides: ὑγρὸν ἐπινηχόμενον ταῖς κρήναις. Athenaeus: κρήνη ἐστιν. ἧ τὸ ἐφιστάμενον ἐλαίῳ ἐστὶν ὅμοιον, *quasi oleo infectus fons.* Concinnius vero apud Plinium legi posset: *Agragantinorum fonte insiciens rivum.* Illum scilicet, à quo Agrigentum, & tota adeo Agrigentinorum regio nomen trahit. Stephanus de urbibus: Ἀκράγαντες, πόλεις πέντε Σικελίας ἀπὸ ποταμοῦ παραρρέοντος. Φησὶ γὰρ Δοῦρις, ὅτι αἱ πλεῖσται τῆς Σικελίας πόλεις ἐκ τῶν ποταμῶν ὀνομάζονται. Agragantinorum rivus itaque est Acragas. Videtur enim Dioscoridis verbis instituisse: κατὰ τὴν Ἀκραγαντίνων χώραν τῆς Σικελίας. De rivo tamen nihil ille, quem de suo addidit Plinius. Non absonum quidem huic est, quod ex Lyco Rhegino refert Antigonus, τὴν ἐν Μυστρῷ κρήνην οἷον ἐλαίῳ ῥεῖν, *oleo quasi fluere.* Sed an istum, quisquis sit, autorem sequutus etiam sit Plinius, quem eo nomine ita Catalogo lib. XXXV. non posuit, incertum prorsus est. Quanquam alibi Neapolitanum Lycum citat. Mire autem rivum illum à Plinio accepit Solinus, quasi voluisset dicere ex fonte bituminoso Agrigentinorum totum rivum profluere, scripsissetque fortean *efficiens*, vel *sufficiens rivum.* Ita enim ex verbis Plinii, ut solet, novam historiam contexit: *Idem ager Agrigentinus eructat limosas scaturigines, & ut venae fontium sufficiunt rivis subministrandis, ita in hac Siciliae parte solo nunquam deficiente, aeterna rejectatione terram terra evomit.* Et *venae fontium sufficiunt rivis subministrandis*, respiciunt hunc Plinii locum; quem an bene retulerit in hunc sensum, siquidem alium portant illa aut hodie leguntur verba, nec asseverari temere, nec negari potest. Hoc scio, neutri, si hoc volunt, me posse credere, totum oleo rivum infectum fuisse, quantumlibet ex uno & altero fonte meis ipse oculis aliquando viderim totum devium fictitiumque amplum profluere, *ac torrentem uno se emergere hiatu* (ut legendum est apud Severum de hac re loquentem) qui in Ligerim, cujus diminutivum nomen habet, se prope Aureliam exonerat. VLIT.

441. Sancte,] Vide Formulas Brissonii. BART.

441. Ter:

Tura foco: struitur ramis felicibus ara.
Hic dictu mirum, atque alias ignobile monstrum

Ad-

VARIAE LECTIONES.

443. *Dictu*] A. Steyn. *ductu*.

NOTAE.

441. TER QUISQUE VOCANTEIS] Jam demum dicit eos praecationem illam Deo dixisse. Numerus autem *Ternus* ad omnia auspicatissimus. De quo alibi scripsimus. BART.

441. TER QUISQUE VOCANT, TER] Emendationem hanc libenter Barthio acceptam refero. Duae hae voces in unam coaluerant, *vocantes*. Ita paulo ante: *dei ipsis ultima rebus auxilia. Ipsis* coaluit, ex *ipse bis*, uti scribendum est. Hoc autem loco terno solemni sacrificiorum numero tam preces quam oblationes computat. Vide Servium ad illa Aeneid. VI.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivae.

Quo videri posset respexisse noster tam hic, quam sequenti statim versu, cum dicit: *Struitur* &c. VLIT.

441. VOCANT, TER] Lib. Vet. *Vocantes*. Sed Barthii conjecturam praetulit Vlitius, itaque nunc obtinet ista lectio. Non tamen Vetus displicet. JOHNS.

442. STRUITUR RAMIS FELICIBUS] Quos Deo illi placenteis norant. *Infelix* saepe pro inauspicato & ingrato Diis. Superiori versu Vetus Edit. legit.

——— *ter quisque vocant, ter pinguia libant*
Thura foco ———

Quae scriptura genuina Gratii est. BART. Solinus: *ligna vitea super aras struunt*. Felices ramei ille pro viteis videtur accepisse. Et sane non uno nomine felicissima inter arbores dici potest vitis. Sola bis parturit, teste Plinio lib. XVI. cap. XXV. Sola, quod hominum vitae gratissimum sit, suppeditat. Idem l. XIV. cap. XXII. *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo praecipui*. Hinc *felix oliva* Maroni, & *felix malum, quo non praesentius ullum Auxilium venit*. Ita & *felix* merito in sustentanda hominum vita vitis dicatur, uti contra *infelix arbor* apud Livium, quae vitam homini intercipit. Nolo tamen asserere viteos ramos hic *felices* à Gratio dici. Quin potius omne genus arborum felicium, quaeque religiose adhiberi poterant, intellexisse videtur. Quibus opponuntur omnes illae quae *ferales* dicuntur, ut cupressus, taxus, aliaeque rogorum pyris extruendis damnatae. Plinius lib. XVI. cap. XXVI. *Infelices autem existimantur, damnataeque religione, quae neque seruntur unquam, neque fructum ferunt*. Ubi *infelices* dicuntur steriles. Ita enim caput inscribitur: *quo tempore quae ferant, & quae fructum non ferant, & quae infelices existimantur*. Virgilius Georg. II.

Exiit ad coelum ramis felicibus arbos.

Id est, fertilibus, & bene accrescentibus in novas frondes. Verum enim vero convenientissima longe etiam hunc loco interpretatio Servii est ad illa quae modo: *adducebant felicis olivae*] *arboris festae*. Idem ad VII. Aeneida: *felici comptus oliva*] *frondibus comptus festae olivae*. Scribe, *festae olivae* Quam conjecturam meam haud ita nuperam confirmat postliminio liber meus MS. qui habet, *feste*. *Felices* igitur *rami* sunt festi, sive sacri. Virgilius Aeneid. II. *festa velamur fronde*] *ut laurus, oliva, hedera*, adnotat Servius. VLIT.

442. RAMIS FELICIBUS] Ammianus ita de sacrificulo, lib. XXIX. *verbenas felicis arboris gestante*. Livius lib. V. cap. 24. *Nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum*. Pro fertilis, ut in Commentario dixi. Nam idem in pari populatione lib. VI. cap. 31. *non arbore frugifera, non satis in spem frugum relictis*. Apulejus Apologia: *Ut arbor infoecunda & infelix, quae nullum fructum ex sese gignit*. Ovidius III. de Ponto El. I.

Rara, nec haec felix in apertis emicat arvis
Arbor.

Eodem sensu. VLIT. *in Add.*

443. HIC DICTU, &c.] Exstructam rite aram flammae sponte sua incendunt. Quod ita deduxit hinc Solinus: *Nec longe inde colles Vulcanius, in quo qui divinae rei operantur ligna vitea super aras struunt, nec ignis adponitur in hanc congeriem: cum proficias intulerunt, si adest Deus, si sacrum probatur, sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt, & nullo inflagrante halitu ab ipso numine fit accendium. Ibi epulantes adludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit* non

Adversis specubus, ruptoque è pectore montis
Venit, ovans austris, & multo flumine flammae.
Emicat ipse, manu ramum pallente sacerdos
Termiteum quatiens: procul hinc extorribus ire

Edi-

NOTAE.

non adurit: nec aliud est quam imago nuncia perfecti rite voti. Posteriora haec ex sequentibus desumpta: *Deus illam molliter aram*

Lambit, & ipse suos ubi contigit ignis honores,
Defugit ab sacris, rursumque reconditur antro.

Quae illi, ut solet poetas compilare, ob oculos fuisse, nemo spero negatum ibit. VLIT.

443. IGNOBILE] Ignotum, incognitum. Nam *nobilis* interdum nihil nisi multis notum valet. Vide quae collegit Andreas Tiraquellus in lib. de Nobilitate. BART.

444. PECTORE MONTIS] Alius Poëta *praecordia montis* dixit. Sic *Pedem montis* Hegesinus apud Pausaniam libro x.

Ἀσκρέω ἐσ' ἑλικῶνος ἔχει πόδα πιδακόεντα.

BART. Non ex superioribus Aetnae crateribus, sed indidem fere, unde fons vivi olei, *ruptique ambustis faucibus amnes* emanant. Quo magis eodem de miraculo, quanquam diversa fama accepto, loqui Aristotelem autumo lib. citato: Φασὶ καὶ ταύτης τῆς χελώνης πλησίον εἶναί τινα πέτραν αὐτοφυῆ, μεγάλην τῷ μεγέθει. ταύτης οὖν λέγουσιν, ἐπειδὰν μὲν ᾖ θέρος, φλόγα ἀναπέμπειν πυρός· χειμῶνος δὲ γινομένων, ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου κρουνὸν ὕδατος ἀναῤῥαίνειν. Eadem fere narrat Antigonus, sed magis diversa à Gratio, adeoque etiam à vero. Solent enim talia miracula in vulgus non uno semper modo narrari, sed fama variari & plerumque accrescere. Quorum numero eximendus est noster, qui majorem fidem oculato testimonio, quam omnes illi ex vago relatu, proculdubio meretur. VLIT.

445. OVANS] Vide Psalm. 18. ubi multa his similia invenies, quod phrasin & loquendi modum. JOHNS.

445. VENIT,] Deus videlicet ipsentet, sive Ignis. BART.

445. FLUMINE FLAMMAE.] Ab Aeschylo venit hoc flammeum flumen auctore. Prometheo Vincto.

Κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις ἥμενος μυδροκτυπεῖ,
Ἥφαιστος, ἔνθεν ἐκραγήσονται ποτε
Ποταμοὶ πυρὸς, δάπτοντες ἀγρίαις ...
Τῆς καλλικάρπου Σικελίας ...

Aliqu... [illegible]

Haud aliter lapis ille tenet, seu forte madenteis
Effluit in flammas. ——

Ubi nolim dubitasse Illustrissimum virum de *madentibus flammis*, cum idem Poëta initio ejusdem Poëmatis *flammas irriguas* dicere non erubuerit.

—— *proxima quaeque*
Ignibus irriguis urat ——

Virgilius *liquidum ignem* eadem schema dixit. BART. Aristoteles φλόγα πυρὸς vocat, quae Solino, *flamma flexuosis excessibus vagabunda*, ex hisce ipsis Gratii verbis. Severus:

Ardentesque simul flammas ac flumina rumpunt.

Flumina arenae ardentis; ut & *flumen* ardentis bituminis post modo: *spissus crebro praebetur flumine succus.* Ita utrobique, sed maxime postremo loco legendum malim. Nam de igne per *vimen* colato, ut vulgata prae se fert, vel ab ipso Scaligero paucis persuasum iri puto. Severus alibi:

Flamma micat, latosque ruens exundat in agros.

VLIT.

446. EMICAT IPSE,] Virgil. *Emicat hic impune putans.* BART.

447. MANU PALLENTE] Trepida. Vide commentaria ad Claudianum. *Ramum* etiam *termiteum* alibi enarravimus, ad Appulejum indice, scilicet. BART.

447. PROCUL HINC] Solemnis formula ante sacra inita profanos clara voce expellere. Plurima ejus moris exempla collegit Bern. Brissonius in mirabili opere de formulis sollemnibus Pop. Rom. libro I. BART. Imitatur Maronem Aeneid. VI.

Adventante Dea, procul ô procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco. VLIT.

Ovidius II. Fast.

Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto.

Vide totam formulam. Livius lib. XLV. *Quum omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, templis arceat.* Et Statius Lachrymis Hetrusci: *procul hinc procul ite nocentes.* Et ... *Insontes* ... [illegible]

[illegible]

Edico praesente Deo, praesentibus aris,
Queis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,
Inclamat. cecidêre animis trepidantia membra.

O

VARIAE LECTIONES.

450. *Animis*] A. P. L. Steyn. *animi.*

NOTAE.

——— *natura beatis*
Omnibus esse dedit, si quis cogneverit uti. BART.

449. QUEIS SCELUS AUT MANIBUS, &c] Lucanus l. v.

Seu Paean solitus templis arcere nocentes.

Sed peculiare aliquid huic fonti erat, ut castos tantum ac puris manibus accedentes admitteret, de quo infra: impuris ac sceleflis autem impune id non esset, ut postmodo monet Gratius. Narrat Aelianus templum Vulcani canibus ad minimum mille custodiri, qui rite adeuntibus blandirentur, sceleratos morsu invaderent, impuros vero abigerent tantum: Ἐὰν εἴ τις ἢ χεῖρας ἐναγὴς, τούτοις μὲν καὶ δάκνουσι καὶ ἀμύσσουσι. *Si cui autem scelus manibus sumptum est, eum mordent & laniant.* Ita enim illa verbotenus cum Gratio conveniunt. Idem cap. xx. de iisdem canibus: καὶ τῶν μὲν παρανομούντων τιμωρίαν δρῶσιν ... ἐμπηδῶσι γὰρ, καὶ τὴν ἐσθῆτα αὐτοῖς καταῤῥηγνύουσι, καὶ σωφρονίζουσιν ἐς τοσοῦτον αὐτούς. τούς γε μὴν πειρωμένους λωποδυτεῖν, διασπῶσι πικρότατα. *Contumeliosos autem, ut par est, puniunt: insiliunt enim, & vestes eorum lacerant, & eatenus castigant. Eos denique qui furari moliuntur, acerbissime dilaniant.* VLIT.

449. MANIBUS SUMTUM] Opere patratum. χεῖρας ἀντὶ τῶν πράξεων Pindaro positas notat ejus Enarrator. Porro hic paria cum Dei Optimi maximi legibus scilcit Paganus Poëta, dum mentem manusque puras accedere sacris celebrandis imperat. BART.

449. SUMPTUM,] Heinsius legit.

Queis scelus aut manibus, sontis aut in, &c.

Nimirum displicebat illi *sumptum*, quod tamen sanissimum est, ne dicam elegans. manus enim instrumenta sunt quibus omnia propemodum perficimus. Sumitur itaque manibus, quicquid ministerio manuum agitur. JOHNS.

449. IN PECTORE MOTUM] Τὸ παρέλκον est. BART.

450. CECIDERE ANIMIS] Ita cônfidenter rescripsi. Forsan malit aliquis; *cecidere animi, & trepidantia membra.* Ut Virgilius Aen. III. *sanguis Diriguit, cecidere animi.* Potest tamen defendi, quod posui. *Cecidere animis*, subintellecto *simul cum.* Vel tertio casu, *animis cecidere membra*, id est, non sufficiunt, & destituunt animos. Ad hanc porro rem conducunt ista C. Severi, quae ex conjecturis ita olim restitui:

Nam simul atque movent Euri, turbamque minantur,
Diffugit, extempleque solum tremit: ictaque rima
Et grave sub terra murmur demonstrat, & ignes.
Tum pavidum fugere, & sacris tum cedere rebus
Par erit, & tuto speculaberis omnia colli.
Jam subito effervent operosae incendia rupis, &c.

Ille enim igni haec adscribit, quae noster sacerdoti, & canibus custodibus Aelianus attribuit. *Operosae rupis*, cui passim *opus* suum attribuit Severus, ut supra quoque ostendi. Vel *operosa incendia*, ut alibi: *magnis operata ruinis Flamma micat.* Priora autem illa ipse alibi declarat Severus; ubi de ventis Aetnae incendia moventibus loquitur:

Angustis opus est turbare in faucibus illes.
Fervet opus, densique fremunt, premiturque ruente
Nunc furtim Borea atque Noto, nunc unus uterque est
Hinc venti rabies dum saevo quassat hiatu,
Fundamenta solo trepidant.

Quae mutuo inter se collata emendationi meae utroque in loco invicem adstipulantur. VLIT.

450. ANIMIS] Om. Lib. *animi.* at Vlitius, *animis* scribendum jubet, *i. e.* una cum animis. Vel. *cecidere animi & trepid. mem.* quid si *minis* legeretur? audito nempe illo sacerdotis edicto, collapsa extemplo cecidere sontium membra. JOHNS.

450. CECIDERE ANIMI] Gignendi casus est τὸ *animi*, cecidere membra animi trepidantia. Saepissime in Poëtarum omne genus. Minus placet quod in veteri Editione reperi, *animis.* Quamvis idem sensus sit. BART.

451. O]

O quisquis misero fas unquam in supplice fregit,
Qui pretio fratrum, meliorisque ausus amici
Sollicitare caput, patriosve lacessere Divos;
Illum agat infandae comes huc audacia culpae;
Discet, commissa quantum Deus ultor in ira
Pone sequens valeat, sed cui bona pectore mens est,

Ob-

VARIAE LECTIONES.

452. *Meliorisque*] *Meliorisve B.*
456. *Sed*] *Stet*, G. & B. Qui post hunc versum intercalat vers. 460. *Huic fas auxilium*, &c.

NOTAE.

451. O] Quicunque jura ἱκτήρια in supplices sancte observanda violavit, qui fratris vitam, amicive, fratri longe anteponendi, ausus est pretio accepto labefactare, & in discrimen vocare, patriosve perjuriis, sacrilegio, vel denique proditione patriae lacessere & irritare Divos, utinam sua huc illum audacia agat trudatque in perniciem. Audacia, inquam, illa, quae ingentia comitatur scelera, eademque animos improborum firmat. JOHNS.

451. Supplice] Maximum crimen habebatur apud veteres supplicem confessum laedere, quod arguunt Graecorum Tragoediae, praesertim Euripidis. BART.

452. Qui pretio, &c.] Virgilius Aeneide vi. tales in furiarum contubernio locavit,

——— *quibus invisi fratres, dum vita manebat,*
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti.

Unde hi duo versus sensum suum traxerunt. VLIT. Ovidius hos ibidem Charistiis procul esse jubet;

——— *procul impius esto*
Frater, & in partus mater acerba suos:
Cui pater est vivax, qui matris digerit annos,
Quae premit invisam socrus iniqua nurum.

Vide reliquos. Papinius eadem Silva sacris interdicit:

Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris; ———

Et quae sequuntur. VLIT. *in Add.*

452. Fratrum,] Alludit ad illud Ovidianum.

——— *fratrum quoque gratia rara est.*

Porro *meliorisve*, non *meliorisque* scribendum. Et ductum videtur ex Poenis sceleratorum apud Virgilium libro vi Quem videbis. BART.

452. Meliorisque] Utique melior est cui insidiae sine caussa struuntur illo, qui easdem struit. Vide Philonis librum Deteriorem Meliori Insidiari. BART.

453. Patrios] Si quis nescit, quinam sint Dii patrii (quos Graeci vocat πατρῷοι) adeat Vossium ad Catullum in initio; Gronovium vero maxime ad Statii Lib. 4. Syl. 8. p. 290. JOHNS.

455. Commissa] Vide ad versum cccLXXIV. BART.

455. In ira] Nove dictum. ut, *commissa piacula* apud Virgilium. ob offensas commissas, quae iram merentur. vel quae ab affectibus animi turbidis proveniunt. JOHNS.

456. Pone sequens] Hesiodaeum hoc.

——— *ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες*
Ἀθάνατοι λεύσσουσιν ὅσοι σκολιῇσι δίκῃσιν
Ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες. BART.

456. Sed cui] Alius ordo carminum, & alia hujus voculae lectio est in veteri Editione, quae utraque ego non inficier ab auctore Gratio venire.

——— *Stet cui bona pectore mens est:*
Huic fas auxilium & Vulcania tangere dona,
Obsequiturque Deo: Deus illam melliter aram
Lambit, & ipse suos ubi contigit ignis honores
Defugit ab sacris rursumque reconditur antro.
Haec, mora &c.

Stet ad innocentem dicit, cum procul extorreis abire impios clamaverit. Quo sane nihil convenientius excogitari poterat. Huic fas sacrum auxilium & Vulcani tangere dona, & obsequitur Deo. Nihil clarius, quam haec ita reponenda. BART. Aelianus etiam canibus attribuit, ut, quos bona mente & obsequenter accedere agnoscunt, blande ac comiter excipiant: καὶ τοὺς μὲν σωφρόνως, καὶ ὡς πρέπει τε ἅμα καὶ χρὴ παριόντας

εἰς

Obsequiturque Deo, Deus illam molliter aram
Lambit, & ipse suos ubi contigit ignis honores,

De-

NOTAE.

εἰς τὸν νεὼν καὶ τὸ ἄλσος οὐδὲ σμήχουσι καὶ σινάπτουσι. Quod tamen ipsi quoque numini videtur postea c. xx. asscripsisse: καὶ τὰ ἄλλα μὲν ὅσα ὑπὲρ αὐτοῦ λεγέ, καὶ ὅπως ἐμφανής ἐστι, καὶ ἐς τὸ τῶν δεομένων προχείρως ἀφίκεται τε ἄμα καὶ ἵλεως εὐχόμενος. *Sed reliqua, quae de hoc deo refert, quamque sit clarus, & in supplices prompte facilis ac propitius, alias dicemus.* VLIT.

457. Deus illam molliter] Non secus atque ibi Aelianus, etiam hic Deo τῷ ἐπιχωρίῳ parem propitiationem acceptam refert noster. Hinc illa Solini: *si adest Deus, si sacram probatur, ubi ipso numine sit accendium.* Virgilius Ecl. ix.

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.

Quod item ex SS. Foedere, Levit. cap. ix. & & Judic. cap vi. petierunt Idololatrae. VLIT.

457. Deus illam molliter aram Lambit,] *Deus*, puta ipse Vulcanus sive ignis Vulcanius, ut mox *ignem*, quem nunc *Deum*, vocat: *ipse suos ubi contigit ignis honores.* Nimirum *sponte sua*; ut saepe in sacro Foedere, 1 Reg xviii. 24. & 38. & 11. Paralip. vii. 1. Idcirco Helias cum sacrificulis Idoli Baal contendit, *at si cujus caesum hostiam missus coelo ignis absumeret, rata esset religio, quae virtutem edidisset*, ut habet Sulpicius lib. 1. Hist. Sacrae. Nec aliter in sacrificio Abrahae Genes. xv. 17. *Flamma coelitus facta inter divisas victimas cucurrit*, referente Augustino de civit. Dei lib. x. cap. viii. quod postea tamen ipse retractavit. Hinc est, quod Judaeos id miraculum praedicantes, irrideat immerito Flaccus in jucundissimo itinere suo lib. 1. Sat. v.

Dum flamma sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Judaeus apella,
Non ego.

Sine flamma, id est, sine igne terrestri adhibito. Videtur autem velle innuere Gnatiae Judaeos commoratos, qui id sibi tradiderint. Quod ipsi, inquit, credant; non ego. Mirum, Flacce, cum & Virgilius, ille *animae dimidiam* tuae, idem tradiderit Ecl. ix.

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.

Id est, Ignis ex cinere surgens. Servius ibi: *Sine igne, subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum peracto sacrificio libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit.* Vide reliqua, quae ipso Cicerone autore addit. Nec aliter Ovidius Metam. x.

——— *& amici numinis omen,*
Flamma ter accensa est, apicemque per aëra duxit.

Et lib. iv. de Ponto Eleg. ix.

——— *surgat pius ignis ab ara,*
Detque bonum voto lucidus omen apex.

Αὐτόματον πῦρ, intelligit, uti Scylaci dicitur, tale miraculum apud Siderumtem portum in Vulcani templo continuum tradenti. *Inaccensos ignes*, Silius dixit lib. 1. *inaccensi flagrant altaribus ignes.* Ita in Principe Romana anni 1474. in Biblioth. Leid & in optimis. Perperam in Dausquejana & aliis: *in accensis fl. altaribus ignes.* VLIT. *in Add.*

457. Deus] Vulcanus, idem qui *ignis* in sequenti versu. Extructam enim rite aram flammae sponte suâ incendunt. JOHNS.

458. Lambit,] Placide tangit: Virgilianum.

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

458. Ubi contigit ignis] Solinus: *Ibi epulantes alludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit: nec aliud est quam imago nuncia perfecti rite voti. Alludit*, ut Gratio *lambit*. Sed quid hic epulantes? Fortasse scripsit. *Ibi operantes* Ut pari in miraculo idem loquitur cap. ii. *Id operantes gesticulationibus religiosis impune insultant ardentibus lignorum struibus, in honorem divinae rei flammis parcentibus.* De qua phrasi alibi. Videtur tamen de epulis, quas sacrificantes hic celebraverint solemniter, aliquid ab aliis accepisse Solinus. Nam & Aelianus narrat illos, cum ebrii plerumque ac titubantes discedant, à canibus custodibus templi domum deduci. Νύκτωρ δὲ τοὺς μεθύοντας ἤδη καὶ σφαλλομένους κατὰ τὴν ὁδὸν, οὐδὲ ποιοῦσι δίκην καὶ ἡγεμόνες τι, μάλα εὐνοϊκῶς ἄγουσι, προηγούμενοι ἐς τὰ οἰκεῖα ἕκαστον. Unde colligas satis indulgenter illos *epulari* solitos fuisse, nec quicquam super eo vocabulo apud Solinum mutandum esse. VLIT.

458. Honoreis,] Sacrificia flammae destinata. Virgilius Ceiri.

Nec dum etiam castos agitaverat ignis honoreis.

Hoc

Defugit ab facris, rurfumque reconditur antro.
Huic fas auxilium & Vulcania tangere dona.
Nec mora; fi medias exedit noxia fibras,

His

VARIAE LECTIONES.

460. *Nec*] A. Steyn. *Haec* P. *His*, *mora*.
461. *Nec mora*] Ita Gefnerus. *Haec mora* vulgo. *His*, *mora* B.

NOTAE.

Hoc eft, attigerat. Nam videmus ad primum flammae appulfum moveri quod arae impofitum eft. Qua propter is locus non erat tentandus. Sic apud Graecos τιμὴ non raro facrificium notat, ut apud Hefiodum libro 1. ἔργων καὶ ἡμερ. De mortalibus argentei feculi.

—— οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν
Ἤθελον, οὐδ' ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς,
Ἣ θέμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα, τοὺς μὲν ἔπειτα
Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε, χολούμενος, οὕνεκα τιμὰς
Οὐκ ἐδίδουν μακάρεσσι θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

Qui *honores* nihil aliud funt quam Sacrificia & hoftiae mactatae. Unde materiam nafo fumfit magnanimum illum Κρονίδην irridendi, Graecorum Satiricus, Lucianus. Porro haec Gratii hiftoria notanda, non enim alibi auctorum à nobis lecta. BART. Sacrificia fibi oblata. Virg. Aen. L. 3. v. 118.

—— *meritos aris mactavit honores.*

Et paffim. JOHNS.

459. Defugit ab sacris,] Non pugnat huic, quod Aelianus ignem hunc Vulcani in aede ἄσβεστόν τε καὶ ἀκοίμητον, *perpetuum & inextinctum* manere ait. Poteft enim in ipfo antro talis fuiffe. Sed nefcio quam bene cum his congruant, quae Ariftoteles, five quifcunque ejus libelli autor eft, & Antigonus narrant, aeftate quidem flammam ex petra emitti, hyeme fere aquam profluere. Et paulo aliter Antigonus: ἀπὸ δὲ Πλειάδος μέχρι πρὸς Ἀρκτοῦρον, τὸ μὲν ἡμέρας καπνὸν ἀναφέρεσθαι, καὶ κινεῖσθαι θερμόν· ἐν δὲ τῇ νυκτὶ, φλογὸς πλημμυρεῖν. Quae equidem, & quicquid Graecia mendax Audet in hiftoria, oculati Romani teftis relatui longe pofthabenda cenfeo. VLIT.

459. Rursum reconditur] Τὸ *rurfum* abundat, ut in plurimis auctorum locis. Vide ad Appulejum. BART.

470. Huic fas] Nimirum, *cui bona pectore mens eft*. Non tamen poenitet me conjecturae meae, qua olim ductus legebam: *Hinc fas*, &c. Videlicet, poftquam facra probantur incendio ab ipfo numine facto, ut Solinus hinc videtur intellexiffe, eamque flammam *imaginem nunciam perfecti rite voti*, ideo quoque dixiffe. Ariftoteles: δεῖν δέ φασι τὸν προσιόντα πρὸς αὐτὴν ἁγνεύειν, καὶ τούτου γινομένου πλεῖον ἀναβλύζειν αὐτὴν τὸ ἔλαιον, ὥστε ἀσφαλῶς ἀρύσασθαι. *Oportet autem primum luftrari acceffuros ad fontem, quia tum plurimum olei exundare, idque tutius ab illis legi tradunt.* Ita fcribenda & interpretanda haec funt. *Hinc* itaque, ubi facra rite peracta funt, & ignis ille facrorum probator rurfum antro reconditus eft, quem cominus accedere tutum non fit homini nato. Fabulofum enim nimis eft, quod Solinus nefcio unde addidit: *Ibi epulantes adludit flamma, quae flexuofis exceffibus vagabunda quem contigerit, non adurit.* Sed, ne quid temere fine veterum autoritate librorum mutemus, rectum eft quod ediderunt omnes, *Huic fas*: puta τῷ ἁγνεύοντι, ex Ariftotelis verbis. Fruftra igitur Barthius cum fuo fibi codice eft, cujus adjutu haec trajicere & confundere conatur. Abfit. VLIT.

460. Haec] Scribendum *His*. hoc pacto.

His, mora fi medias exedit noxia fibras,
His fave praefidiis ——

461. Nec mora;] Lippis & tonforibus nota haec phrafis, qua nulla frequentior apud Poëtas, nulla hoc loco aptior. Quid enim hic morae fiat ad remedium, facris jam rite peractis? Barthius tamen: ne definat effe, qui femper, Barthius, fcribendum edicit:

His, mora fi medias exedit noxia fibras,
His fave praefidiis.

Impofuit illi vulgata, *Haec mora*; quam tamen dudum non inemendatam tranfiit Gefnerus. VLIT. Ita (*nec mora*) Gefnerus. recte. olim *Haec mora*. ut poftea *Hebroden* pro *Nebroden*. JOHNS.

His lave praesidiis, adfectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, & ipsa
Artem aluit natura suam. Quae robore pestis
Acrior, aut leto propior via? sed tamen illi
Hinc venit auxilium valida vehementius ira.
Quod primam si fallet opem dimissa facultas,
At tu praecipitem, qua spes est proxima, labem
Adgredere. in subito subita est medicina tumultu.

Strin-

VARIAE LECTIONES.

462. *Lave*] *Fove*. G. *fave*. B.

NOTAE.

461. His fave] Notandum migrare Gratium Canonas Legis Pediae, in *E* correpto, quod in Imperativis secundae Conjugationis fere produci solet. Sunt tamen exempla non pauca etiam correpti. Ut apud Martialem. lib. III. Epigramm. IV.

Si quando veniet, dicet responde, Poëta
Exierat: veniet cum Citharoedus erit.

Idem. *Lector salve: taces dissimulasque? Vale.*
Virgilius. *Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.*
Etsi illud aliter accipi potest. Ovidius.
Idque quod ignoti faciunt, vale dicere saltem.
Horatius. *Vade vale cave ne titubes.* Persius.
Auriculas, vide sis ne majorum tibi forte.
Valerius Flaccus. libro V.
——— *vide lata comantem*
Pectora ———
In Gratio *feve* non *fave* habet V. Edit. quod fortasse cum τῷ *mulce* magis congruat. BART.

463. Regnantem] Virgilianum de igne Georg. II.
——— *inde secutus*
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat.
BART.

463. Excutiens] Scribendum, *excuties*. BART. Non hoc à Gratio est; pendet enim sententia, at si, *excuties*, legeris, efficacior loci vis, rotundior sententia, laudantique magis accommodata. JOHNS.

463. Deus Auctor,] Vulcanus ipse hujus muneris dator est, & *ipsa* loci *natura*, hanc nativam ingenitamque sibi vim & artem medendi creat fovetque. JOHNS.

464. Quae robore pestis] Signaculum interrogationis his verbis postfigendum. Hoc modo.
——— *Quae robore pestis*
Acrior, aut letho propior via? Sed tamen illi &c.
Quod malum, ait, isto est vehementius, quae pestis atrocior? quae via mortis praesentior? Et tamen huic auxilium & remedium suis artibus datur. BART. Id est, pestilentia; quamvis ita sumi hanc vocem negent Viri docti. Ovidius ita palam Metam. VII.
Pervenit ad miseros damno graviore colonos
Pestis, & in magnae dominatur moenibus urbis.
VLIT. *in Add.*

466. Vehementius] Potentius; quod satis sit validam morbi iram coërcere. ita V. 418. JOHNS.

467. Quod primam] Quod si facultas illa & opportunitas medendi elapsa irritam reddet primam opem, protinus aggredere labem ad praeceps, ad summum jam evectam, qua proxima affulserit spes. JOHNS.

467 Dimissa] Amissa. Si lenia remedia quae prima proposuit, non sunt valitura, praecipiti morbo praecipiti etiam remedio succurrendum suadet. BART. Neque haec bene interpretatur ὁ πάνυ. Sensus verborum est: Quod si dimissa, & nimis diu dilata ac procrastinata medendi facultas primam opem fallat, nec mala, quae per longas invaluere moras, vincere queat, tum ad extrema remedia deveniendum. Ideo enim quoque monitum, *Nec mora.* In curatione videlicet. VLIT.

469. In subito] Gesnerus conjicit: *in summe summa est med. tum.* ut conveniat huc sententia

Stringendae nares, ſcindenda ligamina ferro
Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa eſt avidae vehementia peſti.
Ilicet auxiliis feſſum ſolabere corpus:
Subſiduaſque fraces, diffuſaque Maſſica priſco
Sparge cado. Liber tenueis è pectore curas

Exi-

VARIAE LECTIONES.

474. *Fraces*] *Faeces*. G. B. *faces*, citat B.

NOTAE.

tia Hippocratis, extremis morbis extrema remedia tentanda. Imo diverſa longe haec ſunt etiam apud Medicos. In ſubitaneis enim morbis, qualis peſtis maxime, ſubita remedia adhibere neceſſitas cogit. At quae in extremis morbis extrema commendatur medicina, non ita ſubito, ſed deliberato fit. *Subitus* itaque *tumultus*, quam *praecipitem labem* dixit. Qualem extremo lib. III. Georg. deſcribit, quem & hic imitatur noſter, Virgilius. VLIT.

469. TUMULTU] Omne quod praecipiti feſtinatione fit, & ratione non jubente, *tumultus* vocabulo notatur. *Senſuum tumultum* puto Ciceronem dixiſſe. BART.

470. LIGAMINA] Muſculos armorum dicit, quibus, velut ligaturis membra connectuntur. BART.

471. CRUOR DUCENDUS AB AURE.] Vegetium vide Veterinar. libro III. cap. LXXI. BART.

472. HINC] Ex ſanguine nempe corrupto. JOHNS.

474. SUBSIDUASQUE FACEIS,] Elegantiſſime. Quorum ignis jam ſubſedit, & picem tepidam aut ceram calentem deſtituit. Picatas ſane faces veteribus in uſu fuiſſe notum. *Picem* ulceribus medendis utilem ſupra habuimus, & ejus ſcabiei exterendae mentio apud Vegetium. In Veteri Editione alia lectio eſt, quae videtur potius Gratiana. Nam & phraſis illa immanis eſt, *faces ſubſiduas ſpargere*. Quae circum locutus ſit picis à facibus extinctis reliquias. In eo igitur informi Codice ita ſcriptum eſt.

Subſiduaſque feceis.

Quod, ut dixi, Gratianum potius videtur. Modo ut omnino exteratur *τὸ que*. *Feces* autem ſimplici *E* ſcribere Editionis illius mos eſt, quae nullam fere diphthongum agnoſcit. *Faeces* porro ad ſcabiem illinendam utibileis legas apud Vegetium lib. III. cap. LXXXI. *Subſiduae* vero eae, quam eleganter dicantur, neminem oculatum latet. BART. Quam oculatus hic fuerit Barthius, qui contra omnes editiones edidit, *faces*, idque pro captu ſuo interpretatur; ſed cum nec ſibi ita ſatisfeciſſet, ex editione illa, ut vocat, informi profert & praefert, *faeces*, alii diſpiciant. Ego faeculenta illa mero non praetulerim, quod admiſceri ſine faece & hic ſufficit. Adduntur tamen *fraces*, quae ſunt preſſarum olearum reliquiae oleo inſidentes. Plinius lib. XV. cap. VI. *Oleum in tabulato minui, deteriuſque fieri. Idem & in amurca & fracibus: hae ſunt carnes, & inde faeces.* Ea vera lectio eſt perperam à doctiſſimo Editore ſollicitata. Tradit enim in iis quid *fraces* apud Catonem ſint, à quo illa deſcripſit Plinius. Primum carnes, & inde poſtquam ſolutae ſunt, inſtar foecium. Hinc *fraceſcere* & *fracida* dicitur olea, quae putreſcit, apud Catonem de R. R. *Fraces* itaque olei, ut faeces vini. Fraces autem hic vino admiſceri jubet noſter. Columella quoque lib. VI. cap. XIII. *Quidam fraces vino & adipe commiſcent, eoque medicamento poſt fomenta praedicta utuntur.* Sed Gratius hoc fomento poſt rigidiora medicamenta, ad feſſum corpus ſolandum, utitur. VLIT.

474. SUBSIDUASQUE] Sordes olei, quae ſubſidunt & ad imum feruntur. JOHNS.

474. DEFUSAQUE] Ita lego, utcunque codices *diffuſa*. JOHNS.

474. PRISCO] Eligit *Maſſica priſco defuſa cado*, quià vinum vetuſtate acerbum minus eſt, & ulceribus lavandis mollius JOHNS.

475. LIBER TENUES] Notiſſimum vini uſum. Curas hominibus eximere. Unde & *Laetitiae datorem* Bacchum Poëtae dicunt. Ideoque hoc ad magiſtros potius canum, quam ipſos caneis per-

tu-

Exiget: est morbo Liber medicina furenti.
Quid dicam tussis, quid maesti damna veterni,
Aut incurvatae si qua est tutela podagrae?
Mille tenent pestes, curaque potentia major.
Mitte age: non opibus tanta est fiducia nostris.
Mitte animae ex alto ducendum numen olympo,

Sup-

VARIAE LECTIONES.

481. *Anime*] *Animae*, om. Ed.

NOTAE.

tinet. Nisi quis *curas* pro dolore vulnerum exponat. Alioqui enim nescio an vinum tantae sit potentiae, ut eximat curas vulneri saltim infusum. Sed illa duo.

——— Liber tenueis è pectore curas
Exigit, est morbo Liber medicina furenti.

κυρίως quasi *δεξιῶς* sunt, ad omnia pertinenteis genera morborum, praeceptaque omnibus speciebus applicanda. BART.

475. Liber tenues e pectore curas Exiget :] Horatius m. Od. xi. *dissipat Evius Curas edaces.* Cur *tenues* vocet Gratius, rationem non comminiscor. Ego malim, *tristes*, nisi ita scripsit. VLIT. *in Add.*

475. Tenues] Quae facile se insinuant. JOHNS.

476. Liber medicina] Ex Marone Geor. iii.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos: ea visa salus morientibus una. VLIT.

477. Tussis,] Non qualis homines vexat, sed quae fauces aliorum animalium & maxime suum ac canum obsidet, & proprie *κυνάγχη* dicitur. Hanc enim intelligi apparet ex loco Virgilii, & elegantissima illa ad *ἔτυμον* allusione, Georg. iii.

Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit aegros
Tussis anhela sues, & faucibus ANGIT *obesis.*

Nonius Marcellus de propriet. sermon. *Angina genus morbi eo quod angit, & Graece συνάγχη appellatur. Lucilius lib.* xxx.

Insperato abiit quem una angina sustulit hora.

Non inusitatum videlicet Lucilio quantitatem vocum pro lubitu immutare, ut eo quoque versu, quem citat Nonius in *Anchorae*:

Funis enim praecisus cito atque anchora soluta.

Quem locum perperam mihi videtur tentasse Turnebus ὁ πάνυ. *Anquina* enim non est funis anchoralis, sed quo *ad malum antenna constringitur*, ut exposuit Isidorus. In quo tamen errore non levius versatus fortean fuit antiquus Glossographus, dum scripsit: *Anguina, ἄγκυρα. συνάγχη, κυνάγχη.* Nisi excusemus illum reponendo: *Angina, ἀγχόνη*, pro *ἄγκυρα*, quae nihil ad *anquinam*, minus ad *anginam* facit. VLIT.

Κυνάγχη Canibus suibusque familiaris. Virg.
——— quatit aegros
Tussis anhela sues, & faucibus angit obesis.
JOHNS.

477. Veterni,] Quorsum *Moesti* dicitur. an quia canem moestum & κατηφῆ reddit? an deplorat vates damna veterno oriunda? JOHNS.

478. Incurvatae] Log. Edit. *Incuratae* difficulter sanabilis. quod cum Polluce convenit. ἡ μὲν ποδάγρα ἡ πάντη ἀνίατος. JOHNS.

478. Si qua est tutela] Pollux: ἡ μὲν ποδάγρα οὐ πάντη ἀνίατος. *Podagra autem non prorsus incurabilis est* Ita enim legendum monui supra ad vs 387. Ubi male editum est: ἡ δὲ κυνάγχη δυσίατος, loco ejus quod hic posui. VLIT.

479. Mille tenent pestes,] Virg. iii. Georg.
Non tam creber agens hyemem ruit aequore turbo,
Quam multae pecudum pestes VLIT.

479. Potentia] V. Ed. *nocentia*. Quod an Poëtae sit, videant eruditi. Multa hujus generis vocabula latent, parum vulgi usu probata. Quorum partem ex Afris potissimum scriptoribus in Indicem Appulejanum compegimus. BART.

480. Mitte age:] Distinguendum est:
Mitte, age (non opibus tanta est fiducia nostris)
Mitte animae ex, &c. vel, *Mitte, animae ex*, &c.
Ut posteriore [illegible] fit ἄπτωτον. VLIT.

481. Mitte an[illegible], aut, e[illegible]ndae, [illegible] est, precibus [illegible] *anime* [illegible]

Supplicibusque vocanda sacris tutela Deorum,

Id-

NOTAE.

ut in Vet. Ed. Ut animum Poeta ad Deos invocandos instigare velit. Utrumque tolerabile, vulgata tamen scriptura minus arridet. BART. Ita omnes libri, at mihi Barthiana conjectura magis placet. *mitte*, *anime*; videtur enim Gratius rei magnitudine deterritus reprimere se, animumque ulteriora conantem sistere. mitte, inquit, anime, age mitte plura conari; non ea fiducia est nostris, vel humanis opibus; *ex alto ducendum numen Olympo, supplicibusque vocanda sacris tutela Deorum* Solenne hoc Poëtis Musam liberius evagantem & nimis alta sperantem refraenare, nec Horatio & Pindaro solum, sed & tardissimis. JOHNS.

481. Supplicibusque Sacris] Merito *supplicia* vocantur haec sacra, quibus tutela & pax deorum petitur. Ita accipienda illa, quae praecessit, precandi formula: *pacemque precamur Incola sancte tuam.* De qua, ut simul haec absolvam, nunc prius hic aliquid dicam, & postea qualia illa pacifica sacra sint ex ordine absolvam. *Pacem deorum* itaque expetere solemnis apud ethnicos mos fuit, quem, ut plurima, etiam ex veri numinis cultu mutuati sunt. *Pax Dei* in SS. literis vel millies ita sumitur, pro pacatione & propitiatione. Uti & in cantico Angelorum accipiendum est: *καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.* Haec enim est pax Dei, *ἡ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.* Quo etiam modo vetus Interpres videtur haec conjunctim accepisse: *& in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Hinc solemnis illa Apostolorum *εὐλογία, εἰρήνη ὑμῖν ἀπὸ Θεοῦ.* Quod non aliter accipiendum est, quam si dicatur *εἰρήνη Θεοῦ.* Unde & Ipse dicitur *ὁ Θεὸς εἰρήνης.* *Pax* enim haec non semper ab offenso & infenso Numine, sed solemniter ut placidum ac propitium sit, petebatur. Non aliter quam Actorum cap. XIII. Sidones ac Tyrii *petebant pacem* ab Herode, quanquam bellum illis nondum indixerat. Quod simpliciter, & non ex hac Deos precandi formula, intelligendum est. Frustra itaque est Servius ad illa Aeneid. I. *Orantes veniam*] *Meretur enim benevolentiam, qui licet innocens sit, veniam, tanquam peccaverit, petit.* Nisi ex cod. meo MS. rescribatur: *veniam tamen, quàm qui peccaverit, petit.* Quae erudita prorsus sententia est. Non enim tanquam peccaverit, sed aeque ac ille qui peccaverit, veniam petit. Recte etiam ibidem observat: *Et proprie verbum pontificale est, unde est; Tu modo posce deos veniam. Et paulo post; pacemque per aras Exquirunt.* Quo loco *pacem*, *benevolentiam* interpretatur, adducitque illud: *Si sine pace tua atque invito numine.* Male autem, *pacemque per aras Exquirunt*, refert ad explorandam Deorum voluntatem, an vellent huic rei consentire. Illud enim per victimas, ut sequitur, ab aruspice fiebat. Haec vero pacis exquisitio praecedebat. Unde illud superius:

Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur
Incola sancte tuam.

Hae itaque primae sacrificantium preces erant, & votis miscebantur. Virgilius III. Aeneid.

Sed vatis praeceptaque jubent exposcere pacem

Saepe etiam ipsa, quae vovebant, munera & oblationes cum precibus addebant. Haec sunt quae *supplicia sacra* vocat noster. Ea intellexit Plautus Paenulo Act. I Sc. II. *omnia quae ad Deûm pacem oportet adesse.* Virgilius Georg. IV. fine: *tu munera supplex Tende petens pacem.* Quanquam ibi de conciliandа ira deorum agitur, & victimae caedantur. Idem enim & in pacificis sacris fiebat, ut hic hoedus Dianae mactatur. Cujus itidem origo ex antiquis Divinae Legis ceremoniis, quas populo suo praescripsit Deus per Moysen Levit. capp. III. & VII. Quae pacifica sacrificia fiebant communiter ipso sabbatho, ut colligere est ex Ezechielis cap. XLVI. *καὶ τὰ τοῦ σωτηρίου αὐτοῦ, ὃν τρόπον ποιεῖ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου.* Ita enim LXX. reddiderunt *pacifica*, quae Hebraice dicuntur שלמים *ut ipsa conciliatio pacificorum salus sit offerentis*, inquit Hieronymus. Merito etiam *σωτήρια* voces, quibus hic *fatorum labes exire minasque* docet Gratius. VLIT.

482. Tutela Deorum,] Cui geminum germanum est, quod praecessit: *tutela pax impetrata deorum.* Quasi amuleta illa, non minus quam sacra haec pacifica, *σωτηρίων* loco habenda sint. Tutela hic non est *ἐπιεικής*, sed pro protectione ponitur. Ita mox: *tua magna fides tutelaque virgo.* Non aliter quam tutelae navium diis suis inscribebantur, quorum protectioni committebantur. Unde & in illo, quod aliunde adduxi. *tutela pax impetrata deorum*, tutelâ deorum, interpretandum est. Nam *pax* ibi pro integritate sumenda est, ut Plautus id videtur exponere Mercatore:

A a *Apol-*

Idcirco aëriis molimur compita lucis,

Spi-

NOTAE.

Apolloquaeso te ut des pacem propitius,
Salutem & sanitatem nostrae familiae,
Meoque ut parcas gnato pace propitius.

Non aliter: quam apud Hebraeos vox שלום tam *pacem* quam *incolumitatem* denotat. Unde שלם pro *victima pacifica*: quam ideo σωτήρια reddiderunt LXX. qualis & hic pro incolumitate canum à Poëta offertur. Adeo sanctissimi ritus ab idololatris promiscue usurpati, & instinctu diaboli adulterati paulatim sunt. VLIT.

482. PAX IMPETRATA DEORUM,] Adde Plauti locum Poenulo:

Sunt hic omnia quae ad Deûm pacem oportet adesse?

Puta, munera & sacra pacifica, ad propitiandam Venerem, cui sacrificatura erat meretrix illa. Idem Trinummo: *Ni tua* [Neptune] *pax propitia foret praesto.* Et alibi saepe. Horatius II. Ep. I. de carminis vi:

Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.

Puta *pacem deorum*, ut notat vetus Scholion. Porro quae nostro *supplicia sacra* hic, *supplicamenta solennia* vocat Apulejus Milesf. XI. & paulo post. *procurare supplicamentis*, Et paulo ante *supplicia* substantive: *vannos onustas aromatis & hujuscemodi suppliciis certatim conferunt.* VLIT. *in Add.*

483. AERIIS] Ut altae arbores *aëriae* à Poëtis vocantur. *Compita moliri aëriis lucis*, est in compitis lucos consecrare, quibus sacra fiant Diis. Vide eruditissimum Turnebum etiam lib. VII cap. XXVII. BART.

483. MOLIMUR COMPITA] Non è trivio, nec vulgaris haec locutio. *Compita* Grammatici dicunt esse, quasi *competa*, quia multae viae eodem competunt, ut triviae & quadriviae. Isidorus: *Competa sunt ubi usus est conventus fieri rusticorum, & dicta competa, quia multa loca in agris eodem competunt, & quo convenitur à rusticis.* Vero hic quidem non multum absfuit, sed in etymologia non minus, quam Varro, aliique, antiquum obtinet. Quid enim sit *moliri compita*, si triviae hic intelligendae? Ego à *cemeo* vel *combeo*, cujus frequentativum sit *cembito*, ut *rebito* apud Plautum à *redeo*, vel potius à *combitere* (cujus simplex est, *bitere*, quo Plautus passim utitur) factum fuisse reor *combitum*, & mutata litera *compitum*. Nam & *compitus* olim dicebatur, ut *reditus*, *ambitus*. Varro de Scenicis Originibus lib. III. *Ubi compitus erat aliquis.* Id est, ubicunque coitus hominum erat. Ita & Isidorus sensit, vel quiscunque illi autor fuit, cum *compita* explicat, *ubi usus est conventus fieri rusticorum.* Junius Phylargyrius ad illa Georg. II. *& compita circum*] addit inter alia: *ubi pagani agrestes buccina convocati solent certa inire consilia.* Quia nempe hi conventus solemnes in triviis & quadriviis, ubi & lares compitalitii colebantur, & plerumque ara aliqua erat, ideo ipsa loca, ubi combitabant, compita dicta. Unde & ipsa sacella Dianae compitalitiae *compita* hic vocata Gratio videri possint. Livio item lib. XXVII. c. IV. *Aves ad compitum Anagninum ad lucum Dianae nidos in arboribus fecisse.* Sed proprie ipsi conventus sive ad consilia, sive ad sacrificium aliquod publicum peragendum, ita dicti fuisse primitus videntur. Propertius lib. II. Eleg XX. *& de te compita nulla tacent.* Nulli scilicet hominum coetus. Ita & hic accipiendum, *molimur compita.* Id est, convenimus ad sacrum hoc Dianae peragendum. Nam pleraque haec paganorum sacrificia, sed maxime quae Dianae fiebant, unde Trivia dicta est, in mediis viis & locis, quibus conventus ut facillime fiebant, quae inde compita, & compitalitia sacra nuncupaverunt, fieri olim consueverunt. VLIT.

483. COMPITA LUCIS,] Livius de iisdem lib. XXVII. cap. IV. *Aves ad compitum Anagninum ad lucum Dianae nidos in arboribus fecisse.* Erant haec loca sacris festisque conventibus dicata. Hinc *lares compitales*, & *ludi compitalitii* Suetonio Augusto cap. XXXI. & *ambulationes compitalitiae* Ciceroni ad Att. II. Ep. III. Quod autem lucis haec *compitalitia sacra* fiebant, vetus omnino est idololatria, à Deo vetita Deut. cap. XVI. in fine: & à Prophetis passim reprehensa, Exod. XXXIV. 13. Jud III. 7. & VI. 25, 26. 30. Esaia I. 29. de quibus alias ex professo, Deo volente. VLIT. *in Add.*

483. COMPITA] Hic mire aestuat Vlitius, nec tamen se expedit. *Compita*, quia ad rem suam magis facit scilicet, hic interpretatur conventus hominum, coetus; non loca ubi conveniunt, & testes adducit *Isidorum*, qui sic scribit, *compita sunt ubi usus est conventus fieri rusticorum.* Varronem. *ubi compitus erat nullus.* Propert. *& de te compita nulla tacent.* priora exempla contrarium suae sententiae evincunt. ultimum puto verum;

non

Spicatasque faces sacrum, ad nemora alta, Dianae

Sisti-

VARIAE LECTIONES.

484. *Sacrum*] *Ferre ad nem. alta* cit. Salmas. *ad nemorale*, Turnebus cit. quod probat Nic. Heinsius.

484. *Faces*] Harum species est in fronte tituli.

NOTAE.

non tamen ideo dixeris *moliri compita*, *pro convenire*. at mihi videtur ille *moliri compita*, qui, excisis arboribus, reddit vacua interstitia, ubi facile eatur. Anglice, *Cut a glade*. Et medium illud discrimen luci, quasi centrum erat, quo tendebant diversa interstitia. JOHNS.

483. Aeriis lucis,] Quae proximo versu, *nemora alta*, nimirum vocat. Ubi lucus hic sit, manu quasi demonstrat Ovidius Fastor. lib. III.

Vallis Aricinae silva praecinctus opaca
Est lacus, antiqua relligione sacer.
Hic latet Hippolytus loris direptus equorum:
Unde nemus nullis illud aditur equis.

Hinc Statio Hercule Surrentino lib. III. Silva I. *profugis cum regibus altum Fumat Aricinum Triviae nemus.* Ita emendaveram ex hoc Gratii loco, ubi *nemora alta* vocat, cum statim vidi non aliter verba illa à Cluverio adduci. Nam vulgo inepte legitur, *aptum*. Adducit ὁ θεῖος Lucani locum ex lib. III.

Qua sublime Nemus, Scythicae qua regna Dianae.

Quod non de luco hoc Dianae, sed de oppido adjacente in proximo, unde & *Nemorensis* Diana dicitur, ego accipi malim. Aricinum vero nemus est, à quo *nemoralis Aricia* Ovidio, & Martiali, quorum loca hic à doctissimo Cluverio non transcribo, dicitur. De eo & mox. Fuit tamen cum hoc loco mallem, *Egeriis lucis*, legere, quia Egeriae Numae conjugis in hoc luco fons celebratissimus fuit. Nam & Juvenalis Sat. III. *sacri fontis nemus & delubra* haec, quia Egeria in iis colebatur, & *vallem Egeriae* idcirco appellavit. Fuit & cum è contra non de Aricino nemore, sed de quovis, ut Dianae omnes dicati fuerunt, luco haec acciperem, quia apud Papinium legeram:

——— *omnisque pudicis*
Itala terra focis Hecatejas excolit Idus.

Quasi hoc sacrum in quovis per Italiam luco tum fieret. Sed hisce conjecturis meis nec veritati, nec lectoris judicio utique praescriptum volo. VLIT.

484. Spicatasque] Citant nonnulli docti,

——— *sacrum ad Nemorale* ———

Verum ea emendatione opus non est. Distinguendum.

Spicatasque faces (sacrum) ad nemora alta Dianae

De *Spicandi* verbo alibi prolixe scripsimus. Et nonnihil ad hunc librum v. CXIX. BART. Servius ad illa Georg. I. *ferroque faces inspicat acute*] *Incidit ad spici, id est aristarum imaginem*. Ita emendo adjutu MS. cod. Idem paulo ante: *Dicimus autem & hic spicus, & hoc spicum. Cicero in Arato:*

Spicum illustre ferens insigni corpore virgo.

Ideo quasi verba sua & etymon vocis simul exponens dixit: *In idit ad spici, id est, aristarum, imaginem*. Alludens simul ad illud Eclogae VIII. *Mopse novas incide faces.* Quo loco in P. Danielis editione legitur: *Corneae sane faces, quas, quasi diutissime luceant, rapiunt tanquam vitae praesidia. Namque iis quae sunt petitae diutius feruntur vixisse.* Eo saltem modo legenda haec sunt. Quid tamen per *corneas faces* velit innuere, utrumne ex corneo ligno, an cornu ad instar inflexae, quales in veteribus monumentis memini vidisse, intelligendae sint, haud temere asseruerim. Plinius lib. XVI. cap. XVIII. *spinam nuptiarum facibus auspicatissimam*, & carpinum, & corylum familiarissimas recenset. Nihil autem de corno, quae propter duritiem suam facibus inidonea est. *Incidere* autem faces non idem est, quod *inspicare*. *Incisae faces* sunt, quae ex dissectis per medium laminis ligneis fiunt, & circulis, ut conjicere est, uno & altero ferreis continebantur. Quales plurimae in antiquis lapidibus visuntur. At *spicatae faces* fiebant ex ligno solido in aululas & aristas quasi undique inciso ac exasperato, quibus flamma facilius concipitur & nutritur. Nec aliter sensit Servius cum *inspicare* exposuit *incidere ad spici imaginem*. Tales in Dianae nemorali sacro adhibuisse, ex hoc Gratii loco discimus. Verba enim ejus, ut vulgo habent, ita confirmanda sunt: *Spicatasque faces, sacrum Dianae, sistimus ad nemora alta.* Faces

Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore;
Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Stravêre arma, ſacris & pace vacantia feſtâ.
Tum cadus & viridi fumantia liba feretro

Prae-

VARIAE LECTIONES.

486. *Luci*] De eo Livius lib. I. c. 21. *Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua.* Ed. Antv. *lucis.* VLIT.

NOTAE.

ces hic ſacrum Dianae erant. Propertius lib. II. El. XXXII.

Cum videt accenſis devotam currere tedis
In nemus, & Triviae lumina ferre deae.

Quas *lucentes faces* dixit Naſo: *lucentes portat ab urbe faces.* In his quippe maxime conſtabat hoc luſtrale ſacrum, quod ſacrum Dianae abſolute dicitur. Vetus Kalendarium in lapide, Idibus Auguſti: SACRUM. SPEI. SALUTI. DEANAE. VOLCANO. VLIT. *Multifidaſque faces*, vocat Naſo Metam. VII. & iterum in ingenioſiſſima illa Baucidos coena, lib. VIII. Adde in fine ad hunc locum, VENATRICIA ſacra, in alio Vet. Kalendario poni XI. Kal. Septembres. VLIT. *in Add.*

484. SACRUM,] Iſtud *Sacrum* cum *faces* connecti per appoſitionem, vix ferendum cenſeo; adeoque tuam, Turnebe, lectionem an emendationem lubens amplector, *Nemorale* legentis pro *nemora alta.* Sic omnes Auctores, qui de hâc re egerunt. Ovid L. 3. Metam. *antrum nemorale.* 14. *ſtagnum nemorale.* & *templum nemorale.* V. Strabo: L. 5. p. 239. JOHNS.

484. NEMORA ALTA,] Turnebus citat: *ſacrum ad nemorale Dianae.* Quod, niſi veteri ſcripturâ ſtandum ſit, unice amplectar. Ab hoc enim nemore Aricino, ut dixi, *nemoralis Aricia* & *nemorale ſtagnum* ac *templum* dicitur. Ovidius lib. XIV. Metam. *Scythicae ſtagnum nemorale Dianae*, & lib. I. de arte amandi:

Ecce ſuburbanae templum nemorale Dianae.

Ita & hic *ſacrum nemorale Dianae*, quae in hoc Aricino nemore colebatur, dixerit Gratius. VLIT.

485. CATULI VELANTUR] Statius Papinius eadem, quam citavi, ſilva:

——— *ipſa coronat*
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras.

x eo, quod noſter nimirum hic ſubdit:

Stravere arma, ſacris & pace vacantia feſta.

Quae Papinio videntur ob oculos fuiſſe. VLIT.

486. DISCRIMINE LUCI] Spacium planiciemve intelligit in medio luco ad Sacrificia deſtinatam. BART. De eodem loco Livius lib. I. cap XXI. *Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua*; ubi Aegeriam ſuam conſulebat Numa. Idem lib. XXV. *In hujus ſilvae medio ferme ſpatio*; Ita dudum emendaram, cum poſtmodum apud Cl. Gronovium ita inveni. Vulgo editur: *ſtadio.* VLIT. *in Add.*

487. STRAVERE] Nempe ſacrificantes. vel προθέσεως fumendum loco & ſtrata fuere. JOHNS.

487. SACRIS] Tertio caſu, *vacantia ſacris, & feſta pace*, id eſt ſolemni quiete, qualem deſcribit Papinius. VLIT.

487. PACE VACANTIA FESTA.] Otium ſacrum intelligit. Horatius. *Vacat otioſe cum bove pagus.* Quo loco male acumen ſuum collocarunt viri aliarum rerum dextri. BART

487. VACANTIA] Non utenda in feras, ob ſacra feſtamque pacem. JOHNS.

488. VIRIDI FERETRO] aram puto ceſpite viridi exſtructam intelligere Poetam. BART.

488 FUMANTIA LIBA] Hinc etiam ille: *Fumat Aricinum Triviae nemus. Fumat Triviae.* ſcilicet dum haec illi liba adolentur, quae & in pacificis adhiberi praecipit Moyſes Levit. cap. VII. Οὗτος ὁ νόμος θυσίας σωτηρίου, ἣν προσοίσουσι Κυρίῳ. Ἐὰν μὲν περὶ αἰνέσεως προσφέρῃ αὐτὴν, καὶ προσοίσει ἐπὶ τῆς θυσίας τῆς αἰνέσεως ἄρτους σεμιδάλεως ἀναπεποιημένους ἐν ἐλαίῳ, καὶ λάγανα ἄζυμα διακεχρισμένα ἐν ἐλαίῳ, καὶ σεμίδαλιν πεφυραμένην ἐν ἐλαίῳ. Ubi ἄρτους pro libis poſuerunt LXX. uti & *panem* Cato de R. R. cap. LXXV. Θυσία αἰνέσεως eſt quod dicit noſter, *proque anno reddit honorem* VLIT. Adde Matthaei locum XXIII. 18. ubi δῶρον, pro *victima.* Cyprianus de Patientia, dicit Jacobum Patriarcham *pacificis muneribus iram fratris Eſau mitigaſſe. Dona* etiam & *donaria* ſunt ἀναθήματα VLIT. *in Add.*

489. PRAE-

Praeveniunt, teneraque extrudens cornua fronte
Hoedus, & ad ramos etiamnum haerentia poma,
Lustralis de more sacri, quo tota juventus
Lustraturque Deae, proque anno reddit honorem.
Ergo impetrato respondet multa favore
Ad partes qua poscis opem, seu vincere silvas,
Seu tibi fatorum labes exire minasque
Cura prior, tua magna fides tutelaque Virgo,
Restat equos finire notis, quos arma Dianae

Ad-

VARIAE LECTIONES.

494. *Poscis*] A. Steyn. *poscit.*
497. Tit. in Edd. *De Equis.*

NOTAE.

489. PRAEVENIUNT] Quid si, *Proveniunt?* Ut *provenire* sit προσφέρειν. Προσφέρειν autem est *tendere* Virgilio: *tu munera supplex Tende.* Nam & δῶρα similiter illa dicuntur apud Moysen paulo post: *ἐπὶ ἀρχῆς ἀξιωματων προσοίσεις τὰ δῶρα αὐτοῦ ἐπὶ θυσίας αἰνέσεως σωτηρίου αὐτοῦ.* VLIT.

492. LUSTRATURQUE DEAE,] Xenophon minor cap. XXXIII. τῇ θεῷ γε ἀποκαθαίρειν, verbotenus idem dicit: additque ὡς νόμος, id est, *Lustralis de more sacri*, καὶ κοινῶς ἡ τοῖς κυνηγέταις, quae *tota juventus* nostro. VLIT. *in Add.*

492. ANNO] Felici omnium bonorum proventu. Lucanus.

Effusis magnum Libye dedit imbribus annum.
BART.

493. RESPONDET MULTA] *multa* ad vocem *opem* referendum ἀπὸ κοινοῦ, quae sequitur versu altero. Alioquin scribendum foret *respondent.* Sed altera lectio Gratiano acumine dignior non mutanda est. BART. An ipsa Diana coelitus respondebat? Vel an ipsum Deae simulacrum oracula pronuntiabat consulentibus? Nugae. Non si quid credula Roma Elevet, accedam: quanquam & id ausint de ea, quae in Regia Lutetiae ostenditur, Dianae statua afferere Galli, humana voce olim loquutam fuisse. Quid si itaque reseribamus:

Ergo impetrato respondent multa favore
Ad partes qua poscis opem: seu vincere, &c.

Ut Maroni: *illa seges votis respondet avari Agricolae.* Et alia, quae supra adduxi. *Impetrato favore*, id est, cum jam *tutela pax impetrata deorum* est. *Favorem* itaque nunc, quam *pacem* antea, vocat. Hac impetrata respondent multa, ac feliciter succedunt sive in curandis vulneribus, sive in ipsa venatione. VLIT. Id est, propitia fiet exaudietque rogantes. Nam & haec è Sacris ad profana transiit phrasis. Sic passim Regius Poëta & Propheta in divinis Hymnis; Psalm. III. 5. *Invocavi Dominum, & mihi respondit de monte salutis*; id est, *exaudivit* me, ut alii & hic & alibi interpretantur. Sic 1. Reg. XVIII. 26. ubi LXX. ἐπακούειν, Vetus promiscue habet, *exaudire* & *respondere.* Adde 1. Sam XXXVIII. 6. 15. & XXX. 8. VLIT. *in Add.* *Multa* faeminino genere. benigna exaudit responderque precibus. vel quoad multa, in multis. JOHNS.

496. VIRGO,] Diana. Callimachus εἰς Ἄρτεμιν. Tamen Endymionem & Hippolytum Poëtae illi non ignoscunt. BART.

497. FINIRE] Definire. pari modo *finitionem* pro definitione ponit Gellius libro XV. cap. IX. Ita & Appulejus. BART.

497. RESTAT EQUOS FINIRE NOTIS,] Commode hanc κυνηγεσίας partem postremo loco tractat poëta, praemissa ea, à qua nomen fortitur totum hoc institutum. *Prima illa canum, non ulla per artes Cura prior*, ut merito cecinit. Praepostere autem Oppianus priorem ac potiorem libri primi partem in equis, & fabulis quibusdam, quae nihil ad venationem, consumpsit. Non ausim tamen haec apud Gratium de equis satis salva praestare. Nusquam enim,

 quod

Admittant. non omne meas genus audet in arteis.
Est vitium ex animo; sunt quos imbellia fallant
Corpora: praeveniens quondam est incommoda virtus.
Consule, Penei qualis perfunditur amne
Thessalus, aut patriae quem conspexêre Mycenae
Glau-

NOTAE.

quod hic videtur promittere, notis suis equi formam definivit, de qua ad Nemesianum. Nisi per *notas* censuram intelligamus, qua non quidem ex forma, sed secundum genus ac patriam excernit *quos arma Dianae Admittant.* Id enim est quod subdit, *non omne meas genus audet in artes.* Eaque de causa non à forma, ut Xenophon, aut moribus, ut Virgilius aliique, sed à patria mox incipit plerosque notare, & venationi inutiles primum percensere. *Finire notis* enim est, *percensere notis*, ut alibi de catulis loquitur. Petita metaphora à censoribus, qui ut equites ita & equos eorum saepe notabant. Unde illa solemnis censendi formula apud Val. Maxim. lib. II. cap. IX. *Traduc equum Sacerdes, ac lu.risac censoriam notam.* *Finire* autem est desinire; ut *fungi*, pro defungi, apud Maximianum, Prudentium, aliaque hujus notae. VLIT. Censoriis scilicet. Ita Claudius Imp. *cum orantibus familiaribus demsisset cuidam appositam notam, litura tamen, inquit, extitisset.* Ita legendum apud Suetonium, pro *exisset.* Ludebat ridiculus Imp. in voce *nota*, quae ut per se quodammodo litura erat notati nominis, ita inducta, revera etiam litura extabat. Quod merito reprehendit Suetonius, quod ita jocando severo illo Censoris munere abutebatur Claudius. Haec ideo, quia ab Ill. Casaubono non bene percepta. VLIT. *in Add.*

498. AUDET] Simpliciter hoc verbo pro confidens est, utitur exemplo Virgilii. Vide Commentaria nostra ad Appulejum, & Claudianum. BART.

499. EX ANIMO.] Imbelli, vel fallente. quod ex sequentibus petendum est. Tales Oppianus describit Iberos equos. L. I v. 285. ἀνάλκιδες ἦτορ JOHNS.

500. PRAEVENIENS] Praecox, praeveniens vireis. BART.

500. PRAEVENIENS QUONDAM] Ita superius loquitur:

Quondam inconsultis mater dabat Umbrica Gallis
Sensum agilem. i. aliquando.

Servius ad illud Aen. II. *conjunx quondam tua dicta relinquor? Quondam,* inquit, *aut aliquando significat: quasi nunc uxor non sit quae relinquitur. Aut certe quondam, semper, significat (ut in Georgicis:*

Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.)

Id est, quam semper conjugem nominasti. Ita lego ope MS. codicis. Qui intellectus, si cui arridet, hic etiam applicari potest. Non temere tamen mihi olim conjecisse videor:

——*sunt quos imbellia fallant*
Corpora, praeveniens quoniam est incommoda virtus.

Ut illis quibus *Est vitium ex animo*, opponat hos qui quidem magno animo & alacritate incipiunt, sed propter corporis imbecillitatem deficiunt. Nam *frustra nimius properat furor*, quia *virtus irrita damno est*, ut in canibus Aetolis ac Petroniis notavit. Similiter etiam de canibus Xenophon cap. III. αἱ δὲ ἄποδες, οὐδ' ἐὰν ὦσιν εὔψυχοι, τοὺς πόνους δύνανται ἀνέχεσθαι, ἀλλ' ἀπαγορεύουσι. Nam & hos ibi τοῖς ἀψύχοις, id est, quibus *Est vitium ex animo*, opponit disparatim. Multo autem magis vituperantur inter equos οἱ ἄποδες. Quia, ut loquitur idem initio ἱππικῆς, τοῦ μὲν σώματος πρῶτόν φαμεν χρῆναι τοὺς πόδας σκοπεῖν, *in corpore* equino *primum pedes spectandos dicimus.* Idcirco quam corporis hic imbecillitatem notat in animosis, mox in pedibus videtur caussari, ubi de Parthico equo canit:

Ante opus excussis cadet unguibus: & tamen illi
Est animus, fingetque meas se jussus in artes.

Qui horum numero merito accensendus est, *quos imbellia fallunt Corpora.* VLIT. Quandoque praeceps & praefervida virtus venationi incommodos reddit. JOHNS.

502. THESSALUS,] Primas huic omnes fere concedunt. Varro catalogum praestantium equorum ita inchoat lib. II. cap. VII. *Itaque ad hoc nobiles à regionibus dicuntur: in Graecia Thessalici equi*, &c. Et notum illud è tripode,

Ἵππους Θεσσαλικὰς, Λακεδαιμονίας τε γυναῖκας,
Thessalicum inter equos, Lacedaemoniamque puellam,

primas olim obtinuisse, referente Strabone lib. x. Un-

Glaucum. nempe ingens, nempe ardua fundit in auras
Crura. Quis Eleas potior lustravit arenas?

VARIAE LECTIONES.

503. *Fundet*] *Tollet*, citat Turneb.
504. *Lustravit*] *Lustrabit*. Turneb.

NOTAE.

x. Unde noster supra:

Thessalum quadriga decus. VLIT.

502. Conspexere] Clarum videre. Nam *conspectus* Poëtis illustrem & spectabilem valet. Comparationes equorum Descriptionis Oppiani, Virgilii, Nemesiani, & nostri ab aliis factae sunt. Quas non recoquendas putamus. BART. Cum admiratione videre. JOHNS.

503. Glaucum.] Servius ad illa Virgilii Geor. III. *honesti Spadices, Glaucique: Glauci autem sunt faelineis oculis, id est quodam splendore perfusis.* Ita MS. codex. Commendat itaque Gratius inter Mycenaeos sive Argivos equos, qui glauci sunt, & qui non tantum ex sanguine eorum descendunt, sed ipsis Mycaenis in patria sua educati sunt ad Olympiacum certamen. Contra Plato inter malos equos accenset γλαυκόμματον. Ut & hodie vituperantur glauci, nisi parem & aequalem in utroque oculo maculam rotundam undique, non semicircularem, habeant. VLIT.

503. Ingens,] Quod de canibus dixi ad v. cclxxxi. idem in equis observatur, maxima corpora maximi animi capacia plerunque esse, modo non enormia. Varro: *Forma esse oportet magnitudine media, quod nec vastos, nec minutos decet esse.* Indistincte autem Palladius Martio tit. XIII. in admissarii forma primum requirit, *vastum corpus & solidum.* Et postea in pullis *considerandα magna, longa corpora* commendat. Concinnius noster ingentem laudat, quod maxime ad *robori convenientem altitudinem*, quam requirit item Palladius, referri debet. Hinc enim celeritas, ut praecipua Venatoris equi virtus, indubitato praesumitur. Unde Oppianus lib. I. postquam Libycos equos omnium velocissimos constituisset, hoc quoque praestantiae illorum accommodat, quod

Μείζονες εἰσιδέειν Λίβυες κρατεροὶ γεγάασιν.

Et rationem adjicit,

—— ἕνεκεν εἰσὶν
Πάσσονες εἰσιδέειν, καὶ κρείσσονες ἰθὺς ὀρούειν.

Haud minus ut cursu valido quam corpore praestent. VLIT.

503. Ardua] Ut Virgilio, *generosus pullus in arvis Altius ingreditur.* Rationem cur hoc etiam in pullo commendetur, egregie reddit Xenophon περὶ Ἱππικῆς initio: *τά γε μὴν γόνατα ἢν βαδίζων ὁ πῶλος ὑγρῶς κάμπτῃ, εἰκάζοις ἂν καὶ ἱππεύοντα ὑγρὰ ἕξειν τὰ σκέλη, τὰ δὲ ὑγρὰ δικαίως εὐδοκιμεῖ, ἀπταιστότερον γὰρ καὶ ἀκοπώτερον τὸν ἵππον τῶν σκληρῶν σκελῶν παρέχει. Inoffensius enim & minus laboriose ita incedit equus, quam si rigida sint crura.* Hinc bene Oppianus: *θείοι δ' ἀείδρομοι ὁπλῇ ὕψι μάλ' ἐκ γαίης. rotundaque se ungula tollat Altius à terra.* Non enim hoc tantum in ingrediendo decorem habet, sed tam in cursu quam saltu optatissimum, quia longius extenduntur ac *funduntur*, ut noster loquitur, crura ita in se collecta. Pollux lib. I. c. XI. §. 8. *ὑπάρξει γὰρ αὐτῷ, Σίμων λέγει, διὰ πλείστου τὰ σκέλη ῥίπτειν· καὶ τοῦτο δὲ Σίμωνος εὔδρομος, εὐθύδρομος ἵππος ὁ μὴ ὀλίγον αἴρων ἀπὸ τῆς γῆς ἐν τῷ τρέχειν τὰ σκέλη. Prodest enim equo, inquit Simon, crura plurimum effundere: ideoque cursu facilis ac proficiens equus illi dicitur, qui non leviter tantum crura sua inter currendum humo tollit.* Ita lego & verto haec; quanquam de tolutario equo, ut infra dicam, accipi possit vulgaris scriptura, quae alias ex ipso Polluce falsi convincitur, inter laudes recensente *γόνυ λαγαρὸν πρὸς τὴν συγκαμπὴν* (uti legendum est) & inter vitia *γόνατα δυσκαμπῆ*. VLIT.

504. Eleas] Olympicum stadium dicit. BART. Virgilius Georg. III.

Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spatia.

Servius; *scilicet circi. Elis autem est civitas Arcadiae, in qua agebatur curule certamen & est species pro genere.* Ita & hic possit accipi. Non enim in certamine Elaeo Mycenaeis semper equis usi, sed & Numidicis, ut infra canit noster: *Pisis Numidae solvere jugales. Arena* etiam &

Ne tamen hoc attingat opus; jactantior illi
Virtus, quam silvas, durumque lacessere Martem.
Nec saevos miratur equos terrena Syene.

Sci-

VARIAE LECTIONES.

507. *Mira*] *Miretur.* Cluver. &, *in saxa.*

NOTAE.

lustrare Romanorum propria vocabula fuerunt: illud è theatro, hoc è circo petitum. Glossae veteres: *lustravit*, ἀφώρισε. Quod eo possit referri. Ita supra: *cur exiguis tantos in partibus orbes Lustramus?* Id est, cur tot spatia in tam exili arena decurrimus? cur tantum verborum in hac non praecipuae artis nostrae parte consumpsimus? Eadem tralatione utitur & Varro lib. I. de RR. cap. III. ubi exquirit de oeconomica agresti, *ars an sit, an quid aliud, & à quibus carceribus decurrat ad metas.* Scilicet, unde incipiat, ubi desinat VLIT.

505. Opus,] Venationem. JOHNS.

505. Jactantior] Equorum Mycenaeorum virtus magis pompae & ludicris certaminibus nata; nec robusta satis quae feras sylvestres, durumque lacessat Martem. contra Cappadocum equi apud Oppian. Lib. I. v. 202, 203.

Κεῖνοι εἰς πόλεμον μεγαλήτορες θαρσαλέοι
Ἄιθωνες τ' ἐπὶ θῆρας. ἐπὶ μάλα θαρσήεντι
Θηροὶν τ' εὐπαλάμοισιν ἐναντία δηρίσασθαι. JOHNS.

506. Durum Martem.] Ad Cursus & Campestria nobiliora exercitia Thessalos & Mycenaeos equos aptos ait, rusticum vero & durum laborem venandi eis indignum esse. BART.

507. Terrena syene] Quod montosa, nec obvia fluminibus. Dionysius.

——— καὶ μέχρι βαθυκρήμνοιο Συήνης.

Saxa Syena petita laudat Papinius Silvarum. II. in Surrentino Pollii. Hactenus Vetus Editio. Quae restant in ea non apparent. Ideoque & nos heic finem commentationi dabimus. Nam nulla vis humani ingenii lacunas illas explebit, ut à Gratio scriptum est Poëma. Nec labor nisi vanus in Interpretatione eorum, quorum de Lectione non constat. BART. Quod montosa, nec obvia fluminibus, inquit Interpres, & hoc corollario quasi, animadversiones suas & Gratium absolvit. Imo Συήνη πόλις μεταξὺ Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας, ἐπὶ τῷ Νείλῳ, autore Stephano, apud quem ita interpolandum. Quia autem & insula sive peninsula cognominis in ipso Nilo adjacet, ideo *terrenam Syenen* ipsum oppidum videtur vocasse Gratius. Non enim in peninsulâ, ut perperam in tabulis suis constituit Ortelius, sed in continenti Thebaide oppidum fuit. Insula autem Syene aliud in se oppidum habebat, ut ex Strabonis lib. XVII. sciri potest. Parum tamen hoc causae habet, ut *terrena* dicatur, siquidem ab ipsa Nili ripa minimum distat Syene. Quare suspecta mihi haec vox est, *terrena.* Quid si scripserit, *turrita Syene?* Ut Dionysius ὁ περιηγητὴς, μέχρι βαθυκρήμνοιο Συήνης, dixit, quia duobus montibus in acutum turrium instar desinentibus cingebatur. Herodotus tradit lib. II. εἶναι δύο ὄρεα ἐς ὀξὺ τὰς κορυφὰς ἀπιγμένα μεταξὺ Συήνης τε πόλιος κείμενα τῆς Θηβαΐδος καὶ Ἐλεφαντίνης. Vel etiam quia revera à turri sua celebratissima fuit, *turritam Syenem* dixerit. Ezechiel cap. XXIX. ἀπὸ πύργου Συήνης, καὶ ἕως ὁρίων Αἰθιόπων. *à turre Syenes usque ad terminum Aethiopiae.* Ita recte quidam Interpres, & forsan ipsi LXX. Perperam alii: ἀπὸ Μαγδωλὲ καὶ Συήνης. Quod ambiguitate vocis מגדל evenit, quae & *turrim* significat, & oppidi quoque nomen est. B. Hieronymus: *Pro turre, quae Hebraice* מגדל *dicitur*, LXX. *loci nomen posuerunt, ut* Μαγδωλον *scriberent. Turris autem Syenae usque hodie permanet castrum ditioni Romanae subditum.* Hinc autoritatem capit vett. libb. scriptura apud Plinium lib. V. cap. IX. de Nilo: *Ditionis Aegyptiae esse incipit à fine Aethiopiae Syene: ita vocatur peninsula C millium passuum ambitu, in qua castra sunt latere Arabiae.* Nam *Cerastae*, quos ex vulgata lectione in tabulas suas deduxit Ortelius, nulli unquam fuerunt. Malim tamen hic apud Gratium, *extrema Syene*, minori mutatione. Claudianus de bello Get. *extremis legio praetenta Britannis.* ut ἐσχάτους ἀνδρῶν Aethiopas dixit Homerus. Ita Frisios *extremos imperii* vocat Tacitus Annal. IV. Idem *Elephantinen ac Syenen claustra olim Romani imperii* fuisse tradit Ana-

Scilicet & Parthis inter sua mollia rura
Mansit honor: veniat Caudini saxa Taburni,

Gar-

VARIAE LECTIONES.

508. *Veniat*] Johns. *veniant*.

NOTAE.

itali II. Et Lucano *Regni claustra Philae*, quae Syene non ita longe distabant. VLIT. Omnino legendum, *extrema*. Ita Homerus Aethiopas, ἔσχατοι ἀνδρῶν, & Virgilius, *extremos Garamantes*, Ecl. VIII. *Extremique hominum Morini*, exitu Aeneidos VIII. Sed perperam hic à Servio, ille à Maximo Critico Sacro, intellecti. Ovidius in Ponto agens nihil frequentius queritur. ut III. Trist. III.

Lassus in extremis jaceo populisque locisque.

Lib. IV. El. IX. *extremum sicut sum missus in orbem.* Uti & lib. V. El. V. initio: *in extremo orbe*, & El. XII. *in extremos jussus abire Getas.* Et in Ponto aliquoties. Horatius lib III. Ode IX.

Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

Claudianus de bello Getico: *extremis legio praetenta Britannis*, *Quae Scoto dat jura truci.* Sic & Ammiano lib. XXVI. *Orbis extrema* Scotia dicitur. VLIT. *in Add*

507 NEC SAEVOS] Ad haec verba sic Doctissim. Bochartus in Hierozoi. *Hoc videtur innui*, *equos circa Syenem esse parum bellicosos.* Resolvitur itaque *nec* in *& non*, atque haec verborum structura erit. Et *terrena* (Bochartus praefert *extrema*, ut & Vlitius) *Syene miratur equos non saevos.* Malim *extrema*, inquit Vlitius, quia Elephantinen ac Syenen claustra olim Romani Imperii fuisse tradit Tacitus. JOHNS.

508. PARTHIS INTER SUA MOLLIA RURA] Vegetius Mulomed. lib. I cap. LVI. *Parthis consuetudo est equorum gressus ad delicias has arte mollire: non enim circulis atque ponderibus praegravant*, *ut soluti ambulare condiscant*, *sed ipsos equos*, *quos vulgo trepidiarios*, *militari verbo tottonarios vocant*, *ita edomant ad levitatem*, *& quaedam blandimenta vecturae*, *ut Asturconibus similes videantur.* Quasi mollities haec illis non à natura, sed ex institutione veniat. Idem porro exponit ut per aspera ac fragosa loca agitati facilius hunc gradum sumant. Verisimile tamen est natura etiam, ut Anglorum hodie Thieldones, propter delicatiorem corporis pedumque maxime constitutionem ita comparatum illis fuisse, ut si non sponte, faciliori tamen disciplina ambulare, ut vocant, condiscerent. Fuere enim ungula pedum minime solida aut firma, ut ex hisce apud Gratium conjicere est: *Ante opus excussis cadet unguibus.* nimirum si per aspera & saxosa vehantur. Vegetius ibidem: *in quo spatio* (silicibus aspero) *cum equus frequentissime exercere coeperit*, *in illos silices necessario offendit*, *& priores & posteriores ungulas impingit*, *& aliquando vel cadit*, *vel sic offendit*, *ut cadere videatur. Post quod admonitus injuria tollit altius crura & inflexione geniculorum atque gambarum molliter vehit.* Ob ungularum infirmitatem itaque non minus cespitationi obnoxii fuerunt, quam illi, quos dico, Thieldones, cum quibus & in velocitatis studio comparari possint. Strabo lib. III. palmam hanc illis reliquisse videtur, dum Celtibericorum equorum velocitatem extollens Parthicis tantum aequiparavit: ἰσοτίμους δὲ τοῖς Παρθικοῖς, θᾶττον γὰρ ... καὶ ... μᾶλλον τῶν ἄλλων. Oppianus, postquam Siculorum equos omnibus praetulisset, superaddit: ἀκύτεροι Σικελῶν δὲ τε Παρθοι. Imo non tantum ... facit, sed & adversus leonem audere tradit. Hoc videtur sensisse & noster, cum canit: *& tamen illi Est animus*, &c. Qui hoc tantum in illis reprehendit, quod molli pede fulti sint, & ..., quae praecipua inter equi virtutes, non habeant. VLIT. Malim, *propter sua mollia crura*, quia Auctore Vegetio, Lib. I. Cap. 56. *Parthis consuetudo est equorum gressus ad delicias Dominorum hâc arte mollire.* Sic Bochartus.

Nihil tamen, nihil est mutandum: memoria fretus enim erravit maximus ille Vir. quod ipsâ luce clarius erit, siquidem contextum perpenderis, qui hoc modo se habet. Parthis, fateor, suus constitit honor inter sua mollia rura, verum age, veniant ad loca saxosa, confragosa Caudini Taburni, nimirum deficient protinus, & excussis cadent unguibus JOHNS.

509. VENIAT] Mira haec loquendi supinitas, & negligentia, nec optimis tamen auctoribus, inter quos nec Gratio quis locum deneget, adeo insolens. *Parthis* plurium numero positis, mutato eo de singulari hic porro loquitur: *veniat*, &c. Exempla hujus ..., si usquam alibi, hoc in poëmatio plurimum obvia. versu LX.

Garganumve trucem, aut Ligurinas desuper alpes,
Ante opus excussis cadet unguibus: & tamen illi
Est animus, fingetque meas se jussus in arteis.
Sed juxta vitium posuit Deus. at tibi contra
Callaecis lustratur equis scruposa Pyrene.

Non

NOTAE.

Imbiberit, &c. ubi vide annotata: illa item, quae diversimode intelligenda esse ariolabar v. CLXXIX. Illud quoque huc facit:

Fontem averte mali. trans altas ducere valles
Admoneo, latumque fuga superabitis amnem.

Et quod statim abinde sequitur: *Disce vices.* Nec longe abhinc: *Strymonio facilis tutela Bisaltae: Possent*, &c. & *per illos Cantatus Graiis Acragas.* Sed postmodo iterum ad singularem redit: *O quantus in armis Ille meis.* Sunt & alia, quae huc referri possint: sed quia diverse haberi queant, lectoris arbitrio, cui facile se obvia facient, relinquam VLIT.

509. CAUDINI SAXA TABURNI,] Vibio *Taburnus Samnitum* mons olivifer. Ex Marone Georg. II. *atque olea magnum vestire Taburnum.* Ibidem Servius: *per hos montes significat etiam montuosa & aspera loca tendenda esse.* Unde constat cur saxa Taburni mollipedi Parthorum equo invia esse canat noster. Sed quod addit, *Taburnus autem mons Campaniae*, fidem non meretur. Campania enim Vulturno amne terminatur, ultra quem Taburnus hic, & Caudium, ac Romanorum ignominia insignes Caudinae Furculae. Errat pariter Doctissimus Ortelius, cum Taburnum hunc cum Liburno Appuliae monte apud Polybium confundit. VLIT.

414. CALLAECIS] Plinius lib. VIII. cap. de equis: *In eadem Hispania Callaica gens & Asturica equini generis, quos Tieldones vocamus, minori forma appellatos Asturcones, gignunt: quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tolutim carpere incessum traditum arte.* Ita vett. libb. ope illhaec emendo. *Callaecos* tamen alibi Plinius vocat, non *Callaicos*. Lib. IX. c. 1 ubi de Zoëlorum lino: *civitas ea est Callaeciae*, inquit, *oceano propinqua.* Perperam vulgo, *Gallaeciae. Callaeciam* etiam vocat Justinus lib XLIV. Asturcones illos, qui alterno crurum explicatu incedunt, eos hodie quoque *telden* sive *tellen* vocamus: ut è veteri Celtarum lingua *teldones* Celtiberis dictos videri possit. *Tellen* autem verbum *numerare* nobis significat. Hinc illi *telden* sive *tieldones*, quia alterni eorum gressus distincte numerari possunt. Martialis à Celtiberis suis id scivit Apophorecto CIIIC. *Asturco:*

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Hinc fortasse & *tolutarii*, & *tolutim* incedere dicuntur, cujus etymon frustra alii in Latio quaerunt. Nonius: *Tolutim dicitur, quasi volutim, vel volubiliter.* Inepte. Quin saltem à *tollere*, *tollutim*, ut scriptum alicubi invenitur, deduxissent Nec enim *tolutim* pro velociter, sed pro pedetentim ponitur, & *tolutarius*, non quia volutim volat, sed ad numerum qui colligit ungues, dicitur. Plautus Asinar. Act. III. Sc. ult.

Demam hercle jam tibi de ordeo, tolutim ni badizas.

Id est, commode, & inconcusse, ut solent tolutarii Varro Trihodite: *Sed ut equus qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, ut equiso doceat tolutim.* Quibus locis, uti & reliquis quos adducit, male pro volutim interpretatur Nonius. *Tolutim* incedere, est numeratim, adeoque molliter, & inconcussim. Silius lib. III. de Asturibus:

Hic parvus sonipes, nec Marti notus: at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer trahit esseda collo:
Herdus agit, juga Pyrenes venatibus acer
Metiri, &c.

Unde liquet cur venatum & per Pyrenem educi Callaecos equos jubeat Gratius, a minaci autem Marte prohibeat. Quod vero Parthorum mollitiei opponat Callaecos, ut durioris ungulae, ac operae, adeo ut per scruposa agitari valeant, nescio quam bene id illi cum aliis conveniat. Strabo lib. III. equos Celtiberorum tradit, ἐοικέναι τοῖς Παρθικοῖς, καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων. Quod omnino de Callaicis vel Asturconibus intelligendum est. Unde & de hoc genere loqui videtur Pollux lib. I. cap. XI. Αμέσιον δὲ ἵππος ὁ μὲν ἐναλλὰξ, ἀλλὰ διὰ πολλοῦ τὰ σκέλη διαβιβάζων καὶ διαφέρων· κακὸς δὲ, εἰ τὸ διάστημα ἔχει τῶν σκελῶν εἰς μέγεθος. ὑπεράξει γὰρ αὐτῷ, Σίμων λέγει, διὰ πλείστου τὰ σκέλη ῥίπτειν. καὶ τοῦτο δὲ Σίμωνος εὐδρόμου εὐθυδρόμου ἵππου, ὁ ὀλίγον αἴρων ἀπὸ τῆς γῆς ἐν τῷ τρέχειν τὰ σκέλη. Quae singula Thieldonibus nostris conveniunt. Non enim *alter-*

515 Non tamen Hispano Martem tentare minacem
Ausim. Murcibii vix ora tenacia ferro
Concedunt. at tota levi Nasamon*ia virgâ*

Fin-

NOTAE.

terno crurum explicatu, ut perperam habet Plinius, sed simul sublatis modo dextris modo sinistris per vicem cruribus, posteriori semper prioris pedis vestigium transgrediuntur. Quantoque magis excedunt, eo minus à terra sublevant pedem, adeoque facilius cespitant, si qua aspera occurrant. Quod tamen de Asturconibus, qualem describit Martialis, intelligi non possit; quia non simul ambos ab eodem latere pedes tollunt, sed pedetentim, ac numeratim. Ita ut hi mollius aliquanto incedant, adeoque delicatioribus semper inserviemt. Talis ille quem puero suo vovet nequam amator apud Petronium: *pro hac felicitate cras puero Asturconem tieldonicum optimum donabo*. Ita malim: aut *Caledonicum* potius, quam *Macedonicum*, In Macedonia enim nulli unquam Asturcones cogniti, nec illis extra patriam suus manet honos, ut hodie & in Anglicis & Caledonicis tieldonibus experimur, simulac cum alienigenis miscentur, statim degenerare. Nolim tamen asserere diversos adeo Asturcones ac Thieldones fuisse, cum diserte iam illos qui in Callaecia, quam in Asturia ita indigetaverit Plinius. Et procul dubio summa in utroque genere mollities fuerit. Quam Oppianus quoque videtur considerasse, cum universae genti Hispanorum attribuit,

Ὁπλῇ ἐν κρατερῇ, τηλοπόροι, ἀερσίποδες.

Cui itidem etiam incusantur, quod sint, βαιόν τε μένος καὶ ἀναλκίδες ἦτορ. Ut merito quidem his Martem tentare minacem non ausit noster, sed insuper scruposam Pyrenen illis lustrandam committere non debuerit. Nisi *Callaecos eques* pro Hispanis in genere, quod ex proximo versu facile astruere est, ut contra Oppianus Iberos pro Celtibericis, quos celebrat Strabo, posuerit. VLIT. *Gallaecios* vocat Epitome Liviana lib. LVI. Quod ad hodiernum, *Gallicia*, accedit. Et Silio lib. III. *dives Gallaecia* canitur: incolas tamen *Callaicos* vocat. Atque ita puto in Epit. Livii restituendum, vel *Callaeces*. Quod Martialis autem Celticam vocem in *Tieldones* agnoverit, utpote ipse Celtiber, mirum non est, cum à Celtis ea gens oriunda fuerit. Lucanus lib. IV.

——— *profugique à gente vetusta*
Gallorum, Celtae miscentes nomen Iberis. VLIT. *in Add.* Callaici (sive Callaeci) populi Hispaniae montanae regionis multum incolentes Vid. Strabo. L. 3. p. 152. per Callaecos equos Hispanos vult Gratius, (ut ex proximo patet) quibus duras ungulas, animum vero imbellem ascribit. JOHNS.

516. MURCIBII] Fortean, *Murcinii*, à Μυρκίνος, ut Appiano dicitur, vel *Myrcinii* pro Myrcinnii, à Μύρκινος, quae Stephano est, πόλις κληθεῖσα παρὰ τῷ Στρυμόνι ποταμῷ. Ita ut per *Murcinios* intelligat Thracios, quos turpes, specieque deformes, ac ξυλοπώγωνας, quales & tenaci plerunque ore sunt, facit Absyrtus. Eodem fere loco & Bisaltae ad Strymonem: ita ut utrumque pro Thracio positum videatur. Uti mox Nasamones & Numidae. Et modo Callaeci & Hispani, non diversum, sed pro iisdem. Caeterum Θρήϊκες etiam Oppiano inter equos, & *Thracius* à Marone cantatur. *Murcibii* autem ne fando quidem cogniti. VLIT Crediderim in Hispania & hos refractarios quaerendos. Nam idem de *Sarmaticis* in Hispania tradit Silius lib. III.

——— *crudoque vigore*
Asper fraena pati, aut jussis parere magistris. VLIT. *in Add.*

417. NASAMONIA VIRGA FINGIT EQUOS.] Ita scriptum hoc loco fuisse quovis pignore ausim contendere. Cui gemina germana sunt illa Lucani lib. IV.

——— *nude residens Massylia dorso*
Ora levi flectit frenorum nescia virgâ.

Fingere enim nostro est, quod *flectere* Lucano, aliisque, quorum hac de re loca ad Nemesianum expendam. Ita & modo: *fingetque meas se jussus in artes*, i. facile doceri se patietur. Varius apud Macrobium:

Quem non ille sinit lentae moderator habenae,
Qua velit ire: sed angusto prius ore coërcens
Insultare docet campis, fingitque morando.

Quod ita, adnotante Macrobio expressit Virgilius lib. III. Georg. *gyrosque dedere Impositi dorso.* Unde conjicio scripsisse forte Varium: *fingitque retando.* Quanquam & *morando* sciam equis institui. VLIT. Horatius lib. I. Ep. II.

Fingit equum tenera docilem cervice magister.

Silius lib. I. *correptis sternacem ad praelia fraenis*

Fingit equos. Pisis Numidae solvêre *jugales*,
Audax & patiens operum genus. ille vigebit
Centum actus spatiis, atque eluctabitur iram.
Nec magni cultus; sterilis quodcumque remisit
Terra, fuit, tenuesque sitim producere rivi.

Sic

N O T A E.

Fingit equum. Ita lego, pro *Frangit*. Idem enim lib. VI. *dignum te sanguine tanto Fingere ne cessa.* De Numidis adde Livium lib. XXIII. c XXIX. & lib. XXXV. c. XI. *Equi sine fraenis; deformis ipse cursus, & extento capite currentium.* Ex Aegypto equos habuit Salomon, qui forsan & ex Numidia eo advecti prius, 1. Reg. x. 28. & II. Chron. IX. 28. VLIT. *in Add.* Codex Longobardicus hic loci mutilus erat. lacunam ex ingenio supplevit Vlitius, Lucani loco ductus, qui sic Lib. 4.

——— *nudo residens Massylia dorso*
Ora levi flectit fraenorum nescia virgâ. JOHNS.

518. NUMIDAE] Numidis infrenibus alii id attribuunt, quod Nasamonibus Gratius; nisi utrosque, ut opinor, pro Libycis posuit. Libyci enim equi celebratissimi & olim & hodie, quos *Barbaros* nunc vocamus. Nec alii quiquam tantum venatione commendabiles. His Numidas venantes velocissimas quoque feras consequi tradit Xenophon junior cap. XXIV. Ita ut merito in Pisaeo certamine iis usi fuerint, quod canit noster. VLIT.

519. PATIENS OPERUM] Idem de iis ibidem Xenophon: *οἱ δὲ αὐτοὶ διαφέροντες εἰσι, καὶ τῷ ἐπὶ μήκιστον ἀντέχειν θέοντες* *qui & velocitate pollent summa, & currendi laborem diutissime ferunt.* Idem fere de velocitate & tolerantia eorum tam in siti quam solis aestu ferendo canit Oppianus. Aelianus l. III. de animal. c. II. *Ἵππων δὲ τῶν Λιβύων*, inquit, *περὶ τῶν Λιβύων λεγόνται αὐτοὶ τοιαῦτα· ὠκύτατοι μὲν εἶναι ἵππων· καμάτου δὲ ἢ τι αἰσθάνεσθαι ἥκιστα.* *equorum velocissimos esse, & nullo laboris sensu affici* VLIT.

520. CENTUM ACTUS SPATIIS,] *ὑπερβολικῶς.* Unumquodque certamen constabat VII. spatiis. Quis itaque credat unum equum XIV. certaminibus suffecisse, siquidem toto die non plura quam XXV. decertari poterant? Scilicet hanc veniam petimusque damusque poëtae. VLIT.

520 CENTUM] Ὑπερβολικῶς. unumquodque certamen constabat septem spatiis. Quis itaque credat unum equum quatuordecim certaminibus suffecisse? *Vlit.* Heinsius legendum censet *Septem* loco τ̃ *centum.* Sed recte Vlitius. JOHNS.

520. IRAM.] Sententia hujus loci satis quidem clara, at in verbis difficultas quid enim est *iram eluctari?* num, solitos retinere animos, vimque infractam? at nullum occurrit exemplum similis significationis. Malo itaque *irâ* pro *iram.* error natus est ex modo scribendi. Nota enim ablativi casûs, inscitiâ exscriptoris, conversa est in *m eluctabitur irâ* idem est ac si dixisset, eluctabitur ardens, ardore animi nondum imminuto per spatia eluctabitur JOHNS.

521. NEC MAGNI CULTUS;] Pergit Aelianus: *Λεπτοὶ δὲ καὶ οὐκ εὔσαρκοι, ἐπιτήδειοι γε μὴν καὶ φέρειν ὀλιγωρίαν δεσπότου εἰσίν. οὔτε γὰρ αὐτοῖς κομιδὴν προσφέρουσιν οἱ δεσπόται.* *Graciles autem sunt & macilenti, adeoque apti ad sustentandam domini incuriam. Nec enim magnos cultus domini adhibent.* Vide & reliqua, quae sequuntur apud eum. VLIT.

521. CULTUS;] Idem, quod postea dicit, *facilis tutela.* JOHNS.

521. STERILIS] Barthius in adversariis legi vult:

——— *sterilis quodcunque remisit*
Terra, cibus: tenuesque sitim pote ducere rivi.

Vel, *Terra, satis.* Sed cur *sterilis* terra? siquidem *ut quisque praestantior est, ita ubere campo pascitur* quod de equis tradit Columella lib. VI. Quid si itaque, *epulis quod unque remisit Terra, fuit*, legamus; Varro de pullis: *& siquid aliud terra natum libenter edent.* De Libycis equis ibidem Aelianus: *ἀλλ' ἅμα τι ἀνύσωσι τὸν προκείμενον δρόμον, καὶ ἀποβάντες νέμεσθαι ἐῶσι.* *sed simul atque cursum institutum confecerunt, descendentes eos ad pascendum dimittunt.* Nimirum quodcunque illis obvium fuerit, non plena ad praesepia. Nisi Gratius sterilem Numidarum regionem respexerit. VLIT.

522. FUIT,] Sic Vlitius. Barthius conjecit, *satis* vel *cibus.* & *producere* poni volunt loco producebant. Nihil sane certi est ad hunc locum, quod

Sic & Strymonio facilis tutela Bisaltae;
Possent Aetnaeas utinam se ferre per arteis;
Qui ludus Siculis. quid tum si turpia colla
Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos
Cantatus Grajis Agragas, victaeque fragosum

Ne-

VARIAE LECTIONES.

527. *Fuit*] A. Steyn. *fui*. B. *fatis*, *cibus*.

NOTAE.

quod afferam; aliquid tamen opinor, quod speciem veri habet. Sic itaque lego.

Nec magni cultus: sterilis quodcumque remisit
Terra famem, tenuesque sitim produxere rivi.

Nesciebat scilicet exscriptor, produxit, unde τὸ *famem* pendet, subintelligi in *produxere*: ipsum quoque *produxere* in penultima corripi posse ignorabat. hinc mutatio & loci depravatio. Quis nescit omnia olim praeterita in *erunt* ex arbitrio scribentis modo longa modo brevia fuisse? quidni & praeterita in *ere* possent eâdem lege brevia reddi? eadem syllabarum quantitas in reliquis temporibus, ubi geminatur terminatio ejusdem personae, semper occurrit. ut in *Legeris* & *legere*, secunda persona praesentis passivi. idem quoque in reliquis. Sed haec diffidenter. JOHNS.

522. SITIM PRODUCERE] Non sitim sedare, sed producere saltem eam possunt tenui rivo, quia facile tolerant. Oppianus etiam Libycos equos hoc elogio extollit lib. I.

Ἐσθλοὶ δ' ἐσλὶν φορέειν πυρόεσσαν ἰδρῶ,
Καί τε μετατρωθέντες δίψης ὀρμαῖαν ἀντλεῖν.

Id enim est quod Aristoteles testatur lib. VIII. de animal. cap. VIII. διωνάξ ἵπποι καὶ ἄποτοι αὖ χιλὰξ καὶ τέσσαρας ἡμέρας. *Producere*, pro, producebant, vel subintellecto, solent. Palladius Febr. XXV. *Multum proficis si laetamen adjungas: sed bubulum spissa & gravia poma generare* Et tit. XXXI. *Quod vinum medicinae quoque proderit, ubi stypticis est utendum: stomachum solidare titubantem, rejectiones sanguinis inhibere, fluorem ventris astringere*, &c. Ita utrobique & multis aliis apud eundem locis hunc familiarem Palladio loquendi modum restitnunt MSS codd. ubi vulgo nescio quae non glossemata interseruntur. VLIT. Imitatus Maronem Ecl. V.

——— *quale per aestum*
Dulcis aquae saliente sitim producere rivo.

VLIT. *in Add.*

523. BISALTAE;] Populi ad Strymonem, Thraciae fluvium. equum Bisaltam, *i. e.* Thracium, tueri, pascere, nutrire facile est. JOHNS.

524. AETNAEAS PER ARTES;] Conjeci aliquando:

Possent atque meas utinam se ferre per artes.

Ut modo: *non omne meas genus audet in artes*. Et iterum: *fingetque meas se jussus in artes*. Has artes, hunc ludum in Siculis laudat, per quos *victaeque fragosum Nebroden liquere ferae*. Aut *Aetnaeae artes* pro Pyrrhica equestri accipiendae, quam primus in Sicilia instituisse Aeneas traditur lib. V. Aeneid. Aut saltem de velocitate, qua in Olympicis excelluerunt Aetnaei, & Siculi equi. Vegetius Mulomed. lib. IV. c. VI. *Nec inferiores prope Sicilia exhibet circo.* Gordianus senior equos Siculos centum factionibus Circensibus distribuisse dicitur à Jul. Capitolino. Oppiano item, Ὠκύτατοι Σικελοὶ, οἵ τε νέμονται Καὶ Τρινακρηΐου ὄρευς, qui Aetnam depascuntur. VLIT. *Aetnaeus venator*, paroemia inanis operae apud Erasmum, quia in Aetna nullus venatus. Vegetius tamen *Siculos equos circo exhibet*, Mulomed. lib. IV. cap. VI. Et C. tales *Circo distribuit* Gordianus senior, apud Capitolinum. VLIT. *in Add.* Cluverius Siciliae, Lib. 2. sic hunc citat versum.

Possent Aetnaeas utinam se ferre per Arces.

Juga montis Aetnae intelligit recte. His enim opponuntur Siculi equi, quibus, quantumvis alias specie deformi, ludus erat Nebrodes superare montes & damas hinnulosque inde pellere. JOHNS.

526. TENUIS SPINA?] Laudatur equus Varroni, *spinâ maxime duplici*, & Maroni, cui *duplex agitur per lumbos spina*. Hinc intelligimus cur ῥάχιν διπλῆν probent Xenophon, & Pollux. Hic etiam inter vitia reponit, ῥάχιν ὀξεῖαν, *tenuem spinam*. VLIT.

 527. CAN-

Nebroden liquêre ferae. O quantus in armis
Ille meis, cujus dociles pecuaria foetus
Sufficient, queis Chaonias contendere contra
Ausit, vix merita quas signat Achaïa palma!
Spadices vix Pellaei valuêre Cerauni
Et tibi devotae magnum pecuaria Cyrrhae
Phoebe decus, nostras agere in sacraria tensas.

Ve-

VARIAE LECTIONES.

531. *Quas*] *Quae*, cit. Turn. & 532. *potuere Cer.*
533. *Nebroden*] Steyn. *Hebroden.*

NOTAE.

527. CANTATUS] Theronis Agrigentini equos & Xenocratis plus semel celebrat Pindarus; utpote in Ludis Graecis optimos. Hieronis quoque & Syracusani Chromii Ætnaei victorias equestres, studiumque in alendis equis singulare. Silio, *altor equorum* vocatur *Agragas*. JOHNS.

527. AGRAGAS,] Silio *altor equorum*, & *hinnitibus aëra flammans* dicitur, lib. XIV. VLIT. *in Add.*

528. NEBRODEN] Strabo. Νεβρώδη ὄρη. ἀπὸ νεβρὸς Hinnulus. montes Siciliae dicti Nebrodes, non tantum eâ parte, quâ in Tuscum prominent mare; sed nomen hoc ultra medium etiam insulae versus mare Africum ad fontes usque Acragantis & Halyci amnium extensum fuit. *Cluver.* JOHNS.

529. CUJUS] Siculorum equorum *dociles foetus sufficient pecuaria*, quibus *ausit* aliquis *contendere contra* Epiroticas equas (Chaonia enim pars Epiri) *quas Achaia* nimiis honoribus, ideoque vix meritis, celebrat. JOHNS.

530. SUFFICIENT,] Vide Georg 3. v. 65.

Atque aliam ex aliâ generando suffice prolem.

& passim. JOHNS.

532. SPADICES] Servius ad illud: *honesti Spadices*] *Quos phoeniciatos vocant, pressos, myrteos.* Ita lego ex MS. cod. *Pressus* color in equo etiam inter praecipuos ponitur Palladio. De quo multa ὁ πάνυ Salmasius ad Tertulliani Pallium; quem ita quoque in Servio, ut ex libro meo citavi, restituisse, postliminio comperi VLIT. Aul. Gellius. L. 2. C. 26. *Phoeniceus, quem tu Graece Φοίνικα dixisti, & rutilus & spadix Phoenicei φοινίκεος, qui factus è Graeco noster est, exuperantiam splendoremque significant ruboris.* JOHNS.

532. CERAUNI,] Equi Macedonici. Ceraunia enim seu acroceraunii montes sunt, qui Epirum à Macedoniâ disterminant. quamvis autem non ad Pellam usque pertineant, tamen quia Pella Macedoniae Metropolis & multis nominibus celebris sit, pro ipsa Macedoniâ positam facile patior, & Pellaeum pro Macedonico. JOHNS.

533. PECUARIA CYRRHAE] Phocensia. Ordo hic est: *Et pecuaria magnum decus Cyrrhae devotaa tibi, Phoebe*, vix venatui apta esse. VLIT.

434. TENSAS.] Servius *thensam* scribi jubet, ἀπὸ τῶν θεῶν. *quae deorum simulacra portantur.* Vett. Grammaticis, *Thensae sunt sacra vehicula.* Glossae tamen scriptum exhibent: *Tensa*, θεῖον, *Tensae*, θεῖοι. Quid tamen hic sit, *agere in sacraria thensas*, nondum plane assequor; nihilo certius, quam quo sensu illa apud Calpurnium accipienda sint Ecloga 1.

——— *Nam mea Leuce*
Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.

Vetus Scholiastes Juvenalis ad Sat. VI. *Isiacae sacraria lenae*, pro *hortis templorum* videtur interpretari. Videndum itaque utrum hic noster silvas & nemora Dianae *sacraria* vocet. An potius simplici sensu velit innuere spadices hos & Phocenses equos adeo invalidos esse ut vehicula sive esseda, *quibus deorum simulacra portantur*, vixdum agere sustineant. Ut contra in Asturcone laudat Silius lib. III.

Aut molli pacata celer trahit esseda collo

Proculdubio enim gravia satis simulacra illa plerunque fuerunt: quale illud, cui vehendo Lucius asinus in Metamorph. Apulejana insudavit. Unde & apud Titinnium Veliterna: *Vende tensam*

sam

Venanti melius pugnat color: optima nigri
Crura illi, badiosque legunt *in pectore crines*,
Et quorum fessas imitantur terga favillas.
*O qua*ntum Italiae, sic dii voluêre, parentes
Praestant, & terras omni praecepimus usu!
Nostraque non segnis illustrat prata *juventus.*

* * * *

Nonnulla erosa penitus legi non potuerunt in illo unico hujus & sequentis poëmatii exemplari Longobardicis literis scripto.

VARIAE LECTIONES.

543. *Sacraria*] Videtur omnino intelligi debere Nemorale Sacrarium Dianae, quod *medio in discrimine luci* colebatur, ut vers. 486. ipse canit. Eo simulacrum Dianae Nemorensis solemniter devehebatur, in thensa sua locatum, ut fit cum pompa traducitur. Vide & ad Calpurnii Ecl. I. vers. 15. ubi *sacrària Fauni* melius, quam cum hic versarer, & simul hunc locum, illustravi. Et in hisce tantillis occupationibus, quod alias verissimum in maximis item rebus; deprehenditur. ΔΕΥΤΕΡΩΝ ΑΜΕΙΝΟΝΩΝ. VLIT.

540. *Non segnis*] Johns. *quam pernix.*

NOTAE.

sam atque mulos. Ita ut, cum asinorum hic frequentior fuerit labos, qui huic impares propemodum fuerunt equi, merito à venationis opere arcendos esse edicat noster. VLIT. Retractavi haec in var lection. libello, ad hunc locum Nam & hic ritus è sacrosancto Dei Foedere adumbratus, II. Sam. VI. 3. Apulejus Met. X. in pompa, dicit *sacraria*, *simulacra tensis circumvecta.* De *Spadicibus* porro, vide, Lector, Gellium lib. III. cap. IX. & haec paucula festinanter recensita boni consule, ac Valc. VLIT. *in Add.*

535. VENANTI PUGNAT COLOR:] Quis color cuique venationi conveniat, ita discernit Oppianus:

Σκιςόποδας ἐλάφοις κυανώπιας ὁπλίζοιο,
Ἀρκτοῖσι γλαυκοὺς, καὶ παρδαλίεσσι δαφοινὰς,
Αἴθωνας δ' ἵππους πυρσαυχενίας ἀμφὶ σύεσσιν,
Αὐτὰρ ἱεραγλίνας χαροπὰς χαροποῖσι λύκοισι.

VLIT.

536. CRURA ILLI,] Ita quidem supplevi vulgatam, ut aliquis sensus sit; malim tamen: *optima nigri* Crura *pili*, vel *optima nigris* Crura *pilis.* Laudantur enim badii (qui etiamnum *bay* dicuntur tam Anglis quam Gallis, & *baji* Italis) cruribus nigris suffulti, ut plurimi sunt apud Anglos. VLIT.

538. ITALIAE PARENTES] Italicae matres. Virgilius eodem encomio Italiam laudat Georg. II.

Hinc bellator equus campo sese arduus infert.

Et Plinius quoque pari in Italiae laudes digressione Historiae suae opus *ἐπιλογίζων*, adjicit post alia: *Quicquid est quo carere vita non debeat, nusquam est praestantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci: ne equos quidem in trigariis praeferri ullos vernaculis animadverto.* Quocirca & hac exclamatione finiisse Cynegeticon suum videtur Gratius, & pauci tantum, si qui desunt, periisse versus. Qui nunc sunt postremi, ita commode interpolentur:

O quan*tum Italicae, sic dii voluere, parentes*
Praestant, *& terras omni praecepimus usu!*
Nostraque quam pernix *illustrat prata* juventus! VLIT.

Haec & caetera, quae sequuntur, diverso Charactere impressa Vliiana sunt. Codice enim Longobardico nonnulla penitus erosa legi non potuerunt. JOHNS.

JA



JANI VLITII
IN
HALIEUTICA
PRAEFATIO.

OPUSCULUM hoc five inabfolutum ab authore, five injuria temporis adefum, quanquam certo alicui afcribere non poffum, Gratii tamen potius effe, quam Ovidii, aut alîus cujufquam, paucis hic demonftrare, quibus inductus in eam opinionem primitus fui, aggredior. Primum facile inter argumenta locum meretur materiae quaedam cognatio? quam plerique fequuti funt, qui θηρευτικὴν, five Venationem in genere fumptam, abfolvere voluerunt: fcilicet ut κυνηγετικὰ, ἁλιευτικὰ, ἰξευτικὰ uno opere complecterentur. Has enim fpecies fub venationis appellatione generali & Plato lib. VII. de Legibus, nec ibi tantum; & Cicero lib. II. de Nat. Deor. comprehenderunt. Oppianus certe, quamvis & ἁλιευτικὰ ejus & ἰξευτικὰ (fed haec nondum vulgata) non extarent, omnia

omnia haec ſimul pertractare voluiſſe, initio κυνηγετικῶν ſatis aperte declarat. De Nemeſiano noſtro Vopiſcus refert: *qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, & ναυτικὰ ſcripſit.* ubi non temere ἰξευτικὰ ſuſtituebat ὁ πάνυ Caſaubonus. Recentes, ut plurimos, omitto, Geſnerum, Hereſbachium, & infinitos alios, qui volatilium, terreſtrium, & aquatilium hiſtoriam ac venationem ſpeciatim executi ſunt. Haec prima inquam ratio, cur Gratii κυνηγετικῷ Halieuticon fragmentum ſubjecerim. Altera non longe abſcedit, qua aſſerere licet, ab aliquo pedeſtris venationis & perito quam maxime, & amatore ſcriptum id eſſe, qui tum curioſe de Equis, reliquiſque terreſtribus animalibus, tum de canum ſagacitate quam aptiſſime & eadem, qua Gratius, methodo narrans, ſatis longam de iis diſſertationem interjicit. Tertium argumentum facit codex ille Sannaſarianus, ex quo unico Gratii κυνηγετικὸς, Halieuticaque haec propagata olim ſunt: quem ordinem etiam ſervat Thuanaeus codex, qui, etſi Cynegetici potiorem partem non habet, Halieutica ne uno quidem verſu auctiora, aut imminuta, continuo ſubjicit. Poſtremo ſtilus quoque, praeter phraſiologiam, in iis potiſſimum ubi de terreſtribus agit, plane venaticam ac Gratianam, ut liquet ex iis quae cum Cynegetici locutione contuli, ſi non Gratio totum vindicat, ſaltem Ovidii non eſſe, evincit. Nihil enim minus quam Ovidianum ſapit: quod facile perſuaſit mihi intimus Naſoniani genii myſtes Heinſiades. Idem monuit quoque, non mera Halieutica videri debere, ubi tanta ad terreſtrium venationem digreſſio, & à generali animalium hiſtoria exordium inſtituitur. Quibus fulcimentis ſtabilitus minus vereor, ne obex ille ſubmoveri poſſit, quem Plinii auctoritas, an hallucinatio injicit. Is lib. XXXII. capp. II. & ultimo, compilavit omnia & piſcium ingenia, & nomina, quae in hoc fragmento produntur. Cap. II. ita infit: *Mihi videntur mira & quae Ovidius prodidit piſcium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inſcribitur.* Tum ſingula poene verbotenus, quae uſque digreſſionem de terreſtribus continentur, atque ordine recenſet, quae particulatim, ſuo quodque loco in variis lectionibus applicabo. In fine ejuſdem libri & ultimi capitis, poſt infinitam piſcium nomenclaturam, addit: *His adjiciemus apud Ovidium poſita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur: ſed fortaſſis in Ponto naſcuntur, ubi id volumen ſupremis ſuis temporibus inchoavit.* Deinceps ita reliqua, quae poſt digreſſionem ſequuntur, nec plus, nec minus, quam hodie extat, exequitur: unde conſtat vix plura, olim ad Plinium, quam ad nos perveniſſe. Sed verba

ejus ut excutiamus, operaepretium eſt. *Supremis temporibus* ab Ovidio inchoatum in Ponto Halieuticon hoc eſſe, & piſces, quos recenſet, in Ponto tantum naſci, quia apud alios nulla eorum mentio occurrit, non aſſerit, ſed conjicit Plinius. Neutrum recte. Nam & plerique eorum, quos excerpit, ab Ariſtotele nominantur: atqui etiam ab Ennio in Phagesiorum Fragmento, ut *Glaucus Cumas apud* optimus & Melanurus; aliique ab aliis item Latinorum, ut Graecos omittam. Et quod ille videtur Ovidio attribuiſſe, quia in Ponto ſcriptum hariolabatur, contrario argumento probatur Ovidii non eſſe. Quomodo enim Romam delatum, ſi non ab ipſo miſſum, ut reliqua, quae in Ponto condidit? quomodo mitti ab ipſo potuit, ſi inchoatum tantum, & ut revera eſt, inabſolutum & imperfectum reliquit? Si tamen inchoavit id volumen in Ponto Ovidius, cur hujus non meminit, ut ejus, quod de bello Actiaco moliebatur, & alterius Getico ſermone, quae item inabſoluta reliquit? Invenerat forte Ovidii operibus affixa Halieutica Plinius, ſive ſine nomine, ſive ſub eo, quod Plinio non ſatis innotuerat, ut puta Gratii; ideo Ovidii ea eſſe hariolatus eſt; vel etiam enotando ea, quae ad memoriam ei aliud agenti, ut ſolebat, dictata fuerant, in nomine autoris lapſus eſt, ut ſaepe alias. Nam, ne alia ejus μνημονευτικὰ ἁμαρτήματα innumera enumerem, etiam in hiſce ipſis citandis memoria illum ſaepe fefellit (praeſertim, ubi Chromin in aquis nidificare excerpſit) ut ſuo quaeque loco oſtendam. Ovidii itaque non eſſe, ſatis maniſeſte patere exiſtimo: nec à quoquam praeterea quidem veterum inter ejus ſcripta relatum. In prima autem editione quod titulus ita concipiatur: P. OVIDII NASONIS HALIEUTICA, ab ipſo Editore potius, qui Plinii illa legerat, & producit, quam ex MS. Codice profectum eſſe crediderim. Quanquam in altero Thuanaeo apographo recentiori manu affixum ſit: INCIPIT VERSUS OVIDII DE PISCIBUS. quod haud dubie à Plinio item didicerat librarius. Ut Ovidio quidem jure merito abjudicavi, non pari aſſertione Gratio adjudicandum tamen cenſeo; ſed conjectura, ſi quid fidei ea meretur, ſtandum. Propius tamen veritatem id eſt, quam ut Nemeſiano adſcribatur. Quod cum in Adverſaria ſua conjiceret Barthius, ἀνιστωρησίαν illam quam alias quoque affectat, aeque ſibi placere oſtendit, ac ille, qui Plinium Nemeſiano poſteriorem, vel Catullum Martialis imitatorem conſtituiſſet. Cujuſcumque ſit, ego hic Gratio ſubjeci, cum ob materiae quae univerſam animalium hiſtoriam magis, quam piſcium, ſpectat, tum ob ſtili affinitatem; niſi quod in

eo,

eo, & materia & ſtilus depreſſiores: par tamen ubi de Equis & Canibus agitur, & germana Gratii locutio. Praeterea ita de meo, partim etiam ex Plinio & Geſnero, ſupplevi, ut ſenſus ſaltem inter ſe quodammodo cohaereret, quem penſi maxime habùi. Qua de cauſſa, dum variationes MS. codicis & Editionum enotarem, multa ſuper Plinii excerptis & ſenſus inverſione ab eo ſubinde commiſſa, currenti calamo ſubnata etiam inſerui. Adjicere autem ea, quae jam dudum à Columna ad Ennium commentante edita ſunt, nec potui inopia exemplaris, nec ut poſſem volui. Sed tandem, cum relegenda haec jam ad praelum eſſent, nactus id ſum ex Heinſiana τῦ πάνυ Bibliotheca; & verſus illos vix pauciores, quam γνήσιοι ſunt, ita ineptos, & aliënos ab Autore noſtro deprehendi, ut ſuppoſititios eſſe nemo, qui illos viderit, non ſibi perſuaſum habere quaeat: utpote cum & omnia ea habeamus, quae Plinii aevo extiterunt: & vix plura ab ipſo autore profecta eſſe, veriſimillimum. Solini itaque fragmentum potius praefixi, quod & materia & ſenſu adeo alteri congruit, ut ovo prognatum eodem, & ejuſdem orſi ac textus eſſe quis diceret. Quod ipſum jam primum varias lectiones ſuas depoſcit, ut deinceps ad inceptum revertar.



HALIEUTICA.

Fragmentum, quod GRATII potius, quam OVIDII esse, & codex ille unicus, & stilus coarguunt. Cui praeludii loco praemisimus hoc

C. JULII SOLINI POLYHISTORIS PONTICON FRAGMENTUM.

Tethya marmoreo foecundam pandere Ponto,
Et salis aequorei spirantes molle catervas,
Quaeque sub aestifluis Thetis humida continet antris
Coeptantem Venus alma fove: quae semine coeli
Parturiente salo, divini germinis aestu,
Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis,
Nasceris è pelago; placito Dea prosata Mundo.
Nam quum prima foret rebus Natura creandis
In foedus connexa suum, ne staret inerti
Machina mole vacans, tibi primum candidus Aether
Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.
Te foecunda sinu Tellus amplexa, resedit
Ponderibus librata suis. Elementaque jussa
Aeternas servare vices. Tu foetibus auges
Cuncta suis: totus pariter tibi parturit Orbis.
Quare, Diva, precor, quoniam tua munera parvo
Ausus calle sequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios: & lumine laeta sereno
Pierias, age, pande vias: da Nerea molli
Pacatum gaudere freto: votisque litata
Fac saltem primas pelagi libemus arenas.
Vos quoque qui resono colitis cava Tempea coetu
* * * * *

GRA-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII

VERSU 2. SPIRANTES MOLLE] Ita lego: quia pisces exiguum tantum spirant, & dormiunt, ut docet Plin lib. 9. c. 7. & lib. 10. c. ult. Salmasius in Prolegom. ad Solin. ubi emendatum ex V. C. posuit hoc fragmentum, citat: *aequoreas spirantis molle c.* ut mare dicat molle spirare. Vide pag. 214. Vulgo: *spirantes mole.* quasi vix spirantes.

8. CREANDIS] Ita Salmas. ex VC. al. *profundis.*

11. GEMMAVIT] *geniavit* Barth. Adverf. 44 c. 3.

13. LIBRATA] *fundata*, Salm. ex VC. *jussa*] Ita Salm. ex VC & Barth. è conjectura. Vulgo, *visa.*

14. AETHERIAS] *Aeternas* Barth. conj.

22. COETU] *citu* Salmas. ex V. C. Uti quoque in vett. scidis legi notaverat Pythoeus, qui primus edidit haec.

24. Mi-

GRATII FALISCI
HALIEUTICA.

ACcepit mundus legem, dedit arma per omnes,
Admonuitque ſui: vitulus ſic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte,
Sic damae fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morſu canis, & caudae ſic ſcorpius ictu:
Concuſſiſque levis pennis ſic evolat ales.
Omnibus ignotae mortis timor, omnibus hoſtem,
Praeſidiumque datum ſentire, & noſcere teli
Vimque modumque ſui: ſic & Scarus arte ſub undis,
Contextam ſi forte levi de vimine naſſam
Incidit, aſſumtamque dolo tandem pavet eſcam,
Non audet radiis obnixa occurrere fronte.
Averſus crebro veniens ſed verbere caudae
Laxans ſubſequitur, tutumque evadit in aequor.
Quin etiam ſi forte aliquis *dum pone* nataret
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit
Averſi caudam morſu tenet. atque *ita flexu*
Liberiore natans, quem texit *naſſa*, reſultat.

Se-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

24. MINATUR] Ita Pythoeus edidit ex Ms. Thuan. niſi fallor, qui ſic habet: *vitulus quae mauuque miratur.* A. ex Ms. Sannaſarii edita: *minaci.* forte: *vitulus ſic numque minaci, Quae nondum gerit, intentat jam cor. fronte.*

28. CONCUSSISQUE] *Concurſiſque levis pinnis* Ms.

31. SIC ET SCARUS] Ms. *ſic Eſcarus*; & ſic itidem v. 38. Iſidorus quoque *Eſcarum* pro *Scaro* poſuit lib. 12. c. 6. & ab *eſca* dictum finxit. Geſnerus ἴχαρος aliud aquatile animal à Scaro longe diverſum conſtituit. Nam & hic σκάρος Graecis eſt.

32. CONTEXTAM &c.] Ita Geſn. ſupplevit. A hujus verſus intervallo hanc vocem ſervat: **ſin* **. Unde ego olim ita centunculum illum reſarciebam:

——— *Sic & Scarus arte ſub undis*
Utitur, & forſan *ſi* naſſae vimine clauſus, &c.

33. INCIDIT,] Ita Geſn. ut ſupplementum juvaret. Ms. & A. *Decidit*, quod meo inſititio verſui quadrat. *Aſſumtam*] f. *aſſutamque dolo.*

35. VENIENS SED] A. *veniens ſub.* Ms. & P. *vimen ſub* Ita legendum. Plinius enim ſic expreſſit: *Scarum incluſum naſſis non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere, ſed averſum caudae ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere.* Quae verbotenus exſcripſit Iſidorus: ſed perperam editum, *luminibus*, pro *viminibus*; *adverſum*, pro *averſum*; & *redire*, pro *erumpere.*

37. DUM PONE NATARET] Ita Pantagathus & Geſnerus reſtituerunt ex vet. lect. quae eſt in A. *dampus nataret.* P. *dampro nat.* ex Ms. qui ita: *dam prenataeete.* f. *dum prenatat extra.* Plinius: *quem luctatum ejus ſi forte alius ſcarus extrinſecus videat, apprehenſa mordicus cauda, adjuvare nixus erumpentis.* Nec verbo minus Iſidorus: niſi quod iterum *Eſcarum* poſuit, pro *ſcaro.* ut & Ms. hic: *eſcarum hunc.*

39. ATQUE ITA FLEXU] A. *atque.* * Ms. & P. *atque ita* *.

40. LIBERIORE NATANS,] Ms. & P. *Uberrimano-*

Sepia tarda fugae, tenui cum forte sub unda
Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaceis;
Inficiens aequor nigrum vomit illa cruorem,
Avertitque vices, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete Lupus, quamvis immanis, & acer,
Dimotis cauda submissus sidit arenis:
Atque ubi jam transire plagas persentit, in auras
Emicat, atque dolos saltu diludit inultus:
Et Muraena ferox teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem permultos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocens, cunctis intervenit una.
At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus haeret, & hac eludit retia fraude,
Et sub lege loci sumit mutatque colorem;
Semper ei similis quem contigit. atque ubi praedam

Pen-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

nato. Unde ego formavi: *atque ita* flexu *Liberiore natans.* Ausonius Mosella; *Liberior laxos exerces Barbe natatus. Flexus* ita v. 51. etiam usurpat noster, & ibidem Plinius. A. *τὸ Uberrer* non habet; sed ita: * *nato quem texitque resultet* *. *texitque*, servat & P. Ms. *texit quem resultet.* Ego supplevi: *quem texit* nassa (vel, rete) *resultat.*

41. Sepia &c.] Plinius hanc omittens, à scaro ad Lupum transit. Haec prima illius oscitantia circa Sepiam. Altera, quod cum lib. 9. c. 15. dicat Sepiam non esse in Ponto; postea tamen, (ut notavi in praef.) de Ponticis piscibus hic tantum agi ab Ovidio arioletur.

43. Vomit illa cruorem,] *τὸ illa* ex praecedente versu repetitum temere est, pro quo forsan scriptum erat. *vomit ore cr.* Ms. *vomit illance.* Quod alteri conjecturae meae astipulatur: *nigram vomit ilicet* iram, vel, undam.

44. Vices,] Ms. & P. *Avertitque vias.* Ita leg. Plinius lib 9. c. 29. de Sepiis: *ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur.* Et ad verbum Oppianus lib. III. v. 162. *κ᾽ ἠμάλδυνε κέλευθα. Obscuratque vias*, &c.

46. Sidit arenis:] Ita ego. P. *sidet ar.* Ms. *ridet ar.* Gesn. latitat *submissus arenis.* pro eo, quod est in A. *sedet armis in austri.* Quorum ultima proximo v. sunt, quae sequuntur:

47. *** In auras] Ita Ms. & P. Quibus ego praefixi: Atque ubi jam transire plagas persentit, *in auras*, &c. Praeeunte Plinio: *Lupum reti circumdatum harenas arare cauda, atque ita conditum transire rete.* Isidorus: *denique rete circumdatus fertur arenas arare, atque ita conditus transire rete.* Inepte. Non *conditus* plagas transit lupus, sed *conditum* lupum plagae. Hoc voluit Plinius.

49. Muraena] *More ferox & reti sibi conscia teri* Ms. Sed nihil mutandum. Plinius: *Muraenam maculas appetere ipsas, consciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat.*

50. Conversa foramina] *connexat forma* MS.

52. Intervenit una.] *interveniturа* Ms.

54. Hac] Ms *haec.* Plinius de hac fraude nihil; nisi quod eam respexisse videri possit lib. 9. c. 29. de Polypis: *Caetero per brachia velut acetabulis dispersis astu quodam adhaerescunt, tenentque supinis, ut avelli non queant.* Si bene ita conjicio. Vulgo: *haustu quodam.* De quo nihil Aristoteles lib 4. c. 1. unde illa desumpsit Plinius.

55. Sub lege loci] Plinius ibidem: *colorem mutat ad similitudinem loci.* Quod etiam hic suo oco praeterit.

57. Se-

Pendentem fetis avidus rapit, hic quoque fallit
Elato calamo, cum demum emerfus in auras
Brachia diffolvit, populatumque expuit hamum.
At Mugil cauda pendentem everberat efcam,
Excuffamque legit. Lupus acri concitus ira,
Difcurfu fertur vario, fluctufque ferentes
Profequitur, quaffatque caput, dum vulnere faevus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.
Nec proprias vires nefcit Muraena nocendi:
Auxilioque fiti, morfu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaceis.
Anthias his, tergo quae non videt, utitur armis.
Vim fpinae novitque fuae, verfoque fupinus
Corpore, lina fecat, fixumque intercipit hamum.

Cae-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

57. Setis] Ita Ms. P. Gefnerus, & Pantagathus A. *retis.*

57. Fallit] Ms. *ftillit*: & fupra in fine proximi verfus poft praedam adjicitur, *praedaret*, quod huc refero, ut reftituam: *huic quoque adhaerrt Elato calamo. Huic* fc. praedae. *τὸ adhaeret* abforptum erat in *praedaeret*, atque inde factum, *prarda, ret.* Conjecturae meae adftipulatur Plinius: *Polypum hamos apprtere, brachiifque complecti, non morfu; nec prius dimittere, quam efcam circumrofrrit: aut arundine levatum extra aquam.* Sed poftrema non fatis congruunt. Nofter enim etiam *elato calamo* adhaerere praedae fuae polypum dicit, donec hamum jam populatum expuat. Ifidorus illa tantum habet: *nec prius dimittit, quam efcam circumroferit.* Sequentia omittit.

60. At Mugil] Ms. *Et.* Plinius: *Scit & Mugil effe in efca hamum, infidiafque non ignorat: aviditas tamen tanta eft, ut cauda verberando excutiat cibos.* Ita haec plufquam ὁ ἐπιτομεὺς, qui reliqua vixdum epitomaverat.

61. Concitus ira,] Ms. *contricitatus.* Plinius iterum ὁ ἐπιτομευτής: *Minus in providendo lupus folertiae habet, fed magnum robur in poenitendo: nam ut haefit in hamo, tumultuofo difcurfu laxat vulnera, donec excidant infidiae.* Nihil minus quam *iram*, fed poenitentiam lupi hic praedicat. Vel itaque *in peruitendo* leg. apud Plinium; vel hoc loco, *lupus acri concitus aere* (puta, cum in hamo haefit) aut tale quid fubftituendum.

62. Discursu] Ms. *Difcuffus.* i. e. *Difcuffu.* Nihil muto.

66. Auxilioque sibi,] Ita A. recte. Ordo eft: nec auxilio fibi deficit Muraena, nec morfu. Ms. & P. *Auxilioque fui.* Plinius: *Muraenae amplius devorant, quam hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt.* De his nihil apud autorem noftrum, nifi ita interpoletur:

Auxilioque fui dentis ftridentia furtim
Fila cibofque rapit; *morfu nec*, &c.

quanquam, cum poftrema haec plane neglexerit Plinius, fortaffe, quae alibi legerat, in eorum locum per errorem afciverit.

66. Cominus] Ita Ms. recte. A. *nec eo minus.*

69. Novitque suae] *vometque fua &* Ms.

70. Corpore, lina secat,] Ita diftinxi. vulgo: *Corpere lina fecat.* Inepte. Pejus eft, quod Rondelet. citat: *verfufque fupino Corpore lina fecat.* Non *corpore*, fed fpina lineam fecat. Plinius lib. 9. c. 59. *Anthiae, cum unum hamo teneri viderint, fpinis, quas in dorfo ferratas habent, lineam fecare traduntur: eo, qui tenetur, extendente, ut praecidi poffit. At inter fargos ipfe qui tenetur, ad fcopulos lineam terit.* Imo & ipfe Anthias fibi id praeftat, ut nofter tradit; quem, oblitus fui, ita hic fequitur Plinius: *Anthiam tradit idem infixum hamo invertere fe, quoniam fit dorfo cultellato, fpinaque lineam praefecare.* Ita jam dudum reftitui corruptiffimum locum, quem aut fruftra tentant, aut temere nimis proftituunt editores: quibus eo magis fuccenfeo, cum Gefnerum τὸ πᾶν ante faeculum fere ita emendaffe poftmodo videam.

Caetera quae densas habitant animalia sylvas,
Aut vani quatiunt semper lymphata timores,
Aut trahit in praeceps non sana ferocia mentis.
Ipsa sequi natura monet, vel cominus ire,
Impiger ecce leo venantum sternere pergit
Agmina, & adversis infert sua pectora telis:
Quoque venit, fidens magis, & sublatior ardet,
Concussitque toros, & viribus addidit iram.
Prodigus atque suo properat sibi robore lethum.
Foedus Lucanis provolvitur Ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners, stolidaeque ferocia mentis?
Actus Aper setis iram denunciat hirtis,
Et ruit oppositi, nitens in vulnera ferri,
Pressus, & emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti,
Ut pavidi Lepores, & fulvo tergore Damae
Et capto fugiens Cervus sine fine timore.
Hic generosus honos, & gloria major Equorum:
Nam capiunt animis palmam gaudentque triumpho,
Seu septem spatiis circo meruêre coronam.

Non-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

am. Vulgo in omnibus Edd extat: *Pytheas id trudit: idem infixam hamo*, &c. quod nec ipse Pythius mihi interpretetur. *Idem*, puta Ovidius, ex quo hactenus illa verbotenus desumpsit: nam deinceps ex Licinio Macro sequentia retulit. Noster quoque abhinc è mari in terras & silvas excurrit.

74. MONET,] Ita Ms. & P. *movet* A.

75. ECCE LEO] Ita Ms. & P. & Ciofanus. A *& telo.*

77. QUOQUE] Ita A. *Quodque* Ms. & P. *Sublatior*] *sibi latior* Ms.

79. PRODIGUS] Ita conjeci. Horatius: *animaeque magnae Prodigum Paulum.* Ovidius: *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.* Vulgo in omn. libb. *Prodidit, atque suo*, &c.

82. ACTUS APER SETIS] *Actus & per retis* Ms. To *agere* ita passim ponit Gratius: *Glympice te silvis egit*, &c. *stimulisque potentibus acti In furias vertere canes.* Item alibi: *ille vigebit Centum actus spatiis*

83. ET RUIT] Ms. *Se ruit.*

88. Ante hunc versum inseritur iterum ille:
Ipsa sequi natura monet, vel comminus ire.
Ita P. ex Ms. nisi quod Ms. *irute.* A. *docet, vel cominus.* Quanquam supra habeat: *movet.* Pythoeus notat tertio etiam hunc versum paulo post intercalari in vet. cod. in quo fallitur, aut numerus paginae debet esse 91. non 92. Utrâque enim extat, nec postea ullibi repetitur. Ego vero etiam hic ejeci, quem semel legi sufficit.

91. CIRCO MERUERE] f. *Si sep. sp. circi meruere coronum.* Ms. *circo movere.* Videtur autem ante hunc talis aliquis intercidisse versus:
——— *Gaudentque triumpho*,
Seu patrias victrix laurus vectatur ad arceis,
Seu septem spatiis Circo meruere Coronum.
Vel alium sensum suppeditet Plinius lib. 8. c. 42. qui & postremum v. illustrat. Sensus idem quem in Cyneget. his versibus decoravit ipse Gratius:
——— *Spatiis qualis permissa Lechaeis*
Thessalium quadriga decus, quum gloria patrum
Excitat, & primae spes ambitiosa coronae.
quae si comparentur inter se, & sequentia cum iis,

Nonne vides victor quanto sublimius altum
Attollat caput, & vulgi se venditet aurae?
Cessave cum caeso decoratur terga Leone,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu,
Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis?
Quae laus prima Canum, quibus est audacia praeceps,
Venandique sagax virtus, viresque sequendi.
Quae nunc elatis rimantur naribus auras,
Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro,
Et produnt clamore feram, dominumque vocando
Increpitant. quem si collatis effugit armis,

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

iis, quae de equis in fine Cynegetici sunt, eundem genium ac autorem referre, nemo negaverit.

92. Nonne vides] Virgilium & hic, quod solet identidem in Cyneg. expressit noster; Georg. III *quae gloria palmae Nonne vides, cum praecipites* &c. quae gemina germana sunt, sed longiora, quam ut hic adscribantur. Non enim hic commentarium aut tempus, aut locus admittit.

95. Spectapilis actu,] Ms. *actum*; & pari mendo supra: *cateso*, pro *caeso*. *Leo*, pro *leone* unde decessit quod hic accrevit. Luculentissima autem haec locutio & vere Gratiana. Cynegetico: *primos nequidquam offenderet actus*. Et paulo diverse de equo Numidico: *ille vigebit Centum actus spatiis*.

96. Compescatque] Ita Ms. & A. *conpiscatque* P.

97. Ungula] *Vincula*, & *redeunte* Ms.

98. Audacia praeceps,] Mera Gratii phrasis. De cane Hyrcano: *Sed praeceps virtus*, &c. Pertinet hoc ad genus bellicosum, cum *vocat extremo* (ut ibi canit) *praeceps discrimine Mavors*. Ad sagaces, quod sequitur: *Venandique sagax virtus*. Quibus *natura sagax*, & *solertia naris* ab eodem attribuitur in Cyneg. Tertium genus faciunt illa: *viresque sequendi*, de quo in Cyneg. ad v. cc. videsis. De tribus his generibus cum ita distincte hic agatur, quis autorem non agnoscit? Nempe ipsum Gratium; qui primus inter Latinos triplex canum genus instituit, ut late in Prolegom. & Comm. dictum.

100. Naribus auras,] Noster in Cyneg. v. 239. *celsisve adprensat naribus auras*. Ubi & hunc locum explicui.

102. Et produnt clamore feram,] Versum hunc jam diversimode aliquoties exposui in comm. ad vers. 187. & 231. Sed verissimus sensus ex Virgilii loco petendus, quem ad vers. 187. adduxi, & ex Varii, qui est ad vers. 211. Loquitur enim hic de canibus agminatim indagantibus, qui non quidem semper [illegible] indistincte & indesinenter latrant (quod suo aevo factitatum Longus innuit lib. II. ποιμεν. & hodie semper fit, maxime in Anglia) sed tum demum, cum ad cubile pervenerunt, *clamore feram produnt*. Hoc est quod expressit Maro; *volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens*, &c. Apulejus Miles. VIII. de toto agmine sagacium ita loquitur: *tacitaque prius servata mussitatione, signo sibi repentino reddito, latratibus fervidis miscent omnia*. Statimque id, quod dixi, subsequitur: *aper immanis atque invisitatus exurgit*, &c.

103. Collatis effugit armis,] *effugitque*. & mox: *Insequiturque* Ms. quasi non satis numerose celeritatem canis insequentis ipsis quoque numeris expresserit divinus Vates: ut hic armorum collationem & praelium statarium graviori metro stabilivit. Forte an scripsit: *quae si collatis eff. armis*. Nempe fera ipsos canes si effugerit. *Arma* enim ipsis canibus passim attribuit noster, praesertim ubi ad praelia ventum. Ut, *Maguique Lycaones armis*. Sed, *Arma negant contra, Martemque odere Geloni* Umbro optat, ut *tantum vellet in armis*. Et de equo: *ó quantus in armis Ille meis!* Itaque & hoc Gratianum.

Insequitur tumulosque canis camposque per omnes.
Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere funem:
Aspera num saxis loca sint. nam talia lentos
Deposcunt calamos: at purum retia littus.
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare. nam varie quidem fugiuntque petuntque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
Gurgite: limosa num quis pascatur arenâ,
Oblectetque moras, & molli serviat algae.
Descripsit sedes varias natura profundi:
Nec cunctos una voluit consistere pisces.
Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Bovesque:
Hippuri celeres, & nigro tergore Milvi,
Et pretiosus Helops nostris incognitus undis.
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis,
Et pavidi magno fugientes agmine Thunni.

Par-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

105. In arte labor] Non quod venatio pedestris in viribus magis, quam arte consistat (nam *artem* illam specialiter vocat, ut vers. 1. in comm. ostendi) sed quia initio παρεκβάσεως dixerat reliqua animalia terrestria suo quodam instinctu agi, quae ipsa eorum natura *monet*, vel sequendo, vel *cominus* depugnando, venari; cumque pisces jam vafritie quadem aut hac aut illac excellere docuerit, ideo jam subjicit, *arte* adversus eos utendum, qui non naturâ suâ, aut viribus, aut fuga, sibi semper consulunt, sed insuper ingenio & fraudibus certant. Hic sensus totius digressionis, & hujus ἐπανόδου.

108. Funem:] Ita Ms. & A. *finem* P.

109. Num saxis] Ita Ms. & A. *non* P.

110 Purum] Ms. *pucrum.* i. *pulcram*, vel *currum.*

114. Gurgite:] Ita supplevi ex Oppiano ἁλ. I. v. 102.

118. * Quales] Lego: *gaudent pelago Squali, Scombriq.* Vel, *Squatina, Scombrique.* &c. etsi *Squalus* v. 147. nominatur, de quo ibi.

120. Incognitus] Plinius nullum ordinem sequitur, quanquam pleraque expressit, sed post alios, qui hic sequuntur, de Helope ita enotat: *Helopem quoque dixit esse nostris incognitum undis.* Quintilianus lib. 5. ex nostro etiam habet: *nec Helopen nostro mari ducas.* An ergo in Ponto tantum nasci credidit Plinius? Dixerat enim: *His adjiciemus apud Ovidium posita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur, sed fortassis in Ponto nascuntur.* Triplici errore. Non Ovidii haec sunt, sed, si quid probavi, Gratii. Nec hic tantum Helopis mentio, sed & Aristoteles, & Hesiodus Scuto Herc. ἔλλοπας ἰχθῦς indigetavit. Denique non in Ponto, sed in Pamphylio tantum mari capitur, testibus Columella & Aeliano. In eo quoque fallitur, quod lib. 9. c. 17. dicat de Acipensere: *nullo in honore est, quod quidem miror cum sit rarus inventu: quidam eum Elopem vocant.* Nostro contra est, *pretiosus Helops*, qui & πολυτίματος Epicharmo. Sed ipse sibi etiam obloquitur Plinius, ut ostendam ad v. ult.

122. Thunni.] Ms. *donni* Plinius initio excerptorum. *Orphum rubentem, rhacinumque* *

pul-

Parva Fcheneis adest, mirum, mora puppibus ingens:
Tuque comes ratium, tractique per aequora fulci
Qui semper spumas sequeris Pompile nitentes;
Cercyrosque ferox scopulorum fine moratus.
Cantharus ingratus succo: tum concolor illi
Orphus, coeruleaque rubens Erythinus in unda.
Insignis Sargusque notis, insignis & alis,
Et super aurata Sparulus cervice refulgens,
Et rutilus Pagur, & fulvi Synodontes, & ex se
Concipiens Channe gemino fraudata parente.
Tum viridis squamis parvo Saxatilis ore,
Et rarus Faber, & pictae Mormyres, & auri
Chrysophrys imitata decus: tum corporis Umbrae
Liventis, rapidique Lupi, Percaeque, Tragique.

Quin

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

pullum. Forte: *pavidumque Thunnum.* Nam *pavidi* hic dicuntur *Thunni.*

123 ECHENEIS] Ms. *etheneir. f. Parva & Echenneis, mirum.* nam *to adest* insititium est. Plinius: *Est parvus admodum piscis, Echeneis appellatus: hoc carinis adhaerente naves tardius ire creduntur, inde nomine imposito,* &c. διὰ τὸ τὰς νῆας ἴσχειν.

524. TRACTIQUE] Ms. *factique.* Plinius: *Pompilum qui semper comitetur navigiorum cursus.*

526. CERCYROSQUE] Ms. *Cercyroeique.* Plinius: *Cercyron in scopulis viventem.* Ita dudum ego, & pridem Gesnerus. Vulgo: *Bopgyron.* monstrose. Ms. Chiffl. *bouuam per gyrum.* Forte: *Saevum Cercyrum*, quia *ferox* hic dicitur à nostro.

528. ORPHUS,] Ms. A. & P. *Orphas* Plinius: *Orphum rubentem, rhacinumque pullum.* Ms. Chiffl. *orphym, rubentemque acynum pulum.* Forte: *Orphum pullum, rubentemque Erythinum.* quod sequitur *caeruleaque rubens Erythinus in unda.* Non enim rubet Orphus, si Cantharo concolor, (qui scarabaeum refert) sed nigricat, maxime superius. Capite tamen rubet. Ideo malit quis apud Plinium: *Orphum rubentem, & aliquantum pullum*; vel *orphum pullum, rubentemque aliquantum.* Sed mihi prior conjectura praeridet, quia ita propius Poëtae nostri verba, ut solet, repraesentat Plinius. Fuit tamen, cum antiquae scripturae insistendum potius crederem; *Orphum rubentem, acidumque paulum.* Quia Cantharus, cui Orphum confert noster, *ingratus succo*, i. sapore, ut late docet Gesnerus.

128. ERYTHINUS] *Erythrinus*, Bellonius.

131. PAGUR,] Ms. *arcer.* lego: *Pager*, pro *Pagrus*, quod Gesnero placuit. ut *conger*, & *congrus.*

532. CHANNE] Ms. *Channem gemino sibi fundata parente* Plinius: *Praeter haec insignia piscium tradit: Channem ex se ipsa concipere*, &c. Lego: *ingenia piscium tradit.* Ita de nostro autore etiam loquebatur cap. 11. *Mihi videntur mira & quae Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur* Nam *insignia* piscium, quae ad colores spectant, jam antea recensuerat.

134. PICTAE MORMYRES,] Ms. *pietate.* Plinius: *pictas Mormyras, aureique coloris Chrysophryn.* Ita emendaveram, cum postea vidi Gesnerum praeoccupasse. Hoc ultimum de Chrysophry est, quod sequitur: *& auri Chrysophrys imitata decus.*

136. PERCAEQUE,] Ms. *Percataeque.* Pergit cum nostro Plinius: *Praeterea parvum Teragum, & placentem cauda Labrum.* In his ego invicem Gesnerum praevertam. Ille ex Plinio superiore versu legebat: *Tum viridis Teragus parvo saxat. ore* Ego contra monstra illa non hinc modo, sed & ex Plinio exstirpanda censeo, quem ita emendo: *Praeterea Percam, Tragum, & placentem cauda Melanurum.* Quibus vestigiatim nostrum expressit. Qui vero *parvum Tragum* potuit dicere, quem ne fando quidem cognoverat, ut ipse fatetur, cumque nihil tale quid hic de magnitudine ejus traditum invenisset?

838. Mv-

Quin laude insignis caudae Melanurus & ardens
Auratis Muraena notis, Merulaeque virentes,
Immitisque suae Conger per vulnera gentis,
Et capitis duro nociturus Scorpius ictu,
Ac nunquam aestivo conspectus sidere Glaucus.
At contra herbosa pisces laxantur arena,
Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas,
Fœcundumque genus Maenae, Lamyrosque Smarisque,
Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa:
Atque avium dulces nidos imitata sub undis;
Et Squalus, & tenui suffusus sanguine Mullus:
Fulgentes Soleae candore, & concolor illis
Passer, & Adriaco mirandus littore Rhombus:

Tunc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

138. MURAENA] Ms. *munera notis merelateque.*

139. CONGER] Ita A. Congri (inquit Gesnerus ad hunc locum) se invicem maxime vorant, authore Aristotele. Si id verum est, leg. *Immitisque C. suae p. v. gentis.* Sed cum id apud neminem, nec quidem in Aristotele inveniam, praeplacet mihi lectio quam Pythoeus edidit ex Ms. *Camer*: praesertim cum Scorpius sequatur. Reliqua tamen in mendo cubant. Forte: *suae per vulnera chelae.* Vel, si de Congro loquitur: *sui per vulnera dentis.*

140 CAPITIS] *captus* Ciaccon. *Scorpius ictu*] Ms. *Scorpio ta et* i. *Scorpio jactu*, vel *Scorpios ictu.* Ita *Scorpion* dixit Naso Metam. II. initio.

141. AESTIVO] Ms. *stivo.* Plinius: *Glaucum aestate nunquam apparere*

142 LAXANTUR] Ms *luxantur* an *laetantur?* minime. Gratius enim ita τὸ *laxare* utitur, pro expandere, in Cyneg. de retibus *laxanda reponite fumo* *laxare vimen, os*, &c.

143. RUMINAT] Ms. *rumiuet.* Plinius de Scaro: *solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci.*

144 MAENAE, LAMYROSQUE] Ita Ms. & P. ut dudum conjecerat ante Gesn. A. *Maenerelamirosique.* Forte: *Maenae, Gerraeque, Smarisque.* Nam hi tres pisciculi ejusdem fere generis. Martialis lib. 12. Ep. 32. *Fuisse Gerres, aut inutiles Maenas.* Lamyros autem nihil, sed λάμιρος Oppiano, qui hic locum habere nequit.

146. DULCES NIDOS] Gesnerus periphrastice hisce Phycidem innui ait. Bellonius ad Chromidem retrahit, omissa per intervallum Salpa, usque adeo jam *merito vilissima*, quasi nec nominata quidem fuisset. Plinium forte secutus est, qui eadem oscitantia, qua reliqua inter se confudit, hic Delfinum silvis appingit, quod Flaccus canit. Excerpsit enim: *Chromin, qui nidificet in aquis.* Ita enim legendum apud Plinium. Hoc pignore Ovidium autorem hujus opusculi esse concessero lubens, si tam sincere nomen ejus in titulo legerit Plinius, quam hic Chromin in aquis nidificare. Sin in altero fallit, ne super autore quoque vadimonium deserat, quis non vereatur? Nihil tale. quid unquam vel meditata est Chromis: multo minus noster, ut de ea id diceret. Sola Phucis est, quae in aquis nidificat. Aristoteles lib. VIII. fine. Μόνη δ' ἡ φυκὶς τῶν θαλαττίων ἰχθύων στιβάδα ποιεῖ, &c. Quae ita vertit Plinius lib. 9 c. 26. *Eadem piscium sola nidificat ex alga, atque in nido parit.* Lego itaque hoc loco: *Atque avium Phycis nidos imitata:* An aliter in suo libro invenerit Plinius, plane mihi incertum est. Sed etiamsi corruptus jam tum fuerit hic locus, non ideo Chromidi hoc attribuere debuit, quod ipse scivit soli Phycidi convenire. Cur etiam non potius ad Salpam retulit, quae gradu proxima erat? Quo magis inducor, ut credam hallucinatione magis quam ex corrupta scriptura ita excerpsisse Plinium, eamque à librariis haud ita dudum depravatam: Nam in Ms. est: *dulcis nives*

147. ET SQUALUS, ET] Ita Gesn. & recentiores Edd A. & P. *Et Squalus tenui.* Nam prima potius producenda est, sive ex κέφαλος contrahitur, quod Gesn. visum, sive, ut verisimilius, à *squa-*

Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranae.
Extremae pa*scunt propter confinia ripae*
Aut fixae scopulis, haerent Pernaeque, Sudesque,
Lubricus & spina nocuus non Gobius ulla,
Et nigrum niveo portans in corpore virus
Lolligo, durique Sues, sinuosaque Serpens,
Et tam deformi non dignus nomine Asellus.
Tuque peregrinis Acipenser nobilis undis.

* * * * *

Deerant non admodum multa in eo exemplari, consumpta penitus vetustate.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

à *squaleo.* Ms. *Et squa & tenui.* Hic itaque malim: *Et squatus, & tenui.* Et *Squalum* supra ad vers. 118. relegare: *Squali, Scombrique, Bovesque. Squatus* autem idem, qui *Squatina*, ut ostendit Gesn.

150. Epodes lati,] Ms. *leporos laeti.* Plinius excerpsit, *Epedas lati generis.*

151. Pascunt,] A. *Extremi pas.* * Ms. & P. *Extremi pareuc* * Ego reliqua ex Oppiani ἁλ. I. initio ita supplevi: pascunt propter confinia ripae, aut fixae scopulis haerent, &c..

152. Pernaeque, Sudesque,] Ex Plinio, qui hinc citaverat, in locum hunc postliminio restitui. Ait enim: *Sunt praeterea à nullo auctore nominati, Sudis Latino appellata, à Graecis Sphyraena, rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed tamen non degener. Appellantur & Pernae concharum generis, circa Ponsias insulas frequentissimae*, &c. Haec duo in iis, quae hodie extant, solummodo requiruntur vocabula: reliqua omnia, quae citavit Plinius, superesse jam ostendi. Quod vero in fine capitis adjicit: *Praeter hac: purgamenta aliqua relatu indigna, & algis potius annumeranda, quam animalibus.* Non ideo censendum plura ad Plinium, quam ad nos pervenisse. Vel enim illa intelligit, quae subinde omisit, ut *Squalos, Lamyros, Maenas*, multaque id genus alia: vel illa quae in paucis iis, qui interciderunt, aut in fine consumpti vetustate legi non poterant, versibus continebantur.

155. Durique] *dirique* passim cit. Gesn. *sinuosaque serpens*] Ita conjiciebam. Ms. *sinuora Caris.* P. quoque: *Caris.* A. *sinuosaque cess. s. Thessa.* quae à Plinio nominatur in Catalogo piscium. Pantagathus: *cestra.*

157. Acipenser] Ms. *Accipienser.* Plinius: *Helopem quoque dicit esse nostris incognitum undis: ex quo apparet falli eos, qui eundem acipenserem existimaverunt.* Imo ipsum Plinium hic falli, hinc potius apparet. Si enim & Acipenser *peregrinis* tantum innotuit *undis*, quid diversum ex autore nostro colligi potest, quod Helopi Romano mari incognito non conveniat? & viceversa, quid Helopem ab Acipensere, si uterque peregrinus, discerminat? Sed Plinius in his maxime, si alibi, oscitantiam suam & oblivionem prostituit. Quam tamen lubens ipsi condonavero, si Halieuticon hoc autori suo vendicari, salva autoritate sua, permiserit.

AD NEMESIANUM.

Te quoque me, Nemesi, ruspantem ingloria rura,
  Dum furit in patriis sedibus atra lues,
In silvas, divisque aequata mapalia cantu,
  Suspicis, antiquae Simplicitatis amans.
Nec tamen hic torpere sinis, das acria belli
  Fulmina & in fortes praelia magna feras.
Unde animus Barthi, vulgi pertoesus honorum,
  Concipiat dia mente Quietis opes.
Illius in tenui nunc est contracta potestas,
  Dum procul à libris otia lenta trahit.
Ergo animi pignus capias rogat ista benigni,
  Sarciet, ut primum Patria regna petet.
Dii tibi dent suavem post tot jam secula somnum;
  E tumulo surgant lilia pulcra tuo.
Fama quod humano voluit super orbe morari,
  Restituet Pietas nostra, Poëta, tibi.
Atque utinam nobis Vindex non peior adesset,
  Cum teget haec tumulus mortua membra brevis.
Quodque aliis feci, faciant mihi deinde Poëtae,
  Aeternum Vigili vivere Musa queat.

CASPAR BARTHIUS

αὐτοσχεδιάσει.

M. AU-

M. AURELII OLYMPII
N E M E S I A N I
Poëtae Carthaginienſis
CYNEGETICON
Sive de Venatione Lib. I.

ÉJUSDEM DE AUCUPIO FRAGMENTA DUO,

E C L O G A E V I.

Et ad Eundem,

T. CALPHURNII SICULI

E C L O G A E V I I.

Editio nova & caſtigata.

Fl. Vopiſcus, de Numeriano.

Verſu autem talis fuiſſe praedicatur, ut & omnes ſui temporis vicerit. Nam & cum MEMESIANO *contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγέτικα, & ναυτικὰ ſcripſit: quique omnibus coloniis (coronis* Caſaub.) *illuſtratus emicuit*, &c. quae male ad Nemeſianum referunt alii.

Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus qui vixit ſub Carolo Calvo.

Niſi ut Venatores ferae luſtra ſequentes agere auditu & lectione puer ſcholarius in libro qui inſcribitur Kynegeticon Carthaginenſis AURELII *didici, hac illacque diſcurrendo retrograda etiam veſtigia repetendo, anfractus tuos veſtigando, explicare ſtuderem.* & ſtatim: *Quin potius tuam novam praeſumptionem adiens;*

Mille vias, triſteſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri proelia ruris,

Et ſincero corde lites domeſticas ſubire compellar.

Jul. Caeſ. Scaliger Hypercrit. cap. VII. in limine Secundae & vere aureae aetatis Poëtarum.

Cum duo elegantes Poëtae venationis praecepta poëmate tractarint, GRATIUS & NEMESIANUS, *alter alterius aut lima aut cenſor eſſe poterit. Igitur* NEMESIANI *ſtilus candidus, nec vulgare ſonans. Praeterea ſilvae propior, atque effuſus. Gratius caſtigatior. & longe exactius ſimul cum natalibus ipſis deſignat mores, animos, vires, celeritatem; ſagacitatem, faciem. Et ſane divini verſus multi: velut ille (vide* v. 205) *Sed & feſtivus*, &c. quae operae pretium eſt inſpicere.

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI

Poëtae Carthaginienſis

CYNEGETICON.



VENANDI cano mille vias: hilareſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri proelia ruris,

Pan-

VARIAE LECTIONES.

1. CANO] *Cane* (ut infra v. 50.) conj. Gron.

NOTAE.



M. AURELII] Nunquam putaſſem hujus generis ſcriptores pueris in ſchola apud majores noſtros legi ſolitos, niſi mihi Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus indicaſſet, cujus haec ſunt ex libro adverſus Hincmarum Laudunenſem. *Aliter*, inquit, *reſpondere non potui, niſi ut venatores ferae luſtra ſequentes agere, auditu & lectione puer ſcholarius in libro, qui inſcribitur Kynegeticon Carthaginenſis Aurelii didici.* &c. Greg. ſane Logus, Sileſius, qui primus Gratium, Nemeſianum, Calpurniumque edidit, teſtatur deſcriptos de vetuſto exemplari quod Actius Sincerus Sannazarius in Italiam tranſtulerat ex Gallia: cui & illa plura debet. PITHOEUS.

JAM tibi valedixeram, Lector amice, quia praefixum recenſioni huic à Typographis paucularum dierum ſpatium elapſum erat. Sed cum iidem nunc pro ſolita humanitate ſua diem atque alterum feſtinanti, aliiſque gravioribus occupato ſtilo ampliaverint, paucis, age, Nemeſianum quoque abſolvamus: VLIT. *in Add.*

NEMESIANI] Saepe mecum dubitavi an hic liber ejuſdem Nemeſiani eſſet, cujus Eclogae IV. extant: tum quoque an hic ipſus ſit, quem Vopiſcus ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ & ναυτικὰ ſcripſiſſe tradit: ſed omnium maxime an eidem liber de Aucupio, quem citant Longolius & Geſnerus, attribui poſſit. Primam mihi dubitandi anſam fecit, quod κυνηγετικῶν horum unicum tantum exemplar habitum hactenus ſit, in quo praeter Gratii Cynegeticon, Halieuticon fragmentum, & haec Nemeſiani κυνηγετικὰ nihil amplius ejuſdem, nec Eclogas adeo, extitiſſe, ex primi Editoris Georg. Logi praefatione aperte intelligi poteſt. Contra vero, cum Eclogarum plurimi, ut diverſae editiones fidem faciunt, codices MSS. fuerint, in nullo tamen eorum κυνηγετικὰ haec comparuerunt. Alterum quaſi argumentum fuit, quod Vopiſcus nec Bucolica, nec de Aucupio ſive ἰξευτικὰ Nemeſiani recenſeat. Cum enim Nemeſiani aevo proximus fuerit, adeoque notiſſimi tanquam vatis ſcripta enumeret, hauddubie & Bucolica ejus tot codicibus vulgata noviſſet, & ſi ejuſdem fuiſſent, in ſcriptorum illius recenſione non omiſiſſet. Niſi imo ad diſtinctionem alterius Nemeſiani qui Bucolica, aut potius qui de Aucupio ſcripſerat, adjeciſſe videatur: *Nam & cum Nemeſiano contendit*, illo ſcilicet, *qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ & ναυτικὰ ſcripſit*. Dico ad diſtinctionem illius potius qui de Aucupio, quam qui Bucolica ſcripſerat. Non enim ſtilus patitur ut eidem ſoloeca illa de Aucupio fragmenta, & nitidiſſimae pro illa aetate Eclogae attri-

Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab oestro

Ac-

VARIAE LECTIONES.

3. *Pandimus*] *Pandimur* G. & B.

NOTAE.

buantur. Bucolica itaque, ut nec hujus sint, qui κυνηγετικὰ haec, aliaque à Vopisco citata conscripsit, nec ejus, cui ἰξευτικὰ inscribuntur, necessario alium autorem habent. Si stilum spectamus, nulli potius quam Calpurnio debentur. Ita enim in utroque Bucolico, ac lac lacti, simillimus. Imo & iisdem paene verbis versus aliquot ex altero repetuntur. Quod ab Homero & Marone, aliisque saepe factitatum, nemo, qui illos legit, ignorare potest. Ne furti alterutrum horum insimulemus cum Hypercritico censore, qui ipsa loca inter se comparavit Poët. lib. VI. cap. V. Accedit huc, quod cum Nemesiano Bucolicon suum inscripserit Calpurnius, eumque sub Meliboei nomine inducat & ut Caesaris amicum laudet Ecloga IV. eidem mortuo parentare videatur alterius sive secundi Bucolici Ecloga I. Hoc enim post mortem Nemesiani absoluto primo Bucolico jam senem se confecisse, ipse sub Tityri persona videtur illic innuere:

Diximus & calamo, & versu cantavimus olim,
Dum secura hilares aetas ludebat amores:
Nunc album caput & Veneres stupuere sub annis,
Jam mea ruricolae dependet fistula Fauno.

Praeterea, cum Siculus fuerit, ideo etiam II. Bucol. Ecl. II. canere videtur: *& nostra Dione Quae juga celsa tenes Erycis.* Quasi Siciliam patriam suam innuens. Sed omnium maxime argumento duci potest, quod princeps Bucolicorum horum editio Romana omnes uno ordine Eclogas XI. sub Calphurnii nomine repraesentet: praemissis iis, quae vulgo solae illi attribuuntur, & sequentibus hisce quatuor, quae sub Nemesiani nomine circumferuntur. Quarum ultima inde etiam in omnibus antiquis libris, non IV. sed XI. & expresse UNDECIMA in Parmensi Editione numeratur. Quod primus in sua mutavit Cl. Pythoeus. Quo ordine tamen, quem & Parmensis cum Romana servat, omnes à Calpurnio scriptas esse non temere suspicari me fateatur, qui argumenta illa à me posita diligentius expenderit. Nemesiani autem hujus, ut ad hunc tandem revertar, sola κυνηγετικὰ haec extare censendum erit. Quamquam ipse etiam apud Calpurnium Ecl. IV. sub Meliboei nomine innuere videtur, Bucolica se condidisse:

Hos potius calamos, magis hos sectare canales
Per me qui dignas cecinerunt consule silvas.

Expressum enim ex Virgilii Ecloga IV.

Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Idem II. Bucol. Ecloga I significat Calpurnius:

Saepe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
Laetus Phoebaea dixisti carmen avena.

Unde forsan jam olim inducti librarii secundum illud Bucolicon Nemesiano affinxerunt. Fortasse tamen verba Maronis in alium sensum detorsit. Et cum *dignas consule silvas* dicat, forte id honori ipsius Nemesiani tribuit, quasi consularis aut saltem amplissimi ordinis viri. Fuit enim non tantum Caesari intimus, ut cum quo contendere dignaretur filius ipsius Numerianus, sed etiam *omnibus coloniis illustratus emicuit*, teste Vopisco. Praeterea conjectari ab aliquo & contendi possit, ipsum M. AURELII praenomen, quod Nemesiano dant libri veteres, illi ex cognatione cum Caro & filiis ejus commune fuisse. Passim enim illi in nummis M. AURELIUS CARUS, M. AURELIUS CARINUS, & M. AURELIUS NUMERIANUS vocantur. Ideo favorem ejus captasse, & bucolicon suum ei inscripsisse videtur Calpurnius, ut clare ipse testatur Ecl. I. ubi Meliboeum vocat ipsum Nemesianum.

Forsitan Augustas feret haec Meliboeus ad aures.

Et Ecloga IV. sub eodem nomine eum ita compellat:

Fer, Meliboee, Deo mea carmina: nam tibi fas est
Sacra Palatini penetralia visere Phoebi

Et tota fere ista & altera, quae II. Bucol. prima est, Ecloga magnam illi potentiam adscribit, & favorem apud Carum Imp. quem Deum passim vocat Calpurnius, eoque vivo Bucolicon suum primum, & mortuo alterum condidit. De quo suo loco dicendum aliquid erit. Hic ostendisse sufficiat quis qualisque Nemesianus fuerit. Quando autem κυνηγετικὰ sua scripserit, post aliquanto expendam. VLIT.

Cy-

Aestuat. ingentes Helicon jubet ire per agros:

Ca-

NOTAE.

Cynegeticon] Ita edidit Pythoeus, fortasse secutus Hincmari testimonium: *in libro qui inscribitur Kynegeticon Carthaginiensis Aurelii.* Rectius vero primae editiones exhibent, Cyneg. ticon Lib. vel Cyneg. Lib. I. id est, κυνηγετικῶν liber primus. Vopiscus expresse κυνηγετικὰ scripsisse Nemesianum testatur. Nec uno, sed pluribus libris ea complexum esse, aut saltem ita voluisse, ipse fidem facit, cum ait:

Horum animos, moresque simul, naresque sagaces
Mox referam; nunc omnis adhuc narranda supellex Armorum, &c.

Ita ut ad minimum alter liber perierit, in quo ipsam κυνηγεσίαν, quam hic promittit, executus fuerit. Nisi & plures intercidisse quis existimet, quibus & singularum ferarum, ut diversa est, venationem absolverit. Quo illa intendere videntur:

Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audacesque lupos, vulpem captare dolosam
Gaudemus: nos flumineas errare per umbras
Malumus, & placidis ichneumona quaerere ripis
Inter arundineas segetes, felemque minacem;
Implicitumque sinu spinosi corporis erem
Ferre domum, talique placet dare lintea curae.

Hanc quippe quasi praecipuam κυνηγετικῶν partem totis duobus (quorum ultimus etiam periit) posterioribus libris dilatavit Oppianus, omissa pene ea quae nomen arti fecit. Quae tamen ipsa ab accurati venatoris industria minus aliena sint, quam tota illa animalium historia, quae libb. II. & III. occupat. Ita ut & illhaec merito inter κυνηγετικὰ opera tractaverit, si forte, Nemesianus noster. Contra qui κυνηγεσίαν tantum absolverunt, illa nihil ad institutum suum pertinere arbitrati sunt. Quam praecipuae curae pretio cum habuerit Gratius, κυνηγετικὸν opusculum sive poëmation illius inscribi debuit, non κυνηγετικῶν liber, ut perperam affixit primus editor. Quapropter & Xenophontis κυνηγετικὸς non sine controversia titulum suum fert, quatenus leporis, cervi, & apri venationem tam fuse instituit: nisi methodi istius negligentiam nascentis adhuc sub illo venationis informitati imputemus. Siquidem plures itaque κυνηγετικῶν libros scripserit, aut saltem scribere proposuerit Aurelius noster, excusari facile potest quod centum plus minus versus in praelusione consumpserit; quamquam totus hic, qui unus jam superest, liber, non multum trecentos excedat. Quod insuper septuaginta versus fabulis recensendis impensos queratur Hypercriticus censor, error in calculo est. Si enim bene supputentur, non plures triginta sunt. VLIT.

1. Venandi] Exordium hujus Poëmatis merito accusat incomparabilis Scaliger: quid enim duos diversos numeros in propositione necesse habebat ponere, *cano* & *pandimus*, cum liberum haberet utrum vellet eligere jam inde priusquam inciperet? Distinctio tamen utcunque juvat, quam nos ita opinamur esse refingendam potissimum.

Venandi cano mille vias hilaresque labores,
Discursusque citos: Securi praelia ruris
Pandimus: Aonio &c.

Sed non omnes Poëtae illud Pindari Edictum exaudierunt, quo vestibula omnium rerum maxime splendida fieri edixit. Quis enim Graecorum castigatissimum Oppianum excusabit, qui in quarto versu Operis eximii barbarum vocabulum posuit.

Ὃν μεγάλη μεγάλῳ φυτόσπορε δήμια Σεβήρῳ.

Quod ipsum in censuram merito vocari possit, si quis malit veterum judicem se quam admiratorem praebere. Sed quis sponsorem dabit Nemesianum non scripsisse, ut disertis litteris in antiqua Editione, quam ego in coenobio quodam ad silvam Hercyniam nactus sum, typis est excusum, *pandimur?* quod ego quidem omni sacramento contendam à Poëta perscriptum esse. Nam oestro Aonio ait se concuti, Deumque pandere pectus suum, ut ingrediatur. Sic Lucanus libro VI. vatem Deo plenam Aethnae comparat, quae dirupta vi flammae in vaticinia solvatur.

Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Aethnam
Undat apex &c. ——

Idem Deum ingredi vatis pectora, & hominem expelli ait, quod *pandimur* suo ingerit nobis Nemesianus.

—— *non unquam plenior artus*
Phoebados irrupit Paean mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore, bacchatur demens aliena per antra
Colla ferens, &c. ——

Necesse enim amplius fiat tanto Deo recipiendo pectus virginis humanae. Et hanc lectionem

qui

Caſtaliuſque mihi nova pocula fontis alumno

In-

VARIAE LECTIONES.

5. *Caſtaliuſque*] *Caſtaliique*, conj. Pyth.

NOTAE.

qui improbet neminem tam improbum futurum ſperamus, cum cogitabit quam magnifica & quam Deo plena jam ſint illa: *Aonio ab aeſtu pectus mihi aeſtuat*, & *Helicon vocat ire per ingentes agros* quae omnia θεόπνευϛον mortalem ſonant. BART.

1. Cano] Magis pro majeſtate debita principio carminis facere mihi videntur, qui plurali, ut loquuntur artigraphi, numero incipiunt de ſe loqui. Quanta enim majeſtas in illo Valerii Argonautici Poëtae?

Prima Deum magnis canimus freta pervia nautis.

Quantumque vilior redditur ſi reponas.

Prima cano divum magnis freta pervia nautis?

Poëticae ſane aures facile ſentiunt diſcrimen. Sic apud Lucanum.

Bella per Aemathios pluſquam civilia campos,
Juſque datum ſceleri canimus.

Si refingas,

——— *Juſque cano ſceleri victum*,

Sane multum heroae amplitudini deceſſerit. Sed Gratium Nemeſianumque operis tenuitas facile tutetur, Virgilium divinitas inacceſſa aliis accenſere non ſinit. Praeterea *cano* ultima brevi radit Poëticas aures in principio poſitum: neſcio enim quid difficultatis horridum illud reddit in correpta vocali. quae crebrius longa quam brevis eſt. Melius Gratius. *Dona cano divum.* Sed & alias nihil hic ad illum. BART. In ipſo exordio Cynegetici lego:

Venandi cane mille vias, hilaroſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri proelia ruris
Pandimus. ———

Alludit ad inſcriptionem operis ſui: non enim quamvis ἄγρην, ſed τὸ Κυνηγέσιον promiſit. Sic Propertius. Lib. 3. Eleg. 13.

Et me Pana tibi comitem de rupe vocato
Sive petes calamo praemia ſive cane.

Sive auceps, ſive κυνηγός. & ipſe Auctor infra: *facili cane ſumere praedas.* Scio mutationes numeri, ſed non eadem omnibus apta. *Gronov.* JOHNS.

1. Vias:] Modos. non capitales illos, nam alioqui tantum

Τευχθεῖσαν θήρην θεὸς ἅπασιν ἀνθρώποισι,

Secundum Oppianum. Sed omnia furta doloſque *vias* vocat Nemeſianus. An vero omnia ſit perſecutus, invidia temporis ſcire non ſinit. *Viam* pro methodo poni aliquam multis exemplis ad Gratium docuimus verſu V. Sic Prudentius.

Senex fidelis prima credendi via eſt.

Auctor Pervigilii Veneris;

Imbuit juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.

Appulejus libro v. *viam quae deducit ſola iter ad ſalutem, monſtrabimus.* Vide ad Gratium. BART.

1. Hilareſque labores,] Oppianus Cyn. α.

Οὐ μὲν ἄρ' οἶδ' ἁλιεῦ καὶ οὐχ ἵππεις ἰξευτῆρες
Ἄγρη τοῦτο πέλοιο· πόνῳ δ' ἅμα τέρψις ὀπηδεῖ.

hinc dictum epitheton ἄγρης ἀκαμάτοιο apud Nonnum. l. v.

2. Praelia ruris,] *bellum ferinum* venationem vocat ornatiſſimus Poëta, Gratius. v. xiii.

3. Pandimus.] Antequam naneiſcerer illam Longobardicam Editionem, quae auctrix prima fuit hunc Poëtam emendandi, conjeceram ſcribendum *Pan tuus.* ut Panis ſe oeſtro Aonio per Helicona rapi diceret. Cum Pan foret venationi praefectus, idque ante natam Dianam ut ex Callimachi Hymno εἰς Ἄρτεμιν videre eſſet, eique daret hoc nomine ſingulare nomen Orpheus. Sed cum ſuſtulerit omnem ſcrupulum Editio illa antiquiſſima, non opus iſta pluribus explicari. Appingenda tamen putamus, memores illius Calpurnii Flacci, *etiam malarum rerum ſuam eſſe Gratiam.* BART. Minus prudenter cum dixit *cano*, ſubdit *Pandimus*, inquit Hypercriticus. Excuſaturus id Barthius legendum omni ſacramento divae critices aſſerit, *Pandimur*, poſtquam jam tentaverat, *Pan tuus.* Sed ego juramento illius non majorem fidem habeo, quam atopienſi & Utopienſi iſti Editioni, ex qua nobis iterum hoc nugamenti profert. Miror magis ἀκαλοπεδίαν hanc inſolentem in deficientis Latinitatis poëmatio tot magnis Viris haberi, cum claſſici fere autores ea non abſtinuerint. Quam frequens Gratio ſit, ad verſum dvii. oſtendi. Aut ſi illi debitus inter principes locus denegatur, quid Latiniſſimis Catullo & Tibullo ſiet, qui eadem periodo, *inſperanti nobis*, *merenti nobis* dixerunt, ut ſummi Viri jam fuſe inter alia obſervarunt? Hic ſaltem poſt aliquot commata

ut

Ingerit, & late campos metatur apertos:

Im-

NOTAE.

ut Nemesiano licentia illa & more majorum, & ex cotidiano jam istius saeculi usu adhibita non excusetur, mera prorsus invidia sit. Maxime, si ita distinguatur:

Venandi cano mille vias, hilaresque labores,
Discursusque cites: securi praelia ruris Pandimus.

VLIT. Ne quem offendat haec ἀνακολουθία, cum modo, *Venandi cano mille vias*, singulari persona exorsus sit, videat quae in Commentario & hoc loco, & ad Gratii vers. DIX. observavi; iisque addat idem in nominibus quoque factum à Marone, in fine Ecl. II.

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco.

Aliquid quorum. Manilius lib. v.

Et quodcunque solet venandi poscere cura,
In proprios fabricare solent venalia quaestus.

Quodcunque venalia. Livius lib. XXXIII. c. XXIV. *Quaecunque Senatus censuisset, id Regem facturum esse.* Ita omnes libri, quibus invitis non audio quantumvis amicum mihi, atque optimum ejus editorem, conjicientem, *quodcunque*, vel, *ea Regem fact. esse* VLIT. *in Add.*

3. Aonio oestro] Furore Poëtico. Orpheus Crotoniata Argonauticis.

Νῦν δ' ἐπεὶ αἰερόφοιτος ἀπέπτατο δεῖος οἶστρος.

In initio enim poëmatum consueverunt afflari divino quodam oestro Poëtae. Lucanus περὶ θυσιῶν, προσκαλέσαντες τὰς Μούσας συνῳδοὺς ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπῶν, ὑφ' ὧν δὴ ἔνθεοι γενόμενοι ὡς τὸ εἰκὸς ᾄδουσιν. Ita Statius, Claudianus, alii. BART. Poëtico furore. Aonides enim, musae ab Aoniâ. JOHNS.

4. Helicon] Tamquam numen aliquod ipsi numinum monti adscribat. Persius.

Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.

Nam *in Helicone* aut *Parnasso esse*, tantumdem est ac si dicas, Apollinem indulsisse vim scribendorum versuum. Petronius Arbiter. *Ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse.* Unde montem ipsum ζάθεον indigitarunt. Hesiodus sive alius auctor est, Theogoniae.

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν
Αἵ θ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε.

Et Heliconis numina, Musae. Ut apud Silium. XIV.

Flectite nunc vestres, Heliconis numina, cantus,
Ortygiae pelagus, Siculique ad littoris urbes.

Et ex Helicone veniebant propitiae vatibus & reliquis mortalibus. Coluthus elegantissimo libello de raptu Helenae.

Ἐκ δὲ μελισσοτόκοιο λιπὼν ἐριηχέος Ἑλικῶνος
Μουσάων λιγύφωνον ἄγων χορὸν ἦλθεν Ἀπόλλων.

Delectabaturque Musarum in se domicilio magnopere hic mons, ut aliquando carminibus earum delinitus, excreverit immensum, exiissetque altitudine ipsum coelum, puto, nisi opportune calcem illi impegisset Pegasus. Antonius Liberalis ὑπὸ δὲ μουσικῆς ἐκείνων μὲν οὐρανὸς καὶ ἄστρα καὶ θάλασσα καὶ ποταμοὶ, ὁ δ' Ἑλικὼν ηὔξετο κηλούμενος ὑφ' ἡδονῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἄχρις αὐτοῦ, βουλῇ Ποσειδῶνος ἔπαυσεν ὁ Πήγασος, τῇ ὁπλῇ τὴν κορυφὴν πατάξας. Habitabant enim Montem hunc Musae: Lucianus πρὸς τὸν πολλὰ βιβλία ὠνούμενον. Ἑλικῶνα μὲν γὰρ, ἵνα διατρίβειν αἱ θεαὶ λέγονται, οὐδὲ ἀκήκοας οἶμαι, ὦ τᾶν, οὐδὲ διατριβὰς τοιαύτας ἡμῖν ἐν παισὶν ἤκεις. Nec mirum suavissimis Deabus montem illum consecratum, quem tradunt adeo felicem esse, ut nulla in eo nec venenata serpens, nec noxia herba vitae humanae inveniatur. Qua de re elegantissima memoriae prodidit, auctor auro omni Antiquitatis Graecae cupidis pretiosior, Pausanias libro. IX. BART. ἀκροδινεύοντας. Quid si *ingentes*, *Helicon*, *juvat ire per agros.* Aut si *Helicus* Latina terminatione potuit fingi, forte scripsit: *ingentes Helici juvat ire per agros.* Imitatur enim Virgilium lib. III. Georg.

Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor: juvat ire jugis qua nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita sulco.

Ut ille item Lucretium expressit libb. I. & IV.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fontes
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores.

Unde sequentia noster quoque desumpsit: *ducitque per avia qua sola nunquam Trita rotis.* VLIT. Vulgata tamen lectio mihi placet: Totum enim exordium hoc est congeries indiscreta imaginum à se invicem toto coelo disjunctarum. JOHNS.

5. Castalius.] *Castalius* nomen est fontis, ut *Blandusia* apud Horatium. Vibius Sequester: *Castalius Delfis.* Nec est adjectivum nomen, ut loquuntur Grammatici, sed substantivum. Hyginus fab. CLXXVIII. *ad Castalium venit, quem draco Martis filius custodiebat.* Ita habet Hygini fabularum fragmentum manuscriptum, quod

 Co-

Imponitque jugum vati, retinetque corymbis

Im-

NOTAE.

Coloniae Agrippinae evolvimus. Plures *Castaliam* dicunt. Virgilius Culice.

Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.

Pindarus Pythionικῶν. IV.

——— μεχανθέμεναι δ' ἐπὶ Κασταλίᾳ.

Ἐι μεζάλατός τι.

Ibidem Oda v.

Ἀλλ' ἀρισθάρματον
Ὕδατι Κασταλίας
Ξενωθεὶς, γέρας ἀμ-
φέλαβε τεαῖσι κόμαις.

Lucianus Jove Tragoedo. πῶς, ὦ μῶμε, δύναται ποιεῖν ταῦτα, μήτε τρίποδος ἡμῖν παρόντος, μήτε θυμιαμάτων, ἢ πηγῆς μαντικῆς οἷα ἡ Κασταλία ἐστίν· Pausanias libro x. Nonnus lib. iv. Dionys.

Κασταλίης πάφλαζε νοήμονος ἔνθεον ὕδωρ. BART. Quod substantivum hoc fontis nomen esse velit interpres, sequentia non satis bene consideravisse arguitur, quae non ad fontem, sed ad fontis alumnum referri debent, atque ita scribendum hoc loco evincunt:

Castaliusque mihi nova pocula fontis alumnus,

vel, ut Pythoeo placuit, *Castaliique*. Quis *Castalii fontis*, vel *Castalius alumnus* sit, ex Culice Maronis, si quis nescire potest, intelligat:

Phoebus erit nostri princeps & carminis autor,
Et recinente lyra fautor; sive educat illum
Alma Chimaereo Xanthi perfusa liquore,
Seu nemus Asteriae, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,
Castalia & resonans liquido pede labitur unda.

Ideo enim subdit noster; *Et parere deo*, &c. VLIT. Ab Ovidio I. Amor. Eleg. ult. mutuatum:

——— *mihi flavus Apollo*
Pocula Castalia plena ministrat aqua. VLIT.

in Add. Ed. Steyn. legit, *Castalius alumno.* quid si loco *fontis* legat *Phoebus.*

Castaliusque mihi nova pocula Phoebus alumno. JOHNS.

5. Fontis] Doctrinae copia *fonti* aequiparatur, unde *haurire*, est eruditi, atque alios docere. Lucretius libro primo.

——— *juvat integros accedere fontes,*
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Unde prius nulli velarunt tempora Musae.

Statius Achilleide prima.

Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phoebe, novos. ———

Juvenalis Satira. vii.

——— *aptusque bibendis*
Fontibus Aonidum ———

Persius. *Nec fonte labra prolui caballino.* & quibus illo iter, eo se fonte ut sacro adspergebant. Heliodorus lib. ii. Sed haec vulgo obvia congeri facile possunt. *Madidi* ea ratione pro eruditis usurpantur, ut & *ebrii.* qua de re ad Calpurnium quaedam notavimus. Illud vero ambitiose noster ultro sibi ingeri Musaea fluenta. Non mirum tamen aut ἄλογον, cum omnibus coronis ornatum emicuisse Nemesianum scribat Fl. Vopiscus. BART.

6. Late campos] Amplitudinem materiae significat. Nam scriptor comparatur *cursori*, materia *campo.* Lycophron Cassandra.

Ἐγὼ δ' ἄκραν βαλβῖδα μηρίνθου χαλάσας,
Ἄνειμι λοξῶν ἐς διεξόδους ἐπῶν,
Πρώτην ἀράξας νύσσαν, ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Ita Statius Thebaide I.

——— *unde jubetis*
Ire Deae.

Oppianus Cyneget. A.

Καὶ θεὸν ἠμείφθην· πρώτη δὲ μεθιάδ' ἔειπεν.
Ἔγρεο, καὶ τρηχεῖαν ἐπιστείβωμεν ἀταρπόν.
Τὴν μερόπων οὔπω τις ἑῇς ἐπάτησεν ἀοιδῆς.

Cic. Academ. Quaest. iv. *campus in quo possit exsultare oratio.* Eunapius Proaerεsio: ἐνταῦθα ὁ σοφιστὴς ὥσπερ ἵππος εἰς πεδίον κληθεὶς τοὺς ἐπὶ τῇ δωρεᾷ λόγους παρήγαγεν. Similime Propertius lib. ii.

Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Aonio jam dare tempus equo.

BART.

6. Metatur] Qui sint *metatores*, nempe qui exercitum praecedunt castris metandis locum eligentes, atque aptantes, notum ex iis qui de re militari scripserunt. Virgilius Georg. ii.

——— *Si pinguis agros metabere campi.*

Parare ibi exponit Nonius. Est autem *metatus locus*, metis circum scriptus, quod voluit dubio procul Festus; Sed hodie corruptus est. BART. Equidem *metam* nullam ponerem, ait Jul. Scaliger. Mallem itaque ego, *metitur.* Sic, *magnum metitur piscibus aequor* Proteus, apud Maronem iv. Georg. VLIT. *Metitur.* Vlit. quod tamen idem est. JOHNS.

7. Jugum] In currum se subdi à Musis & eorum fonte Castalio ait, ut Propertius *equum* se dixit *Aonium.* BART.

7. Co-

Implicitum, ducitque per avia, qua sola numquum
Trita rotis. juvat aurato procedere curru,
Et parere deo: virideis en ire per herbas
Imperat: intacto premimus vestigia musco.

Et

VARIAE LECTIONES.

8. *Ducitque*] A. S, *ducit per.*

NOTAE.

7 Corymbis] Poëtae & Baccho & Apollini sunt consecrati. Orpheus Argonauticis.

> Νῦν γάρ σοι, λιγυρῇ, φίλον μέλος ἀείδοντι,
> Θυμὸς ἐποτρύνει λέξαι, τά περ οὔποτε πρόσθεν.
> Ὄφρασ', ὅταν, Βάκχοιο τε Ἀπόλλωνος ἄνακτος
> Κέντρῳ ἐλαυνόμενος, φρικώδεα κῆλ' ἐπιφαύσκων.

Unde tam hedera, quam lauru coronati. De Hedera, quam heic *Corymbi* innuunt, scripsi aliquid ad Eclogas Calpurnii Noster Ecloga III.

> *Te cano qui gravidis hederata fronte corymbis*
> *Vitea serta plicas.* ———

Ut tam vitibus quam edera Bacchus coronari fit consuetus, qui cultus & ad ejus sacerdotes, quales Poetae, extensus. Vide Euripidem Bacchis, & Anacreontem Odario. XXVI. Dionysium Periegesi. BART.

7. Corymbis Implicitum,] Bacchus ligabat captivos suos vitibus, Claudianus IV. Consulatu Honorii.

> ——— *Crinemque solutae*
> *Menades astringunt ederis victricibus Indos.*

Sidonius Apollinaris.

> *Conjectas in vincla manus post terga revinxit*
> *Pampinus.* ———

Nonnus XV.

> Ἄλλος ἀκοσμήτοιο λαβὼν, βεβοτρυμένον ὕπνῳ,
> Δεσμῷ βοτρυόεντι περίπλοκον αὐχένα σύρων,
> Στικτὰς πορδαλίων ὑπὲρ αὐχένας θῆκατε δίφρων.

7. Numquam] Omnes illi tres Poëtae Cynegetici, Oppianus, Gratius, Nemesianus, hanc quisque sibi gloriam vindicat, primum hanc materiam carmine exsequi Gratio sane ea laus debetur, quantum scriptorum vel nomine tenus Poëticorum ad nos venit. BART.

8. Qua sola, &c.] Ex Lucretianis. *loca nullius ante trita solo.* at quo jure Nemesianus id dicere potuit, non video, cum Gratius id anticipaverat. JOHNS.

9. Trita rotis.] Ex Lucretianis: *loca nullius ante Trita solo.* Ita & Oppianus lib. I.

> Ἔργεο, καὶ τρηχεῖαν ἐπιστείβωμεν ἀταρπὸν
> Τὴν μερόπων οὔπω τις ἑῇς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς.

Cum tamen Gratius id anticipaverit. Ut & Virgilius post Hesiodum, & Manilius post Aratum novi se aliquid afferre praefantur. VLIT.

9. Curru,] Elegantissimus versiculus, qui pompam procedentis currus ob oculos gravitate dictionis ponere satagit. Pindarus Isthm. II. οἱ μὲν παλαιοὶ φῶτες, ἔσοι χρυσαμπύκων ἐς δίφρον μοισᾶν ἔβαινον hoc est, Poëtae. Eadem ad Gratium. Eleganter in hanc sententiam Pisides humanum animum *aurigam*, corpus vero *currum* dicit.

> ——— εἰς τὸν μάταιον βίον
> Ὁ νοῦς γὰρ, ὥσπερ ἀσφαλὴς ἐπιστάτης,
> Πώλους ἐλαύνει συμφυεῖς εἰθισμένος,
> Τὰ δυσκράτητα τῶν παθῶν κινήματα,
> Τὸν θυμὸν ἄγχει τὸν δὲ τῦφον δυσκόλως.

Idem pari figura axem sermonis.

> Ὡς πρὸς τὰ μικρὰ καὶ χυδὸν πεπλησμένα
> Κινοῦνται εἰκῇ τοῦ λόγου τὸν ἄξονα.

De Curru Bacchi habes apud Nonn. in XVIII. Dionysiacon. & Ovid. quarta Metamorphosi & Stat. Thebaide. Sil. XV. Punicorum. Virgil. VI. Aeneïde. Lucianum Baccho. Catullum Epithal. Pelei. Orpheum, Epigrammatarios &c. BART.

Et quid opus habet curru venator? subdit ὁ θεῖος. Quid si non tantum ut triumphi ad instar partae victoriae testis *feratur plaustro Praeda gementi*, quod Hippolytus apud Senecam instituit; verum etiam quo ipse uteretur venator sive ut equis requiem subinde concedat, sive ut *nostras agere in sacraria theusas*, quod Gratius innuit, solemne fuerit, sive quod non minus in ferino quam humano bello ex curribus olim praeliati sint VLIT.

10. En] Ἐνθουσιασμῷ Deum videre se simulat. Vide ad Musaeum Animadversiones nostras. BART.

12. Ea

Et quamvis cursus se ostendat tramite noto;
Obvia Calliope, facies insistere prato
Complacito, rudibus qua luceat orbita sulcis.
Nam quis non Nioben numeroso funere moestam
Jam cecinit? quis non Semelen, ignemque jugalem

Le-

VARIAE LECTIONES.

12. *Et quamvis*, &c.] Hic versus vulgo est 24. Vide Comm. ib. *ostendat*] A. Steyn. *se ostendat*. B. *offendat*. Idem in Adverſ. totum versum delendum censet.
13. *Facile est*] Ita ego. *facies* A. & P. VLIT. Male. JOHNS.

NOTAE.

12. Et quamvis] Ita recte versum hunc loco suo restituit magnus Pythoeus, qui vulgo ibi inseritur:

—— Sponsasque truces sub foedere primo,
(Et quamvis cursus ostendat tramite noto)
Dulcia funereis mutantes gaudia tedis.

manifesto errore, & nequaquam excusabili. VLIT.

12. Se ostendat] Ita Steyneri Editio. recte. male à caeteris omittitur *se*. hic autem versus huic loco inseritur, unde exciderat. olim enim locabatur inter vicesimum tertium & quartum versum. Sic explicat Vlitius. quamvis cursus se ostendat tramite noto; Tu tamen, O facilis Calliope, facies me complacito insistere prato, ut & in illo tuâ ope tandem orbita aliqua luceat per rudes hactenus & invios sulcos. JOHNS.

13. Obvia Calliope,] Non infeliciter fortassis haec suppleantur praeposito illo versu, qui ab hoc XIII. erat, & in locum suum relato, sic,

Et quamvis cursus ostendat, tramite noto
Obvia Calliope, facile est, &c. PITH.

13. Facile est]. Haec conjectura mea in margine affixa temere ab typotheta in textum propagata est. Nec male tamen, si cui arridet. Quid si ita?

Et qoamvis cursus ostendas tramite noto
Obvia Calliope, facias insistere prato, &c.

Sed primae editiones habent, *cursus se ostendat*. Quod si ex autographo servarunt, ut pleraque apparent, ita potius refingendum erit:

Et quamvis cursus se ostendat tramite noto,
Obvia Calliope facias insistere prato
Complacito, rudibus quo luceat orbita sulcis.

Uti evitetur simul affectationis vitium, quod hic reprehendit Scaliger. Quomodo, inquit, *lucet*, si non est *trita?* quomodo, si nondum sulcos habet à rotis? Imo sensus hic sit: Quamvis cursus se ostendat tramite noto; tu tamen facilis, ô Calliope, fac me insistere prato complacito, ut & in illo tua ope tandem orbita aliqua luceat per rudes hactenus & invios sulcos. VLIT.

14. Qua luceat] Calliope facias me insistere prato complacito, *qua luceat orbita rudibus sulcis*, hoc est, qua illam ego primis sulcis lucentem faciam. *Rudibus*, est *novitate nimia*, ut loquitur Apulejus, adhuc insolitis teri. Sic Claudianus. Praefatione Raptus.

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas.

Virgilius lib. Georg.

At rudis enituit impulso vomere campus.

Quem respexit Nemesianus hoc loci. Propertius lib. II. Eleg. XXVII.

Et qui movistis duo littora, cum rudis Argus
Dux erat, ignoto missa columba mari.

Idem lib. III.

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes.

Sic *rudimenta*, sunt initia omnium rerum, ut *rudimenta thalami* apud Appulejum. Pari modo usurpatum τὸ *luceat*, quod omnia nova *Lucere* videantur, translatione ab metallis & aliis rebus, quae hoc proprie recentes solent. Vel *luceat* dictum pro eluceat, ut apud Gratium. v. LXXXVII.

Lineaque extritis lucent anconibus arma.

Terentianus praefatione libri sui de metris.

Neu compago fragosa sit.
Neu sit quod male luceat.

Victorinus lib. III. Grammat.

Aprica veris aura est ubi flore rura lucent. BART.

15. Numeroso funere] Magnae dividiae inter scriptores de numero liberorum Niobes, vide Agellium lib. XX. capit. VI. Alios excutere vacat operae precio. BART.

16. Ignemque jugalem] Unus ignis Semelae

Letalemque simul novit de pellicis astu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?

Ut

NOTAE.

lae fuit lethalis, & coniugalis. Habebatur autem apud veteres tantum inter hos discrimen religionis, ut summum facinus putatum sit illos miscere. Sic in funesto conjugio Terei & Prognes Ovidius lib. VI. Met.

Non Hymenaeus adest illi, non Gratia lecto,
Eumenidae tenuere faces de funere raptas.
Eumenides stravere torum ———

Heliodor. li. II. ἀλλὰ πυρὰς, εἶπεν, γέγονας ἀνάλωμα το ἂν αἱ ἔτι σοι λαμπάδες ἀντὶ τῶν νυμφικῶν τοῦ δαίμονος ἀνῆπται. Idem eod libro. καὶ ἔδεις αἱ τὸ γαμήλιον ἐκλάμψαντα φῶς αὐτῇ καὶ τὴν ἐπιτήδειον παστάδα ἐξῆπτεν. *Ignem jugalem* Nemesianus cum dicit, qui praelatus in nuptiis solemni veterum more. Lactantius libro II. capit. x. Divin. Institut. *A veteribus institutum est, ut sacramento ignis & aquae nuptiarum foedera sanciantur, quod foetus animantium calore & humore corporentur atque animentur ad vitam. Unde aqua & igne uxorem accipere dicitur.* Qua de re plura vide apud Cujacium libro XI. cap. II. Observationum. Hotomannum in eleganti libello de ritu Nuptiarum. c. XVII. *Jugalem ignem* nominat & Valerius Flaccus li. VIII.

——— *ignem Pollux undamque jugalem*
Praetulit ———

Statius Epithalamio Stellae solemnem thalamis coëuntibus *ignem* vocat II. Silva lib. I. BART.

16. JUGALEM] Ovid. Metam. Lib. 3. 308.

——— *Corpus mortale tumultus*
Non tulit aetherios, donisque jugalibus arsit.

JOHNS.

17. DE] Abundat haec particula, *De pellicis astu*, nihil est quam, pellicis astu. Vide quae ad Virgilii Ceirin notavimus BART.

17. PELLICIS] Mire prorsusque nove Junonem vocat *pellicem* Semeles, cum Semele, ut notissimum, Junonis potius pellicatum insederit. Non memini exemplum aliud hujus rei legere. Ideoque notandum arbitror vel maxime diligenter. BART. Autor carminis de laude Herculis Alcmenam sic alloquiturr:

——— *Nil sancta superbae*
Pellicis insidias caelo modo freta tremiscat.

Ita enim ille quoque, ut hic Nemesianus, Junonem *pellicem* vocat. Fortean pro noverca utrobique ponitur. Sic *pellicem* vocat Ino, novercam quippe Helles, Festus Avienus periegesi, cujus verba hoc modo legenda:

——— *Hoc pecoris dorso sternacis in aequor*
Inachis illata est. Sic pectus candust ira
Pellicis, & tanto divam dolor extulit igni.

Contra novercam pro pellice posuisse videtur Germanicus Caesar Phaenomenis Arataeis:

Sidere donavit cancrum Saturnia Juno:
Nunquam oblita sui, nunquam secura novercae.

Alcmenae scilicet. Quod tamen & aliter explicavit VLIT. Vetus interpres Levitici cap. XVIII. 18. *Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies*; id est, pro altera conjuge non accipies: quam LXX. ἀντίζηλον reddidere rectius, quam nostrates in nova vernacula versione, qui bigamiam hic prohiberi ariolantur. Sic *Pellex*, pro fecunda Jasonis conjuge, Creusa dicitur Flacco Epod. III.

Hoc delibutis ulta donis pellicem.

Et Pasiphaës tauri, adulterae, respectu, vaccae, legitimae ejus conjuges, *pellices* dictae Nasoni Art. Amator. lib. I.

Et tenuit laeta pellicis exta manu;
Pellicibus quoties placavit numina caesis.

Puta vaccis invidiae furorique ejus immolatis. VLIT. *in Add.* Junonis. Vlitius *Pellicem* pro noverca accipit; non tamen satisfacit. aut igitur simpliciter significat, *quae pellexit.* Juno enim induxit Semelem orare Jovem, ut liceat sibi cum eo concumbere, eadem induto majestate, qua ipsam se amplecti solebat. aut acerbitatem Junonis exosus Poëta nomen *pellicis* Junoni magis tribuendum censuit. JOHNS.

18. RECREATA] Denuo creata. Glossae. *Recreatio*: παλιγγενεσία Lucretius lib. V.

Nam quodcunque alias ex se res auget alitque
Deminui debet, recreari cum recipit res.

Idem eodem libro.

Solque suos etiam dimittere languidus ignes
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen.

Creari autem nasci est. Ovidius.

Nec stirps prima fui, genito sum fratre creatus.

Est ergo *recreatus Bacchus* διςτόκος Nonni. BART. Renovata. Ereptus enim erat ab alvo Semeles & insutus femori Jovis. Ovid. ibid. 310, 311, 312.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener ———
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

JOHNS.

19. RED-

Ut pater omnipotens maternos reddere menses
Dignatus, justi complerit tempora partus?
Sunt qui sacrilego rorantes sanguine thyrsos
(Nota nimis) dixisse velint, qui vincula Dirces,

Pi-

VARIAE LECTIONES.

19. *Maternos reddere*] *maternis addere* G. & B.
22. *Dixisse*] *Duxisse* G. & B.

NOTAE.

19. REDDERE] Restituere quos rapuerat. Ecloga III.

Hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,
Protulit, & justo produxit tempore partus.

Sed non insuper putandum, quod in vetere libro legitur.

——— *Maternis addere menses*
Dignatus.

Maternis, quos interruperat Juppiter suo in femore conclufo Baccho addere dignatus est. Et ita verissimum est Nemesianum nostrum scripsisse. BART.

21. SACRILEGO] Impio. Nam furorem intelligit quem Bacchus immittebat numen suum aspernantibus, ut thyrsos rapientes tamquam feras suos sibi liberos contrucidarent. Vide Ovidium Metamorphos. III Apollodorum Bibliotheca. III. Nonnum XLVI. Sic *sanguis sacrilegus* apud Maronem lib. VII.

Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas.

Caeterum ante hunc versum tralocandus ille est, qui paullo inferius asterisci nota insignitus conspicitur. Sed praestat adscribere, ut erroris ansa absit.

Ut pater omnipotens maternis addere menses
Dignatus, justi compleris tempora partus,
Et, quamvis cursus offendat tramite noto,
Sunt qui sacrilego rorantes sanguine thyrsos
Nota nimis, dixisse velint ———

Eleganter autem pro *ostendat*, *offendat* subiit nobis rescribere. Idque acute dixit Poeta, cursum in nimis noto tramite offenderes, quia videlicet nulli non notam viam, nimisque, quod mox ait, *tritam* insistat pergere Nihil aptius. BART. Penthea intelligit Ovid. l. 3. 712.

Prima suum misso violavit Penthea Thyrso
Mater ———

ipsum Ovidium vid. L. 3. v. 716, 717. ita lege hos versus,

——— *conclamant, trepidumque sequuntur;*
Jam trepidum, jam verba nimis violenta locutum

qui jam agnoscit se nimis violenta locutum esse. JOHNS.

22. DIXISSE] Liber noster aperta littera, *duxisse* habet. Sic infra, *Biblidos inductum nulli scelus.* Ubi tamen in Codice veteri est, *indictum.* Horatius:

——— *Forte Epos, acer Ut Varius, ducit nemo* ———

Tibullus libro. II.

Carmen, ut ornatos duceret ante Deos,

Nemesianus ipse Ecloga. I.

Carmen Phoebea duxisti laetus avena.

Ecloga. II. v. LXI.

Vocalem, longos quae ducit, aedona, cantus.

Sic *carmine se deducere divinas artes* ait C. Manilius principio Astronomici. Et *deductum carmen* à Cornificio, Virgilio, Afranio, Horatio, Propertio, non alia figura dicitur, alludentibus omnibus ad ductum fili in lanificio, quo creberrima Poëtis de suis carminibus allusio. BART. Id est, cecinisse. Ita mox: *Biblidos indictum nulli scelus.* Et statim abinde:

Horrendasque vices generis dixere prioris.

Ecloga I. Bucolici, quod Aurelii inscribitur:

Diximus & calamo, & versu cantavimus olim.

Paulo post ibidem:

Dicat honoratos praedulcis tibia manes.

Iterumque; *Dic age.* Et sub finem: *Phoebea dixisti carmen avena.* Calpurnius quoque in fine Ecl. I. *Carmina dicamus* Item Ecl. IV.

Dicite, nec mora sit, vicibusque reducite carmen.

Ita omnibus fere his locis constanter omnes libri scriptum habent, quibus contra Barthius ex mendace suo sibi codice omni operâ *ducere* intrudit, quem cum autore suo duci malim, quam sequi. Nam quae ex Tibullo & Horatio allegat, si non diverso longe sensu accipi debent, certe non ejusdem aevi locutionem sapiunt. Ut aperte quidem in illo Eclog. II.

Vocalem longos quae ducit aedona cantus

vo

Pisaeique tori legem, Danaïque cruentum
Imperium, sponsasque truces sub foedere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia taedis.
Biblidos indictum nulli scelus: impia Myrrhae

Con-

VARIAE LECTIONES.

26. *Indictum*] Ita omn. libb. *inductum* B. Ed.

NOTAE.

τὸ *ducere* est protrahere & extendere. Reliqua autem, quibus audaciam suam tueri conatur, majori audacia ab ipso corrupta producuntur. Quod ne identidem repetere necesse sit, hic semel & serio monitum volo. VLIT. *Duxisse* malebat Barthius; cui non immerito toties olim succensui, nisi quod vix dignus Caesaris ira fuerit misellus Criticaster, qui postquam magno conatu vindicias suas aliorum opera, cum suae diffideret, jamdudum mihi minatus esset, hactenus tamen in arenam descendere ausus non est. Et per me quidem licet, ut nunquam audeat, & meticulosae instar canis rure suo ad fatietatem latret. Idem error jam olim in Marone accidit, à Servio emendatus Ecl. v. *ego dicere versus.*] *Ita*, inquit, *nos legimus. Dicere sane pro canere, ut, Dianam tenerae dicite virgines.* Ex Horatio; qui & lib. iv. ode xii.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula.

Tritissima enim est pastoribus haec locutio. Virgilius ead. Ecl. *tibi nostra vicissim carmina dicemus.* & Ecl. vi. *deductum dicere carmen.* & x. *si fistula dicat amores.* VLIT. *in Add.*

22. Vincula Dirces,] Dirces fatum hoc est. Lycus Rex Antiopam pepulit toro suo Conjugem, induxit Dircen. Amphion & Zetus filii Antiopae, rati se Dirces esse filios eam in honore habebant. Dirce Antiopam adflixit, conclusit carcere & male habuit. Amphion & Zetus edocti Antiopes se filios, in vindictam cruciatuum maternorum Dircen tauro alligatam misere interemerunt Habes fabulam apud Higynum c. viii. & vii. Apollodorum. lib. iii. Bibliothecae. Nec scio an alios. Meminit Propertius lib. iii. Elegia xv. & Statius. BART. Vid. Apollodorum. L. 3. Cap. 5. S. 5. *Τὴν Δίρκην δήσαντες ῥίπτουσιν εἰς κρήνην*, &c. JOHNS.

23. Pisaei] Oenomaus Pisae rex filiam habebat pulcerrimam Hippodamiam, quam multis procis ambientibus legem fixit, qui se pernicitate quadrigarum superaret, filiam duceret. Qui non, Amorem irritum lueret vita. Interemit multos. Pelops tandem axe hominis, ope aurigae Myrtali corupto, meritae neci ipsum tradidit, filiam matrimonio assumsit. Vide de hac historia, seu fabellam mavis, Strabonem libro viii. Pausaniam v & vi. Sidonium Apollinarem panegyrico Anthemii. Nonnum lib. xix libro xxxvii Aliisque Dionysiacôn. Q. Smyrnaeum lib. iv. παραλειπ. Apollonium Ἀργοναυτ. α. Oraculum in fragmento Phlegontis Tralliani de Olympicis. Servium ad Virgil. Euripidem Orelle. Alios. BART. Hippodamia filia fuit Oenomai, Regis Pisae. quam cum ob formam multi peterent, pater hanc conditionem proposuit, ut, qui illam vellent, cursu cum eâ contenderent: victi, capite punirentur, victores uxorem eam haberent. JOHNS.

23. Cruentum] Danaus quinquaginta filiabus imperavit prima nuptiali nocte maritos singulis interfici. Paruerunt omnes, praeter unam Hypermnestram, quae Linum servavit, quem Pausanias cum Lymceum vocat, mendosus est. Notissima fabula, vel epistola Nasonis. Non veretur autem Danaus post servatum sponsum Linum, ultro Hypermnestram in judicium vocare. Sed judicio victus est. auctore eodem Pausania. BART.

Foedere] Nuptiis. Appulejus lib. v. *squalentium foederum insuave fastidium.* Sic accipe in illo Catulli.

Nulla fides umquam fuit ullo foedere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

BART.

24. Sponsasque] Danaïdas, numero quinquaginta, qui maritos, totidem numero, ad unum omnes primâ nocte necuerunt. Apollod. L. 2. C. 1. S. 4. JOHNS.

25. Taedis.] Rogo mutarunt torum. Idem est quod versu decimoquinto dixit. BART.

26 Biblidos] Caunum fratrem ad concubitum

Connubia, & saevo violatum crimine patrem
Novimus, utque Arabum fugiens cum carperet arva,
Ivit in arboreas frondes, animamque virentem.
Sunt qui squamosi referant fera sibila Cadmi,
Stellatumque oculis custodem virginis Ius,
Herculeosque velint semper numerare labores,
Miratumque rudes se tollere Terea pinnas

Post

VARIAE LECTIONES.

27. *Emisso*] A. Steyn. *è misso.*

NOTAE.

tum solicitantis. Vid. Ovid. Metam L. 9. v. 453. JOHNS.

27. CONNUBIA,] Concubitum. Sic *conjugium* usurpat Tibullus lib. III. Lucretius lib. III.

Denique connubia ad Veneris, partusque ferarum
Esse animas praesto deridiculum esse videtur.

Sic *γάμον* apud Graecos usurpari notavimus ad Poemation Musaei. BART.

27. SAEVO VIOLATUM CRIMINE PATREM] Cur *saevum* adeo? Quid si *foedo*? aut potius *scaevo*. Saepe enim haec inter se locum commutant. VLIT. Vlitius *faedo* vel *Scaevo*. quam emendationem confirmat Ovid L. 10. v. 319.

——— *Foedoque repugnat amori*

Patrem enim Cynaram in tenebris adiit, & cum illo concubuit. Ovid L. 10 v. 465. JOHNS. Virgilius Ceiri.

Conjugium charae violaverat Amphitrites

Violare enim proprie ad castitatem laesam pertinet, ut ad illam alibi notamus. BART.

28. ARABUM] V. Ovid. Metam. L. 10. v. 478.

Palmiferos Arabas, Panchaeaque rura relinquit.

JOHNS.

28 CARPERET] Pedibus scilicet. Virgil. lib VI.

Sed jam, age, carpe viam & susceptum perfice
munus BART.

29. IVIT IN ARBOREAS] Admodum eleganter. Mutata est tota in arboreas frondes. Sic Priapaeorum Poëtarum unus. LXXVII.

Poenas do quoque, quod satis superque,
In semenque abeo ——— BART. In arborem

Myrrham conversa est JOHNS.

29. ANIMAMQUE VIRENTEM] Oppido eleganter. Nymfae enim in arboribus, quarum vita viret & senescit cum illis. Homer. seu quis Homerida hymno in Venerem.

Τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάτ', ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
Γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ
Καλαὶ τηλεθάουσαι ἐν οὔρεσιν ὑψηλοῖσιν
Ἑστᾶσ' ἠλίβατοι. τεμένη δὲ ἑ κικλήσκουσιν
Ἀθανάτων τὰς δ' οὔτι βροτοὶ κείρουσι σιδήρῳ;
Ἀλλ' ὅτε κεν δὴ μοῖρα παρεστήκῃ θανάτοιο,
Ἀζάνεται μὲν πρῶτον ἐπὶ χθονὶ δένδρεα καλά,
Φλοιὸς δ' ἀμφιπεριφθινύθει, πίπτουσι δ' ἀπ' ὄζοι,
Τῶν δέ θ' ὁμοῦ ψυχὴ λείπει φάος ἠελίοιο.

Habes breviter omnem Nymfarum mortemque vitamque. Merito ergo *animam virentem* dixit, quae cum virente arbore viret, marcescente moritur. Unde Nonnus vocat coaevam Nymfarum silvarum lib. XXII. Has subire arbores & indidem redire arbitrabantur. Nonnus lib. XXXII.

Ἄλλαι ἀναδρυάδες σε ἐρῆι κατὰ πτορθοῖσι κορύμβοις,
Δυσάμεναι δρυόεντος ἀειγενέος κίονος.

Idem eleganter Ἡμιφανῆ, vocat, quia in arbore quoddam humanae speciei simulacrum apparet. lib. XLVIII BART.

30. CADMI,] Cadmum in Draconem mutatum una cum sua Harmonia ambos senes, notissima fabula BART. Cadmus enim cum uxore una conversi erant in angues. JOHNS.

31. STELLATUM OCULIS] Cujus universum corpus oculis obsitum erat, ut coelum stellis. Nonnus lib. VIII.

Ἄργον ἀκοιμήτοισι πολυσπερέεσσιν ὀπωπαῖς.

Stellatus à crebris astris coeli epitheton. Capella li. II.

Nunc stellata poli conspice lumina,
Et Candore sacro aetheris utere. BART.

31. CUSTODEM] Argum. JOHNS.

33 RUDES] Novas. vide supra ad v. XIII. Caeterum noster dum verbosos fabulatores incusat, suam ipse reprehensionem incurrit. Nam exiguo labori immanem praemittit exercitationem.

Post epulas, Philomela, tuas. sunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaëtonta loquantur,
Extinctasque canant emisso fulmine flammas,
Fumantemque Padum, cygnum, plumamque senilem,

Et

VARIAE LECTIONES.

36. *Emisso*] *E misso* A.
37. *Cygnum*] Ita leg. *cycnum* A. *cycnumque* P.

NOTAE.

nem. Nisi si plures fuere Cynegeticôn libri, nosque primum solum possidemus, quod suspicari subit non una de causa. BART.

33. Terea] Rex ille Thracius, qui postquam Ityos filii sui membra à Procne & Philomela apposita sibi inscius comederat, in Epopem conversus erat. Ovid. Metam. L. 6. v. 674 JOHNS.

34. Ardua mundi] De hac phrasi vide quae notavit doctissimus ICtus Franc. Juretus ad Symmachum. BART.

35. Male tentantem] Infeliciter, & adversa fortuna. Ovidius de Medea. lib. vii.

Ultaque se, male mater, Jasonis effugit arma.

Virgilius lib. ii. Aen.

Hi mihi nescio quod trepido male numen amicum Eripuit mentem ———

Idem Georg iii.

Heu male tunc Libyae solis erratur in aevis.

Per silvam tum saevus aper, tum pessima tigris.

Lucret. li. v.

Ut nunc saepe boves Lucae ferro male mactae, Diffugiunt

Male natus ager apud Varronem RR. libro i. cap. vi. *Male conductae aedes* apud Plautum. Sic Fronto ad M. Antoninum: *male me, Marce, praeteritae vitae meae poenitet.* hoc est, infeliciter; nam corrigi non poterat. Quare male Charisius lib ii glossam addit: ineptum esse dictu, *male poenitet.* Sic in compositis haec vocula usurpatur: *male uadus* apud Virgil. lib. vi. Prudentius Hamartigenia,

——— *Suadelis se male fabrit*

Illectam suasisse viro. ———

Infeliciter argutis & belle compositis dicit. Sic *maleconciliatu* apud Terentium & eundem Prudentium.

Ut bibat illecebrat maleconciliata Voluptas.

Malehabitus, Malemeditatus apud Plautum. *Malesublimis* Claudian. iii de Laudibus Stiliconis. Et sexcenta tanta alia. BART.

36. Emisso] Ed. Steyn. *è misso.* JOHNS.

36. Fulmine] Ovidius.

——— *Dextra libeatum fulmen ab aure*

Misit in aurigam, pariterque animaque rotisque Expulit, & saevis compescuit ignibus ignes.

Quem adspexit Nemesianus. Eadem Nonnus libro xxiii. fabellae sequentes notissimae sunt. BART.

37. Fumantemque Padum,] In illum enim praeceps fulmine adactus Clymenes filius. Nonnus. xxiii.

Ἠριδανὸν σκοπίαζε διὸς πληγέντα βελέμνῳ.

Et ad illum defletus à sororibus. Aratus inde πολυκλαύτου ἠριδανοῖο appellat.

Αἰθαλέοι ἠριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο.

vide Ovidium & μυθολόγους. BART. Ibi enim incidit Phaethon. Ovid. Lib. 2.

——— *Excipit Eridanus*

Naides Hesperiae trifidâ fumantia flammâ

Corpora dant tumulo ——— JOHNS.

37. Cycnum, Plumamque] Hanc primae editionis scripturam servare malui, quam cum Pythoeo (nisi potius typorum error est) contra prosodiae legem reponere, *cycnumque, plumamque senilem.* Quamquam nec insolens hoc in recentioris Latinitatis poëmatiis videri possit. Epigramma à Pythoeo editum: *albiplumem valeat calcare columbam.* Imo & ipsi Nemesiano id genus plurima affingunt veteres editiones, ut infra ostendam, illo versu: *& crura nutantia ponunt.* Hic tamen invitis libris nihil mutandum: modo, ut nomen proprium agnoscatur, majuscula scribatur: *Cycnum, plumamque senilem.* VLIT. Stheneli filium, in olorem conversum, dum dolet Phaëthontem amissum. Ovid. L. 2 367. BART.

37. Plumam senilem,] Canam. Ovid.

——— ——— *Canaeque capillos*

Dissimulant plumae. ——— ———

Notissimum luctu sorores Phaethontis iisse in ar-

Et flentes semper germani funere silvas.
Tantalidum casus, & sparsas sanguine mensas,
Condentemque caput visis Titana Mycenis,
Horrendasque vices generis dixêre prioris.
Colchidos iratae sacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchraeque incendia Glauces,

Non

VARIAE LECTIONES.

43. *Incendia*] Sic Pyth. *ingentia* omn. libb.

NOTAE.

bores. *Silvas* vocat arbores, ut Gratius. BART. *Cycnum plumamque senilem.* ἐν ἀλφῷ δυοῖν. Cycni plumas, albas instar capillorum senis. JOHNS.

38. SILVAS.] Heliadas, Phaëthontis sorores in arbores mutatas. Ovid. ibid. JOHNS.

39. TANTALIDUM] Pelopidarum. sparsas sanguine mensas ait, cum Pelopem filium diis lurcandum praebuit Tantalus, quem illi tamen non attigere, praeter Cererem quae humeri frustum deglutivit. Sed dii consensu Pelopem vitae restituere, humerumque illi dedere eburneum: ne scilicet tale quid eo postea pati posset. Vide Arnobium, Eusebium σεσοφισμένως. Alios. Niobe quoque cum toto suo grege liberorum *Tantalidum* nomine veniunt. vide Apollodorum lib. III. BART.

39. MENSAS, Thyesteas. JOHNS.

40. VISIS] Notissima fabula ex Tragoediis, Solem avertisse vultum cum patruus patri filium epulandum proponeret. Pleni Poëtarum omnium libri. BART.

41. HORRENDASQUE VICES] Μεταμορφώσεις intellige. An potius, *Horrendasque neces?* i. caedes, parricidia. VLIT. Tragoediae materias intelligo, ex D. Cypriano lib. II. Epist. II. *Cothurnus est Tragicus, prisca facinora carmine recensere; de parricidiis & incestis horror antiquus,* &c. VLIT. *in Add.*

41. GENERIS] Seculorum priorum. γενεῆς χαλκείης. ut Aratus γενεὴν pro seculo ponit, vel γένος, ut idem:

Οἵην χρύσειοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο
Χειροτέρην. ——

Idem:

Τόφρ' ἔφη ἐν ἔτι γαῖα γένος χρύσειον ἔφερβεν.

Alioqui quid γενεὴ, vide doctissimum Lipsium in Stoicis. BART.

42. SACRIS] Omnia horrenda *sacra* sunt appellata;

Virgil. *Auri sacra fames.*

Valerius Flaccus lib. I.

—— *Sacer effera raptat*
Corda pavor.

Idem lib. II.

—— *Sacras revomentem pectore flammas.*

Capella lib. II.

Sacra fulgura cur rutilescant.

Idem lib. VIII.

Sacrum primum fuit reverendumque silentium.

Alcimus Avitus. lib. v. de plaga Aegyptiaca.

Et sacer incubuit percussis ossibus ignis.

Valerius Flaccus lib. II.

—— *Corda sacra Veneris gemitus rapit* ——

de furore. De sacro igne Celsum vide lib. v. c. XXVIII. Sed haec alibi plenius. BART.

42. COLCHIDOS] Medeae quae Jasonem ulciscendi studio, Glaucen sive Creusam, Creontis filiam (quam in matrimonium duxerat) peplo venenis infecto donavit; quod induta, cum adjutore patre, igne correpta conflagravit. Apollod. Lib. I. Sect. 28. JOHNS.

43. MUNERA] Medaea pellici Glaucae Creontis filiae Jasoni, marito suo, nubenti, coronam misit, quam illa cum capiti imponeret, conflagravit ipsa & igne omnem regiam implevit, ita venenis infecta erat illa, cujus fabulae pleni Poëtarum libri. Quid vero illud venenum fuerit, vide Plutarchum in Alexandro. BART.

53. INCENDIA] Pythoeo restitutionem hanc debet autor noster, ante quem vulgo, *ingentia*, nullo sensu legebatur. Idem narrat Avienus periegesi:

Haec

Non crinem Nisi, non saevae pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem busta furorem.
Haec jam magnorum praecepit copia vatum,
Omnis & antiqui vulgata est fabula saecli.

Nos

VARIAE LECTIONES.

44. *Crinem*] Ita A. Steyn. & B. ex G. *crimen* P.

NOTAE.

Haec cum Pandionis tectum combureret aulae,
Attica qua pulcro tellus pinguescit Ilisso,
Proditur; inque fugam propere cum vertitur exul,
Has post in terras pinu subit Aetine.

Ita restituo obiter, quae vulgo depravatissima. Nisi quis hoc modo malit:

Haec cum Pandionis letum componeret aulae
Proditur, inque fugam propero convertitur exul:
Has post in terras pinu subit Aetine. VLIT.

43. INGENTIA] Non conjectura sed ipsa res est, quod rescribendum duxit, qui vetera Poëmatia junctim edidit.

—— *Incendia Glauces.*

Et sic Manilius lib. III. in eadem historia.

Taurorumque truces flammas, vigilemque Draconem
Et reduces annos, auroque incendia facta BART.

44. CRIMEN NISI,] Puer rescribat: *crinem*. Tamen vetus editio ita habet. Et, an Scyllam *crimen Nisi* appellavit? Ut Claudianus de Eutropio.

—— *Libyae post praelia crimen*
Condidit Eoum.

lib. I. de Laud. Stiliconis. Idem. III. Cos. Hon.

Proh crimen superum, longi proh dedecus aevi!
Barbarus Hesperias exsul possederat urbes!

Phaedrus tab. XXXIX.

Donec fortunam criminis pudeat sui.

Martialis lib. X.

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
Crimine quem fati sexta peremit hyems.

Manilius lib. IV.

—— *Viventia crimina terrae.*

Claudian II. in Ruffin.

Criminibusque tuis speras, Fortuna mederi?

Statius II. Achill

Indecores, fatorum crimina, vultus.

Idem lib. I

—— *Eunt tutis terrarum crimina velis.*

Idem I. Theb.

—— *Retinenda Deorum*
Crimina

Eleganter hoc quoque poterat. Sed omnino *crinem* scripsit Nemesianus. BART.

44. CRINEM] Ed. Steyn. *crimen*. male. JOHNS.

44 NISI,] Regis Megarae. quem prodidit Minoi sua filia Scylla, fatalemque crinem abscidit. Vid. Ovid. Lib. 8. & Apollod. JOHNS.

45. PIE FURANTEM] Horat. *Splendide mendax.* Vide Sophoclem Antigona. BART.

45. FURANTEM BUSTA] Antigonen dicit. Nam Creon post Etheoclem Thebanis rex, occisos à se mutuo fratres, alterum certe, sepultura arcebat. Furata ergo noctu Antigone cadaver sepeliit, ut potuit. BART. Sepulchra noctu pio animo fratri clam parantem. JOHNS.

45. SOROREM.] Antigonen Polynicis sororem: quae fratris corpus, contra Creontis mandata humarat, sed deprehensa viva conjecta erat in sepulchrum. Apoll. L. 6. S. 7. JOHNS.

46. PRAECEPIT] *anticipavit*, ut loquitur Ausonius. Vergilius,

—— *si lac praeceperit aestus.*

Appulejus lib. IV. *statim quasi pridem praecepit, quod incipit velle.* Hoc est, quod ait Ovidius

—— *quicquid superi voluere, peractum est*
Virgil.

—— *Littora praecipere & venientes pellere terra.*

Sic *antecipere*. Sallustius. *non sitim neque frigus neque lassitudinem operire, sed omnia luxu antecipere.* Septimius lib. II de Bello Trojano. *tempus profectionis anteciperent.* Appulejus lib. IV. eodem. Ulpianus IC. l. XX. famil Herciscund. Et *praecepto* Jure consultis veteribus genus Legati, quod *praelegatum* dicatur, cum haeredum uni prae caeteris aliquid praecipiendum datur. Vide Theophilum Institut de Legatis mentio in L. XLVIII. de Jure Fisci BART. Olim. tractavit. praeoccupavit. JOHNS.

47. ANTIQUI VULGATA EST FABULA SECLI] Virgil. Ceiri

Quod si versificum proferre volunt genus omnis
Mirificum secli, modo sit tibi velle libido. BART.

48. PLA-

Nos saltus, viridesque plagas, camposque patentes
Scrutamur, totisque citi discurrimus arvis:
Et varias cupimus facili cane sumere praedas.
Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audacesque lupos, vulpem captare dolosam

Gau-

NOTAE.

48. PLAGAS,] Tractus. regiones. JOHNS.

49. CITI DISCURRIMUS] v. 2. *Discursusque citos. Scrutamur* dixit ut Maro.

——— ——— Volucres quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Rimari situm ruris Sidonius lib. II. ep. II.

Juga rimari canibus Getula videbar.

Claudianus bello Gildonico. *Rimari naturam Soli.* Silius lib. VIII. *profunda rimari.* Alcimus Avitus lib. II. Quae omnes ejusdem generis phrases sunt, quujus heic *scrutari campos.* BART.

50. FACILI CANE] quasi celerem dicas. Virgil. lib. VIII.

Miratur, facilesque oculos fert omnia circum,
Aeneas.

Propertius lib. II. Eclog. I.

Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur faciles ut premat arte manus. BART.

Morigero. JOHNS.

50. SUMERE] *sumere* est capere. Appulejus libro II. *Nam cum quemdam conspexerit speciosae formae juvenem, venustate eius sumitur, & illico in eum & oculum & animum detorquet.* Ita Lucretius. BART.

50. SUMERE PRAEDAS] Vere, nec poëtice tantum. Nam & Philosophus lib. I. Polit. cap. VIII. venationem praedatoriam agnoscit, & latius eam exequitur in Sophista divinus Plato. Unde sensum pariter & stabilimentum capiet antiqua scriptura apud Manilium lib. IV. de sub Leone natis:

Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum
Apparat, & pecorum spoliis, vivitque rapinis.
Hoc habet, hoc studium; postes ornare superbos
Pellibus, & captas domibus praefigere praedas,
Et pacare metu silvas, & vivere raptu.

Perperam Gemblacensis: *& vivere victu.* Expressit enim Maronis illa Aeneid. VII.

Horrida praecipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, semperque recentes
Convectare juvat praedas, & vivere rapto.

Quorum postrema totidem apicibus Aeneid. IX. repetuntur. Praedatoria autem haec venatio fere antiquissima est, & ad rude illud aevum referenda, quo *nuda silvas virtute movebant Inconsulti homines.* cumque venantibus non aliud adhuc propositum esset, quam *feras interficere, & ditescere praeda*, ut accurate ostendit Lucretius lib. V. Unde forsan *equos ad praedam*, pro ad venationem, idoneos vocavit Varro de R. R. lib. I. cap. VII. *Neque eodem modo parantur ad ephippium, ut ad praedam.* Nisi scripsisse illum suspicemur: *ut ad rhedam.* Et paulo ante quoque: *alii ad cursuram, alii ad rhedam.* Cum & ibi ultimi recenseantur, & hic ephippiatis merito & ex ordine opponantur *qui trito ducunt epirhedia collo Segnipedes.* ut Juvenalis quoque distinguit Sat. VIII. Cujus generis & ille, *qui molli trahit esseda collo* apud Maronem Georg. III. & Silium. VLIT. Hinc & ipse Jupiter *Ληΐτωρ, praedator*, qui à venantibus *in praedae partem* vocabatur, ut observat Servius ad illa Aeneid. III. *ipsumque vocamus In praedam partemque Jovem.* Hinc tot olim, *Viventes rapto populos*, Silio lib. II.

Qui nisi de raptu vivere turpe putant.

Nasoni V. Trist. X. *quosque vis raptaque pascunt*, ut lib. IV. de Susanatibus idem Silius, & passim apud alios celebrari non mirum, cum Diis autoribus id facere fas sibi crederent. Xenophon alter in fine Cynegetici venatorem suum monet, *καθάπερ ἐπ' ἄλλῳ τῳ ἔργῳ, ὅπως δὲ καὶ ἐπὶ θήρᾳ ἄρχεσθαί τι ἀπὸ θεῶν*, & inter alia *χαριστήρια, καὶ ἀπαρχὰς τῶν ἁλισκομένων ἀνατιθέναι, praedarum praelibamenta offerenda.* VLIT. *in Add.*

51. TIMIDOS LEPORES,] Hoc perpetuum leporum epitheton. Calpurnius. *Leporem paventem.* Unde in fabula Aphthonii sibi vitam non abjiciendam ajunt ranis adhuc se timidioribus inventis. *Λελύσθω, ἔφη στενάζοντες λαγωοί, τοῦ θανάτου ἡ ψῆφος, πιστεύετε γὰρ ἡμῶν ἀνανδροτέροις.*

51. IMBELLES DAMAS,] Damas felle carere scribit Arist. *χολὴν δὲ τῶν ζώων τὰ μὲν ἔχει, τὰ δ' οὐκ ἔχει ἐπὶ τῷ ἥπατι. τῶν μὲν ζωοτόκων καὶ τετραπόδων, ἔλαφος οὐκ ἔχει, οὐδ' ἡ πρόξ.* Histor. lib. II. c. XV. An verum sit aliorum esto disquirere *timidorum* epitheto insignit eas certe Virgilius. BART.

52. VULPEM DOLOSAM] *Πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.* Unde dolosos homines sapientes an-

Gaudemus. nos flumineas errare per umbras
Malumus, & placidis Ichneumona quaerere ripis
Inter arundineas segetes, felemque minacem

Ar-

VARIAE LECTIONES.

54. *Placidis*] *Placitis* B.

NOTAE.

antiquissimi *vulpium* nominibus denotant. Et *vulpes* homines πολύτροποι. Persius.

Astutam vapido servat sub pectore vulpem.

Boëthius de Consol. Philos. li. IV. ca. III. *insidiator occultis surrepsisse fraudibus gaudet? vulpeculae exaequetur.* Claudianus de Eutropio callidissimo Eunucho.

—— *Vetulam texere palatia vulpem.*

Idem II. Ruffin.

Praedonesque lupis, fallaces vulpibus addit.

Sic Vlysses vetustissimus *vulpes* dicitur à Sophocle Ajace Mastigophoro. Minerva rogat.

Εἶεν. τί γὰρ δὴ παῖς ὁ τοῦ Λαερτίου;

Ajax respondet.

Ἦ τοὐπίτριπτον κίναδος ἐξήρου μ᾽ ὅπου;

Epictetus libro I. Dissertationum cap. III. λύκοι ὅμοιοι, γινόμεθα ἄπιστοι καὶ ἐπίβουλοι καὶ βλαβεροί. οἱ δὲ λέουσιν, ἄγριοι καὶ θηριώδεις καὶ ἀνήμεροι. οἱ πλείους δὲ ἡμῶν ἀλώπεκες. Scilicet quia maxima pars hominum ingenio doloso. Sic Dominus ipse, adorandum nomen JESUS, Lucae XIII. προσῆλθόν τινες Φαρισαῖοι λέγοντες αὐτῷ, ἔξελθε καὶ πορεύου ἐντεῦθεν· ὅτι Ἡρώδης θέλει σε ἀποκτεῖναι. καὶ εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ. ἰδοὺ ἐκβάλλω δαιμόνια, &c. *Vulpinari* hinc usurpatur pro dolis vulpinis contendere. Appulejus lib. III. *an* inquit, *vulpinaris, amasio, meque sponte asciam meis illidere cruribus compellis?* Ut ἀλωπεκίζειν apud Graecos. Aristophanes Vespis.

Οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν οὐδ᾽ ἀμφοτέροισι γίγνεσθαι φίλον.

Vulpinari etiam apud Varronem pro gradu intorto ire recte accepit Nonius, quod qui vitilitigant, oppido imperite agunt. Nam & doctissimus Hesychius quoddam saltationis genus memorat ἀλώπηξ usurpatum. Locus Varronis fuit Mysteriis. BART.

54. PLACIDIS] Scribendum, *placitis.* delectari enim Ichneumonem aquis. testimonio est ejus cognomen ἔνυδρος quod Isidorus asserit memoriae l. XII. c. II. Quod vel ideo maxime notandum, ut Herodoti Melpomene interpres castigetur, qui eo vocabulo *lutram* accepit, Ichneumonem debens, quem Aegyptios divino honore dignatos notissimum puto. Caeterum hinc disci potest quam multa, quamque bella, & ab aliis Poëtis prorsus intacta Nemesianus scripserit, ut non injuria & ipse in principio libelli hujus sit gloriatus, intactam aliis viam se ingredi, nosque doleamus tantam jacturam BART.

54. ICHNEUMONA] De mure, (vel cato potius,) ut hodie vocant, hoc judico Aristoteles in historia, Plinius lib. VIII. Pisides Cosmurgia, Philes jambis. Omnium elegantissime divinus Poëta Oppianus. III. Kyneg Nicander Theriacis. Diodor Siculus. lib. I Orus Apollo Hieroglyphicis, alii, quos nominare longum. BART. Idem, qui mus Pharaonis. Plinius inter feles recenset. Crocodilo animal infensissimum; quod ore admissum crocodilum necat. Vid. Salmas. Plin. Excre. JOHNS.

54. PLACIDIS RIPIS] Quibus arceentur, qui lites amant, avidosque tumultus, civilesque strepitus, bellique fragores, ut ipse edicit infra Aurelius. Et paulo abhinc ita Dianam invocat, *quae saltus placidos silvasque pererras.* Frustra itaque Barthius *placitas* ripas Ichneumoni addicit. VLIT.

55. SEGETES,] Καλαχεγετικῶς. quia crescunt more segetis. JOHNS.

55. FELEM MINACEM] Revera in tantillo corpore plenius animi & minarum nullum animal reperiri arbitror, addo & virium, quam felem feram. Vidi unam trium hominum verberibus resistentem, fustibus ictam robustissimis, omnes illos convulnerasse, & citra eorum omnium voluntatem tamen evasisse. Vidi aliam sclopeti ictu mediam disjectam in saltum evasisse, nec potuisse vel vi vel astutia rursum in conspectum produci, etsi manifesta forent indicia & salvam illam manere, & quotidie cavo egredi. BART.

Arboris in trunco longis praefigere telis,
Implicitumque sinu spinosi corporis Erem

Fer-

NOTAE.

56. Praefigere] A longe figere. Virgil. lib. ix.
——— *Simul ora virum praefixa videbant*
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo. BART.
Quid sibi vult illud *prae* nescio. malo *perfigere.* difficulter enim, nec nisi graviter vulnerati pereunt. JOHNS.

57. Implicitumque] Suo ipsius sinu involutum. JOHNS.

57. Sinu] Sinu spinosi corporis implicitum, *sinus* enim quaevis convolutio, vel concamerata figura, ut *sinus falcis* à Columella dicitur lib. iv. c. xxv. Et *sinus* in mari apud Geographos. Propertius iv.
Quae sinus Joniae murmura condit aquae.
Sinus vestis, Idem lib. i. Ecl. ii.
Et tenues Coa veste movere sinus.
Sinus fundi apud Catullum. *Sinus veli* Tibull. lib. i. Elegia iii
Extremi sinus orbis.
Virgilio l. ii Georg. Et sexcenta alia tanta talia Quod si mavis *sinu* pro gremio capere, non reluctabimur. BART.

57. Erem] Notandum *Erem* pro erinaceo aut erico usurpasse Nemesianum Cujus quidem jam non subit exemplum. *Haericem* quidem apud Ambrosium in Hexaëmero legi, quasi ab haerendo dicas, pro eodem hoc animali, & quis scit an non & *Haerem* hic reponendum habeamus? Nam veteres libri, ut nostra quoque illa Longobardica Editio nullam omnino litteram diphthongum agnoscit, neque adeo adspirativam illam in totis Calpurnio, & Nemesiano nostro repraesentat. Is liber annum non habet adscriptum, nec locum ubi promulgatus est. Saltim in fine adscriptum typo, Andream Lotter architectum esse. Quem hominem Lipsiae in terra Misnia Germaniae habitasse conjicio, ex aliis libris eodem charactere ab eo excusis, qui penes me sunt. BART. Ita antiqui vocabant, quem postea *ericium*, & *erinaceum*; sive cum aspiratione *hericium*, & *herinaceum*. Quomodo & *herem* olim dixerunt à χὴρ, χῆρος, ut recte docuit omni laude major Salmasius. Sed vox nusquam pene, quod sciam, integra extat. Restituit eam ὁ θεῖος Plauto Captivis Act. i. *modo venare leporem, nunc erem tenes.* Quo loco MSS. codd. *irim* & *hirim* fere habent, quasi *herim* scripserit. Quam vocem iidem codd. expressam habent Menaechmis Act. iii. Sc. ii. *cui ego aeque ac heris haeream.* Ubi inepte vulgo: *ac haeres.* Sed Peniculus ibi Menaechmo sua verba reddit, qui paulo ante ita secum felicitatis suae rationem duxerat:
Prandi, potavi, scortum accubui, abstuli
Hanc: qualis heris nunquam erit post hanc diem.
Quo loco etiam male habita & accepta haec vox est. Praeivit mihi ad hanc lectionem antiqua scriptura: *quo ius heres.* Unde editoribus aeque proclive fuit effingere, *cujus haeres*, vel *heres*; ac mihi veram lectionem elicere, *qualis heres* vel *heris.* Adludebat Menaechmus ad herinaceorum morem, qui postquam ad satiem repleti sunt, *volutatis supra jacentia poma* (ut ait Plinius lib. viii. cap. xxxvii.) *unum amplius tenentes ore, portant in cavas arbores.* Uti nos hodieque erinaceis assimilamus avaros illos, qui postquam opipare conviviati sunt, reliquiis mensarum onusti insuper recedunt Ita nec contentus Menaechmus prandisse, potasse, scortum accubuisse, nisi pallam item auferret, erinaceo se onustiorem discessisse gloriatur. Cui postmodo iterum suis ipsi verbis respondet Peniculus, ut leg. conjicio:
Occisu's heres: non ego te indutum foras
Exire vidi palla?
Conspectus enim, ut erat palla uxoris suae involutatus, Menaechmus haud melioris sortis fuit, quam cum
Κώμαυλος τ᾽ ἐχῖνον ἰδὼν ἐπὶ νῶτα φέροντα
Ῥάγας, ἀπέκτεινεν τῷ δ᾽ ἐνὶ θηλοπίδῳ.
Quod ex epigrammate aliquo citat Suidas in ἐχῖνος. Altero quoque loco, ut jam coepi dicere, suis Menaechmo verbis respondet Peniculus: *cui ego aeque ac heris haeream.* Prandio scilicet, aeque ac heris praedae suae haeret. Nisi potius ita distinguatur:
Cur ausu's facere? cui ego aeque ac heris haeream.
Ut minantis haec sint. Cui (nempe tibi, qui ausus es me absenti funus facere prandio) ego aeque durus ac asper jam sim ac heris. Itaque allusum ad Graecorum dictum: πρὶν ἢ δύο ἐχῖνοι εἰς φιλίαν ἔλθοιεν. Vel ad illud potius: ἐχίνου τραχύτερος. Quod melius in asperos, quam in morosos, ut Erasmo visum, quadrat. Aristophanes Pace:
Οὐδέ ποτ᾽ ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.
Quo & Varro respexit Sexagesi: *Se circumspexisse*
at-

Ferre domum: talique placet dare lintea curae;
Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
Litoribus, tutosque sinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela notis, portusque fideles,
Linquit, & Hadriacas audet tentare procellas.

Mox

VARIAE LECTIONES.

62. *Tentare*] *Tranare* G.

NOTAE.

atque invenisse, quum dormire coepisset tam glaber quam Socrates, alvum esse factum ericium è pilis albis cum proboscide. Ita scripsisse Varronem credo. Vel ita: *alvum esse factam ericiam.* Augent fidem ea, quae ex eadem Sexagesi citat Nonius alibi, illis prioribus ita subjicienda:

O stulta nostri pectoris dormitio
Vigilabilis, quae me puellur. imbuberem
Cepisti.

Nam puellus iste queritur una nocte pectinem pullulantem sibi *albis* (f. *altis*) *pilis*, & *τὰ αἰδοῖα* proboscidis in modum crevisse. Sed nequis Cato nos in diverticulis hisce deprehendat, in viam redeamus. VLIT. Adde, Plautum videri allusisse, ad *asperam coenam*, cum in Captivis parasito dicit, *nunc erem tenet.* Horatius Epod. v.

Horrens capillis, ut marinus, asperis
Echinus, aut currens aper.

De puero apud Varronem una nocte pubescente, adde Martialem lib. IV. Epigr. VII.

O nox quam longa es quae facis una senem.

Vide reliqua. Plinius lib. VII. cap. II. *In Albania gigni quosdam à pueritia statim canos*, refert. Et c. IV. de Androgyno, *nupsisse etiam; mox barbam & virilitatem provenisse.* Memini me puerum puellam trimam vidisse barbatam, totoque fere corpore, consuetis praesertim locis, pilis fere incanis, obsitam. Porro, quod *Vigilabilis* restitui Varroni, exemplum habet in *volabilis*, quo idem utitur in Meleagro. VLIT. *in Add.* Erinaceum. *Hedge-hog.* JOHNS.

58. DARE LINTEA] Vela immittere. Virgil. Aeneid. III.

——— *Certum est dare lintea retro.*

Lintea enim Poëtis vela sunt. Propertius lib. III.

Jungiteque extremo felicia lintea malo,
Nam liquidum nautis aura secundat iter.

Poëmata vero cum navium cursu comparari, alibi plurimis à nobis exemplis demonstratum est. BART.

59. DUM NON MAGNA RATIS] Similis comparatio à navi non ausa primitus ponto se credere apud Papinium VI. Thebaide, Claudianum praefatione librorum de Raptu, Ovidium. BART.

59. DUM] *Cum* malo. quandoquidem nunc primum mea tenuis musa, olim rebus levioribus exercita, majorem audet aggredi materiam. JOHNS.

59. NON MAGNA] Parva. JOHNS.

59. VICINIS LITTORIBUS,] Claudianus.

Tranquillis primum trepidus se credidit undis;
Littora securo tramite summa loquens. BART.

59. VICINIS SUETA MOVERI LITORIBUS,] Si Eclogas illas, quae sub ejus nomine prostant, aut alias ullas scripsit Nemesianus, de illis hic illum loqui censeam. Sed, ut dixi, non meminisse illarum Vopiscum, argumento est nullas ab autore nostro scriptas esse. Meminit ille ἁλιευτικῶν, meminit & ναυτικῶν. Quae ipsa hic potius intelligi debere, expressissima verba innuunt. Nisi quis allegorice ea accipienda esse ex sequentibus colligat. VLIT.

59. VICINIS] Adeoque notis, & minus periculosis. JOHNS.

60. PERCURRERE] *Currere mare* usurpat Virgilius, pro navigare.

——— *Vastumque cava trabe currimus aequor.*

Et eleganter admodum *currus* ipsi pro navibus ponuntur, ut notarunt viri doctissimi, Turnebus, Muretus lib. I. Var. cap. XI. Falcoburgius ad Nonnum, Rittershusius ad Oppianum. Cario ad Valerium Flaccum, Gifanius Lucretium, Meursius Lycophronem. BART.

61. NOTIS,] Ventis turbidioribus. argumento grandiori. JOHNS.

61. PORTUS FIDELES,] *Statio malefida* contra Aeneid. II. *tuti.* Sic *lorica fidelis* apud eumdem lib. IX. BART.

62. HADRIACAS] Acerrimas, quales Hadriatico oriuntur mari. Non possum non culpare

Mox vestros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, divi fortissima pignora Cari,

At-

NOTAE.

Nemesianum, qui tam enormia de re tenui. JOHNS

62. TENTARE] Meus liber, *tranare*. Sed censemus nihil esse mutandum. Claudianus.

Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et lent caepit pandere vela Noto.

63. MELIORE] Vetus liber, *majore*. Quod correctores cur mutarent, caussam non habebant: Statius:

Tempus erit cum laurigero tua fortior oestro
Facta canam. ———

Et *magnus* alioqui pro spectatissimo atque optimo. Plinius lib. II. *viri ingentes supraque mortalium naturam tantorum numinum lege deprehensa.* BART.

64. DIVI CARI,] Honorem defunctorum viventi Principi dat; *divum* vocans. Sed qui inferius paullo plane *Deum* appellet, hoc suo jure fecerit. Sed *divum* ideo vocat Carum, quod Imperium jam in fratres filios diviserat, ipse expeditionem obiens in Orientem. Quare filiis administrantibus Imperium jam quasi divum numero accesserat Carus. *Sic fraterno numine edomitas gentes* mox dicet. Clarum igitur quo tempore haec scripserit Nemesianus. BART. Quanquam vivo adhuc Caro κυνηγετικὰ haec condidisse Nemesianum verisimile sit, non tamen absolvisse nisi post mortem ejus, & filiis in Imperium succedentibus dedicasse, ipsa verba fidem faciunt. Cur autem vivo Caro scripta esse existimem, hisce potissimum argumentis inducor. Primum, quod ab excessu Cari usque ad Numeriani necem, minus temporis interfuerit, quam ut id condendo alicui operi pulvinaris digno sufficere potuerit. Tum etiam quia Vopiscus refert Numerianum contendisse cum Nemesiano, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ & ναυτικὰ scripsit. Si enim κυνηγετικὰ Nemesiani vidit Numerianus, necessario sequitur ut illa antequam ipse cum patre Caro ad bellum Parthicum proficisceretur, & nondum, uti jam sunt, sibi dedicata viderit. Mortuo jam Caro Numerianus Nemesianum videre non potuit, adeoque nec dedicationem hanc legere, quippe in reditu ex Oriente extinctus. Posterius tamen hoc levi manu everti potest. Non enim cum Nemesiano in scribendis κυνηγετικοῖς contendisse Numerianum, sed cum eo Nemesiano, quem ipse sciebat κυνηγετικὰ scripsisse, refert Vopiscus. Videtur itaque Aurelius noster, simulac ad Persicam expeditionem se contulisset cum Numeriano Carus, discessum domini sui ut solaretur, rus, vel forte ipsam patriam suam Carthaginem secessisse, atque ibi κυνηγετικὰ haec scribere coepisse. Quod mox plenius astruam. Accepto de morte Cari nuntio, cui inscribere illa forsan proposuerat; mutato proposito, ut novum apud novos dominos favorem sibi conciliaret, illico his eà quâ videmus adulatione inscripsit: facta infectaque, utcumque fama è longinquo acceperat, laudibus eorum subscribens, vel affingens. Quin etiam Romam redire decrevit, ut ipsis triumphantibus & Imperatoribus solemniter declarandis haec simul cum nova devotione offerret. Pervenisse tamen & obtulisse credibile non est. Quin potius inabsoluto, uti extat, κυνηγετικῷ opere in mediis turbis, vel forte etiam inter reliquos Cari vel Carini domesticos periisse putaverim, antequam Diocletianus quieti suae restituerit imperium. Haec conjicere quidem licet, non asserere. Caeterum quod vivo Caro haec scripsisse & filiis ejus dedicasse asserat interpres, quam verisimile sit, operae pretium est excutere. *Divum*, inquit, ideo vocat Carum, quod imperium jam in fratres filios diviserat, ipse expeditionem obiens in Orientem. Quare filiis administrantibus imperium jam quasi divum numero accesserat Carus. Quae ridicula plane, & ἀνιστόρητα sunt. Citat tamen Vopiscum, citat & Aurelium Victorem Schotti quasi ex illis haec tradat. Fefellisse illum videtur quod uterque refert, Carum *liberis Caesaribus nuncupatis ubi primum accepit imperium* ad bellum Persicum properasse. Idque amplius, quod Carino *Gallicanum imperium* cessisse, *& habuisse in animo Carum, ut Carino Caesareum abrogaret imperium*, ex Onesimo tradat Vopiscus. Isthaec enim, si tamen vel somnians legit Barthius, eo traxit, ut Carino imperium jam cessum pro parte, altera parte Numeriano relicta, atque adeo veluti privatum Carum filiis suis non sibi bellum Persicum obiisse, ariolatus sit. Ideoque mox subdere Aurelium, *edomitas fraterno numine gentes.* Primum hoc errat, quod Caesarem

&

Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
Litus, & edomitas fraterno numine gentes,

Quae

NOTAE.

& Imperatorem esse, & Gallicanum vel Caesareum imperium à Romano, absolute κατ' ἐξοχὴν Imperio dicto, non distinxerit. Secundum παρόραμα, quod Numerianum quoque aeque ac Carinum imperium administrare dixerit, oblitus & nescius ejus, quod ipse ex Vopisco refert, Carino Galliis praefecto, Numerianum cum ipso Caro in Orientem profectum. Tertium, quod si filiis suis, simulac expeditionem in Orientem susceperat, cessisset imperium Carus, nunquam ipse Imperator fuisset, quia cum ipso imperio eam susceperit. Verba Vopisci de Caro: *ubi primum accepit imperium, consensu omnium militum bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus est.* Idem paullo post, *Imperatoris Persici nomen meruisse* eo bello tradit Carum, quod ille sibi nequicquam assumpsisset, si penes filios ejus jam summa imperii stetisset. Unde patet primo quam ridicula illa argumentatio Interpretis, tum quam stupenda in ipsis quae legisse se ostentat supinitas ejus, & ἀναισχυντία sit. Tolerabilior fuisset, si primae conjecturae, honorem scilicet defunctorum viventi Caro datum, propius institisset; aut Calpurnii sui (ita vocat) Ecl. I. attentius considerasset, ubi Carum jam primum Imp. factum (non autem filios ejus, ut Barthius, aut alterutrum, ut ὁ πάνυ Casaubonus ariolantur) aliquoties Deum vocat: *Dum populos Deus ipse reget.* & deinde: *afflictum melior Deus auferet aevum.* Aliquoties etiam Ecl. IV. Et Deos insuper vocat Carum & filios ejus Ecl. VII. Sed & Aurelius noster statim abhinc: *Paene prior genitore Deo.* Caro scilicet, qui hane appellationem ambiisse aut saltem amasse videtur. Unde & nummi ejus, ut Viri docti testantur inscripti: ΘΕΩ ΚΑΡΩ. Alius: DEO ET DOMINO CARO AUG Item alius, quem citat Casaubonus: DIVO CARO PARTHICO. Qui tamen an vivo Caro cusus sit, magnopere addubitem. Aut sit sane. Nam ne sic quidem Divum Carum pro vivo accipere hic licet apud Aurelium. Obstat, quod non tantum filiis ejus, sed maxime etiam domino suo nominatim victoriam illam Parthicam, cui soli debebatur adscripsisset ipsius Cari, ut ex Calpurnio ostendimus, domesticus pene cliens Aurelius. Obstat etiam, quod cum Numerianum

Ultum Romulei violata cacumina regni

dicat, hauddubie mortem Cari ab ipso veluti expiatam intelligat, quasi post patrem aliquid in Persas ultra, & *intima Persidos* tentaverit Numerianus. De quo suo loco latius. VLIT. Defuncti & inter Deos relati. JOHNS.

64. PIGNORA] Carinus & Numerianus. JOHNS.

65. NOSTRUM] Jam nostrum. bello partum & nobis subditum. JOHNS.

65. GEMINIS SUB FINIBUS ORBIS] Imperii extensionem ad utrumque orbis latus dicit. Calpurnius de iisdem principibus Ecloga I.

Scilicet ipse Deus Romanae pondera molis
Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,
Ut neque tralati sonitu fragor intonet orbis,
Nec prius ex meritis defunctos Roma penates
Censeat, occasus nisi cum respexerit ortus.

Quae quomodo capienda sint, vide in nostris ad eum Poetam Animadversionibus. Et sane verissimum est magnam spem fuisse & Cari expeditionis & coeptorum Numeriani, insignis spei principis. BART.

66. LITUS,] Utriusque Oceani littora ait in potestatem Romanorum futura, quod mox declarat nominibus fluviorum utriusque climatis. BART.

66. EDOMITAS] Prorsus quasi eradicatas ex suis imperiis. *Edomare* sustollere exponit Schol. Horat. lib. IV. Carm. V. BART.

66. FRATERNO NUMINE] Quasi Dii in gratiam filiorum patri indulserint victorias illas ficticias. Sic Horatius lib. IV. Carm. XIV.

Ut Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu:
Primosque & extremos metendo,
Stravit humi sine clade victor,
Te copias, te consilium, & tuos
Praebente Divos.

Sic Claud. & Sidon. Apollin. ut ad illum notavimus. BART. Quasi Dii in gratiam filiorum patri indulserint victorias, ait Interpres. Ita nugae nugas ducunt. Numen hic non Diis fratrum victoriae faventibus, sed ipsis fratribus attribuitur ab auctore nostro, quos mox vocat *bona numina terrae*; ut *numen Caesareum* de Caro dixit Calpurnius Ecl. IV. Idem Ecloga VII. primi quoque Bucolici:

 Nunc

Quae Rhenum Tigrimque bibunt, Ararisque remotum
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.
Nec taceam primum quae nuper bella sub arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipso

Pae-

NOTAE.

Nunc tibi si propius venerandum cernere numen
Sors dedit, & praesens vultumque habitumque notasti,
Dicage, dic Corydon, quae sit modo forma Deorum.

Intelligit enim proculdubio non tantum Carum, sed & hos ipsos filios ejus, Carinum, & Numerianum, qui simul cum patre spectaculis praefuerunt. De iis ipsis verba sunt Vopisci: *Memorabile maxime Cari, & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt.* Uti bene illa ex MS. codice restituit ὁ πάνυ Salmasius. VLIT. Cum Dii terrarum essent Imperatores, *numen* illis adscriptum non miror. Nihil frequentius Imp. Justiniano nostro, qui saepe *nostrum numen* ponit, ut bis in pr. L. 5. C. *de rec. arbitris.* Et L. 2. C. *de Emphyt.* Unde in L. 16. C. *de Judiciis: Imperiale numen*, restituendum. Idque exemplo Zenonis, L. 3. in pr. & §. ult. C. *ubi Senatores vel Clariss. numen* quoque sibi attribuentis. Hinc L. 2. C. *de Fabric. Adoranda Aeternitas Imperatoris.* Et *Caeleste oraculum*, pro rescripto Principis L. 5. C. *de Jurisdict. omn. Judd.* Et *Divina domus*, & *sacra beneficia* L. un. C. *ubi Militantes.* Et tit. sequens, *Ubi causae fiscales vel Divina domus*; id est, Imperatoriae. *Divina praecepta*, pro mandatis Imp. L. 3. §. 3. C. *de summa Trinit.* & *nostra Divinitas* ibid. §. 4. Quo forsan pertinet, quod Suidas in Τριβωνιανός refert Justinianum ab eo persuasum fuisse, ὅτι οὐκ ἀποθανεῖται, ἀλλ' εἰς τοὺς οὐρανοὺς μετὰ σαρκὸς ἀναληφθήσεται. Ammianus hinc defendendus lib. XXVIII. *ut obsecrata ritu sacrorum solemnium Numina erga se Imperatoris deliniret.* Ita lego: puta Amantius. Et confirmatur hinc emendatio mea in Chronico Alexandrino, μετὰ τὸν θεῖον Κᾶρον. Sic enim θεία κέλευσις in Basilicis saepe, quae *divina jussio*, in pr. L. ult. C. *de sport.* & L. XII. §. 3. C. *de Judiciis*, ubi & *divina aditio* dicitur. VLIT. *in Add.* Carino & Nemesiano, fratribus. Cui Historiam & gesta Carini & Nemesiani perlegere lubet, adeat Vopiscum, Eutropium, Victorem. JOHNS.

67. Bibunt,] Ex illo Maronis.
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.
ubi vide Criticos. BART.

68. Bibunt] Plane inficeta geminatio hujus est verbi, nec tamen aliquid consilii aut opis in libro antiquitus excuso. Sed in talibus Poëtis saepius obturandae sunt aures Poëticae. BART. Ubi, Nemesiane, est illa tua vis poëtica? ubi ille Deus, qui in exordio tanta tibi indulsit? nimirum abiere nisi malus te laesit librarius. at certe laesit; neque enim tam frigidas amas repetitiones. repone itaque vel, *colunt*, vel *vident.* aut quodcunque tibi, Lector, melius occurrerit, JOHNS.

68. Ab origine] Quia ignota Nili origo, remotissimas gentes ea describebant. Lucanus lib. I.
Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo.
Claudianus in Olybrium.
—— Calido si quis conjunctus in axe
Nascentem te, Nile, bibit. BART.

69. Primum] Quae nuper primum confeceris. Carinum à Patre praefectum Galliarum imperio, cum Numerianum secum duceret in Orientem, auctor Vopiscus. Vide & Aur. Victorem Schotti. Hoc innuit *sub arcto* agens Nemesianus noster. BART.

69. Quae nuper bella sub arcto] Scimus ex Vopisco, Carinum à patre ad Persicam expeditionem accincto *decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis, ac Britanniis & Africa, Caesarianum tenuisse imperium.* Victor autem Scotti *ad munimentum Galliae missum* simpliciter dicit; uti & Vopiscus antea *Carinum ad Gallias tuendas* destinatum dixerat. Quo tamen successu egerit, quasve victorias obtinuerit, ab iis quos ad manum habeo Historicis non traditur. Fortasse & ipse Nemesianus magis ex adulatione & Poëtica fingendi quidlibet licentia, quam comperto, aut etiam rumore aliquo accepta, haec cecinit. VLIT.

70. Confeceris,] Sane, etsi, hoc verum non est, strenuum tamen militia Carinum fuisse ex iis quae post patris obitum manu egit, satis apparet. vide Victorem. Sed exercitum fortissimum potius illa egisse quam vecordem Imperatorem crediderim. Lege Eutropium libro nono Breviarii Historici. BART.

71. Pae-

Paene prior genitore deo: utque intima frater
Persidos, & veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina regni.

Im-

NOTAE.

71. PAENE PRIOR GENITORE DEO:] Hujus quoque, an prior bellum Gallicum Catinus, quam Persicum pater ejus confecerit, fides penes autorem sit, ut maxime ambigua. Nam nec Persicum quidem confectum ab ipso Caro fuisse, satis certo traditur, quamvis PARTHICUS in nummo vocetur, & *Persici Imperatoris nomen meruerit*, autore Vopisco. Idem quippe addit, quasi debellati nondum essent, *Licet plane ac liceat per sacratissimum Caesarem Maximianum Persas vincere.* Utcumque id se habuerit, pro confecto aestimatum fuit, postquam ipsos Persas *praelio fudisset*, ut verba sunt Eutropii, quae ita vertit Paeanius: καὶ ἐχειρώσατο αὐτοὺς πολέμῳ συμπλακείς. quasi plane debellasset. quod & ipsi Numeriano tribuit Aurelius, cum subdit. *Intima* &c. VLIT. Caro. JOHNS.

71. DEO: Elisionem *ē o* neglexit, quod indicium non infeliciter à nobis restituta esse aliqua hujus generis in Eclogis hujus Poetae, & ad Calpurnium. Vide ad hujus carmen quintum quae notavimus. BART.

71. INTIMA] Progressi erant ultra fatalem Romanis terminum Ctesiphontem Carus, atque Numerianus, eamque Victor Schotti causam fulminati senioris principis affert. Nec dubito haec scribente Nemesiano famam praeliorum fortunatorum magnam fuisse. Nam patre occiso Numerianus tamquam patrato bello administrare coepit omnia; & Carus jam habebat titulum Persici. BART.

71. INTIMA FRATER PERSIDOS, &c.] Aurelius Victor: *At Numerianus, amisso patre, simul confectum aestimans bellum, cum exercitum reducta ret, Apri praefecti praetorio sceleri insidiis exstinguitur.* Videtur itaque & post mortem patris aliquid in Persas tentasse ipse Numerianus, quo *Romulei violata cacumina regni* ulcisceretur. Vel si ab ipso Caro jam confectum bellum fuerat, ut alii tradunt, & vulgata quoque apud Victorem distinctio prae se fert, non est quod Poëtae nostri figmentum historicae veritati opponamus. Ipsi enim Numeriano hic rerum à patre bene gestarum, quia aderat saltem, & quidem συνεχειρώσατο αὐτῷ, ut Paeanius loquitur, laudem attribuit. Quo certius constat mortuo Caro haec cecinisse, quae vivo illo non licuisset citra laesae majestatis crimen, & certissimam manifestae obtrectationis poenam. Quod autem *intima Persidos* à Numeriano occupata dicat, id ne ab ipso quidem Caro factum, si Persidos proprie dictae intelligas. Nam vel intra Mesopotamiae fines victoria illa stetit. Persida itaque posuit pro universo Persico imperio, ut Ammianus eam describit lib. XXIII. *Sunt autem in omni Perside hae regiones maximae: Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania maior, Hyrcania*, & infinitae aliae. Adeo ut ita quoque vix primos limites ejus attigisse possint videri Carus & Numerianus, qui Mesopotamiam vixdum egressi erant. Aurelius Victor: *Igitur Carus* [ ] *Numeriani comitatu in Mesopotamiam pergit protinus, quod ea Persarum quasi solemni bello subest. Ubi fusis hostibus, dum gloriae inconsulte avidior, Ctesiphonta urbem Parthiae inclytam transgreditur, fulminis tactu conflagravit.* VLIT. Haec praeconia, quae Carino attribuit Nemesianus, falso afficta censet Vlitius, & patris gesta filio assignari ab adulante Poëtâ. JOHNS.

71. FRATER] Numerianum non potest eloqui versu. BART.

72. BABYLONOS] Mesopotamiam Persis eripuit Carus. vide Sextum Victorem Schotti. Seleuciam cepit Carus. *Babylonos arces* ipsam urbem significant. Nam alioqui tota Assyria *Babylon* nuncupatur. vide Martianum Capellam lib. VI. BART.

72. BABYLONOS CEPERIT ARCES,] Ammianus paulopost: *Splendissimae vero in omni Assyria urbes & pervulgatae hae sunt tres: Babylon cujus moenia bitumine Semiramis struxit; arcem enim antiquissimus rex condidit Belus. & Ctesiphon, quam, Vardanes priscis temporibus instituit, posteaque rex Pacorus Graeco indito nomine Persidis effecit specimen summum.* Merito itaque *veteres arces Babylonos*, & haec *Persidos intima* vocavit noster, sive ipsius tantum Babylonos, sive Babyloniae arces universim intelligat. Nam & Cochen arcem, Ctesiphontis arci ita conjunctam, ut unius tantum civitatis speciem ambae praebeant, una cum Ctesiphonte cepit, ut refert Eutropius, qui *urbes nobilissimas* vocat. VLIT.

72. VETERES] Arcem enim antiquissimus rex condidit Belus. Vid. Eutropium JOHNS.

73. CACUMINA REGNI] Quippe illud extremum cacumen Romani imperii erat, quod proximum Euphrati terminabatur, quem fluvium Adria-

Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras

Par-

VARIAE LECTIONES.

75. *Nulla*] *Muta* G. & B. *Nota*] Vota G. voto B.

NOTAE.

Adrianus Imperator medium inter Persas & Romanos esse voluit, cum Trajan. usque Tigrin provincias fecisset. Sext. Rufus. BART.

73. VIOLATA CACUMINA] Meras nugas iterum agit Barthius, dum Euphraten hic Romulei regni cacumen dici, si tamen verba illius intelligo, autumat. Nec certius scio an veritati aeque ac huic loco conveniat, quod in Alexandrino Chronico reperio Numerianum fratris sui Carini à Persis occisi necem felici in illos expeditione facta ultum ivisse. En totam sua fide narrationem : Οὗτος δὲ ἐν ἐπισκοπῇ Ἀντιοχείας μεγάλης, καὶ ἐκεῖ κατέφθασεν Κάρος ὁ βασιλεὺς ἀπιὼν πολεμῆσαι κατὰ Περσῶν μετὰ τοῦ θείου αὐτοῦ Κάρου· ὅστις Κάρος ἀπεσφάγη ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ. Καρῖνος δὲ ἡττηθεὶς ἔφυγεν εἰς Κάῤῥας τὴν πόλιν. καὶ παραφυλάττοντες οἱ Πέρσαι ἔλαβον αὐτὸν αἰχμάλωτον, καὶ εὐθέως αὐτὸν ἐξέδυσαν, καὶ ἐκδείραντες αὐτὸν ἐποίησαν τὸ δέρμα αὐτοῦ σάκκον καὶ σμυρνίσαντες ἐφύλαξαν εἰς ἰδίαν δόξαν. Τελευτᾷ δὲ οὕτως Καρῖνος ὢν ἐτῶν λϛʹ· καὶ μετὰ θάνατον αὐτοῦ Νουμεριανὸς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐπεστράτευσεν κατὰ Περσῶν, εἰς ἐκδίκησιν τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ Καρίνου, καὶ περιεγένετο αὐτῶν δυνατῶς. Primum quidem hoc errat & quidem dupliciter, quod Carinum cum avunculo suo Caro in Persas profectum dicit. Nec enim cum Caro unquam profectus, nec Carum avunculum, sed patrem habuit. Praecessit paulo ante : Ῥωμαίων λβʹ ἐβασίλευσεν ΚΑΡΟC ἅμα τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ Καρίνῳ καὶ Νουμεριανῷ ἔτη γʹ. Cujus tam propere oblitum esse hic autorem nolim existimare, sed potius scripsisse : μετὰ τοῦ θείου Κάρου, *cum divo Caro*. Quomodo vivum quoque indigetatum fuisse supra ostendi. Sed utcumque hoc excusamus, reliqua à veritate plurimum insuper exorbitant. Nunquam enim vel Persas adiisse Carinum aliquis tradidit. Victor Schotti : *At Carinus ubi Moesiam contigit, illico Margum juxta Diocletiana congressus, dum victos avide premeret, suorum ictu interiit.* Non itaque in Perside, nec à Persis; nec victus, nec eo, quo Graeculus narrat, mortis genere periit. Quapropter nec illud verisimile, quod addit, post necem ejus Numerianum, suscepta in Persas expeditione, fratrem suum ultum ivisse, claramque de iis victoriam reportasse. Nec ut hinc Nemesianum ista inferre interpretemur, fidei tantum quantum verbis quidem, congruum est. Aliud itaque fuit, quo Romanae majestatis laesae reatum subierint & luerint Persae. Veritati consentaneum maxime est, ut, quia Mesopotamiam Romani imperii ditionem iterum incursarent, rebellionis & seditionis reos habitos fuisse Persas intelligamus, ideoque à Caro & Numeriano (cui soli item hoc, ut reliqua patris gesta, affingit noster) punitos quasi. Victor de Caro : *Numeriani comitatu in Mesopotamiam pergit protinus, quod eo Persarum quasi solemni bello subest.* De eodem Eutropius : *Sed dum bellum adversus Sarmatas gerit, audito Persarum tumultu, ad Orientem profectus, res contra Persas nobiles gessit.* Verisimile & illud, ut quia in Perside fulminatus occubuerit Carus, eo *violata cacumina* imperii Romani censuerit Aurelius, patrisque necem ultum Numerianum, quasi postea quidquam in Persas tentaverit, vel audiverit, vel audivisse finxerit. Ideo enim & supra cecinit, *intima Persidos* ab eo capta. Ubi vide quae adnotabam. VLIT. Cari mortem intelligit, qui fulminis tactu conflagravit. Vid. Victorem. JOHNS.

74. IMBELLEM FUGAM] Parthorum fuga, ut hodie Turcarum perniciosissima sectantibus, telis in altum ab iis emissis, quae sequentium capitibus inciderent, itaque imbellem eorum fugam pro gloria Romana recenset. Persae autem cum haec scriberentur jam subegerant nomen Parthicum, de quo lege Zosimum l. I. De fuga Parthorum eleganter Sidon. l. IX. Epist. XII.

It equo, reditque telo,
Fugiens fugansque Parthus.

Silius lib. X.

——— *Pennaque fugacior ibat*
Quae redit in pugnam fugientis arundine Parthi.

Boëthius de Consolat. lib. V. 1. carm.

Rupis Achaemeniae scopulis, ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax.

Vide Iustinum libro XLI. Dionem lib. XL. BART.

75. PAR-

Parthorum, laxosque arcus, & spicula nulla.
Haec vobis nostrae libabunt carmina Musae,
Cum primum vultus sacros, bona numina terrae,

Con-

VARIAE LECTIONES.

76. *Vobis*] *Nobis*, conj. Bart.

NOTAE.

75. PARTHORUM,] Id est, Persarum. Ita Ctesiphonta *urbem Parthiae inclytam* dixit Victor, quia Persico imperio suberat. Et in nummo DIVUS CARUS PARTHICUS, quia *imperatoris Persici nomen meruerat*, referente Vopisco. VLIT. Pro Persis, ut promiscue modo *Persas*, modo *Parthos*, vocat passim in Persicis Ammianus. Nam utrumque nomen ex فرس *Phars* (ut sua lingua vocantur) derivatum; Et Πάρϑοι à Graecis sibilo ore ϑ Θ eliquantibus (ut hodie Angli quoque) pronunciatos, docet Maximus Salmasius, lib de Hellenistica cap II. Quanquam idem ad Solinum, & Valesius ad Ammianum de Perside aliter senserint. Hic de Juliano etiam: *expeditionem parans in Persas, Parthici cognomentum inserere titulis suis ardebat* Eadem, qua Carus apud Vopiscum, praecipitantia. VLIT. *in Add.*

75. LAXOSQUE ARCUS,] *laxati arcus* apud Parthos indicium pacis. Vide Plutarchum Crasso, Appianum Parthic. BART

75. SPICULA NULLA.] Vetus noster Codex, *muta*. elegantissima scriptura praefert Quam quid mentis fuerit immutantibus correctoribus, nondum expiscari potui *muta* sunt retusa translatione à mutis qui stuporem praeferunt. *Mutas artes* non alia ratione Virgilius dixit lib. XII.

—— *Mutas agitare inglorius artes.*

Quae vulgo scilicet gloriam nullam quaerunt. *moestitiam mutam* Attius ἐκπαυστικῶς apud Nonium. Et multa talia in Poëtis. BART. Eleganter. Quasi nulla, quae in Romanos porro mittere possent rebelles Persae, reliqua illis fecisset. Ita enim victis irrideri solet, non superesse illis, qui laedant. *Nulla* itaque quae perdita. Maro Ceiri.

Ne tantum in facinus tam nulla mente sequaris.

Tam perdita, & amenti mente: aut quam nullam habes. Plautus Cistellaria Act. II. *Ita nullam mentem animi habeo.* Ubi perperam vir doctus substituit: *ita nubilam mentem.* Ibidem Act. IV. 2. *Nulla est, neque ego sum usquam: perdidit me.* Quin itaque obmutuisse hic potius Barthium vellem, quam ut suo sibi codice, quem nullus habuit, in pessimam optimae & sincerae locutionis corruptelam pellexisset optimum Gronovium, qui illius fiducia hic legi maluit: *&* *spicula muta.* VLIT. Recta locutio. Ita saepe *res nulla* pro nullius pretii aut meriti. Baucis & Philaemon in divina illa coena apud Nasonem, *venium dapibus nullisque paratibus orant.* Et Metam. XI.

Nulla est Halcyone, nulla est, ait; occidit.

id est, perdita est; ut apud Plautum & in Ceiri. VLIT. *in Add.* Barthius *muta* è MS. quod impense arridet. quid, quaeso, est hoc? *referam spicula nulla.* cur non & arcus nullos, *i. e.* perditos, ut Vlitius explicat? Barthii seu lectionem, seu conjecturam libens amplector, quam docte illustravit Gronovius, ad Statii sylvas. Sic enim ille: *muta spicula* sunt quiescentia, quae non per aërem sonanti arcu impulsa stridorem edunt Lucan. *Scythicae strideret arundinis aër.* Suaviter Eurip. ῥοιζήεις ψαλμὸς, dixit in Hercule. Fur. Homerus:

Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.

Stridentis Sibila teli. Silius. Dion. Perieg. de Parthis.

Αἰεὶ δ' ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων
Ἠ βελέων. —— JOHNS

76. HAEC LIBABUNT] Haec prima offerent carmina. JOHNS.

76. VOBIS] Arbitramur *nobis* rescribendum. Libari enim diis solet, nec est hic aliud quam sacrum verbum. De ritu libandi vide Lipsium, politissimum antiquitatis vindicem, Poliorcetico quinto, & τὸν Θαυμάσιον B. Brissonium de Formulis primo. BART. Ita Pithoeus. Omnes Editi. *nobis.* quod nihili est. JOHNS.

77. CUM PRIMUM &c.] Videtur itaque Carthagine in patria sua, vel ruri alicubi, Româ tamen remotus multum, scripsisse Cynegetica sua Aurelius, atque iis absolutis ad reditum Numeri-

Hh ani,

Contigerit vidiſſe mihi. jam gaudia nota
Temporis impatiens ſenſus, ſpretorque morarum,
Praeſumit: videorque mihi jam cernere fratrum
Auguſtos habitus, Romam, clarumque ſenatum,

Et

VARIAE LECTIONES.

81. *Romam*,] *Romamque G. clarumque*] *patrumque*, Virgilius.

NOTAE.

ani, ut reduci offerret, & triumpho gratulabundus quoque intereſſet, Romam reverti voluiſſe. Quae meditantem, ſi conjecturae locus eſt, interemptorum Numeriani pariter ac Carini nuntio offenſum, & fortaſſe, quia Carino & Numeriano faverat, ultorem Diocletianum veritum, deſtitiſſe propoſitis opere ac itinere crediderim. VLIT.

77. VULTUS SACROS,] Vide Calpurnium Ecloga VII. BART.

77 BONA NUMINA TERRAE,] *Juppiter in caelis Caeſar regit omnia terris.* Vide Calpurnium Ecloga IV. Virgilium Georg. I. Statium prima Thebaide. Horat. lib. I. Od II. Optatianum Porphyrium Panegyrico. BART.

77. BONA] Propitia. vide apud Calpurnium. BART.

78. NOTA] Poterat probabilis videri iſta ſcriptio, niſi vetus editio praeferendam ſuaderet aliam. Illa diſerte habet: *vota*: ut mihi quidem dubium non ſit *voto* à Nemeſiano eſſe relictum. Senſus jam praeſumit voto gaudia. *Sumere gaudia* dicit Ecloga IV.

——— *Sic olim gaudia ſumet.*

Sic hoc loco *praeſumere* quaſi praecipere voto aut praeguſtare dicat. Ita Claudianus hoc verbo uſus. IV. Cons. Honorii.

Feſtinaque voti Praeſumtum diadema dedit.

hoc eſt ſpe ante deſtinatum, atque uſurpatum. Arnobius lib. I. *nullius ante cognitione praeſumtam materiam.* Pacatus Panegyr. Theodoſii: *ſi igitur nec praeſumere veniam reus., nec ſperare fugam clauſus, nec mortem timere potuit moriturus.* Spartianus Hadriano: *habuit autem praeſumtionem imperii mox futuri ex fano Nicephorii Jovis.* Auguſtinus de Civitate Dei. li. I. cap. III. *quis non videat quanta ſit vanitate praeſumtum?* Oroſius lib. II. cap. XIII. *Inter caetera quae inſolentiſſime cuncti praeſumebant.* *Praeſumtio benigna* apud Appulejum Floridor. Collectaneo primo. *praeſumtueſus* apud Sidonium Apollin. lib. IV. Epiſtol. XXII. Alia ſignificatione *praeſumtionem* contra dolores dicit Appulejus BART.

78. GAUDIA NOTA] Vel hinc ſcias familiarem Caro filiiſque ejus, ſed maxime Numeriano, & forte etiam inter domeſticos domus Auguſtae officiales fuiſſe M Aurelium noſtrum. Niſi etiam haec praenomina, quae eadem cum illis habuit, cognatum eorum fuiſſe indicant. In nummis paſſim M. AURELIUS CARUS, & in veteri lapide: M. AURELIO CARINO NOBILISS. CAES. M. AURELIO NUMERIANO NOBILISS. CAES. Fruſtra iterum cum ſuo ſibi codice hic eſt Barthius, & conjectura, quibus hic locus non indiget. VLIT.

79. SPRETOR MORARUM,] *Animo cupienti nihil ſatis feſtinari* in hanc ſententiam dicit Salluſtius. BART.

80. PRAESUMIT:] Ante tempus ſumit. JOHNS.

80. VIDEORQUE] Quaſi afflatu quodam divino percitus. ut in veteri carmine.

——— *templum in rupe Tagi ſuperis & Caeſare plenum.*

Ita hic plenum ſe fingit Caeſare BART.

81. AUGUSTOS HABITUS,] Statim ut accepit imperium Carus liberos Caeſares nuncupavit. Vopiſcus BART.

81. FRATRUM AUGUSTOS] Opperiebatur itaque adventum utriuſque ad imperium inaugurandi: vel ſaltem cum triumpho Romam ingreſſuri, ut ſimul patrem conſecrarent. Nam ipſo jam vivo Auguſti etiam appellati ſunt, & imperii participes fuerunt. Chronicon Alexandrinum: [illegible] λδ' ἐβασίλευσεν Κάρος ἅμα τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ Καρίνῳ καὶ Νουμεριανῷ. & Caſſiodorus: *cui ſucceſſit Carus cum filiis ſuis Carino & Numeriano, qui regnaverunt annos* II. Et in II. primo quoque imperii anno latis IMPPP. CARUS, CARINUS & NUMERIANUS AAA. inſcribuntur. Inter quas eſt L. v. C. *quando provocare non eſt neceſſe*, aliaeque. Et in nummis Cari, ut teſtantur

Et fidos ad bella duces, & milite multo

Agmi-

NOTAE.

tur viri docti, VIRTUS AUGGG. Unde ipsi etiam Carinus & Numerianus Augusti & Impp. vocati in plurimis nummis, quos tamen plerosque vivo Caro cusos esse temporis ratio evincit. Qualis ille: IMP. C. NUMERIANUS P. F. AUG. in cujus adversa parte est, ORIENS AUGG. Cari & Numeriani puta. Post mortem vero Cari passim Augusti dicti, ut hic apud poëtam nostrum, & L. 11. C. de divid. tutela, IMPP. CARINUS & NUMERIANUS AA. quam post mortem Cari latam esse certissimum. Adeo ut non breve nimis horum post mortem patris imperium fuerit, sed forsitan totius anni, qui ipsos fratres Augustos Consules habuit, quoque ipso d. L. 11. perlata est. Si breve enim adeo fuisset, ut quidam volunt, nec canere haec atque illis inscribere potuisset Nemesianus, aut saltem, si modo illis superstes fuit, immutasset statim quae immeritis per adulationem adscripserat. Nec ipse Numerianus cum Aurelio Apollinari, *qui patris ejus* (puta Persico bello jam & vita simul defuncti) *gesta in literas retulit, iisdem quae recitaverat editis*, ut refert Vopiscus, contendere potuisset. Nulla enim relatu digna quam in Persas gessit Carus; nec ea nisi post mortem ejus referri digne ab Aurelio Apollinari potuere. Consequens itaque est, ut si ea ipsa ab Apollinari recitata Numerianum edidisse intelligit Vopiscus (nam & de Apollinari accipi possunt verba illa) haud ita paullo post mortem Cari & ab illo recitata & ab hoc edita fuerint. Ex quibus item (si commode modo ad Numerianum referuntur) colligi possit, quod ex hisce Nemesiani visum etiam est Viro maximo in animadversionibus Eusebianis, Romam post mortem patris pervenisse Numerianum, atque una cum fratre Carino consecrationem defuncti ibidem celebrasse, quam vivente adhuc utroque factam ex nummis certo ictelligere se testantur viri docti. Ut tum scilicet, non alibi aut antea (qui enim poterat, sive in expeditione adhuc, sive in itinere occupatus?) res gestas patris sui ab Aurelio Apollinari in literas redactas & recitatas ediderit, eumque velut radio solis obtexuerit; quanto certius eas edere & corrigere poterat, quibus ipse interfuisset, & quarum pars magna eundem auctorem & actorem haberet. Quod sane alibi, quam Romae, ab eo factum fuisse, credi non potest. Quin potius aut verba illa Vopisci ad Numerianum censeam non pertinere: aut si pertinent, fidem eorum elevandam esse, quicunque in ipso reditu extinctum Numerianum tradiderunt: eo magis quod, qui aperte id scribat, nullum idoneum auctorem inveniam. Nec ideo tamen, quaecunque è Chronico Alexandrino modo adduxi, pro certioribus; aut Poëtae nostri è longinquo praeceptas ariolationes historica fide consummatas haberi; sed ut mihi de iis conjecturasse tantum impune esse, ita lectori, quibus accedat, integrum volo. VLIT. Vel triumphales, vel quibus induti inaugurandi erant. JOHNS.

81. ROMAM,] In veteri libro, *Romamque clarumque*. Quod adscripsi ne quid, etiam absonum, dissimuletur, habeantque quod indagent feliciora ingenia. Victori Vigilio, amicissimo meo, subibat rescribere.

—— *Romamque, patrumque Senatum.*

Ut *Senatus* quasi Romae aut universi adeo imperii parentis gerat nomen & officium. Sane *patres* ab officio, *senes* ab aetate nominatum Senatum auctor est praeter alios. L. Florus lib. 1. c. 1. editionem quidem illam ex aliis scriptis libris, quam caeteras, deductam esse, non una ratio afferendi. BART.

81. CLARUMQUE] Nescio quis conjecit, *patrumque*. JOHNS.

82. ET MILITE MULTO AGMINA,] Jam saltem exercitum victorem è Perside reductabat Numerianus, cum haec caneret Aurelius. Victor Scotti: *At Numerianus amisso patre simul confectum aestimans bellum cum exercitum reductaret, Apri praefecti praetorio soceri insidiis extinguitur.* Sed de morte ejus nondum adhuc vulgatum erat, quae etiam ipsos *milites, qui eum sequebantur* (verba Eutropii) aliquamdiu latuit. Idem Victor: *Denique diu facinus occultatum, dum clausum lectica cadaver, specie aegri, ne vento obtunderetur acies, gestabatur.* Quae si vera sunt, hauddubie eopse temporis intervallo, quo rumor erat vivum incolumemque cum exercitu redire Numerianum, qui revera mortuus esset, dum mors ejus ab Apro occultabatur, haec cecinit Aurelius noster: & forsan audita morte ejus, ne dedicatio haec sibi crimini esset apud imperii successorem, inabsolutum, quale nunc extat, opusculum hoc reliquit. Sed tandem capillum promittere (ut Catones evitem, qui id non

Agmina, queis fortes animat devotio mentes.
Aurea purpureo longe radiantia velo
85 Signa micant, sinuatque truces levis aura dracones.

Tu

VARIAE LECTIONES.

83. *Queis*] A. Steyn. *Quis* pro *Queis*.

NOTAE.

non ferunt) atque ariolari desino. VLIT. Adde L. 2. C. *de recept. arbitr.* L. 9. C. *de rei vind.* L. 4. C. *de Test.* L. 6. C. *de pact. int. empt.* L. 7. C. *de Donat. ante nupt.* L. 6. & 7. C. *de praediis & al. reb. minor.* L. 16. C. *de Fideicomm.* L. 3. C. *ad SC. Tertull.* L. 9. C. *de Testamentar. manumiss.* L. 6. C. *de sentent.* & L. 5. & 6. C. *Quando provoc. non est necesse.* quae omnes latae & PP. Caro & Carino Coss. sub trium Impp. CARI, CARINI, & NUMERIANI, AAA. nominibus. Illis autem LL. quae Carini & Numeriani nomina ferunt, adde L. 17. C. *de inofficiose*, quae PP. idib. Febr. CARINO II. & NUMERIANO AA. coss. quo eodem anno & Consulatu PP. est L. 2. C. *de divid. tutela*, XII. Kal. April. VLIT. *in Add.*

83. ANIMAT] Incendit, quasique inflammat, & viventes facit. *Ignem animari* simili modo Sidonius dixit li. II. Epist. II. Alioqui *animare* animam inspirare. Arator lib. I. Histor. Apostol.

Tu qui cuncta, Deus, propriis animata figuris
Artifici sermone facis ———

quamquam id possit aliter capi. Idem lib. II.

Ut fusis animentur vultibus aera.

Cui geminum illud Capellae lib. I. *cum vivos etiam vultus aeris aut marmoris signifex animator inspirat.*

Sedulius libro II.

——— *qui saxea terrae*
Viscera frugiferis animans foecundat aristis.

Idem libro primo:

Mitis in immitem virga est animata draconem.

Prudentius Hymno X. Cathemerin.

Animataque sanguine vivo Habitacula pristina gestet. BART.

83. DEVOTIO] Tamquam salutem pro Imperatore devovissent. Ut in veteri formula. D. N. M. Q. E. qua utebantur erga Imperatorem, ei aliquid dedicantes. DEVOTUS. NUMINI, MAIESTATIQUE. EJUS. *Devotum* est, quod diis dedicatum. Catullus.

Devotae flavi verticis exuviae.

Et *devotae*, quae vota diis solvunt. Propertius lib. II.

Cum videt accensis devotam currere taedis
In nemus, & Triviae lumina ferre Deae.

Devotatam appellant sequioris aevi scriptores, qui votis malignis defixus est. ut libri de Herbis auctor quem Appulejo perperam adfingunt. cap. VII. Quod tamen verbum usurpavit & Plautus Casina. Si bene memini, liber enim non est ad manum. Quin imo subit memoriam & in Minutio Felice hoc vidisse. BART.

84. AUREA] Signa militaria Romanorum aureas habebant principum imagines. Euseb. l. I. de vita Constantini. τὸ δὲ ὄρθιον δόρυ τὴν τοῦ θεοφιλοῦς βασιλέως εἰκόνα χρυσῆν μέχρι στέρνων, τῶν δ' αὐτοῦ παίδων ὁμοίως ἔφερε. Et erant alioqui auro inducta. Vide eumdem cap. XXV. ejusdem libri. Herodianus lib. IV. de Caracalla. καὶ τὰ τῶν στρατοπέδων σύμβολα, ἐπισήμα ὄντα, καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασι κεκοσμημένα, &c. BART.

84. PURPUREO VELO] Signa militaria purpureis velis erant incincta, quorum velorum forma adhuc in antiquo Adriani Imperatoris nummo visitur, quem pubicavit Joannes Sambucus, patrum memoria optime de litteris meritus. Habentque ea signa subscriptionem exercitus Dacici. Meminit Florus libro III. in Parthorum exercitu, sed alludens Romanum. *undique praefecti regis Syllaces & Surenas ostendere signa auro, sericeisque vexillis vibrantia.* Et vexilla signis erant adjuncta. Silius Italicus libro V.

——— *Raptam cum sanguine caesi*
Signiferi magna vexillum mole ferebat.

Alia de his notare non sinunt doctissimi viri, quorum vide Justi Lipsii Commentaria ad Polybium de Militia Romana. BART.

85. SIGNA] *Colours.* Anglice. pictos autem Dracones gerebant. JOHNS.

85. MICANT,] *I. e.* videntur micare. JOHNS.

85. SINUATQUE TRUCES] *Vela* signorum posteriore aevo draconum in formam erant figurata, in quibus describendis ludunt Poëtae, ve-

Tu modo quae saltus placidos silvasque pererras
Latonae, Phoebe, magnum decus, eja age suetos
Sume habitus, arcumque manu: pictamque Pharetram
Suspende ex humeris: sint aurea tela, sagittae:
Candida puniceis aptentur crura cothurnis:

Sit

NOTAE.

veluti hostes devoraturae illae formae super exercitum ingruerent. Inprimis multi sunt in horum descriptione Claudianus & Sidonius. Sidonius Panegyrico Majoriani.

——— Jam textilis angais
Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris, picto mentitur hiatu
Iratum, pictura, famem; pannoque furorem
Aura facit, quoties crassatur vertile tergum
Flatibus, & nimium jam non capit alvus inane.

Claudianus III. Consulatu Honorii.

——— picta draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila serpens,
Iratus stimulante Noto, vivitque receptis
Flatibus, & varie mentitur sibila tractu. BART.

86. QUAE] Dianam alloquitur, ut Gratius. BART.

87. LATONAE, PHOEBE,] Vetus noster liber inversa habet haec duo verba, *Phoebe Latonae.* cur aliter voluerint correctores, caussam nondum reddiderunt. BART.

87. DECUS,] Honor. Cor. Fronto. habitum Dianae habes in Hymno Callimachi. & Dionysiacon non uno loco, Apollon. Argonaut. III. &c. BART.

90. COTHURNIS:] Deabus Cothurnos adfingebant. Virg. Aen. I. ubi Venus loquitur.

Virginibus Tyriis mos est gestare faretram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Sidonius in effigie Italiae:

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis.
Mittit in adversum vinclo de fornice pollex.

Alia non adsigno. *Cothurnus* autem aptus erat utrique pedi. Hesychius: κόθορνος ὑπόδημα ἀμφοτέροις τοῖς ποσὶ πεποιημένον. Forma vero talis, ut neutri videretur congruere. Xenophon Hellen. II. καὶ γὰρ ὁ κόθορνος ἁρμόττειν μὲν τοῖς ποσὶν ἀμφοτέροις δοκεῖ, ἀποβλέπει δ' ἀπ' ἀμφοτέρων. BART. Merito & hos inter suetos venatrici habitus posuit noster, forte an imitatus Maronem Aeneid. I. ubi venatricis habitu Venus ait:

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Adnotante recte Servio: *Cothurni sunt calceamenta venatoria crura quoque vincientia.* De iis procul dubio locutus erat & Gratius v. CCCXXXVIII. *tegat imas fascia suras*; sed versus subsequens, ubi cothurnos adjiciebat, videtur intercidisse, forte hujusmodi aliquis:

——— tegat imas fascia suras
Puniceum medio substringens crure cothurnum.

Cui quadrant quae ibi ex Polluce modo adducebam. Ἐνδρομίδας vocant Callimachus, & Nonnus: ille Dianae attribuens; hic ab Aristaeo inter reliquos venatoris cultus inventas docens Dionys. V. Festus *semiplotia soleas dimidiatas quibus utuntur in venando* vocat. Ea videntur ὑποδήματα κοῖλα Pollucis esse, & à cavo sonitu βλαυτία (unde habes *semiplotia*) Graecis per ὀνοματοποιΐαν dicta. Hinc βλαυτῶν etiam πλήττειν σανδαλίῳ ἢ ὑποδήματι exponit Hesychius: apud quem βλαύεια male, pro βλαύτια legitur. Ejusmodi fere ποδοψοφίας intelligit, qualem scabillo ad modum cantus pantomimici fieri, erudite docuit Salmasius. Nescio tamen quam bene talia sandalia venanti conveniant, aut unde id hauserit Festus. Paulus abbreviator ejus, ut suo tempore id inusitatum videbat, non *quibus utuntur*, sed *quibus utebantur in venando*, excerpsit. Videntur enim ligneae fuisse soleae: aut certe ex sandaliorum genere. A quo diversa longe ὑποδήματα κοῖλα Pollucis, quae calceos Romanos propius referunt, quam ὑποδήματα simplicem & Graecanicam, quam venatori suo accommodat Xenophon. VLIT. Non male videor Gratio apposuisse:

——— tegat imas fascia suras

Puniceum medio substringens crure cothurnum. Nam ita Virgilius Ecl. VII. ad Dianam:

Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Horatius hiberno venatori ocreas quoque induit lib. II. Sat. III.

In nive Lucana dormis ocreatus ut aprum
Coenem ego.

Ke-

Sit chlamys aurato multum subtegmine lusa,

Cor-

VARIAE LECTIONES.

91. *Subtegmine*] *Sub tegmine* Steyn. & cit. Jul. Scal. *substecmine* G. *subtemine* B. Vide Comm.

N O T A E.

Κρηπῖδας dat venanti Meleagro Philostratus Jun. VLIT. *in Add.*

91. Chlamys] Ita & Dido Aeneid. iv. *Sidoniam chlamydem circumdata* venatum exiit apud Maronem. Et primo quoque Aeneid. Venerem venatricis habitu se obviam ferentem Aeneae chlamyde indutam fuisse, illa arguunt: *nodoque sinus collecta fluentes*; ut mox ostendam. Quae ob oculos fuerunt Aurelio cum hunc, tum reliquum Dianae habitum delineanti. Est autem chlamys vestimentum apertum, oblongum, & in angustum desinens: cujus superiores anguli fibula infrenantur, colloque circummittuntur. Isidorus: *Chlamys est quae una parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur.* Nimirum quia anguli illi superiores fibulà, non suturà, connexi fere manebant, *unà parte*, puta collo tenus, *induitur.* Ideoque non tantum περιβάλλεσθαι, quod fit nonnunquam fibula soluta, sed & περιτίθεσθαι & περιτίθεσθαι dicitur. Oppianus de venatoria chlamyde lib. 1.

Αὐχένιον αὖθ' ἑκάτερθε παρήορον ἐκ παλάμῃσιν
Εἶμα περισφίγξας ἐπὶ ζώνῃ διττῆς ὑπὲρ ὤμων.
Tum manibus, collo qui circumpendet utrinque,
Retro humeros super ingentes inducat amictum.

Ita vertendum. Inferior autem pars in angustum desinebat, & eatenus à veste quadrangula differebat. Hinc intelligendus Ammonius: ἡ μὲν γὰρ χλαῖνα τετράγωνον ἱμάτιον, ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τὸ λεπτὸν περὶ τὰ κάτω συνῆκται. *Laena quidem quadrangula, chlamys autem in imo in angustum cogitur.* Ita ut cunei fere formam, & trigonum magis, quam tetragonum, referret. Expansam intelligo. At cum superiores anguli connexi inter se, ut modo dicebam, essent, tum etiam in summo angusta ac fundae similis apparebat. Hinc Strabo lib. 11. χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς οἰκουμένης esse dixit, quia ab Oceano ut ipse loquitur, συνάγεται εἰς μείουσα χώρα, καὶ πλάτος ἐν μεγίστῳ. Nec alio significatu τὸ συνάγεσθαι eandem rem tractans usurpavit Eustathius ad illa initio periegeseos Dionysianae: Σφενδόνῃ εἰκυῖα. Ubi inter alia dicit terram habitabilem ἐφ' ἑκάτερα μὲν διανοίγεσθαι, ἐπὶ θάτερα δὲ συνάγεσθαι εἰς ὀξύτερον. *utrinque quidem dilatari, caetera vero in angustias coire.* Puta, ut ipse ibidem exponit Eustathius, latiorem inter Septentrionem & Meridiem esse, arctiorem sub ortu & occasu. Unde constat veram esse MSS. lectionem apud Dionysium:

—— ἀλλὰ διάνδιχα
Ὀξυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους.

Hinc Priscianus:

—— *bifido se litore pandens*
Arctatur rapidos cursus ad solis utrinque.

Melius quam alter, qui εὐρυτέρη legit, & vertit:

Sed matutino qua coelum sole rubescit
Latior, occasi curvantur cespites arva;
Caetera protentus.

Nisi & apud illum, *Artior*, scriptum fuit. Sed de his alibi. Chlamydis inferior pars syrmatis instar ita dependebat, ut si quis se ad agendum quicquam prompte accingeret, manu facile colligeretur, sinistra potissimum. Plutarchus de Alcibiade adversus interemptores suos accincto: τῇ γ' ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν ἱμάτιον ἢ χλαμύδα περιελίξας, τῇ δεξιᾷ σπασάμενος τὸ ἐγχειρίδιον, ἐξεπήδησεν. Quod & alibi, nisi fallor, ἀναχλαμυβάλλειν τὴν χλαμύδα, ὁπότε μάχοιτο στρατηγῶν, dixit. Nam militiae id maximum habebat usum, ut non modo non caudam illam, quod delicatorum erat, pro impedimento traherent, sed etiam involuto chlamyde brachio ictus, scuti vice, exciperent. Livius lib. xxv. de T. Graccho in Lucanis circumvento: *Inter haec dicta paludamento circum laevum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit.* Pacuvius Hermiona: *Chlamyde contorta clypeat brachium.* Itaque & venatori eo modo colligenda chlamys ob utramque non tantum, sed tertiam quoque caussam, quam posuit Oppianus lib. 1.

—— ὑπὲρ ὤμων
Ἡνίκα κεν κοινῇ ἐν στροφάλιγγι κελάδοντα δίκτυα
Θήρας ἀναπάλλειν.

Reliquas duas complexus est Pollux: καὶ χλαμὺς δὲ ἐν τῇ λαιᾷ χειρὶ περιειλεῖται, ὁπότε μάχοιντο θηρίοις, ἢ προσμάχοιτο τοῖς θηρσί, *sive cursu, sive pugna cum feris certandum est.* Unde lucem capit Xenophon cap. xvii. ubi venatorem

Corrugesque sinus gemmatis baltheus arctet

Ne-

NOTAE.

rem jubet, καὶ κυνοδρομεῖν περιελίξαντα, ὃ ἀμπίσχεται, περὶ τὴν χεῖρα. Ita distinguendum, & vertendum: *Utque una cum canibus currat obvolvens manus chlamydem.* Sinistrae scilicet, quia dextra τὸ ῥόπαλον διαγκυλοῦσαν, quod subjicit, congruum est. Talis venantis cum cane Molosso Adonidis, dextro humero affibulatam, laevoque brachio circumvolutam chlamydem gestantis habitus, in antiqua statua Romae visitur. Nec hilum diversus Mercurio in pluribus marmoribus tribuitur. Alia item Pyrrhi regis statua chlamydis militaris ingens syrma super laevum brachium gerentis est. Et nummi quam plurimi ita paludamentis vestitorum. Quibus hic locus non est. Alios item invenias dextra chlamydem involventes, in laevo contra humero affibulatam. Tales chlamydes, quae modo in laevam modo dextram torquerentur, ἀμπλοχέρεις videtur indigitasse Hesychius, cum ἄλλικα exponit περόνιδα χλαμύδος ἀμπλοχέρεις. De quo mox. VLIT. Egregie idem de eodem Philostratus: Βεβλ. δὲ ἐσθῆτι μὲν ὑπὲρ γόνυ, κρηπῖδα δὲ τοῖν ποδοῖν ἐσῆπται, καὶ αἱ χεῖρες ἐς ὦμον γυμναί, διὰ τὸ ἐνεργὸν εἶναι, ἡ ἐσθῆτος εἶναι ἐς πτέρυγας ξυνεχομένης. Et paulo post de Atalanta: ἐσθὴς δὲ λευκή, ὑπὲρ γόνυ καὶ κρηπὶς ὑπὲρ σφυρόν, ὅπερ ζωμα ἀσφαλὲς τῇ βάσει· χλαμύδα δὲ προσκεθαφῆ ὑπὲρ αὐχένος κολπάζουσα, τὸ θρεῖον ὑφεῖται. Quae venatorium habitum graphice omnino absolvunt. Quod porro de *chlamyde contorta* dixi, confirmat elegantissimus nequitiarum Arbiter: *intorto circa brachium pallio composui ad praeliandum gradum.* Et Valerius Flaccus lib. III. de Medonte se defendente: *chlamys imbelli circumvenit ostro Torta manum.* Seneca de Constant. Sap. cap. VII. *Non minus latro est, cujus telum opposita veste elusum est.* Hinc capiendus Velleji locus lib. II. c. III. ubi vulgo editum: *Cum data laevo brachio togae lacinia ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens, hortatus est* (scil. Nasica.) *qui salvam vellent remp. se sequerentur.* Ubi Aldus & Ger. Vossius meus malebant: *circumdata laevo brachio.* Non male; modo non de cinctu Gabino (cujus hic nullus, sed fere in sacris usus) sed de illo, quem indicamus, interpretere. Ego tamen olim praeferebam *elata togae lacinia,* quia nimirum signum suis dabat. Ut apud Rufinum Josephi interpretem de bello Jud. lib. VI. c. III. *Speculator concusso amictu signum dat suis, ut irruerent.* Κινάσειζας τὸ ἱμάτιον, Josepho. Ovidius III. Amor. El. II.

Et date jactatis undique signa togis. VLIT. *in Add.*

91. Aurato] Adde Nasonem Metam. XIV. ubi Picus venatur,

Phoeniciam fulvo chlamydem comprensus ab auro.

Et Meleager apud Philostratum, ut modo citavi, πορφυροῦν χλαμύδα induitur. VLIT. *in Add.*

91. Subtegmine] *Subtemine* scribendum esse dudum nos docuerunt eruditi, contra quos qui sentire profitentur, plane nihil sentiunt. In veteri Editione legitur, *subtegmine.* Quod crudum ex condito est. BART.

91. Lusa,] Variegata, scutulata. Nam proprie *scutulare* de vestimentis usurpatur. Martianus Capella lib. I. ubi Solem concilium Deorum ingredientem describit. *corpus ejus flammeum totum, pennata vestigia, pallium coccineum, sed auro plurimo scutulatum.* Ita omnibus modis ibi scribendum. Absurde enim *pallium coccineum rutilari* cum vulgata lectione dicas, cum coccus ipse fit magis rutilus omni auro. Juvenal. Sat. VI.

Crispo numerantur pectine chordae.

Interpres Vetus MS. *Eburneo qui concrispet & agitet chordas seu fidibus * aut scutulata & pulsro.* Ita habet membranaceus codex multis in locis duplo auctior illo quem edidit Petrus Pithoeus. Idem Juvenalis.

Caerulea indutus scutulata aut galbana rasa.

Et Prudentius Hamartigenia. apud Vitruvium & Palladium *scutulata pavimenta* legas, quae *vermiculata* dixit Lucilius. Locus Vitruvii est libro VII. Palladii. lib. I c. IX. Lucilii exstat apud Ciceronem III. de Oratore, similem vestem eleganter describit Heliodor. lib. II. χιτῶνα δὲ ἁλουργῆ ποδήρη καὶ χρυσαῖς ἀκτῖσι κατάπαστον ἐνεδέδυτο. Chrysostomus de Virg. c. LXII. ὁ γὰρ διαπραγμένος ἐν τοῖς ἱματίοις χρυσὸς, καὶ ἡ πολλὴ τῶν τοιούτων ἐργαζομένων ποικιλία. BART.

91. Subtemine lusa,] Maro quoque Georg. II. *Illusas auro vestes* vocat. Quem imitatur Avienus periegesi, de Persis: *Illudunt auro vestes.* Inepte vulgo: *Illidunt.* Miror itaque cur è trivio versum hunc Aurelii mei esse censuerit Scaliger Julius. Nisi illum lectionis, quam citat, error fefellit: *sub tegmine*, pro *subtemine.* Eandem librarii fraudem passus Maximianus Eleg. III. qui nobis obtrudit: *Carmina pulsa procul.* pro

ge-

Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.

Te-

N O T A E.

genuina optimi codicis scriptura, quam excerpsi dudum:

Stagmina, pensa procul, nimium dilecta, jacebant.

i. *Stamina.* Et in epistola Avieni, quam Epigr. lib. IV. edidit Pythoeus, scriptum quoque fuit:

Unde ligant teneros exagmina flammea casses,

pro *examina.* Perperam editum: *ex agmine.* Ut igitur neque hoc ita nec illo nomine reprehendendus Aurelius, quod auratam venatrici chlamydem tribuerit; secutus quippe & in hoc Maronem Aeneide IV. ubi Dido venatum exit,

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,

Caetera auro induta, & aurea tela gerens. Quanquam Pollux contra edicat de universo venatoris habitu, ut sit, ὁ λευκός, μηδ' ὄχρος, μὴ δὲ κατ' ἄλλην ὄχροιαν περιλάμπων, ὡς μὴ πόρρωθεν καθορῷτο τοῖς θηρίοις, *non albus, nec ullo colore insignis aut relucens, ne eminus à feris conspiciatur.* Et Phaedra apud Senecam venatui se accingens ita insit:

Removete, famulae, purpura atque auro illitas
Vestes; procul sit muricis Tyrii rubor.

Unde faeile intelligimus ἐφαπτίδα, quam Pollux lib. IV. eap. XVIII. dicit esse συστρεμμάτιόν τι φοινικοῦν ἢ πορφυροῦν, ὁ περὶ τὴν χεῖρα ἔχουσι οἱ πολεμοῦντες ἢ θηρῶντες, non pro chlamyde venatoria debere accipi, sed histrionicum insigne fuisse, quo persona bellica vel venantis agnoscebatur: quale hodie fere milites in brachio etiam alligant. VLIT. Illusa. Virgil. JOHNS.

Illusas auro vestes. ———

vestes aurato subtegmine, *i. e.* filis deauratis illusas. JOHNS.

92. Corrugesque sinus] Rugis apte inter se confidentibus memini apud Grammaticum veterem voeem *Corrugis* legere. Sed locus nunc non subit. *rugari* quidem & *corrugari* agnoscit Eutyches lib. II. de Conjugationibus. Sed meus ille erat alius. BART. Vixdum assequor quid sibi velit haec verborum luxuria: utrum de unica separatim, an etiam de chlamyde intelligenda. In statuis illis chlamydatis, quas citavi, nec sinus, nec baltheus aliquis apparet. Tum quoque in media chlamyde sinum aliquem fuisse, qui laxus adeo ut baltheo corrugandus fuerit, verisimile non est. Omnino venanti talis non convenit, sed εὐσταλὴς, ἐλαφρὰ, καὶ εὐμεταχείριστα, praecepto Xenophontis & Pollucis. Quibus inductus credebam olim chlamydem hic pro tunica positam. Quod mirum adeo non sit, cum tunicam contra pro chlamyde posuerit Phaedrus Fab. XXXVI. ut observat Vir Maximus. Expresse autem Hesychius: Χλαμύς, πορφύρα, ἡ χιτών. Videtur ex autore aliquo id observasse, ubi chlamys pro tunica poneretur. Maxime hue me ducebat, quod ipsa Diana Χιτώνη Callimacho; etiam Χιτωνία dicta fuerit, teste Stephano. Vetus marmor Romae: Chitoni. virgini. sacrum. à tunica potius, quam urbe aliqua, ut Callimachi Scholiastae visum. Quodque insuper in veteribus lapidibus tunicata semper appareat. Qualis ille in aedibus Farnesianis Romae, qui illam gemina ut videtur tunica, altera ad pedes usque demissa, altera bifariam succincta exhibet. Et ipsa apud Callimachum non chlamydem, aut aliud id genus vestimentum, sed tunicam tantum à Jove patre sibi poscit: καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα Ζώννυσθαι λεγνωτόν. Vide & in Epigrammate Veteri, in quo totus Dianae mundus describitur, nulla chlamydis mentio, sed λεγνωτὸν ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα. Quae tamen si cui tanti non sint, ut ideo chlamys Venatrici Deae denegetur, alii hic sinus quaerendi. Potuit ipsum Syrma ita vocasse, ut Virgilius, cum *sinus crepantes* chlamydi attribuit. Aeneide XI.

—— Tum croceam chlamydemque, sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.

Et I. Aeneide Venus venatui accincta, *nodoque sinus collecta fluentes.* Quae non possunt nisi chlamydi adscribi. Quippe & haec nisi syrma colligatur, *effluere* dicitur. Phaedrus de Menandro: *vestitu effluens Veniebat gressu languido,* ἐκσύρων τὴν χλαμύδα. Hine Tertullianus de Pallio, *Menandrico fluxu vestem delicatam humi protrahere,* dixit. Hoe quippe delicatorum & cinaedorum erat. At Dianam non modo colligere chlamydem, sed etiam sinum illum vel nodo, vel baltheo substringere videtur hic velle Aurelius, ut corpori tota cohaereat. Nec aliter Apulejus Metam. XI. *Hic incinctus baltheo militem gerebat: illum succinctum chlamyde copides & venabula venatorem fecerant.* Manilius lib. IV. Astronom.

Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est.

Phaedra apud Senecam ita se venatui accingit:

Brevis expeditos zona constringat sinus.

Prae-

Tecum Naïades faciles viridique juventa

Pu-

N O T A E.

Praeterea & tertium quid conjicere me facit statua illa, quam citavi, Farnesiana, in qua superius vestimentum non tunicam certò magis, quam prope est ut chlamydem, sed largiurem Graecanica, ideoque bifariam succinctam, referat. Praeter enim superiorem circa lumbos cinctum, alius paullo infra umbilicum apparet, qui reliquam oram infinitis rugis suspendit. Talem ipsi Dianae accommodare videtur Claudianus de Raptu lib. II.

Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu.

Hinc etiam *Corruges sinus* Aurelio nostro baltheo arctandi, sive tunicae, sive chlamydis, sed sinuosioris & totum corpus ambientis. Ut Dido apud Maronem, *chlamydem circumdata*. VLIT. Adde L. 4. C. de Spect. & Scen. ubi Incipp. fanciunt, *ne qua in publicis porticibus pictura pantomimum veste humili, & rugosis sinibus agitatorem, aut vilem offerat histrionem.* Quam male interpretatur Gothofredus. Statius Thebaide IV. lucem dabit:

Undantemque sinum nodis irrugat iberis.

Nimirum ut expeditior esset; quod & agitatoribus maxime opus erat, & festinantibus usu venit. Hinc Plautus Captivis. Act. IV. Sc. 4. *Collecto quidem est pallio*, Ergasilus, qui Sc. 1. dixerat, *Conjiciam in collum pallium.* Sed perperam is exponitur in nova Editione. Hinc lucem capit Terentius Phorm. Act. V. Sc. 6. ubi Geta; *qui non humerum hunc onero pallio*; puta collecto, ut expeditior curreret. Hinc semper *succincta Diana.* Minutius Felix: *Diana interim est alte succincta venatrix.* Unde *semitectis femoribus* fingitur, apud Arnob. lib VI. Ovidius *succinctam Dianam* passim dicit, ut lib. III. Amor. El. II. Art. amat. lib. III. Metam. III. Fab. II. & lib. IX. Fab. I. & lib. X. Fab. 10. Idem *incinctam*, pro *succincta* vocat Epist. Phaedrae: *incinctae studia exercere Dianae.* Cui contrarium est, *discincta* vestis, ut Fulgentio recte restitui, confirmante Apulejo XI. Metam. *Et humeris dependebat, talorum tenus, pone tergum pretiosa chlamyda.* VLIT. *in Add.* Et *baltheus* seu cingulum constringat *sinus corrugatos* fibulà gemmatà *Baltheus. ζωστήρ. ζώνη.* aliae Glossae. *ζωστήρ. baltheum. cingulum.* JOHNS.

92. GEMMATIS] *fibulam* intelligit quae ex gemma erat. Hujus mentio apud Spartianum Hadriano, ubi vide amicum nostrum incomparabilem Casaubonum, *μέγα κλέος Εὐχάριστον.* Claudianus lib. II. de Raptu,

Fibula purpureos gemma suspendit amictus.

Idem.

Collectae tereti nodantur jaspide vestes.

Idem.

Viridique angustat jaspide pectus.

Statius lib. VII.

Taenariam fulva mordebat jaspide pallam.

Aureas etiam fibulas in usu fuisse discas ex Virgilio, Livio, aliis, qui posterior inter dona militaria eas recenset, si satis memoria valeo. Meminit aureae fibulae & Philostratus in Cupidine. gemmeae Sidonius ad Majorianum. Electrinae Heliodorus lib. III. BART.

92. BALTEUS] Cingulum. Virgilius.

Infelix humero cum apparuit alto.

Balteus.

Veteres enim cingula, quae enses sustinebant, ab humeris gerebant. Homerus Odyss. θ.

Ἦ ῥα, καὶ ἀμφ' ὤμοισι θέτο ξίφος.

Sumitur pro quovis cinctura *baltei* vox. ut apud Catonem *balteus placentae* cap. LXXVI. de Re Rust. Antiqui *balteus* & *balteum* dicebant, ut notat Nonius, inter quae discrimen quoddam ex Plinio adfert Carisius libro I. Gramm. Sed ejus verba non carent mendo, quae alibi nobis correcta sunt. *Balteus* pro cingula asinina apud Appulejum lib. X. BART. Ut triplici conjecturae insistam, quas de sinu praemisi, unicuique hic baltheus eodem arbitratu accommodandus est. Sive *sinus* hi *corrugos* tunicae attribuendi sunt, sive chlamydem pro tunica accipiamus, baltheus est qui tunicam in medio homine cingit. Ita *sinus tunicae cingulo dividere* Tertulliano, & *tunicam cingulo corripere.* *Baltheus* enim recentioribus nihil nisi cingulum. Glossae: *Baltheus, ζωστήρ, ζώνη.* Aliae: *Ζώνη, Baltheum, cingulum. Ζωστὴρ, cingula, baltheum, cingulum.* Nec alio modo accipi debet si chlamys ita bifariam cingeretur, ut novissime demonstrabam. Verum si sinum pro syrmate posuit, *baltheus* hic non rectus in medio homine stabit, sed obliquus ad sinistrum humerum ascendet, ibique in fibula haerebit. Hic enim antiquior gerendi balthei modus. Ne multis id evincam, unicum id argumento sit, quod circulum Zodiacum, quia obliquus meridianum secat, *baltheum* dixerint veteres Astrologi, non autem quia latior hac, aut illac strictior sit, ut Scaligero visum. Manilius lib. I. *Ingenti stellatus baltheus orbe.*

Pubentes Dryades, Nymphaeque, unde amnibus humor,
Ad-

N O T A E.

ir. Nam praecessit:

Hic adit obliquos, adversaque fila trahentes
Inter se gyros.

Ita leg. quia Lacteus & Zodiacus inter se adversi; obliqui respectu reliquorum circulorum. Hoc igitur loco *balthrus* erit sinus ille, sive syrma chlamydis non modo in sinistrum brachium regestum, sed ipso in humero sinistro adfibulatum gemmatis nexibus. Non aliter quam sinus superior in toga, quem ideo quoque velut baltheum constituit & vocat Quintilianus lib. xi. *Ille, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut balthrus, nec strangulet, nec fluat.* Cujusmodi sensum poetae nostro ita appropriare possumus: Sinus in rugas collectus balthei modo super sinistrum humerum obliquatus gemmata fibula nectatur. Sic caudam balthei sacerdotalis quoque rejici solitam, alias pendulam fere, aeque ac ille inferior chlamydis sinus, docet Hieronymus Epist. cxxviii. *Lineam tunicam, de qua supra diximus, inter umbilicum & pectus hoc stringunt baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex una parte ad crura dependens, cum ad sacrificia & cursu & expeditione opus est, in laevum humerum retorquetur.* Pari inquam modo chlamydem suam venator suspendat, si bene verba Aurelii assequor. Sin minus, quocunque modo accipiantur, susque deque fero. VLIT.

93. Nexibus:] Fibulam intelligit. De qua melius nos doceat Eruditiss. Smythius, quam ego aliud agendo. Hoc tamen patiatur velim, dum impatientius commentarium illius expectamus, ut triplicem ejus usum totidem praemissis conjecturis meis annectam, monstrante Isidoro: *Fibulae*, inquit, *sunt quibus pectus feminarum ornatur, vel pallium tenetur viris in humeris, seu cingulum in lumbis.* Ita lego. De priore usu non disputo. Alter adhiberi possit non ad connectendam in dextro humero chlamydem modo, sed suspendendam quoque in laevo; adeo ut geminae in humeris fibulae fuisse videantur. Maxime in illis, quas ἀλλικοχείρεις vocat Hesychius: cujus verba ita lego: Ἄλλικα, χλαμύδα, ἐπιπόρπημα· οἱ δὲ εἶδος χλαμύδος ἀλλικοχείρη. Suidas & Etymologicum magnum chlamydem à Thessalis ita vocari tradunt, adducuntque Callimachi versum:

Ἄλλικα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνετῇσι.

Ubi plures uni chlamydi fibulas dari videmus, quibus suspendatur. Ejusmodi chlamydem intelligit etiam Lucianus in Dial. Ἐρωτες. τὴν ἱερὰν χλαμύδα ταῖς ἐπωμίοις περόναις συρράψας ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐξέρχεται. Cum plures fibulas ad figendam in humeris chlamydem ponat, una ad conjungendas oras sufficiente, altera ad sinum suspendendum adhibita fuisse videtur. Philostratus id in Meleagro accincto ad venationem clare demonstrat: καὶ αἱ χεῖρες ἐς ὦμον γυμναί, διὰ τὸ ἐνεργοὺς εἶναι, τῆς ἐσθῆτος ἐκεῖ ἐς περόνας ξυνεχομένης. Et de Atalanta ibidem: χλαμύδα τε κροκοβαφῆ ὑπὲρ αὐχένος κολπάζεις, τὸ θέρειον ὕφανε. Claudianus ii. de Raptu Proserpinae:

Collectae tereti nodantur jaspide vestes.

Quod expeditionis vel itineris ergo fiebat. Fulgentius lib. i. Mythol. *Erat enim gravido pectore, crine neglecto, talo tenus bis tinctam recolligens vestem: quod credo & itineris propter, & ne Maeandrices limbos aculeati herbarum vertices scinderent.* Sed quid est *talo tenus* recolligere vestem? an idem quod ab usque talo? Vetustissimus liber meus scriptum exhibet: *talotenus bistinctum.* Ego malim, *talo tenus discinctam rec. v. quod crede & itineri se properet*, vel *properaret.* Nam quod in aliis libris editur, *itineris propter difficultatem*, ex glossemate mei codicis profectum est, & sensui incongruum. Nisi autem fuisset *discincta* vestis, non opus erat recolligi. Ideo sic malo; quam *bis tinctam*, & ad Tyria δίβαφα referri. Quomodo & Servius illa Aeneid. iv. exponit: *purpuream subnectit fibula vestem*; quam *Sidoniam chlamydem* Poëta dixerat: *Subnectit*, inquit, *quid aliud est quam sursum nectit, ac per hoc succinctum facit?* Cui scilicet altera ex ἐπωμίοις περόναις, apud Lucianum, inserviat. Unde lucem quoque capiat vexatissimus locus Ammiani Marcellini lib. xiv. quem ita constituo: *Sudant sub ponderibus lacernarum, quas collis insertas jugulis ipsis adnectunt, nimia subtegminum tenuitate perflabiles, filis extantes crebris in locis omnibus, maximeque sinistra, ut longiores fimbriae tunicae perspicua illuceant varietate liciorum*, &c. MS. Regius diserte habet, *jugulis ipsis adnectunt*, ne quid conjecturae nostrae temere hic vindicemus: nisi quatenus eâ in reliquis opus erat. ironice autem illos tangit, qui quasi sibi oneri essent lacernae nimis quam tenues ac leves, non contenti solito modo fibulatas induisse, eas insuper col-

Adsint, & docilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, diva, tuum frondosa per avia vatem.
Te sequimur: tu pande domos & lustra ferarum.

Huc

NOTAE.

collectas iterum alia fibula jugulis ipsis adnectebant. Tale quid in togae structura notat Quintilianus lib. XI. *Operire autem humerum cum toto jugulo non oportet.* Tentabam & aliquando apud Ammianum: *cingulis insuper adnectant.* Eodem fere sensu; quod lacernas jam leves collo insertas graviter ferrent, nisi insuper cingulis adnecterent. *Cingulis adnectere* improprie, ut contra *fibulas stringere* apud Spartianum. Cingula vero ipsa & balthei fibulis nectebantur. Hic tertius usus fibulae apud Isidorum, qua *cingulum in lumbis* tenetur, & quidem *mulierum*, ut quibusdam in libris additur. Quod a Varrone hausisse videtur, lib. IV de L. L. *Cinctus & cingulum*, ait ille, *à cingendo; alterum viris, alterum mulieribus attributum.* Sed de eo non disputo. Promiscuus enim postea cingulorum usus non tantum in tunicis, sed chlamydibus quoque substringendis. Idque ipsum hoc loco baltheus agit, si non obliquus, sed pro cingulo capiatur. Cujus optionem lectori relinquo, ut tandem operi instituto accingar. VLIT. Ovid. Metam. lib. 14. v. 345.

Phoenicean fulvo Chlamydem contractus in auro. JOHNS.

93. IMPLICITOS] Contrarios demissis, reductos, & subligatos. Cave horridum quid capias. BART. *Braided.* JOHNS.

93. DIADEMATE] Divis quoque, tamquam legitimis regibus, *diademata* dabant nationes. Et ita capita eorum in statuis vinciebant. Sic inter Atheniensium simulacra recenset Pausanias Ἀπόλλωνα ἀναδούμενον ταινίᾳ τὴν κεφαλήν. Lucianus Philopseude de statua Pelichi. Διαδεδεμένον τὴν κεφαλὴν τῇ ταινίᾳ. Paullo post. εἶδον ὅτι ἐπὶ δεξιᾷ τῶν Κρόνων ταινίας καὶ στεφάνους ξηροὺς εἶχον. Et hic honos inter divinos, ut in historia de Amore insani adolescentis in statuam apud Aelianum ποικ. lib. IX. cap. XXXIX. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἔπειθεν ἀναδῆσαι πολλαῖς ταινίαις, καὶ στεφανῶσαι τὸ ἄγαλμα καὶ θῦσαι, καὶ κόσμον αὐτῷ περιβαλὼν πολυτελῆ, εἶτα ἑαυτὸν ἀπέκτεινε μυρία ἀπορήσας. BART.

94. FACILES,] Amatorium. de Nymfis Virgil. Bucol.

Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymfae risere, sacello. BART.

94. VIRIDI JUVENTA] Quae in flore sunt annorum *viridia* dicuntur. Vide ad Claudianum & Boëthium. Sic & χλωρὸς Graecis. Theocritus Cynisca.

——— δεῖ ποιεῖν ἄχρι γόνυ χλωρόν
Πάντες γηραλέοι, καὶ ἐπισχερὼ ἐς χρόνον ἕρπει
Λευκαίνει ὁ χρόνος. ποιεῖν τι δεῖ ὡς γόνυ χλωρόν:

Sic μέλε χλωρὸν apud Homerum Iliad. Λ. τυρὸς χλωρὸς Aristophanem Ranis. πῦρ χλωρὸν Aeschylum. BART.

95. NYMFAE, UNDE AMNIBUS HUMOR,] Has Nymfas speciatim *Hydriades* appellat Nonnus. lib. XLIII

——— μίξατε Βάκχαις
Ὑδριάδας·

Libro XXIII. ubi Bacchus Hydaspen fluvium exurit.

Ὑδριάδων δὲ φάλαγγες ἀναμπέχονες ἀπὸ ταρσῶν
Γυμναὶ κυμαίνοντες ἀπεπλάζοντο μελάθρων.

Cujus imitatione nos eas in Latium invehere sumus ausi, libro primo Leandridos.

Omnia nubentum vrarunt hac secla nec usquam
Tam genitalis ager: Dryades, nemorumque Napaeae,
Nereidesque alto Neptuni è sanguine Nymfae,
Hydriades, fonte que & stantia stagna, citisque
Fluctibus in gremium properantia, Flamina ponti,
Cypridos heic fixi telis, connubia curant.

Ηγρίδας vocat Moschus Epitaph. Adonid. Nemesianus noster Virgilium allusit. Illo versu;

------ *Nymfae, genus amnibus unde est* BART.

96. DECANTET] Illis cantantibus recinat. JOHNS.

96. OREADES] Montium Nymphae. Calpurnius.

Humanum non calcatura cruorem
Per juga siccato velox pede currit Oreas.

Vide Strabonem libro X. BART.

97. AVIA] Loca à viis remota. Virgilius lib. IX.

——— *Aditamque per avia quaerit.* BART.

98. DOMOS FERARUM.] Lucret. lib. I.

Frundiferasque domus avium ———

Gratius v. CCXXXV.

——— *Juxtaque domus quaesita ferarum.*

BART.

Huc igitur, mecum quisquis percussus amore
Venandi, damnas lites, avidosque tumultus,
Civileisque fugis strepitus, bellique fragores,
Nec praedas avidas sectaris gurgite ponti;

Prin-

VARIAE LECTIONES.

99. *Huc*] Steyn. *Hinc.*
100. *Avidosque*] *Rabidosque*, vel *Pavidosque* Vlit.
102. *Avidus*] Ita ego. *avido* A. & P. forte: *avide sectaris.* VLIT. *avido* edit. Johns. *ponti*] *pontum* G. & B.

NOTAE.

99. Huc] Omnes Codi. *Hinc.* JOHNS.

99. PERCUSSUS] Vide ad Calpurnium Eclog. VII. BART.

100. DAMNAS LITES,] Urbanorum tumultuum, & injusti juris exercitiis nullum opponitur dignius homine vitae genus divinis recessibus ad rura & venationes innocuas, ideoque prisci illi Heroës cum diis versati, habebant prius omnibus aliis venandi studium, vide Xenophontem κυνηγετικῷ. Pollucem praefat. libri v. Onomast. Alios, quos longum nominare, & nos de Heroïci hujus ludi laudibus tres nuper libellos edolavimus. BART.

100. AVIDOS] Recte *avidos:* omnis enim urbanus tumultus habendi caussa vertitur. Omnia vitia avaritiae cedunt. Duo verba jus fasque omne confundunt, *meum* & *tuum.* quae qui ex reb. humanis tollere possit, coelum è terra faciet. BART. Recte conjecit Vlitius *rabidos*, vel *pavidos.* *Avidus* enim iterum occurrit versu fere proximo. JOHNS.

101. STREPITUS,] *Ubi Legicrepi tundunt, latrant fora, classica turbant*, ut ait Varro Atacinus. BART.

102. PRAEDAS SECTARIS GURGITE PONTI:] Horat.

Currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Aratus de aureo seculo.

——— χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα,
Καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον.

Talia multa apud Ovidium, Manilium, Tibullum, Hesiodum, Horatium, & neminem non Poëtarum. In veteri editione alia scriptura est hujus versus:

——— *Praedas avido sectaris gurgite pontum.*

Unde non aliter quam hoc modo Nemesianum reliquisse arbitror, quicquid correxerint alii.

Nec praedans avido sectaris gurgite pontum.

Primum *praedatores* appellat, qui praedae gratia mare transmittunt, eleganter oppido. Deinde gurgitem inexhaustum avaritiae, quem nulla ingluvies satiare potest, *ponti gurgiti* opponit. *Avido gurgite habendi sectaris pontum.* prorsus festivissime dictum. Ita Boëthius lib. II. de Consolatione carmine II.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno Copia cornu.
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querellas.
Sed quaesita vorans saepe rapacitas
Altos pandit hiatus.

Theocritus.

Ἀλλ' ἶσος μὲν ὁ μόχθος ἐπ' αἰόνι κύματα μετρεῖν,
Ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ,
Ἢ ὕδατι νίζειν θολερὰν ἰοειδεῖ πλίνθον.
Καὶ φιλοκερδῆ καὶ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν.

Gurgitem avaritiae prorsus simili modo dixit Prudentius Hamartigenia, divino carmine.

Gurges avaritiae, finis quem nullus habendi
Temperat ———

Plura apud plurimos. Nobis satis est Nemesianum restituisse pristinae sententiae, quam blenni corruperant. Porro in sequentibus de canibus ex Polluce, Xenophonte, Gratio, Oppiano, Geoponicis, omnia cuivis patentia colligere animus non est. Quisque ea in promtu habet, & nos alio maxime properamus. BART.

102. NEC PRAEDAS] Barthius adjutu V. C. legit:

Nec praedans avido sectaris gurgite pontum.

Tum construit: *avido gurgite* habendi *sectaris pontum*; Praedatores intelligens, qui praedae gratia mare transmittunt. Et postquam ipse sibi in admiratione tantae suae ἀστοχίας deficit, addit:

Principio tibi cura canum non segnis ab anno
Incipiat primo, cum Janus temporis auctor

Pan-

VARIAE LECTIONES.

104. *Janus*] *Sanus* A. *Janus* Pyth. recte.

NOTAE.

dit: nobis satis est Nemesianum restituisse pristinae sententiae, quam blenni corruperant. Euge, Barthi! Ego tamen blennis illis, qui veterem lectionem servarunt, quam tibi & codici isti tuo pro lubitu omnia novanti, lubens accedam. ' Non mercatores sed piscatores hic rejicit venator Aurelius. *Sectari praedas gurgite ponti*, piscari est. *Sequi praedas* eadem in re dixit Manilius lib. v. ubi post venatores piscatorum etiam genituram Cancro subjicit:

Horrendumque fretis in bella lacessere pontum,
Et colare vagos inductis retibus amnes,
Ac per nulla sequi dubitant vestigia praedas.

Praedae marinae, pro piscibus, meminit eodem modo Macrobius lib ii. Saturnal. cap. xi. initio. Et Seneca Nat. Quaest. lib. iii. cap. xvii. venationis marinae aviditatem reprehendit. Pro *avido gurgite* tamen, quia praecessit, *avidosque tumultus*, malim *rapido*, aut *rabido*: ut Serenus Sammonicus: *Sive maris rabidi sudor*. Perperam ibi, *avidi*, alias legitur; vel ibi, *rabidos*, *pavidosve tumultus*. Nec temere tamen *avidus* in editione mea est, quia *avido* ex *avidus* factum videtur. Ut mox: *quamvis avidus, primos contemnere foetus Malueris.* Plato lib. vii. de LL. Legislatoriis verbis ita juvenes à piscatione dehortatur: Ὦ φίλοι, εἴθ' ὑμᾶς μήτε τις ἐπιθυμία μήτ' ἔρως τῆς περὶ θάλατταν θήρας ποτὲ λάβοι. *Utinam vos*, inquit, *ô boni*, *nunquam aviditas aut amor sectandi in gurgite praedas capiat.* Subjicit post alia deinceps: πεζῶν δὴ μόνον θήρευσίς τε καὶ ἄγρα λοιπὴ τοῖς παρ' ἡμῖν ἀθληταῖς. *Pedestris itaque venatio sola relinquitur, quae à nostris exerceatur.* Oppianus quoque initio κυνηγετικῶν piscationem venationi, quanquam totidem de illa, quâm hâc, libros scripsit, postposuit. Quo minus mirum videri debet Aurelium nostrum, si modo ἁλιευτικά, quae Vopiscus recenset, ipsius sunt, venationem hic, cui jam intentior erat, piscationi praeferre. VLIT.

102. Avidus] Ita Pythoe. Steyn. Aldin. nec mutandum erat. Quod autem Vlitius his verbis *piscationem* significari contra Barthium contendit, à loco alienissimum mihi videtur. adverte modo seriem rerum. *Huc*, inquit Nemesianus, *mecum veni, quicunque lites, tumultus, civiles strepitus, bellique fragores aversaris, nec sectaris* piscationem. Quicquamne frigidius aut dici aut fingi potest, post illa sonora, & luctifica? Non credo. Tibulli locus huic quoque lucem afferet.

Praeda feras acies cinxit discordibus armis
Hinc furor, hinc caedes —
Praeda vago jussit geminare pericula ponto.

Per *praedam* intelligas, rapinam; sed & latiori sensu etiam *merces externas* includat. *avidum* autem vocat *pontum*, quia navigantes, ipsas simul & praedas saepe inhiantibus demergit undis. JOHNS.

103. Cura canum] Educandorum scilicet, in qua totus hic est Nemesianus, eique versus centum impendit. Primo tempus, corpus, aetatem foeturae idonea designat. A partu statim meliores sive signis sive matris judicio secernit. Tum ad nutrituram & educationem transit. Adultos denique instituere incipit. His itaque terminis κυνοπαιδεία limitatur; quam solam, quoad canes, hoc libro tractat Poëta noster: nisi quatenus & medicinam eorum in partem εἰσαγωγικῆς adjecit. Quae omnia in curam canum proprie veniunt. VLIT.

103. Anno primo,] Hoc est, anni principio. Columella libro xii. cap. xxi. *Statim prima vindemia tres aut quatuor notas musti experietur.* Virgilius lib. xi.

Vota Deûm primo victor solvebat Eoo. BART.

104. Janus temporis auctor] Ideo Janum Romani primum in anno colunt, quia is primus, cujus inter Italicos Deos historia exstabat. Herodianus libro i. μετὰ Μάρκον νέου μὲν γὰρ ἔτους τὴν ἐπιοῦσαν ἔμελλον ἡμέραν, σέβουσι δὲ τὴν ἑορτὴν οἱ Ῥωμαῖοι εἰς θεὸν ἀρχαιότατον τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριον ἀναφέροντες, Φασὶ γὰρ αὐτῷ καὶ Κρόνον, ὑπὸ Διὸς ἐκβληθέντα τῆς ἀρχῆς. καθελθόντα εἰς γῆν γενέσθαι ξένον. δείσαντα δὲ τὴν τοῦ παιδὸς δυναστείαν, παρ' αὐτῷ κρυπτόμενον λαθεῖν. ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα ἀποθέσθαι τῷ χώρῳ

105 Pandit inocciduum bissenis mensibus aevum.
Elige tunc cursu facilem, facilemque recursu,
Seu Lacedaemonio natam, seu rure Molosso,

Non

VARIAE LECTIONES.

105. *Inocciduum*] Ita Pyth. *in occid.* A. Steyn. & P.
107. *Lacedaemonio*] *Lacedaemonie.* Steyn.

NOTAE.

τῆς Ἰταλίας, Λάτιόν τε κληθῆναι, ἀπὸ τῆς ἐκεῖ ἀδήλου φανέντας εἰς τὴν ἐπιχώριον προσαγωγήν. διὰ ταῦτά τοι καὶ μέχρι νῦν Ἰταλίοι τὰ μὲν Κρόνια προσαγορεύουσι, θεὸν τὸν λαχόντα, τὴν δὲ εἰς δεξιὰν ἱερουργίαν ἄγουσι τῷ τῆς Ἰταλίας ἔθει. διατεθέντων οὖν αὐτῷ ἱερῶν τὸ ἄγαλμα, ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν ὁ ἐνιαυτὸς ἄρχεταί τε καὶ παύεται. Habes brevibus omnem Jani historiam, & cur in eum desiverit; eoque rursus annus inceperit. BART.

104. Cum Janus] Sequitur in hoc Xenophontem cap. xx. *Σκυλακεύειν δεῖ τὰς κύνας ἐπανιέντας τοῦ πόνου τοῦ χειμῶνος, ἵνα ἔχωσι τὴν ἡσυχίαν πρὸς τὸ ἦρ ἐκάγονται τὴν φύσιν γενναίαν. Hyeme laboribus absolutas ad foetum submittere oportet, ut quietem nactae vere generosam prolem producant.* Sed reliqui id in ver fere protrahunt. Varro lib. II. de R. R. cap. IX. de canibus: *De foetura, principium admittendi faciunt veris principio; tunc enim dicuntur catulire, id est, ostendere se velle maritari. Quae tum admissae pariunt circiter solstitio: praegnantes enim solent esse ternos menses.* Certe non ante ad coitum arcessendae, quam catuliunt, quod σκυζᾷν vocat Aristoteles. Sed Xenophon id hyeme illis quoque accidere putavit. Aristoteles nullo certo tempore constituit. Aliis maturius seriusve hunc pruritum obvenire usus & ratio monstrant; adeoque & coitum per opportunitatem illam commode haberi: quantumvis vernos coitus nobis praedicet Oppianus. VLIT. Ed. Steyn. *Sanus.* Pythoe. *Janus.* recte. JOHNS.

104. Temporis auctor] Statius Silvarum IV.

Ipse etiam immensi reparator maximus aevi,
Attollit vultus, & utroque a limine grateis
Janus agit BART.

Ovid. I. Fast. v. 65.

Jane biceps, anni tacite labentis origo. JOHNS.

105. Inocciduum aevum.] Claudian.

——— *Inexhausto redeuntia secula motu.*

Vide Notas Consul. Olyb. idem *inoccidui* voce utitur II. Raptus.

Semper inocciduos insepitosque manere. BART. Editi ante Pythoeum divisim exhibent, *in occiduum* male. *aevum* enim *inocciduum* est perpetuo revolutum orbe. *pandit* autem *Janus*, quia Januarius primus est anni mensis. JOHNS.

106. Facilem,] Superius: *facile cane sumere praedas.* Non hinc tamen celeritatem, ut Barthius interpretatur, sed aut agilitatem aut obtemperantiam potius agnoscas. Agilitas in eo consistit, cum leporem strictim deflectentem hac illac strictiore gyro intercipit. Quae summa etiam hodie in Vertragis laus est. Obtemperantia vero, cum ut ipse infra canit,

——— *nerunt hortamina vocis,*
Seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus.

De quo ibi latius. Ideo hic *facilem cursu facilemque recursu* commendat. VLIT. Qui pro Venatoris lubitu cursum revocat, tenditve. JOHNS.

107. Lacedaemonio] *Spartani canes* inter nobilissimos, quanquam aptiores ad cursum fuisse puto quam pugnam ex Gratii Cynegetico. Aristenaetus libro I. Epistola XVIII. *ὥσπερ δὲ αἱ λάκαιναι σκύλακες δυσιζαβεῖς τε καὶ ἰχνεύουσαι ἔπη δ' ἂν αἴσθοιο τινὸς τῆς σῆς ἀμέλει θήρας ἄξιον.* Pindarus. *λάκαιναν ἐπὶ θηρσὶ κύνα τρέφειν, πυκινώτατον ἑρπετόν.* Nonnus lib XVI. Virgilius Georg. III. Oppianus, Xenophon. BART. Lacedaemonii sive Spartani canes primatum antiquitus inter sagaces obtinuerunt, ut Molossi inter bellicosos; quemadmodum superiore commentario multis id demonstravimus. Paulatim vero exinde mixtis non illis modo inter se, sed velocibus quoque cum illis, maxime extra patriam suam; adeo degeneravit proles eorum, ut nihil fere praeter nomen ab origine sua servarint. Propter solum itaque nomen eum celebrarentur tamen, factum est, ut in quocunque genere optimi postea & Spartani, &, si acriores aliquantum erant, Molossi dicerentur. Quibus comprobatur emendatio mea in Gratii v. CCXI. *non vile genus, nunc patria vulgo Sparta.* Quo respexisse Aurelius hoc loco videtur, & cum Lacedaemonium hic pro alio

Non humili de gente canem. sit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato
Costarum sub fine decenter prona carinam,
Quae sensim rursus sicca se colligat alvo,

Re-

NOTAE.

alio quovis genere, & cum *Non humili de gente canem* vocavit. Sed & Maro, quamquam aliter jam à me defensus, in hanc vulgi opinionem transierat pridem, cum pro pecuariis commendat, *Veloces Spartae catulos*, tamquam idem genus cum *acri Molosso*. Ut contra, *veloces Molossos, latratoresque Molossos*, hoc nomine minus excusandus, dixit Martialis. Nam συνεκδοχὴ, quam alii obtendunt, non satis hic veniae meretur; nisi apud Grammaticorum tribunal. Hinc jam intelligimus cur Aurelius, qui hoc quidem libro veloces tantum exercet, Laconicum tamen & Molossum pro optimis nominat: ut *Spartanum* Ammianus. VLIT.

107. Molosso,] *Molossi* celeberrimi canum. Horatius:

Domus alta Molossis
Personuit canibus. Virgilius.
Veloces Spartae catulos, acremque Molossum.

Seneca Hippolyto.

Teneant acres lora molossos.

Dracontius Hexaemero.

Et raucos timuit discurrens dama molossos.

Plurimi alii horum meminerunt. BART.

108. Cruribus altis,] Forma elegans canis apud Oppianum Cynegetico primo, qui & celeres & pugnaces disjunctim describit. Vide & Xenophontem. BART.

108. Altis,] Oppianus.

Ὀρθοτενῆς κώλων ταναοί, δολιχήρεες ἱερί.

Sed ista comparare invicem quivis poterit. BART.

109. Pectore] Sic Gratius v. 274, 275.

—— *validis tum surgat pectus ab armis*, &c. JOHNS.

110. Costarum] Distingue:

Costarum, sub fine decenter prona, carinam.

Nam qua anteriores pedes seu armi incipiunt, pronior est canis talis, ibique *carina* illa, quam dicit Nemesianus, costarum desinit. Ita breviores primos pedes vult Oppianus, ut carina sit evidentior. BART. Ubi utrinque terminantur & desinunt costae. JOHNS.

110. Decenter prona] *Gracefully sloping.* JOHNS.

110. Carinam,] Referunt brutorum pectora *carinam*. Plinius libro xi. cap. xxxvii. *Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum, volucribus magis, & inter eas aquaticis maxime.* Sic *navis corporis* apud Lucret iv. BART. Plinius lib. xi. cap. xxxvii. sub finem: *Pectus homini tantum latum; reliquis carinatum, volucribus magis, & inter eas aquaticis maxime.* Quae Nemesiano paria faciunt. Sed inter canes nulli magis carinatum, quam Vertragis: nec in quo id magis requisitum eâ, quam ad Gratium dixi, de causâ. Quibus ut hoc maxime, ita & reliqua Nemesiani descriptio convenit, ut ad Gratium ostendi: ne hic actum agam. Barthius ad ipsos authores, qui canes delineant, lectorem relegat, quia alio maxime properat: puto ad nugas suas. Hinc illa nobis hoc versu argutula distinctio, sed inepta prorsus. Hinc post Plinii locum, *navim corporis*, quasi eodem modo id intelligendum, sic quoque Lucretio dici, allegar. Sed ille de corpore humano loquitur, cui omnino carinatum pectus non esse dixerat Plinius. Nec adeo propter figuram, sed motum, comparatio illa à Lucretio fit, ut ipsa verba declarant. VLIT. Ita *navem* quoque pro ventre αἰσχρολογικῶς posuit Plautus Menaech. Act. ii. Sc. 3. Et Julia Augusti filia *navim* vocabat uterum, ut observat Riolanus. VLIT. *in Add.*

111. Sicca] Tenui. Ad vivum describit figuram canum venaticorum, qui apud nos hodie maxime celeres habentur, & *ventorum* vocabulo veniunt. Et ista descriptio docet nos quantus Poëta fuerit Olympius, longe enim & Oppiani Graecam descriptionem & Gratii allusiones Latinas paucis versibus superavit. Ita *siccam dictionem* dixit Cicero de Oratore, pro exili & jejuna. Et apud eumdem de Senectute *siccum* pro firmo exponit Nonius Marcellus. *Sicca puella* apud Plautum bene compacta. Nam aliter qui exponunt, hallucinantur. BART. Non pendulâ, & solutâ; Gratius mirâ brevitate rem tamen totam circumscripsit

—— *Astricti succingant ilia ventres.* JOHNS.

111. Se colligat] Ita de cane Ovidius libro iii.

Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon. JOHNS.

112. Re-

Renibus ampla satis vadis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.
Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum,

Dum

VARIAE LECTIONES.

113. *Nimis*] Ita omn. libb. *minus* B.

NOTAE.

112. Renibus] Lumbis, ut recte interpretatur antistes maximus antiquae eruditionis Turnebus lib. v. c. vi. Oppianus.

Ὀσφύες εὔσαρκοι μὴ πίονες.

Posteriori aevo hoc usitatissimum. Witichindus Saxo. *Saxones habentes cultellos ad renes.* Et tales alii. BART. Lumbis. Turnebus. JOHNS.

112. Diducta coxas,] Oppian. *πλατέων ἐπικάρσια ταρσά.* BART. *Spread.* lata, non contracta. JOHNS.

113. Nimis molles] Omnino legendum est, *minus molles :* Etsi nostra editio vetus nil mutet à vulgo vulgatis. aures enim membranis quibusdam substrictas & curtas volunt scriptores. Oppianus.

——— *βαιὰ δ' ὕπερθεν*
Οὔατα λεπταλέοισι περιστείλοντο ὑμέσσι.

Xenophon aures parvas ac tenues, posteriore parte glabras eligit. De hoc loco ita censemus. BART. Et hic suum agit Barthius, ut sui ubique similis sit, omnino legendum clamans, *minus molles.* Sed ego nimis molles & delicatas aures habeo, quae hoc non ferant: ille minus molles, rigidas, adeoque asininas, quam ut quid rectum sit discernant. Dic, sodes, si *minus molles* aures sint, quomodo *fluitent ?* Atqui Oppianus breves vult. Breves eligit, inquis, Xenophon. Ideone rigidas ac duras velle censes? Arrige aures tuas rigidas, ut quae ipse adduxti tibi, audias:

——— *βαιὰ δ' ὕπερθεν*
Οὔατα λεπταλέοισι περιστείλοντο ὑμέσσι.
Vestiat auriculas tenuis membrana superne.

Et ipse Xenophon à te citatus aures ipsas tenues, posteriore parte glabras eligit. Cur ausus itaque effari es, aures membranis quibusdam substrictas volunt scriptores? Utcunque curtas voluerint aliqui (nemo autem tam rigide substrictas aut suffultas) alia illis, ac Nemesiano, ratio fuit; quae te omnis fugit. Aristoteles, quod nondum monui, cap. vi. Physiognomon. mediocribus auribus praeditos praestare existimat, *τοὺς κωφὰς τὰς ἀγρίας ὦτα μέτρια ἔχοντας;* quia parvae *πιθηκώδεις*, magnae *ὀνώδεις*. Sed ille veloces non novit: & forsan bellicosos intellexit. Vult autem noster non *molles* tantum, sed & fluentes, sive flaccidas; ut Varronianus ille, *auriculis magnis & flaccis.* Quantum vero hoc velocitatis adjumentum, & agilitatis temperamentum sit, ad Gratium ostendi. Eaque de causa & hic ab Aurelio nostro & à minore Xenophonte in Vertrago requisitum. Verba ejus non parcam iterum adscribere: *Ὦτα δὲ μεγάλα ἔστω ταῖς κυσὶν, καὶ μαλθακὰ, ὥστε ὑπὸ μεγέθους καὶ μαλακότητος ἐπικεκλασμένα φαίνεσθαι. οὕτως ἂν εἴη κράτιστα. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ εἰ ὀρθὰ φαίνοιτο, οὐ πονηρὸν, εἰ μὴ σμικρά τε εἴη καὶ σκληρά.* *Aures canibus sint magnae adeo mollesque, ut prae magnitudine ac mollitie fractae videantur: tales enim praestantissimae. Sed & si arrectae appareant, ferri possunt; modo ne breves & durae sint.* Quid planius dici potest? De re itaque convenit. An verba non intellexti, & *nimis* pro *valde* positum nusquam observasti, homo in toties mille auctorum, praesertim recentiorum, lectione versatissime? Nihil tritius apud recentiores. Ne plura investigem, unicum sufficit quod ad manum habebam in Glossario MS. Amplissimi Petavii: *Olympus, mons Macedoniae nimis procelsus.* VLIT. Demetrius Cynosophii cap. iv. *Τὰ ὦτα ἐχέτωσαν μεγάλα καὶ μαλθακὰ, ἵνα ἐκ τοῦ μεγέθους καὶ μαλθακότητος ἐπιβρεπῆ ὦσι.* Vide reliqua in Editione Hieracosophii, quam Lutetiae anno 1612. curavit N. Rigaltius. VLIT. *in Add.* Pro *valde*, nihil tritius apud optimos Auctores. JOHNS.

114. Parilem submitte marem,] Gratius: *Junge pares.* quod illi à Marone mutuatum. *Submittere* autem hic est admittere. Virgilius Georg. iii. ita dixit equos *in spem submittere gentis.* Servius ibi: *id est, quos vis admissarios fieri.* Unde intelligendum & illud Ecl. i. *submittite tauros.* Ne dubitemus cum Servio, utrum de terra an sobole exercenda loquatur. Contra *admitti* pro submitti vaccas dixit Palladius Martio

tit.

Dum superant vires, dum laeto flore juventus,
Corporis & venis primaevi sanguis abundat.
Namque graves morbi subeunt, segnisque senectus:
Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.

Sed

VARIAE LECTIONES.

115. *Juventus*] Ita A. Steyn. *juventas* P.
116. *Abundat*] *Abundans* A. G. & B.

NOTAE.

tit. XI. *Nec ante aetatem trimam tauris oportet admitti.* Ita optimae notae codex scriptum exhibet. Varro etiam de canibus foeminis: *quae tum admissae pariunt circiter solstitio.* VLIT.

114. SUBMITTE MAREM,] Enallage est. Ipsa enim mari est submittenda, non mas faeminae cani. Harum figurarum exempla multa notamus in Analectis Poëticis. BART. Admitte, junge. JOHNS.

114. OMNIA] Graecanicum. πάντα καλὸς, πάντα ἄκρος.

Virgil. l. IV.

Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.

libro IX.

——— Ibat Apollo
Omnia longaevo similis, vocemque coloremque.

BART.

115. FLORE] Vide ad Gratium versu CXCVIII. BART.

115. JUVENTUS,] Heinsius. *juventas.* juventutis nimirum Dea, pro juventute posita. quam vocem Gronovius quoque multoties restituit. JOHNS.

116. CORPORIS] Post hanc vocem locanda distinctio. In editione veteri *abundans* legitur. quod nobis non displicet. BART.

116. PRIMAEVI] Adolescentis. *Primaevi* sunt qui in primo aevo & flore annorum. Virgilius lib. X.

Hic Curibus fidens primaevo corpore Lausus.

Auctor Phaenicis.

Ast ubi primaeva coepit florere Juventa.

Pedo.

Meae, inquit, juvenis primaevi, Juppiter, ante
Augustam Bruti non cecidisse fidem.

Et primum aevum Juventas ipsa. Valerius Flaccus lib. VII. Argonauticôn.

Occidis! heu prime petes hoc durare sub aevo.

BART.

117. NAMQUE GRAVES &c.] A Marone habet Georg. III. *subeunt morbi tristisque senectus.* Unde & illa postea: *Nam tristes morbi*, & quae sequuntur. *Segnem* noster dixit senectutem, ex alio ejusdem libri loco:

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectae.

Ubi perperam *senectae non turpi* ignoscendum prodigiosa constructione ariolantur interpretes: perperam alii, *& turpi*, eodem sensu legunt; inducti, ni fallor, eo, quod *domo*, *in domo* interpretetur Servius. Quod non aliter accipiendum, quam mox apud Nemesianum: *Abdaturve domo*, ut suo loco ostendam. Senem enim ablegandum censet Maro, nec ignoscendum aetati, quia & turpis, & segnis, & *Frigidus in Venerem*, & alias ob causas, quas addit. VLIT.

117. SUBEUNT,] Georg. *subeunt morbi, tristisque senectus.* BART. Clam obrepunt canibus. JOHNS.

118. DABUNT] Generabunt. Nam *dare* ita usurpatur à Poëtis. Claudianus Fescenninis.

Te Leda mallet quam dare Castorem.

Idem alio loco, ubi nos plura. BART. Quinam, quaeso, dabunt? an morbi? eo quidem sensu *dabunt* idem erit quod *reddent*, *efficient.* languet autem illud *invalidam non firmo robore.* *invalidus* enim ille est, cui non *firmum* est *robur.* an canes? ita quidem puto. *Dabunt* vero est *creabunt.* Ita Catullus. in nuptias Juliae & Manlii. *ludite, ut lubet, & brevi Liberos date.* Virg. Aeneid. I. 274. expressius. *partu dabit Ilia prolem.* *Invalidam* autem mendae suspectum habeo pro *invalidi.* Tum vero (ingruente nimirum senectute) ipsi canes invalidi prolem quoque creabunt non firmo robore. JOHNS.

Sed diversa magis foeturae convenit aetas.
Tu bis vicenis plenum jam mensibus acrem
In Venerem permitte marem: sit foemina, binos
Quae tulerit soles, haec optima cura jugandis.
Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos
Pascendum catulos: divisa Britannia mittit

Ve-

NOTAE.

119. Diversa] Diversam aetatem masculi & faeminae canis aptiorem ait foeturae. Masculum dicit annorum trium & dimidii, faeminam duorum. BART. Inter se. maris nempe & foeminae. de stato autem tempore varie varii. JOHNS.

120. Bis vicenis mensibus] Pollux l. v. c. vii. Ὥρα ἀρίστη κυνῶν πρὸς πλήρωσίν τε καὶ γένεσιν, τῷ μὲν ἄῤῥενι τέταρτον ἔτος δεξαμένῳ, τελευτῶντι τὸ ὄγδοον. ἡ δὲ θήλεια τρίτις, μέχρις ἐξακτίδος συνδυάζεσθαι. Masculo annum quartum, foeminae tertium coeundi initium facit: Aurelius vero quadragesimum mensem, id est, annum fere sesquitertium masculo, secundum foeminae constituit ad coitum. Reliqui auctores pro lubitu canibus fere volgivagam Venerem concedunt; nisi quod Columella lib. vii. cap. penult. *huic quadrupedi*, ait, *neque feeminae neque mari nisi post annum permittenda Venus est; quae si teneris conceditur, carpit & corpus & vires, animosque degenerat.* Et hinc Plinius lib. viii. c. xl. *Canum generibus annui partus, justa ad pariendum annua aetas. Justa* scilicet, cum teneris excesserunt, aut saltem ut per aetatem possunt. Ita enim indistincte loquitur Aristoteles lib. v. Hist. Animal. cap. xiv. unde illa habet Plinius. At idem lib. x. cap. lxiii. semestres jam consummati virium roboris facit: *Existimantur*, inquit, *in urina attollere crus fere semestres: id est signum consummati virium roboris.* Fuerunt illi ob oculos illa Aristotelis lib. vi. Hist. animal. cap. xx. Τὸ δὲ σκέλος αἴρουσιν οὐροῦσιν οἱ ἄῤῥενες, ὡς μὲν ἐπὶ τὸ πολὺ ἑξάμηνοι ὄντες. Hactenus verbum verbo exprimit Plinius. Sed quod sequitur: ὡς δὲ ἁπλῶς εἰπεῖν, ὅταν ὀχεύειν ἄρξωνται, τότε ποιοῦσι. Pro eo ille incogitanter illa sequentia posuit: quasi cum coire incipiunt, id signum consummati virium roboris sit. Eadem ibi supinitate justum coëundi tempus semestre vocat, oblitus ejus quod annuum id superius lib. viii. determinaverit: *caeterae canes & semestres coitum patiuntur: quae ante justum tempus concepere, diutius caecos habent catulos.* Ego sane ne Columellae quidem assentiar statim post annum permittendam illis Venerem, cum nec tunc satis consummati roboris sint: nec tamen ad quartum annum commode differri. Quare merito haec optima cura jugandis ab Aurelio dicitur, quae medium servat. Cui proxime consentit Xenophon minor cap. xxvi. ἀπὸ τριῶν μὲν ἐτῶν ἐφίεσθαι ἐν ὥρᾳ ἂν εἴη τῇ ξυμμίξει. *Exacte triennio justa admittendi aetas erit.* Nec mirum, cum utrque vertragos instituat. VLIT. Sub finem anni tertii. JOHNS.

120. Plenum] Maturum. Virgil. *plenis nubilis annis.* Statius quasi parphrastes, Achilleide prima.

——— *Expleto teneri jam fine puderis*
Virginitas matura toris, annique tumenteis.

Quasi plenus dicatur qui explevit annos pudoris. Claudianus i. de Raptu.

——— *Virina toro plenis adoleverat annis*
Virginitas. BART.

122. Tulerit soles.] Sic *ferre aetatem* Ciceronis dicterio nota phrasis apud Macrobium lib. ii. cap. iii. BART.

123. Spartanos tantum,] Reprehendit Scaliger hominem post formam descriptam jam ad patrias redire. Haec talia talibus Poëtis exigua sunt peccata. BART.

124. Pascendum catulos:] Observa accusativum post *pascendum.* Virgil. alicubi. *pacemque à rege petendum.* JOHNS.

124. Divisa Britannia] Nota allusio Maronis Eclogis.

——— *Toto divises orbe Britannos.*

Sidonius.

——— *Longeque remotas*
Sole sub occiduo gentes, victricia Caesar
Signa Caledonios transvexit adusque Britannos.

Senecae persona Octavia.

En qui Britannis primus imposuit jugum
Ignota & ante classibus texit freta.

Huc pertinent eruditissimi versus Pedonis Albino-

Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

Nec

NOTAE.

novani in navigatione Germanici, apud Senecam Patrem. De canibus Britannis Gratius, Oppianus. BART. Tria canum genera, & in unoquoque optimos habet etiamnum Britannia, totumque dimittuntur per orbem jam ab Strabonis aevo usque. Sed ille & Claudianus & Gratius de bellicosis tantum loquuntur, ut apud hunc ostendi. Hic itaque & sagacibus & velocibus suus locus erit. De Sagacibus primum agemus. Eorum hodie tria genera non tantum magnitudine, sed etiam sensuum, ac virium constitutione diversa. Maximum sagacitate praestat, sed ob corporis molem tardissimum: ideoque *flowhounts*, & qui eorum ad cervos vulneratos sanguinis destillatione tracti ducunt, *bloudhonts*. i. sanguinarii vocantur. Sub hoc genere fere omnes *inductores* veniunt, & maxime Segusii, quos apud alterum Xenophontem examinabo. Secundum magnitudine & sagacitate est, quos *fleethounts* vocant, à velocitate, Petronii à me accensos apud Gratium: quos & hic forte intellexerit Nemesianus, quia *Veloces* vocat. Minimum quoad corporis magnitudinem plane id ipsum genus est, quod Agassaeorum nomine describit Oppianus; *begles* vocant indigenae. Maximos, ut dixi, ad Xenophontis Junioris cap. III. introducam. Minores jam apud Gratium descripsi v. ccii. quae inde peti, quam hic repeti, malo. Hosne intelligat Nemesianus, an veloces tantum sive vertragos, disquirendum est. Ex forma canis, quam descripsit modo, & ex institutione tironum, quam infra habebimus, satis patet celeribus tantum sive Vertragis addictum fuisse. Sed quia & in aliis generibus eadem quoad educationem praecepta observanda sunt, ideo post formam & speciem, quae diversa unicuique generi convenit, ad reliqua etiam sagaces ac generosos cum velocibus suis admittit.. Ut quamvis ipse iis non uteretur, alii tamen, qui alterutros praeferrent, haec quoque ad illos praecepta pertinere scirent. Ideo scilicet instituta haec à proposito digressio, ut iterum ad genera reverteretur, quibus formae illa delineatio, quam celeribus appropriaverat, inconveniens erat. Ideo quippe & Thuscos canes in ultimum rejecit, quia, ut ipse ibi loquitur,

——— *est forma illis obsita villo,*
Dissimilesque habeant catulis velocibus artus.

De quo plura inibi. Primos in hac classe extraordinaria merito itaque faciat Britannicos sagaci-celeres, quia proxime ad *veloces* accedunt, ideoque eo adjuncto à sequentibus distinxit, qui bellicosi sunt: non autem quia *veloces* tantum sint. Ita quidem & digressio haec excusetur, quae absque eo sit reprehensionem non exit; & aevo illi historia canum propius accedat, quo Vertragi omnes aut è Gallia petiti, aut saltem pro Gallicis habiti fuerunt, ut ad Xenophontis Junioris Cynegeticum ostendam. At enimvero si quis urgeat *τὸ veloces* omnino Vertragis tantum tribuendum: & tantum aevi inter Xenophontem illum ac Aurelium intercessisse, ut jam è Britannia, qui olim è Gallia, peti potuerint; praesertim cum & hodie ibi excellant vertragi: aequo sane utrimque argumentorum pondere tota haec quaestio suspendatur. Nam etiam ordinis interruptio, quae tum maxime appareret, levi trajectione evitetur, si vii. versus hi à cxxiii. usque cxxx. superiore alicubi loco interferantur, sive ante illum, *Huic parilem*, &c. sive illum, *Sed diversa magis* Ut illa inter se omnino continuentur: *haec optima cura jugandis. Mox cum se bina*, &c. Sed pene oblitus eram illud pro priore sententia addere, quod cum dicat Italici *orbis venatibus aptos*, ubi montosa pleraque sunt, Vertragis id omnino contrarium esse, qui, ut alibi dixi, per plana & campestria tantum, à quibus nomen habent, ad visum venantur; caetera inutiles. Quin etiam si odores sectentur, pro vitio habetur: quia aliud agendo, sicubi se interim proripiat lepus, non prospiciunt. Quod si considerasset Joh. Cajus, nunquam hos pro Agassaeis, aut illos apud Oppianum pro Vertragis, aut Vertragos pro tumulariis habuisset. Sed de his ad Gratium. De Agassaeis autem opportunum est cum illo disceptare: vel eo nomine quod tertium sint Britannicorum sagacium genus, magnitudine secundis inferiores, caetera pares fere; nisi quod & lentius investigent. Quam parvi sint, non semel innuit Oppianus, primo *βαιὸν γένος* vocando: tum domesticis catellis comparando. Unde etiam intelligere mihi videor reliquam vestigationis normam, quam abinde usque ad

 finem

Nec tibi Pannonicae stirpis temnatur origo,
Nec quorum proles de sanguine manat Ibero.

Quin

N O T A E.

finem lib. I. prosequitur, Agassaeis attribuendam: quia sub finem repetit:

—— καὶ δ' ἴχνεσιν ἔξοχος ἐσθλός

Βαιὸς, ὑφ' ἡμισέαις κεκαλυμμένος, ἢ καλάμοισιν.

ut initio dixerat, πειρηθῆναι σκυλακήων, quod non ad catulorum tironum institutionem, qualem apud nostrum infra habemus, sed ad experiendum Agassaeorum aliquem pertinet. Σκυλακῆες dicuntur ob pusillum corpus. Falsus in illo doctissimus Interpres: in hoc etiam bonus Rittershusius, quod dicat hodie grandes adeo esse Britannicos canes. Sunt enim Agassaei illi (*beagles* nunc vocant) adeo aliquando exiles, & parvi, ut tres simul leporem in cubili suo invadentes viderim invitos à praeda sua, cui mordicus inhaerebant, nihilominus eluctante relinqui. Et ipse binos nutrivi adeo delicatos & tenellos, ut manu una totos circumambirem. Sed hi commensales potius, & lusui magis, quam ad venatum idonei habentur. Reliquum genus ut his quidem majusculum fere, ita nihilominus simile, & prorsus, ut Oppiano fingitur,

Γυρὸν, ἀσαρκότατον, λασιότριχον, ὄμμασι νωθές.
Corpore distorti vesco, cutis hispida, lippi.

Quae maxime ineptiam Caji evincunt, quod Agassaeos quasi ἀπὸ τοῦ *gaze*, ab intuendo, formavit, qua in re maxime vitiosi sunt. Sed etiam in ipsis, quos ille Agassaeos vocat, vertragis hoc vitium est, si stantes colliment, quid petant potissimum, ubi praedae copia est. Tum nec reliqua parum discrepant: corpore illi tam parvo; hi plerique procero: illi λασιότριχοι semper, hi raro: tum imprimis

Ῥίνεσι δ' αὖτε μάλιστα πανέξοχός ἐστιν Ἀγασσεὺς,
Καὶ στίβῃ πανάριστος,
Naris odorisequae tam indagine praestat Agasseus;

Quam vertragus cursu: ille inter venandum etiam latrat, sed ejulanter magis quam reliqui sagaces, ideoque κνίζειν ab Oppiano dicitur: hic vel domi semper tacitus: ille ὀνυχέσσι πόδας κεκορυθμένος ἀγκυλίοισι, unde postea in experimento sagacitatis suae dicitur ὀξυτέροισι δαμασσάμενος ὀνύχεσσι, acutis praedam subigens unguibus; hic vero ore omnia peragit, unguibus nihil praeter caeteros munitus. Denique, ut verbo absolvam, hic Vertragus Vertragus, est: ille Agassaeus nihil prius quam Agassaeus, idemque olim, qui nunc. VLIT.

125. NOSTRI ORBIS] Eleganter Britanniam à nostro orbe exemplo Maronis segregat. BART.

125. NOSTRIQUE] Italiae ibi enim, relictâ Africâ, commoratus est Nemesianus. JOHNS.

126. PANNONICAE] Pannonicos, Iberos, & Libycos hic jam pro bellicosis, ut dicebam, disponit, eo fine, ut si quis id genus amaret, hos in eo excellere, & eodem cum reliquis modo educandos esse sciret. Παίονες certe principatum quoque in catalogo Oppiani ducunt, quippe bellicosissimi: ideoque cum Creticis, quae sagaces fuerunt, ab eodem miscentur. Pollux inter venaticos non recenset, sed postea inter celeberrimos fortitudine Triacada, Pannonicum canem, memorat, à Pane Pannoniarum Satrape Alexandro Regi donatum. Idem paulo post: καὶ μὴν Μάγνητας μὲν τοὺς ἐπὶ Μαιάνδρῳ περιθεῖν κυνὰς πολέμων ὑπασπιστάς. τοιοῦτοι δὲ ἦσαν καὶ Παίοσιν αἱ συνθῆραι κύνες. *Magnetes quidem canes bellorum administros alere: id ipsum vero venatices Paeonibus canes suos praestare.* Idem de Gallis narrat Strabo, alibi ad hoc citatus. VLIT.

127. IBERO.] Ἰβηρικαὶ, Polluci, Ἴβηρες Oppiano. Quaerendum, ait Gesnerus, utrum Europaei an Asiatici sint, ut si Asiatici sint, iidem sint cum Phasianis, quos hodie appellant, quasi Phaside oriundi. Interpretes aliqui apud Oppianum pro Hispanicis habuerunt: quos tamen nemo inter antiquos illis oggessit. Imo vix hodie aliqui memoratu digni inde advehuntur. Nisi quis putet accipitrarios illos, quos *Spanicos* Angli & Galli vocant, in Anglia quam Hispania frequentiores longe, hinc originem sumpsisse. Ejusdem generis, nisi fallor, etiam Phasiani sunt, quos cum Ibericis eosdem putat esse Gesnerus, non à Phaside, sed à Phasianis avibus, in quarum aucupio adhibentur, denominati. At tales ab Ibericis nostris diversissimi, qui bellicosis à Nemesiano accensentur. Quapropter non aliam illis, quam Asiaticam Iberiam, patriam assignaverim, Albaniae bellicosis canibus Alexandro M. oblatis memoratissimae conterminam adeo, ut pleraque vivendi instituta, teste Stabone lib. XI. utriusque incolae inter se communia habuerint. Eo accedente, quod, ut bellicosi tantum in-

Quin etiam ficcae Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non fpreveris ufum.
Mox cum fe bina formarit lampade Phoebe

Ex

NOTAE.

inter Afiaticos canes memorabiles fuerint, ita fupra reliquos univerfi terrarum orbis excelluerint. Quapropter Strabonis illa, quae poft alia inter Iberos & Albanos comparata fubdidit: Θηρευτικοὶ δ᾽ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν εἰς ὑπερβολήν. *Excellunt venatione tam ipfi quam canes eorum*, non minus ad Iberos quam Albanos referenda effe videntur. VLIT.

128 Siccae Libyes] Magna pars Africae ficca arenifque fqualida. Vide Curtium & Arrianum in Alexand. rebus. Lucanum lib. ix. Claudian. de Raptu.

Inftar anhelantis Libyae, quae torrida femper
Solibus, humano nefcit manfuefcere cultu.

Alia vero pars Libyae eo magis opulenta eft proventibus frugum. ut teftes Columella lib. iii. c. viii. Seneca Thyefte. Claud. Laude Serenae. Sidonius panegyrico Aviti. Lucanus l. iii. Petronius Satirico. Prudentius contra Symmachum. ii. Ut illa fit alterum ex horreis populi Romani nuncupata, de quo alibi fcripfimus multa. BART. De Libycis canibus nemo praeter Aurelium, qui dum forfan Carthagine haec fcribebat illos in patria fua noverit. Nifi Aegyptii iis accenfeantur, Βουκολίων ἀγροί, adeoque bellicofi, quos vocat Oppianus. Qui tamen ab aliis magis ob religionem, qua eos habuerunt Aegyptii, quam ob ufum aliquem celebrantur. Et fi attente verba poëtae perpendimus, non aliam quam Ξηρολιβύην intelligit, quae fpeciatim ita ob ficcitatem dicta. *Sicciorem Libyam* vocat etiam Ammianus, & eo nomine à reliqua diftinguit lib. xxii. Hos putat Nemefianus, non univerfim Africanos. Bellicofos fuiffe ipfo epitheto, *acres*, demonftrat, quod Moloffis à Marone & Seneca tribuitur. Nec quicquam virium illis demit, quod vocentur hic *Catuli* &c. VLIT.

128. In finibus] Nimirum qua Aegyptum attingit Libya. Oppianus Cyneget. i. v. ccclxxiv. BART.

129. Catuli,] Ita namque & *catulos*, Britannos de generofiffimis bellatoribus dixit Gratius. Ita σκύλακες paffim Oppiano cujufvis generis adulti canes. Sed quod idem Agaffaeos σκυλάκων γένος ἄλκιμον ἰχνευτῆρα vocet, non ideo iidem cum *catulis* Britannis apud Grathum & pro bellicofis haberi poffunt.. Γένος ἄλκιμον non ibi eft, genus bellicofum, aut *robuftum*, ut bonus Rittershufius vertit: qui enim poteft ita dici, quod non nifi in lepores, timidiffimum animalculum, vel ab ipfo Oppiano mittitur? aut quid roboris tam macilento ac vefco corpufculo, quale illis etiam ab Oppiano tribuitur, afferibi queat? Sed γένος ἄλκιμον ἰχνευτῆρα eft quod ftrenue inveftigat, multumque in eo pollens. Ita apud Homerum alicubi ἄλκιμον ἔγχος, valida ac proba hafta, non autem, *qua ftrenuitas exerceatur*, ut vir doctiffimus expofuit. VLIT.

130. Bina] LX. dies geftare uterum Xenophon tradit. Ariftoteles non minus quam tot dies, nec plus quam tres & fexaginta. v. Hiftor. cap. xiv. ideo ait nofter mox à bina Lunae circumactione. BART. Plinius de canibus: *gerunt uterum fexagenis diebus.* & alibi de Laconicis: *ferunt fexaginta diebus & plurimum tribus.* Sed Ariftoteles, quem fequitur Plinius, alias & quintam, & quartam anni partem explere ait, id eft, tres menfes. Unde etiam Pollux: ἡ μὲν ἡμέρας δύο καὶ ἑβδομήκοντα, καὶ ἡ τῶν σκυλακίων ὄψις παρθενομίαν ἔχει τεσσάρων καὶ δεκάτην ἡμέραν. τῆς δ᾽ ἡ μὲν κύησις τρίμηνος, τὸ δὲ τῶν σκυλακίων ἀνάβλεμμα εἰς ἑβδόμην παρατείνει καὶ δεκάτην ἡμέραν. *Aliqua etiam fert* lxxii. *diebus: cujus catuli caeci manent ad quartum & decimum diem. Nonnunquam & trimeftris partus accidit: fed catulorum tum vifus ufque in feptimum & decimum profertur diem.* Quae vulgo qua fcripturam qua verfionem ab omni fenfu aliena funt. Trimeftris itaque ad fummum canibus datur partus; ad minimum bimeftris. Huic quadrat fcripta lectio in illis Plinii: *ferunt LX. diebus; & plurimum tribus menfibus.* i. ad plurimum. Sed nihil in eo mutandum, quicquid carpat Gefnerus. Mirum videri poffit quod Varro ait: *praegnantes folent effe ternos menfes.* Mihi non item, attente verba illius confideranti. *Terni menfes* funt qui ab aequinoctio in Solftitium procedunt, atque inter ea caninos partus & ipfum quoque ver determinant. Dixerat antea: *principium admittendi faciunt veris principio: tunc enim dicuntur catulire.* Atqui ad minimum

Ex quo paſſa marem genitalia viſcera turgent,
Foecundos aperit partus matura gravedo
Continuo, largaque vides ſtrepere omnia prole:

Sed,

VARIAE LECTIONES.

132. *Foecundos*] *Foecundo ſe ap. partu* G. & B.

NOTAE.

mum XIV. diebus, aliquando & XVI. catuliunt, ut ex Xenophonte & Ariſtotele patet. Imo nec ſemper ab ipſo veris initio ſtatim pruriunt. Quo fit ut admiſſurâ longius ab aequinoctio procraſtinatâ eo propius ſolſtitium partus incidat. Addit itaque: *Quae cum admiſſae, pariunt circiter ſolſtitio: praegnantes enim ſolent eſſe ternos menſes.* Male Geſnerus allegat: *quae tum admiſſae.* quaſi ipſo principio veris initae canes ſolſtitio circiter parere dicantur à Varrone, atque adeo tres menſes totos uterum ſolitas ferre. Quod abſurdum eſt Sed *ternos menſes*, ut dixi, ſunt aequinoctium & coëundi principium, atque ſolſtitium & ultimum partum intercedentes: Aprilis, ſcilicet, Majus, & Junius. His menſibus foetura plurimum abſolvitur. Aut ſi Martio admiſſura incidat, Aprili cum Majo additis, Junii nulla computatio erit. VLIT.

131. Passa marem] Virgil. Georg. III.

Aetas Lucinam juſtosque pati Hymenaeos.

Tolerare ita Horatius:

Tauri ruentis In Venerem tolerare pondus. BART.

132. Faecundos] In Veteri Codice eſt,

Foecundo ſe aperit partu matura gravedo.

Nemini dubium eſſe debet, Nemeſianum reliquiſſe.

Foecundo ſe aperit partu matura gravedo.

Quod longe elegantiſſimum eſt, ductum à floribus qui edituri roſam aperiunt folia. Sic *nexus* & *vincula* in aperiente agnoſcit Ovidius lib. IX.

——— *magno*
Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.
——— *Junctaſque manus pavefacta remiſit*
Diva potens, uteri vinclis levet ipſa remiſſis.

Horatius carmine Seculari.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres. BART.

Non male Barthius, *Foecundo ſe aperit partu m. gr.* quam laureolam non auſus ſibi adſcribere, muſteum codicem autorem ementitur. Imo tibi, ô bone, quam Utopiae, has grates debere malumus, qui favente Lucina opem gravedini huic tuliſti. Sed quo hoc titivillitii cum Scaligero τῷ πάνυ tibi eventilandum erat, ut, quod minime neſciebat, *gravedinem* à *gravis*; non à *gravidus*, dictam eſſe illum doceres, niſi ut noctuas Athenas ferres? Non enim ille hoc negavit, aut ideo Olympium caſtigat; ſed quod abuſus ſit illa voce alieno ſignificatu. Heic virum te praeſtare debuiſti ex multiſcia illa tua memoria, & omniloqua lectione, ut alios quoque ita uſurpaſſe oſtenderes. Euge! ſucceſſit bene! *gravedine compedis mortalitatis meae conſtrictus*, inquit Auguſtinus, aut quiſquis ille. Ecquem alium das ex tot recentioribus? Imo vel ex claſſicis, Plinium, Apulejum. Ohe, quam grave tibi eſt à nugis abſtinere! Nihil enim illa quae adduxti, vel hilum huc faciunt, niſi ut eundem, qui ſemper, Barthium tete eſſe arguerent. Apage. VLIT. Barthius ex codice ſuo Germanico ſic legit,

Foecundo ſe aperit partu matura gravedo.

Quod probat Vlitius. at nullus ſuffragatur codex, nulla ſuadet neceſſitas. Haec enim loci mens. protinus illa partutientium gravedo, jam matura foecundum aperit uterum, vel aperiendo effundit numeroſam prolem. JOHNS.

132. Gravedo] *Gravis* pro gravido à Poëtis ponitur. Maro. *Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.* A *gravis* deſcendit *gravedo*, non à *gravidus*, ne quis cum Scaligero Nemeſianum incuſet, quod vocabulum, cum omnem gravationem alias notet, ad partum ſeu praegnationem deduxit Olympius. Eſt autem *gravedo* alioqui, ut dixi, gravatio. Appulejus lib. X. *Dedi non venenum, ſed ſomniferum mandragorae illud gravedinis compertae famoſum.* Ubi Plinii ſimilia verba adfert Beroaldus, plurimae lectionis homo, dignuſque cujus ingenium in noſtra tempora incidiſſet. Auguſtinus in Precationibus, quae Anshelmo ab aliis adſcribuntur, cap. XXXVII. *Quid faciam miſer ego, gravedine compedis mortalitatis meae conſtrictus, quid faciam?* BART.

134. Sed]

Sed, quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi si placitum populosos pascere foetus,
Jam macie tenues, succique videbis inanes,
Pugnantesque diu, quisnam prior ubera lambat,
Distrahere invalidam lassato viscere matrem.

Sin

NOTAE.

134. Sed] Veterem lectionem restitui. Solus Vlitius edidit *at*. JOHNS.

134. Quamvis] Avidissimus licet sis, primi tamen partûs canes, si sapias, contemnere magis è re tua fore judicabis. JOHNS.

134. Primos contemnere] Hoc etiam hodie venatoribus nostris strenue observatur. Quamquam ego contrarium expertus norim, optimos etiam canes primam foeturam nobis dedisse & laborum tolerantissimos. BART.

134. Primos contemnere foetus,] Utrum omnes qui primo foetu sive partu editi sunt? Id sane videri possit etiam Columella sensisse: *Primus effoetae partus amovendus est, quoniam tiruncula nec recte nutrit; & educatio totius habitus aufert incrementum.* Unde apud Varronem legendum censebam: *In nutricatu ad secundum partum si plures sunt, statim eligere oportet quos habere velis, reliquos abjicere. Ad secundum partum*, quia primus amovendus est. Sed vulgata lectio habet: *In nutricatu secundum partum*, i. e. post partum etiam primum. An itaque hic per *primos foetus* catulum primo editum intelligit potius Aurelius, ut is statim abjiciatur quidem: reliqui autem eum judicio fecernantur? Diversa namque ratio Columellae est, qui à primo statim anno ad foeturam admittit canes tam foeminas quam mares, ideoque tam teneram adhuc & tirunculam matrem primum partum nutrire nolit. Diversa etiam ratio, ob quam cânum è tigride gravidarum primus & secundus foetus omittuntur; quam sic reddit Plinius: *primo & secundo foetu nimis feroces putant gigni; tertio demum educant.* At Aurelius, qui canem foeminam non ante biennium ad foeturam permittit, eandem eum Columella causam non habet, ut ejus tenellam aetatem vereatur: adeoque posteriore potius modo verba ejus accipienda esse videantur. Quae tamen ratio sit, cur primogenitus contemnatur, non video equidem. Quin potius optimus ille censendus, quia plerumque patrem & fere solus refert, si Aeliano credimus lib. IX. cap. V. additâ ratione naturali: *ἔοικε δὲ φιλοσοφεῖν ἐν τῷδε ἡ φύσις προτιμῶσα τὸ ὑποδεχόμενον τὸ σπέρμα. Naturae providentia in eo apparente, quod gignentis semen excellere faciat.* Ita malim haec interpretari, quam cum doctissimo interprete adjicere, *& caeteris catulis primogenitum longe anteponi.* Plinius etiam foeminae ex primipara genitae praecipuum aliquid attribuit, ab ea *faunes cerni*. Sed si alios codices sequamur, *citius cerni* ferentes, nihil id ad praestantiam facit, uti mox dicemus. Ipse ait, *optimum esse, qui novissime cernere incipit.* VLIT.

135. Mox] Quin & futuris partubus tutius, praestabilius est *non omnes nutrire minores*. hinc enim & catuli fient macilenti, & mater invalida. JOHNS.

135. Minores.] Ex Gratio CCCII.

——— *Curaque sequere merentem,*
Illa perinde suos, ut erit delata, minores
Ad longam praestabit opem ——— BART.

137. Succique videbis inanes,] Varro: *Quam paucissimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt propter copiam lactis.* VLIT.

139. Distrahere] Respicit illa Gratii:

Ne matrem indocilis natorum turba fatiget.

Et quae apud illum sequuntur copiose ac diligenter hic (περὶ τροφῆς κ ἐκλογῆς) Aurelius noster. Quo nomine non parvam laudem meretur, cum ob curam circa catulos eligendos necessariam, tum in tanto Graecorum omnium silentio. VLIT.

139. Viscere] *Viscera* in singulari numero vulgo vitilitigent Grammatistae. Sed ablativum casum ejus numeri solum reperiri scribit Phocas in Arte. Sed *viscus apriguum* dixit Lucilius, citante Carisio li. I. Qui eodem libro in Lucretio *viscus visceris* notare nos imperat Priscianus lib. VI. Ovidii versum adducit. VI.

E quibus una trahens haerentia viscera tela.

Sammonicus Serenus. cap. XXXI.

——— *Interno cum viscere tinea serpens*
Et lumbricus edax vivant, inimica creanti.

Idem

Sin vero haec cura est, melior ne forte necetur,
Abdaturve domo, catulosque probare voluntas,
Queis nondum gressus stabiles, neque lumina passa
Luciferum videre jubar, quae prodidit usus

Per-

NOTAE.

Idem libro eodem. cap. XLIII.

Aut nitidum ranae decoctum viscus olivo.

Lucretius lib. III.

Unde cadavera rancenti jam viscere vermes
Exspirant.

Claudianus Nilo:

——— *Intendunt taurinos viscere nerves.*

Avienus in Periegesi Orbis.

Sic viresarum prolixa volumina sese
Sponte Cerastarum facili sub viscere curvant.

Arnobius libro VII.

Aliquod viscus aris fuerit traditum.

Prudentius Romano.

Vivum secatur viscus & recens cruor
Scalpella tinguit. BART.

140. MELIOR] Ut discernendi catuli boni à pravis habes luculenter apud Gratium. *Melior* hic optimus sonat. Virgilius Georgico I.

——— *Nona fugae melior, contraria furtis.*

Sic *melius* pro bene posuit Sammon. Serenus c. XXIX.

Quodque satis melius verbis dicemus Horatl.

BART.

141. ABDATURVE DOMO,] *Abdere* hoc loci pro abdicare posuit Nemesianus. *Abdatur domo*, hoc est stirpe sua abdicetur, adque alios minus nobiles, quam venatici sunt, usus dejiciatur. Nec nescio locum Virgilii de equo victo Georg. III.

——— *Abde domo nec turpi ignosce senectae.*

Ubi alia res est. Haec interpretatio heic rata sit. Sed & in Virgilio idem sensus dominabitur, si naenias futiles Grammaticorum non audieris. Quid enim est equum abdere domo, aut quis ejus abditi usus? Nimirum eum Maro quoque domo & generatione sua ejiciendum dicit, etiamsi jam senectam emeritam praeferentem. BART. Omnino Maronianum illud huc facit Georg. III. *abde domo, nec turpi ignosce senectae.* Nec ille à Servio, nec noster ab interprete bene exponitur. Virgilius eodem sensu paulo post dicit, *Rejice*: Varro, *reliquos abjicere.* Tristiore elogio apud Ammianum lib. XXIX. *tene, claude, comprime, abde, ministris officiorum tristium clamitantibus.* VLIT. Amoveatur, excludatur. Sic Tibull. Lib. 2. Eleg. 1.

Et procul ardentes hinc, precor, abde faces.

Hinc amove, amotas habe: & Virg. L. 3. Georg. de equo generoso.

Hunc quoque ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce Senectae.

Sententia Virg. haec est. hunc quoque optimum equum, signisque & re probatum, postquam senio aut morbo incurabili utilis tibi esse desiit, exclude domo, aliena, nec te misereat impotentis ejus senectae. Nemesian. dixerat antea. *primos contemnere partus*: & *non omnes nutrire minores.* Gronov. L. 4. C. 8. de pecuniâ veteri. JOHNS.

142. NEQUE LUMINA PASSA] Plinius: *gignunt caecos & quo largiore aluntur lacte, eo tardiorem visum accipiunt. Non tamen unquam ultra vicesimum primum diem, nec ante septimum. Quidam tradunt, si unus gignatur, nono die cernere: si gemini, decimo: idemque in singulos adjici, totidemque esse tarditatis ad lucem dies.* Tertia opinio est, quam ex Aristotele refert Pollux in iis quae apud eum emendavimus. Sed Aurelio cum prima optime convenit, qui ut largiore lacte alantur, non omnes nutriri vult: adeoque tardiorem iis, quos excernit, visum facit. Ideo scilicet subjicit etiam Plinius: *optimus in foetu, qui novissime cernere incipit.* Et Varro, postquam *quam paucissimos relinqui, ut optimi in alendo fiant propter copiam lactis*, praeceperat, eadem ratione adjicere videtur: *Catuli diebus viginti videre incipiunt.* Nisi id eodem modo accipiamus, quo dixit ternos menses praegnantes esse: puta ut intra dies viginti videre incipiant. Nam Aelianus lib. X. cap. XLV. tredecim dies assignat, quia totidem Luna non lucet: τρισκαίδεκα ἡμερῶν τῶ ἀφώτων καλείλεως τῷ πάθει τῷδε (caecitatis puta, τὰ σκυλάκια) ὅταν καὶ ἡ σελήνη οὐ φαίνῃ σύνδρομος. VLIT.

142. PASSA] Aperta: à *pando.* Quando catulis pandantur oculi vide Plinium libro VIII. cap. XL. BART.

143. LUCIFERUM JUBAR,] *Jubar* pro Lucife-

Percipe, & intrepidus spectatis annue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibusque leves gravibus praenoscere cursus.
Quin & flammato ducatur linea longe

Cir-

VARIAE LECTIONES.

146. *Cursu*] Ita A. & ita cit. Gesn. *cursus* Vlit.

NOTAE.

fero proprie usurpari notat Serv. IV. Aen. Illud usurpatum paucis, hoc nomen masculino genere. Vetus Epigramma.

Quaeque meat cursim aureus astra jubar:

Severus in Aethna.

Purpureoque rubens surgat jubar aureus astro.

Sed haec alibi. Vetus Codex hic plenus est tinearum, nam ad silvam Hercyniam centum plus minus annos cum iis pugnavit. BART.

144. Intrepidus] Sine metu & morâ his dictis re comprobatis lubens annue. JOHNS.

144. Spectatis] Usu comprobatis. Vide ad Eclogam primam nostri Scriptoris. BART.

145. Pondere] Gratius. CCXCIX.

Illius è manibus vires sit cura futuras
Perpensare, levis deducet pondere fratres.

Quod longe elegantissime divinus ille Poëta extulit. *Levem* enim generosum dicit catulum, quem v. 289. dicit *vix ossibus haerere*. Is in lance manuve positus ad aequilibrium, fratres deducit graviores, cum ipse ascendat videlicet altius. BART.

146. Corporibusque, &c.] Ordo hic & sensus est: ex gravibus corporibus agnosces leves cursus. Aut, ut primum Barthius construit: à gravitate corporum futuri cursus celeritatem praenoscere potes. Gravissimi enim catuli, velocissimi evadunt; quia scilicet ex pondere futura illorum magnitudo, ex magnitudine velocitas praesumitur. Praestant itaque ut in omni genere, ita etiam inter Vertragos, qui corpore maximi sunt: *nam majores, ubi caetera paria sunt, ob solam magnitudinem minoribus praestant*, teste Xenophonte Juniore, cujus verba ad Gratii v. CCLXXXI. citavi, ubi plenius hac de re locutus sum. Bene itaque Tardivus, *praestat*, inquit, *qui pendere vincit reliquos*, sive ex hoc Nemesiani loco, sive ex illo, Gratii desumpsit, *leves deducet pondere fratres*. Demetrius etiam alterutrum sequitur in libro. qui ab aliquibus ex MS. Cod. citatur, *περὶ τῆς τῶν κυνῶν ἐπιμελείας*, quem Barthius *κυνοτρόφιον* vocat in Adversariis, unde isthaec transcripsi lubens: *Ἔστι καὶ ἄλλη δοκιμασία τοῦ βελτίονος σκύλακος. ἐν ζυγῷ σταθμίσας τὰ κυνάρια ἐπιλέξαι τὸ βαρύτερον. Agnosces & meliorem inter catulos alio modo; ut nempe in libra perpendens eos, graviorem eligas.* Quanquam Gratius *è manibus perpensare* malit, tamen in eo illi cum aliis convenit, graviorem in omni genere praestare. Quae igitur tanta delirandi Barthio obstinatio est, ut post illam suam, quam supra posui, constructionem, subjiciat: Levissimus enim catulus celerrimum canem dabit? Quam myope etiam minus videt, qui cum Demetrii locum ob oculos habet, ex eo infert: Ergo utrique & leviores & graviores sunt utiles; illi ad cursum, hi ad vires? Cur hunc non jubeam cum Aristophane *εἰς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν*, qui tam inique illos in trutina examinat? Excusabilior vero in pari errore doctissimus Gesnerus, qui Tardivi illa, quae adduxi, quasi pugnantia cum Nemesiano eodem modo concilianda putavit, ut graviores ad vires, leviores ad cursum praestent. Fefellit optimum Virum vitiosa scriptura, quam priores editiones exhibent hoc loco:

Corporibusque leves gravibus praenoscere cursu.

quae tamen nullum satis idoneum sensum habet vel ad id ipsum, quod voluit, probandum. VLIT. Et catulos *cursu leves* futuros ex gravitate corporum *poteris* praenoscere, quamvis nondum experiendi detur copia. Vetustiss. Edit. *cursu*. Vlitius *cursus*. praeponit, alteram autem lectionem pro corruptâ habet. rationem saltem adjunctam oportuit. JOHNS.

146. Gravibus] A gravitate corporum futuri cursus celeritatem praenoscere potes. Levissimus enim catulus celerrimum canem dabit, BART.

146. Praenoscere] Prae gravibus corporibus noscere leves cursus. Elegantissime hoc extulit. BART.

147. Flammato] Flammas in circulum dispo-

 ne,

Circuitu, signetque habilem vapor igneus orbem.
Impune in medio possis consistere circo.
Huc omnes catuli, huc indiscreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honestos,

Ju-

VARIAE LECTIONES.

148. *Signetque*] Ita A. & Pyth. Steyn. *signet* P. & B. Ed. *Habilem*] *flabilem* G.
151. *Examine*] *Examen honesti* G. & B.

NOTAE.

ne, in earum medium tu consiste, & catulos recens natos inibi loca. Mater cum viderit prolis periculum à flammis, generosissimum quemque catulum primum eripiet. Ita ipsius parentis judicio in sobolis pretio uti poteris. BART.

147. Quin &c.] Expressit etiam haec ibidem Demetrius Constantinopolitanus; Εἰ ἐπιθυμῇς καλὰς κύνας κτᾶσθαι, οὕτως αὐτὰς δοκίμαζε· στεφανοειδῆ κύκλον ποίησαι ἀπὸ χόρτου, ὅσον περιγυρικὸ τροχοῦ ἁμάξης, θὲς τὰ σκυλάκια εἰς μέσον τοῦ κύκλου· τὴν δὲ κύνα ἔχε ἰδίᾳ· ὕφαπτε δὲ τὸν χόρτον· ὑφαπτομένου ἀπόλυε τὴν κύνα· καὶ ἴδῃς ὅτι εἰσέρχεται ἀνὰ μέσον τοῦ πυρὸς μὴ φοβουμένη, ἀλλὰ φίλτρῳ κατεχομένη τῶν ἰδίων τέκνων· ἐκλέγεται δὲ φυσικῷ τινι πόθῳ καὶ διαφορίζει τὰ βελτίονα, καὶ ἐξάγει. *Si bonos canes habere desideras, hoc modo proba: orbem circularem ex foeno compone, ad ambitum rotae carpentariae: medio circuitus intervallo catulos constitue. Matrem vero eorum seorsim tene, donec accenso foeno solvas. Illa protinus per medium ignem accurret, nihil metuens prae amore catulorum suorum: & naturali quodam instinctu ac judicio optimum quemque excernens auferet.* Ita haec legenda & interpretanda censeo, quae an male citaverit Barthius, aut utrum ab alio perperam descripta habuerit, nondum comperi Nec etiam satis certo scio editusne hic liber Demetrii, an MS. penes illum fuerit. Hoc sane doleo, nunquam me eum videre potuisse: sine quo Graecorum Cynegeticorum Editio, quam molior, imperfecta prorsus sit. VLIT. Porro autem ducatur linea circularis, satis patens, flammis accensa, vaporque igneus describat orbem habilem, ita ut quivis *possit impune consistere in medio circo.* pro *in medio* ego lubens legerem *ut medio*. JOHNS.

148. Vapor igneus] Ignis ipse. vide ad Ceirin plurima hujus generis collecta nobis exempla. Sic Maro *vaporem* pro igne posuit lib. v.

—— Lentusque carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis,
Nec vires heroum, infusaque flumina prosunt.

Lucretius lib v.

Sed periisse hominum torrenti secla vapore.

Apud quem pluries ita usurpatum habes. BART.

148. Habilem] Vetus liber, *flabilem*. An dicemus contractionis figura usum Nemesianum? ut ex trisyllaba dissyllabam vocem fecerit? Non placet. *Habilem* enim aptum instituto operi dicit orbem. Ut Maro de vitibus Georgico. II.

Pinguibus hae terris habiles.

Quomodo Columella lib. III. cap. II. *habilem arbori & jugo* dixit BART.

149. Possis] Eleganter τὸ *ut* omissum subintelligendum est. Ita Appulejus lib. IV. *placuit primum ad hunc ferremus aditum.* lib. II. *contendit caenae interessem.* libro VI. *petit de te Venus medicum, de tua mittas ei formositate.* lib. VII *suadet tantisper pusillis itineribus insisteretur.* lib. VIII. *Extorquet tamdem collapsa membra cibo refoveret.* Sed praepositiones frequenter ab scriptoribus omitti docuerunt nos Servius & Tiberius Donatus, si quis ille tamen est praeter nomen ad Maronem. Et nos in Indice ad Madaurensem pluribus hac de re perscripsimus. BART.

150. Catuli,] Elisio neglecta vocalis. Quod etiam his Poëtis, aevi jam cadentis, usurpatum ad Calpurnii Eclogam quintam notavimus. BART. Ultima syllaba in *catuli* nullam patitur Synaloepham ita Virgil. & passim.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis. JOHNS.

151. Dabit] Hoc examine, hâc probatione mater indicabit tibi, & cognitam dabit egregiam prolem. JOHNS.

151. Partus] Omnino scribendum ut in codice nostro legitur,

—— partus examen honesti.

Ille autem versiculus,

Indicio notos servans, tepidoque periclo,

nullo vestigio nec est nec fuit in eodem libro, mangonum manus minime passo. Et videtur intrusus potius quam ingenuus, citra omnem enim questum sententiae exsulare potest. Et vadat Morboniam. BART.

151. Ho-

Judicio natos servans, trepidoque periclo.
Nam postquam conclusa videt sua germina flammis,
Continuo saltu transcendens fervida zonae
Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili;
Mox alium, mox deinde alium. sic conscia mater
Segregat egregiam sobolem virtutis amore.
Hos igitur genitrice simul, jam vere sereno,

Mol-

VARIAE LECTIONES.

152. *Judicio*] Ita omn. libb. *Indicio* B. Ed. Deest hic v. in G. quod probat B.

NOTAE.

151. HONESTI,] Generosi *Honestum* enim & *generosum* parum absunt ab sese invicem. Persius.

——— *Excoctum generoso pectus honesto*. BART.

152. JUDICIO &c.] Id est, διακρίσει, ut verbotenus fere haec retulit in istis Demetrius. *Servans natos trepido periclo*, i. à periculo tam horrendo & jam instanti. *Trepidus* hic non est, timens, sed qui timetur: Ut *nescius*, tam qui nescit, quam nescitur: *notus*, qui noscit, & qui noscitur. Phaedrus Fab. XI.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

i. qui eum noscunt, & non noscunt. Inepte Barthius: *Ignotus fallit, notus e. d.* Et sexcenta id genus alia. Quae si intellexisset Barthius, codicem potius suum mangonum manus passum, quod negat, confessus esset, quam ipse versum hunc tam nequam mangonio ejecisset, aut Morboniam, id est, Utopiam ablegasset, quo ipsum facessere aequius sit, unde malum huc intulit pedem. Sed & in eo vere mangonizat, quod cum omnes Editiones habeant *judicio*, ille *indicio* edat, & citet, suoque illhoc errore inductus, alios errare, quia non secum errant, existimet. Εἰς Μασσυλίαν. VLIT. Διακρίσει, discrimine, unum prae alio eligendo. JOHNS.

152. TREPIDO] Horrendo. passive enim sumitur. *Vlit.* JOHNS.

154 CONTINUO] Protinus transiliens circulum flammatum, quo quasi vinclis undique catuli includuntur, ore corripit principem maximeque eximium, & in cubile portat. BART.

154. ZONAE] Eleganter cingulum seu zonam flammae dicit, quae in orbem colligata quasi compescit intus canes. Sic *zonae* in coelo circuli dicuntur, quos *fascias* vocat Martianus Capella libro. VI. Manilius *Balteos* lib. III. BART.

155. VINCLA.] Distingue.

——— *fervida zonae*
Vincla rapit rictu primum.

Primus est princeps, sive praestantissimus. ut apud Virgilium.

——— *Trojae qui primus ab oris*
Italiam fato profugus Lavinaque venit
Littora.

Nam ibi principem intelligendum multis docet S. Aurelius Victor in Originibus Romanis. BART.

155. PORTATQUE CUBILI] Plinius de Canibus: *Optimus in foetu, qui novissime cernere incipit, aut quem primum fert in cubile foeta.* Id plane in hoc probandi modo evenit: quanquam non de eo Plinius loqui videatur, sed cum statim post partum catulos foris forte genitos in cubile suum portat. Ibi enim, ut bene monet Varro, *substernitur eis acus, aut quid aliud, quod molliore cubili facilius educantur.* Idem in adultis observari praecipit Xenophon minor cap. IX. Οὐδὲν δὲ οἷον εὐνὴ μαλθακὴ καὶ ἀλεεινή. *Nihil aeque juvat ac cubile molle & calidum.* Idque toto eo capite commendat. VLIT.

156. CONSCIA] Secreto pulsa instinctu. JOHNS.

158. SIMUL GENITRICE] omissum *cum*.

Hunc simul, dixit Maro Aen. V.
Hunc Salius simul & Patron.

Plura in Indice Appulejano. σὺν θεῷ. BART. ἅμα τῇ τεκούσῃ. Rufus Festus Avienus: *nunc silvas inter oberrant Conjugibus natisque simul.* Tacitus etiam non semel ita loquutus, ut in Indice observat nuperus Editor. Errat vero quod *simul* pro *cum* poni putat. Nam τὸ *cum*, quod saepe ἐκλείπει, subintelligitur in τῷ *simul*, ut plenum sit, *simul cum*. Noster infra: *Bacchi latices Tritonide oliva Admiscere decet*, subintellige, *cum*.

Vir-

Molli pasce sero. passim nam lactis abundans

Tem-

NOTAE.

Virgilius Georg. IV. *Ixionei vento rota constitit orbis.* Item in exitu Aeneidos IX. *sese omnibus armis In fluvium dedit.* Ubi *τὸ cum* deficere, ut saepe alibi, notat Servius. Unde versum illum ultimum Ecl. VII

Ex ille Corydon, Corydon est tempore nobis.

Interpretari solebam, pro nobiscum. Quanquam quid alii sentiant, susque deque feram. Calpurnius sane non omittendus hac occasione, ut melior, si possit, prodeat. Ecl. V. *vivi quoque pondera melle Argenti coquito.* Si sana haec lectio est, subintelligendum, *cum melle.* Sed Romana antiquissima Editio aliud quippiam suspicari me facit, ut suo loco dicam. Idem Ecl. VII.

Manticoram, & silvis etiam quibus editur Alcen Vidimus.

i. cum silvis, vel, in silvis. Ita legendum & distinguendum erat. Alces X. etiam in silva sua memorabili ediderat Gordianus senior, teste Capitolino. Et totam etiam silvam à Probo constructam in Amphitheatro refert Vopiscus. Quae pueris jam nota vix erat ut dicenda hic putarem, nisi pueriliter nimis in hisce errasse vidissem Barthium. Qui etiam huc illa Maronis adducit: *Hunc Salius simul & Patron.* Quasi *τὸ Hunc* à *τῷ simul* regi possit; cum praecesserit, *secutus.* Construit enim, *Hunc simul.* pro, simul cum hoc. Eoque exemplo hic contentus reliqua in Indice Appulejano, id est, asinino, promittit. Vae iterum Lucio! VLIT. Una cum genetrice. Silius. Lib. 5 *avulsa est pretinus bestis Ore simul cervix.* Gronov. JOHNS.

158. VERE SERENO,] Admittendos hyeme canes, ut verno tempore faetus producatur docet Xenophon. De Cura & nutritione canum vide Geoponica, & Latinos rei rusticae scriptores. vide & Phaemonis libellum, Xenophontem, alios. Nam quae omnibus obvia nullum operae pretium exscribi. BART. Ut in admissurae tempore hyemali, ita & in vere commendando nutriturae Xenophontem sequitur hic Aurelius. Ait enim ille: ἡ γὰρ ὥρα πρὸς τὰς αὐξήσεις τῶν κυνῶν κρατίστη αὕτη. *Hoc anni tempus ad canum incrementa plurimum conducit.* Et alter cap. XXIX. περὶ καιροῦ πρὸς τὴν σκυλακείαν ἐπιτήδειον, verbotenus fere eum ita sequitur: Κράτιστον δὲ ὥρα εἰς σκυλακείαν ἡ τοῦ ἦρος. Videantur reliqua, in quibus rationes addit. Σκυλακείαν enim, non eo sensu quo τὸ σκυλακεύειν, posuit, sed pro nutritione & pastione canina. Pollux: Σκυλακεία δὲ, ἡ μὲν τις ποιεῖσθαι σκυλάκων ἀνατροφή· ἡ δὲ τούτων γένεσις. Καὶ τοι τὸ σκυλακεύειν τὰς κύνας τοῦ χειμῶνος, ἔστιν ἐμπιμπλάναι σκυλάκων, καὶ ὀχεύειν. Hoc modo legendus & distinguendus corruptissimus & male habitus ab interprete locus. Explicat illa Xenophontis cap. XX. Σκυλακεύειν δεῖ τοῦ χειμῶνος, &c. Et simul alteri lucem dat cap. XII. ἀλλὰ πρὸς σκληρὰν κύνα καὶ πεπηγυῖαν ἅμα τῇ σκυλακευομένῃ λυέτω. id est, *cum gravidâ.* Vide quae ad Gratii v. CCLXXXVI. observavi hac super re. VLIT.

159. PASCE SERO, PASSIM] Ita distinguendum. Inepte vulgo: *pasce sero passim. Nam lactis abundans*, &c. quod ineptius etiam interpretatur Barthius, ut nulla sine nugis linea praetereat. Refert enim *τὸ passim* ad catulos, ut passim, non uni loco inclusi, sed hinc inde vagantes pascantur; ut aërem discant pati. Egregiam vero rationem! Sed ad rem. Quod sero pascendum catulos dicat noster, re & verbo imitatur Maronem Georg. III. *Spartae catulos, acremque Molossum Pasce sero pingui.* Servius: *sero*] *Aqua lactis, quae pingues efficit canes.* Columella: *omnes sine discrimine canes ordeacea farina cum sero commode pascit.* Licet enim illi de adultis loquantur, eadem catulis praeberi plerique volunt, etiam statim à nativitate. Varro in Geoponicis Graecis: *Ipsis vero catulis recens ortis opitulabimur: matris enim mamma non sufficit; ac proinde lacte bubulo jureque ossium imbuentes panes in pabulum eis offeramus.* Contra Gratius à matre depulsis primum illa communis vitae impendia offert. Et Xenophon major tum demum, cum oberrare incipiunt, in annum illa concedit. Alter, qui probare se consilium ejus affirmat, nullius tamen quam lactis meminit. Quod quia ad Gratium notavi, hic non repetam. Facit cum iis etiam Columella: *quod si effoeta lacte deficitur, caprinum maxime convenit praeberi catulis, dum fiant mensium quatuor.* Itaque primis mensibus ad minimum duobus eos sub matre relinquunt, qui maternum lac sufficere ac praestare credunt. Et Fronto in Geoponicis expresse bimestre spacium iis relinquit. Xenophon junior inter utrumque tenet, ut matri potius quam catulis consulat; praesentis, quam futuri, providens. Ait enim: μὴ ἐᾶν ἐκτρέφειν αὐτὴν, ὅτι μὴ ἐς ὅσον ἀποκουφίζῃ τὸ πολὺ τοῦ γάλακτος. *ne suos ipsa catulos educet, nisi quatenus nimio lactis levetur.* VLIT.

159. Se-

Tempus adeſt, albent plenis & ovilia mulctris.
Interdumque cibo Cererem cum lacte miniſtra,
Fortibus ut ſuccis teneras complere medullas
Poſſint, & validas jam tunc promittere vires.
Sed poſtquam Phoebus candentem fervidus axem
Contigerit, tardaſque vias, cancrique morantis

Si-

NOTAE.

159. Sero.] annum integrum canes paſcendos lacte praecipit Xenophon in aureolo ſuo libello, addendoſque eos cibos, quibus eos ſemper nutrire velis, nulloſque praeter hos. BART. *Whey.* JOHNS.

159. Passim] Non uni loco incluſos, ſed hinc inde vagantes, ut diſcant aërem pati. BART.

161. Cibo cum lacte] Cibus ſit lac, ſed interdum farra addi ſuadet, plane ut Xenophon. BART.

161. Cibo Cererem cum lacte] Interdum & mazam pro cibo dari vult catulis, ut fortiores evadant. De maza jam dixi. Quando autem illam dari velit Nemeſianus, non exprimit. Imo ſi verba ejus ſequimur, etiam ab origine cum lacte ſimul praebenda: non tamen cotidie, ſed *interdum.* nec ſemper, ſed uſque in quartum menſem. *Tunc conſuetam minuiſſe ſaginam Profuerit.* Itaque eo uſque maza ali aſſueſcunt ab ipſa, ut dixi, origine. Ea deinceps abſtinent in menſem uſque octavum. Contra major Xenophon, non ab initio uſque, ſed, *ὁπότ' ἂν ἤδη πλανῶσι τὰ σκέλη, cum crura natantia ponunt* (ut noſter infra) ſis lac praeberi ſuadet: non uſque in quartum menſem, ſed *μέχρι ἐνιαυτοῦ·* non interdum cum maza, ſed promiſcue cum quovis cibo canino, quo per totam vitam aluntur. Oſſa, panem, & jus vel fabarum coctarum, ut Columella; vel oſſium, ut Varro docet, intellige. Hic enim & catulis praeberi talia monet in Geoponicis. Multa igitur inter Aurelii noſter & Xenophontis leges ſumptuarias diſcrepantia eſt: ut appareat quam plano oculo utraſque inſpexerit, qui plane eaſdem eſſe cenſet. Niſi bene omnem *διάνοιαν* eliſiſſe ſe autumet, Aurelium ita conſtituendo: *Cererem cum cibo lacte miniſtrant*; ut cibus, inquit, ſit lac; ſed interdum farra addi ſuadeat, plane ut Xenophon. Imo Ceres cum lacte, eſt maza, cibo miniſtranda. VLIT. In cibum. mazam intelligit. JOHNS.

163. Jam tunc] In ipſâ nimirum infantiâ. JOHNS.

163. Promittere] Id eſt augere. Plinius ſimiliter *arbores ſe promittere* dixit. quod *ſubjicere* Virgilius. *libro.* XVI. *cap.* XXVI. *In maxima tamen admiratione pinus eſt, habet fructum matureſcentem, habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio. Nec ulla arbor avidius ſe promittit.* Sic *promiſſae parteis* in animantibus dicuntur, quae inſigniter auctae. ut Columella lib. VII. cap. IX. BART.

163. Promittere vires.] Plinius lib. XVI. cap. XXVI. *In maxima tamen admiratione pinus eſt: habet fructum matureſcentem, habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio: nec ulla arbor avidius ſe promittit.* Ita catuli validas promittunt vires, qui bene paſti incrementa corporis & membrorum oſtendunt, quamvis male adhuc cohaerentium, & immaturo robore. Gratius *pignora* talia promiſſa vocat, quibus futuras vires licet *perpenſare*, & quis ſit *Ille tuos olim non defecturus honores. Promittere* itaque eſt ſpondere; non augere. Nec aliter apud Plinium: ad quem nihil facit Virgilianum, *ſe ſubjicit alnus.* Valeant etiam & ducem ſuum, qui eos hic intempeſtive inducit, ſequantur cum *promiſſo ventre* porcelli Columelliani, eique promittendo, atque id ſit augendo, quantum lubet, indulgeant; modo ne tales *animantes* relicta hara caninas aulas accedant, unde talia avidae impendia vitae longe arceantur. VLIT.

165. Tardasque vias,] Cum dies longiſſimus eſt. BART.

165. Cancrique] Tum enim aeſtas intenſiſſima. Nonnus libro XXXVIII Dionyſiacorum.

Καὶ θέρος σειρίου συγχεόμενον ἄγγελον ὥρης,
Θερμοτέρης ἀκτῖνι πυρώδεα γαῖαν ἱμάσσων,
Ἰφινόης ... νόστον ἔδ' τις δρόμον ἡνιοχεύων
Καρκίνου ἀγκυλόδοντος ἀπαλλαξ... αἰγοκερῆος.

BART.

165 Cancrique morantis] Non quia tum longiſſimus dies eſt, ſed quia incrementa dierum tarde adeo conſummantur, & deminuuntur, ut vix percipi poſſit, & quaſi ſiſtatur hic

 ſol.

Sidus init, tunc consuetam minuisse saginam

Pro-

NOTAE.

sol. Manilius lib. I. de Cancro:

In quo consummat Phoebus lucemque moramque,
Tardaque per longos circumfert lumina flexus.

Idem aliter αἰτιολογεῖ lib. II. sed ridicule satis:

Nec mirere moras, cum sol adversa per astra
Aestivum tardis attollat mensibus annum.

Adversa illa soli astra sunt, Taurus, Gemini, Cancer, aversa reliquorum respectu. Atqui in Tauro citissimus est solis accessus, & per maxima incrementa acclivis. Sed in Geminis demum tardas vias inire incipit, quas auget in Cancro. VLIT.

166. SAGINAM] *Sagina* non hic simplicem cibum, aut *tenuem cibatum*, denotat, cui opponitur: sed fortem & robustam maxime alimoniam; quam *fortem escam* vocat infra: *fortemque dari de frugibus escam.* Omnino itaque saginari catulos jubet Aurelius; non semper ac promiscue, sed ad mensem usque quartum aetatis tantum. Ut cum praecipua incrementa corporis capiant. Hoc est, quod dixit:

Fortibus ut succis teneras complere medullas
Possint, & validas jam tum promittere vires.

At postea cum succrescentibus nervis discurrere incipiunt, nec venter illis oneri sit, tum saginatione abstinendum. Βρεφῶν πλαττομένων vocantur Xenophonti, quibus catulis suis penitus interdicit. Hinc in Glossis: *Sagina*, παραπλήρωμα. In aliis: Σιτεία, ἡ σίτισις, *sagina*, *coctio frumentaria.* Ita legendum puto; voce proxima ob repetitionem à librariis omissa. Intelligit enim mazam, quae & hic *sagina* ab Aurelio vocatur. Eam Columella ita conficit canibus suis: *farreo vel triticeo pane satiandi sunt, admisso liquore coctae fabae.* Apud Anglos farra illis cotidie in aqua vel jure aliquo hesterno decocta apponuntur: nisi cum venatum educendi sunt. Luxuriosior etiam illa farrea coctio fuit, qua olim cochleas suas saginabat Fulvius Hirpinus, ut narrat ex Varrone Plinius lib. IX. cap. LVI. *Quin & saginam earum commentus est, sapa & farre, aliisque generibus, ut cochleae quoque altiles ganeam implerent.* Farre autem plerunque animalia saginantur. Ut inde *fortores* dictos saginatores ariolari liceat; quasi *farritores.* Glossae: Σιτιστής, *fortor.* Σιτίζω, *farcio, sagino.* Quo sensu *fartores*, & *farturam* non semel posuit Columella lib. VIII. cap. *de Gallinis farciendis.* & altero, *de palumbis & columbis farciendis.* Item Varro lib. III. cap. VII. Sed ἐτυμολογίαν istam non urgeo. Nec sane *fartura* ista nisi ad id genus cupedinaria animalia pingue facienda pertinet. *Sagina* autem etiam vires tam canibus, quam gladiatoribus olim quaerebantur: maxime eâ quam *ardem saginationem* vocat Tertullianus de Pallio. Idem adversus Psychicos: *saginentur pugiles & pyctae Olympici. illis ambitio corporis, quibus & vires necessariae: & tamen illi quoque Xerophagiis invalescunt.* Quae ideo huc transcripsi, ut lucis aliquid vexatissimo Calpurnii loco affulgeret, Ecl. IV.

Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

Ita omnes cum principe antiquae editiones habent. Quanquam secunda in *sagina* producatur semper, ea tamen saeculi istius & sequioris in negligenda quantitate conniventia videtur fuisse. De qua statim latius. Loquitur certe de ludis Gladiatoriis sive à Probo, sive Caro Imp. ad compita exhibitis. *Turba saginata*, sunt gladiatores. Si naevus ille in tam nitidis Eclogis displicet, potest eodem sensu unius apicis, ne dicam literae, mutatione legi, *sagmata*, uti in aliquibus libris scriptum invenisse videtur Modius: qui inepte ad *sagmina*, & sacras coronas id refert. *Sagmata*, inquam, idem quod *saginata* valere potest. Σάττειν enim non tantum onerare, sed & implere & farcire; imo & satiare significat. Aristoteles Sect. XXI. Problem. XIV. τὸ δὲ συνεχῶς σιτιζόμενον, σάττει μὲν, καὶ πληροῖ τὴν ἐπιθυμίαν. *Cibus autem, quo continuo utimur, satiat nos, & desiderium explet.* Glossae veteres: *Saginatus*, σεσαγμένος. & paulo ante: *Saginat asinum*, σάσσει τὸν ὄνον. Ut in aliis: Σιτιστὴς βοῶν, *saginator.* Si tamen vera illa est Glossographi manus, non librarii error, ut viris doctissimis visum. Hinc saltem σάγμα, *sagma*, & *sagmatus*, ut *nematus* à νῆμα, Tertulliano, *Bambatus* à βάμμα Apulejo, & sexcenta talia ab aliis observata, quae extra communem Graecorum formam in Latium derivarunt recentiores. Si neque hoc, utpote novum prorsus, antiquariis placet, per me licet vel Modio vel Pyrhoeo palma deferatur. Ille conjecit, *satiata*, quod itidem pro *saginata* haberi possit: ut Tibullum videatur imitari lib. II. El. I.

Turbaque venarum saturi bona signa coloni Ludet.

Hic primus edidit: *signata*, eumque secutae omnes

Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus:
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam cum membrorum nexus nodosque relaxant,
Infirmosque pedes, & crura natantia ponunt,

Tunc

VARIAE LECTIONES.

168. *Ne*] N*ec* A. Steyn. Lacuna post hunc v. est in G, unde 3. vel 4. versus deesse putat B.

170. *Natantia*] *Ita A. nutantia* P. *crura & nat.* B.

NOTAE.

omnes recentiores, & nostra quoque editio. Barthius id confitetur: Ita emendarunt, qui editionibus posterioribus praefuerunt. Tamen & Tigurina alias proba ita habet. Ut satis sibi ipse obloquitur! ne iterum Editionem istam quaeramus. Postremo *τὸ signata* non displicere sibi ait, cum egregios ludos signati agricolae celebrare potuerint. Quasi Gallice diceret, *les plus signalisez*. Ita nihil minus, quam quod probat, intellexit. *Turba signata*, est, quam Tibullus dixit, *Turbaque vernarum*: quia servi frontem inusti & stigmatici erant. Haec latius, ut & Calpurnium quacunque possem occasione juvarem, & quia id in variarum lectionum compendio mihi licere nolebam. VLIT. Sagina hic pro simplici cibo; de canibus venaticis loquitur, qui non saginantur. Salmas. ad Solin. p 798. memoriâ fretus nimirum erravit; diserte enim Nemesian. jubet saginam (supra, fortes succos, Cererem cum lacte) minui, catulos autem redire ad tenues cibatus, & molle ferum. JOHNS.

167. Cibatus:] *Cibatus* brutorum pastus apud Varronem de re Rustica lib. II. cap. IV. lib. III. cap. V. BART.

168. Ne gravis] Xenophontaea illa expressit cap. XX. *αἱ γὰρ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι τὰ σκέλη, σώμασι νόσους ἐμποιοῦσι, καὶ τὰ ἐντὸς ἄδικα γίνεται*. *Graves enim repletiones catulorum crura distorquent, &c.* VLIT. Edit. Steyn. hunc versum sic exhibet.

Ne gravis articulos depravet pondere molles.

Quod cur in contextum illico non admittatur, nullus video. en sententiam. ne gravis (nempe cibatus, vel sagina; utrumque enim praecesserat) suo pondere luxatos vel distortos reddat molles catulorum articulos. Xenophon. *αἱ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι τὰ σκέλη* JOHNS.

168. Depravet] Pinguedo sanguini inimica. Arist. Hist. lib. III. c. XIX. BART.

169. Relaxat,] Videmus quotidie obesos & crassiusculos catellos, quibus Veneres nostrates delectantur, laxis esse nervis, & aegre moliri cursum. Unde pedum nascitur incertus usus, & nutans ob pondus saginae, incessus. Idque in venaticis, qui damnum facere volet, experiatur. BART. Laxatos habent nodos. JOHNS.

170. Crura nutantia] Crassissimum errorem Typographi erat corrigere.

—— *crura & nutantia.*

In vetere Codice post versum CLXVIII. lacuna est. Ut videantur ad minimum tres vel quattuor versus excidisse. *Nutans gressus* est incertus. Hieronymus ad Sabinianum: *lingua torpuit, ceciderunt brachia, pectus intremuit, nutavit incessus.* Appulejus libro IX. BART. Ita Pythoeus, omnesque eum secutae Editiones, & absque Aldina fuisset nostra quoque ita haberet. Nec vitium id Poëtae, sed aevi sequioris censendum, quo talia *ὡς κόνις* poëmatiis, maxime Epigrammatis, infersernnt quasi liberiores jam, imo dissolutiores & à moribus & à studiis Romulidae. Utinam iis non accessissent Ausonius, Prudentius, Festus Avienus Arati & Dionysii Paraphrastes (nam alterius fabulas non moror) & Maximianus, aliique bonae notae posteri; Christiani etiam omnes. Sed ne hic aliena curem, sufficiat interim Lectori Appendix Prosodiae Smetianae, eaque quanta quanta vitiorum seges, donec plura suppeditet aliquis qui illos authores, non ab editoribus ut maxime interpolatos, sed sinceros in membranis suis perlustraverit. Meum erit hoc loco ostendere, annon & hi *βουκόλοι* nostri, quos nunquam rustici & inconstricti sermonis puduit, inviti id male-benificii ab editoribus & interpolatoribus tulerint. En ecce vel hoc loco Barthium;

craf-

Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis, noceasque futuris

Cur-

NOTAE.

crassissimum, ait, errorem Typographi erat corrigere, *crura & nutantia.* Atqui & supra habuimus in Pythoeana & ejus asseclis: *Cygnumque, plumamque senilem.* Liber de Aucupio, cujuscunque Nemesiani sit, talibus scatuit haud-dubie; ut fidem faciunt duo illa, quae edidi, fragmenta. In priore est: *pullae cacabantis imagine notae.* ubi editum, *guttae.* In altero: *& vili dat praemia gulae.* Pro quo vir doctus finxit: *atque gulae dat praemia vili.* Sed eadem quantitate & Luxurius posuit in Epigrammate à Salmasio in aureis Notis ad Hist. Aug. edito:

Quid festinus abis gula impellente sacerdos?

Quod ut librarius excusaret, scripsit in codice antiquissimo: *gula.* Vir maximus citat: *ventre impellente.* Ad bucolica jam transeo. Calpurnii Ecl. II. omnes antiquae Editiones, praeter Romanam, praeferunt:

Et quaecunque vagis alitum ferat aëra pennis.

quanquam ego Romanam secutus sum. Eadem mox Ecloga: *Rorantes favos damus.* Sic Rom. Parm. & Ald. nisi quod in Parmensi, *fages*, inveni. Pythoeus refinxit: *Rorantesque favos.* Et versu sequenti: *Nec fere grata minus.* Quod ex Romana servavi. Ausonius: *Nam tecum fere totus ego.* Quanquam & *fero*, quod in aliis, ferri potest per ἰσίωσιν numeri: *damus fero.* ut statim post: *pascimus*, & *praestant mihi.* De quo alias. Ecloga IV. *calamos here quos mihi doctus Jolas.* Romana: *heri quos doctus Jollas.* Eadem mox habet: *implicitas cemebat pectine cemas.* In eo quod sequitur: *turba bono plaudat saginata magistro*, omnes antiquae tenaciter consentiunt. Ut & ibi: *si qua modo non aspernanda putabis.* Quod caesura facilius excusat. At Ecl. VI. *genus est (ut scitis) equorum Non jugale mihi*, quod omnes omnino Editiones repraesentant, ego tenendum censui, rejectis infinitis correctorum conjecturantium ineptiis. Reliqua autem lubentius excusavi, ne in contrarium peccarem, dum illorum errores evito. Tum etiam ne amare naevos illos, quam ferre, viderer. Ut aliquos esse audivi, qui, si incauti deprehendantur Priscianum male mulcasse, heroicum id potius, quam malos poëtas se audire, volunt. VLIT. *Natantia* recte omnino princeps Editio. Ovidius I. Artis Amat.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Idem initio IX. Metam. *Crura micantia*, id est trementia dixit. De quo infra. VLIT. *in Add.* Incerta prae infirmitate, vacillantia. Pythoeus male edidit, *nutantia.* contra Aldin. & Steyn. Editiones, & ipsas leges metricas. JOHNS.

171. ARMANTUR] Arma canum dicuntur dentes, ut & aliarum ferarum. Unde *exarmatae* quibus dentes excussi. Statius lib. VI.

Armaque curva suum & vacuorum terga leonum.

Exarmati Leones apud Lampridium Alagabalo. Sic *armatus aries* apud Columellam libro VII. cap. III. *Ferae exarmatae*, Graecis γυμνοὶ dicuntur. Aphthonius fabula Leonis procantis puellam, qui ungues & dentes deposuerat. καὶ πεισθεὶς ὁ λέων ὑπ' ἔρωτος ἀμυντήριον ἀφῄρει γυμνός. ἀφῄρει δὲ ὀπτάλοις τὴν δειλὴν τὴν ἀντιλαμβάνοντος. Vide & ad Calpurn. Eclog. V. *Arma* alioqui instrumenta cujusvis rei expediundae, ut *arma Eloquentiae* apud Petronium & Dial. de caussis Eloquentiae corruptae, *rastra*, *arma.* Vegetio lib. I. c. III. BART.

172. VINCULA COLLO] Claudian. de cane victo.
——— *Exuto lucratur vincula collo.* BART.

De collaribus nihil hic repetam. Canes ne, dum teneri adhuc sunt, vincti habeantur, praecavet Nemesianus. Contra Varro: *Consuefaciunt quoque ut possint alligari, primum levibus vinclis; quae si abrodere conantur, ne id consuescant facere, verberibus deterrere solent.* Quod tamen de adultis intelligendum potius est. Columella manifeste distinguit: *Catulos sex mensibus primis, dum corroborentur, emitti non oportet, nisi ad matrem lusus ac lasciviae causa: postea & cathenis per diem continendi, & noctibus solvendi.* Quam distinctionem vestigiatim pene sequitur noster: nisi quod post octavum denique mensem *clausos teneri* jubeat. Apud Xenophontem Juniorem cap. XI. est, ὅτι ἄμεινον δεδέσθαι τὰς κύνας, ἢ λελυμένας εἶναι. *vinctos potius, quam solutos, debere canes esse.* VLIT.

173. NOCEASQUE FUTURIS CURSIBUS] Contra idem Xenophon solutis cotidie, & discurrentibus currendi vigorem perire dicit: καὶ τὸ ἀσμεναῖον τοῦ δρόμου ἀπόλλυται αὐτῶν ὁ δὲ ἡμέραις περιπατεῖ. Sed ille de adultis; noster de catulis loquitur, qui dum eluctari conantur, membra nimio conatu facile distorquent. Verba ejus ita plana,

ut

Curſibus imprudens. Catulis nam ſaepe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, & teneros torquent conatibus artus;
Obtunduntve novos adroſo robore dentes,
Aut teneros duris impingunt poſtibus ungues.
Mox cum jam validis inſiſtere cruribus aetas
Paſſa quater binos volvens ab origine menſes,
Illaeſis catulos ſpectaveris undique membris,
Tunc rurſus miſcere ſero Cerealia dona

Con-

VARIAE LECTIONES.

176. *Et*] *a* G. *ab!* B.
177. *Obtunduntve*] *Obtunduntque* G. & B.

NOTAE.

ut explicatione non indigeant. VLIT.

174. Catulis] Proprio ſignificatu: de teneris enim, non de adultis loquitur. Illi quippe omnia inconſulte agunt, & nihil non appetunt: *aut vexare trabes laceras*, (ita diſtingue) nec feſtucas metuere; *aut pandere valvas*, quibus capite ſaepe intercluduntur; aut ungues elidunt, aut dentes obtundunt. Imo & quemvis obvium aut praetereuntem latratu inſultant. Hinc paroemia, *catulus Leonem circum latrans* Ammianus Marcellinus lib. XXII. *Ut immania frementem Leonem putredulis vocibus canis catulus longius circum latrans.* Ita leg. ex MS cod. vulgo, *vanus*, quod factum eſt ex *canus*, ut antiqui quidam libri habent. *Canis catulus*, ut *lapis ſilex*, apud Plautum & Livium, aliaque ejuſmodi alias à me obſervata. VLIT.

174. Remotis] Ab familia videlicet. BART. A villa, aut ſervorum commercio, aut matre denique. JOHNS.

175. Vexare] Dentibus unguibuſque laccerare. JOHNS.

176. Et] Vetus liber, *a.* ſcribendum, *ab.* Quod Poëtis familiare, cum de rebus teneris mentionem faciunt. BART.

177. Obtunduntve] Liber, *obtunduntque.* belle: nam in illo *ve.* noſtri hodie Poëtae nimispoëtae ſunt, quorum aliquis corrupit hoc ex ſuo Apolline. BART.

177. Robore] Ligno quovis duriori. JOHNS.

177. Dentes,] Contra Varro ſtatim ab ipſis incunabulis apponi illis oſſa jubet, *ut tum roborent, tum confirment, ac ſimul exacuant dentes*, in Geoponicis Graecorum. Idem cautius lib. II. de R. R. adultis conſuluit: *Dant etiam jus ex oſſibus, & ea ipſa oſſa contuſa; dentes enim facit firmiores.* Cur itaque catulis non contuſa etiam apponantur, nulla ratio eſt: praeſertim cum lippitudinem nimia arroſione facilius contrahant. VLIT.

178 Impingunt] Infigunt. JOHNS.

179. Mox cum] Hos tres verſus ut faciſſimos praeterit Vlitius, cum tamen vix, ante ne vix quidem intelligendos cenſeam. Quos tamen ita priſtino nitori, ni fallor, reſtituas, mutatâ tantum litterâ lege *ſpectaverit* loco *ſpectaveris.* poſt brevi cum jam tempus octo menſium à partu elapſorum validis inſiſtere cruribus paſſum ſpectaverit, viderit, catulos membris undique illaeſis, tunc rurſus, &c. ne quis duriuſculum putet, verbum *ſpectaverit* conjungi cum *aetas*, adeat Virg. Aen. I. v. 265.

Tertia dum Latio regnantem viderit aeſtas.

jam, opinor, nihil ulterius legentem morabitur. JOHNS.

180. Passa] Diſtingue, *Paſſa*; *q. b. v. Volvens*, eſt alluſio Graeci περιπλομένων ἐνιαυτῶν, quod *volventibus annis* reddidit Virgilius. *vertendi* verbo in eadem re uſus Gratius noſter. v. CXLVII. Nemeſianus VIII. ſaltim menſes canibus lacte paſcendis, Xenophon autem totum annum deſignat. BART.

182. Miscere] Eadem ſagina adhibenda eſt, quae ſupra. Vid. 161, 162. JOHNS.

183. For-

Conveniet, fortemque dari de frugibus escam.
Libera tunc primum consuescant colla ligari,
Concordes & ferre gradus, clausique teneri.
Jam cum bis denos Phoebe reparaverit ortus,

In-

NOTAE.

183. FORTEM] Quae roboret eos & confirmet. Sic *fortes cibos* nominat Divus Paulus in Epistolis. BART.

184. LIBERA COLLA] Graecismus. canes consuescant ligari libera colla, & clausi teneri. BART. Expressit hic passim Maronem, ubi tauros & equos instituit Georg. III.

——— dehinc, ubi libera colla
Servitio assuêrint, ipsis è torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos.

Hinc etiam desumpsit noster, quod sequitur: VLIT.

185. CONCORDES ET FERRE GRADUS] Collarium varios usus superius ad Gratium exposui. Sed de copulandis canibus nihil apud ipsum, aut Graecos. Quapropter hactenus distulimus, quae hic dicenda erant. Jubet hic Aurelius non modo alligari catulos, sed & inter se jungi, ut jugiter procedere consuescant. Nec eam modo causam, ut ne domi diversim discurrant, aut septa aulae vel cortis transiliant, sed & inter venandum id usum habet maximum; ut si qui tarditate nimia, aut contra velocitate caeteros deserant, tardiores velocibus jungantur: atque ita jugis procedat venatio, & densa canum vis ad vestigia legenda certius consentiat. Sed hoc in sagacium venatione tantum locum habet: illa etiam Vertragis communia. Cum domi sunt, ne currendo aut saliendo lasciviant: cum in silvas ducuntur, ne ante venatum discurrentes fatigent se, aut absentia sua venatorem frustrentur. Sed & in velocium venatione stationaria, cum diversis locis ponuntur famuli vel socii, ut qui proximus ferae fuerit, is canes suos immittat, binos ac binos Vertragos *copulari* (ita hodie vocant) praecipit Xenophon junior cap. XX. vocatque *συνδυάζειν τὰς κύνας*, combinare. VLIT. Ideo scilicet *copulae* exeuntibus additae, venaturis demptae etiam olim. Ovidius VII. Met de Laelape cane:

Copula detrahitur canibus
——— Jamdudum vincula pugnat
Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.

Idem lib V. Trist. Eleg. IX.

Usque autem pavidae nactum vestigia cervae
Luctantem frustra copula dura tenet. VLIT. *in Add.*

185. CLAUSIQUE TENERI] Varro lib. I. cap. XXI. R. R. *Canes consuefaciat potius noctu vigilare, & interdiu clausos dormire, & catena vinctos esse, ut soluti acriores fiant.* VLIT.

186. JAM CUM BIS DENOS] Vertragi, ut plurimum membris pedibusque invalidis, & in levitatem modo efformati sunt, nisi absoluta jam incrementa & perfectam compagem habent, facillime luxantur: praesertim si qui animo non degeneres adeo sunt, ut praedae minus, quam saluti suae parcere malint. Ideo in his perfectiorem merito aetatem requirit noster, biennium puta plus minus. Ita quippe in Vertrago mare etiam definivit eam Xenophon junior cap. XXVI. *Ἄρρενα δὲ μὴ πρόσθεν, ἢ διετῆ γενόμενον, ἐξάγειν ἐπὶ θήραν.* Cur autem foeminis ad decimum mensem venatione permissa, maribus alterum tantum temporis adjiciat, rationem addit, quod maribus membra multo tardius solidescant: *πολὺ γάρ τοι ὕστερον τοῖς ἄρρεσι πήγνυται τὰ μέλη.* Tum illam quoque subdit, quae non masculos tantum sed ad omnes pertinet, quam modo posui, in generosioribus praecipuam. *οὐ γὰρ μόνως*, inquit, *τοσοῦτον ὅσον δύνανται, θέουσι. Hi enim prae nimio ardore, quantum possunt, currunt.* At enimvero in sagacibus alia res est. Solo sensu naturali, non viribus, perficiuntur. Ideo ab Xenophonte majore educuntur foeminae mensium octo, mares decem: à Polluce per bimestrem anticipationem, foeminae sexto, mares octavo etiam mense. Sed nec distantiam eandem aetatis sive proportionem inter mares ac foeminas servant, quam in Vertragis alter Xenophon. Ille maribus dimidio plus addit; hi vero quartam plus minus aetatis partem. De Laconicis quippe Xenophon loquutus est: cujus vestigiis, ut semper, ita hic quoque inhaerere debuerit Pollux: aut certe voluit, si per librarios licuisset. De iis ita refert ex Aristotele Plinius lib X. cap. LXIII. *Octonos Laconicae pariunt: propria in eo genere maribus laboris alacritas: vivunt Laconici annis denis, foeminae duodenis.* Iccirco scilicet & citius ad venationem admittuntur mares, & defunguntur. Verba Philosophi, quae respexit Plinius, haec sunt; *Ἔτι δὲ αἱ μὲν τῶν Λακωνικῶν, διὰ τὸ πονεῖν τοὺς ἄρ-*

ρε-

Incipe non longo catulos producere cursu;
Sed parvae vallis spatio, septove novali.
His leporem praemitte manu, non viribus aequis,
Nec cursus virtute parem; sed tarda trahentem
Membra; queant jam nunc faciles ut sumere praedas.

Nec

VARIAE LECTIONES.

191. *Nunc*] *tunc G. praedas*] Ita A. *praedam* P.

NOTAE.

ῥεῖν μᾶλλον, μακροβιώτεραι αἱ θήλειαι τῶν ἀρρένων. In Laconicis, quia mares alacrius laborant, foeminae iis vivaciores sunt. Perperam itaque Viri doctissimi in Editionibus suis Plinii verba ex alio Aristotelis loco in alium sensum detorquent. VLIT.

186. Reparaverit] Ovidianum. BART.

187. Longo] Longinquo. vide ad Musaeum Notas. BART.

187. Non longo cursu;] Vel hinc patet cum Vertragis nobis rem esse. Rationem enim illam, quam minor Xenophon allegat, omnino respicit Nemesianus; ut scilicet ne nimio cursu & ardore distendantur, *noceantque futuris Cursibus*, quod supra versus est. VLIT.

187. Catulos] Vertragos. *Grey-hounds.* de his enim Nemesianus loquitur hoc loco. JOHNS.

188. Vallis spatio,] Nimirum ne lepus nimium praevertatur canem, & visu ejus se auferat. Xenophon cap. xxv. *λαγῶ ἀπὸ χειρὸς ἀφιέναι ἐν χωρίῳ περιφανεῖ, καὶ τὸν μὲν ἐγγύθεν ἐφιέναι τῷ λαγῷ, ὥστε τὴν ὄψιν αὐτὴν ἐμπίπλασθαι, καὶ ἐγγὺς ὁρῶντα μετ᾽ ἐλπίδος ἀγαθῆς πονεῖν. Lepus manu praemittatur in loco aperto & ipsa de proximo immittatur lepori, ut & visum ipsum pascat, & leporem vicinum conspiciens, spe bona laboret.* Idem vero paulo post, cum exercitandi revera, & ad ipsam venationem educendi sunt, non vallem, sed eminentiorem collem deligit, in quo venator cum tyrone catulo consistat, ut facilius proripientem se undecunque leporem conspiciat, & in eum quam potest proxime catulum immittat, *Ἐπειδὰν ἰσχνὰ ᾖ τὰ ἴχνη, αὐτὸς ἐν χωρίῳ περιφανεῖ καὶ ὑπερδεξίῳ, loco aperto & eminentiore.* Alias tamen sufficit Vertragis apertos esse & omnium visui obstantium vacuos campos. Ovidius Metam. I. de Vertrago ita canit:

Ut canis vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit, & hic praedam pedibus petit ille salutem.

Valles nudas ideo videtur vocasse Gratius, *vallemque* Vertragis instituendis eligere Aurelius. VLIT.

189. His leporem praemitte manu,] Totidem verbis Xenophon: *λαγῶ ἀπὸ χειρὸς ἀφιέναι.* Alter vero in sagacium institutione, non praemittit illis leporem ad conspectum. Quia tum, ut solet, visu illius ad nimium cursum incitarentur, & facillime *ἐκβιάζεσθαι ἐγγύθεν, ὥστε ἰσχύσαι πολλὰ τὰ τάχη*, *nimia intensione laeduntur, nondum solida satis corpora habentes*: quippe *ἐκθηλῦναι*, vel ad summum *ἐκκαλεῖσθαι* tantum, ut supra ostendi. Verum tum demum cum à conspectu exierit, solvuntur catuli, ut odores, non visum, sectentur. Ideoque Oppianus in experiundis Agassaeis defodit procul leporem fine lib. 1.

Δὴ τότε βόθρον ὀρυξάμενος κατέθαψε λαγωόν.

VLIT.

190. Virtute] Viribus. Satis de hoc verbo alibi nobis perscriptum est. Diversa paullo canum *προγυμνάσματα* habes apud Xenophontem Cynegetico, BART.

190. Tarda trahentem membra;] Oppianus in progymnasmate suo vel mortuum Agassaeis longe praemittit defodiendum:

'Η νέκυν ἢ ζώοντα φέρε παλάμῃσι λαγωόν.
Exanimem manibus leporem, vivumve remittit.

Neutro tamen Vertragis opus est, si Xenophontis minoris consilio utimur cap. xxv. suadentis, *κύνα δὲ ἄλλον ἐπιλέγειν ἐφιέναι ὕστερον, ὡς μὴ ἐπὶ πολὺ κακοπαθῆσαι τὴν σκύλακα, μηδὲ ἀπαγορεῦσαι ὑπὸ καμάτου· ὁ δὲ θαμινὰ καὶ ὠμαρῶς ἐξελίσσοντα τὸν λαγὼ περιάγοιτο τῇ σκύλακι. canem alium validum immittere, ne catulus nimio labore affligatur, aut deficiat: ille enim leporem crebro & facili cursu antevertens catulo obviam aget* Usus insuper docet leporem ab hominis contactu nunquam ad pristinum currendi vigorem redire. VLIT.

191. Queant] Ut catuli, quantumvis tene-

ri,

Nec semel indulge catulis moderamine cursus;
Sed, donec validos etiam praevertere suescant,
Exerceto diu, venandi munere cogens

Dis-

VARIAE LECTIONES.

194. *Munere*] *Munia* G. & B. Vlit. *munera*.

NOTAE.

ri, vel sic valeant *sumere praedas faciles*. JOHNS.

191. SUMERE PRAEDAS.] Citra laborem aut magnam contentionem. usus hac phrasi v. L. *Jam tunc* habet, idque uno verbo vetus editio nostra. Tales quisquilias in hoc poëta consectamur, ut excitemus qui majoribus aptiores sunt, donec nos revertamur ad libros. BART.

192. NEC SEMEL] Nec una saltim vice indulge canib. leporinam hanc praedam exercitationemque. Sed sensim ita eos exerce, donec discant & valentes lepores praeverti. BART. Et ne semel quidem catulos effraeni cursu emicare permitte, sed *parvae vallis spatio septore novali exercto diu*, donec assuescendo valeant etiam *validos* lepores *praevertere*. *Indulge moderamina* (sic enim lege loco & *moderamine*) *cursûs catulis* idem est quod, indulge habenas vel fraenos equis. quod vitandum, ne nimiâ contentione vires frangant. JOHNS.

192. INDULGE] Absolute, non addito accusandi casu, quid indulgeat catulis. Lucretius lib. v.

—— Fructusque feros mansuescere terrâ
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.

Pertinet autem *indulgentia* proprie ad patrum erga liberos nimiam mollitudinem. Quintilianus. lib 1. *Infantiam statim deliciis solvimus, mollis illa educatio quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit.* Afranius.

—— male de nobis merentur liere
Qui nos tantopere indulgent in pueritia. BART.

192. MODERAMINE] Lepore nimirum debilitato. BART.

193. VALIDOS PRAEVERTERE] Ut puta donec & ipsi validi evaserint. Dum enim invalidi adhuc sunt, cum validioribus certare non permittendi. Xenophon idem cap. xii. ἀλλὰ μηδὲ σκληρῷ κυνὶ καὶ πεπηγυίᾳ ἅμα τῇ σκυλακευομένῃ λυέτω. ἐχθρὰ γὰρ αὐτῷ καὶ ἀνάγκῃ συμβαίνει, καὶ διαφθείρει τε αἱρεῖ καὶ ἀποδιδράσκει ἀπολείπεται κύνας· ὥστε ἀθυμεῖν ἀνάγκη τὸ σκυλάκιον ἐν ἑκατέρῳ μένον φθειρόμενον. *Sed neque robustum & validum canem cum catulo committas: graviter enim ille ac moleste concursum fert, & catulum facile vel assequitur, vel longe praevertitur. Adeo ut huic necessario animus excidat, cum utrobique minus valeat.* Imo vel nimia contentione etiam vires infringat, ut modo dixi. VLIT. Lepores. ut enim prolusit in infirmo, ita exercitationis suae profectus demonstraret in validum leporem. JOHNS.

193. SUESCANT,] Vide quae de duricie hujus generis verborum, quae debeat praecedentem syllabam ex brevi longam efficere, ad Calpurnium scriptitavimus. Operae pretium vero elegantissimum quoque Terentianum legere, qui luculentis versibus hac de re tractavit. BART.

194. MUNERE] Disertim vetus Editio habet; *munia*, quod cur exturbarint, viderint correctores BART. Quia χαίρουσι τῇ ἄγρᾳ ὡς ἄθλῳ, ut ait Aelianus. Quod Gratius innuit hoc modo:

In partem praedae veniat comes, & sua norit
Praemia: si operi juvet inservisse benigno.

Ubi vide notata. Ita saepius venando exacta voluntas illos ad opus suum instigat, & quod Oppianus de Agassaco canit, τῷ μάλα θυμὸς ἰχνεύει. *animus venando laetatur* Melius tamen dixeris, *venandi munera cogens Discere*. Ut Gratius: *quem tanta ad munia foetus Exercere velis*, venationis puta. *Munera* enim & *munia* eodem significatu promiscue ponuntur. Livius modo *munera belli*, modo *munia* ponit. Vel etiam *munera* sunt ἀγῶνες, ut Gratius: *solidos haec ad certamina calces*. Hinc κύνες ἀθλοῖς ἐγυμνασμέναι apud Xenophontem secundum; & εἰς ἀγῶνα ἐρρωμένοι καὶ ἄμεινον ἐξάγεται. Item Pollux in Venatore suo requirit, ut sit ἀγωνιστικός. VLIT. Quia χαίρουσι τῇ ἄγρᾳ ὡς ἄθλῳ. quod Gratius innuit hoc modo.

In partem praedae veniat comes & sua nôrit
Praemia; si operi juvet inservisse benigno.

Ita saepius venando exacta voluntas illos ad opus suum instigat. Melius tamen dixeris, *venandi munera cogens discere*. *Munera* enim & *munia* eodem significatu promiscue ponuntur.

Vlit.

Discere, & emeritae laudem virtutis amare.
Nec non consuetae norint hortamina vocis,

Seu

NOTAE.

Vit. & hoc sane postremum placet. JOHNS.

195. EMERITAE] Spectatae. JOHNS.

195. LAUDEM] Discant catuli attendere & gaudere laudari, postquam virtute praeconium meruerunt. De canum virtute elegantem epistolam scripsit delicium nostri seculi, Suadae medulla, Justus Lipsius. BART. Aelianus: Κύων ἀγρευτικὸς ἅπας αὐτὸς μὲ λαβὼν θηρίον ἥδεται καὶ μεγαλαυχεῖ τῇ ἄγρᾳ ὡς ἄθλῳ. *Venaticus canis ubi feram ceperit, tanquam praemium indeptus, laetatur.* Ita malim legere ac interpretari, ut lucem hinc capiat etiam versus praecedens proxime. Laus enim haec in venandi munere consistit, quam sibi ipse asscribit pro sua ratione canis. Aelianus post paulo: ἁλόντος δὲ τοῦ θηρὸς, ὁ δὲ ἐπινίκιόν τινα οἱονεὶ παιᾶνα ἐκβοᾷ, καὶ γέγηθε, καὶ σκιρτᾷ, ὥσπερ δὲ οἱ τοὺς ἐχθροὺς ὅπλοις νενικηκότες. *Capta vero fera hic victoriae suae sibi velut paeana concinit, & laetabundus exultat, haud aliter quam hostium victores solent.* Haec illa, quam sibi ipse imaginatur, gloria est, quaeque inde proficiscitur gloriae cupido. Sed non parvum incitamentum addiderit venator, si & inter venandum eos bene agentes laudet, & re bene gesta nominatim extollat. Xenophon major inter venandum his fere modis hortatur sagaces suos: ἰὼ κύνες, καλῶς γε ὦ κύνες, καλῶς γε ὦ κύνες, εὖγε, εὖγε ὦ κύνες, ἕπεσθε ὦ κύνες, σὺ κύνες, σὺ ὦ κύνες. Alter quam utile id sit toto cap. XIIX. exequitur, atque insuper sequenti pertractat, ὅτι δεῖ τὴν κύνα καλῶς ἀγωνισαμένην καταψᾶν ἐπαινοῦντα. *Canem venandi munere bene defunctum manu verbisque blandioribus demulcendum.* Ubi inter alia, χαίρουσι γὰρ ἐπαινούμεναι, inquit, καθάπερ τῶν ἀνθρώπων οἱ γενναῖοι. *Nam hominum generosorum instar laudibus delectantur.* Imo & equorum instar, qui *capiunt animis palmas, gaudentque triumpho*, ut haec quoque *laus prima canum* censetur in Halieutico fragmento. De quibus in genere Plinius: *Soli nomina sua, soli vocem dominicam agnoscunt.* Sic malo, quam *domesticam.* Dixerat quippe antea: *Soli dominum novere.* Xenophon junior conjecturae meae favet: χαίρουσι γὰρ τὴν φωνὴν δεσπότου γνωρίζουσαι. *Laetantur enim ubi dominicam vocem agnoscunt.* VLIT.

195. AMARE.] Ambire, anniti ad, affectare. *aspire to.* JOHNS.

196. HORTAMINA VOCIS,] Non illa, quae supra ex Xenophonte posui, blandimenta & laudes intelligit hic, sed praecipientis ἐγκελεύματα, ut hac aut illac deflectant, vel insilent, vel desistant. Alias quidem *hortari canes* (ut de eo primum in genere dicam) incitare, & clamando propellere est; ut apud Nasonem de Actaeone Metam. III.

At comites rabidum solitis hortatibus agmen
Ignari instigant.

& in Epist. Phaedrae:

In nemus ire libet, pressisque in retia cervis
Hortari celeres per juga summa canes.

Quibus verbotenus Euripidem expressit Hippolyto:

Εἶμι πρὸς ὕλαν, καὶ παρὰ πεύκας,
Ἵνα θηροφόνοι στείβουσι κύνες
Βαλίαις ἐλάφοις ἐγχριμπτόμεναι.
Πρὸς θεῶν, ἔραμαι κυσὶ θωύξαι, &c.

Scholiastes τὸ θωύξαι exponit, καὶ κυσὶ μὲ συρίζειν ἐπὶ θῆρας ἢ ὁρμᾶν. Quod Nicander in Theriacis ita circumloquitur:

——— σκυλάκεσσιν Ἀμυκλαίῃσι κελεύων
Κυνηγετικὸν κυνὸς ἄλλον ἐπάγειν θερμολίον, &c.

Hoc est:

——— canibusque celeumate vires
Addit Amyclaeis, acuitque hortatibus iras.

Apud Hesychium legitur, Ἐπισιξῶν, κυνηγετικῶς παρορμῶν. Sed cum τὸ σίζω caprariorum esse idem alibi doceat, rectius sit ἐπισίζειν, quod proprie ad venatores pertinet. Hinc ἐπισίζειν in Etymologico magno exponitur, τὸ συρίζοντας ἐποτρύνειν τὰς κύνας ἐπὶ τὰ ἔργα ἐν τοῖς κυνηγεσίοις. Nihil tamen hoc ad fistulas, aliave sibilantia instrumenta, quorum olim in venatione nullus usus; sed humana voce id peragebatur, modo clarius, flebilius, aut gravius intonante. Xenophon major docet, προσήκει ἐγκελεύειν τὴν φωνὴν μεταβάλλειν ἱκανῶς τῆς κυνὸς ἐπιταχῦ οἷόν τ' ἂν ᾖ, τοὺς τόνους τῆς φωνῆς ποιούμενον, ὀξὺ, βαρὺ, μικρὸν, μέγα. Cornu tamen, ut hodie semper, etiam olim aliquando usi. Statius Theb. IV. de Atalanta: *saltus tum forte remotos Pacabat cornu.* Sed praeterea nemo id tradit. Verumenimvero hoc in loco *hortamina* sunt imperia vocantis domini, quae ex vocis sono agnoscere, agnita exequi debent morigeri canes. Quo sensu etiam τὸ ἐπισίζειν videtur accepisse Hesychius: ἐπισίξαι, ἐπαφεὶς ἐπὶ ὁρμὴν ἢ ἐπισίξας. Sic legendum.

Mm 3 Quae:

Seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus.
Quin etiam docti victam contingere praedam,
Exanimare velint tantum, non carpere sumptam.

Sic

NOTAE.

Quae autem illa *ἐπιθύγματα* sive imperia sint, late exequitur major Xenophon cap. xiix. unicuique suum *ἐπίσειγμα* sive acclamationem adjungens. Nemesianus hic duo in genere praecipua ponit, instandi vel desistendi. Sane qui haec bene observant, non immorigeri ad reliqua erunt. Gratius universim in semiferis ex thoë canibus laudat, quod *norint voces*, id est, quod iis obediant. Hoc quippe unice requiritur, ne *ἀπειθεῖς*, ut Pollux vocat, i. immorigeri sint. VLIT. Adde ex Met. x. *vestem ritu succincta Dianae Hortaturque canes.* Valerius de Hyla venante lib III. *simul Alcides hortatibus urget.* Homerus Iliad. Λ. *Θηρητὴς κύνας ἀργιόδοντας Σεύῃ ἐπ' ἀγροτέρῳ συΐ. Hortatur*, irritat. VLIT. *in Add.* Imperia venatoris ex variis sonis, seu instigant, seu revocant currentes. JOHNS.

197. SEU REVOCENT,] Hoc praecipuum obedientiae, & rarum in canibus exemplar est. Plerique enim in hoc *τὸ ἀνήκουστον πολὺ*, quod & Xenophon reprehendit, naturaliter servant, & ardore suo *καὶ ὑπὸ μένους ἀπειθεῖς* auferuntur. Xenophon minor cap. xxii. eo nomine sagaces maxime reprehendit: *ὅτι καὶ τὰς ἰχνεύουσας, εἰ δέοι τι, παμπόλλοις ἀνακαλοῦντα ... ἀνήκοοι αὗται, καὶ δυσπειθεῖς ὑπὸ λιμοῦ. Adeoque & ipsae sagaces, si possunt, revocentur: quamquam difficiliter revocati obediunt, ob famem*, qua abripiuntur in praedam. Contra idem cap. xviii. veretur, ne nimium obediant clamanti saepius domino Vertragi, atque ita sibi noceant, *καλεῖσθαι ἂν μοι δοκεῖ θαμινὰ ἀνακαλεῖν αὐτὴν ὀνομαστὶ, μήποτε ἄρα ὑπὸ μένους καὶ προθυμίας, χαρίζεσθαι τῷ δεσπότῃ θέλουσα, ἐπὶ τι παρὰ δύναμιν ἐντείνηται, ῥήξειέ τι τῶν ἔνδον.* Ego vero rationem non video, cur illae famelicae magis sint in feram; hique tanto impetu & cursu ablati, ac majore *προθυμίᾳ* praedae inhaerentes, *jamjamque tenere Sperantes* (ut ille apud Nasonem) facilius revocanti obediant. Utcunque itaque incitanti gratificentur, si non potius ardore suo praecipitantur, non eadem facilitate revocantem audire, procul omni dubio est. Quapropter & rara virtus, quam de iis praedicat idem cap. vii. *πεπαιδευμέναι δὲ ὅσαι φθεγξαμένου τοῦ κυνηγέτου ὑπακούουσι μὴ ὑπὸ δέους, ἀλλὰ φιλοφρονούμεναι τὸν τροφέα καὶ τιμῶσαι. Illi vero*, inquit, *bene edocti sunt, qui ad venatoris vocem non metu, sed prae amore atque honore nutricii sui sese submittunt.* Et plures admodum esse censeo, qui contempto imperio non revertuntur, si modo ulla adhuc in conspectu praeda est; quanquam vitiosi ibidem habentur. *Κακαὶ δὲ ὅσαι λυθεῖσαι τοῦ δεσμοῦ ἐν χωρίῳ οὐκ ἐπανίασιν ἐπὶ τὸ ἄγουσαν καλούμεναι, ἀλλ' ἀποπορεύονται· καὶ ἐὰν μὴ σφάλαις μεταπλανῆς, καταφρονοῦσι.* Nisi ibi de oberrantibus tantum, non praedam persequentibus, loquatur. Quod tamen ut praeveniatur, vincti potius habendi, donec ad venationem emittantur. Ovidius Metam. viii. in venatu Meleagri:

Quo postquam venere viri, pars retia tendunt,
Vincula pars adimunt canibus, &c.

De quo & ipse ille Xenophon cap xx. & xxi. & nos alibi. Sed Nemesianus de immisso in leporem cane hic agit, & à medio cursu revocando Quod an effectum sortiri possit, magnopere addubitem. Negat sane id de adulto idem Xenophon cap. xxv. qui elapsa praeda, *οὐδὲ ἐπὶ τὸν κυνηγέτην ἐπάνεισιν, οὐδὲ ἀνακαλοῦντος ὑπακούει. nec ad venatorem redit, nec revocantem audit*, &c. VLIT.

197. JUBEANT] Magistri, videlicet, quod eleganter omisit. vide ad Ceirin notata, & Gratium nobis. BART.

197 SEU TENDERE] Heic illa *hortamina*, de quibus modo egi, usu veniunt. Xenophon minor ob nimiam Vertragorum *προθυμίαν*, hoc merito illis temperamento consulit, ut tertio cursu jam non amplius *solitis hortatibus* instigentur, cujus ratiocinationem statim adduxi ex cap. xviii. VLIT.

198. VICTUM] De *vincendi* vocabulo vide eruditissimum Casaubonum ad Suetonii librum primum. BART.

199 EXANIMARE VELINT] Merito id catulis tironibus permittitur, ut eo avidius in praedam ferantur. Caeterum majoribus id non semper laudi est, ut leporem egregie contendentem, non cursu, sed labore ac fatigatione victum, interficiant. *Οὐ γάρ τοι ἐπὶ τῷ ἁλῶναι τὸ θηρίον ἐξάγουσι τὰς κύνας, ἀλλ' ἐς ἀγῶνα δρόμου καὶ ἅμιλλαν οἵ γε τῇ ἀληθείᾳ κυνηγετικοί. Non enim ut feram modo capiant, sed ut cursu cum ea certent, canes edu-*

Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, & in parvos iterum protendere curas.
Nam triftes morbi, fcabies & fordida venis

Sae-

VARIAE LECTIONES.

202. *Triftes morbi*] Ita G. *triftis morbi fcab.* A. Steyn. & P.

NOTAE.

educunt veri venatores, egregie profatur Xenophon ὁ δεύτερος cap. XVII. ubi late alterum cognominem fibi contraria fentientem refutat. Aelianus lib. VIII. cap. II. ita diftinguit: *αὐτὸς μὲν λαβὼν θηρίον οὐδὲ ἓν, καὶ κίχεν τῇ ἄγρᾳ ὡς ἆθλον, ἔστ' ἂν αὐτὸν συγχωρήσῃ ὁ δεσπότης· εἰ δὲ μή, φυλάττει ζῶντα, ἕως τ' ἂν ὁ θηρατὴς ἀφίκηται.* Si dominus accedit, praeda ut praemio utitur, eamque exanimat: fin abeft, in adventum ejus vivam fervat. Quod vix ut de alio quam Vertrago intelligi poffit, cujus characteri id prorfus convenit apud Martialem:

Non fibi, fed domino venatur Vertragus acer,
Illaefum leporem qui tibi dente refert.

Unde forfan & Pollux cap. I. canibus poft alia attribuit, *ζωγρεῖν, ζῶντα κομίζειν, vivas feras capere.* Quod item non poteft de fagacibus intelligi, quibus exprobat minor Xenophon cap. XXII. quod praeda minime abftineant: *ὅτι καὶ δὲ καὶ καταφαγοῦσι τὸν λαγὼ παντελῶς, ὡς μόλις ἂν ξύλῳ παίων ἀπαλλάξειας αὐτάς. quinime praedam tam avide devorant, ut vix fuftibus caefos abftrahas.* Quanquam mortua & curfu confecta abftinere dicantur ab Aeliano citato loco, & Plutarcho, in tractatu, Utra animalium &c. VLIT.

199. CARPERE] Ad vefcendum. Conviviale verbum ex media luxuria ad canes deduxit. Vide Notas virorum doctorum ad Petronium, apud quem Trimalcio *Carpum* habebat diribitorem epularum, ut uno verbo illum vocaret & juberet officium fuum exfequi. BART.

199 NON CARPERE SUMTAM.] Haec propria Vertragorum laus, ut illaefum leporem dente ferant. Quapropter ferri non poteft edita apud Martialem lectio:

Leporem tue laefum Gallici canis dente.

Scribendumque, *illaefum*, ex charactere, quem ftatim ex Apophoretis adduxi:

Illaefum leporem qui tibi dente refert.

Vel fi qui aures delicatas adeo habent, ut metro magis, quam lectionis veritati, aufcultent, an *prenfum*, vel tale quid malint, ipfi viderint; modo ne pro vulgata contendentes majorem Martiali ἀνομίας culpam concilient, quam ἀνομίας. Cujus ne religiofus adeo fuiffe cenfeatur, ecce & alios διασκευάζοντας, quos editorum conniventia hactenus fere vulgatis inferuit lib. I. Epigram LXVII.

Aliena quifquis recitat, & quaerit famam.

Quanquam fcio in melioribus libris id emendatum. Verum lib. II. Epigram. XVII.

Non tondet inquam, quid ergo facit? radit.

Non modo multae Editiones, fed & ipfe codex MS. Bibliothecae Leydenfis ita fcriptum exhibet. Multaeque aliae id genus licentiae apud eum paffim occurrunt, quas hic non moror: dum utique conjecturae meae controverfia non fiat. Gallici canes, five Vertragi, lepores non laedunt, idque à teneris edocentur. Xenophon minor cap. XXV. *ἀλωτὸς δ' ἐφανερώθη εἴ τις ἀπελθῇ, πρὶν ἐμφορηθῆναι τοῦ αἵματος τὰς κύνας. Capta praeda ocyus aliquis infequatur; antequam canes fanguine fe ingurgitent.* Non ut lepori parcat, eoque illaefo (ut delicatulus ille apud Martialem Baffa) fruatur; *ἀλλ' ὅτι πονηρὸν μάθημα κυνὶ γεύσασθαι λαγῷα ἐσθίειν, fed quia peffima confuetudo cani egregio leporem deguftare*, canibus potius confultum voluit. Illud vero fagacium eft, ut *captum leporem difcerpere, & fanguinem ejus avide haurire gaudeant*, tefte Plutarcho in libello, Utra animalium. VLIT.

200. REPARARE] Virg Georg. 3.

Atque aliam ex alia generando fuffice prolem.

Ovid. autem eodem verbo utitur. Metam. Lib. I v. 363.

O utinam poffim populos reparare paternis
Artibus —— JOHNS.

201. SEMPER,] Quotannis. De fcabie canum aliifque morbis vide Gratium & Vegetii commentarium. III. & IV. Veterinariae, nam & ibi tradita ad hos faciunt BART.

202 NAM TRISTIS] In libro antiquitus excufo etfi diftinctio nulla eft, tamen ita haec funt concepta.

Nam

Saepe venit, multamque canes discrimine nullo
Dant stragem, tu sollicitos impende labores,
Et sortire gregem suffecta prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva

Ad-

NOTAE.

Nam tristes morbi, scabies & sordida venis
Saepe venit, multamque &c.

Quod non videtur mutandum fuisse à corrigentibus. BART.

202. NAM TRISTES MORBI,] Perperam vulgo distinguitur: *Nam tristes morbi scabies*, &c. *Tristis* valet *tristes*, ut *levis deducet pondere fratres*, Gratio, pro *leves*: unde ibi quoque vulgatur, *levis*. Maronem cum passim, tum hic maxime secutus videtur Georg. III.

Atque aliam ex alia generando suffice prolem;
Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit; subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & durae rapit inclementia mortis.
Semper erunt quorum mutari corpora malis,
Semper enim refice; ac ne post amissa requiras,
Anteveni, & sobolem armento sortire quotannis.

In quorum ultimo & primo versibus idem dicitur, ideoque ab Aurelio idem bis repetitur v. CC. & v. CCV. VLIT.

202. SCABIES ET SORDIDA] Virgilio, *Turpis oves tentat scabies*. & antea: *scabiemque ferat, turpesque podagras*. Ubi Nonius *turpe, indecorum: informe*, exponit. Cave autem *sordida venis* construas tertio casu. *Venis venit*, pro in venas, quia sanguinem quoque inficit scabies. *Hinc vitium, hinc illa est avidae vehementia pesti*, inquit Gratius de hac ipsa scabie. VLIT.

203 VENIT,] Ingrata sane accidit auribus illa vox post τὸ *venis*: nec tamen mutare ausim: nisi quis *subit* reponi posse putet. JOHNS.

203. DISCRIMINE] Pari modo Gratius. v. 370.

——— *juxtaque exercitus ingens*
Aequali sub labe ruit ———

i. e. *sub labe* discrimine nullo grassanti. & v. 411. JOHNS.

204. DANT STRAGEM,] Patiuntur potius. Sed hoc eleganter ita Latinitas abusa est. Virgil. Georg. III.

——— *imbelles dant praelia cervi.*

Idem Aeneid. III.

——— *placataque venti*
Dant Maria.

Idem Georg. III.

——— *nec funera vulgo*
Jam multa informes ursi stragemque dedere.

Et in fine.

Jamque catervatim dat stragem.

Quod contrarium est nostro. BART.

205. SORTIRE] Sortire, comple. Virgilian. ex Georg. III.

Semper enim refice, ac ne post amissa requiras.
Ante veni, & sobolem armento sortire quotannis.

BART.

205. ET SORTIRE] Virg Georg. 3.

——— *sobolem armento sortire quotannis.* Vlit. JOHNS.

206. QUIN ACIDOS BACCHI] Serenus Samonicus cap. VII. *prurigini, papulis, ac scabiei arcendis:*

Ferventes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miscebis farra lupini.

Ὀξέλαιον uno vocant verbo unguentum ex oleo & aceto mixtum; idque intelligere videtur Calpurnius Ecl. v. *& liquido simul unguine terga memento, Si sint rasa, linas.* Ita scriptum exhibet praeter Pythoeanam etiam princeps Editio, quae jam CLXXIV. annorum aetatem fert: ne quid plus autoritatis sequioribus libris attribuendum censeat Modius, qui habent, *liquido picis unguine.* Praesertim cum praecesserit: *nec Brutia desit Dura tibi.* Nam Brutia opponitur liquidae pici. Plinius lib XVI. cap XI. *Sequens liquor crassiorem jam picem fundit: haec rursus in cortinas aereas conjecta aceto spissatur, & coagulata Brutiae nomen accipit, lentore ab alia pice differens.* Ita legendum eo loco. Idem lib XXIV. cap. VII. palimpissam pro Brutia accepit: *praestantissima sed ad canum jumentorumque scabiem.* Omnino enim illa ad palimpissam referenda, atque eo modo ex antiquae scripturae vestigiis restituenda. Dioscorides lib. I. cap. IIIC. Brutiam speciem palimpissae constituit, quae in genere nihil aliud sit quam ξηρὰ πίσσα, *sicca pix.* Eam merito itaque *duram* dixit Calpurnius. Sed *liquidum unguen*, quod ad ulcera commendat, aut id est quod dixi; aut saltem ad πισσέλαιον referendum, quod etiam cum pice liquidâ à Dioscoride eod. lib. cap. XCV. ἐπὶ τῶν κτηνῶν ἕλκη καὶ ψώρας *ad pecorum ulcera & scabies* adhibetur. Idque, ni fallor, Maro in eadem

Admiſcere decet ; catuloſque caneſque maritas
Ungere profuerit, tepidoque oſtendere ſoli,
Auribus & tineas candenti pellere cultro

Eſt

NOTAE.

dem curatione lib. III. Georg. vocavit, *pingues inguine ceras.* unde, ut pleraque illius Eclogae, etiam illa deſumpſit Calpurnius, quem obiter illuſtraſſe ſufficit, ne longius exorbitem. VLIT.

206. TRITONIDE] Serenus Samonicus. c. 7.

Ferventes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miſcebis farra lupini.

ὀξέλαιον uno vocant verbo unguentum ex oleo & aceto mixtum. Vlit. *oliva* autem vocatur *Tritonis* quia Tritonidi. *i. e.* Palladi ſacra. *cum* ante *olivâ* ſubauditur. JOHNS.

208. OSTENDERE SOLI,] Et hoc Maronianum. II. Georg.

——— *magnos ſcrobibus concidere montes*
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas.

BART.

209. TINEAS] Geſnerus per ricinos intelligi putat, & errat: quod pace tantae illius in animalium hiſtoria experientiae dixerim. *Ricini* enim nihil aliud quam pediculi pecuarii, aut vermes ſaltem ſunt. Iſidoro, *ricinus, vermis eſt canis, vocatus eo quod haeret in auribus canum.* A Varrone id habere videtur, qui ita cap. de canibus: *Quidam nucibus Graecis in aqua tritis perungunt aures & inter digitos; quod muſcae & ricini & pulices ſoleant, ſi hoc unguine non ſit unctus, exculcerare.* Sed non ideo ſemper auribus haerent. Columella lib. VI. cap. II. feminibus boum plerunque inhaerere *ricinos* dicit: niſi corrupta ea vox eſt: nam in veteribus *recini*, & *redivii*, quos Calepinus citat, leguntur. In Gloſſis etiam *Ricinus* κρότων, & φθεὶρ, exponitur. Et alibi: Φθεὶρ, ἔγκυον κρότων, *ricinus.* Φθειριώδης, ἐπὶ ἀλόγων ζώων, *ricinoſus.* Itaque nec canum, nec boum, ſed omnium id genus pecorum communes ſunt. Plinius lib XI. cap. XXXIV. ricinum ita περιφράζει: *Eſt animal ejuſdem turpitudinis infixo ſemper ſanguini capite vivens, atque ita intumeſcens,* &c. tum addit: *Nunquam hoc in jumentis gignitur; in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia; in ovibus & in capris hoc ſolum.* Quae ſibi non conſtare animadvertit olim Pintianus, conjicitque, *Nonnunquam hoc.* Fruſtra. Ego vero ita: *Quanquam hoc in jumentis gignitur omnibus, frequens in canibus aliquando* (vel *aliquantum* potius) *in bubus omnia.* Deſumpta enim paene verbotenus ex Ariſtotelis lib. V. Hiſtor. Animal. cap XXXII. Ubi poſtquam dixit animalia omnia, excepto aſino, & pediculis & ricinis infeſtari, addit Philoſophus: οἱ δὲ βόες ἔχουσιν ἄμφω. τὰ δὲ πρόβατα καὶ αἶγες κρότωνας· φθεῖρας δ' οὐκ ἔχουσι. Et paulo poſt: ἐν δὲ τοῖς κυσὶν, οἱ καλούμενοι γίνονται κυνοραϊσταί. Fortaſſe etiam nihil in Plinio mutandum ſit, modo jumenta pro aſinis tantum ibi habeantur. Sed de eo non contendo jam. Sufficit oſtendiſſe ricinos vermium genus reptile, non volatile eſſe. Qui itaque candorem cultri fugiant, cum capite ipſo infixi adeo inhaerent? Nec ricini peculiares canum ſunt; ſed omnigeni pecoris commune malum: verum ii, qui canes infeſtant, peculiariter κυνοραϊσταί, dicuntur, ut in adducto Ariſtotelis loco videre eſt. Heſychius: Κυνοραισταί, κρότωνες οἱ τὰς κύνας τιτίζοντες. Falluntur itaque qui κυνοραϊστὰς eaſdem cum κυνομυίαις eſſe autumant. Illae nihil aliud quam ricini, hae muſcae, quae canum aures maxime infeſtant. Ergo per *tineas* hoc loco muſcas caninas intelligere convenit, quia & alatae ſunt, & colore tineis haud abſimiles, ita dictas à Poëta. Quae, ut reliquum muſcarum genus, quocunque motu vel ventilatione facile abigantur: cum ricini, non id tantum aſpernentur, ſed etiam, ſi manu vellantur, ulcera faciant, ut merito id prohibeat Columella lib. VII. cap. ult. Plinius ut de ricinis innominatim egerat, ita & de κυνομυίαις haec ſubjicit: *Eſt & volucre canibus peculiare ſuum malum aures maxime lancinans, qua defendi morſu non queunt.* *Muſcas* generatim vocat Varro; & Columella: *Fere autem per aeſtatem ſic muſcis aures exulcerantur, ſaepe ut totas amittant.* Sed iidem eodem quo Varro medicamine eas conficit, non illo modo quem hic confingit Nemeſianus inauditum alias. VLIT. Geſnerus per ricinos intelligi putat. Iſidoro autem *ricinus* eſt, vermis canis, vocatus eo quod haeret auribus canum. Geſnerum erraſſe cenſet Vlitius, quia *ricini* vermium genus reptile. non volatile eſt. Qui itaque candorem cultri fugiant, cum capite ipſo infixi adeo inhaerent? Ergo per tineas hoc loco muſcas caninas intelligere convenit; quia alatae ſunt, & colore tineis haud abſimiles, ita dictas à Poëtâ: quae ut reliquum mu-

Eſt etiam canibus rabies, letale periclum,
Quod ſeu coeleſti corrupto ſidere manat,
Cum ſegnes radios triſti jaculatur ab aethra
Phoebus, & attonito pallens caput exerit orbe:

Seu

VARIAE LECTIONES.

213. *Orbe:*] *Orbi* B.

NOTAE.

ſcarum genus quâvis ventilatione abigantur; cum ricini ſi vel manu vellantur, ulcera faciunt. Vlitius. modum tamen ſanandi à Nemeſiano praeſcriptum inauditum alias aſſerit Vlitius. quid ſi iſtud remedium ab ipſo tantum ſit male intellectum? Et illud *candenti* non *candidum* denotaret, ſed *ab igne calidum?* hoc ad delendos ricinos, quantumvis infixos valet; & quid, quaeſo, candido opus eſt cultro pellendis tineis? Pace itaque tuâ, Vliti, Geſnerus mihi rectius videtur ſenſiſſe. JOHNS.

211. Quod] *Quod periculum*, quod malum *ſive manat* à Sole (Ovidius enim Solem vocat *Aethereum ſidus*, ut hîc Nemeſian. *coeleſte.* L. I. Metam. v. 424.) nigrâ ferrugine *corrupto*; nimirum cum Phoebus languidos emittit radios ab aethere jam nubibus opaco triſtique, & pallens oſtendit caput ab orbe ſuo attonito, & deliquium paſſo. JOHNS.

211. Seu coelesti] Divinis verſibus eadem ſcribit Gratius quem aemulatus eſt noſter. Omnino autem in illo, ut dicebat Scaliger, dominatur ſeculi felicitas. BART.

211. Corrupto sidere] Multimode hic de rabiei origine *αἰτιολογεῖ* poëta noſter. Primum ſideris corruptionem cauſſatur: deinde terram, aërem, & aquae defectum ſive ſitim: adeo ut per ſingula elementa ab ſummo incipiens inquirere voluiſſe videatur. *Sidus* itaque hic nec pro aëre, nec pro tempore quidem ponitur, ſed proprie pro ſigno coeleſti, ut fere alias: & *μετωνυμικῶς* pro tempeſtate anni aliqua. Ita *aeſtivum ſidus*, *brumale ſidus*; pro aeſtate & hyeme. At in loco Claudiani, quem huc adduxit Barthius, ut per *ſidus* aërem debere intelligi oſtenderet, nec pro eo, nec pro tempore, nec ea, quae navigantibus inſerviunt, ſidera intelligi poſſunt: verum ibi per *μετωνυμίαν* cauſae externae pro effecto, ponuntur pro terrarum ſub ſuo cujuſque coeleſti ſigno conſtitutione:

Quid rigor aeternus, coeli, quid ſidera proſunt?

Nimirum quid Mauro Cancri, cui ſubeſt, fervores, quid Britanno ſui ſideris frigora profuerunt? Ut ſeipſum declarat in ſequentibus: *Quis calor obſiſtit forti!* Nec alio ſenſu illa apud Mamertinum Genethl. Maximiani accipienda: *adverſus inclementiam locorum & ſiderum veſtrae vos majeſtatis potentia tuebatur.* Sed haec obiter. Apud Ovidium tamen lib. I. Triſt. El. IV. *freta ſideribus totis diſtantia* eum dicit, *ſidera* proprie, ut hic apud noſtrum, intelligi debent, quia *alias aliud plagas ſibi vindicat aſtrum*, ut Manilius loquitur: nec eidem ſigno Aegaeum mare, aut Geticum, cui Tuſcum ac Ionium, ſubjacent. Ita, inquam, hic ſidus, quod *canibus blandis inviſcerat aeſtus*, dicitur, ſive Cancer, ſive Leo. Alterutrum enim hic rabiei naſcenti aſſignat Aurelius. VLIT. Vlitius quidem per *ſidus* intelligit tempeſtatem quandam anni ſub hoc vel illo ſidere; & *ſegnes radios* eo dici putat, quod Phoebus jam,

——— *tardaſque vias, Cancrique morantis*
Sidus iniit. ut ante.

At non poſſum non putare, Nemeſianum grandius quiddam voluiſſe, & Phoebi labores illos mortalibus terrificos, malorumque praenuncios hiſce verſibus depinxiſſe. JOHNS.

212. Cum segnes radios] Nimirum (ut ipſe ſupra loquebatur)

Poſtquam Phoebus candentem fervidus axem
Contigerit, tardaſque vias, Cancrique morantis
Sidus iniit.

Ubi vide quid de mora ac tarditate ſolis dixi, ut facilius intelligatur cur *ſegnes* hic radios dicat. VLIT.

213. Pallens caput exerit] Virgilii ſunt:

Inque dies avidum ſurgens caput altius effert
Pallida Tiſiphone.

lib. III. Georg. extremo VLIT.

213. Orbe:] Scribendum; *orbi. Attonito orbi.* Horridum autem *ſidere corrupto.* Sed ſciendum *ſideris* vocabulo hoc loci aërem deſignari,

quem

Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Cum quatit, hoc canibus blandis invifcerat aeftus:
Exhalat feu terra finus, feu noxius aër

Cauf-

VARIAE LECTIONES.

2·5. *Invifcerat*] Ita A Steyn. & G. *invifcerat* P. *immiferit* conj. Pyth. *immiferat* cit. B.
216. *Terra finus*,] *terra*, *fitu feu n.* B.

NOTAE.

quem ait fegnibus Phoebi radiis corruptum & quafi putidum fieri. Ita Plinius panegyrico. *cam ferae gentes non telis magis qaam fuo coelo, fuo fidere armantur.* Claudian. IV. Conf. Hon.

Qaid rigor aeternus coeli, quid fidera prosunt? BART.

214 Seu magis] Seu potius, cum Sol ingreffus eft primam partem Leonis, *hoc* malum *canibas blandis invifcerat aeftus.* Appofite Seneca in Oedipode. v. 39. in defcriptione peftis Thebis ortae.

——— ignes auget aeftiferi canis
Titan, Leonis terga Nemeaei premens.

Vide Plinium. L. 2 cap. 47. *Ardentiffime aeftatis tempore exoritur Canicalae fidus, Sole primam partem Leonis ingrediente* JOHNS.

214. Leonis] Manilius lib. v. fub ortu Leonis:

Qaum vero in vaftos furgit Nemeaeus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,
Et eabit igne fuo, geminatque incendia folis:
Qaa fubdente facem terris, eadiofqae movente,
Dimicat in cineres orbis, fatamque fupremum
Sortitar, languetqae fuis Neptanus in undis,
Et viridis nemoei fangais decedit; & herbis;
Atque eget alterius mundus. natara faifmet
Aegeotat morbis, nimios obfeffa per aeftas,
Inque rogo vivit; tautas per fidera fervor
Fanditae, atque ano ceu fint in lumine cuncta.

Eadem habet fere Plinius lib. II. cap. XL. de vi Caniculae. Adjicit etiam: *Canes quidem toto eo fpatio maxime in rabiem agi non eft dubium.* Quod alibi ipfi Sirio, five majori Cani, tribuit, quem oriri tradit *fole peimam partem Leonis ingeffo*, lib. XVIII. cap. XXVIII. *Hoc fit poft Solftitium XXIII. die. Sentiant id maria & terrae, maltae vero & ferae: accenditque folem, & magnam aeftus obtinet caufam.* Idem alibi: *Rabies canum Sirio ardente homini peftifera.* Quem quidem cum ipfo Cancro oriri refert Hyginus lib. III. Aftronom. Nec aliter videtur fenfiffe Nemefianus; aut potius dubitaffe, utrum Cancro, an Leoni corruptionem caeleftis fideris, & rabiei ortum affignaret. VLIT

215. Hoc canibus] Puta, corruptum fidus. Virgilius, poftquam corruptam coeli plagam in morbo peftilenti caufatus eft, fubjicit: *Hinc canibus blandis eabies venit.* Sed ipfa verba non parcam adfcribere ex Georg. lib. III. toties citato:

Hic quondam morbo coeli miferanda coorta eft
Tempeftas, totoque autumni incanduit aeftu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacas, &c.

quae fequutus eft nofter. Scribendum fortaffe: *hos canibus blandis inv. aeftûs.* Vel *aeftus* fi fumatur primo cafu, *hoc*, puta letale malum, cafu quarto. VLIT.

215. Quatit,] Idem quod Senecae *premit.* JOHNS.

215. Inviserat] Vir doctus legat. *immiferat.* Sed noftri codicis fcriptura omnem dubitationem tollit. In eo diferte excufum eft, *Invifcerat.* quod qui afpernabitur, illum ad occifam fuem Plauti fapientia fua merito aggregabimus. Nec opus tam eleganti verbo exemplo aut interpretatione; fe enim ipfum probat. BART.

216. Exhalat] Scribendum arbitror:

Exhalans feu terra, fitu feu noxias aër,
Caaffa mali. ———

Vide Gratium. BART.

216. Seu terra sinus,] Tale quid de peftilentiae origine quaefivit Gratius: *feu terra fuos populatue honores.* Nimirum cum craffos & peftiferos vapores è vifceribus fuis exhalat. Lucanus lib. VI. de pefte:

——— tali fpiramine Nefis
Emittit Stygiam nebulofis aëra faxis,
Anteaque lethiferi eabiem Typhonis anhelant.

Sinus itaque *terrae* funt aut antra illa Typhonis, aut vifcera ipfius telluris: ut Lucanus ftatim poft illa, *vifcera* quoque undae infecta viro dixit. Barthius hoc modo informat hunc locum: *Exha-*

Caussa mali; seu, cum gelidus non sufficit humor,
Torrida per venas concrescunt semina flammae.
Quidquid id est, imas agitat sub corde medullas,
Inque feros rictus nigro spumante veneno
Prosilit, insanos cogens infigere morsus.
Disce igitur potus medicos, curamque salubrem.
Tunc virosa tibi sumes, multumque domabis
Castorea, attritu silicis lentescere cogens.
Ex ebore huc trito pulvis sectove feratur,
Admiscensque diu facies concrescere utrumque:
Mox lactis liquidos sensim superadde fluores,

Ut

NOTAE.

lans seu terra, situ seu nex. a. Quod facile rejiciat, quisquis Severum adire non re usaverit initio Aetnae de hiatibus terrae egregie αὐτολογχάνη, ubi post alia subjicit: *quis enim non credat inanes Esse sinus penitus?* Quid si & Seneca adeatur Severum passim secutus lib. VI. Nat. Quaest. cap. VIII. & seq VLIT. Ita omnes libri. tu tamen lege *sinu*. *S* enim à sequente voce adhaesit. JOHNS.

217. Cum gelidis] Barthius nimium hic ἐπιχειρέζει. Nihil aliud quam situm huc circumloquitur Nemesianus, qua maxime in rabiem aguntur canes, ut ad Gratium docui v. CCCLXXXVIII. VLIT.

217. Non sufficit humor,] Cum omnis succus flammae vi exhaustus est, torrida ejus semina concrescunt per venas, *semina flammae* ἐπιχειρέζεί, de quo atomorum vocabulo, qui *semina* scilicet dicuntur, alibi pluribus. Haec autem prorsus elegantissima sunt. Poterant de canum rabie multa ex Graecis Latinisque Medicis coacervari atque differi, si vel apud libros nunc essem, vel illud institutum postularet. Sed Commentaria non scribimus. Comparabis ipse etiam quae ex Gratio hausta sunt. BART. Ita Seneca loco praedicto.

Deseruit amnes humor —— JOHNS.

219. Imas medullas,] Intima viscera. JOHNS.

220. Nigro spumante veneno] Sanguis biliosus enim in tabidis abundat maxime. Aelianus etiam ex atrae bilis copia rabiem nasci scribit, ideoque ab ipsis canibus excerni: καὶ μαίνοιτο μέντοι χολῆς ἐκκρινομένης πλῆθος, ἐκ τούτων μανία(ν) ἐργάζεσθαι, κυνὶ νόσημα ἀργαλέον. VLIT.

221. Cogens] Nimirum *canes*. JOHNS.

223. Virosa Castorea,] Plinius *fibras* dixit, *quas Graeci Castores vocant, & Castorea testes eorum*, atque late de iis agit lib. XXXII. cap. II. Expressit autem noster ipsa Maronis verba Georg. I. *virosaque Pontus Castorea.* Ubi nugatur Servius, quod *virosa*, *venenata* aut *fortia* interpretatur. *Virus* pro graveolentia saepe sumi ad Gratium probavi. Hinc *virosum castoreum* merito dicitur, quod ut sit βαρύοσμον, βρωμῶδες, δριμύ (i. e. *graveolens*, *foetidum*, *acre*) ad bonitatem ejus requiritur à Dioscoride lib. II. cap. XXVI. Plinius interpretatur: *odoris gravis, gustu amare & acri.* VLIT. Desumptum hoc à Virg. Georg. I. v 58. ad quae verba sic Servius. *Fibri, canes sunt Pontici: quorum testes apti sunt medicaminibus, propter quos ubi se requiri senserunt, eos secant.* Plin. Lib. 22. cap. 3. *amputat sibi testiculos, urgente necessitate, ob hoc peti se gnarus, Castoreum id vocant medici. Virosum* autem dicitur *Castoreum*, quia foetidum & *virus* redolens. *Virus* pro malo odore posuere veteres. Emmenessus JOHNS.

224. Attritu] Ideo laudatur Dioscoridi εὔθρυπτον, id est, *friabile*, interprete Plinio. Idem in aliis medicaminibus probat, *tritum ad crassitudinem mellis, ex aceto*: in aliis etiam, *ex lacte*, quod noster superaddit infra. Sed eburno pulvisculo nusquam admisceri invenio. VLIT.

226. Concrescere] Hoc Gratius ita extulit.
Miscuit & summam complectitur ignis in unam.
BART.

227. Lactis fluores,] Ecloga III. *siccare fluorem Lactis.* BART.

228. Non

Ut non cunctantes haustus infundere cornu
Inserto possis, furiasque repellere tristes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.
Quin & Tuscorum non est extrema voluptas
Saepe canum: sit forma illis licet obsita villo,
Dissimilesque habeant catulis velocibus artus;

Haud

VARIAE LECTIONES.

232. *Sit*] Ita G. *est* A. P. & Steyn.

NOTAE.

228. Non cunctantes] Lactis nimirum admissione liquidos, & in canum gulâ non haesuros. JOHNS.

228. Cornu] Hoc quoque à Virg. mutuatum. Georg. 3. v. 509.

Profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos ——

Instrumentum hoc, *Infundibulum* vocat Columella. JOHNS.

230. Componere] Vide quae ad Ceirin scripsimus. Vel ista luxata sunt suo loco, vel Nemesianus quae heic sequuntur melius poterat tractare initio, cum de canibus & patriis eorum inciperet, quod & Scaliger observavit. Sed non dubito Afrum poëtam gentilem morem suorem hominum probare, qui modo acute & erudite dicant, reliqua floccifaciunt. Excusari tamen hinc potest, quod quae hactenus canum secula recensuit, semper velit observari & usurpari; Tuscos autem ait non semper utiles esse. Quare merito eos seposuerit ab aliis, quorum usus perpetuus. BART.

231. Quin et Tuscorum] Cur hos à reliquis separaverit Nemesianus, ne indicta causa condemnetur, ipse rationem eloquitur, quod

Dissimiles habeant catulis velocibus artus.

Tum etiam quod sagaces tantum simul. Nam superius etiam, postquam velocium formam & coitum curaverat, ita ad bellicosos primum devenit. Nec secius Oppianus lib. 1. postquam & formam & connubia canum designaverat, aliâque de verno coitu digressione interpositâ, tandem bellicosos interjicit. Tum iterum universis colorem, nutricem, aliaque ad educationem spectantia praescribit. Sed & investigationem, & venationis tempora examinat. Atque ita denique Britannos canes praedicare aggreditur: iterumque post paulo ad indagationem instituendam redit. Quae si in illo, quem ad invidiam usque passim immeritis laudibus extollit, ferre potuit Hypercriticus censor, quae tanta invidia est, ut in Nemesiano, qui ipse tenuitatem suam profitetur, exactiorem methodum desideraverit? Nihil tamen reum nostrum, sed insontem, aut accusationes gravant, aut excusationes juvant, quas profert modo accusator, mox ex accusatore repente male patronus factus Barthius. VLIT.

232. Saepe canum:] Vetus scriptura.

Saepe canum, sit forma illis licet obsita villo.

Quam nullo pacto dubitandum est esse legitimam. De canibus vero illis informibus at valentibus & valide utilibus Oppianum vide Cynegetico. 1. v. ccccxiii. BART.

233. Catulis velocibus] De velocibus enim hactenus tantum egit, quia tum temporis ii potissimum ad venationem adhibebantur, ut colligere est ex eo quod dixit superius:

—— *diversa Britannia mittit*
Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

(quanquam eo loci aliter id potius exponebam.) Ideoque concludit, antequam medicinam attingit:

Sic tibi veloces catulos reparare memento.

Nec id solum ex toto Xenophontis junioris Cynegetico apparet, sed etiam ex Ammiani loco percipitur lib. xxix. *Adultus quidam ex iis, quos Paedagogianos appellant, ad observandam venaticiam praedam Spartanum canem retinere dispositus, ante praedictum tempus absolvit, adsultu ejus evadere conantis appetitus & morsu.* Ubi *Spartanus canis* non pro sagace, sed veloce ponitur. Ut & noster supra Lacedaemonios & Molossos tralaticie pro velocibus posuit. Nec de alia venatione, quam Vertragorum, intelligi illa possunt. De qua aliqua ad Gratium dixi, plura ad Xenophontis [illegible] cap. xx. Deo, qui no-

Haud tamen injucunda dabunt tibi munera praedae.
Namque & odorato noscunt vestigia prato,
Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.
Horum animos, moresque simul, naresque sagaces
Mox referam: nunc omnis adhuc narranda supellex
Venandi, cultusque mihi dicendus equorum.
Cornipedes igitur lectos det Graecia nobis,

Cap-

VARIAE LECTIONES.

234. *Praedae*] Ita B. *praeda* A. Steyn. & P.

NOTAE.

bis haec otia fecit, volente dicam. VLIT.

234. PRAEDA.] Scribendum est; *praedae*. BART.

235. ODORATO] Adhuc odore à ferarum vestigiis recente & prato inhaerente. Lege Xenophontis Cynegeticum. BART.

235. VESTIGIA PRATO,] *Τὰ δρομαῖα ἴχνη* hic intelligit, & persecutionem elapsae ferae; ut proximo versu *τὴν ἰχνείαν* vestigationem. De quibus ad Gratium vide, ubi & de sagacibus pleraque absolvi, v. CCXLII. VLIT. Claudianus II. Laud. Stilich. Parthenium *canibus scrutatur odorem.* Ita in Elegantissima Editione sua Suavissimus Amicus, quod & multis adstruit in notis. Vulgata tamen ferri possit: *canibus scrutatur odoris.* Ut Maroni, *odora canum vis*, Aeneid. IV. & in Naevii *μισθίῳ* isto:

Dirige odorisequas ad certa cubilia canes. VLIT. *in Add.*

236. CUBILIA] Vide Desiderii Heraldi Adversariorum Collectanea lib. I. cap. XI. eruditissimi hominis. BART.

237. ANIMOS,] Uno versu omnem canum virtutem complexus est: animi, audacia, promtitudo ad dimicandum, mores, quae discere possunt, deinde sagacitas in odorando. Patet hinc optimam partem Nemesiani scriptorum interiisse, nam inprimis ista scitu erant digna. BART.

238. SUPELLEX] *Arma* toties nominata Gratio, retia rara plagae, lato venabula ferro, & talia. BART.

240. CORNIPEDES] De equis hic aliquid dicendum est. Praecipue in iis Nemesiano considerantur patria, & forma: secundum quas procedit electio. De patria illorum aliqua jam apud Gratium absolvi; reliqua hic dicentur. Ab illa orditur Aurelius, in illa desinit. *De stirpe* enim, teste Varrone, *magni interest qua sint, quia genera sunt multa: itaque ad hoc nobiles à regionibus dicuntur: in Graecia Thessalici equi*, &c. Virgilius III. Georg.

Et patriam Epeiron referat, fortesque Mycaenas.

Vegetius lib. IV. artis Veterinariae cap. VI. *In permutandis equis vel distrahendis maximam fraudem patriae solet afferre mendacium. Volentes enim carius vendere, generosissimos fingunt.* Tum pergit ut ipse praefatur, *uniuscujusque nationis explicare signa vel merita.* Oppianus à patria etiam inchoat. Merito enim virtus ex genere praesumitur, ut stirpem propter merita spectemus: quanquam in singulis magis virtus quaeritur, quam genus. Aristides Platonica II. *Εἰ δὲ καὶ ἄνδρα ζητοίης τὸν ἄριστον, οὐδὲ τοὺς ἵππους τοὺς Θετταλοὺς ἰδὼν ἀρίστους ἁπλῶς ἀξιώσεις, οὐδὲ τὰς κύνας τὰς Λακαίνας· ἀλλ' ὅμως σώζεται τοῖς γένεσι τοὔνομα.* Hoc etiam est quod voluit Satyricus, ubi exquirit, *Stemmata quid faciunt*; & argumenti vice haec proponit Sat. VIII.

Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exsultat rauco victoria circo;
Nobilis hic quocunque venit de gramine, &c.

Id nempe ad adultum, & spectatae virtutis aliquem pertinet, non ad electionem inusitati, & tyronis. In hac, ut dicebam, & patria, & signa quaedam spectantur. Illa in stirpe; haec autem vel ab indole, vel à forma probantur. Utraque allegat Aurelius, ut articulatim ostendam. *Forma equorum qualis maxime legi oporteat* (ita *lectos* hic dicit Nemesianus) *pulcherrime quidem Virgilio vate absoluta est*, (lib. III. Georg.) inquit Plinius lib. VIII. cap. XLII. de Equis. Deline-

Cappadocumque notas referat generosa propago:
Armata & palmis nuper grex omnis avorum.

Illis

VARIAE LECTIONES.

242. ***Armata*** * &c.] Vide Commentar.

NOTAE.

lineant eam ex professo quoque Varro lib. II. R. R. cap. VII. Columella lib. VI. cap. XXIX. *de indole & forma equi*, Palladius Martio Tit. XIII. quem verbotenus pene exscripsit Isidorus lib. XII. cap. I. Inter Graecos, Xenophon περὶ ἱππικῆς, ejusque simia Pollux lib. I. cap. XI. Absyrtus in Geopon. Graecis lib. XVI. cap. I. Oppianus κυνηγ. A. Quos hic recenseo, ut commodius mox uniuscujusque descriptionem cum Aureliana conferam, utque appareat an de ea *inter omnes constare*, merito visum sit Plinio. VLIT.

240. GRAECIA] Gratius.

——— *Penei qualis perfunditur amne*
Thessalus, aut patriae quem conspexere Mycenae.

Illos pro formosissimo exemplari proponit. De Cappadocis Oppian l. I. v. CLXXII. Vegetius Veterin. IV. BART. Varro ita incipit: *In Graecia Thessalici equi*, puta nobiles. Absyrtus, postquam Ἑλλαδικοὺς generatim laudavit, adjicit, ex tota Graecia Thessalicos praeferri. Praeter Thessalos tamen & Epirotici, qui *Chaonii* Gratio; & Argolici, sive Argivi, qui *Mycenaei* Gratio; & Achaei, & Attici, aliique à plurimis inter Graecos celebrantur. Xenophon, quin populares suos instituat, dubium non est. VLIT.

241. CAPPADOCUMQUE] In his patriae suae laudem mire extollit, virtutemque praedicat eorum popularis Oppianus, qui praestantissimi equi notas in Cappadoce absolvit: adeo ut eo respexerit forte noster. Vegetio, *Cappadocum generosa nobilitas*. Solinus cap. de Cappadocia: *Terra illa ante alias altrix equorum, & proventui equino accommodatissima est.* Sed noster de Cappadocibus in Graeciam transcriptis loquitur. Claudianus de laudibus Serenae:

——— *delectus equorum*,
Quos Phrygiae matres, Argaeaque gramina pastae
Semine Cappadocum sacris praesepibus edunt.

Idem Equum Honorii ita alloquitur, in Epigrammate:

Seu te Cappadocum gelidae sub valle natantem
Argaeae lavere nives, &c. VLIT.

242. ARMATA] Depositum ulcus & immedicabile heic latere ait doctissimus Criticus Jacobus Nicolaus Loensis: Miscell. li. IV. c. VII. Sane non facile quis genuinum eruerit absque libro. In nostra ea opis est antiquâ editione, ut non prorsus desperemus. Ita enim habet illa:

Marte det & palmas nupert grex omnis avorum.

Corruptissima aliquo modo corrigitur vulgata scriptura: & olfacimus Nemesianum reliquisse. *Marte decet palmas grex nuperus omnis avorum.* avorum palmas decet Marte omnis grex nuperus: generosam indolem, praesertim ad bellicas palmas dicit eorum equorum, quorum soboles semper referat laudes avorum. Nimirum vox *nuperus* primum ansam correctoribus dedit ad corrumpendum locum, quam non concoquere potuerunt. Utitur eâ Plautus, idque annotante Prisciano, libro XII. & lib. XIV. ex auctoritate Fl. Capri. Haec scripseram cum in Gratii versus incido de iisdem Graecis equis loquentis, cujus versus omnem dubitationem tollunt, & rectissime Nemesianum emaculatum fidejubent.

——— *qualis permissa Lechaeis*
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, & primae spes ambitiosa coronae.

Nam ad Martem idem auctor Graecos equos habiliores esse quam ad venatum docet. V. D. V. Ut illius geminos locos uno illo adspexerit, quoad gloriam avitam, & belli decus, Nemesianus noster Et haec correctio verissima est. Debemusque vel hujus gratia gratias magnas Editioni illi. Descriptiones equorum comparare ex Gratio & Oppiano & Virgilio supersedemus, cum id Scaliger ante fecerit. Cujus divini libri Poëtices ediscendi & memoria perpetua tenendi sunt omnibus qui antiquos poëtas legunt. Nemesiani tamen talis est, quae non timeat palmam eripi sibi. BART. Hic unus vexatissimus in hoc poëmatio locus, ad quem omnes,

Illis ampla satis laevi sunt aequora dorso,

Im-

NOTAE.

omnes, qui vel eminus Aurelium salutarunt, offendunt. Nic. Loensis conclamatum de eo voluit. E. Swartius conjicit:

Aemathiae palmas superat grex omnis Achivum.

Jacobus Gothofredus ad Descript. veteris orbis:

Argaea & palmae nuper grex nomine sacrum.

Nec defuit sibi Barthius, nec illi codex suus, qui suppeditat: *Marte dei & palmas nupert grex o. av.* Unde ille tanquam compacto addictam sibi veritatem habere putat:

Marte decet palmas grex nuperus omnis avorum.

Idem postea in Adversariis vel Swartii conjecturam amplectitur, vel ipse refingit: *Forma sat; & pal. superat grex o. av.* Ἀῤῥεῖ, λόγοι. nec correctoribus illis Auctor eget. Ego tamen integritatem huic loco nec promittere ausim, nec sanitatem vulgatae lectionis praestare possim: sed eam qualicunque expositione defendam, donec meliora quis afferat. Inprimis dubium mihi non est, quin Maronem imitari voluerit, sive I. Georg.

At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea: Eliadum palmas Epirus equarum.

(nam inde quoque illa, quae praecedunt de Castoreis, hausit, ut suo loco notavi.) sive Georg. III. de equo: *Et patriam Epirum referat.* Tum mentem quoque assequi mihi videor ex illo Juvenalis Sat. VIII. ubi postquam equum laudavit, *cui plurima palma Fervet*, degeneres hac nota afficit: *si rara jugo victoria sedit, Nil ibi respectus maiorum.* Commendat enim Cappadoces Aurelius, qua nota ab Oppiano extolluntur, ut Cappadocum avorum notas & palmas referat grex omnis generosa propago, armata nuper. Sunt enim bellatores & Martii prorsus apud Oppianum Cappadoces equi. Possit commodius, *Armata & palmis*, legi, i. instructa palmis avorum, & Gratio interprete, *quam gloria patrum Excitat.* vel potius, *Ambias & palmas.* Ita ut *τὸ nuper* ad *avorum* referatur, eodem modo, quo illud Maronis accipiendum: *neque enim ignari sumus ante malorum.* Fortasse & historiam aliquam nuperam à memoria temporis sui respexit, in qua Cappadoces equi celebrati fuerint. Certe Jul. Capitolinus refert Gordianum seniorem equos Cappadoces centum, qui in Circo certarent, factionibus divisisse. Et conjecturam meam juvant illa in Halieutico Fragmento:

Hic generosus honos & gloria major equorum:
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho,
Si septem spatiis circo meruere coronam.

Vide quae sequuntur. Taedet enim diutius hic immorari, & in verbis tricari, ubi sensus constat. VLIT. Variae sunt ad hunc locum doctorum conjecturae; quibus (quia nec judicium nec verisimilitudinem, nedum veritatem sapiunt) inter variantes lectiones locus tantum dabitur. Gronovium vero lubentissime audimus. Non est jactatus magis, nec desperatus in Nemesiano locus: videbamur tamen non incommode cogitasse.

Armenti, & palmas numeret grex, &c.

Armentum. ut Colum. l. 6. c. 6. *maxime curandum, ut praedicto anni tempore, tam foeminis, quam admissariis, desiderantibus coëundi fiat potestas; quoniam id praecipue armentum, si prohibeas, extimulatur libidinis furiis, unde etiam veneno inditum est nomen ἱππομανές.* Statius. Lib. 8. *plena armenta viris.* Dein. *palmas numeret*, est multas habeat. quam vim verbi explicuimus ad Statium. JOHNS.

243. AMPLA LAEVI DORSO,] Maroni, *obesaque terga.* Oppiano, εὐρέα νῶτα. Quod maxime apparet, *si duplex agitur per lumbos spina*, qualis Maroni placet. Quapropter & Oppianus subjicit:

Καὶ ῥάχις ἀμφιδίδυμος αἰσιν ἐχια πιαίνεται.
Et gemina in pingui findat se tergore spina.

Columella, *spina duplici.* Contra in vitio habetur, *tenuis spina*, apud Gratium de equis Siculis; *extenta* Varroni. Ait enim: *spina maxime duplici: sin minus, non extenta.* vel potius, *non extanti.* Absyrtus quoque reprobat ῥάχιν κυρτήν, ubi de jugali equo agit cap. CIII. Contra idem cap I. probat, ῥάχιν μάλιστα μὲν διπλῆν, εἰ δὲ μή γε, κυρτήν. *spinam maxime duplicem; sin minus, extantem.* Quod in vectore suum commodum habet. Xenophon ita quoque distinguit: ἡ δ' αὖ ὑψηλὴ ἀσφαλεστέραν τῷ τε ἀναβάτῃ ἀσφαλεστέραν τὴν ἕδραν, καὶ τοῖς ὤμοις καὶ τῷ σώματι ἰσχυροτέραν τὴν σύμφυσιν παρέχει. ἡ διπλῆ δὲ ἁπλῆς καὶ ἐγκαθῆσθαι μαλακωτέρα καὶ ἰδεῖν ἡδίων. *Si dorsum altius sit & equiti sedem magis tutam praebet, & armos corpori validius connectit. Sin duplex fuerit, ad insidendum mollius erit quam simplex, & adspectu gratius.* Unde intelligitur cur in jugali & admissario duplex spina pro-

Immodicumque latus, parvaeque ingentibus alvi,
Ardua frons, aurefque agiles, capitique decoro

Al-

NOTAE.

probetur ab omnibus: in vectore κυρτὴ five gibbofa. Poteft tamen fieri, ut eadem & κυρτὴ fit circa ἀκρώμια, & duplex in clunibus: ibi enim in probe faginatis quafi bifida apparet fpina, & cava fere in medio: cum nihilominus, ubi fellam capit, extentior fit. Si autem & hic fubfideat, fella facillime in tereti corpore inverfa equitem dejiciat: & fi extet etiam inter clunes, decorem omnem dehoneftat. VLIT.

243. Aequora] Notum *aequora* pro quavis planicie dici ut hic *aequora tergi* fic νῶτα θαλάσσης dicunt Graeci Poëtae, quod imitatus & Avienus Periegefi Jambica. BART. Plana fpatia. laudantur enim ἁδρὰ νῶτα, & *duplex fpina.* JOHNS.

244. Immodicum] Exceffum nominavit, ut nullum in neceffitate virtutis dubium relinqueret. *Ingentibus* dixit comparatione alvi ad reliqua membra. BART.

244. Immodicumque latus,] Mutuatum à Bove Virgiliano: *Tum longo nullus lateri modus.* Palladio, *latus longiffimum.* Et ab eo Ifidorus, *latus longum, fubftrictius.* Sed ultimum hoc ventri potius convenit. Columella: *lateribus inflexis, fpina duplici, ventre fubftricto. Inflexa*; id eft, ad ventrem turgentia. Calpurnius tamen Ecl. vi. laudat, *adductum latus.* Pollux: πλευρὰς βαθείας, σιμώσεις, καὶ πρὸς τὴν γαστέρα ἐγκαρσίας. Ita emendandum ex Xenophonte, qui eadem habet, nifi quod de longitudine adjecerit Pollux. VLIT.

244 Ingentibus] Ita magnos canes laudavimus fupra: rationem in priore commentario expofui; quae & hic locum in equis habet. Oppianus proxime cum noftro facit: μέγας αὐτὸς ἐὼν περιηγέα γυῖα. *Ipfe ingens ad membra decora.* Homerus Iliad. κ. μεγίστους laudat Rhaefi equos. Palladius imprimis requirit, *vaftum corpus, & folidum.* Ex quo & apud Ifidorum rectius legatur: *vaftum corpus, & folidum; robori conveniens altitudo.* nifi *validum*, pro vafto pofuit. Varro modum adhibuit, *magnitudine media, quod nec vaftos, nec minutos decet effe.* Laudat tamen pullum, *corpore multo* Idem: *Equos ad admiffuram legere oportet corpore amplo.* Columella poft fingula membratim exacta ita confummat: *Sic univerfum corpus compofitum ut fit grande, fublime, arectum, & ex longo, quantum figura permittit, rotundum.* Id eft, oblonge teres. Non immerito itaque δολιχὸν δέμας, *oblongum corpus*, dixit Oppianus. Quod cur brevi alvo contrarium exiftimaverit Jul. Scaliger, caufam non comminifcor: fiquidem & hic *parvas ingentibus alvos* attribuit Nemefianus. Confule de his etiam, quae ad Gratii v. diii. ubi *ingentem* equum laudat, notata. VLIT.

244. Parvae alvi,] Virgilius: *brevis alvus.* Xenophon, poftquam lumbos breviores pofuit, ratione hac defungitur: καὶ ὁ κενεὼν δὲ ὅσῳ μικρότατος φαίνεται, ὥσπερ μέγας ὢν μέρος μέν τι καὶ αἰσχύνει, μέρος δέ τι καὶ ἀσθενέστερον καὶ δυσφορώτερον τὸν ἵππον παρέχει. *Ita & venter quam minimus apparet, qui vaftior partim deformat equum, partim debilitat, & ad geftandum minus aptum reddit.* Hinc lucem capit Columella, *ventre fubftricto.* Varro in pullo fpectari vult, *ventrem modicum.* At in equabus eidem, *ventres lati*, Palladio, *longi & magni*, placent. Verba hujus funt: *Eadem in equabus confideranda funt, maxime ut fint longi & magni [ventris, &] corporis; fed hoc in generofis fervetur armentis.* In quibus fufpicor illa parenthefi inclufa ex Varrone inferta effe. Aut negationem addendam ultimo commati: *fed non hoc.* MS. Commelini liber habet: *fed & hoc:* fortaffe ex, ō, ut compendio fcribitur pro *non*, derivatum. Quanquam nec fic contradictione caret. In generofis laudaverat *vaftum corpus* Idem *longum & magnum* in equabus hic probat. Itaque hoc faltem in generofis etiam fervetur jumentis. Sed ventrem longum & magnum nec ipfe Palladius in generofo, nec quifquam fanae mentis unquam laudavit. Et tamen in equa maxime requiritur. Ergo etiam addita negatione pofterius illud comma ad ventrem reftringendum eft: vel fi auferatur, ad corpus referendum. Fallitur enim Magnus Criticus quod δολιχὸν δέμας Oppiani contrarium effe putaverit *brevi alvo* apud Maronem. Quaedam etiam cum decore in eodem equo concurrere poffunt. VLIT.

245. Ardua frons,] Apud Maronem, *illi ardua cervix.* Illa vero acclivis: haec pronâ facie declivis proprie eft. Utraque ardua fi fit, tum denique eminet ille, quem praedicat nofter, *capitis decori Altus honos* Gradatim quippe haec procedunt, & afcendendo & defcendendo. Praecipuum itaque eft, quod arduam fron-

Altus honos, oculique vago splendore micantes:

Plu-

VARIAE LECTIONES.

246. *Vago*] *Vagum* G.

NOTAE.

tem constituit, si & oculi terram versus spectent, & ipsum os quasi in pectoris summitatem se resupinet. Xenophon: *ὥστε ὁ μὲν τράχηλος ὑπὸ τῆς ἀνεστάτης ἂν εἴη, τὸ ὄμμα ὑπὸ τῶν ποδῶν ὁρῷν. ut cervix quidem insidentis incurva appareat, vultus vero in pedes pronus sit.* Hoc voluit Oppianus:

Ὕψι κάρη, μάτην δ' ἀχένα ποτὶ ὀπισθίδια νῶτα.

Ardua frons, collumque genas resupinet in imum.

Nam, quae praecedunt, ad summum caput referenda, in quo altum honorem requirit noster. VLIT. Vide Virgil Georg. 3. v. 79. & sequentes. Hinc enim sua mutuatus est Nemesianus: sed & mutuam invicem dabunt lucem. JOHNS.

245. AURESQUE AGILES,] Scilicet, cum *micat auribus*, ut Maroni. Calpurnius: *Terga sedent, micat aure.* Ubi perperam editum: *micat acre caput.* Noster statim: *Nec segnes mulcent aures.* Contra in equo morbido apud Maronem, *demissae aures*, Motus aurium egregie explicat Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *In equis, & omni jumentorum genere indicia animi praeferunt: fessis marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus, resolutae aegris.* Quo loco nihil mutandum. *Nutantes*, quod in Vet. Edit. legitur, purumputum glossema, quo *τὸ micantes* exponitur. *Micare* enim auribus est, quod tremere membris: *micat auribus, & tremit artus.* Mirum tamen videri possit cur pavido id assignet Plinius, quod in optimo laudat Maro. Fuit cum conjicerem: *micantes avidis.* Ut Virgilianum respexerit, qui *Stare loco nescit, micat auribus.* Huic enim tanquam optime delineato palmam ipse detulit Plinius, ut modo ostendi. Nec ad alium melius applicetur vulgata, quam retinere malui: ut *pavidus* sit non à timore, qui *Degeneres animos arguit*, sed ab insita illa generosissimo cuique trepidatione, ut cum etiam *tremit artus.* Nam paventibus improviso & terrefactis subriguntur quam rigidissime aures. Caeterum laudantur promiscue Xenophonti, Polluci, & Oppiano parvae ac breves aures. Diligentiores hac in parte Latini. Columella: *brevibus auriculis, & arrectis.* Praecipue Palladius: *aures breves & argutae.* id est, arctatae in angustias. Pro quo apud Isidorum legitur: *aures breves, & acutae.* Nec male. Nam *argutum* sive proprie sumatur, sive tralaticie, nihil aliud fere significat quam acutum, & gracile. Et falli eos puto, qui aliter exponunt. Nec melius Jos. Scaliger *ὁ πάνυ* ad *συμμετρίαν* refert. Nescio autem quid sibi velit Varronianus ille, *auribus applicatis.* Quod cani villatico alicui, quam ulli equo, nedum probato, convenientius. Mihi dudum allubuit conjectura mea, *apicatis*, nova quidem voce magis, quam insolenti. Hoc est, argutis vel acutis. Siquis argutias has non fert, *applicatas* sibi habeat aures istas. VLIT.

245. CAPITIQUE DECORO] Ipsum se caput decore satis habet, si sit parvum, ut plerisque convenit, & *argutum*, id est, tenue & gracile, ac *breve*, ut Flacco probatur. Quod maxime apparet, si sit, ut Palladii verbis utar, *exiguum caput, & siccum pelle propemodum solis ossibus adhaerente.* Xenophon ei adstipulatur: *ἡ δὲ κεφαλὴ ὀστώδης, ὦτα μικρὰ στενὰ ἔχοι.* Eadem prorsus probat Plato in Phaedro. Ita in angustum etiam definir, & levitatem, quam requirit Oppianus, consequitur. Decentissimi hodie tali capitis delicatissima structura habentur Thieldones Britannici. Contra nostrates sive Frigisci sive Flandrici trotonarii (ita vocat Vegetius) caput plerunque bubuli instar & grande, & carnosum, caeterasque ejus partes immodicas habent. Habent tamen multa, quae frustra in Britannicis requiras. Illi autem, ut eo revertar, ita compositi optimo modo leve & erectum caput habent. Atque ita decorum caput necessario sequitur *Altus honos.* Membratim ac elegantissima consummatione hanc verticis elevationem eodem modo *αἰτιολογεῖ* Oppianus:

Βαιὸν ὑπὲρ δειρῆφι, μετήορον, ὑψὶ κάρηνον ἀείροι.

quae ita liceat circumloqui:

Jamque caput levitate suâ super ardua colli
Surgit, & à celsa cervice excelsius extat.

Nec aliter Homericus ille sub finem Iliad. vr. *ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει.* Sed parum hoc decore se habet, si etiam totum vultum & ipsum os pariter effert, quod unicum in plerisque Britannicis Thieldonibus vitium est. Illi enim anserinum

in

Plurima se validos cervix resupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores:
Nec pes officium standi tenet: ungula terram

Cre-

NOTAE.

in morem os maxime protendunt, & quod hinc fere sequitur ipsam quoque cervicem porcorum instar extendunt: praecipue si nunquam gravioribus lupatis assueverint. Livius de Numidicis: *deformis ipse cursus rigida cervice & extento capite currentium.* Quod ut evitetur, necessario etiam requiritur id, quod subjicit continuo Oppianus, ut genas introrsus reflectat, & quod hinc fit:

Plurima se validos cervix resupinat in armos.

De hoc enim mox dispiciemus: de altero jam aliquid dixi, cum *arduam* frontem, non claram, sed acclivem interpretarer, ne idem bis vel à nostro, vel ab Oppiano videretur dictum. VLIT.

246. OCULIQUE] Miror nihil de iis in perfectissima equi forma dixisse Mantuanum vatem. Palladius & Isidorus inter pulchritudinis partes ponunt considerationem oculorum, requiruntque ut sint *magni*. Varro & Columella, *nigros*. Xenophonti & Polluci placent ἐξόφθαλμοι, id est, *oculis extantibus*, quos tamen ad Hutruscorum deformitatem referre videtur Vegetius. Adjicit Pollux: ὀφθαλμοὶ πυρώδεις, ὕφαιμον βλέποντες. *Oculi ignei, & sanguineo intuitu.* Plato vituperat ὕφαιμον aeque ac γλαυκόμματον. Sed aliud est ὕφαιμον βλέπειν, aliud à colore ὕφαιμον dici. Illud etiam iis, qui nigros oculos habent, evenit, & animositatem indicat. Hi sunt, quos canit noster, *vago splendore micantes*. Oppianus laudat: Ὄμμα πυρσὸν, πυρ-ωπόν. *torvum & flammeum intuitum*: quod Pollux dixit totidem verbis, ὄμμα ἀστράπτον, & πυρῶδες. Non haec ad colorem oculi, sed ad intuitum referenda. Ignei enim & sanguinei coloris, ut rari, ita plerunque indecori, & merito à Platone culpati videntur. VLIT.

246. VAGO] V. ed. *vagum*. Quod non recipimus. BART.

247. PLURIMA] Hoc est, maxima ejus pars. Sic Virgilius *montem plurimum urbi imminere* dixit, ut alibi notavimus copiosius. Versus hi sunt luculentissimi. Nec in Nemesiano modo praestantissimi. BART.

247. CERVIX RESUPINET] Quo fiat ὑψαύχην, quod Plato commendat, & ipsum quoque caput decore erigat. Hinc apud Homerum ἐριαύχενες ἵπποι, exponuntur ab Eustathio ὑψαύχενες. Hinc Virgilio & Horatio lib. I. Sat. II. *ardua cervix*; Calpurnio Ecl. VI. *excelsissima*; Palladio & Isidoro *erecta*. Sed proxime Aurelium accedit Oppianus: Γναμπτὸν δειρὴ, *Cervix resupina*, vel *reflexa*. Quod latius dixit Xenophon: ὁ δὲ αὐχὴν αὐτῷ μὴ ὥσπερ κάπρου προπετὴς πεφύκοι, ἀλλ' ὥσπερ ἀλεκτρυόνος ὀρθὸς πρὸς τὴν κορυφὴν ἥκοι. Ubi ὀρθὸς non est rectus, sive protentus, sed *erectus*, ut Palladius loquitur: cui opponitur προπετὴς, *prominens*. Nescio itaque cur inverterit haec Pollux: τράχηλος ὑπτιάζων, ὡς ἀλεκτρυόνων, ἀλλ' οὐχ ὥσπερ κάπρου ὀρθός. Nisi distinctione ante ὀρθὸς inserta, ita construatur: ὀρθὸς ὡς ἀλεκτρυόνων, ἀλλ' οὐχ ὥσπερ κάπρου, *erecta quidem, ut gallorum, non recta ut porcina.* Scilicet ut ὀρθὸς bifariam & exponatur & referatur. Interpres non modo verbum verbo reddidit, sed & ne à literis recederet κάπρου pro capro accepit: quod vel Baeotica sus ad se pertinere intelligeret. VLIT. Incurvat se. recurvam laudat cervicem Xenoph. qualem gallorum, non protentam, qualem porcorum. JOHNS.

247. VALIDOS ARMOS:] Varro, *scapulis latis*: Columella, *grandibus armis & rectis*. Xenophon: μηροὶ γε μὴν οἱ ὑπὸ ταῖς ὠμοπλάταις ἂν παχεῖς ὦσιν, ἰσχυρότεροί τε καὶ εὐπρεπέστεροι φαίνονται. *Femora sub armis si lata sint, & validiora, & decentiora videntur.* Hoc est quod Gratius in cane suo: *validis tum surgat pectus ab armis.* VLIT.

248. CALIDA DE NARE] Virgilius:

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

De quo mox latius versu abhinc septimo. Ideo videtur *calidam narem* dixisse noster. Fortasse melius, *patula de nare*. Omnes enim patulas requirunt. Palladius & Isidorus ad verbum, *nares patulae*. Columella, *naribus apertis*. Varro, *naribus non angustis*. Unde & inter vitia Hetruscorum à Vegetio ponuntur, *nares angustae*. Nec hilum dissentiunt Graeci. Pollux ex Xenophonte: μυκτῆρες ἀναπεπταμένοι· ἐπιεικεστεροι γὰρ τὸ συμπνευστικὸν. Quae mox interpretabor. Oppiano: Εὐρῖνες ῥῖνες. Virgilius de bubus Georg. III. *patulis captabant naribus auras.* Nihil tamen mutandum. VLIT.

249. NEC PES OFFICIUM] Ex illo Maronis: *Stare loco nescit.* Noster infra de Hispanis: *nec crure quiescunt.* Calpurnio, *pes levis.* Sed hoc, ut

Crebra ferit, virtuſque artus animoſa fatigat.
Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late foecunda proborum.
Namque valent longos pratis intendere curſus.

Nec

N O T A E.

ut item ea quae ſequuntur, ab indole, non à forma, procedunt. VLIT.

250. Ungula terram Crerra ferit,] Virgilius de equo morbido: *& pede terram Crebra ferit.* VLIT.

250. Virtusque artus animosa fatigat.] Παρῳδεῖ illud Maronis: *& tremit artus.* Nam tremor ille & inſtabilitas εὐθυμίας indicium eſt, non timoris. Hic enim degeneres animos arguit. Ideoque merito à Marone laudatur, qui *Nec vanos horret ſtrepitus*; à Columella etiam pulli indoles aeſtimatur, *ſi intrepidus.* Virtus itaque artus fatigat, cum prae nimio certamen ineundi ardore,

Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus.

Neſcio tamen an ſit rationi conſentaneum, quod praeter reliqua merita, quae à Palladio mutuatur, adjicit Iſidorus: *trementibus membris, quod eſt indicium fortitudinis.* VLIT.

251. Gens ampla] Hiſpanos univerſim intelligit; non Aſtures aut Callaecos tantum; qui longe à Calpes promontorio ad Septentrionalem prope Hiſpaniae frontem averſi jacent. VLIT.

252. Trans ardua Calpes Culmina,] Carthagine in patria ſua ſcribenti haec Aurelio Hiſpania à laeva trans fretum oppoſita erat, ejuſque proximum Afris promontorium Calpe, cui objacet Abyla, quae duae ſunt Herculis columnae. De iis Avienus Periegeſi:

—— ſcopuli ſtant ardui utrinque,
Unus in Europam, Libyam procul aſpicit alter.
Sic deſerta freto procera cacumina celſis
Eminuere jugis, ſic coelum vertice fulcit
Maura Abila, & dorſo conſurgit Iberica Calpe.

Idem Ora Maritima hinc obiter reſtituendus:

Hic ſunt columnae pervicacis Herculis,
Abyla atque Calpe: laeva dicti ceſpitis,
Libyae propinqua eſt Abila.

Quod ipſe paulo poſt confirmat, & interpretatur:

Sunt parva porro ſaxa prominentia
Abila atque Calpe: Calpe in Hiſpano ſolo,
Maurusiorum eſt Abila.

Ubi tamen miror *parva ſaxa* vocari, quae *ardua*, & *procera*, & *nubes ſubeuntia* dixerat Periegeſi: niſi forte & hic, *alta* reponendum ſit. Nam ut de Abylae altitudine dubitent aliqui, Calpe ardua, & excelſa ob omnibus habetur. Scylax: ἡ μὲν ἐν τῇ Λιβύῃ ταπεινή, ἡ δ' ἐν τῇ Εὐρώπῃ ὑψηλή. Strabo lib. III Ἐνταῦθα δή ὄρος ἐστὶ τῶν Ἰβήρων ἡ Κάλπη, τῇ περιοχῇ μὲν οὐ μέγα, τῷ δ' ὕψει μέγα, καὶ ὄρθιον, ὥστε πόῤῥωθεν στηλοειδὲς φαίνεσθαι. *Ibidem Calpe mons, ambitu non magnus, ſed altitudine ingens, & recte conſurgens, ut eminus columnae ſpeciem praebeat.* Ita legenda atque interpretanda haec: ubi vulgo inepte editur & exponitur, νησοειδὲς. Ipſe emendationi huic ſubſcribit Geographus: Ἔνιοι δὲ στήλας ὑπέλαβον τὴν Κάλπην καὶ Ἀβύλυκα, &c. Vide ſequentia, & maxime quae Euſtathius annotat ad Dionyſii verſ. LXIV qui etiam haec poſt alia: στήλας εἰκάζουσι· ἐξοχὴν γὰρ τινα ἐμφαίνουσι καὶ αὐτὰ οἷον καὶ αἱ στῆλαι, καὶ αἱ στηλίδες· καὶ διὰ τοῦτο στῆλαι ἂν λέγοιντο. Nec aliud ſenſit Mela, ex quo vulgatam explicare conabatur ὁ πάνυ Caſaubonus. lib. II. cap. VI. *montes efficiunt, columnae Herculis Abyla & Calpe, uterque quidem, ſed Calpe magis, & pene totus in mare prominens.* Idem lib. I. cap. V. *Deinde eſt mons praealtus, ei quem ex adverſo Hiſpania attollit objectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, columnas Herculis utrumque.* Quae evincunt etiam, non *parva*, ſed vel *alta*, vel *pervia*, aut tale quid potius apud Avienum legendum. Ut *pervia* legatur, praeter lectionis affinitatem, ſuadent illa quae ſequuntur apud Melam loco prius citato de Calpe monte: *Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua ſpectat occaſum, medium fere latus aperit: atque inde ingreſſus totus admodum pervius, prope quantum patet ſpecus.* Ita reſtituo haec ex MS. cod. Leydenſi, & ex his ſimul Avienum Ora Maritima:

Calpaeque rurſum in Graecia ſpecus cavi,
Tereſque viſu nuncupatur os jugi.

Sed jam ſatis peregrinatum eſt in aliena Tabula; nec extra terrarum metam Calpem procurrendum. Heic terminus eſto. VLIT.

253. Namque valent &c.] Primum à velocitate commendat equos Hiſpanos: proxime à forma: deinde ab bonae indolis & animoſitatis ſignis. In velocitate quidem omnes conſentiunt, qui eos celebrant. Vegetius: *Hiſpanorum par vel proxima* (poſt Cappadocas) *in circo creditur*

tur

Nec minor est illis Grajo quam in corpore forma.
Nec non terribiles spirabile lumen anheli

Pro-

VARIAE LECTIONES.

254. *Grajo*] *Grato pro corp. fama* G. & B.
255. *Lumen*, &c.] Ita Vlit. *numen anhelae* A. Steyn. & P. *flumen abunde* G. *flumen anhelis* B. vel totum v. delet.

NOTAE.

tur palma. Et paulo post: *Africa Hispani sanguinis velocissimos praestare consuevit ad usum sellae.* Strabo lib. III. καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι, καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων. *celeritate & cursus dexteritate aliis praestantiores.* De Celtibericis loquitur; quanquam eadem verba de Hispanicis in genere accipi possint. Dixerat etiam ἰσομένας τοῖς Παρθικοῖς. Contra Oppianus:

Ἀλλ' ἄρα καὶ Πάρθοισι μέγα προφέρουσιν Ἴβηρες,
Ὠκυτέροισι πόδεσσι κροαίνοντες πεδίοισιν.
At Parthis longe videas praecellere Iberos,
Longaque corripere arva volantes praepete cursu.

Et, postquam aquilae, accipitri, & delphini aequiparavit celeritate, iterum adjicit:

Τόσσον Ἴβηρες ἔασι θοοὶ πνοιὰς ἀνέμοιο.
Usque adeo celeres ventos imitantur Iberi.

Quod proxime Justinus declarat lib. XLIV. *qui tanti in Callaecia & Lusitania ac tam pernices visuntur, ut non immeritu vento ipso concepti videantur.* Ita leg. Nam quod in MSS. extat *Gallecia* & *Gallicia* recentiorem appellationem sapit. Hodie Gallicia dicitur, quae olim *Callaecia.* Perperam etiam in Epitome Iustiana lib. LVI. *Gallaecii* pro *Callaecis* ponuntur. De quibus jam aliqua ad Gratium dixi. VLIT.

254. Nec minor est illis] In Vet. Edit. lego.

Nec minor est illis grato pro corpore fama.

Fama non est minor illis quam pro grato corpore. Hoc est, celebritate virtutis gratiam formosi corporis exaequant. Quare hoc non placere debeat nescio. BART.

254. Nec minor forma.] Oppianus de iisdem:

Εἴδει δ' ἀγλαόμορφα νέωτον δέμας ἀμφιέσαντο.
Et nitidam geminant formoso in corpore formam.

Intelligit noster formam, quam modo in Graecis ex Cappadocia oriundis descripsit. Palladius tamen à forma & pulchritudinem & colorem in equo eligendo distinguit. Inepte autem Barthius ex suo sibi codice praefert:

—— *grato pro corpore fama.* VLIT.

255. Nec non] Valde dubito an hic versus τοῦ ποιητοῦ, itaque manum obelo figendo admoveram. Vetus Editio disertis litteris, ne quid conjecturis nos dare canant calumniae.

Nec non terribileis spirabile flumen abunde
Provolvunt flatus ——

Quod sive interpolatoris sive auctoris sit, mihi non videtur tanti ut laboremus. Versus enim citra sententiae omnem noxiam exsulare potest. Sic tamen melius longe legetur postea.

Nec non terribiles spirabile flumen anhelis
Provolvunt flatus. ——

Quo quidem pacto retineri potest. Jam *anheles* dixerit ut post paulo *tremulos.* BART. Nec hic ferenda ineptissimi conjectatoris temeritas, qui quod non intellexit, cum ignorantiam fateri praestaret, id omne aut obelo figere, aut suo pro lubitu fingere maluit. Versus hic & legitimus & concinnus satis est; modo una atque altera litera mutata *lumen anheli*, pro *numen anhelae*, scribatur. Ordo & sensus verborum ita se habet: Terribiles quoque apparent, cum lucem atque ignem anhelo flatu spirant ac provolvunt. Virgilium sequitur:

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Flatu, inquit Servius, *induat magnanimitatem suam.* Idem Georg. II. tauros quoque dicit, *spirantes naribus ignem.* Maro iterum Aeneid. XII. de Solis equis: *lucemque elatis naribus efflant.* Ovidius Metam. II. eosdem vocat,

—— *quadrupedes animosos ignibus illis,*
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant.

Quod fit scilicet, *ubi acres Incaluere animi*, ut addit Naso. Idcirco etiam *patulas nares* probat Xenophon. quod γοργότεροι τὸν ἵππον ἀποδεικνύουσι, *terribilem magis equum referant.* Videtur autem corrumpendi hunc locum ansam praebuisse τὸ *lumen*, quia proximo versu repetitur & *lumina torquent.* Sed non displicuisse Poëtae hanc ejusdem vocis iterationem argumento sunt exempla ejusmodi passim obvia. V. LXXVII. *Ti-*

 gri-

Provolvunt flatûs, & lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant.
Nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.
Sit tibi praeterea sonipes, Maurusia tellus
Quem mittit, modo sit gentili sanguine firmus.

Quem-

N O T A E.

grimque bibunt, & LXXVIII. *Nilumque bibunt*. V. C. *avidosque tumultus*, & CII. *Nec praedas avidus*, &c. In Bucol. passim. VLIT. Vlitiana Lectio est, quae nunc contextum insidet; Veteres enim Editi hoc modo, *numen anhelae*. recte Vlitius emendavit *anheli*, non insolens enim mutatio. Gratii codices. *ipsae* pro *ipsi*. 290. v. male autem exponit. Sic enim ille. Ordo verborum hic est. terribiles quoque apparent, cum lucem atque ignem anhelo flatu provolvunt. *Terribiles* enim est quarti casûs, & cum *flatûs* conjungendum; *anheli* autem praecedit verbum. quod autem *lumen* loco & *numen* inserendum duxit, nollem factum ob *lumina* proximo versu. Scribe igitur. *flumen*. Ordo autem verborum hic. Quinetiam anheli & ardentes provolvunt terribiles flatûs, quasi flumen spirabile. copiam & vehementiam spirituum per nares exundantem comparat flumini ex urnâ provoluto. legi potest *fulmen* sed prius placet. JOHNS.

155. ANHELI] Non à fatigatione (quod veritus videtur Barthius, cum mallet *abunde*) sed animositate, & ingenti spiritu ardentes intellige. *Anhelus* itaque hoc sensu dicitur, qui quasi nimio ardore & conatu laborat, adeo ut quantumvis patulae nares, nimio tamen spiritu anhelent. Ita accipiendum quod Maro Georg. I. & Aeneide VI. dicit: *equis Oriens afflavit anhelis*. Quod utrobique de fatigatione praepostere interpretatur Servius. Nec melius illud intellexit Aeneide XII. *certamine Martis anheli*. Quos tamen dixerat, *armis animosque refectos*. *Anheli*, id est, ardentes certamine. Item illud tralatitie sumendum Aen. VIII. *fornacibus ignis anhelat*. Quia, ut Severus hac de re egregie differit, *animosior ignis* est, quam ut incluso tam angustus exitus sufficiat. Hinc Persius Sat. V. *anhelanti premitur dum massa camino*. uti quidem mihi distinguendum videtur. Horatius enim, quem haud dubie expressit, habet: *conclusas hircinis follibus auras Usque laborantes* lib. I. Sat. IV. Non autem, *laborantes folles*, aut apud Persium, quod vulgo fit, *folle anhelanti* construendum assentior doctissimo interpreti. Sat. I *quod pulmo animae praelargus anhelet*. De quo alias latius dictum. VLIT.

256. LUMINA VIVIDA TORQUENT,] Superius: *oculisque vago splendore micantes*. Ita anguis ille Georg. III. *flammantia lumina torquens*. Ex quo libro quia plurima mutuatur noster, etiam hoc fortean desumpsit. VLIT.

257. TREMULI,] Quia nempe, *tremunt artus, & tota tremor pertentet equorum Corpora*, ut ait Poëta eod. lib. Sin scripsit, *Hinnitusque cient tremulos*, eodem modo accipe, quo *tremulum risum* dixit Lucretius lib. I. *uti risu tremulo concussa cachinnent*. VLIT.

257. FRENISQUE REPUGNANT.] Ovidius:

——— *ubi aures*
Incaluere animi, cervixque repugnat habenis.

Laudatur haec quidem lascivia, sed non praeter obsequium. Notat hoc in Murcibiis Gratius:

--- *Murcibii vix ora tenacia ferre Concedunt*. VLIT.

258. NEC SEGNES MULCENT AURES,] Laudavit supra, *aures agiles*. ubi vide quae notavi. Graeci arrectas aures probant. Sophocles: ἵππος εὐγενὴς ὀρθὸν οὖς ἵστησι. Apollonius:

Κνώσσων ὀρθοῖσιν ἐπ' οὔασιν αὐχέν' ἀείρει.
Auribus arrectis cervicem subrigit alte. VLIT.

Agiles aures perpetua equorum generoforum laus. Hispani proinde non capiti admovent & adilernunt ignavas aures. JOHNS.

259. MAURUSIA TELLUS] Genus hoc equorum infrenium quod Mauris & Mazacibus attribuit noster, Mauris etiam Claudianus, Masaesylis Strabo, Massylis Lucanus & Martialis (hi enim omnes Mauritaniae populi) asscribunt. Plerique tamen Numidicum vocant: Gratius, Virgilius, Silius, & Junior Xenophon. Sed Gratius etiam Nasamonicum, Silius Gaetulicum indigetaut. Xenophon in genere Libycorum equorum eos constituit. Aelianus etiam ejusdem generis appellatione hos intellexit, quanquam nihil de regimine eorum infreni addat. Nec aliter Oppianus, qui Libycos videtur speciem Maurorum facere. E quibus plurima jam ad Gratium adduxi; reliqua hic absolvam. VLIT. Libyam intelligit. JOHNS.

260. GENTILI SANGUINE] Ne scilicet uterque

pa-

Quemque coloratus Mazax deserta per arva
Pavit, & assiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat quod turpe caput, deformis & alvus
Est ollis, quodque infrenes, quod liber uterque,

Quod-

VARIAE LECTIONES.

261. *Mazax*] *Mazax*, leg. Salmaf. & qui de Servis.
263. *Deformis*] *Deformior alvus* G. & B.

NOTAE.

parentum non indigena sit. Contra Vegetius: *Africa Hispani sanguinis velocissimos praestare consuevit ad usum sellae.* Hodie vice versa Hispania Numidici sanguinis velocissimos eundem in usum praestat, quos Barbaros & Hispanienses promiscue vocamus. Non immerito tamen hoc monuit Poëta noster, quia si cum exoticis extra patriam miscentur, degenerare statim consueverunt vel nobilissimi equi. Docuit hoc usus tam in Barbaris, quam Anglicis Thieldonibus. *Gentilis sanguis*, qui ex una eademque gente. Calpurnius Ecl. II.

——— *arte mea mutabilis induit arbos*
Ignotas frondes, & non gentilia poma.

Ita efficacius quidem Aldina & Parmensis Editiones. Sed princeps omnium, & reliquae omnes Pythoeanam secutae habent: *genitalia poma.* Quod mihi mutare religio fuit. Nam sequior Latinitas modo *gentile solum*, modo *genitale*, pro patria, dixit. Et Ammianus utraque voce indiscrete passim utitur. Restituenda obiter illi haec vox lib. XXXI. *Qui motu Imperatoris cum abundanti milite cognito, popularibus jungere festinaat, circa Beroeam & Nicopolim gentilibus praesidiis fixis.* Vulgo, *gentibus*, etiam in postrema & optima Editione. VLIT.

260. FIRMUS.] Non claudicet adulterio matris. Hoc est, ex non confuso semine aliarum gentium equorum sit prognatus. Hoc dicit *firmum sanguinem.* BART.

261. COLORATUS MAZAX] Cui non dictus Hylas? Quis non Mazaces hos quaesivit? Mauritaniae populi sunt, & Mauris hic ab Aurelio accensentur. Dicuntur autem *Mazaces* plerisque, *Mazices* Ammiano, & *Mazici* in veteri Chronico, Graecis sunt Μάζικες & Μάζυες. Apud Oppianum tamen ediderunt Μάζηες in catalogo equorum: quod proxime accedit Latinorum terminationem, qui *Mazaces* dixerunt. Lucanus lib. IV. *tremulum cum torsit missile Mazax.* Quem vestigiatim de more expressit Claudianus lib. I. de laud. Stilic. *pavidus projecit missile Mazax.* Ita & apud Suetonium Nerone cap. XXX. constans omnium MSS. codd. scriptura est: *cum Mazacum turba atque cursorum.* Nusquam ego hactenus *Mazaces* dictos invenio, nec ut illis hic locus detur, animum inducere potui. Falluntur autem, ut qui maxime, qui vel hic, vel apud alios, Cappadocas intelligunt ab urbe Mazacis. Non enim inde Mazaces dici potuerunt, sed Mazaceni. Stephanus de urbibus: *Μάζακα πόλις Καππαδοκίας, ἡ νῦν Καισάρεια· τὸ ἐθνικὸν, Μαζακηνός. λέγεται καὶ Μαζακεύς. λέγεται καὶ ἀπὸ Μαζάκου.* VLIT. Solis aestu infuscatus. JOHNS.

261. MAZAX] Notavit hunc locum Magnus Turnebus: cujus Adversaria vide. BART.

262. TOLERARE LABORES.] Hoc est, quod Gratius Numidas dixit, *Audax & patiens operum genus.* Vide quae ibi ex Aeliano & Xenophonte addidi. VLIT.

263. NEC PIGEAT SI TURPE CAPUT,] Gratii illa sequitur de Siculis equis: *quid tum si turpia colla*, &c. Livius lib. XXXV. de Numidis: *equi hominesque paululi & graciles; discincti & inermis eques, praeterquam quod jacula secum portat; equi sine frenis: deformis ipse cursus rigida cervice & extento capite currentium.* In iisdem Numidicis equis Aelianus incuriam quoque notat, ac deformitatem, lib. III. cap. II. *Λεπτοὶ δὲ καὶ οὐκ εὔσαρκοι. ἐπιτήδειοί γε μὴν καὶ φέρειν ἀλγηδόνα διαρκέστατοι. ὥστε οὐ αὐτοῖς κομιδὴν προσφέρουσιν οἱ δεσπόται*, &c. VLIT.

263. DEFORMIS] Melius V. Ed. *deformior alvus.* BART.

264. QUODQUE INFRENES,] Idem contemptui quoque duxit in iisdem Claudianus de bello Gild. *sonipes ignarus habenae.* Hinc *Numidae infreni* Maroni Aeneide IV. Iidem Silio lib. I. *gens inscia freni.* Lucano lib. IV. *Massylia frenorum*

Quodque jubis pronos cervix diverberet armos.
Nam flecti facilis, lascivaque colla secutus,
Paret in obsequium lentae moderamine virgae.
Verbera sunt praecepta fugae, sunt verbera freni.
Quin & promissi spatiosa per aequora campi

Cur-

NOTAE.

rum nescia. Nescio itaque quid sibi velint illa Strabonis lib. XVII. de Mauris: *Μάχονται δ' ἱππόται τὸ πλέον ἀπ' ἀκοντίου, χοινοχαλίνοις χρώμενοι τοῖς ἵπποις καὶ γυμνοῖς.* Quibuscum pugnant fere ea quae de iisdem & vicinis eorum eodem vivendi instituto utentibus subjicit: *μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥστ' ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι.* Si enim virga reguntur, quid freno opus? Et sane omnes fere eae gentes infrenibus equis usae. Suspectam mihi vulgatam insuper facit varia scriptorum codd. lectio, quae habet: *τὸ πλέον χοινομαλίνοις χρώμενοι.* Unde conjicere liceat: *ἄνευ χαλινοῦ* vel *ἀχαλινώτοις χρώμενοι τοῖς ἵπποις.* Verum quod postmodo *περιτραχήλια* illis attribuit, *ἀφ' ὧν ὁ ῥυτὴρ ἀπήρτηται*, nihil ad frenum pertinet, sed vel *ἐπιφανείδιον δεσμὸν* intelligit, vel quo equi duci solent, quam *ὁλκὸν* etiam vocant. Ammianus *habenam* dixit lib. XIX. *Fugaci equo nudo & infreni calonum quidam sedens, ne labi posset, ex more habenam, qua ductabatur, sinistra manu artius alligavit.* VLIT. Omnes eae gentes infrenibus equis usae. Virgâ enim reguntur; Silius Lib. I.

Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.
JOHNS.

264. UTERQUE,] Maurusius & Mazax. BART.

265. QUODQUE JUBIS] Jubas etiam indiscretas & incomptas relinquebant equis suis Numidae, *οὐ κόμας κτενίζοντες, οὐ χαίτας ὑποπλέκοντες*, ut Aelianus ait. Jubae autem pronos armos non facile attingunt, nisi cum demissa & prona ipsa quoque cervix est. Livii verba sunt: *deformis & ipse cursus rigida cervice & extento capite currentium.* Hoc ipsum hic est quod notatur. VLIT.

265. QUODQUE JUBIS PRONOS] Jubas etiam indiscretas & incomptas relinquebant equis suis Numidae. ut Aelianus testatur. jubae autem pronos armos non facile attingunt, nisi cum demissa & prona ipsa quoque cervix est. Livii verba sunt. *deformis & ipse cursus rigidâ cervice & extento capite currentium.* Vlit. Gronovius autem ad hunc locum scribit. Si memineris quid *diverberare* sit, satis intelligas *cervicem armos diverberare jubis* dici non posse: non enim flagellare, percutere, est *diverberare:* sed eventilare, discutere, agitando digerere & componere. Scribe igitur.

Quodque jubas pronis cervix diverberet armis.
Et mihi sane, quo diutius vim verborum inspexi, eo verior & doctior visa est conjectura. JOHNS.

266. FLECTI FACILIS,] Lucanus lib. IV.

Ora levi flectit frenorum nescia virga.
Silius, *Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.* Gratio id *fingere* est: *Nasamonia virga Fingit equos.* Horatius lib. I. Epist. II. *Fingit equum tenera docilem cervice magister.* Hinc intellige cur *lasciva colla* dixerit noster, nimirum quae & libera, & jubis pronos diverberant armos. VLIT.

266. LASCIVAQUE COLLA] Infraenium equorum more. BART.

267. PARET IN OBSEQUIUM] Obsequiose paret; ad obsequium usque obtemperat. JOHNS.

267. VIRGAE.] De hoc Maurorum more & nos alibi, & multa scripserunt viri eruditi.

267. LENTAE MODERAMINE VIRGAE] Martialis: *Massylaeum virga gubernat equum.* Claudianus: *Virga regit.* Strabo *ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι* illos dixit. VLIT.

268. VERBERA] Imo vel motu solo regebantur. Silius lib. I.

Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.
Hinc Curtius lib. VII. *Nobilis equus umbra quoque virgae regitur: ignavus ne quidem calcari concitari potest.* VLIT.

268. FUGAE,] *Fugere* pro *currere*, & *fuga* pro *cursu* solenne poëtis. V. Georg. 3. 142. *carpere prata fugâ*, post. 201. JOHNS.

269. PROMISSI] *immissos* dicant alii. *Admissos* alii, de quo ad Appulejum. BART.

269. QUIN ET PROMISSI] Quid sibi vult *promissi* nescio lege, *permissi:* incitati, *ἀφέσιμος*, laxis quasi habenis lati ut Gratius: *qualis spatiis permissa Lechaeis Thessalium quadriga decus.* Quinetiam per spatiosam campi planitiem incitati, &c.

Cursibus acquirunt commoto sanguine vires,
Paulatimque avidos comites post terga relinquunt.
Haud secus effusis Nerei per caerula ventis,
Cum se Threïcius Boreas super extulit antro,
Stridentique sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cesserunt flumina ponto:
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,
Conspicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereïdum mirata suo super aequore turba.
Horum tarda venit longi fiducia cursus:

His

VARIAE LECTIONES.

271. *Avidos*] *Pavidos* G.
274. *Stridentique*] Deest hic v. in G.
275. *Flamina*] Ita Pitn. & Vlit. *flumina* om. lib. *numina* conj. B.

NOTAE.

&c. hic locus unice confirmat conjecturam meam ad Gratii, v. 520 *atque eluctabiturira*. JOHNS.

270. CURSIBUS] De velocitate eorum omnes consentiunt. Xenophon satis hanc praedicat, dum solos esse Numidicos equos dicit, quibus asinorum silvestrium celeritas vinci potest. Aeliano sunt, ἀκύτατοι ἵπποι. Strabo quoque in iis, quae adduxi, hoc nomine illos laudavit. VLIT.

271. AVIDOS] Victoriae. in Vet. Ed. *pavidos*. Id quod nos non recipimus in alterius locum. BART.

272. HAUD SECUS] Comparatio dilucida & perspicua, nec inferior habenda ipsâ fere Virgilianâ, *Vlit.* unum tamen me male habet maris mentionem septies spatio septem versuum molestissime occurrere. v. 272. *per caerula*. 274. *vastas undas*. 275. *turbato ponto* 276. *super fluctus*. 277. *pelago*. 278 *suo aequore*. in versu autem 273. subintelligitur *mare* post super. JOHNS.

273. THREICIUS] Vide ad Claudianum. BART.

274. STRIDENTIQUE] Hic versus non est in Vet. libro. BART

274. EXTERRUIT] Fecit exhorrescere, ut eos, quibus prae metu capilli stant erecti. JOHNS.

275. FLUMINA] Quod fit aestu aequoris fluvios in se exeuntes repellente, commoti scilicet vi in eo pugnantium Ventorum. Sed fortassis non paullo melius *Numina* scribamus. Nihil mutamus tamen, nec auctor audendi vetus Codex BART. Scribe, *flamina*. Idem error in I. Ecloga: *& dissona flumina Mopsi*. Meliores editiones tamen & ibi habent, *flamina* Barthius cum explicando vulgatam, tum conjiciendo, *numina*, nihil praeter consuetum agit. Comparatio autem haec adeo perspicua & luculenta est, ut interprete illo non indigeat: nec inferior habenda fere ipsa Virgiliana Georg. III ubi item equi celeritatem Aquiloni assimilat. VLIT. Olim *flumina*. nullo sensu Sic apud Gratium *fluctus* loco *flatus*. & sane in scripturâ Longobardicâ parum discrepant inter se *u* & *a*. utraque enim capite aperto scribitur. tantum dextra linea *a* superne inflectitur in formam prope *a* c. JOHNS.

276. IPSE] Nereus videlicet, quem modo nominavit.

——— *Nerei per caerula.* ——— BART.

278. SUO] Quod illi forte cessit, mendacii tamen insimulata à Callimacho εἰς Δῆλ. BART.

278. SUO AEQUORE] *Stupet* Borean *euntem* per suum aequor. vel potius ipsa *Nereidum turba suo* ab *aequore* nimirum extans *stupet*, &c. JOHNS.

279. HORUM TARDA VENIT] Tarde ait hos utibileis esse, ut longis cursibus adhibeantur, nec nisi exercitationibus longis prius subactos. BART. Serius virium perfectionem & nanciscuntur, & amittunt. Ut tardius adolescentiam consum-

Pp mant,

His etiam emerito vigor eſt juvenilis in aevo.
Nam quaecunque ſuis virtus bene floruit annis,
Non prius eſt animo quam corpore paſſa ruinam.
Paſce igitur ſub vere novo farragine molli
Cornipedes, venamque feri, vetereſque labores
Effluere aſpecta nigri cum labe cruoris.
Mox laetae redeunt in pectora fortia vires,

Et

VARIAE LECTIONES.

286. *Labe*] *Tabe G.*

NOTAE.

mant, ita nec ſenio niſi tarde conficiuntur. Utrumque de Cappadocibus canit Oppianus lib. I.

Εἰσόκε μὲν νεογιλὸν ὑπὸ στομάτεσσιν ὀδόντα,
Καὶ γλαγεροὺς φορέουσι δέμας, τελέθουσ' ἀφαυροί.
Κραιπνότεροι δὲ πέλουσιν ὅταν μάλα γηράσκουσι.
Dum tenero his index ſuccreſcit lacteus ore,
Invalido tardas conſummant corpore vires:
At celeres magis emerito ſpectantur in aevo.

VLIT. Tarde fidendum eſt Mazacum virtuti ongis in curſibus, ſerius enim virium ἀκμὴν & perfectionem attingunt: vires vero ſemel ad maturitatem perductas diutiſſime ſervant, vigorque juvenilis perſtat uſque ad eam aetatem, cum alii ſtipendia ſua emeriti diludia poſcunt. JOHNS.

281. VIRTUS] Hic poni videtur *Virtus* abſtracte pro *equo animoſo*, *virtutis pleno*. JOHNS.

283. FARRAGINE] Virgilius lib. III. Georg.
Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito.
Diverſam tamen noſter *farraginem*, ac ille, intellexit. Hic enim, ut alias fere, purgationi inſervit farrago, qua opus eſt ante miſſionem ſanguinis. Varro: *Sed melius poſt trimum, à quo tempore farrago dari ſolet: haec enim purgatio maxime neceſſaria equino pecori, quod diebus decem facere oportet, nec pati alium ullum cibum guſtare.* Quo ſenſu aliquoties ea voce utitur Vegetius de arte veterinaria. Idem lib. I. cap. XXII non tantum praecipit, *ut pridie quam vena pulſetur, ſuſtententur levioribus & parcioribus cibis*, verum etiam percuſſa vena, *farraginem vel foenum molliſſimum dari ſeptem diebus ac noctibus.* Iſidorus de hac mihi loqui videtur lib. XVII. cap. III. *Farrago eſt herba hordeacea adhuc viridis, nondum granis ad maturitatem turgentibus.* Quanquam triticea ſaepius ad hos uſus jumentis detur. In gloſſis antiquis exponitur: *Farrago*, χχρτις. id eſt, herba ſemimatura, vel etiam ſemiarida. Hodie ſane equis poſt nimium curſum ſpicas triticeas ſemimaturas vice purgationis dant periti venatores. At vero apud Maronem *farrago* nihil aliud eſt quam id, *quod ex pluribus ſatis pabuli cauſa datur jumentis*, exponente Feſto. VLIT.

284. VETERESQUE LABORES] Vegetius ibidem: *Placuit pleriſque veris tempore quotannis de cervice jumentis ſanguinem demere, & ſic in herbam mittere, ne veteri corruptoque ſanguis novus admixtus natura coaleſcens debilitatem valetudiniſve periculum faciat.* Quae quia ſufficiunt ad intellectum hujus loci, miſſa facio Hippiatrica Graeca tot inſignium autorum, qui cap. IX. ex profeſſo hac de re agunt. VLIT. Vetera mala. *Ails, Diſtempers.* JOHNS.

285. ASPECTA] Adſtans vide cum ſanguine omneis cauſſas morborum à labore tam longi temporis contractas effluere. Tantam certitudinem hujus medicaminis ait, ut vel videri poſſit, ne alia documenta aliunde accerſantur. BART.

285. NIGRI] Cum nigro & vitiato ſauguine. JOHNS

285. LABE] Cum corrupto nigro cruore. V. Ed. *tabe*, quaſi *tabo*, quomodo locuti Pomponius Mela atque Lucanus, ut notavimus ad Claudianum. Sed nihil videtur mutandum in Nemeſiano. BART.

286. PECTORA FORTIA] Trajice cum V. Ed. *fortia pectora.* Quod magis ad regulas diſciplinae Poëticae. BART.

287. For-

Et nitidos artus diſtento robore formant.
Mox ſanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fuga conſumere campum.
Inde ubi pubentes calamos duraverit aeſtas,
Lactenteſque urens herbas ſiccaverit omnem
Meſſibus humorem, culmiſque armarit ariſtas:
Hordea tum, paleaſque leves praebere memento.
Pulvere quin etiam puras ſecernere fruges
Cura ſit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plauſu ſonipes, laetumque relaxet
Corpus, & altores rapiat per viſcera ſuccos.
Id curent famuli, comitumque animoſa juventus.

Nec

VARIAE LECTIONES.

287. *Formant*] *Firmant* G.
292. *Meſſibus*] Ita G, & B. *menſibus* A. Steyn. & P.

NOTAE.

287. Formant.] V. *firmant*. Quod non placet. Nam illud ſimul decorem equi demonſtrat. Et talium acuminum adfectatio crebra in hoc & omnibus Afris. BART.

288. Longa viarum] De hac phraſi exempla plurima habes apud Juretum Miſcellan. ad Symmachum. BART.

289. Latumque fuga] Gratii verba expreſſit: *latumque fuga ſuperabitis amnem*. VLIT.

289. Consumere] Eleganter. Ita Val. Flaccus de Argo. Liber non eſt ad manum. BART. Motu celerrimo percurrere. Sic Virg. Georg. 3. v. 142. *carpere prata fugâ*. JOHNS.

290. Inde &c.] Elegans haec aeſtatis deſcriptio expreſſa videtur ex illis Maronianis Georg. I.

Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent;
Saepe ego, cum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam ſtringeret ordea culmo.

VLIT.

291. Lactentesque] Lacte plenas. Virg. Georg. I. v. 314 & deinceps. JOHNS.

292. Mensibus] V. *Meſſibus*. Quod & verum eſt. *Meſſis* enim ſaepe pro denſis ariſtis, & fruge adhuc demetendâ. BART.

296. Plausu] Ex XII. Aeneid.

—— Manibuſque laceſſunt
Pectora plauſa cavis, & colla comantia pectunt.

BART.

296. Gaudeat ut plausu] Virgilius III. Georg.

Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſae, ſonitum cervicis amare.

VLIT. Eſt enim hoc ingenium equorum ut plurimum ducantur & exultent laude & blanditiis. Virgil. Georg. Lib. 3. v. 185. JOHNS.

298. Id curent famuli,] Olim quidem, Gratio autore, *nec vile arbitrium* erat venationem, ejuſque inſtrumenta ἔμψυχα curare. Sed poſtea invaleſcente luxu Romulidae laborem omnem venationis ſervulis ſuis reliquerunt, ut ipſi tamen furorem & libidinem venandi voluptati ſuae ducerent. Alii quidem etiam ut gulae ſuae miniſterium ex ferina ſtrage haberent. Hoc & olim notavit Flaccus lib. I. Epiſt. VI.

Si bene qui coenat, bene vivit, lucet, eamus
Quo ducit gula; piſcemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, ſervos,
Differtum tranſire forum populumque jubebat.

Hinc quaeritur apud Paulum IC. lib. III. Sentent. Tit. VI. *Venatores ſervi, vel aucupes, an inter urbana miniſteria contineantur?* Et reſpondet ita contineri, *ſi inſtruendarum quotidianarum epularum gratia habentur.* Quae diſtinctio etiam locum habere debet in §. I. L. IC. D. de legat. III. Alias, quin inter ruſtica officia potius habendi ſint venatores, dubium mihi non eſt, utpote cum ruri agentes ea uſurpare potiſſimum ſolent, ipſorumque ſervorum inibi manſio fere

ſit.

Nec non & casses iidem venatibus aptos,

At-

NOTAE.

sit. Ulpianus L. XII. §. XII. D. de instrum. leg. *Si in agro venationes sint, puto venatores quoque, & vestigatores, & canes, & caetera quae ad venationem sunt necessaria instrumento contineri: maxime si ager ex hoc reditum habuit.* Imo nulla, nisi in agris venatio (nam de Amphitheatrali non agitur) censenda est. Ammianus lib. XXVIII. *Pars eorum si agros visuri processerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri Magni itinera se putant aequiparasse.* Egregiam vero laudem! Non ideo tamen *servile officium* venandi munus dixit Salustius, quod Doctissimo Valesio ad illa Marcellini commentanti in mentem venit: siquidem non ibi laborem ejus subterfugere, sed socordiam eorum, qui negligentes animi culturam, in corpore exercendo otium omne & aetatem perdunt, quia illis corpus voluptati, anima oneri est, evitandam sibi ab reliquis malis moribus differenti, ipse profitetur. Mali autem illi mores in nimio τῷ κυνηγεῖν studio consistebant fere. Cicero lib. I. de officiis, *ineunte enim adolescentia, cum inest maxima imbecillitas judicii, tunc id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit: itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, eligere.* Quo spectant illa Comici initio Andriae:

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, &c.

Et quae Horatius χαρακτηριζ. in arte Poëtica:

Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque

Ideo subjicit: *Cereus in vitium flecti*, &c. Plinius Caecilius lib. IX. Epist. XII. *Castigabat quidam filium suum, quod paulo sumptuosius equos & canes emeret.* Vide caetera. Non itaque ipsum studium, sed nimia venationis oblectatio & cura reprehensionem meretur. Adjicit senex apud Comicum:

Horum ille nihil egregie praeter caetera
Studebat; & tamen omnia haec mediocriter:
Gaudebam. SO. non injuria: nam id arbitror
Apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.

Ex quibus perspicue intelligi potest, id ipsum à Salustio in Venationis studio, non laborem, aut aliud quicquam (quicquid ariolentur alii) notari. Nam si laborem spectes, ipsa Romanorum militia servilis maxime censeri possit, etiam tum cum summa gloria ejus sub Scipione viguit: *quippe assiduis & injustis & servilibus maxime operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma nescirent, luto inquinari, qui sanguine nollent, jubebantur*; ut de severitate ejus loquitur Florus lib. II. cap. XVIII. Quanquam non ignorem ipso quoque Crispi aevo servos venationi adhibitos, ut apud Flaccum lib. I. Epist. VI.

Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumque jubebat.

Illi tamen non ad ipsum venandi munus sive κυνηγέσια deligebantur, sed ad omnem venatoriam supellectilem in campos deportandam inserviebant. Quod vel jumenta alias praestabant. Hinc iterum Horatius eod. lib. Epist. XVIII. *quotiesque educet in agros Aetolis onerata plagis jumenta.* Unde nec Gratius, nec Oppianus, & ambo Xenophontes famulorum aut servorum ullam mentionem faciunt: sed unus hic noster Aurelius. Sed & Plinius Caecilius de Trajano gloriatur: *lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium juga, & horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adjutum.* Quibus ipsis innuit jam tum delicatiores Trojugenas labores illos servis suis transcripsisse. Aetate illius non multum inferior Apulejus non tantum *servos*, sed totam quoque familiam in venatione recitat lib. VIII. Milef. *Excitis latibulo suo quisque familia moesta concurrimus.* Alii vestigatores (quos nominavit particulatim antea, & ab Ulpiano etiam inter servos venatores recensentur) alii qui canes per stationes partirentur, alii feras in retia premebant, alii vel excipiebant irruentes, vel captas interficiebant. Isidorus fine lib. X. *Quatuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, alatores, & pressores.* Haec obibat munia familia venatoria, & omnia fere illa, quae comitibus suis distribuit Hippolytus in prologo Senecae. Cui postea, dominis non tantum laborem, sed & periculi conspectum fugientibus, praeficiebatur aliquis, qui sua pensa unicuique digereret. Ammianus etiam urbanae familiae praepositos recenset lib. XIV. *Ita praepositis urbanae familiae suis pensa digerentibus [] juxta vehiculi frontem omne textrinum incedit.* Qui locus in omnibus editis contaminatissimus est. Tales fuerunt PROCURATORES CYNEGIORUM inter Officia domus Au-

Atque plagas, longoque meantia retia tractu

Ad-

NOTAE.

Augustae, qui in unaquaque fere regione Italiae & provinciarum constituebantur, erantque omnes sub dispositione Comitis sacrarum Largitionum, ut videre est in Notitia Imperii. Quorum ille, qui prope Imperatorem erat, πρωτοκυνηγὸς dicitur à Georg. Codino; qui venationem ipsius Imperatoris administrat. Ait enim: ἀρχει δὲ καὶ τῶν κυνηγῶν τῶν λεγομένων σκυλομάγκων. Hi sunt Imperialium canum nutritores. Erant hauddubie sub eodem πρωτοκυνηγῷ *venatores principales quatuor*, qui ab Hincmaro nominantur. Quos perperam confundit cum ipso πρωτοκυνηγῷ vir doctus, qui *venatorum princeps* dicitur apud Cantacuzenum lib. 1. cap. IV. Hodie, *le grand veneur*. VLIT. Horatius & servos venationi luxuriosae adscifcit lib. 1. Epist. VI.

—— venemur, ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumque jubebat.

Nam in decora illa, quam *Romanis solenne viris opus* vocat, servili officio tum locus non erat. Vide quae de Cephalo Ovidius Metam. VII. & de Hagnone Gratius v. CCXIX. VLIT. *in Add.*

298. COMITUMQUE ANIMOSA JUVENTUS.] Ita dignius hercule venationis συνεργοὶ vocentur. Virgilius Aen. IV. *delectam juventutem* cum Aenea venatum educit: quos & *comites* non semel vocat. Gratius:

Ille tibi egregia juvenis de pube legendus. VLIT.

299. VENATIBUS APTOS.] Ovidius Epist. Oenones:

Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos. VLIT. Ovidius I. Artis amatoriae: *caetus venatibus aptos.* VLIT. *in Add.*

300. PLAGAS,] Egregie sane casses, plagas, & retia distinguit; & *retia* definit *longo tractu meantia.* Sed haec quidem, & qui interponuntur iis *casses*, apud Gratium detexui: de plagis hic restat dicendum. Eae à cassibus differunt, quod illi concavi sint; sunt enim, ut ipsa retia, planae ac rectae: à retibus, quòd illa longo tractu tendantur; hae nonnisi in viarum angustiis, quae rete continuari non possint, objiciantur. Ideo ἐνόδια vocant Graeci, ut mox aperiam. Horatius Epod. II.

Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia.

Quibus aperte plagas à retibus distinguit. Unde lucem trahit vexatissimus & nemini interpretum non male tentatus Virgilii locus Aeneid. IV. *Retia rara, plagae.* Servius: *Multi dividunt, ut sic retia rara, majora; plagas vero minora intelligant.* Verissima illorum, quotquot fuerint, sententia est. A qua omnes tamen postmodo aberrarunt. *Alii* enim, ut addit Servius, *plagas per definitionem accipiunt, ut intelligant, quae sunt retia rara plagae.* Differunt itaque à retibus non tantum, quod in viis tendantur, sed etiam magnitudine. Isidorus cap. de Retibus lib. XIX. *minus autem rete emplagium dicitur à plagis.* Ex quibus verbis ἐτυμολογίαν plagarum expiscatus mihi haud inepte videor, ἀπὸ τοῦ πλαγίου, quia transversae & obliquae in viis tenduntur. *Obstantes plagas* merito dixit Horatius. Ἐμπλάγιον Isidorus itaque vel hinc finxit, vel ab aliquo autore accepit, qui nunc non extat. Sed & *plagium* legitur apud Gratium in MS. Thuanaeo: *plagiique exordiur ustus.* uti Pythoeus ex eo edidit. *Plagium*, τὸ δίκτυον πλάγιον. Πλαγίως autem etiam δολίως exponitur ab Hesychio, & πλάγιοι, δόλιοι, *dolosi.* Quia enim tendere plagas alicui, dolos & insidias struere est. Cicero lib. III. de Officiis: *Suntne igitur insidiae tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis, nec agitaturus? Sic tu aedes proscribas, tabulam, tanquam plagam, ponas: in eam aliquis incurrat imprudens.* Graeci tamen ἐνόδια semper dicunt (subintellige δίκτυα vel λίνα) quia in viis utrimque septis, quae indagine continuari nequeunt, intervallantur. Pollux: δίκτυα μὲν καλεῖται τὰ ἐν τοῖς ὁμαλοῖς καὶ ἰσοπέδοις ἱστάμενα· ἐνόδια δὲ τὰ ἐν ταῖς ὁδοῖς. *Retia dicuntur, quae in planis & aequabilibus locis tenduntur; plagae, quae in viis.* Quae vulgo perperam habentur qua lectione qua versione. Xenophontis verba, quae huc faciunt, sunt cap. XVI. τὰ δὲ δίκτυα τεινέτω ἐν ἀπέδοις, ἐμβαλλέτω δὲ τὰ ἐνόδια εἰς τὰς ὁδούς. Quo loco falluntur viri doctissimi, qui ἐπιπέδοις substituendum putant, & qui pugnare illa cum Polluce existimant. Ἄπεδον enim ab Hesychio, Suida, aliisque exponitur, ὁμαλὸν, ἰσόπεδον, ἐπίπεδον. Adeo ut haec synonyma sint, non contraria. Neque τὸ A in ἀπέδοις privativum est, sed derivativum, ut ita di-

Addiscant raris semper contexere nodis,
Et servare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare saltus
Quae possit, volucresque metu concludere praedas;
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Namque ursos, magnosque sues, cervosque fugaces,
Et vulpes, acresque lupos, ceu fulgura coeli
Terrificant, linique vetant transcendere septum.

Has

NOTAE.

dicam. VLIT.

302. MACULIS,] *Maculae* sunt casses retium. Vide Bernartii Scholia ad Papinium. BART.

303. LINEA] Vitiosa in vulgatis libris interpunctio. Scribe:

——— *Linoque tenaci:*
Linea quin etiam &c. BART.

Sunt nec numero nec eruditione contemnendi, qui *lineam* absolute pro formidine poni putent. Quam opinionem juvat Senecae locus lib. I. de Clement. cap. XII. *Sic feras linea & pinnis conclusas contineas.* Quae vulgo praepostere leguntur: *lineis & pinna.* Lib. II. de Ira cap. XII. *linea pennis distincta* dicitur. Plura ad illa Gratii invenies: *fuis preperantem linea pinnis implicet.* Quo pertineant illa Plinii lib. XI. cap. XXIV. *atque ut in plagas lineae ostensae, praecipitant in sinum.* Si modo bene nunc ea sic constituenda conjicio. Ut lineae, sive formidines, *ostensae* praecipitant in plagas, ita illa derelicta laxe in parte summa, quia facile cernuntur, praecipitant in sinum telae aranei. Sed ne mihimet ipsi placeam nimis, non video qui *linea* absolute pro formidine accipi possit. Linea enim nihil nisi funiculus è lino, *μήρινθος*. Atque ita in Glossis exponitur. Ita Gratius: *illa asus linea longi*; de peridromo, ut latius tum declaravi. Nec hic quidem apud Aurelium aliter sumi potest; dum periphrasi, qua formidinem circumloquitur, inservit. Haud secus quam apud Oppianum lib. IV. Halieut. *Μηρίνθῳ σιγῶντες ἄνευ δρίος*. *Lineâ circumdantes saltum.* Et Gratio quoque; *properantem linea pinnis implicet.* Cum vero additur, *pinnata*, vel tale quid, ut *μήρινθος δονακίν* Oppiano lib. IV. Cyneg. *linea pennis distincta* Senecae, de formidine facilis intellectus est. VLIT.

303. CIRCUMDARE SALTUS] Hinc comparationem sumpsit Marcellinus lib. XVI. initio: *nam ipsa oppida, ut circumdata retibus lustra, declinant.* Ita, etiamsi non haberent ulli codices, scribendum censerem sola ratione ductus: nisi insuper ineptum est, quod Vir doctus ex libris suis edidit: *circumdata retiis busta.* VLIT.

304 METU CONCLUDERE] Vide omnino ad illud Gratii: *Hic magis in cervos valuit metus.* Ubi & Manilii locum citavi ex lib. IV. qui ita editur post Scaligerum:

Et pacare metu silvas, & vivere rapto.

Non improbo, siquidem antiqua ea est lectio. Caeterum non potuit non suspecta mihi esse, ubi aliam atque aliam in veteribus Editionibus inveni. Aldina anni M. CCCCXCIX. habet, *parare metum.* Tornaesiana, *purgare meta.* Quae ex scribendi compendio propagata esse possunt, *Pagrare.* Ut rectum sit: *peragrare meta silvas.* A Marone enim habet utriusque operis lib. IV. *silvas saltusque peragrant.* Livius lib. I. cap. IV. Romulum & Remum, *venando peragrare circa saltus*, dixit. Ipse Manilius paulo post: *capiunt saltus, silvasque pererrant.* Τὸ *vivere rapto* etiam à Marone est, tam lib. VII. quam IX. Aeneidos, ut supra ostendi. VLIT.

307. FULGURA] Nam pinnata erant versicoloria, quorum varietate Solem combibente. quoddam quasi fulgur feras etiam truces percellebat. De *pinnato* plurimi notarunt, qui & *Formidinem* veteribus dictum voluerunt. Vide ad Gratium. porro observandum verbum *terrificare.* BART.

308. LINI SEPTUM.] Totam puta *ἐνσκοπίαν*, quam *indaginem* Latini dicunt. Virgilius IV. Aeneid. *saltusque indagine cingunt.* Quo loco ineptit Grammaticorum & Interpretum vulgus, *indaginem* canibus attribuentium. Ita quidem alias sumitur. Ut apud Apulejum Metam. VIII. *canes venationis indagini generosae mandatae.* Sed apud Poëtam *indago* est retium cassiumque series, qua toti saltus circumdantur. Plinius lib. XIX. cap. I.

hunc

Has igitur vario semper fucare veneno
Cura tibi, niveisque alios miscere colores,
Alternosque metus subtegmine tendere longo.

Dat

VARIAE LECTIONES.

311. *Tendere*] Ita Vlit. *subtegmina tempore* A. Steyn. & P. *subtemine tempore* G. *jungere* conj. Gron. *ponere* B. in Adv.

NOTAE.

hunc locum consideravit, cum ait, *aut pertante multitudinem, qua saltus cingerentur.* Loquitur de retibus è tenuissimo lino. Aurelius *septum* haud immerito dixit; siquidem & ἕρκη eo significatu à Pherecrate poni observat Jul. Pollux. Hinc Apulejus ibidem: *prospectu vestigatorum obseptis campis*, id est, retium septo clausis. Indago autem non tantum retibus, cassibus, & plagis, sed etiam formidine conflabat, quae, qua apertior silva est, totam ambiebat, & indaginem claudebat. Hinc Livius lib. VII. cap XXXVII. *indaginem* videtur pro formidine posuisse: *cum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret.* Ausonius Epist. IV.

Circumdas maculis, & multa indagine pinnae.

Ideo & formidini attribuit noster, quod *lini vetet transcendere septum.* Puta neque lineam pinnatam, neque reliquam λινοστασίαν. Aderant tamen semper δικτυωροὶ sive λινοπτάι, qui simul ac indaginem constituerant, ad alas retium & per σκοπιάς stationes suas partiebantur, ut viderent ne ferarum incursu conciderent retia; neu qua exitum tentent ipsae, aut fugam capessant. De quibus intelligenda Maronis verba:

Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,

Quae ab nemine hactenus bene exposita sunt. *Trepidantes alas* vocat illos ipsos λινοπτάς, dum ferarum irruentium impetum trepide expectant. *Alas* vocat, quia ad alas retium positi, ut alae equitum in legionibus, πτέρυγες ἱππικαί. *Alae* enim & πτέρυγες quoque Graecis, teste Polluce, sunt retium extremitates, vel potius cassium. Hinc *alatores* dicti δικτυωροί. Isidorus lib. X. Venatorum quatuor genera recenset, *vestigatores, indagatores, pressores, & alatores.* Servius P. Danielis ad illa Virgilii, quae citavi: *Indagine, ferarum inquisitione. Et quidam cum vestigatoribus alatorum mentionem inductam accipiunt: nam indaginem vestigatorem ipsam tradunt. Alias vero alatores, qui dextra & sinistra plagarum sublata voce prohibent feras exire.* Imo non alii à Marone intelliguntur. Nihil hic cum vestigatoribus rei. Indago ab alatoribus ipsis constituitur. Fefellit illum κακοζηλογλωσσία. Prius enim indagine saltus cingunt, quam ad alas constituuntur & trepidant. Qui autem cum eodem Servio *alas* pro equitibus accipiunt, non considerant mehercule, quam minime iis equitantibus conveniat indaginem erigere, quod alis attribuit etiam decori observantissimus vates; nec Senecam audiunt monentem lib. I. de Clem. *Sic feras linea & pinna clausas contineas: easdem à tergo eques telis incessat, tentabunt fugam per ipsa quae fugerant, proculcabuntque formidinem.* Quare nescio qua fide habendum sit, quod fragmenti vice ex incerto auctore huc adducit I. Scoppa: *Venatorum genera quatuor esse, Investigatorum, indicatorum, insidiatorum, & alatorum, qui equo succussante, semsimque insultante, clamoreque animalia terrent, ne aliorsum, quam per medias tendiculas, fugam arripiant.* Atque ex hoc locum Maronis interpretatur. Quod quidem ex meris nugis Servii, & Isidoro conflatum esse, dubio procul est. VLIT.

308. VETANT] Nempe *pinnae. digerat* autem, quod praecessit, significat *digestas habeat*, alternatim mistas. JOHNS.

309. VARIO] Diversicolori. JOHNS.

309. FUGARE] Colorare. JOHNS.

309. VENENO] Colorato pigmento. Ita saepe Poëtae tincturam purpurae aut cocci *venenum* dicunt. BART.

311. ALTERNOSQUE] In veteri libro,

Alternosque metus subtemine tempore longo.

Locum mendosum esse nemo inficiabitur qui sapiet. Nec medicina absque ope librorum parabilis. Conjecturis opus non est, quas nemo sequetur nisi certissimas. An longo tempore ad subtemen conficiendum opus ait ex tot avium pennis, quot modo nominat? Ambigere me fateor. BART.

311. SUBTEGMINE TENDERE] Olim. *sub tegmina tempore.* Vlitius, *subtemine tendere.* Barthius

Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur;
Dat Libye magnarum avium foecunda creatrix;
Dantque grues, cycnique senes, & candidus anser;
Dant, quae fluminibus crassisque paludibus errant,
Pellitosque pedes stagnanti gurgite tingunt:
Hinc mage Puniceas nativo munere sumes:

Nam-

VARIAE LECTIONES.

317. *Munere*] *Murice* B.

N O T A E.

thius, *subtemine ponere.* JOHNS.

311. TEMPORE * LONGO] Barthius hic desperat de restituendo hoc loco. Postmodo in Adversariis conjicit: *subtemine ponere longo.* Quid tamen promptius (ne tot annorum intervallo nihil actum queramur) quid propius antiquam scripturam, & veritatem, nisi ipsa sit, quam si reponam, *subtemine tendere longo?* Atque ita audacter edidi. VLIT.

315. DANT, QUAE FLUMINIBUS &c.] Utrum ardeas, an ciconias intelligat, difficile dijudicatu est; alterutras, vel ambas posse sumi in hunc sensum & usum, non ambigo. Si quis diligentius in naturam earum, ut quam bene illas [illegible] Aurelius, appareat, inquirere velit, Gesneri librum de avibus, qui nihil vel ex antiquis vel recentioribus indictum reliquit, ante omnia consulat. VLIT.

317. HINC MAGE PUNICEAS &c.] Si ad ardeas & ciconias haec referas, falsa sunt; sin ad Libyeas aves, vera quidem; sed interruptum sensum efficias. Quare ita potius hi versus resarciantur:

Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur,
Dantque grues, cycnique senes, & candidus anser,
Dant quae fluminibus crassisque paludibus errant
Pellitosque pedes stagnanti gurgite tingunt:
Dat Libye magnarum avium foecunda creatrix:
Hinc mage puniceas nativo murice sumes.
Namque illic sine fine greges, &c.

Τὸ *Hinc* est adverbium loci, non temporis. Absurde enim post tinctas vario fuco pennas *hinc* demum nativo colore rubentes addat insuper. Sed postquam fucatas posuit, ubi Libyen attigit, tunc potius naturaliter rubentes pinnas sumendas praefert, quia illic infiniti rutilantium avium greges. Inepte vero *puniceas* pro Punicis avibus interpretatur Barthius, quasi sub Libycis non comprehendantur etiam Punicae, aut aliquae sint Punicae aves, quae ita praeter caeteras rubeant. Nec quidem Gallinas tantum Africanas, sed & psittacos, aliasque, si quae sunt, totis alis rubentes aves intellexit Nemesianus. Verum enimvero, ne quid dissimulem, non placet mihi ulla trajectio, quandoquidem etiam ex vulgata distinctione idem sensus trahi possit. Postquam enim Libyen magnis avibus abundare dixerat, merito grues, cygnos, anseres, & ciconias (hae certe ibi frequentiores) magnarum avium numero censet, quas Libye dat. Tum quoque subjicit illic naturaliter *puniceas* pinnas sumi, non aves, ut perperam construxit Barthius. VLIT. Vlitius versum 313. huic proxime praeponendum censet, & sane locum reddit dilucidiorem. JOHNS

317. NATIVO MUNERE] Praecipit Punicearum avium pinnas, ut natae sunt, utendas. Sed mihi omnino videtur Nemesianum *Puniceas aves* pro Punicis sive Numicidis aut Africanis adeo dixisse, cum manifesto ipse indicet regionem se aliquam nominasse, illo versu, *Namque illic* &c. Ubi igitur, si hoc loci non nominavit regionem? Inseruit igitur litteram & pro *Punicis Puniceas* dixit propter versum. Non secus neque alio exemplo, quam *Carthaginiensem* Ennius, *Larvialem*, pro larvali scriptor Priapaeorum dixit. Quod ut verissimum est, ita *Murice* pro *Munere* rescribendum facile nobis adsentietur, qui cogitabit de albis modo locutum Nemesianum, necessario modo de alterius coloris loqui pennis, cum ex propositione, quam praemisit, varium textum describere eum vel caecis alioqui liqueat. BART. Barthius, *murice* conjicit. docte & ingeniose. JOHNS.

318. ILLIC]

Namque illic sine fine greges florentibus alis
Invenies avium; suavique rubescere luto,
Et sparsos passim tergo vernare colores.
His ita dispositis, hiemis sub tempus aquosae
Incipe veloceis catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:

Ve-

VARIAE LECTIONES.

320. *Vernare*] *Venare* A. Steyn.

NOTAE.

318. ILLIC] Ut superior explicatio nobis arrisit, ita hic monendum duximus, posse Olympium de avibus illis loqui quae flumina semper accolunt. Eae solent, si quae aliae, maxime versicolores esse. Igitur fieri potest, ut *τὸ illic* hoc loci ripas fluminum, & confinia stagnorum notet. Ut ex iis, quas modo dixi, avibus, magis rubras aut puniceas eligendas dicat. Et utcumque arriserit superior interpretatio, puto tamen hanc veriorem. BART.

319. SUAVIQUE RUBESCERE LUTO,] Virgilius Ecl. IV.

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Quae cum haud dubie respexerit Aurelius, caussa nulla est, cur Barthio non assentiar rescribenti, *nativo murice*; quanquam ea, quam ipse sibi finxit, ineptissima sit. Tum etiam quod addit, *τὸ illic* hoc loci ripas fluminum & confinia stagnorum notare, ibique aves maxime versicolores esse, ostendit quam nihilo rectius ac caecus de coloribus judicaverit, dum fulicas cygnis confert, & purpureas nobis ciconias depingit, ipse ciconia etiam à fronte dignus, quamvis his purpureis finem commentationis suae tanquam emblemate, insignivit. VLIT.

320. VERNARE] Steyn. *venare.* JOHNS.

321. HYEMIS SUB TEMPUS] Opportune prorsus. Nec enim aliud anni tempus aeque aptum venationi est. Vere foetura animalium, aestate calores, & nondum adulti foetarum partus, inutilem atque incommodam reddunt venationem. At vergente in hyemem autumno, quod ipsum temporis spatium hic intelligit Aurelius, & plerique hodie observant venatores, nihil non maturum atque opportunum est. Eodem fere tempore venatum exiit apud Maronem Aeneas, ut superiore libro commentario docui. Horatius id sane secundum artem intellexit Epod. II.

At cum Tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.

Contra Xenophon major capp. VIII. & IX. alter cap. XIV. Pollux cap. VI. & Oppianus lib. I. initio, quodvis tempus venantibus concedunt, maxime autem vernum commendant. Rationes quas addunt, imbecilles adeo sunt, ut per se facile concidant, si cum iis, quas modo posui, comparentur. Melius aliquanto I. Saresberiensis Polycrat. cap. IV. *Praeterea*, inquit, *ab octavo gradu Capricorni usque ad geminos, tibicinum & cornicinum exultatio conquiescit* [] *cum tamen totius anni prolixitas variis venantium studiis occupetur.* Id est, à Kalendis Januariis in aestatis fere initium. Quia fortasse in Anglia nullus tum temporis caloris metus erat, ipsam aestatem venando auspicabantur. Hodie tamen ibi plerique à Kal. Novembribus legitimum venationis exordium faciunt, & Februario mense terminant. Non aliter sensit Nemesianus noster, qui etiam aucupium eo tempore inchoat:

Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore,
Fultus equi niveis silvas pete protinus altas
Exuviis, &c. ex fragmento ejus. VLIT. Horatius Epod. II. & VI atque alibi, ideo *nivis* semper meminit in venatu & *sub Jove frigido.* Lib. I. Sat. II. *leporem venator ut alta In nive sectatur.* Homerus Odyss. A. ἄλγεα πάσχειν, de iisdem dixit. Adde Hor. lib. II. Sat. III. *In nive Lucana dormis ocreatus,* Et II. ode 37. *Venator in campis nivalis Aemoniae.* Nam & hinc tolerantiam venatori comparari laudant Xenophontes. Tu Lector, qui *venari non times*, cum Flacco, hoc Age atque iterum Vale. VLIT.

Venemur, dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris vestigia servant.

NOTAE.

324. MANE NOVUM,] Hac de re vise ad Xenophontis Cynegeticum. Et his pro tempore & loco mactus esto Nemesianus. BART.

324. DUM MANE NOVUM,] Virgilium Georg. III. ut solet, imitatur ad verbum:

Carpamus dum mane novum, dum gramina canent.

Quando autem venatum exire convenit hyeme, apud Gratium quaesitum est. Unde constat de autumno hic potius loqui Aurelium. Tum enim, ut alias, praeterquam hieme, mane etiam exeundum. VLIT.

325. VESTIGIA SERVANT.] Seneca Hippolyto:

Dum lux dubia est, dum signa pedum
Roscida tellus impressa tenet.

Quae item latius exegi ad illa Gratii, *tum signa vapore ferino Intemerata legens.* Ergo, HOC AGE. VLIT.



FRAG-

FRAGMENTA DUO EX LIBRO
NEMESIANI
De Aucupio.

* * * * * *

ET Tetracem Romae, quem nunc vocitare Taracem
Coeperunt, avium est multo stultissima: namque
Cum pedicas necti sibi contemplaverit astans,
Immemor ipse sui tamen in dispendia currit.
Tu vero adductos laquei cum senseris orbes,
Appropera, & praedam pennis crepitantibus aufer.
Nam celer oppressi fallacia vincula colli
Excutit, & rauca subsannat voce magistri
Consilium, & laeta fruitur jam pace solutus.
Hic prope Pontinum, & radicibus Apennini
Nidificat, patulis qua se sol objicit agris:

Per-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

NEMESIANI] Insulsa nimium & exucca haec sunt, quam ut Aurelii nostri nomen praeferre mereant. De quo supra p. 314. dictum. Quod planius appareret si integros hos cujuscunque de Aucupio libros haberemus. Gesnerus in „Bibliotheca sua ait: Ejusdem (Aurelium Nemesianum perperam pro autore habet) libri „de Aucupio Bononiae in Bibliotheca quadam, „ni fallor, S. Salvatoris latitare dicuntur. Qua conjectura in spem recuperandi eos & simul evulgandi erectus & Bononiae in eapse Bibliotheca, & in aliis passim per Italiam Galliasque quaeri illos diligenter curavi: sed frustra. Ubicunque fuerint, à quocunque inspecti, Gesnerus certe etiam nunquam eos vel visu usurpavit, sed ex Gisberti Longolii Dialogo de avibus duo haec fragmenta, ut ipse fatetur, adduxit. An vero ipse Longolius habuerit ipsos libros, & an plura indidem citaverit, aut unde desumpserit, plane equidem ignoro, qui nulla hactenus opera eos nancisci potui. Non eo minus sincere credo, vera esse autoris alicujus, sed Aurelio posterioris aliquantum, fragmenta. Nec unquam super fide eorum dubitatum ab omnibus, qui postremum maxime citarunt, doctissimis Viris, Gesnero, Had. Junio, Vulcanio, Lud. Nonio, aliisque nec numero, nec autoritate exiguis. Quanquam solus Barthius in Adverf. spurium, nec semel, hoc ultimum de Scolopace excerptum (nam alterum à nemine, quam Gesnero, citatum inveni) audaci calamo proscribat. Modo insuper (quasi is primus ediderit) censet, quod talia pro veris publicaverit. Sed tanti id non est, ut refutationem mereatur. Sufficit mihi vel unius Gesneri consensus, ex cujus libro de Avibus utrumque desumpsi, sed semel atque iterum emendatum, ut jam suo unumquodque loco annotabo.

1. TETRACEM] *Tetrix* Aristot. lib. 6. Hist. An. c. 1.

2. NAMQUE] Ita Gesn. conj. *nunquam*, cit.

10. PONTINUM, ET RADICIBUS] Sic lego. Gesn. citat: *prope Pontinum radices Apenn.*

12. Deor-

Persimilis cineri dorsum, maculosaque terga
Inficiunt pullae cacabantis imagine guttae.
Tarpejae est custos arcis non corpore major,
Nec qui te volucres docuit, Palamede, figuras.
Saepe ego nutantem sub iniquo pondere vidi
Mazonomi puerum, portat cum prandia cirro,
Quae consul, praetorve novus construxit ovanti.
* * * * * * * * *
* * * * * * * *
Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore,
Fultus equi niveis silvas pete protinus altas
Exuviis: praeda est facilis, & amoena Scolopax:
Corpore non Paphiis avibus majore videbis.
Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor,
Pascitur, exiguos sectans obsonia vermes.
At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat.
Impresso in terram rostri mucrone sequaces
Vermiculos trahit, & vili dat praemia gulae.

Citaverunt haec ex V. C. Bononiensi Gisb. Longolius, & Conr. Gesnerus.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

12. Deorsum] *Collum* conj. Gesn.
13. Guttae.] Ita ego. *notae* cit. Gesn. vide supra ℣ſ. 170 *cacabantis* i. e. perdicis.
17. Mazonomi] Ita Gesn conj. *Mazonoim*, cit.
19. Cum nemus &c.] Videbatur mihi hoc potius praemittendum, ut initium libri refert, sed quia Scolopacis venationem mox post Otidem à Nemesiano subjici ex Longolio citavit Gesnerus, ordinem hunc servavi.
28. Gulae.] Vide ad Nemes. Cyneg. ℣ſ. 170.

MAT-

MATTHAEI LAGII
VINDICIAE
NOMINIS
BARTHIANI

ET

Poëtarum Venaticorum

GRATII ET NEMESIANI

ADVERSUS

JANUM VLITIUM,
BATAVUM.

SENECA de Injuria Cap. XVIII.

INJURIA conturbatis hoc ipſum ſolatio erit, etiamſi noſtra facilitas ultionem omiſerit, futurum aliquem, qui poenas exigat à procace, & ſuperbo & injurioſo; quae vitia nunquam in uno homine & in unâ contumeliâ conſumuntur.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM.



Ccum ea, quae scripseram ante annum, ad majorem lucem POETARUM VENATICORUM: quibus facem primo accenderat juventa aetate mens ille, heu! quondam BARTHIUS longo deinde post intervallo JANUS VLITIUS maculas plurimas aspersit; nescio qui novus in Batavis Literator. Cui ut negare omnem eruditionis gloriam non possum, ita minime indulgere Eruditorum principum censuram; eo minus tolerandam, quo est iniquior atque impudentior. De Barthio *enim expertes etiam literarum sciunt aliquid; gnari autem plerique honorifice sentiunt. At hominem obscurum, & solis se maledictis proferentem quis non indignetur litem movere tanti viri meritis? ad quae cum fama etiam accessit, in ambiguo relictum est, utram horum partem habuerit faventiorem? Certe ut beneficiis ejus minime blandiar, quae accepi ab illo ingentia extremo etiam vitae tempore non desinebat cogitare prius, quid bono publico sui relinqueret, quam quid famae. Tanquam hanc aliis curandam relinquens, velut gratuitum omnium doctorum praemium. Ut minime ego videri possim facere quippiam insolentius, quod operam mihi sumpsi vindicandae ejus Existimationis. Facturusque idem fuissem, etiam longe ab his oris remotus, immo tanto Heroi nullo colore cognitus. Indignitas enim tam acerbae calumniae quemvis impellere potuit, ut idem meo facto faceret. Indita sane & quasi innata bonis mentibus haec virtutum semina: ut indignentur malevolis obtrectatoribus, & quorumvis doctorum causam pro sua habeant. Ego vero tanti Viri nomen non afferam, cujus & Eruditio sit vulgo nota, & mihi in peculiari velut secreto patuerit. Ad quam si non alio modo, tamen voto aspirare debui, & nunc quoque à criminatione remotas velle dotes, quas tam impenso desiderio colui. Eat itaque in lucem quodcunque est scripti, & si non aliam promittat frugem, monumentum sit affectus mei in tanti Viri manes, cujus honoribus litatum eo. Efflorescat ejus felix memoria, plurimosque ad similia facinora accendat. Caeterum contentionibus, jurgiis, & litigiis renunciatum tandem esto, in his literarum sacrariis.*

Quod

Quod postremum est, Lector, nescire Te nolo: pro vivente quod scriptum, tanquam vivente editur. Oppidoque confirmat me Plinii Junioris *consilium*, Lib. IX. Ep. 1. *etiam* edenda *censentis* in defunctum, quae incolumi eo peregeris. *Nedum liceat* pro defuncto. *Cujus rei meminens, nec ego mutare quicquam volui, nec tu crucem tibi fixam conquereris. Vale, & brevi à Nobis, quae in Prudentium meditamur, & alia nonnulla exspecta. Dabam Lipsiae è Museo XIII. Kal. Martii, Anno salutis humanae* cIↃ IↃcc LIX.



MAT-

MATTHAEI LAGII VINDICIAE NOMINIS BARTHIANI

ET

Poëtarum Venaticorum

GRATII ET NEMESIANI,

ADVERSUS

JANUM VLITIUM, BATAVUM.



Calumnia non hujus demum ſeculi infelix monſtrum eſt: ſed primis cum virtute initiis ortum noſtram quoque aetatem afflavit. Nec enim fas erat, donec reſtat quicquam antiquae laudis, intercidere hanc invidiam, quae ſola pene judicium non fallit. Praeconia indignis ſaepe mentiuntur adulandi libidine, & indulgentia affectus. Livor in alta tantum, & generoſa dentem ſuum figit, quae cum humili genio non capit, infelici aemulatione relicta, taedium omne furore exonerat. Nihil attinet in ſecula ire, & obliteratas refricare injurias, quae veterum innocentiam afflixerunt. Noſtra pridem Aetas eandem querelam detulit, & indignari poſſit, ſi quicquam illi deëſſe ad antiquitatis ſimilitudinem putemus. Nec Virtutem conditionis poenitet: quam deteriorem credat, ſi his telis & ſpiculis obnoxia eſſe deſinat. quid multis opus eſt? GERMANI hodie petimur, Virtutis juxta & Eruditionis amantes. Laudem à multis jam retro ſeculis partam unus imminuere nititur non-Germa-

nus, & ut magis impune, tanquam uni. BARTHIO, inquam, Viro, qui nemini jam ignotus, nisi cui literae. Audacter dico: Musis testibus, & quibusque Musaeis. Caeteros enim quid curem? Vivant more suo: latrent, clamitent, insurgant. Literarum non agitur negotium. Dignos arbitros volumus, qui doctos aestiment: aequitatis amantes, qui calumnias spernant: Doctrinae vindices, qui calumniae poenas exigant. Hos publice quaeri in re plusquam privata & fiducia caussae jussit; & rei vulgatae notitia.

JANUM VLITIUM, nescio cujus coloris hominem, arrogantia pridem & odium Eruditionis excivit in publicum. Magnus esse voluit: quod cum virtute non posset, sinistra viâ aggressus est. Alieno dedecore visum famam quaerere: cujus spem sibi fecerat, si id summo inureret. quorum nempe timebat judicium, iis publica adimere suffragia conatus est. Barthium hostili odio aggreditur, nullo offensae, solo literarum nomine invisum. Cumque diu affectui aperiendo viam quaereret, libello facit. REI VENATICAE ANTIQUIS SCRIPTORIBUS ad hoc facinus abutitur: quos cum Germaniae pridem antea generosus Heros donasset, illius gloriae genuinos invidet, aliosque in vicem turpissimis conviciis deformatos obtrudit. Negat eum esse Barthium, quem publicus favor pronunciet: pro crimine scientiam illi & multijugam lectionem impingit: non alio fine, quam ut adsperfa bonis literis caligine indefensum illarum nomen invaderet. O impudentiam! aut inanem potius fiduciam! literas spernere, & ex contemptu gloriam aucupari: destruere viri autoritatem, quam frustra aemuleris: mereri de publico velle, & aliorum beneficia incessere!

Vos appello, quotcunque estis VIRI Docti, & cordati: Inspicite mecum illa stigmata, quae vestris omnium frontibus inussit. Parum Barthius injuriae passus est. Vobis vulnera inflixit, quia literis. Hae vindicias suas clamant, iratas esse Hosti suo asserunt, tela, manusque spondent. Capessite auxilia, ferte suppetias: Virtute duce pugnandum est, hoste calumnia. Eo ex praelio non potest sordida nasci palma. Sic Musarum commune decus, sic Reipublicae nostrae gloria persistat: sic fama publica, sic privata Conscientia suam cuique mercedem persolvant.

Tecum igitur nunc congrediar JANE VLITI, cum Viro adolescens, cum hoste propugnator. Nihil tibi annos meos excuso, nihil propositum. Potior mihi insons infantia noxiâ senectute. *quid me interrogas, quando natus sim? an inter juniores adhuc censear?* Romanus Sapiens vicem meam agat: audis graviter pro me respondentem. *Longa est vita, si plena est: impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit, quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita moratus est; nec sero mortuus, sed diu.* Nihil ergo me continet reverentia, quam aetati tuae debeo. ipse annis tuis infers dedecus, & male ab aliis honorem exigis, quem ipse tibi negas. Lubet enim in fronte crimen premere, quod utrinque facinus tuum obsepsit. Juvenile scriptum vir invasisti adulta calumnia, & quam vel tum dediscere satius erat, in nova etiam lustra perducis. Traducere Virum volueras: sed ex adolescentia petendum erat, quod carperes. Majorem videbas eruditione, merito,

fa-

fama: sed nonnisi postliminio poteras adoriri, & ea invadere conviciis, quae minor factitâsset. Infelicem posthac Juvenum sortem si audere scelus est: si feliciter; nefas! Et hanc tamen necessitatem Vlitius nobis imponet. Errorem, si aetas excuset, venia sequi debet: nunc etiam, quod poenitendum non fuerat, criminationem haut effugit.

Hoc nimirum praefractae mentis supplicium est, cum diu virtutem oderit in pessimis tandem fastidium ponere. Solus esse volebas, qui saperes: hic ad insaniam desipis. miseratio invidiam excludit. Vin' dicam, quid tam praepostero facinore quaesieris? Poenam inconsulto maledicendi impetu majorem. Non magno tibi constiterunt amarulentae voces, quibus juvenilem conatum proscinderes: at constat ultio, quae te in provectius quoque aevum sequitur. Ne post tot quidem annos ad bonam mentem redis. ad delirium aetas tua inclinat, quod extra meritum iis annis imputaveras, qui prudentiam tuam jam erant evecti. Adeo non est in multis solibus Sapientia. ubi ad summum aetatis veneris, recognoscendi mores, quos adolescens male coluisti.

Disce docendus adhuc, quae censet amiculus.

Hoc enim quacunque aetate superest, ut discas: candide agere, aetatis munia distinguere, de ingeniis bene sentire. Et haec tamen vel nunc ignoras accessio, quam anni fecerunt, pertinaciam roboravit, non sapientiam. Senior factus es, ut pejor fieres: prudentior, ut pervicaciam posses tueri. Et, si augurari licet: *nondum tota se nequitia protulit: nascitur adhuc*, & aliud subinde molitur. Tuas in pudore vices egi, cum tantam ejus in te inopiam deprehendi. *Ante annos*, inquis *triginta ad hos Autores explicationes Grammaticas edidit Barthius.* Paulo minus est, cum tu primas calumnias: quas tertium nunc in publicum mittis, novis semper convitiis adauctas. quam nihil mihi indulserim, voces tuae ostendunt. Mentem, quam semel amplexus fueras, nunc turpe putas exuere. pertinaciâ facto patrocinium quaeris quae nunquam audenda fuerant asseris: quae silentio melius supprimeres verbosa jactantia praedicas. Si ulcisci te velim, miseratio me subeat, qui tam imprudenter te ipsum multes. Ita nihil impune est: tua te verba damnant: qua peccâsti lingua in supplicium traheris. In Deum, in Naturam impius est, qui sic agit. Anni te sapere jubent, & detrectas. non imbecillitas obstat sed voluntas. vides quae peccâsti, & approbas. Omnibus tui similibus viam aperuisti, qua tuti exeant. pro animi libidine agendum est: non inficiandum malum, sed tuendum. placeat sibi nunc quisque in malefactis: repetat ex alto facinorum memoriam. non videbitur contra jus egisse, qui à se nondum convictus est. Exspectanda aetas, quâ trepidet, quâ confessionem pavidus edat, quâ in voluntariam ultionem ruat. Immo sic agunt tandem, quibus nullum crimen magnum est. Tu lustra etiam hilaris computas, ex quo calumniatorem agere incepisti, aut, dicam mitius: Barthium confutare aggressus es.

Nec hoc quidem serio voluisti: corrigenda saltim fuerunt, quae ille peccaverat. quin altior tibi scopus fuit: emendare Seculum animus fuit. Praefatio tua profitetur praepostero tumore & maxime conviciorum viro plena.

Cum plurimum, inquis, *publicae pariter & literariae rei priscorum inventorum reno-*

vationes conferre viderent primi bonarum artium reſtitutores Viri doctiſſimi, alii alias explicandas ſibi quiſque ſumpſerunt. Laudandum ſane inſtitutum, quo & antiquitas decori ſuo, & noſtra ad antiquum reformentur: niſi plerique eorum amoenitati magis, quam honeſto ſtuduiſſent, nec quid ſciri profuit, ſed quid potuit oſtendere &c. *Rectius illi vero, quanquam pauci, qui ſe in agros diffuderunt, ut quid diligens agricola, quid ſagax venator, quid anceps praedae auceps, ſemperque dubius piſcator captarent, compertum haberent. E quibus ego cum venationem praecipuam, ita maxime neglectam haberi viderem, eam ab origine ſua examinare & in hodiernum quoque aevum deducere operae pretium exiſtimavi.*

Idem hic ſpirat, qui ubique Genius.

Ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων,
Πάντων μὲν κρατέειν, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν. *

Unus feliciter potes, quod tot doctiſſimi viri fruſtra voluerunt. Illis conatus fraudi eſſe non debet: tu interim palmam aufers & coronam. Ita ne mortuis quidem parcis: & illos inſectaris, quibus nos literas debere fatemur, & quicquid cum illorum gloriâ noſtrum eſt. Ut dicam iterum: quos aequare non potes, ad humilitatem tuam deducis: pares recuſas, quorum veſtigia nos ad inanem ejus ſcientiae opinionem deducerent, quam uni tibi vindicas. Infauſta tot ſecula, quae iſto tamdiu fructu caruerunt! & ô Aetatem noſtram felicem, quae poſt tot mortalium errores illuſtrat tandem aevum nova luce!

—— —— quae te tam laeta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuêre parentes?

Sed audiendum tamen eorum facinus, qui tibi vapulant: *plerique eorum amoenitati magis, quam honeſto ſtuduerunt, nec quid ſciri profuit, ſed quid potuit, oſtendere.* Macte hae virtute! Jampridem tanquam unum ex Philoſophis te intueor. nihil molle amas: odiſti, quicquid aſpectu blanditur. Seria vis & ſevero habitu induta.

—— ——. habeat jam Roma pudorem.
Tertius è coelo cecidit Cato.

Ite nunc amoeniores literae, & in lugubri aliquo angulo conſidete. Pretium vobis Vlitius minuit. ponite conſuetas delicias: alius modo ſeculum habitus induet. Redit illud in vos convicium: quod vix bene effugiſtis. *Infructuoſis affectuum ſpinis uberem fructibus rationis ſegetem necatis, hominumque mentes adſuefactis morbo non liberatis. Ite ergo Sirenes, in exitium dulces, & hunc Muſis ſuis curandum ſanandumque relinquite.* Pene eſt, ut ſerias in querelas excurram, ſi tuo unius judicio literarum ſalus conſiſteret. Et aliud me ſolatium erigit: ipſe d.ceris amoenus eſſe. Id hercle quaedam amici tui literae praetulerunt. *Conqueſtum ſe apud te ajebat multis de atro ſale, quo Barthium* perfricuiſſes: cauſſam te reddidiſſe. Virum alioqui eſſe amoeni ingenii. Et ſis abſque invidiâ licet. Hic vero. Dî melius! qui velut probrum aliis nomen objicis, quod inter laudes tuas numerare poteras, ſi tueri quam contemnere maluiſſes. Nunc adverſus te ipſum inſurgis, nunc ordinem Naturae pervertis. Nihil eſt in univerſo, cui non ſit venuſtas ſua, à re-

* *Hic vir vult ſupra omnes eſſe alios, omnes eſſe in ſua poteſtate vult, omnibus & dominari.*

à rerum omnium matre conciliata. Coelo divinitatis aemulus splendor: terra omni leporis genere luxuriat. quid aquis pulchrius dici potest: & hae manant in orbe publico. Homo caeteris animantibus praestantior elegantiam quandam in majestate ostendit. Tu tamen Humanitatem spernis, quod amoenior sit, quod laetâ quadam ubertate circa frugem luxuriet. Dividis iniquâ manu, quae arcto semper vinculo voluerunt conjungi, & possunt. Sed antequam has spes deponamus quid in vicem reddes?

Ego inquis *cum venationem praecipuam, ita maxime neglectam haberi viderem, eam ab origine sua examinare & in hodiernum quoque usum deducere aggressus sum.* Regium facinus moliris. age hoc, & poteris, quod pridem jactitas

—— *Principibus placuisse viris.*

Sed tamen ô inficetiam! ad Gratium tu omnia trades, quae priora hactenus secula neglexerunt? & ad praesens aevum artem deduces? Pridem metuimus, ne, quando tam seria agis, & vetera quaeque de latebris profers, Aeneida quoque aggrediaris, & magno urbium periculo Trojam doceas expugnare. Hoc agis enim dum eminere laboras, dum amoenus esse non vis, dum velut Grammaticum despicis, quicquid literaturam sapit.

Pessimo enim (tua sunt verba) *ille successu egit, qui Gratium è Sylvis in Scholam aliquam Grammaticam compellere conatus est.*

Etiam non divini auguramur quem petas? Et quem nisi Barthium? qui stimulos tibi & calcar subdidit, ut magnus fieres, ut amoenitatem damnares, ut male instituta corrigeres. Spicula mittis & tela, nec hostem indicâsti: convicia spargere incipis, nec de merito cognovisti: sententiam infers, nec arbiter constitutus. quid tamen est? *malo successu egit* Barthius, quando tui palati fastidium incurrit. bono egisset, si tecum deliraret, si venatores instrueret, si Dianam Minervae praeferret, si amoenitatem incesseret, si viris doctis insultaret. Et ubi ille Sylvas in Scholam deduxit? Injuriam viro facis, quem ad umbram redigis, à qua semper abhorruit. Obrui testimoniis metuo, si velim Europam nostram producere. Qui adolescentiam in patriis laribus non exspectavit, quem provecta aetas peregre offendit, is tibi in Scholis vitam exegit. Sed aliud te velle dices: Veniam ad mentem tuam. Venaticos angusto nimis spatio inclusit: & reliquit multa, quae secunda opera indigerent: Ergo beneficium tibi dedit: locum ubi tua se prolixitas diffunderet, invenisti. Ingratus es, si hoc in benevolentia non ponis: miser si felicitatem tuam ignoras. Quid dicam ultra? Poenitet te conditionis tuae, qui fortem etiam calumniaris, cui te parem non invenis. Maledictis itaque remunerandum fuit, quod nimis in te benignum erat: quam ornare non poteras provinciam, conviciis destruere debuisti. Sed aliud suspicari subit: eadem quae te ubique stimulat jactantia, hîc quoque calamum tuum movit. Nemo tibi satisfecit, qui ante te aliquid ausus est. Tuo indicio proderis; *Neglectum*, inquis, *hactenus honestissime antiquis Heroibus habitum exercitium; ignaviane an incogitantia pene non dixerim.* Hic medelam tuae intemperantiae affers: non solus jam est Barthius, quem insectaris; alii cum illo vapulant. Nunquam ergo Grammaticae limites transcendi potuerunt, antequam tu viam sterneres: nullus ne jam

quidem venationi honor esset, nisi tu vindicasses. magnum imposuisti Principibus viris onus, qui te dignis mactare praemiis non potuerunt, ex quo tantum in illos meritum contulisti. Dare enim pene tibi hanc laudem volo, ne rigide nimis agam, at quod misi telum, quo te ipsum ferias? Quicquid hactenus malum non est, jactando perdis, tantum semper merito decedit, quantum gloriando addis. Laude igitur, ex qua alios deturbas, ipse excidis: nunquam superbia in solido consistit. sed perge sic agere: magnus eris. *Difficilius*, inquis, *feramus, quod Plinium notaverit Vir Doctissimus, quia Venatione in Trajano laudata*, olim haec experientia juventutis haec voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, *subdiderit. Ille vero addit.* Vix sane veteres Romanos factitasse legas, qui à prima adolescentia in militia aut ejus exercitiis erant. *Si verba sua intellexit, & quae illa militantium exercitia fuerint, utique & venationem inter ea fuisse ignorare non debuit, si Polybii locum, quem praefationi huic praemisimus, videre illi contigisset,* &c. En novus Lucius in Lipsium! aut si mavis etiam Vlitius. Tecum sentio: est ubi erraverit Lipsius. Bona sanctorum Manium venia dicam: tres quondam adversarios numeravit. Tu tamen quartus supervenis, nisi cum primo eodem nomine velis censeri. At tu quale in eum crimen contorques?

Parcius illa viris tamen objicienda memento,

Novimus & qui te..

Certe si hactenus ignoramus, hic viva quaedam tui imago spirat. Quod Lipsio placuit, ferre non potes. dicam quid causae sit: Doctissimum inter eruditos vides. hinc oculi tibi dolent. Ipse detegis, cum honorem illi habes, quem mox detrahas: aliorum velut laude palpas, ne tuam ignominiam sentiat. Sentit tamen, rejicit titulum, quem ab indigno dignum acceperat. reddit tibi laudes tuas: doctissimum te esse calumniatorem jubet. Ingratiis forsan tuis, quod pridem nihil ad hoc nomen tibi deest. Enimvero qui alius color? Satis hoc ad modestiam doctum appellare, dum in doctrinam insurgas? Male itaque votis, sumptibus, vigiliis in hanc spem incumbimus, qua publice traduci mereamur. Sursum vorsum agas voces tuas: quicquid dicas, Lipsio injurius es. *Verba sua non intellexit.* Tuam fidem! Qui omnes docere poterat, ne suae quidem mentis capax fuit. tu dicendi modos praescribes?

—— quo deterius nec

Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Nunc se prodit ingenium tuum, quam sit docile. Ne intelligis quidem à quo erudiri debueras, & quo minus rudis videare, ne ille quidem seipsum, & audes dicere? quid igitur superest, nisi ut credere te dubitem

Esse aliquos Manes & subterranea regna.

Mortuo Leoni barbam vellis, vere Leoni sed mortuo. Securus nunc potes jactare:

—— nulli gravis est percussus Achilles.

Sed quid tandem desipuit, qui nihil unquam inepte molitus est? Paullulum in Dianam rigidus fuit: à Romanis Tironibus arcuit. *Vix sane*, inquit, *veteres Romanos factitasse leges, qui à prima adolescentia in militia aut ejus exercitiis erant.* Re-

cte fic & conftanter. intelligit quid Romani factitarint, & pronuntiat: tu non item affequeris, quod Lipfius bene intellexerat. qui tibi non conftas, aliorum certitudinem fufpectam habes. Inter exercitia vero militaria venatio. haut nego. Belli praeludium eft:

—— θηρσὶ φονίοισιν ἐν οὔρεσι δηριάασθαι: *

aut ut cum Plinio nunc loquar.

certare cum fugacibus feris curfu, cum audacibus robore, cum callidis aftu. Sed heus tu Venator! nondum tamen miles es. Longe ab aperto Marte abes, fi aliquando in Anglia feras decertare contigit: primum tibi cornu ventrem folvet, fi hac fiducia in praelium iveris. Et erant alia Romanorum progymnafmata: *à teneris arma tractare: fub dio jacere inediae fitique affuefcere.* quicquid dicas, Lipfius vincit: Vilior erat Romanis ac delicatior Venatio, quam ut fatis illorum pubem inftrueret. Audi Romanum Hiftoricum, deinde ad Graecum veniam. Digna eft Romano milite apud illum oratio App. Claudii. *Liv. lib. V. Si medius fidius ad hoc bellum nihil pertineret, ad difciplinam certe militiae plurimum intererat confuefcere militem noftrum non folum parta victoria frui: fed fi res etiam lentior fit, pati taedium, & quamvis ferae fpei exitum exfpectare, & fi non fit aeftate perfectum bellum, hiemem operiri, nec ficut aeftivas aves ftatim autumno tecta & receffum circumfpicere. Obfecro vos, venandi ftudium ac amor homines per nives ac pruinas in montes filvafque rapit, belli neceffitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel lufus & voluptas elicere folent. adeone effaeminata corpora militum noftrorum putamus, adeo molles animos, ut hiemem unam durare in caftris, abeffe à domo non poffint.* Lufus hic jocufque ferarum infidiae; mollium voluptas & facilis patientia quicquid hic improbitatis uno die in praedam impenditur. Haec itaque tibi nunquam potius aut lecta crediderim aut vifa, quam Lipfio Polybii locum. quid fi nunc aliquis in urna fenfus effet, & hanc tuam animadverfionem infpiceret? moribus fuis uteretur, ineptias hominis exploderet. Sed illi ab his turbis quies eft in Piorum mundo. Et nobis agendum ut fit quoque in hoc turbulento, & malorum poft non multa.

Agam interim more tuo: etiam quae me non tangunt, intacta aliquando non finam. non debes ea ferre quae exfpectas. ubi delinquis connivebo, fi oculeum effe permiferis, ubi deliras. Vere id ages, cum venatorem. In anteceffu lubet exclamare!

Ite, umbrofas cingite Sylvas,
Summaque montis juga Cecropii
Celeri planta luftrate vagi
Quae faxofa loca Parnethi
Subjecta jacent; & qua Thriafiis
Vallibus amnis rapida currens
Verberat unda.

Vlitius enim venatum exit. Et tu Regina montium fave alumno tuo! fed ne invide nobis, ut venationem tuam intentius afpiciamus. certe frugi es, fi non fallis: *In Anglia*, inquis, *cum ftudia mea ruris otio expofuiffem, & nobilium aliquot ju-*

* *Feris trucibus in montibus decertare.*

juvenum, quicum agebam quotidie hortatu ad sodalitium, quod propinqua hieme illis deligere moris est, venaticum adductus essem, adeo volupe mihi id fuit; ut praeteriisse hibernum, quam adesse triste illud tempus citius adverterem. Nam cum & nostro & equorum ac canum labori tridui fere quies intermitteretur, Xenophontis, Oppiani, sed maxime Gratii praecepta, cui jamdudum operam meam addixeram, ad partes & examen vocare solebamus: & saepe diversi hoc aut illud probare, arguere, donec usu experiemur. Haec illa Pharos est, quae tibi artem praeluxit.

Ex umbra in lucem prodisti: poteris nunc Grammaticae fines spernere, postquam in publico experientia tua enituit. Recte judicas: non Plinio tantum credendum, qui *non Dianam magis montibus dixit, quam Minervam inerrare:* te insuper testem habemus expertum, oculatum. Magnum ab audacia praemium habes, quod eam virginem impune vidisti. Mystae suo parcere voluit, & semel debuit. Adhuc tamen instat tibi Actaeonis fatum: male à canibus tutus es, postquam ad illorum invidiam latratorem agis. non ferent aemulum κυνὸς κυνώτερον. Hoc enim agis: prolixa laborum series, quam texis, ad calumniam deducit. Id per multam aevi partem egisti, ut docte maledіceres. Egregia nunc exercitia militiae, venationes, quae in transmarinis locis hostem quaerere docuerunt, & longe insectandum, quem impune velis lacessere. sed ultra videbimus novam Dianae & Minervae concordiam.

Spectatum admissi risum teneatis amici!

„*Aliquando & comites Poëtas illos, & pugillares ferebamus, ut in ipso actu adnota-*
„*remus, aut ab equis descendentes sylvae nos committebamus, & studia illa nostra si-*
„*mul adhibebamus; ipsumqae illud silentium, quod venationi datur, magna cogitatio-*
„*nis incitamenta fuerunt.*

Terror à gemino Numine! Nunquam arctius Dearum fuit vinculum. Tu vero ter felix, qui hanc Musis nostris reddidisti audaciam, ut ex umbra aliquando ad publica ferarum spectacula exirent. Ultra aliquid, quam Orpheus habes. Feras non cantu trahis, sed insidiis, suoque cum interitu lubentes ad experientiam artis vocas. O ineptiam! sed volo parcere: clam in aurem illud:

Σίγα, μή τις ἄλλος ἀχαιῶν τοῦτον ἀκούσῃ
Μῦθον. *

Maxime ne quis venatorum. Arti enim tuae periculum imminet, quam adeo impense coluisti, si haec arcana tua inspexerint. An nescis

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι τὸ δ' ἦ γ' αὖ κεκρυμμένον εἶναι. †

Sed ad rem venio & scopum, tuos opinor successus. Narra.

„*Redeunte itaque vere in Gallias transfretans, dum sarcinulas colligerem, & illa in*
„*commentarii formam redigere caepi, & quid alii eâ de re scripsissent, perpendere; ne,*
„*si bene, actum agere, si perperam dicta, probare viderer.*

Caute ponis vestigia, & summis pedibus graderis. Monuit te Genius.

Φρονεῖν μὲν οἱ ταχεῖς οὐκ ἀσφαλεῖς. **

Et

* *Sile, ne quis alius Graecorum hunc sermonem audiat.*
† *Aliud quidemdicendum, aliud silendum.*
** *Qui mature sapiunt, mature desipiunt.*

Et sic agere debuit, qui octiduis laboribus officere volebat seculorum operae. Scis tu, & nos credimus

—— *Meliora dies, ut vina Poëmata reddit.*

—— —— —— —— ——

Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.

Barthium immatura praecocitas frustra habuit: tu, ut quater undenos implevisti decembres, morae tuae ingentem fructum adfers,

Romanis solenne Viris opus, utile famae.

Sed quid nisi cineres pro thesauro? calumnias uno verbo dicam: & has tam superbe venditas, tanquam rem omnem cunctando novus aliquis Fabius restitueris. Non opus erat id aetatis, ut vitilitigares. Materno cum lacte errorem bibimus, & tu malitiam haurire potuisti. Quid impensum in conquirendos codices laborem, quid domesticum vulnus, quid alias incepti moras causaris? Satis mature incipis maledicere, si & bene. Ipsa tarditas admonere te debuit, quid ageres. Nondum satis sub manu fuit, quod spongiam malit, quam lituram. Multorum igitur otium salubrius, qui hanc pestem nihil agendo evitant. Ita ex turbido ingenio nihil puri fluit: contagio sui inficit, quicquid versat, nec foetum dimittit nisi similem. Profanos Veteres à sacris arcebant: & nos ab his Musarum. Ite, qui puri non estis, quibus in animo scelus est, nec id probrum literarum castitati inferte. Sed ô Deus bone! etiam ad has tanquam asylum confugiunt, & personam scelerato capiti sumunt, qui suo colore timent agnosci. Qui virtuti bellum moliuntur, literas discunt, ut fortius oppugnent, & qui his infesti nomen sumunt, ut sub illo tutius lateant. Nempe id fatum est hujus aevi, ubi

—— —— *Omnis quasi limus in imum*
Confluxit gravis, & subsedit funditus, ut fex,

ut & literae sic pessum eant. Solam quisque umbram premit, quis rem tuetur, & incolumitatem?

—— —— *Nemo hercule nemo,*
Vel duo, vel nemo.

Et jam publice illi triumfant, qui doctos lacessunt, & perniciem huic Reip. moliuntur, victores si impune saevierint.

Nimirum hoc summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem summi constantia civis.

& jam noster Capitolium aliquod somniat: sed ne sine ominatis verbis, accinere illi pergamus.

Amici tandem protelum injecerunt: diu cum alia ac seria egisses, eorum te autoritas impulit, ut ad institutum redires: ne ignavia potius destitisse, quam laudis praemio inductus videreris. Scimus ô homo; nulla vis magis penetrat, quam blanda illa ab amicis. Imperant illae preces, quod impetrant, nec rogant sed cogunt. Qui tamen tyranni illi? an & ipsi Homeromastyges? sed parco. Opportune in mentem venit: Ἐν πέντε κριτῶν γόνασι κεῖ). * Cedo tu aliquem calculum. Nunquam

* *In quinque judicum suffragiis situm est.*

quam in holmo cubui: puto tamen, me indice digito poſſe demonſtrare.

Οὐ γὰρ ἀπείρητος μαντεύομαι, ἀλλὰ εὖ εἰδώς. *

Poſt carecta enim latent neſcio qui Theſei, & an tui? Ignoſcat mihi Genius tuus, ipſe noverit.

Amicos eſſe nos ſcimus, qui auctores tibi fuerint, ut Barthium invaderes, & tu fateris. Retice haec: in rem tuam eſt, ne alii ſimul laudem tuam involent. Tu ſudâſti, tu alſiſti, & cur non ſolus hanc palmam velis? Vindica, vindica, & an noſtram quoque manum deſideras? Omnes pro hac Helena in gratiam tuam ſtabimus. Sed tu facilis nimis, qui hos quoque in partem laudis admittis. Amicos autem. Non longe abis: ſcis φιλίαν ἰσότητα εἶναι. Sed effaſcinat me id vocis: meris ambagibus arcanum tuum involvis. Retege. qui ſunt illi?

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. †

Et illis ut audio aliquid bonae rei debemus. nomen modo ſuum in his officiis profiteantur, & mutuum poſcant, dabimus.

Caeterum quae illa ſolicitudo? Geminam ſuſpicionem amoliris, nec deſidiae vis, nec arrogantiae familiaris videri. Pone has curas Alcinoê. utrique vitio exemptus es: nec ingenio tamen tuo. Argumentum ſic tulit. quid enim laboris in conviciorum aliquo carmine, praeſertim tibi, qui ad haec jam videris erudiiſſe linguam tuam? Inde moleſtia tibi aut taedium, quae ſolens tuoque more facis? Nec gloriam eâ occaſione inhiare potuiſti. Pro modeſtia tua elegiſti negotium, cui nihil cum illa commune. quid te purgas? nobis quidem de iſta ſuſpicione ne quidem per ſomnum in mentem venit. Sed *perge quod coeperas modo in via narrare, ut ad exodium ducas.*

„*Nec quidem* inquis *plura quam unum exemplar fuiſſe credam. Nam quod Ger-*
„*manicam aliquam Longobardicis literis, incertum ubi aut quando excuſam, Edi-*
„*tionem, quam primam fuiſſe putat, eque eâ diverſas ſaepe a vulgatis lectiones ci-*
„*tet Barthius, qui ante annos triginta ad hos auctores explicationes Grammaticas*
„*edidit, vereor ne majorem fidem mereatur, quam altera Tigurina Anni cIↄ Iↄ*
„*XXXVII. quam toties laudat, & ex Germanica ſua ut alias omnes editionem ex-*
„*preſſam dicit*

Tu ſic credis & aſſeris ô homo, ſed tua fide. quis tecum facit, niſi ejuſdem coloris? ſic autem imponere nobis Barthium? mira narras & inaudita hactenus. Et dic ſodes quo fine? utrum ex antiquis: *fructuis, an delectationis cauſſâ?* Illudere ſic voluit publicae credulitati. Sed abſterrere tu potuiſti, qui vindex illum manebas. quid affers tandem? diverſa à vulgatis habuerunt ii libri: palato tuo non ſapiunt. Licet deſipiant, noſtra vero

Sin diſplicebunt, tam tibi latum mare
Para, vis quantam ſpongiam deletilem.

Tuos tu codices ſequere, nec Germanis invide ſaltim, quod in ſuis ſibi ſordibus placent. Non omnes ita ſagaces ſumus, ut quaevis ſic olfaciamus. Pejora in-

* *Non enim inexpertus loquor, ſed bene ſciens.*
† *Profer nec cela, ut ambo ſciamus.*

interdum eligimus, persuasi tamen, tenere, non quod pueri in faba, sed oraculum: *uterque codex ejusdem fidei.* Tuam intelligis, qui ubique nulla est. sed quid nos? Habemus tamen & ecce in hac manu. Veni, vide, aut cui lubet. Neminem publice fallimus: testamur Viri candorem. nulla litera ab autoritate abiit, nec ingenio uspiam usus, nisi praefatus, & cum modestia. Sed tota atria confutas cum addis:

„*Eopse anno ὁ πάνυ Gesnerus Tigurinus Tiguri fuit, egit scripsit, & postea Gesnero-*
„*rum Typographeo praefuit. Is inquam in Bibliotheca sua nullam Tigurinam Auto-*
„*rum horum editionem recenset, aut cum plurima ex iis citaverit passim in libris de*
„*animalibus, nihil simile illis, quae ex Tigurina adducit Barthius, usquam alle-*
„*gavit: sed uti in Aldina habentur, & quae illum quoque expressit, in Gryphiana*
„*Anni cIↃ IↃ XXXVII, quam solum in Bibliotheca sua posuit, utique non omissu-*
„*rus popularem suam, si ulla fuisset.*

Signata Sacra esse desierunt, postquam tu factus es. ita ex solido omnia adstruis, Satin' hoc vero? Gesnerus omisit: ergo Barthius non habuit. Nolim te hoc argumento niti. non ego sane hæc

—— —— *Enthymemata novi.*

Et hoc ambigo, an post hos Poëtas id libri excusum sit. Sed adfers alia quae operæ pretium magis faciant.

„*Barthius sibi non satis constat, modo ex Germanica sua omnes alias propagatas,*
„*sed multa in iis temere mutata esse dicens, modo visam unquam ulli negans. Hoc*
„*potius, & ne ipsi quidem visam credidero, sed ex ingenio suo nobis illa excudisse,*
„*quae speciosa magis, quam verisimilia, & inepta saepe autorem suum clamant.*

Eadem semper chorda. & quid aliud à te exspectemus Calamoboa? sed quid rabis? Non constat sibi Barthius. Certe menti tuae alienus. Audi ipsum: *Adhibuimus emaculando huic autori cariosam editionem, cujus pretium nemini notum erat. Eam secuti non pauca deprehendimus male in recentioribus libris correcta, siquidem pars eorum ex ea edita est, ea ad fidei normam omnia indicavimus.* quid hic absonum aut pugnans, & in reliquo deinde libro? Clamas tu tamen sibi ipsi contra ire. sed fidem tuam Atticam! omnes ex Germanica sua editione fluxisse Barthius voluit? ubi & qua voce? partem dixit, & nos dicimus. temere autem mutata esse quam plurima in libris, etiam dubitas? Malo nostro scimus: & quo faceret tuus quoque Aesculapius, si omnia sana essent? Nulli autem visa? iis nunquam, qui salubri oculo inspicere potuerunt. Et quid hoc mirum, latebris saepe abditos libros diu lucem fugere, tandem videre? Priora tibi secula dicant, & qui haec studia sanctius coluerunt. Sed addis: *nec illi quidem visam sed ex ingenio illum procudisse, quae speciosa magis quam verisimilia, & inepta saepe autorem suum clament.* Ita ne à moribus tuis discedas. solenne id tuum contra antiquas leges: MALEDICERE, PEDEM IN FOCUM IMPONERE. Sed repetis etiam de abominanda hâc fraude. Dico iterum, & publice. Non sic Barthius agit, nec quisquam, qui bonus. Sacrosancta nobis antiquitas, suo jam vitio satis corrupta. Eam illi labem detergunt, qui amant: tu auges, dum adultero lumine inspicis. De ineptiis porro adjicis: Autoris autem quem clament. Facetus her-

cle, & ſenſu acuto, qui tales quoque ſonos aſſequare: BATAVA opinor aure. Sed nunc velim ut me Jupiter Olympiae, Minerva Athenis ſuis Myſtagogis vindicent. Jacis enim lapidem

—— —— quali ſe Turnus & Ajax
Et quo Tydeides percuſſit pondere coxam
—— —— Aeneae.

Nam inquis:

„*Si cui temere de illo Viro tam multae lectionis haec cenſuiſſe videar, ille Satyram*
„*de lite Hoſpitalii, ille Veſtricii Spurinnae Fragmenta ex Plinii lib. III. Epiſt. 1.*
„*effecta, aliaque pro antiquis nobis obtruſa aliquantum conſideret.*

Etiam de illis judiciis dubitas? Omnes, omnes te damnant, nec virulentiam ita mirantur, ut temeritatem. quis tu, aut qualis, & an ſemel natus? Nos ambigimus etiamnum, & non ſecus ac muſcam adſtrepentem depellimus. Gloriaris tamen, & velut tolutim jactantia incedis. quis ſanus curet?

Larva umbratilis tu nos minus territes?

Quid de tot impoſturis? Hoſpitalii Satyram objicis, in Adverſariis editam. Ex magno autem & mirando opere id unum inveniſti quod carperes? Urit te, ſcio, illius libri gloria, & tecum, nec ignoro, multos, qui capaces non eſtis tanti voluminis. Sed agite, quod veſtrum eſt. Surgit tamen ejus fama, vigetque paſſim in florentiſſimis quibuſque Europae regionibus. Italia miratur, Gallia amat, Hiſpania ſuſpicit: ipſa illa, fas dicere, Britannia colit. quid domeſtici tui Belgae? Virum nôrunt plerique omnes, & foetum diligunt, tanquam ipſum. Amens enim ſit, qui ex te de caeteris judicet, cui vix unus aut alter pares. Et hos deſignamus jam pridem, ſed conniventibus oculis. Sciant autem. Barthius ea ſcripſit, non gloriae, ſed tamen cum gloriâ. Ingenuorum hominum candori hanc debet. Nomen addidit, veteri & recepto more, nec iis exploſo, qui ambitioni obviam iverunt. quid livor tamen? Legunt nonnulli ſuo cum emolumento, immo exſcribunt: tamen velut in alta nocte autorem ſilent. Eos volo, qui Barthium Adverſariorum editorem nuncupant: nomen Autoris malitioſe ſupprimunt, ne quid illi debeant. Tales tui, & facile agnoſcendi. Scimus enim, nec reticendum, eſſe in Belgio viros antiqui candoris & literaturae. Eos animo, voce, ſcripto doctus quiſque & probus aeſtimat. Et nos publice illis gratiam habemus, qui ſincere de eruditis judicent. Mercedis partem in facto habent, à bonis omnibus viciſſim laudandi. Et nos grati erimus debitis praeconiis. Macti omnes hac virtutis laude! efflorеſcet haec veſtra gloria, & diffundet ſe in hunc orbem, qua humanitati locus eſt.

Φήμη δ' ὔτοι πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζωσιν. *

Sed quid tu, cui niſi malum nihil ego debeo? Satyram de lite rejicis. Nos vero tecum, ex quo agnovimus. In Barthio autem fraus aut culpa? Henricus Stephanus dederat bona fide: falſus quidem, ſed nullo fallendi animo. Secutus eum Noſter, & ut acceperat reddidit. Pro antiquâ autem, Verborum omnium adulter?

* *Hautquaquam totus rumor perit ille, per ora qui volitat populis compluribus.*

ter? Non plane affirmat: ambigit & cujusvis judicio relinquit. *Carmen*, inquit, *prisci aut semi prisci cujusdam Juridici dicam an Philosophi cum ignoto nomine edidit olim Henricus Stephanus, quod penitus interire nobis concedendum minime videtur.* Inspexisti & reliqua, quae sequuntur? quis non dicet esse quandam melioris vetustatis speciem. Lex certe Pedia, syllabaeque pro libidine traductae praeferunt. Etiam de *Vespruccio* addis? quid opus? In Manuscriptis reperta, quae vides Fragmenta. Eorum ex fide pendemus. Dicta autem pleraque antique. Coeterum an e Plinii Epistolis conficta, Nomen aliud est; tu immutas, & si idem, quis illud tamen asserat? Si maxime suspicionem non effugit, cur Barthio culpam imputas? Sunt certe subjectores ejusmodi, & quis illos hoc crimine absolvat? Si tamen Nostro hic aliter visum; erratum forte, sed cum venia. immo & cum aliis. Unum ecce & illustrem Virum: * qui pariter vetustum appellat & elegantem Poëtam. Sed castigationem addis:

„*Illa jam magni Viri ut spuria ordine moverunt: haec vero quae soli mihi molestiam*
„*fecerunt, antequam dignoscerem vera à falsis, quia vera omnia putabam, suspe-*
„*cta magis, quam falsi convicta etiamnum relinqui possunt.*

Dic sodes, qui viri & an magni? Nemo, quod sciam, nisi unus qui

—— —— *nos nostraque lividus odit.*

Dicam clarius: ille cui magno intervallo distant

—— —— *Doctusque Belga sedulusque Germanus.*

Nec publice ausus est. inter aliquot compotores omnis plausus consumptus est. Quid autem molestiae tibi creatum à Barthii lectionibus? at exultas laetitiis omnibus, si in naevum incidas, quem possis atro calculo notare. Ex more id tuo, praetextum quaerere libidini, & necessitatem praeferre virulenti affectus. Tu autem fax & tuba belli, adeoque molestiae, si quam passus. quis te Germanus petiit, ne dicam Barthius? silere potuisti & scribere, illud sine offensa: hoc etiam cum laude, si modeste. Sed ut video: animi ut in sermone, sic scriptione emicant. Celant multi & supprimunt, tu inter canes tuos acriter elatras. Sed *relinquis illa quae Barthii sunt non falsi convicta, sed suspecta.* Beneficium aliquando, ut tu homo es. Sic tamen aheneus ille murus concidit, fiducia ingenii, & argumenta quovis vallo firmiora. Ante tubas pensitandum hoc erat: quis hostis esset, & quibus armis aggrediendus. cum probe desaeviisti furorem mitigas, & tuis quoque erroribus veniam quaeris, instituti superbia semel contemptam. sed perge mitius agere.

„*Ideoque*, inquis, *ea fide, qua ille proposuit, cuicunque libuerit, inter varias le-*
„*ctiones repraesentata habeat. Nec aliter fecissem, etiamsi illis integram fiduciam*
„*attribuissem, ne ipse indignetur nomen, quod solum ex iis captavit, apud nos pri-*
„*mum perdidisse.*

Mature sic ad tuam mentem redis, ut omnis tua suavitas

—— —— *animo corrupta superbo*
Plus aloës, quam mellis habet.

Quis

* *Salas. ad Petron. p. 435.*

Quis hoc quoque te voluit? aut si visum ita, quid jactare attinet? Publicam rem egisti: & judicium omne ac praemium inde exspectandum, quo meritum contulisti. Huc Barthius, huc quicunque vere docti collimant. Tu solus à scopo abis, sequerisque, quo te affectus trahunt. Nec enim nomen captatur, ut tu somnias. Favori id referendum, publicisque suffragiis. Frustra sunt, qui id pompa quaerunt. Ubique, licet rari, tamen aliqui sunt maturi judicii viri. Penes eos arbitrium, & sincera libertas utriusque calculi. Tibi vero quotus in hoc ordine locus? Stant simul, & excidunt fama, quibus id curae, ut quisque illi digne litat. Sed circa tuam & gratiam, & potestatem. Tuorum quoque, suo se modulo, ut decet quascunque gentes, metientium. Quod enim de Belgis adfers, tam credo, quam caetera tua. Sunt illic, ut ubique, viri docti & boni, qui tecum non faciant. quid si nemo? nisi unus forte, aut alter, bone Deus?

Quota portio fecis Achaeae.

Clamas tamen de perdito apud vos nomine. perdendo potius. adhuc enim lapidem omnem moves, ut comminuas. Age vero. Scimus nos, & confidimus:

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα. *

Et jam Temesseus tibi Genius imminet. Exple, exple animum virulentia, & totum merge. Rerum vices sunt, volvuntque res humanas, & mox tuas volvent. Ad Deorum jam aures facinus tuum pervenit: erunt mox qui aequo Jove judicent. Sed necdum omnis audita est caussa. Nam addis:

„*Talibus farcire commentarium meum nolui, satis alias magnum pro Autore, cujus*
„*mentem, quam verba pensi magis habui, nisi quatenus intellectum morarentur,*
„*aut ab interprete male habita sensum ipsum inverterent.*

Non erras, satis magnus est liber tuus: major tamen, quia Barthio omnes paginas implevisti. Sed negas de hoc fartu. Et nos suo sensu. quid igitur? Malus messor es, qui ignores *neque in bona segete nullum esse spicum nequam*, *neque in mala non aliquod bonum*. Sed vellem aut probior esses, aut cautior. Barthius quicquid Gratio contulit, excludis. Beneficium indicas ab illo datum, sed spernis. Multa autem vel sic illi debes. Viam fecit è salebrosa planiorem: tu scabram denuo conviciis reddidisti. Immo inquis: *Barthius Grammatica tantum attulit: ego mentem quam verba pensi magis habui.* Recte & bene.

Nam tu Poëta es prorsus ad eam rem unicus.

Inscitiam sic tegis, & illi omnes, qui paria tecum faciunt. Scriptum respice. Poëta est: Grammaticis, antiquo non tuo sensu, tractandus. Venatio tibi curae est? in alios te campos, montesque diffunde. Hîc Minerva est, Diana alibi. quid enim de horum Numinum concordia jactas? Tune & complices tui?

—— —— vix ponere Lucum
Artifices.

Sed & verba attendisti, *ubi intellectum morarentur*. Ubique id evenit: nec quicquam tam clarum, cui non lucis aliquid praeferant istae faces. Haeret in sensu, qui verba non capit. Et hic Barthius tibi nebulam discussit. Sed gratiam tuam!

Art

* *Male cedunt mala facta.*

Ἀντ' εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα τῖσαν Ἀχαιοί. *

Male ais *ab interprete habita.* quid hoc sit, vin' dicam? ultra captum tuum & erudite explicata. Tu vero nihil ἄνδι κυνῶν καὶ λίνων. † Sed rem à capite arcessis ad calcem.

„ *Haec in antecessum monenda putavi, ut quoties illius explicationes aut emendatio-*
„ *nes ad examen vocandae essent toties ingenium hominis designare necesse non haberem.*

Promulsis haec tua fuit. Nos saturi jam sumus ex illis

Ὄψατε οἷα ἔδουσι Διοτρεφέες βασιλῆες. **

Sed persequenda hilaritas: ipsum Jovis cerebrum sequetur. De ingenio autem ais? ista jam nube solem nostrum adspergis?

Heu heu nos miseros! quam totus homuncio nil est.

Immo & de emendationibus. Nunc vero periimus. parce parce sic nos initiare: Jam ecce de convivio tuo conjunctis capitibus marcemus. Sed serio. in antecessum haec? at consumpta jam omnis amarulentia.

Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα, μηδὲ βοητὺς
Ἔστω. ††

Interpellas tamen & morositatem querela extendis.

„ *Ejus libri jam Scholas nostras invaserunt & Tyronibus commendantur. Ideo quo-*
„ *que scilicet monui, ne cirratorum centum dictata pro nihilo pendisse à Magistris no-*
„ *stris arguar, quorum illa socordia effectum, ut ad Academias promoti latine loqui*
„ *plerique erubescamus, & inde in forum praecipitati citius barbare, quam vernacu-*
lam sciamus.

Jecur tuum, aut censuram potius. Fateris autem? Barthium nunc Belgae audiunt? illum, qui apud eos Nomen perdiderat? Silendum tibi id fuit, & unde nos essemus sciscitati?

—— —— *Delphis Oracula cessant*
Et Genus humanum damnat caligo futuri.

Applaudimus tamen illi famae, & tibi debemus Evangelia. Sed invidiam remove. non adeo in votis id habuit Barthius. Antiquo ingenio est. *Satis illi pauci lectores, satis nullus.* An & Tirones habet? tu indicas, & bene. His quoque scripsit, & utinam tibi! Ingenium sic tuum deprehendimus, quod jam ante nos alii. Amicus etiam tuus fecit, cujus apud nos literae. *Claudiano irritatus es.* hic ergo te petiit? *Puer ejus lectione diu attentus, vulgaria tantum & protrita ex eo didicit.*

Hinc illae lacrymae. —— ——

Publica sic agis, & supra vulgus. quis non laudet tam severum censorem? Sed Magistris vostratibus te excusas. Non ego, ô Viri, hunc extra culpam judico. Fi-

* *Pro meritis male tractarunt Agamemnona Graji.*
† *Nihil sine canibus & reti.*
** *Qualia purpurei comedunt obsonia Reges.*
†† *Nunc hilares coenemus & omnis clamor abesto.*

Fidem vestram traducit, & quicquid Juventutis bono agitis. En telum unum, quod vobis injicit: *socordes* nominat. Barbaries etiam, quam deplorat, an à vobis? Doleo hercle, & vestram & illius vicem. Vos ait hoc mali *efficere*. Mirum quod non *causari*. Sic enim paulo ante dixerat cruditus homo, qui Grammaticis bellum movet. Docete aliter, ne vestra cum infamia sic exorbitet. Sed alio quoque modo miserandus est. in forum praecipitatus utramque loquendi facultatem perdidit. ita praecoces illi saltus, & feris aemula audacia affligunt. Etiam nunc dubitem exclamare? *quid hic venator non cepit?* Sed parcam tibi deinceps vel doctorum nomine. Universim enim ad eos praefaris.

„*Illis vero, quorum ope & consilio in hisce usi sumus, & porro utemur, in ipso* „*hoc vestibulo grates ago, & ne laudes eorum, ut merentur, totas mihi paginas fa-* „*cerent, hoc quoque excusa. tum volo, quod nominando illos, omnia, quae dici po-* „*terant, maxima comprehenderim: nominabo autem ad ipsa, quibus suppetias tule-* „*runt, loca.*

Frugi verba, & è quibus de omni ingenio tuo velis judicari. quae tamen fides? conceptis verbis pejeras. Promissi te in singulis versibus poenituit, ne paginis dicam. Vapulant passim summi Viri, ne promissas à te laudes exspectent. Et has à te quis velit? Beneficium potius tibi debeat, quem haut nomines. turpi quadam nube obfuscantur merita, si ab obscuro & indigno clariorem lucem expetent. Sed omnia haec tandem deprecaris.

„*In quibus vero ab illis dissentio, quamvis raro & invitus fere fecerim, ea non ut* „*contraria suis, sed diversa saltim rogo habeant: aut si ne sic quidem sententiae di-* „*cendae locum mihi concedunt, sciant me opinione mea citius, quam obsequio deces-* „*surum.*

De re quid dicam? obloquuntur omnes apices, & palam jubent desperare. Adhuc tamen spes una perdenda est. Age, age hoc, quod polliceris, & vel hodie age. Poëtam audis non profanum

—— —— *si poenitet, haut nocet error.*

Et ecce hic via bonae candidaeque mentis. Praeimus: sequere & insiste. Postremum quoque votum tuum sic implebimus. In Notis, inquam, quas reddimus ecce ad tuas, *dicentem ferre, discenti favere, errantem docere non dedignabimur.*

MAT-

MATTHAEI LAGII DISPUNCTIO NOTARUM JANI VLITII AD GRATIUM.



Vel hic esset subsistere, ubi praefatio tua: quod satis possit videri semel conviciis occinere. Haec autem in unum ibi carmen coëgeras. Sed dum longius oculos mittimus, per reliquum etiam librum istos tuos lepores notamus. Sequimur obtorto collo, & dum in lautitiis esse caepimus, ab ovo ad mala perdurandum. Age infer missus tuos: nos oculis jam coenamus. De tristitia securus esto: nihil severi miscebimus. Conviviorum Lex est, ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempori alienum sit, quod dicimus. Observemus, *mi Vliti*, & incipiamus

—— *Implere veteris Bacchi, pinguisque ferinae.*
Tu Venator es, praedam appone.

Gratii Falisci] Poëtae tui patria, quam ipse indicat. Sed PHALISCI Barthius ex suo codice ediderat. Mutas tu, & quin liceret, si fores modestior? Addis autem: *ne Barthio tantum credamus.* Immo tibi, & cuivis alii, qui sani quippiam afferat. Momenta vero: Veteres *Faliscos* non *Phaliscos* scribi voluerunt. Ea gravitas tua, qui mera volebas capitalia adferre. Nescis aut negligis illud Graecum.

Ἀρχομένῳ δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές.*
Sed hoc bellissimum quod tam mature incipis

—— *Nobilium Scriptorum auditor & ultor*
Grammaticas ambire tribus & pulpita.

1. Laetas venantibus artes] Scaligerum suggillas, quod pro *laetas* aliam vocem substitui voluerit. Lepide autem rem agis: *quid ita magne Heros nunquid melius excogitari potest.* Probas itaque & firmas. Addis deinde admonitionem: Tum quidem tertio casu gaudet non sexto, ut τῷ ὄνοι, & Barthio visum. O oraculum, & utinam maturius consultum!

9. Cecidit] *Cessit*, ais *edidit Barthius*, *quod unde sit*, *non video.* Immo nihil vides, qui Animadversionum saltim frontem inspicere debueras hic tua & proba lectio. Mutatae vocis in textu culpa Typothetis luenda est. Sed cur tu quoque in Prolegomenis tuis non aliter allegas?

11. Altaque circum firmamenta dedit] Barthius maluit *circa*, quanquam illud quoque in suo codice invenerat. Verisimilis conjectura de librariorum mutatione, qui voces in eundem sonum cadentes ferre non potuerint. quod de industria fecisse veteres exemplis docte probat. Dicis tamen: *ablegat genuinum*, *ut nugis suis locum faceret.* Crede autem:

Haec sunt non nugae, non enim mortualia.
Quod ex Tacito adfers, minoris certe hic pretii. Virgilius locum potius invenisset. Is lib. 1. Aeneid.

—— *Arida circum*
Nutrimenta dedit.
Hunc imitatum esse à Gratio, & dignitas, & par sonus docere te potuerunt.

16. Adscivere T. C. S. nomine.] Geminum Barthii crimen: *Numine inquis* edidit. apposite, si vel sic quidem locus sanus. Liber autem vetus aliter non habuit. Pergis insuper: *tum interpretatur* adscivere *i. e. festa fecerunt. Discat à Festo:* adsciscere est adjungere vel adsumere. Pueri sciunt etiam. *qui nondum aere lavantur.* quid autem Barthii mentem tibi explicem? malevole dissimulas, si quidem & caetera legisti.

19. Maenaliusque puer.] Pan est, optime tibi ex Callimacho demonstratus. Barthius de Baccho conjecerat, sed cognominis ratio dubitare impulit. Pana intelligi juxta suspicatus est. De Somniis tace. Ubique tu fere Sabinus es.

22. Non sine carmine nisus.] Ita tu ex libris tuis propinas, sensu tamen integro Barthius scrip-

* *Initio operis decet illustrem faciem esse.*

fcripferat: *contra mille feras, & non fine crimine lufus.* Hoc etiam probum, & nefcio an magis videtur genuinum. Sanctioribus Philofophis diu nefas erat, quocunque fanguine cruentari. Lufus ejufmodi non fine crimine in veterum Theatris ufurpatos diffuadet Prudentius lib. II. in Symmachum.

Nulla cruentatis homicidia laudat in armis.

Vetus autem editio praeivit: *non fine carminis ufus.* Placuit hinc illi, quod pronum erat *ufu* fcribere. *Defendere* autem, quo fic referatur à Grammatico difcere poteras. Ufitato enim fcriptoribus more, fe ipfum fuftinet.

23. ARMA DABO VENANDI.] Hic agnofcimus Hygeam tuam. Inoffenfa nunc ferie legitur,

Carmine & arma dabo venandi & perfequar artem
Armorum, caffefque plagarumque ordiar aftus.

Sed *interpreti* novum vulnus infligis, aifque, *fruftra eum laborare in loco hoc explicando, & immerito Turnebum fuggillare, quafi ille interpolaverit.* Utrumque pari fide. Reliquit Barthius:

Armorum caffes, plagiique exordiar aftus.

Latine fatis & probe. Inverfio fola obfcuritatem adfert, aliis quoque Scriptoribus minime formidata. Audacter tamen tu. *Hoc*, inquam *Latinum non eft. Barthius, qui ut caffium arma accepit, fibi ifta cum plagio fuo habeat, ut mihi veram lectionem non invideat.* Immo gratulamur, & fi tuus patitur livor, nobis quoque in partem vindicamus. quae autem, *Turnebi* obtrectatio? Lectionem ejus hic non admifit: caetera ubique aeftimat. Vere tu Barthium fuggillas, atque adeo omnes quibus idem facis.

28. MEDIO CASSEM QUI NASCITUR ORBE.] Satis hic copiofus es: parcis tamen Barthio. Mirum fi ita dimiferis. in calce vapulat. *Ut octiduum fuum laborem prodat, nec Xenophontem, nec ejus quidem interpretes vidit.* Immo plus vicies ad partes ipfum Autorem vocavit. En fidem tuam! fed commode hic de octiduo labore moves. Alibi quoque, puto, dixeras. Scito autem. Jam ante venatus erat, & artis experimenta fecerat. Tu Gratium mediis in fylvis ad examen vocâfti. lentiores inde progreffus tui. Sed qui nefcis, aut fpernis Grammatica, noftine quid *fcribere* fit, & quid *defcribere*.

44. IPSE IN MATERIA.] *In omnibus*, inquis, *editionibus fic legitur. Pythoeus τὸ in omifit, nifi error typorum eft.* Immo Barthius in fua reperit, *ipfa materia.* Emendat tamen ad guftum tuum quod tibi fatis non eft, nifi aliquid de dulci tuo mifceas. *conftat hinc, nullam illi editionem, quam Pythoeanam vifam unquam fuiffe, quantumvis ex illa* (altera) *omnibus invifa adducit*, Ipfus materia. Tibi Tuifque invifa, quos urit. Nos quibus oculi non dolent, etiam nunc infpicimus. *Damnatus* quoque à codice eft, & adhuc tuae lectioni negat cedere. quid opus addere? *Sic edidit, ut fupra* certus *pro* rectus, & ceffit *pro* cecidit, rigidi cuftos Al. horti. Nos unum etiam omifimus à te vindicare. & quis velit effe lynceus, in negotio tam obfcuro?

45. EXTERRUIT.] *Pro exterret*, inquis: qnod Grammaticus te docuit. Plura ex Gratio exempla adfers. Silvam idem ex aliis dederat. Contra omnem tamen fidem & malevole infis: *Malo haec tentavit Barthius, & femper in eundem lapidem impingit.*

48. GRAVIS EST TUTELA SED ILLIS.] Idem Barthii fenfus, qui tuus. Abire tamen ab illo mavis, & controverfiam facis de vocula, quam pertendis copulativam. Explicas deinde confilium tuum. *Grammaticum hic & aliquoties age, quia mifer interpres etiam hanc fuam artem non fatis callet.* Maefonicae tuae facetiae. Nos bilem fubftringimus. *Tu vero folus Rex, folus Rhetor: fi femper ad hunc characterem conveneris, cavebo te pofthac attingere, Cleophate.*

53. INTER OPUS.] Barthium producis iterum. lufum jocumque tuum. Verba maxime explicantis. *Si fubitus torrens vallem illabatur, dum retia extenfa funt.* Tum pergis: *ex codice fibi fuo legit*: feu preffo flumina vallo. *An Gratius tam praepropere ad venationem tam inermis adhuc ruat! Immo in linificio totus eft, & cannabis recens evulfae expanfionem intelligit, quae lucubrationibus decorticata purgatur, ut videmus apud Plinium.* In meris adhuc praeludiis Poëta? Cur ergo de opere monet? linum vero nunc effe praeparandum? Tam abfurdum hoc, quam fi nunc edolandus fit aliquis Vlitius. is extemplo unam operam Gratio pariter, & in Barthium malevolis commodet. quo demum faciunt haec jam praemiffa?

Prima jubent tenui nafcentem jungere filo
Limbum, & quadruplici tormento adftringere limbos.

Nec hoc video, quid abfurdi fit, fi *vallo* legas. Alibi ergo morde: *nihil hic pranfum ac paratum eft.* Marce.

53. CAUSSAEQUE MALUM FECERE PALUDES.] *Scopulus*, ut ais, *Eruditorum omnium, qui Gratio manum adhibuerunt.* Volebat praetervehi Barthius, & tutum magis putabat *claufae* fcribere. Ante illum quoque Turnebus hoc modo *craffaeque madefecère paludes.* Et placere poffit vox illa media, fi à caeteris quoque & aliquo codice viderem approbari. Tu mordicus vulgatam retines. quid fi legas: *Cauffamque mali fecère paludes.* Alii

hi deliberent. Tuum certe hactenus mihi non approbas.

56. CALIGINEO FUMO.] *Ut citas ſuceſcant u vida retia*, Barthius. Inſurgis tu & jam non ſine bile: *Ege jam dixi cannabem ita decorticatam ſolere famigari.* Et nos aliquid: *abſarde te plurima.* Videmus, videbimus.

60. INAIBERIT.] Quod de Poëta tuo mox ais, ipſe facis. Medicum agis: ſed nimis crudelem. Uris, ſecas, ſed manus & medela in Barthio. Fruſtra enim ſuppetias huic loco ferre voluiſti. Irreparabile damnum ille agnoverat: tu ſarcis confidenter, & *novis contarbas vulnera plagis.* Nam quae in rationem adducis, tanti non ſunt, *quibus audaciam à te mutati textûs approbes.*

63. ILLI AGGERIBUS.] *Manifeſtum eſt*, inquit, Barthius, *ſermocinari Gratium de iis Heroibus, qui ab apris, & aliis feris armatis perempti, dum ſola virtute, non & dolo eas aggrederentur.* Et dabis hoc illi, niſi mentem in prioribus velis mutare. Hoc enim Poëta innuit, ſi quidem ſtolidam primorum hominum ferociam in venatione culpavit. Gigantomachiam ſi inſectatur, feritas illa, quam initio perſtringit, ad cruentas Mortalium ſimultates referenda. Videtur enim univerſim perſequi ſolennem Poëtarum querelam, de audacibus Hominum animis, mutua nondum humanitate perdomitis. Verba praeferunt

——— *prius omnis in armis*
Spes fuit, & nuda ſylvas virtute movebant
Inconſulti homines.

Hos indicat jam laevigatos, & artibus paulatim ceſſiſſe, quibus venationem quoque ſuam adnumerat. Sed non audis haec, jam triumphans ex alto, & in hoſtem tuum ſubjugum joculari convitio ludis: *Lamias tarres hic nobis erigit Barthius, & ſtrenue, ſi uſquam nugatur.* Nos ante pedes tuos humili ſuſpirio reponimus:

——— *Libertas pauperis haec eſt*
Pulſatas rogat, & pugnis concisſus adorat.

Tu vero immaniter & cyclopice pergis: *tum juvat legendum: illi aggeribus lethare ſuperbis.* Non amplius. Ego aliud conceptiſſimis verbis. Ita Me dius Fidius, ut tu nihil habes bonae ſanaeve mentis. Omitto itaque, quod inſanus addis.

63. MATRES DEORUM.] *Omnia hic et: idem, ſacerdos, praetor, parochus, idem ſenatus, denique populi caput.* Barthius turbata omnia invenerat. Ductus tandem literarum, & conjectura aliquid ſenſus elicuerunt. Viſum illi ſcribere:

Tres ferae amatores auſi tractare Deorum.

Dubitat tamen, quì illi numero denotentur. Propter Te aliquando hic Diana & Minerva ſtetit. Nam reponis:

——— *Matres auſi tractare Deorum.*

Et feras intelligis Deorum nutrices. De Gigantibus ſi omnino pertendis agi, amplectat Grotianam conjecturam:

——— *Illi aggeribus tentare ſuperbis*
Aethera, Matronaſque auſi tractare Deorum.

Feliciter & proxime ad hunc ſenſum. Monſtroſae enim finguntur molis oppugnatores illi Deorum, & quibus ſuperna omnia in proclivi fuerint. Tales Lucretius deſcribit. Lib. V.

Trans maria alta pedum niſus qui ponere poſſent;
Et manibus totum circum ſe vertere coelum.

Merces hic damnum eſt, aut poena. Barthius vidit; ſic ais. Immo alia complura, in quibus tu forte caligaſſes. quod tamen commodiorem illi è Virgilio locum demonſtrâſti, grati agnoſcimus. *Ad ſummam mox ſcies, cui dederis beneficium.*

74. GRATIA.] Dubito an ad nomen ſuum alluſerit. Aurea Poëtarum aetas, in qua hunc quoque merito ſuo ponimus, ſedulo id cavit. Sequioribus deinde ſeculis libuit eas argutias conſectari. Claudiani adhuc aevum ea labe expers fuit. *Honorii* aliorumque ſplendida nomina nuſquam alludit. Multo minus hic ipſe *gratiam* ſibi ex nominis ſorte quaerere voluerit. Adeoque Lectionis etiam tuae fundamentum ruit, aut ſi tueris, tolerabile non minus eſt *ſe ſpondet*, quod ex veteri editione Barthius maluit. Tandem ut lubet: tuus jam Gratius.

77. VELLERA CYGNI.] Mirum argutaris: *Vellera*, inquis, *nivis ab illis, quod congeſſit Barthius, non propter mollitiem aut colorem ſed à ſimilitudine dicta.* Haec certe aliquo ſenſu capienda eſt. Jam ſi nec mollitie nec colore deprehenderis, qui ſenſus judicabunt eam ſimilitudinem? Immo addis: *à vellendo vellus eſt*, & hoc nomine pares illi nives, ut *decerptae vulture plumae.* Rarae in Germania hae aves. frequentes tamen iis plumis hyemes, & horna maxime fuit. Niſi falleres, vel heſterna nocte cum univerſa domo ad te evolâſſem. Niveae enim alae nobis creverant.

86. LINEAQUE] Sic olim lectum fuiſſe in Veteribus libris *Pythoeus* obſervavit. Retinere itaque Barthio viſum & laudare Autorem. Tu tamen metuis, ne quid illi hic locus debeat, aiſque, *Pythoeum annotâſſe dudum.* Ita Virorum doctorum inſiſtere veſtigiis tibi nefas aut ſcelus? In his maxime, ubi argumentis opus & fide? Formidinem intelligi, non retia facile tibi dederim: ſi illa ſpecto, quae de candore illo noxio praemiſit. Dubito autem, ſi ſequentia. Inſidias enim validas feris ſirui monet impetu & robore pollentibus, quae praecipites facile in-

volvant, retineantque.

86. Exstructis ancoriaus.] In antecessum quaedam arrodis, saevisque in inanem umbram. Graeci te belle irrident:

Αἲξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώμασι παίζει.*

86. Exstructis.] *Extritis* legit Barthius, quicquid tu de hamis blateres. Codex habuit, & ecce habet. Sensu te tueris: qui Oedipum autorem habet, non Davum.

89. Nam fuit.] *Barthius*, inquit, *haec negat cohaerere, & mutila esse pronunciat.* Vetus & vana criminatio, nec sane verbulo refellenda.

89. Curracibus.] Turnebum Barthius laudat alibi, & hic quoque. Opinionem ejus de hac voce adfert. à qua cum diversus sit, addit: *sic eum statuere non inepte.* quis verba omnia ad trutinam examinet? Tu tamen, ut soles bellus esse homulus, avide arripis, & facete explicas. *Non inepte sane*, inquit Barthius, *sed ut ipse nullam sine ineptia aliqua notam absolvere pergat, curracibus pro celeribus feris exponit.* Barbato tu rostro commentaris, & unumquodque verbum staterà aurana ponderas Etiam autem Barthii sensum assequeris. Planus est, & pluma vix abit à consueto. In *curracibus* enim feris laqueis usum esse intelligit. adeoque & illi *laquei sequaces* facile locum inveniunt. Mutuiter sic aliquid collatum. Ignosce jam & *Bargaeo*. Non plane facit cum Barthio, & quid te simile nomen offendat?

90 Cervino.] In veteri Editione nihil sani invenit Barthius altera tamen suppetias tulit. sola vox *habitu* suspecta mansit. Tu tamen insana arrogantia pronuncias: *non aliter hoc intelligendum, quicquid è codice suo minetur loco sanissimo Barthius.*

94. Imprudens.] Timet Gratius, ne Fera laqueis implicita vi elabatur. & in aliorum ignavas manus deveniat, & sic habeat

——— *imprudens alieni lucra laboris.*

Nec alia Barthii mens est. quam tu tamen non vides caecus hercle magis, quam lusciosus. Audes etiam confidenter judicare: *Nihil hic recti percepit Barthius, idque ut caute dissimulet, qui sua non potuit, aliena agit, & Catonis Dionysii distichon:*

Cum dubia incertis versetur vita periclis,
In lucro tibi pone diem, quicunque laboras.

A Scaligero vindicat, ut nugis suis offunderet. Ita calumniare audacter: semper aliquid haeret. Quanti Scaligerum faciat Barthius, tu ignoras, qui neutrum potes aestimare. Et quid objicis? sua non potuit agere? Scimus, quid tibi hoc rei sit. Nugis undique accersitis chartas implere. Eo tu sensu nihil alienum adducis. Tandem quid carpis? *quocunque labor stat.* propius certe ad sensum, ductumque Scripturae prisc[ae]. Audacius illustris Scaliger: *quicunque sequetur.* Tu vero novus Democritus utrumque irrides, & exclamas: λῆρος λῆρος. *Est enim plane illud Horatii: quem sors dierumcunque dabit, lucro appone.* O inventa nova & mira! quis non tua omnia

Dictitet Albano Musas in monte locutas?

100. Stat.] *Scit* rescripsit contra omnem loci rationem Turnebus. Hoc Barthius indicat. Tu, ut censoria tua virgula nuspiam esset, iterum aliquid de obtrectatione. Dixi, & an repeto? Turnebum Barthius aestimat. omnes paginae testes, quae plenae ejus laudum. Sed oggannis: *Non recte quidem* scit *conjiciebat magnus Turnebus, sed quae illa inscitia sit, ob quam à Barthio traducatur, nondum video. Inscitissimam* hoc loci eam vocem esse, Barthius judicaverat. Tu ne verba quidem intellêxti, & *ignorantiam* in Turnebum transfers, cujus nulla hic nota. Inscite sic multa & minus belle, utinam inscius. Sed sciens, volensque crimen tuum cumulas. Longa enim serie extendis virulentiam illam, & turbulentos omnes affectus uno impetu misces: *Adeo isto impune credidit, tantis viris insultare, qui ignosci sibi rogaverat in praefatione, si non semper alba linea iverit, ut stimulum additum ad perfectiores curas habeat, quas huic Poëtae vovisse dicit. Quod si scirem, tali illum nunc stimulo exciperem, ut porro manum à Gratio contineret.* Sic tua agis, & quae ad Gratium Aeacidinae autem comminationes. Sed de illusione praemittis. Tu ergo ultor ille, cujus imperio Nemesis paret? Exige à Barthio vindictam: ut vel poena tanti facinoris atrocitatem diluat. Impune vero credidit? Immo scivit malum virum etiam à mure intutum esse. Per te experimentum claruit. Cessabunt jam nefas & scelus, ex quo supercilium tu sustulisti. Sed quia explevisti jam animum, tandem in gratiam cum Barthio redi. Immo durissime interminaris: *tali illum stimulo excepturum, ut porro manum à Gratio contineat.* Ecce continet: & quis non à fulmine tam vicino. Si omnia sic cedent sub tuam unius Dictaturam, brevi

——— *tibi Numine ab omni*
Cedetur, jurisque tui Natura relinquet,
Quis Deus esse velis.

Sed hactenus supra canum humiles casas audacia tua non ascendit. De iis quod ipse mox ais, mirum arridet: *Certum est latrantes canes*

nr-

* *Nondum enixa capra & jam ludit in aedibus hoedus.*

minus metuendes, & timidieres esse, quam qui taciti irruunt. Bene admones. Jam enim fronti tuae volebamus inscribere. CAVE. CAVE. CANEM. Addis etiam opportuno sane loco: *Sed ne & mihi venia desit, parcam etiam isti, ut mihi parci volo.*

100. MOENALUS AUCTOR.] Montis nomen cum viro confunditur. Simili Poëtarum elegantia *Atlas* nunc immensam terrae eminentis molem notat, nunc Heroëm, cui coelum superique omnes incumbant. Tibi in oculis totoque ingenio fuerunt *nebulae fumique velantes.* Obscure itaque indignaris. nec satis liquet, quid carpas. *Nescio*, inquis, *quid montem cum viro confundi somniet Barthius.* Conjectura vero non displicet:

——— *quem Maenalus Autorem,*

Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae.

105. PRIMIS IN ANNIS.] Haec Barthius non intellexit, infra Vlitius ostendet. Nos expectamus.

108. ILLE ETIAM] Sic tu, sic vulgares libri habent. Barthius non sprevit: alter autem librorum praeivit.

Ille autem valido primus venabula dente
Induit.

Nihil contra Gratii mentem aut sensum. Ante *Dorylon* venabula fuisse quis dubitet? Et solenne tamen Poëtis, non uni adscribere ejusdem inventi gloriam. Etiam rudiori illo aevo ferri usus haut notus fuisse dicitur. Agebantur deinde multa hostiliter

——— *Stipitibus duris sudibusque praeustis.*

Testes Poëtae omnes, qui de ferreo seculo conqueruntur. Hoc enim metallum ex primis, & melioribus illis aetatibus exterminant. Eo forte consilio ipse *Gratius* initio sui Cynegetici audaciam culpat primorum hominum, solo corporis robore stolide ferocium. Non itaque ut tu ais, *varia illa Barthii lectio à mala manu est.*

110. SUBIERE.] Diserte lucideque noster Hypercriticus: *quis nescit hastilia per fistulam cuspidis usque ad alas vel geminas furcas, quae in medio sunt, subire?* Recte nec tu nec quisquam nostrûm. Sed ille codex, qui conviciis tuis jampridem lacer est, aliud tamen docuit. Legi suasit:

——— *Tum stricta veruti*

Dentibus, in geminas subière hastilia furcas.

Subière hic idem est, quod *mutata sunt.* Exemplis se demonstrare ait Barthius ad Claudianum: Applaudis tu, & de Scholis iterum sollicitaris: *Euge Barthi, qui talia cirratorum centum dictata Scholis nostris approbasti.* Alibi tu à Nobis Epinicion exspecta, nunc quae hujus loci sunt cape. Jam ante miratus sum, quid tibi cum Scholis negotii foret. Tua age, aut si per ingenium non potes, modestius tamen aliena cures. & quid huc Barthius? illum juventus vestra si publice legit, auditque, an tu offendare? Aliis id negotii datum est, ut videant, quid scholis expetat. Jus illis & libertas mutandi, quae temere fiant, & praeter usum. Tu sine bile & amarulentia toleres, aut, quod minus ferre possis, citra invidiam dissuadeas. Audimus enim & tibi in Republica locum esse. quis suffragium tibi neget in re justa & applausu digna? Talem proba caussam tuam, & publice defer: Non Barthius, non quisquam alius aegre feret, si quid secus eviceris. Sed quid nisi livor te stimulat, & inconsultus furor? Ita de scammate pro lubitu abis, & cum visum, ad convicia excurris. Immo eâdem viâ ad propositum reverteris, injicisque, *sequenti versu ejusdem generis notam esse.* Probam certe judicamus, & tuis omnibus meliorem, quoniam à bona & sanâ mente. Tu tamen damnas & explodis omnia, Barthiumque hic tanquam valedicens compellas: *In Saturnalia haec, quia sine risu legi nequeunt, differemus, & omisso te abhinc jam toti Gratio incumbemus.* Solvere audacter in Cachinnos: nos tamen Sardonios speramus. Sed BONUM FACTUM, quod jam inducias pacisceris!

121. SALUBRES] Hem faedus tuum! post unum alterumque versum ad tuam mentem redis. Ais autem: *Hujus locutionis aliquet exempla ex mellitissimis Plinii mei Epistolis dabo, quia ea quae attulit Grammaticus, hoc loco aliena sunt.* Hoc est omittere Barthium. Sed quid ais? aliena attulit? Capimus hoc: quia non de trivio ut tua. uterque videatur.

129. UMBROSAE VENERIS PER LITTORA MYRTUS.] Ad Venerem transtulit *τὸ umbrosae* Barthius, sic praecedentia, sic structura suaserunt. Ait enim Gratius.

Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri.

Cornus, & umbrosae Veneris per littora myrtus.

Quis non videt planum hoc & perspicuum esse? Tu tamen cum supercilio illum corrigis: *Non Venus hic, ut somniat umbraticus Commentator, sed myrtus umbrosa dicitur.* ad *Archaismum* deinde confugis, ut sic te extrices. Tu vero *in aulanate*, quin exemplo probas? Apud unicum Catullum conjectura est olim lectum fuisse:

Quales Eurotae progignunt flumina Myrtus.

Gratio facilitas, & sententiae extra ambiguitatem se insequentes placuerunt. quid itaque de unitatis numero ad pluralem transiliret? Ignosce hoc Grammaticum: tu enim praeiveras.

131. LUTOSER *] Locum hunc sine medela

Barthius relinquit. Casaubonus idem fecit super illo ab eodem consultus. Literae adhuc in nostra manu. Tu quoque & caeteri, quos adducis frustra manum admovetis Tricas Tellenas citius quis expediverit, ni vetustus aliquis codex subveniat. Satis autem tumidum, quo solo tamen inter homines te numeras: *hic unus à me sine medela relictus est locus, quia nihil certi habeo; quod dicam.*

135. PROCERUS AD AERA TERMES EXIIT.] Quis non potius *in* legat, cum aër undique affusus sit, aut *ad aethera?* Hunc enim paulatim ascendere quasi dicuntur, quae sursum tendunt. Quandoque tamen illa confundi *Servius* notat. Tu vero ne Megaricus tibi risus pereat, etiam Saturnalia praevertis, & alios quoque ad eam hilaritatem invitas. *Ut rideas*, inquis, *Lector, en tibi catum commentum bardi interpretis.* Nos, *blitee Vliti*, labra mordemus, donec illud

——— *Festum rediens adduxerit annus.*

142. GEMMANTES.] Extrusit, quod in altero libro invenerat *gummantes* Barthius Tu quoque Genuinum non agnoscis. Ut tamen sit, quod arrodas, producis. Miraris autem *homini tantae lectionis visam hanc vocem insolitatam.* Eo certe sensu, quo tu affers. *Gummatae* enim arbores *Palladio* saepius dicuntur, quae materiam illam pinguem ubertim protrudunt. *Gummare* autem absoluta significatione hactenus non reperi, nec puto reperiendum.

167. MEDIA VENABITUR AULA.] Brevitet & sine ambitu Barthius: *In nido: sic aulae apum pro alvearibus dixit Virgilius.* Satis ad hunc locum: quanquam insolens videtur eo nomine canum stabula appellari. Quod ex *Servio* in contrarium tu affers: *Graeces aulas vocare animalium receptacula*, spernendum non videtur. Sed Festus aliique ab illo discedunt. *Aulas* autem *apum* cur à solo rege putes dici? Purpurati etiam, & ministrans turba splendorque circumfusus partem faciunt. Tua hoc scire interest.

179. AD MAGNUM.] Integer sic quidem sensus, lectioque plurimis codicibus, & tibi afferta. Barthius tamen *at* scribere maluit, pariter à libro immo & concinnitate persuasus. Nihil illum *varians numerus* fefellit, ut conjicis, qui Gratio utique familiaris. Ipsa res potuit adducere: plana enim haec:

Si non ad speciem mentiturosque decores
Protinus; (haec una est Catulis jactura Britannis)
At magnum cum venit opus, promendaque virtus
Et vocat extremo praeceps certamine Mavors,
Non tunc egregios tantum admirere Molossos.

Sane pro Gratio non est, quod tu illi tamen instar glossematis obtrudis: *Cum opus venit ad magnum.* Abstine etiam sis aliquando ab iis tuis solennibus formulis: *Barthius ex sua sibi editione repingit, ideoque jubet illam sibi suppeditare* &c. Trita illa tibi jam sunt, & nobis ad satiem audita

Voluptates commendat rarior usus.

203. VERTRAHAM.] Ex Latio hanc vocem non esse, quivis videat. Barthius omnem operam ludi judicavit, si quis velit eo deducere. Turnebus à feris trahendis natum putat. Obiter hunc noster, & quod praefatur ludicre secutus, à ventis trahandis *Ventranam* scribi posse suspicatur. Tua autem nonne magis ridicula? *Vertragus à veerdich, veltraga quasi veldjager. Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.*

211. AD VESTRUM.] Conjectura hunc locum planiorem reddere Barthius tentavit. Scribere placuit

Ad vestrum non vile genus &c.

Tu approbas, sed interpretatio te offendit. Diserte vero hoc Gratii verba volunt, nec Spartanos nec Cretenses cum Metagontibus conferendos. Alius deinde sensus est, si tua emendatio locum invenire meretur *nunc patria vulgo Sparta.* Sed videtur negativa omnino servanda. Nec ignoramus tamen illorum canum celebritatem.

215. HASTILIDES.] Sic Barthius legit. Tu *Thespiades.* Ille conjectura nititur: tu quid certi adstruis? Et tanti non est rustici hujus gentile nomen. Sit potius Terrae filius.

219. VASA TENENTIA LONGE.] Venatoriam supellectilem intelligit usu receptam. Barthius alium sensum ceperat de feris è longinquo jaculandis. Sic Ovidius l. 1. de Arte:

A cane non magno saepe tenetur aper.

Nihil sane extra oleas. Reliqua tamen verba tuae menti magis accedunt, quid vetat aliquando tibi palmam tradere?

225. EGRESSU.] Barthii mentem advocas: *ferae*, inquis, *videlicet è latibulis.* Tum judicas & corrigis: *quae arguunt quam parum in hisce intellexerit, quae aliis interpretari voluit.* Sed tuus ille divinus sensus quid hariolatur? *Egressum vestigiorum, puta à loco illo in quo turbata erant ad cubile procedentium.* Nae tu haut obesae naris es. Simplicior esse voluit *Gratius*: vestigia enim *sine fraude* ait sequenda. Ipsius sunt verba: & reliqui versus planâ mente capi volunt.

226. INCUBUIT SPATIIS.] Perinde est, ut distinguas: sensus idem manet, planior si nihil mutetur. *Gronovio* tamen aliquid cedemus, amico Barthii, & literato viro. Sed eho! quid tu? inaudita mera. *Egregie haec observavit* (damus hoc) *& ab interpretis audacia vindicavit!* Di

Di meliora! Tibi non credimus: subfleſtae es fidei.

228. OFFENDERET.] Nec hic arguitis locus eſt. remoram intelligit ex obſtante ſibi impetu. Quae Barthius attulit eruditae ſunt obſervationis. quae quia non ad guſtum, averſaris. Nihil ille *offendit* aut *conſpurcat*: placet Gronovii conjectura: *Offanderet*. apprime facit ad nimiam illam feſtinationem.

235. DOMUS FERARUM.] Geminum Germanum Lucretii locum allegat Barthius:

Ejectique domo fugiebant ſaxea tecta
Spumigeri Suis adventu, validique Leonis.

Negat Cenſor *huc facere*, & Lucretium jubet vel *oculo jaculo* inſpici. Feci hoc, immo immoratus ſum: nec adducor ut credam.

244. AD PROXIMA * SISER.] O portentum matura religione expiandum! Tu tamen emendationem praefers: te hercle dignam. *Proſſa forte coaluerat in proſpa. virgula addita hoc abiit in proſpera; illud fit proſſima ſive proxima. Siſer adjecta litera, & trajectis mutuo ſyllabis fit verſis*, quis animo unquam concepit ſimile monſtrum? Enimvero ſi hoc integrum eſt, puer aliquis audacule ſyllabas trajiciat: modo vox oriatur Latino coelo non ignota: emendaſſe videbitur. De ſenſu non dicam: tolerari poteſt. Sed ubi pes aut caput antiquae ſcriptionis? quis fando audivit, ſic inveſtigandas Lectiones? leporem hac via quaere, non genuinas voces. Videris tamen bellus tibi Saperda, & velut Coprearum aliquem Barthium irrides. *Ne nihil*, inquis, *ſcivisse ingenue fateretur, inſcitiam ſuam ineptia cumulavit. Dubium non eſſe, quin feliciter emendaverit*: ad proſpera ſciri. addis & divinae mentis tuae illuſtrem radium, *ſcilicet, ut non in cubile, ſed in ampliſſimum aliquod granarium inducat ferum*. Voces ab homine non ſano: *Nihil ſcivit hic Barthius*, non ſua culpa. quis certi aliquid afferat in re dubia? Conjectura defungendum fuit, & in ea quid inepti? Σιρὸς receptacula quaevis ſubterranea Graeci appellant: Varro caeterique à Barthio in ſubſidium vocati adſtipulantur. Denique ſi rem ſpectes, quidni optimo ſenſu ita legi poſſit? Immo inſis: *quid haec ad venationem? non magis quam cuncta Barthii commenta, aut canis ad praeſaepe*. Reſpondeo: quantum tua ad literaturam: Sed nonne haec omnia extra viam & ſcopum? Veteri verbo monendus es: *Scientia doceat, quemadmodum in Pſalterio tendamus nervias*.

255. SEU NORIT VOCES.] Genuinum hoc forte & nuſquam gentium à Barthio rejectum. Explicantem audi. *Acrimoniam & docilitatem in hoc genere conjungit*. Operarum culpa ſeparantur, quae unam ſententiam faciunt: *Male hoc loci V. Ed:* fauces. Improbare ſic vides, quae tibi diſplicent, minus explorata. Tolerari & illud poſſit: maxime cum tibi aliquando arriſerit. Praecedenti verſu planius forſan ſcripſeris:

——— *non alio major ſub pectore virtus.*

unius literae mutatione. De fide *libri Barthiani* alibi diximus. Nihil repeto.

259. VULPINA SPECIE.] Diſpeſci haec omnino à praecedenti verſu poſſunt, & forte debent. Senſus: *quamvis pene turpis hic canibus ſpecies ſit, &, ut pene nos pudeat fateri, quam deformes ſint, tamen exigere voluntatem ſuam nôrunt.* Invadis tu Gratii verba, & miſero ſpolio tua facis: *pudeat fateri, quam miſere haec à Barthio deformentur*. Tu ſane, ut & ipſe *Gratium* compilem, ſed ſileo. *Vulpinare* tamen *ſic, & conturſa qua lubet, errans.*

265. PECUS HOC IMMANE.] Oculatus homo es: ne in tenebris quidem palpitas. Barthii oculos nox obſederat, & quid mirum in re tam obſcura? Tu faculam de ingenio accendis, ridesque hunc tenebrionem. Acuto autem lumine immo aquilino rem diſpicis: *cur pecus immane dicit? quia*, inquis, *pudeat, quam informe fateri vulpina ſpecie*. Mentis, ô homo inſipis, qui id cauſae reddas. At nihil à *Gratii* mente abſurdius. Improcerum id genus canum innuit, an ergo mole immane? Saltem ipſum audi

Nam genus exiguum, & pudeat quam informe fateri.

Totum deinde Barthium Cimmeriis nubilis immergis: *ex inviſo illo codice caecam conjecturam fecit*. Mutante juventa. Ipſe ſic incipis caecutire, qui non vides omnino hic aliquid mutandum. Caeterum aliud forte ſubſtituendum. Credimus nunc Menippeum illud: *Multi qui limina integris intrarunt oculis, Strabones facti ſunt*. Itaque & lacunam haut facile videris, ſi quae forte ex Barthii mente interciderunt.

281. MAGNOS.] Vulgatam defendere Barthio viſum. Nec de trivio, quae pro ſententia adfert. Tibi errare toto coelo videtur, & hoc argute indicas: *Quae*, inquis, *Barthius adduxit, ut magnos multos aut vulgares interpretetur, neque coelum neque terras tangunt*. Sed ſubveni tam miſere ſuſpenſo. Immo nunc files Drance, ubi bella manus poſcunt. quanto ſincerior amicus tuus, aut Barthii? ille haut procul à ſcopo:

——— *Nec patitur Veneris ſub tempore mores*
Illa, neque immeritae ſervit faſtigia laudis.

Quid ſi *ſurgit*? Sed penes illum judicium eſto, ut hactenus palma. Nec enim conjecturis certior ſperanda eſt medela.

290. TENERIS ARTUSUS.] Iſta tu de fluidis & nutantibus membris explicas: à *Gratio* pariter & reipſa alienus. Utut enim hoc vitium aetate in-

ſo-

ſolidum coëat, ſuccumque promittat certae virtutis, nihil tamen hoc loci, quod in eum ſenſum inclinet. Teneros ſaepe catulos in generoſam molem excreſcere innuit: annon itaque & ab his robur exſpectandum. Places tamen tibi nimium in iſto acumine. Aemulationis ſimul à Barthio metuens amoliris illum, pugnasque pro aris tuis. *Haec ideo explicanda erant ne quis Barthio aſſentiatur, qui locum hunc, quem exponere tentat, ne inſpexiſſe videtur*, quid mirum, quando circa illum tenebrae? Tamen perrupit illas, lucemque hauſit

—— *oculorum lumine aperto.*

Tu vero negas, addiſque novi criminis momentum ingens: *Ipſa quoque verba male citaſſe: vix oſſibus haeret.* Ignoſce tu lector, quod ſupervacaneum addo: Calami lapſum fuiſſe. Ita noſter ille ſannio oblitus juris humani, atroci ſtilo errores omnes compungit.

297. IRE PLACET.] Ipſe luſcus ſim, ſi videam, quid mali in hac lectione. Melius enim ſibi reſponſet verborum ordo, ſi nihil mutes:

Ire placet, turbaque potens operitur inerti.

Ita magnificis alluſionibus generoſam indolem catuli adumbrat, volentem caeteris eminere. Tuum qua autoritate nititur? *Ira jacet*, nihil adſtruis. Tamen jocum captas, & belle tibi aptum invenis: *Nihil nobis rei eſt cum ſatellitibus à latere, quos Catulo, quaſi curiam adituro circumfundit interpres.* Altum hoc & ſublime. Nos tamen alibi quoque locum eſſe putabamus huic comitatui. Sed quid mirum, ſi

Navita de ventis de tauris narret arator?

313. MAREOTICA.] Vide, ô Lector, inſanum hominem, & pudoris modeſtiaeque omnis oblitum. Ego inquinare calamum meum timeo tam obſcoenis ſordibus. Tu ſaltem lege, & judica de malitioſo & petulante ingenio. quid reſpondeam? convicia ſunt, nec ore ſic quenquam hominum loqui puto. an itaque? ſed verecundius taceo.

325. TETENDIT] Purga te ſordidiſſime homo. Nec dum propius te alloqui ſuſtineo. Vere vere *longe aliter catuli olent, aliter ſues*

—— Ἀπό μοῦ φύγε, μή με μολύνῃς. *

337. FACILISQUE.] Hoc obtrudis, & ut tua omnia laudas. Barthium ſpernis & irrides. quid mirum? ſolens hoc agis. Scimus *malis hunc in lingua theſaurum eſſe ſitum:* quid oſtentas?

343. RUMPAT.] Nihil abſonum Senſus utroque modo ſibi conſtat: ſeu ſingulo malis numero, ſeu figura multitudinis capere.

353. VULNERIS ORA.] *Celſo* frequentiſſimum ſic loqui. Barthius neſcierit? Atqui cauſam reddit, cur V. Editionem praeferat, quae *ora* legit. mens eadem eſt: & tuum illud non longe ſequitur. Poſſit itaque improbari in Gratio, ſi bis tam brevi intervallo eadem vox recurrat.

355. VIROSAM ELUVIEM.] Recte judicas: Lotium intelligit, ut ais: honeſtius ego dixerim cum Lucretio *Saccatum corporis humorem.* Tamen ex iſto muſtaceo lauream cape.

362. PECUARIA.] Iterum cum *Interprete* tibi res eſt. Is autem innumeris exemplis Barthius. Sed eho quid novi criminis? *homini libero nato ſtigmata inurit, mutilum eſſe pronunciat.* O ſcelus, & quo ſupplicii genere luendum! Tamen editio illa vetus nefarium hoc ſcelus ſuaſit.

Ite hinc difficiles funebria ligna tabellae,

quae toties bellum movetis? Sed dic, ô Homo, an tu quoque inter liberos?

367. TOTIS.] Ejuraveram Barthiani codicis novam aſſertionem. Tu vero omnem pene religionem convitiis tuis labefactas. Nec impetrabis tamen ut aliquid addam. Lectorem, ut ubique, ita hic ad te ipſum remitto. Deſpuet linguam tam viperinam, qui vel rem, vel convicia inſpexerit.

379. VICTA.] Sic Barthius in caligine: lucem tu affundis è Cortina tua, & reſcribis *dicta*. O novum Oraculum!

389. AESTIVOS VIBRANT.] Rixarum deſine vitilitigator impudens. De vocula litem moves, imo ſyllaba Enclitica. Tolle potius inauſpicatum verbulum.

390. SEDEM SPERNIT AMARAM.] Quid hic temere mutaret Barthius? Rationem habes è Graecorum literatura. De Phaleris itaque nugari, quid opus? & his timere, ut emptorem inveniant? Nuda potius veritas placeat: quae nunquam voluit praeſtinari.

404 ADJUTANT] Sic Pithaeus. Barthius *adjurant*. Tu *adjutas*. ô facile omnibus praeferendum!

406. OFFECTUS] O pepo! *Offenſus* malebat Barthius, & ſic emendandum putabat. Dum tamen ſcripturiens manus properat, imprudenter vulgatam lectionem ſubſtituit. Et me potius culpandum, qui haec tam futilia moveam. Sed ingenium mihi tuum nunc inſtar cynoſurae.

415. ODORATO VIRO] Medicinam aegris canibus promiſit *Gratius*. Obſcure autem admodum unguen illud illud deſcribit, niſi mendum ſubeſt. quid enim hic odoratum virus? Tamen antiquitatis religio Barthium movit, ne temere quippiam mutaret. De ſulphure itaque explicat,

* *Fuge à me, ne me contamines.*

cat, acris in id mali efficaciae. Tu delirium appellas insano furore, aisque ipsam hic scabiem notari. Tum aliam quercum excutis, ut omnino ex tua mente Barthium deturbes, & ad bitumen illud virus transfers. Neutra via è regiis est. Postremam vocem suspectam habeo, donec aut res ipsa, aut plures omnino codices approbent.

417. MISCUIT] Structuram & ordinem dictionis vide. hiat, labatque. Nec palpo tamen Barthianam emendationem. *Misces id.* Unum, quod res est, non taceo: proniore sensu ita legi. Tu ad sacram tuam (saepius enim amplecteris) anchoram confugis. *Enallagen* dico, & hanc velut extremum auxilium depraedicas, inveherisque in Barthium ejus negligentem. Verba ecce tua! *Nam*, inquis, *quod inconveniens hoc & Gratiana elegantia indignum esse censeat Barthius, ferri non potest ab iniquo censore, qui frequentem hanc temporis mutationem sive enallagen nusquam in tote Gratio observavit, eaque incuria hic ignorantiam quoque suam prostituit.* O miserum illum & vicinum naufragio! Tamen enatavit sine tuis illis tabulis. At alibi ea forte vel non visa vel omissa: nihil hic admittimus.

421. SIC MAGIS.] Sales hic iterum ex isto mari tuo hausti: *Barthius haec mirifice distinguit.* In tuis sane oculis, qui meris monstris insueverunt. Sed quid tamen miri? *Dic magis ut nudis incumbant vallibus, aestus Adventu.* Ride ô homo: lepida occasio est. Immo agis mimum, suaviterque ludis *Gratii* secutus vestigia

Dic magis ut magis incumbat Barthius ergo.

Apium huc aut lauream! corona enim isti poëtastro plectenda est. Hem ingenium tuum amoenum!

437. TE PRIMUM] Vulcanus invocatur. An à poëta ipso, an à pastoribus? Prius tibi placet: cedimus. De voce *primam* controversiam facis, negasque idem esse, quod *principem*. Nec *Maro* id tibi, nec *Servius* persuadent. Tamen rationem apud Barthium habes redditam ex *Aurelio Victore*. Sed nihil hodie credis. Carpis deinde Scholasticum (sic appellas) quod in *Servio* aliquid desideraverit. Immo concinnatorum ineptias perstringit, qui interpolare hinc inde ausi magnum illum Magistrum. Longa deinde virulentia ejusdem criminis accusas, quod *invisum, inauditum à Schola exulem proscribat scholasticus, quem, si vel tria grammata bene intellexisset, nec haec ad Gratium, nec ex illis Gratii haec exponere fategisse.* Ego haec non capio. Tu vero, cum Aristophane dicam

Οὐδ' ἂν τρί' εἰπεῖν ῥήματ' οἷός τ' ἦν ἐξαμαρτών *

Quin enim poëtarum alter ex altero elucidari possit, aut ista commodum hic moneri? *De invocatione* quod affers, arduum est, & non nisi à te exspectandum. Tum lucem affundis conniventi Barthio: *Ordo autem verborum de more inter se mixtorum hic est: Te primam, Vulcane, incola sancte loci, patemque tuam precamur.* O beatos omnes isto Oedipo! sed ne erremus, unum tantum vult participare isto radio. *Barthio, non intelligentibus dicit.* Hunc itaque felici sorte prae aliis natum! Modo absit nunc livor, & claudantur aliorum maligni oculi.

441. TER QUISQUE VOCANT TER.] Barthium aliquando laudas, & acceptam illi hanc emendationem refers. O mirum magis, quam *si locusta pariat lucam bovem.*

461. NEC MORA.] Hic denuo inveheris. Barthius *bis* scripserat, sensu requirente. quo enim τὸ *noxia* referatur, si tua lectio obtinuerit? Vulgatam certe saniorem puto: *Haec mora.* Ex sacrorum enim studio, quibus describendis immoratus est, procrastinatio medelae enasci possit. Praecipit itaque urgente mali vehementia mature regnantem morbum excutere. Tuae menti accedam, si ita interpunxeris:

Nec, mora si medias exedit noxia fibras,
His fave praesidiis, adfectaque corpora mulce.
Regnantem excutiens morbum Deus autor, & ipsa
Artem aluit Natura suam.

Sensum facio: *si jam mora invaluerit malam, ne Deorum praesidiis deprecandis dia attinearis, aut palpes affecta jam corpora. Ipse Deus ita suadet, qui morbis imperitat & Natura* &c. Alia vero Barthianae lectionis mens est, & magis admittenda. Tu dum *vulgatae*, ut ais, *lippisque ac tonsoribus notae phrasi* studes à nemine intelligeris. Nullus enim sensus, si ita distinguas. Mitte itaque *Barthium, ut sit qui semper Barthius*, quemadmodum ipse loqui amas. id est, alienus à tam pudicis nugis.

467. DIMISSA.] Nec hoc ad palatum tuum interpretatur. Sed totum te insipidum, qui non videas eundem esse sensum. Dimissa enim medendi facultas, quin fere amissa sit? cum postea iisdem remediis locus non detur, vel praecipiti cura extrema salus tentanda sit. Haec enim Gratii verba diserte volunt.

474. SUBSIDUASQUA FRACES.] Barthius *faces* legit & quod invenerat, explicat. Tum monet in altera editione scriptum fuisse *foeces*, quod illi praefert enclitica extrusa. Tu oculorum illi usu denuo interdicis, aliisque id negotii relinquis, ut videant, quam fuerit oculatus. O Homi-

* *Ne tria quidem verba dicis, quin exorbites.*

minem acutum, ac urbanitatis verniliae fontem!

507. TERRENA SYENE.] Non aliter Barthius legit: adeoque explicat, quod montosa, nec obvia fluminibus fuerit. Movet me tamen, quod Stephanus describit πόλιν μεταξὺ Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας ἐπὶ τῷ Νείλῳ. Sed dictam sic puto à siccitate. arenosa enim ac sitiens imbrium audit Lucano lib. VIII. Pharsaliae.

Nam quis ad exustam cancro torrente Syenem
Ibit, & umbrifera siccas sub Plejade Thebas
Spectator Nili.

Sed ô optatum finem! *Interpres*, inquis, *hoc quasi Corollario animadversiones suas & Gratium absolvit.* Hoc an illud culpas, an utrumque? At Barthius rationem reddidit desinendi: *quae restant*, inquit, *in veteri editione non apparent: ideoque & nos heic finem commentationi dabimus. Nam nulla vis humani ingenii lacunas illas explebit, ut à Gratio scriptum est poëma.* Tu tamen fecisti. *Diis geniti potuere* --- --- quid enim tu humani in tota hac scriptione profiteris? Sed fallor, qui finem hic puto: addis etiam unum.

521. STERILIS.] Breviter hîc tanquam in procinctu & jam abiens: *Barthius in Adversariis legi vult*

Sterilis quocunque remisit
Terra cibus: tenuesque sitim pote ducere rivi.

Iterum tangis illum librum? libas tantum, absque velut musca. Sed adhuc Stadium unum decurrendum est.

ὦ πολλὰ λέξας ἄρτι κἀνόητ᾽ ἔπη. *

* *O quam multa jam & stolida verba effudisti!*

A D

NEMESIANI CYNEGETICON.

Et hunc libellum inspiciam, communi sorte afflictum. Isti quoque Barthius salutarem manum admovit, & quid dubitem te censoriam? De ingenio tuo facile conjicimus, petulanti, seditioso, nec hîc cessasse illam virulentiam, quam propriam habet. Nihil tamen praeter solitum exspectes: Jocos ad convicia, lususque intra modestiam constitutos. Eruditi nihil profitemur inscriptione amoliendis calumniis destinatâ.

3. PANDIMUS.] In Scaligerum vehementius an Barthium inveheris? uterque *Aurelio* hoc indignum putat. Immo breviter illum absolvis: hunc longius insectaris, quod excusare voluerit in *Scaligero*, dein locum emendare. Scribit *Pandimur* & genuinum putat, quin & Sacramento contendit. Tu lepide hoc enotasti aisque *omni sacramento Divae Critices id asserere.* O profanum Barthium & irreligiosum, qui hujus Deae Numen sanctius non habuerit. Ita tamen scriptum exhibuit cariosus ille codex in Coenobio ad Sylvam Herciniam repertus. Hunc tu ex *Atopia* & *Utopia* oriundum appellas non novo jam convicio. Tum & omnem ei pariter ac juramento fidem negas. O ne primis quidem hujus Divae religionibus imbute! *dabis improbe poenas.*

5. CASTALIUSQUE.] Iterum designas minus cautum *interpretem* solenni formula: *sequentia non satis bene consideravisse.* Scribendum autem esse

Castaliusque mihi nova pocula fontis alumnus.

Nec hoc diu meditatum videtur. Pythaeum potius sequere dextre & attente scribentem:

Castalisque mihi nova pocula fontis alumno.

22. DIXISSE] Mendax ille codex denuo vapulat. nescire te hoc nolui Lector.

54. PLACIDIS RIPIS] Quis nesciat ripas fluminum *placidas* dici posse? Appulsus enim lambentium aquarum, qui in littore marino formidolosior, quietis blandimentum est. Tamen *placitis* legi possit ob animalis, cujus hic mentio, tum Naturam, tum nomen.

64. DIVI CARI.] Ad *Carum* solenni more suum Cynegeticon Nemesianus perscripsit. Nec insolens adeo viventibus, Numinum appellatione blandiri, si vel solos, Martialem & Statium monstrosissimi hominis exquisitissimos adulatores inspicias. Cedam tamen, quae mens tua est, inchoasse Poëtam vivente Caro opus suum, mortuo absolvisse. Idem Barthius conjicere potuit, si licuisset universam, qua ruri destitutus est, Bibliothecam, & Historiam excutere.

65. FRATERNO NUMINE.] Genios principibus suis singulos attribuebat antiquitas: per quos summa erat religio jurare. Hi mentem & consilia eorum dirigere fingebantur ad felices eventus. Tales ex Barthii sententia his quoque fratribus adscribit Nemesianus. Tu de ipsorum met numine capis: & hoc licet respectu ad priora. Sed de *nugis* olidam cantilenam quid repetis?

73. VIO-

73. Violata cacumina.] Immo hic iterum. Sed dubitas an *verba intelligas.* Licet vero de ipso *Euphrate* capias, ut admodum cupis, etiam Romulei Regni cacumine. Tanquam limes enim Parthos Romanosque distinguit. Quemvis ex Geographis vide. omnem ejus ortum, cursum, Naturamque apud *Plinium* l. V. cap XXV.

75. Spicula nulla.] *Hic Barthium*, ais, *obmutuisse vellem* quid mali ominis locutus? *Ex codice, quem nullus habuis in pessimam optimae & sincerissimae locutionis corruptelam pellexit optimum Gronovium, qui istius fiducia legi maluit-* & spicula muta. Immo nihilo inde pejor, & nobis bonisque omnibus magis aestimandus, quo minus à te stat in hac caussa. Desine ergo ejus vicem ejulari, quem suae nondum sortis poenitet.

78. Gaudia nota.] Frustra esse Barthium, ais, cum codice suo & conjectura. Theseo haec indigent, si ad manum non sit uterque liber. *Veta* autem habuit vetus Editio, ne lector nescias. *Voto* scribendum conjicit. quid enim magis germanum putes, quam *voto gaudia praesumere.* Animus enim praepes inquiesque praevertere solet lentae felicitatis fructum, varias secum imagines formans. Optimos ita scriptores locutos Barthius probat, ne quid de genuina lectione dubites.

102. Nec praedas] Per aliquot hic paginas cessasti: tandem ex alto silentio pauca graviter: *Barthius adjutu V. C. legit*

Nec praedans avido sectaris gurgite pontum.

Increbrescit deinde tua cum indignatione mixta hilaritas: *construit: avido gurgite habendi praedatur pontum: praêdatores intelligens, qui praedae gratia mare transmittunt. Et postquam ipse sibi in admiratione tantae suae ἀγχινοίας deficit*, addit: *nobis satis est Nemesianum restituisse pristinae sententiae, quam blenni corruperant.* Postremo plausum tollis plane triumphalem: *Euge Barthi: Ego tamen blennis illis, qui veterem lectionem servarunt, quam tibi & codici isti tuo pro lubitu omnia novanti lubens accedam.* O te hominem nullius frugis! quis enim nisi Tuscis jurgiis exercitus ubique tibi reponat?

106. Facilem.] Ex prioribus convicia repetis. etiam tanti sint, ut revideam?

110. Carinam.] Hoc carpit & sugillat extra scopum, quod ad autores, qui canes delineant, lectorem remittat Barthius. Causam habe Lector, & quin jam scias toties allegatam? non erant ad manum ruri, quo secesserat. Tum ad alia properabat. Censor noster: *pute ad nugas suas.* Mitto hoc, & brevi totum hominem, quantus est. Deinde etiam duo culpat: *Distinctionem & allegationem*: Istam argutulam vocat, sed ineptam: hanc absurdam: Rem tu vide & judica.

113. Nimis molles.] Sileo hic: rationem ex Sophocle reddo:

Τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω. *

113. Nimis.] Hoc tamen non praetereundum. Barthium compellas: *an verba non intellêxti, &* nimis *pro* valde *positum nusquam observâsti, homo in soties mille auctorum praesertim recentiorum lectione versatissime?* Immo ô Praeceptor noster: & hic & illic. Sed & tu nos doce: *Lubens*, inquis *& ecce Glossarium MS. Petavii. Olympius mons Macedoniae nimis procelsus.* O Mysterium. Sed ne divinum te putes idem Barthius docet novissima opera in *Gulielmum Britonem*, & pridem ad *Claudianum*.

132. Foecundos.] *Foecando* Barthius, & quod ex te discimus *non male.* quid vis amplius o Censor? *Laureolam hanc non ausas sibi ascribere monstrum codicem ementitur.* In beneficio tamen tu pone. *Immo*, inquis, *isti quam Utopiae, has grates debere malumus.* Sed denuo in arenam descendis, & novam ordiris pugnam. Pro Scaligero stas, & hunc acriter defendis, Barthiumque corripis, ab hoc leviter recedentem. Tum eundem ad examen vocas aisque: *Hic virum praestare te debuisti ex multiscia illa tua memoriâ & omniloqua lectione, ut alios quoque ita usurpasse ostenderes. Gravedinem* putas pro quavis *gravitate.* Habe *Apuleium*: *Plinium* insuper, *Augustinum* denique sive potius *Anshelmum.* Satin hoc à Barthio? Nihil minus. Exclamas enim Stentorea voce: *Ohe! quam grave tibi est à nugis abstinere. Nihil enim illa, quae adduxti vel hilum hoc faciunt, nisi ut eundem, qui semper, Barthium tete esse arguerent.* Te agnoscimus ô homo: locutus es, vidimus.

141. Abdaturve domo.] Non bene ab Interprete exponitur. Ad Virgilium eundum est Georg. III.

——— *Abde domo, nec turpi ignosce senectae.*

Sed Servius non recte explicat, puto, quia non ad tuam mentem. ipsum autem locum à Barthio habes allegatum. Quid argutaris? de Canum delectu loquitur, ex quibus minus idonei abjiciuntur, ne matrem tot catulis alendis imparem frustra distrahant.

146. Corporibusque] Quicquid lucis huic loco affers à *Barthio* mutuatus es: *Demetrius* enim ille, quem tu ignoras, ut ipse ais, te juvit à Barthio in *Adversariis* allegatus. Hunc tamen Myope etiam minus videre asseris. Sed tu potius in sole caligas, qui non videas quam omnis sibi explicatio constet. *A Gravitate*, inquit, *corporum fatari cursus celeritatem praenoscere potes*: id est

* *Nam barbaram linguam non intelligo.*

est prout graves erunt vel leves, aptos ineptosque ad venationem judicabis. Demetrius quoque dum *graviores* praefert, non videtur tam respexisse ad celeritatem, quam generosam magnitudinem. Non est igitur, quod *Gesnero* alicujus erroris gratiam facias. Omnino enim utriusque generis canes opus sunt: & qui viribus praecellant & qui cursu. *Olympius* puto, hoc loco mendosus est. An enim verisimilis conjectura sit canem levi cursu fore, qui gravi sit corpore?

147. Quin] Demetrium hic iterum adducis Barthii subsidio. Emendas etiam, ut homo es, cui omnia in proclivi. Dubitas deinde, an male citaverit Barthius, aut utrum ab alio perperam descripta habuerit. Tum hoc etiam sollicitaris, editusne hic liber, an MS. penes illum fuerit, te nunquam quereris vidisse. Eximendus tibi scrupulus: videris enim penitus id libri ignorare. *Nicolaus Rigaltius* edidit, & hujus fidem Barthius secutus est. Tu eximius κακογέτης hoc ignores?

152. Judicio] Rhadamanto in hoc judicio es severior: Barthium simul codice in exilium jubes facessere. Mitius saltem de Viro statuas: caeterum pro codice non adeo deprecamur. Sed tu prius in Massyliam.

158. Genetrice simul.] Plebeja iterum convicia. vinci hic malo quam vincere.

159. Pasce sero: passim.] Sic legis, & bene: nec tuo tamen sed libri auspicio. Barthium cum suo ironice rides. Joci tuo genio digni.

163. Promittere vires.] Sive *augere* malis interpretari sive *spondere*, parum interest discriminis. Tu tamen quasi de fortunis patriis agatur, contendis: aut verius dicam, vitilitigas.

166. Saginam] Barthium sibi ipsi facis obloquentem. Caeterum non assequor, quo respicias. Nec enim editionem hic suam allegavit, quam nunc penitus dejectam autoritate gloriaris. *Divine saepius, quàm humane loqueris*, ô homo.

168. Et crura nutantia.] Aldinam castigas, cujus vitio an beneficio, tua quoque legat *crura & nutantia*. Nec enim hoc admittis, licet probum sit, ad legem versus. Mimice etiam Barthium adducis, qui *vel Typographo tam crassum errorem corrigendum* fuisse judicaverit. Quicquid dicas de aliorum licentia, similem in Aurelio non persuaseris. Mendum puto, & rescribendum esse *natantia*. Sic Horat. *pars multa natat modo recta capessens, interdum vitiis obnoxia*. Glossae veteres, *Titubo, nato, vacillo.*

211. Corrupto sidere] De infecto aëre Barthius explicat. Versumque adducit Claudiani

Quid vigor aeternus coeli, quid sidera prosunt.

Tum alia. Negas tu, & vis de peculiari astro. Non decido. Docti videantur ad initium Satyrici Petroniani.

217. Cum gelidus] Barthium suo verbo arguis, quod nimium hic ἰατρεύεται. Paucis tu omni re defungeris, & solam hîc sitim intelligis, quae canes soleat in rabiem agere. Rerum omnium compendiariam invenisti.

231. Quin et tuscorum.] Olympium Barthius castigat, censoris Scaligeri judicium secutus. Tu defendis contra utrumque: illi quoque novam invidiam conflas, *tuumque reum* (sic appellas miserum Scaligerum) *nihil* ais *Barthii aut accusatione gravari, aut excusatione juvari, quae proferat modo accusator, mox ex accusatore male Patronus factus.* Absurdissima omnia hoc loci: Scaligerum nominat, an accusat aut defendit? Utrumque licet, ubi vel deliquit humanitas, vel manum duxit veritas. Sed nusquam convicii occasionem mittis: vix accusari dignus, ne dicam defendi.

242. * Armata.] Vexatissimum clamas locum. *Nicolaus Loënsis, Swartius, Barthius frustra sunt, nec illis correctoribus autor eget.* Tu auspicalem admoves manum, & vulgatam sensu tueris. Deinde conjectas: *ambiat & palmas.* Censore opus est an haruspice nobis?

255. Nec non] Severe pronuncias: *non ferenda est ineptissimi conjectatoris temeritas.* Nullius uspiam; sed hic quae? *Obelo hunc versum figere voluit.* Atqui salvo potest sensu abesse, & velut glossema videtur intrusus. altera tamen editio habet paulum saltem mutatum:

Nec non terribiles spirabile flumen abunde
Provolvunt flatus.

Sic videtur omnino retinendus: scribendum autem *anhelt*, Sed cur *lumen* quod tu vis, & non *flumen* potius? Spumantes enim generoso impetu nares intelligit. Sed literae unius discrimen facile tibi donamus: abesset modo illa ubique viro insultans petulantia.

255. Anheli.] Explicas: *non à Fatigatione, quod verius videtur Barthius, cum mallet* abunde, sed *animositate, & ingenti Spiritu ardentes* intellige. Nunquam illi hujus timoris in mentem venit: alium tibi sensum ejus exposui. Tum noluit *abunde*: emendat enim ipse *anheli*. Sic vero in ipsius Notis legendum, ubi inficeti Typothetae *anhelis* reposuerunt.

275. Flumina.] Vetus Barthii crimen: *consuetum agere*. Dicis, ô homo, nec unquam hactenus probas. videnda tamen res: *Numina* mallet scribi, quam *Flumina*; & quia vetus codex nihil mutat, retinet vulgatam. Taedet explicare, quam in illum injurius sis. Judicabit, qui textum inspexerit.

311. Ten-

311. TEMPORE * LONGO.] Nihil certi olim hic asseruit Barthius. deinde in Adversariis conjecit

——— *subtemine ponere longe.*

Tu mavis *tendere* : propius ad vestigia lectionis priscae.

317. HINC MAGE PUNICEAS.] Pene est, ut tecum putem, turbatum esse horum ordinem. quicquid enim sensus fingas, voculae reclamant, *hinc* & *illic*, aut aliquo ad locum respectu. aut mendose positae. Barthius extra culpam est, qui *Puniceas* autumat pro *Punicas* Aurelium dixisse. Particulae illae otiosae in caussa fuerunt. *Pinnas*, quoque longius praemissum est, quam ut ad *puniceas* possit reflecti. *Avium* propius est. Sed haec omnia frivola, & quodvis facile cedimus.

319. SUAVIQUE RUBESCERE LUTO.] Probas hic Barthium supra rescribentem *nativo murice.* Sed causa non placet, quam ipse reddiderit. quae haec opinor est, quod ait *varias pinnas à poëta requiri*: & requiruntur. Caetera de *fulicis* & *Cygnis* quae affers inepta prorsus, affingis illi, nec ipsius ex verbis convinces. Tandem quia extrema hic alea est, ne quid relinquas intentatum, *purpureas* cum ais *ciconias fingere.* Ubi de his verbulum? Jocum quaeris, & hunc perbellum putas invenisse, cum *à fronte his dignum judicas.* Atqui satis olim à tergo: sed quo utrumque, qui frontem illi effricuisti? quod inter convicia primum lubens transmisi. Et haec esimia illa quae contra Barthium tantum non per tibicinem decantâsti ad duos hos Poëtas. Addis nunc

VARIAS LECTIONES.

Praefaris hic denuo, nec postrema causa est Barthius. Illius Lectiones universim iterum impugnas. Locum tamen illis non negas peculiari nota praesignitis. Sed de Editione Tigurina denuo controverteris, & *Germanicam* vocas, aut potius ἄτοπον. *In Germania enim*, inquis, *nunquam ipsius editionis fronte teste, excusi hi autores.* Hoc fateor: sed *Germanicam* nunquam nisi alteram illam dixit. Absurdumque, quod rogas, an aliud extra Germaniam in Utopia *Tigurum* sit? Immo *Tigurum* istud unum est: Hoc tamen in *Helvetia* situm, adeoque ad Gallias spectat antiquo jure. quid si nec ipse negatum voluerit in *Germania* olim hos Poëtas excusos? & hominum potius culpa factum, qui lucellum istiusmodi novitate persequuntur? sed mitto haec omnia multis jam annis obsoleta, & ad CURAS TUAS SECUNDAS propero. At ecce novam moram etiam errata Typographica injiciunt.

AD ERRATA TYPOGRAPHICA.

Obtuso hîc stilo, quae in Barthium scripsisti, nunc obducis. Sero nimis, cum omnia jam in Vulgi ore: temeritas maxime tua. Nec enim pro illo supplicandum fuit, cujus famam tot optimae notae scripta facile asseruerunt. Sed lubet subjicere callidum tuum commentum.

Prorsus jam ab omni cavillatione, & quanquam justis contra eum vindiciis abstinere decrevi, quem interim, dum fervebat haec nostra contentio, excessisse è vita inaudivi. Quod si citius rescivissem, ne qua minus per me requiescat in pace, jamdudum vel aegrotanti litem omnem remisissem. Itaque, quae in illum dicta, jure an injuria nihil refert, indicta sunto, ut tandem vineta egomet caedam mea. O te facilem, qui ubi virus omne evomuisti sedatiorem animum recipis. Mortuo vis ignoscere, cui vivo innocentiam quoque exprobrasti. Sed etiam nunc furas, saevias: vivit enim, & vel invalidâ senectute ridet ea fulmina, quae impotens aliqua manus evibrat. Sed nunc pax & quies. immo *Sereno etiam lumine Jupiter tonat*, quod videamus.

AD CURAS SECUNDAS.

Mutas hic pleraque: propiusque in nonnullis ad Barthii mentem accedis, nomine tamen ejus omisso. Tandem ad Nemesiani versum XXII. nova petulantia erumpis:

Duxisse *malebat Barthius; cui non immerito tetiis olim succensui, nisi quod vix dignus Caesaris ira fuerit misellus Criticaster, qui postquam magno conatu vindicias suas aliorum opera, cum suae diffideret, jamdudum mihi minatus esset, hactenus tamen in arenam descendere ausus non est. Et per me quidem licet, ut nunquam audeat, & meticulosae instar canis rure suo ad satietatem latret.*


Hoccine litem remittere, & maledicta velle dicta? Atqui optas de novo duci illum contentio-

 nis

nis funem, Barthiumque ad mutua jurgia provocas. Illum quies sua habet, non aeterna quidem illa, sed in recessu compositae mentis. Quid interrumpis? quid turbas? quid paria exigis? satis est, te publice turpiter datum intemperanti scriptione. Ille etiam hanc infamiam subeat aliis ingenii monumentis clarus? Dicendum enim. Fefellisti te, dum hanc viam ad gloriam affectasti: odium pro merito habes, apud cordatos omnes & bonos. Cur publicam itaque invidiam adjuverit, quam satis tibi gravem praevidebat? An enim non ausus sit tecum congredi? Amens sit, cui persuadeas. Scripta reclamant publicae famae concredita, tot, & tanta. Minimum tu invasisti, & loci ac temporis ratione properatum. Tamen & illi impares, & controversiam omnem conviciis imples. De minis autem mera sunt somnia. Unus aut alter voluerit ejus vicem agere, & ulcisci effrontem tuam audaciam, quam ipse generosius contempserat. Sibi ergo suaeque operae diffisum dices? Impotentis animi haec fiducia est, ad quasvis insultationes velle resilire. Mentes sua virtute & Eruditione nixae praeparant se ac indurant ad ejusmodi impetus. & quantum illum spectat, satisfiet voto tuo: immo satisfactum. A me enim quae habes monere te voluerunt, non ulcisci. animus sic tulit, ut erectus ad literas, ita ab his contentionibus abhorrens. Convicia transmisi à Musis & musicis hominibus aliena. Ad insultus acres saepe, & inimicos Joculares lusus reposui. Modestiam denique nusquam, quod sciam migravi. Sic & publicum spero odium devitâsse, & privatam inter nos simultatem. Si tamen in me nunc furere malueris, lubens equidem subibo invideam: caeterum vel Literarum nobilitas dissuaserit tam turpi litigio fraenos laxare. Solet hoc malum semel sibi permissum ultrà semper ire, & per gradus ad summa proserpere:

Lusus enim genuit trepidum certamen, & iram:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Haereat hic potius vestigium, ne in deteriora moveatur. Tu mihi sic salve, quod utinam & hic tibi in parte sit!



M. AU-

M. AURELII OLYMPII
NEMESIANI
BUCOLICON
ECLOGAE IV.

OPTIMO AC STUDIOSISSIMO
ADOLOSCENTI
LUCAE TURRIGIANO
ROBERTUS TITIUS
S. P. D.



Ecisti tu quidem benigne, ac perhumaniter adolescens optime, qui nullo meo merito ductus, sed ipsa duntaxat naturae tuae bonitate persuasus eam istius egregiae tuae erga me voluntatis significationem praebuisti, qua ego majorem vix fieri posse arbitror. Nam licet munus ipsum, quo me non ita diu affecisti, per se ingens, ac perhonorificum videri debeat, suavissimus certe ille sermo, quo te, resque tuas omnes meis commodis paratas, atque expositas esse mihi significasti, omnem prorsus humanitatem longe superat, quocirca isthoc insigni facinore adeo me tibi devinxisti, ut quia grati animi testificationem aliquam tibi modo praebere nequeo, vitam mihi insuavem, ac pene acerbam putem: ita enim sum a natura comparatus, ut unus omnium, aut certe unus ex pluribus molestissime feram, si quando officiis, aut beneficiis a quoquam superer: verum tamen ea potissimum ratione me interdum consolor, quam a prudentissimis, ac sapientissimis viris accepi affirmantibus magni animi esse officii alterius oblivisci, meminisse sui. Ac sane, si te probe novi, haud magnopere sollicitus esse debeo de referenda tibi gratia; id quod tua nimirum singularis efficit humanitas; quamquam nulla prorsus ratione id consequi possem, cum laudem hanc semper quaeras, spem omnem ut adimas grati animi declarandi ei, in quem beneficium collocaris. Atque haec cum ita se habeant, non iccirco partes meas oblivisci potui; hoc est numquam non cogitare destiti, quonam tandem pacto ingrati animi notam penes alios effugere possem. Itaque mihi me, meamque omnem supellectilem diligenter ac sedulo excutienti, nil omnino aptius, atque appositius, quod nunc tibi mitterem, sese obtulit, quam Commentarius in duos politissimos Poëtas superioribus diebus non indiligenter,

ut puto, a me confectus. Hujusmodi autem fere sunt munera, quae potentes amici, a nostri ordinis hominibus exspectare possunt, ac vero debent. Verba enim pro factis rependere consuevimus, quae tamen verba sunt qui auro, ac gemmis preciosiora deputant, quorum in numero tu merito collocandus es, Luca Turrigiani, siquidem cum divitiis undique affluas, idque aetatis sis natus, ut abs te voluptatum illecebras perquiri, quam virtutem ipsam diligenter ac studiose coli ex aliorum, licet prava, consuetudine haud omnino dedeceret: ea tamen est naturae tuae bonitas, ut illis inutilibus, ac perniciosis avocamentis praetermissis ad literarum studia animum appuleris, inque eis adeo profeceris, ut aequales tuos nobiles adolescentes longo jam superes intervallo. Nam quod alii tempus ludo, ganeis, aut etiam scortationibus impendunt, tu id totum bonis artibus, & ingenuo adolescente dignis impertiris. Unde prudentiorum, doctorumque hominum, ac spectatae virtutis amorem, ac benevolentiam tibi comparasti, quorum studio ac praeceptionibus informatus in eum adolescentem evasisti, qui aequales paucissimos, superiorem certe habeas neminem, ut de te nihil non magnum, atque excellens post hac sperare liceat. quocirca, ut aliae caussae abessent, non fuit mihi diutius quaerendum, cuinam potissimum hos meos labores nuncuparem; nisi si in eo fortasse alicui reprehensioni affinis esse judicabor, quod nimis tenuem rem, atque exilem tibi offerre non sim veritus: sed sic habe: hujusmodi levia in serias res nos perducere, atque ad illa, quae maximi sunt momenti, viam facillimam, & compendiariam sternere consuevisse: praeterquam quod tempori ipsi volui inservire. Nam cum jam autumnus appetat, ac tu pulcherrimum tuum suburbanum, aut alias etiam villas a majoribus tuis magnificentissime constructas identidem petere soleas, haud omnino alienum videri debet, si tibi modo rusticanti Nemesiani, & Calphurnii Eclogas legendas praebeo, quas insuper, ut aliquod meae erga te observantiae certius atque expressius testimonium exstaret, nostrorum commentariorum accessione libuit exornare. Hos tu Poëtas cum prope fontem aliquem sub amoenissimis arboribus in molli gramine consederis, quasi ludens interdum lectitabis, ut sic a piscandi, sive aucupandi, aut etiam venandi labore cessans haud inutili tamen otio te recrees: ego vero eos tibi auctores commendare non debeo, qui satis superque suo ipsi merito doctorum hominum benevolentiam, & amorem jam diu collegerunt; quamquam hactenus mala omnino gratia iis relata videri possit; cum

in

in tenebris, ac situ tam diu jacuerint negligentia nimirum dumtaxat typographorum, qui pulchrum a turpi, utile ab inutili, rectum a curvo dignoscere nequeunt. De mea porro industria, quam in hos comtarios adhibui, nihil praeterea dicere habeo, totum enim judicio tuo permitto, cui si meum hunc laborem non omnino displicuisse intellexero, posthac operam dabo, ut longe majora, ac praestantiora a me accipias. Nam tempus illud, quod a juris prudentiae studiis & negociis familiaribus vacuum mihi relinquitur, libenter in mitioribus disciplinis consumere soleo. Interim habebis munus ab homine tui studiosissimo concinnatum: quod si tuos in eum meritis dignum non videbitur, at erit certe, quale ipse hoc tempore praestare potest, id quod penes te perinde valiturum spero ac si cunctis esset numeris absolutum.

Vale. Florentea

Kal. Octob. cIↃ IↃXC.

EPISTOLA
R. D. HUGOLINI MARTELLI
EPISCOPI GLANDATENSIS.

In qua loci aliquot horum Poëtarum vel declarantur vel emendantur.

HUG. MARTELL.

ROBERTO TITIO

S. P. D.



Unus mihi a te percommode redditum fuit, Titi mi, neque aliud suavius pro tempore, vel magis animo meo salutare potuisse accidere, comperio. In luctu jacebam, eoque consternatus luctu eatenus, ut quando me, vel qua ratione ab acerbissimo dolore, ac moerore vindicare possem, non cernerem. Carissimum atque amantissimum fratrem nuper amiseram CAROLUM, virum optimum: Heu quem exitum lachrimarum

& squalloris in hac vita unquam invenero? Amores ac deliciae meae omnes uno ictu conciderunt: fratrem amabilissimum amisi: sed cur fratrem voco, & non potius mei, suorumque reliquorum fratrum vere parentem, qui nos cunctos, ac singulos, (& vero permulti generis utriusque fueramus germani) tanquam diligens, providens, & studiosus pater alter (viventibus adhuc optimis parentibus) rexit ille, instruxit, adjuvit, atque ad vitae normam, ad quam quisque destinatus erat, cura, sedulitate, labore, opibus etiam suis illexit, impulit, ac prope collocavit? Fuit enim CAROLUS MARTELLUS frater, ut in omnes quos norat, vel quibus cum agere quicquam aut privatim, au in aliquo publico munere posceret usus, ingenio perquam amabili, & fide integerrima, sic adversus fratres ac sorores ad mirabili, & plusquam paterna caritate, benevolentia, providentia, liberalitate. Caeterum laudes ejus persequi hoc loco non est animus, tantum te, munusque gratissimum tuum his verbis ornatum, & dilaudatum velim, quo desiderium meum, tanquam divino, immissoque divinitus pharmaco vel abstersum, vel certe mirum in modum delinitum atque imminutum sentio. Nam statim atque Nemesianum tuum cum parte Calphurnii (tui enim jure; qui per te reviviscunt poetae boni) ejusque primores versus legi, de fratris dormitione in Domino bene ominari placuit, in hos autem omnium primos incurrit oculus:

„Quem nunc emeritae permensum tempora vitae
„Secreti pars orbis habet, mundusque piorum.

In fratris & enim dulcissima memoria atque amore defixus animus de fratre Vatem Vaticinatum sibi persuasit: uti quae paulo post sequuntur, fratri Carolo perbelle convenire censebamus, & laeabamur:

„------ plenum tibi ponderis aequi
„Pectus erat, tu ruricolum discernere lites
„Assueveras, Varias patiens mulcendo querelas
„Sub te juris amor, sub te reverentia justi
„Floruit.

Haec atque id genus plurima de illo verissime pronunciata in ea prima Ecloga, quantopere tristem animum, moeroreque plane confectum relevarint, explicari vix potest? Quid enim lugentibus carissimos, & amicissimos accidere jocundius potest, quam laudes illorum recolere, quae si per laudatos viros celebrentur, tum illae demum cum voluptate maestitiam temperantes, luctus tristissimi acerbitatem frangunt & mitigant. Itaque ut dicere inceperam, valde opportunus, ac propemodum necessarius mihi tuus libellus allatus est, qui praeterquam quod felici, & auspicata quadam fratris recorda-

datione ex antiqui & nobilis vatis carmine me non mediocriter recreavit, tuis quoque doctissimis, ac suavissimis Commentariis plane exhilaravit. Animus namque semper discendi & nova percipiendi cupidus, dum tua perlustrando multa sibi hactenus incognita docetur, plura jam dudum oblita reminiscitur, in nonnullis etiam, ut fit, in diversa abeundo subsistit paululum, & a luctuosis tantis per cogitationibus feriatur; ad sese tamen redit, & secum habitare incipit. Verum enim vero in tuis perlegendis, quia tantum levaminis nactus sum: age experiamur, num in iisdem illis tuis meditandis, & perscrutandis, stylo etiam prosequendis, opis tantumdem, & solatii, vel etiam aliquanto amplius auferre detur. Ut enim scriptio majorem aliquanto intentionem animi, quam lectio requirit, ita sperandum est in scribendo multo plus, quam in legendo cunctos sensus & universam mentem ab aegritudine, & tristibus cogitatis posse averti, & si animum intendas acrius, diutiusque, etiam radicitus evelli. Ergo per singula Eidyllia quae meditabar cursim, annotabo sigillatim.

HUGOLINO MARTELLO
EPISCOPO GLANDATENSI
Salutem dicit
ROB. TITIUS.

URget me typographus compendii sui causa mirandum in modum, & de cunctatione assidue mecum queritur. Nam spem bonam concepit rei suae augendae distractione exemplariorum ab interitu quasi quodam vindicatorum Poëtarum: itaque non licet mihi tuis eruditissimis literis in praesentia pluribus respondere: ac fiet fortasse, ut alias, cum plus otii nactus fuero, ex asse tibi satisfaciam. interim visum mihi est e re studiosorum tuam Epistolam huic meo operi attexere, quod aequi bonique consulas velim. Cursim, ac valde properanter haec scripsi, cum in officina cum operis typographicis colluctarer. Vale.

JANI VLITII
PRAEFATIO
IN
NEMESIANI ET CALPURNII
ECLOGAS.



ONDUM *me poenitet conjecturae, qua, cum ſuper Nemeſiani nomine ad initium Cynegetici praefarer, non illius has* IV *Eclogas, ſed Calpurnii quoque cum reliquis ſeptem eſſe hariolabar. Praeter enim illas, quae inibi poſitae, rationes, accedit aequalis illa ubique Virgiliani Bucolici imitatio, & expreſſio: tum oeconomia, quamvis ſemper ex aliqua Maronis Ecloga petita, nuſquam tamen eadem: exceptis utriuſque Bucolici Eclogis ſecundis, in hoc* DONACE, *in altero* CROTALE *inſcriptis, quae non tantum eundem ordinem, ſed & verba quam multa invicem ſervant & tota commata, imo integros etiam verſus ex altera ſequenti Eclogae* III. *inſeruit Calpurnius. Quod quidem ut unice excipitur, ita plurima exempla in ſummis utriuſque linguae vatibus habet; Homerum & Virgilium dico, ut alios omittam, qui vel eodem libro verſus aliquammultos, ne verbo quidem mutato, vel diverſis quam ſaepiſſime repetunt. Sed, quanquam non temere conjeciſſe videar, ne, quod incertum eſt, nimium ſuper eo contendam, pluribus id urgere ſuperſedebo, ut & ipſi Lectori de eo arbitrandi locus relinquatur. De ordine, quem ſervavi in excerpendis hiſce lectionibus, eſt item quod dicam. In textum recipiendis aliquot emendationibus, non adeo quidem Editionum conſenſum (nam Parmenſis, Aldina, ejuſque ſimia Auguſtana, & Florentina Titii ita inter ſe conſentiunt, ut ovo prognatas eodem jurares) quam vel principem autoritate Romanam, vel emendatiſſimam Pythoei ſecutus ſum: aliquoties etiam meo remigio & judicio per vexatiſſimos ſcopulos velificatus ſum. At vero in enotandis editionum variationibus nullam ſepoſui, quae notatu dignum aliquid haberet: ita ut quarundam, ſed maxime Romanae, naevos ſaepe expreſſerim. Barthianam quod attinet, nihil fere in ea deprehendi, in quo à Pythoeana matre ſua diſ-*

ce

cederet, quod non ab illius incogitantia, & familiari in exscribendo supinitate profectum esset. Hoc tamen, quod promiseram, praestiti, ut quicquid ille sua fide ex Germanica & Tigurina citavit, eadem fide habendum exhiberem. MSS. codicum lectiones, quas postea in Adversariis dedit, etsi nunquam ipse inspexerit, sed vel ex Titii commentario vel à Gebhardo descripserit, minime tamen sprevi. Isthaec enim mihi, qui nullum in scriptis vidi, tanquam κειμήλια sunt. Praeter hanc, quam dixi, lectionum enotationem, quamplurima insuper loca ex Maronis Bucolico, quae verbotenus expressa essent à nostris, suo quaeque loco applicavi: reliqua, quorum oeconomiam servaverant verbis aliquantum immutatis, obiter indicavi. Caeterum & loca aliquot, ut necesse erat, illustravi; sed ita parce & strictim, ut aliorum potius autorum verbis, quam meis, sensum aperirem. Evitavi certe, quod agendum erat hoc compendio, omnem verbositatem, cum ipsi per se autores adeo plano, &, qui rusticos decet, inaffectato sermone agant, ut nihil minus quam commentarii ubertatem & fastum ferre posse videantur. Virgilius quidem, quanquam palmam unus omnibus per omnia praeripuit, tamen multa in bucolico suo habet, quae remorsos saepe ungues, & infinitam illius eruditionem, quam rusticam simplicitatem, magis referant. At nostri hi longo ab aetate illius intervallo remoti ipsa humilitate sua primas post illum in hac materia nihilominus merentur. Pares ubique inter se, & similes sui, nihil inflatum, nihil turgidum habent: raro etiam saeculi sui inficetiam & barbariem profitentur. Hoc in genere praemonuisse sufficit, ne ad Titii, Martelli, & Barthii superfluos commentarios recurrendum censeam, qui vel mole sua, ut tot ineptiarum cumulos taceam, plus officiunt, quam prosunt. Ad rem, ne quid morer, accedo.

EDI-

EDITIONES
BUCOLICORUM.

R. Romana 1471. quae post Silium, XI. Eclogas sub C. Calpurnii nomine repraesentat, & princeps procul dubio omnium est, sed nunquam expressa, nisi valde fallor.

V. Edita Parmae (ut inibi additur) *per Angelum Ugolettum è vetustissimo atque emendatissimo Thadaei Ugoletti codice è Germania allato*, &c. circa annum 1500. habet etiam Nemesiani Eclogas IV. post Calpurnianas.

B. Bononiensis 1504. per Caligulam Balazerium, Civem Bononiensem, regnante Ill. Joanne Bentivolo II. Patre Patriae, cum Commentariis Diomedis Guidalotti Bononiensis.

F. Florentina 1590. cum commentariis Roberti Titii & Hugolini Martelli Episcopi Glandatensis * citatur à Titio alia Florentina Juntae 1504.

MS. Pal. Sunt variationes scriptorum codicum Palatinae Bibliothecae, quas citarunt Gebhardus, & Barthius, sed tantum in Adversariis suis.

MS. Tit. quas Titius ex scriptis libris allegavit.

M. AURELII OLYMPII
NEMESIANI
Poëtae Carthaginienſis
BUCOLICON
ECLOGA I. EPIPHUNUS.
TIMETAS, TITYRUS.



Um fiſcella' tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur, & raucis reſonant tua rura cicadis:
In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

EPIPHUNUS] Pythoeus ita Eclogas haſce inſcripſit, ex eodem, niſi fallor, codice, ex quo multa loca ſatis feliciter immutavit. Pleraſque tamen, ut & hanc, ex Florentina Juntae citat Titius. Sed omnes fere, aeque ac haec, inſulſae & à ſciolo quodam profectae ſunt. *Epiphunus*, vel potius *Epifunus*, compoſuit ille ex ἐπὶ, & Latina voce *funus*, ut Graecam, ἐπικήδειον, quomodo inſcribendum erat, exprimeret. Reliquae omnes Edd. ignorant haſce inſcriptiones. R. tamen materias Eclogarum ſemper praefigit, & ipſos interloquutores. Sic a. hic habet: *In hac Ecloga tractantur laudes Meliboei vita defuncti. Interloquutores Amyntas & Tityrus amici.* in al. omn. *Timetas & Tit.*

1. *Dum fiſcella*] Virg. Ecl. x. *Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit bibiſco.*
2. *Reſonant tua*] *Imitatur rura* R. Virg. Ecl. II. *raucis* [] *reſonant arbuſta cicadis.*

NOTAE.

1. DUM FISCELLA &c.] Evicit tandem eruditiſſimorum Virorum ſententia, exiſtimantium has 4. proxime ſequentes Eclogas Marcum Aurelium Nemeſianum auctorem agnoſcere, non Calphurnium, veluti quidam falſo crediderunt, itaque tanquam de re tranſacta, ſilentium agam, nec de ea cum quoquam amplius concertabo. Codices Florentiae impreſſi apud Junctam anno partae ſalut 1504. hujus Eclogae titulum prae ſe ferunt *Epiphunus* ab argumento nimirum poëmatii, in quo Meliboei defuncti laudes à Timeta commemorantur, quae tamen inſcriptio abeſt à nonnullis exemplaribus, quae inſpexi; Theocriti quoque Idyllia duplici titulo interdum inſcribuntur, ut ἐπιτάφιος Βίωνος, καὶ Ἀδώνιδος, atque hanc epigraphen appinxit etiam Themiſtius ſecundae Orationi, in qua Patris ſui demortui laudes recenſet, ipſique encomium facit, ſimilis inſcriptio citatur Varronis Libri, quae tamen alicubi mendoſe legebatur *Epifatsionibus*, cum ſcribi debeat περὶ ἐπιταφίων: Platonis quoque Dialogi, vel omnes, vel certe plurimi duplicem titulum prae ſe ferunt; ſic & Sermones Dionis Pruſienſis: ſed & aliquot Virgilii Eclogas hac ta-

Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen

Com-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

3. *Incipe, si quod*] *si quid* R. Virg. Ecl. v. *Incipe*, &c. & iterum post, *Incipe*. Ecl. ix. *Incipe, si quid habes*. ut hic R.

NOTAE.

ratione inscriptas esse, licet observare. Caeterum exorditur Timetas à temporis opportunitate, cui & illud insuper accedit, quod inceptum opus non propterea interrumpi affirmat, ait enim, *interim, dum tu, canis, incboatam fiscellam pertexere poteris*, sic apud Maronem;

„*Haec sat erit, Divae, vestrum cecinisse Poëtam*,
„*Dum sedet & gracili fiscellam texit hibisco.*

Est autem *fiscella* vas, ubi rustici caseos exprimunt, ita enim exponitur haec vox ab Onomastico Latino: Graeci vocant κρεμάθρας ταῤῥίον, καὶ ταρσόν. Julius Pollux inquit, ἕτερον γὰρ ἡ ῥιπίς, ἀλλὰ καὶ σπυρίδας, καὶ φορμίδας, καὶ φορμίσκια, καὶ φορμίσκους, καὶ ταλάρους, καὶ καλαθίσκους καὶ ταρσούς. ἔστι δὲ καλάμινον πλέγμα, ἐφ' οὗ μετὰ ὑγροὺς ἐξέρχονται τυρούς. rursus, capite, quod hoc statim consequitur τάλαρος, τυροσκομεῖα. ὅτι δ' ἂν καλοῖς τὸν τάλαρον, ᾧ ὁ χλωρὸς τυρὸς ἐμπήγνυται). Calphurnius.

Sed mihi nec gracili sine te fiscella salicto,
Texitur & nulla tremuere coagula lacte.

Tibullus quoque ait:

Dum fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero.

Divus Hieronymus ad Rusticanum Monachum: „*Cur tu in usus tuos succrescentia non praeparas? vel fiscellam texe junco: vel canistrum lentis plecte viminibus.*

Hanc alibi hic noster appellat *calathum*:

Ipse ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in usus.

Tale quippiam significavit *Maro*, cum dixit:

Quin tu aliquid saltem potius quorum indiget usus
Viminibus, mollique paras detexere junco? TITIUS.

1. JUNCO] *Salictum* texendae fiscellae requirit Calpurnius Eclog. III. iisdem pene verbis,

Sed mihi nec gracili sine te fiscella salicto
Texitur ———

Tibullus lib. II. Eleg. III.

Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero.

Junceae fiscellae apud Columellam lib. XII. cap. XVII. Qui & picandas fiscellas uvis capiendis vilicae praescribit cap. XVIII. ejusdem libri. Suadet autem inter texendum canat exemplo Virgilii Ecloga X.

Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse Poëtam,
Dum sedet & gracili fiscellam texit hibisco. BARTIUS.

2. RAUCIS RESONANT TUA RURA CICADIS:] Summum diei calorem notat, quo nimirum cicadae maxime obstrepere consueverunt. ob frigidam nempe corporis constitutionem ipsos non canere scribit *Theophrastus*, quoad Sol jam procedente die incaluerit: sic *Virgilius Bucolicis*:

At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

rursus *in Georgicis*:

Inde, ubi quarta sitim coeli collegerit hora,
Et cantu querulae rumpunt arbusta cicadae:

Iterum in Poëmatio vocato *Copa*:

Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae:

Lucanus in Panegyrico:

Sic & Aedonia superantur voce cicadae,
Stridula cum rapido faciunt convicia soli.

Sic etiam *Theocritus* Idyllio:

Οἱ δὲ ποτὶ σκιαραῖς ὀροδαμνίσιν αἰθαλίωνες
Τέττιγες λαλαγεῦντες ἔχον πόνον. rursus Idyllio.
——— ξείνα τέττιξ
Ποιμένας ἐνδιὸς πεφυλαγμένος, ἔνθαδε δένδρων
Ἀχεῖ ἐν ἀκρεμόνεσσιν.

Hesiodus quoque hac periphrasi utitur: ἐν ἔργοις, & ἐν ἀσπίδι cum meridiem significare vellet. TIT. In foribus ajunt, sed ego in in ipsas fores incurrebam, atque anceps ibi subsidebam. Nam cum rura Tityri *Cicadis resonare*, dicantur, (hoc jam sole incalescente fieri compertum est) non sat convenire bene id videbatur cum eo quod ros, & primi clementia solis greges ad pastionem invitarent. Sed non ad Clepsydram metiuntur Poëtae momenta temporum, oratorum instar vel Astrologorum, sat illis sit (praesertim si ruri habent) diem quem vocamus artificialem in tres partes divisisse, matutinam, meridianam, vespertinam; totam illam matutinam, quae suos habet gradus, primum solem vocari recte, quis neget? at in ultimo primae hujus partis gradu cicadis arbusta resonare, nullam solis inclementiam adhuc sentiri, roscida gramina superesse alicubi, nullus vetat. Eadem itaque ipsa hora, qui nostram dictam tertiam paulo antecedit

&

Compositum. nam te calamos inflare labello

Pan

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

4. *Calamos inflare*] Virg. Ecl. v. *Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.*

NOTAE.

& primum solem, nec inclementem ferimus & Cicadarum strepitu nostrae obsurdescunt aures: pingui namque Minerva haec tractant Poëtae (uti dicebamus) praesertim rustici, quemadmodum pingue & illud nasutis hominibus foret, dum semihorae spatium vix consumitur in his cantandis, quae in laudem Moelibei afferuntur, integrum diem a prima hora usque ad extremam potuisse, concluditur enim

„*Sed jam sol demittit equos de culmine mundi*

„*Flumineos suadens gregibus praebere liquores.*

MARTELLUS.

2. Cicadis:] Musicum maxime hoc animalculum putabant veteres, idque venerabantur, quasi ideo à natura conditum ut cantu levaret labores agricolarum. Unde Μουσῶν ὄρνιν appellant. Anacreon.

Σὺ καὶ τίμιος βροτοῖσι
Θέρεος γλυκὺς προφήτης
Φιλέουσι μέν σε Μοῦσαι.
Φιλεῖ δὲ Φοῖβος αὐτός.

Theocritus aliquot locis summam cantus suavitatem illi tribuit. Apud quem plura lege. matutinum earum cantum laudat Nemesianus, quia is sole incalente flaccescit. Phile.

Οἱ τῶν νυκτερινῶν ἐμφορούμενοι δρόσων
Τὸν ῥυθμὸν ἀντέχουσιν εἰς μεσημβρίαν,
Ὅταν τὸ θερμὸν τὰς τομίδας ἀναπτύξῃ,
Καὶ τὰς ὑγρὰς τῶν μελῶν ἐξικμάζῃ. BART.

3. Incipe, si quid habes] Haud aliter *Maro:*

Incipe si quid habes, & me fecere Poëtam
Pierides —— TIT.

3. Gracili sub arundine] Eodem pacto *Virgilius:*

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen: ——

& reliq. sic etiam *Petronius Arbiter:*

Et viridi junco gracilis pendebat arundo.

alicubi *Virgilius tenuem* appellavit:

Sylvestrem tenui Musam meditaris avena:

& *Leves calamos Ecl.* 5.

Tu calamos inflare leves ego dicere versus:

Tibullus *arentem* vocat lib. 2.

Et fatur arenti primum est modulatus avena,
Carmen ——

Significat autem Nemesianus τοὺς βουκολικοὺς & pastoritios versus. TIT. *Gracile carmen, gracilisque sonus* pro tenui Poëtis. Virgilius Culice.

Lusimus Octavi gracili modulante Thalia.

Idem.

—— *Gracili modulatus avena.*
Carmen.

Quo allusit noster. Propertius libro II.

Hic me tam gracileis vetuit contemnere Musas;
Jussit & Ascraeum sic habitare nemus. BART.

3. sub arundine.] hoc est, ad modos fistulae. Modimperante fistula compositum, cujus sonus ad ejus modos congruat. Nam talia Bucolicorum carmina. Hinc Ecloga. II. v. XIX.

Atque sub hac platano moesti solatia casus
Alternant, Idas calamis, & versibus Alcon.

Sic inf. Tityrus se dicit versus calamis cecinisse. v. XI. qui cani fistula simul & voce possent. *Sub fistula canere* dictum, ut *sub aliquo* aliquid *agere*, ad ejus scilicet nutum. Tibullus.

Nunc Jove sub domino caedes, & vulnera semper.

Propertius lib. III.

Non ego velifera tumidum mare findo carina,
Tota sub exiguo flumine nostra mora est.

Idem lib. IV.

Militiam Veneris tacitis patiere sub armis.

Virgilius lib. XII.

Cuncta Pater, qui bella tuo sub numine torques.

Bella sub tuo numine, est, tuo nutui subdita BART.

4. Nam te calamos] Occupatio ad excusationem imperitiae: Pan autem fistula canere primus instituit, ut ipsum artis ejus peritissimum fuisse liceat existimare. Virg. Ecl. 2.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit: rursus 8.
Panaque qui primus calamos non passus inertes.

Hic noster paulo inferius:

Namque fuit dignus senior, quem carmine Phoebus,
Pan calamis, fidibusque Linus, modulatibus Orpheus
Concineret. TIT.

4. Calamos inflare.] Virg.

—— *Tu calamos inflare leves.* BART.

5. Pan

Pan docuit, versuque bonus tibi favit Apollo.
Incipe, dum salices hoedi, dum gramina vaccae
Detondent, viridique gregem permittere campo
Et ros, & primi suadet clementia solis.

TIT.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

7. *Detond.*] *Detrudent*, *vir. greges promittere* R.

NOTAE.

5. PAN DOCUIT.] Ab ipso Deo doctum senem ait. Pan autem primus calamos cera conjungere plures instituit. Virgil. Arrogantius etiam ille apud Maronem.

Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.

Modestius Theocritus, qui alteram à Pane coronam.

——— αἰὸ ἦ κὴ τὺ
Συρίσδες : μετὰ πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ.

Paria cum nostro apud Calpurnium Ecloga II. BART.

5. VERSUQUE BONUS] Doctus, peritus, sic Graeci usurpant voces *ἀγαθὸς, ἐσθλὸς*, *Sophocles dixit*: Οὔκουν σὺ ταῦτ' ἄριστος εὑρίσκειν ἔφυς. Virg.

——— *Boni quoniam consedimus ambo,*
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

Valerius Flaccus:

Tu medius gladio bonus ire per hostes
Euryte.

Probe autem dictus est Apollo canendi peritus, namque ipse artis musicae inventor creditus est, unde Tibullus *Carminis auctorem* ipsum appellat.

Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo.

TIT. Virg.

——— *boni quoniam convenimus ambo*
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

Sed *Bonus* hic potius ad Apollinem referas. Utrumque enim propitium canit homini, Panem & Phoebum. BART.

6. DUM SALICES HAEDI,] Virgil. *non me pascente capellae Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.* Calphurn. *Meteneras salices juvat, aut oleastra putare. Et gregibus portare.* TIT.

7. DETONDENT,] Decerpunt, pascuntur. Virg. Aen.

——— *Equos in gramine vidi*
Tondentes campum late candore nivali.

& in Culice:

Tondentur tenero viridantia gramina morsu.

Non multo post locutionem hanc ita variavit:

Decerpunt gramina tauri. TIT. Virgil. Cul.

Tondentur tenere viridantia gramina morsu.

Idem Eclogis. Georgicis. Aeneide. & *tondere* est carpere. Propertius libro III.

Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre.
Lilia virgineos lucida per calathos. BART.

7. PERMITTERE.] Eleganter Calpurnius *pecori campum dare.* Ecloga quinta. BART.

8. ROS.] Calpurnius Micone.

——— *ante diem pecus exeat, humida dulces*
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tinguntur pascua rore. BART.

8. ET ROS, ET PRIMI] Vocat primum solem, cum primum exoriri incipit, sicut *primam aetatem* Virgilius:

Vix prima inceperat aetas.

Horatius: *primam noctem* appellat, cum primum obtenebrascere incipit:

Prima nocte domum claude.

Martialis quoque pari ratione *prima flumina* vocavit, unde ea primum fluere incipiunt, quod *caput* alias appellamus; ita *supremum solem* ex adverso dixit Horat.

Supreme te sole domi Torquate manebo.

& *supremam diem.*

Suprema citius solvet amor die.

Porro greges bene mane pastum mittere oportere docet etiam Calphurnius. Ecl. 5.

——— *Tunc campos ovibus, dumeta capellis,*
Orte sole dabis, simul hunc accedere montem
Ceperit, & primae spatium tepefecerit horae:

cujus quidem praeceptionis non longe inferius rationem subjicit hanc:

——— *humida dulces*
Efficis aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tanguntur pascua rore.

Sed & Virgilius quoque hujus rei Pastores admonuerat, cum dixit *Georgicorum* 3.

At

TIT. Hos annos, canamque meam, mihi care, senectam
Tu juvenis, carusque deis, in carmina cogis?
Diximus, & calamis versus cantavimus olim,

Dum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

11. *Diximus*,] *Viximus* V. A. B. F. P. *Diximus: & calamis versu.* R. & MS. Pal. Virg. Ecl. v. *Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.* Illius enim Eclogae oeconomiam & multa loca hic expressit. Vide sup. ad Olymp. Cyneg. versu 49. Male B. in Adverf. *Diximus & calamo, & versu cant.*

NOTAE.

At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestus,
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sydere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.

quem locum respexit *Palladius* in Novembri, cum de eadem re loqueretur: TIT.

8. PRIMI CLEMENTIA SOLIS.] Calpurnius.

Nec moru tum campos ovibus, dumetu capellis
Orto sole dabis, simul hunc transcendere montem
Coeperis, & primae spatium tepefecerit horae.

BART.

8. CLEMENTIA SOLIS.] Moderatus calor. *Sic clementia gurgitis* apud Claudian. Panegyr. Manl. Columella lib. IX. cap. XIII. *cum clementia diei suaserit.* Sic *clemens sonus* apud Appulejum lib. v. *Clemens flatus* apud eumden eodem libro. Catullus:

Quae tarde primum clementi flumine pulsae
Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni.

BART.

9. HOS ANNOS,] Excusationem affert Tityrus ab aetate ingravescente, cum nullus alius se excusandi locus sibi relictus esset: opponit autem τὸ πρέπον; neque enim senes cantus & lusus decent, unde Chlorim anum insectatur Horatius dicens:

Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent,
Nec flos purpureus rosae,
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

Vocat autem Senectutem *canam* ab effectu. TIT.

9. MIHI CARE,] Blanditio senum propria, interdum & aliorum. Virgil.

Testor cara Deum, & Te Germana, tuumque
Dulce caput.

Horat.

Quid agis, dulcissime rerum.

Musaeus in Poëmatio de Herone & Leandro.

Ἀλλὰ φίλη πεφύλαξο βαρυπνείοντας ἀήτας,
Μή μιν ἀποσβέσσῃς.

Sic etiam Homerus:

Τυδεΐδη Διόμηδες, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.

Franciscus Petrarcha:

Così questa mia cara à morte venne.

id est, φίλη. TIT.

10. TU JUVENIS,] Excusat se Tityrus, eademque opera conatur in Timetam canendi onus transferre; suadet autem ab aetate, & quod canendi peritus sit, ne, quo confugeret, haberet Timetas. Homerus. Ἄρχε· σὺ γὰρ γενεῆφι νεώτερος: quem locum & laudat, & interpretatur Synesius Epistola quapiam ad Hercullianum dicens: τὸ γὰρ ἐκ τοῦ ποιητοῦ, ἄρχε, σὺ γὰρ γενεῆφι νεώτερος, πολέμου μὲν καὶ στάσεως ἄρχειν δίκαιοι τοὺς νέους, φιλοφροσύνης δὲ τοὺς πρεσβυτέρους. Carus autem Deis, hoc est Musis, Apollini & Baccho Diis Poëtarum. Horat.

Musis amicus tristitiam, & metum
Tradam protinus in mare Creticum
Portare ventis. Virg.
Et me Phoebus amat. TIT.

11. VIXIMUS,] Nota figura. Virg.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi:

tale est illud ejusdem poëtae:

——— *Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens*
Gloria Teucrorum.

nec non illud alterum *Tibulli:*

Sive erimus, seu nos fata fuisse velint:

neque enim libenter dixissent veteres: *interierunt, aut mortui sunt*, ut notat *Servius*. Sic etiam *Torquatus Tassius* majori suo poëmate. *Vissi, è regnai, non vivo più, ne regno; Ben si puo dir. Noi summo; à tutti égiunto L'ultimo di l'inevitabil punto.* hinc σοφιστικῶς concludere est solitus Stilpon: τὸ λάχανον οὐκ ἐστὶ τὸ δεικνύμενον, λάχανον γὰρ ἦν πρὸ μυρίων ἐτῶν, οὐκ ἄρα ἐστὶ τοῦτο λάχανον. refert Hesychius Milesius, qui & Illustrius nuncupatur. Excurrit autem Tityrus senum more in proprias

Dum fecura hilares aetas ludebat amores.
Nunc album caput, & veneres ftupuere fub annis:
Jam mea ruricolae dependet fiftula Fauno.

Te

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

13. *Stupuere*] Ita R. & Ms. Palat. *tepuere*, rectius in al. omn. *Tepere* apud recentiores, & paffim Ammiano, eft, frigefcere.
14. *dependet fift.*] Vide Nemef. Ecl. III. v. 5.

NOTAE.

laudes Entelli Maroniani exemplo; quod in quibufdam libris fcribitur *diximus* non recipio. TIT. Virgil.

Vixi & quem dederat curfum fortuna, peregi.

Et ita loquebantur, qui morti fe jam proximos putabant. Mezentius lib. x. Aen.

Phoebe diu, res fi qua diu mortalibus ulla eft,
Viximus ——— BART.

11. CALAMIS VERSUS.] Ad calamos. Cecinimus verfus, quos paftores mox fiftulis aemularentur. Vetus editio:

——— *Calamo verfu cantavimus olim.*

Unde fufpicamur fcriptum Nemefiano. ——— *& calamo & verfu.* Atque id veriffimum eft. BART.

12. DUM SECURA] Aetas fine cura graviorum rerum, qualis juvenum effe confuevit, ut recte oftendit *Ariftoteles* Ῥητορ. β. & *Horatius* in Epiftola ad Pifones. TIT.

12. LUDEBAT AMORES.] Quae levia carminibus produnt Poëtae, ea *lufus* Latini, παίγνια Graeci appellare confueverunt, & ipfi ludere dicuntur. Virgilius:

Ludere quae vellem calamo permifit agrefti.

fic enim alibi:

Prima Syracufio dignata eft ludere verfu
Noftra, nec erubuit fylvas habitare Thalia.

Calphurn

——— *Levibus quam faepe cicutis*
Ludere conantem vetuifti voce paterna. TIT.

12. LUDEBAT] & ad cantum, & lufus amatorios hoc referri poteft. *Ludere* enim ut παίζειν Graecanicum, amore vago eft frui, nec ferio ad unam animum adplicare: aut omnino amoris ludo uti. Catullus.

Ludite ut lubet & brevi
Liberos date.

Juppiter apud Lucianum. Dial. ἔτι γὰρ σὺ μέμνησαι ἐκείνων ὅτε ἐγὼ ἔπαιξα εἰς γῆν κατελθών. Sulpicius Severus, lib. I. Sacrae hiftoriae *Ludibrii* vocem eleganter in hunc fenfum ufurpavit: *Juvenes ex oppido hofpitem circumfiftunt, ftupro eum fubdere parantes. Multum à fene increpiti, aegreque exhortati, vicario demum concubinae corpore in ludibrium accepto, advenae pepercerunt.* Et *illudere alicui* eodem modo ufurpatur. Idem. *Illufamque nocte tota, poftero die reddiderunt.* Sic Tacitus lib. XIII. Annal. *illufiffe pueritiae Britannicae Neronem.* Sed haec alibi. BART.

13. ALBUM CAPUT,] Canum. Virgilius lib. VII.

——— *In vultus fefe transformat aniles*
Et frontem obfcoenam rugis arat, induit albos
Cum vitta crines. TIT.

13. VENERES TEPUERE SUB ANNIS:] Lepores abfceffere paulatim naturali calore decedente, fenes enim (ut inquit Ariftoteles) κατεψυγμένοι εἰσὶ, οἱ δὲ νέοι θερμοί. Virgil.

Frigidus in Venerem Senior.

Loquitur autem de equis: de fe ipfo Horatius:

Define dulcium
Mater faeva cupidinum,
Circa luftra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis:

generatim vero fic:

Fugit retro Levis juventas, & decor arida
Pellente lafcivos amores
Canitie, facilemque fomnum.

Euripides:

Ἀλλ' ἢ τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ,
Ἡ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται. TIT.

13. TEPUERE] Eleganter: fenfim enim remiferunt à calore juvenili. Sic Ovidius. II. Amorum. XIX.

Sic ubi vexarat, tepidofque refoverat ignes,
Rurfus erat votis comis & apta meis. BART.

13. SUB] Abundat haec particula. Nam etfi tollas, eadem erit vis fententiae: vide ad Gratium. BART.

14. JAM MEA RURICOLAE] Cum artem aliquam definere volebant veteres, & ab exercitio

Te nunc rura ſonant: nuper nam carmine victor
Riſiſti calamos & diſſona flamina Mopſi,
Judice me. mecum ſenior Meliboeus utrumque
Audierat, laudeſque tuas ſublime ferebat.
Quem nunc emeritae permenſum tempora vitae,

Se-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

16. *Flamina*] *Carmina* R. *flumina* P.
15. *Te*] *Et* B.

N O T A E.

tio aliquo in poſterum ſe abſtinere, ejus exercitii inſtrumenta cuipiam Deo, qui arti illi praeeſſet, affigere conſueverunt: ſic Herculi arma gladiatôres & milites, Veneri ſpeculum meretriculae, pupas virgines grandiores, Laribus bullas pueri, qui ex ephoebis exceſſiſſent, ſuſpendebant. Horat.

Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

Virg.

Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu. Tibullus:
Pendebatque vagi Paſtoris in arbore votum.
Garrula ſilveſtri fiſtula ſacra Deo.

Sic *Timon dives repente factus apud Lucianum Pani ligonem & ſagum ſuſpendit.* TIT.

14. Rubicolae Fauno.] Ornatus & cultus ruris penes Faunum. Gratius Cynegetico:

——— *Latii cultor qui, Faunus, amoena.*

Idem *cultorem Latii* vocat Tyberim amnem. BART.

14. Dependet fistula] Emeritas fiſtulas paſtores Pani aut Fauno ſuſpendebant. Longus lib. I. Poemen. de antro Nymfarum. ἀνέκειντο δὲ καὶ γαυλοὶ, καὶ αὐλοὶ, πλάγιοι, καὶ σύριγγες, καὶ κάλαμοι πρεσβυτέρων ποιμένων ἀναθήματα. Eodem libro ἀνεστεφάνωσαν τὰ ἀγάλματα, τὴν δὲ τοῦ Δόρκωνος σύριγγα τῆς πέτρας ἐξήρτησαν ἀνάθημα. Idem lib. IV. ubi Daphnis exuit vitam paſtoritiam. ἐνταῦθα ὁ Δάφνις συναθροίσας πάντα τὰ ποιμενικὰ κτήματα, διένειμεν ἀναθήματα τοῖς θεοῖς. τῷ Διονύσῳ μὲν ἀνέθηκε τὴν θήραν καὶ τὸ δέρμα. τῷ Πανὶ τὴν σύριγγα καὶ τὸν πλάγιον αὐλόν. τὴν καλαύροπα ταῖς Νύμφαις &c. BART.

15. Te nunc rura sonant:] Vel, de te paſſim omnes loquuntur, vel nulli, niſi tui cantus in his ſylvis audiuntur, unde ſtatim ſubjicit:

Nuper nam carmina victor,

& caetera. Sic infra. Ecl. 4.

Me ſonat omnis *Sylva* ——— TIT.

Melius eſt quod praefert vetus editio Litteris Longobardicis.

——— *ſonent.* BART.

15. Nam] In veteri editione eſt. *Jam dum victor* &c. BART.

16. Et dissona flamina Mopsi,] Infra Ecl. 3.

Sed pro carminibus male diſſona ſibila reddit.

neque aliter Menalcas apud Virg. Muſam Damonis irridet.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera,
Juncta fuit, non tu in triviis, indocte, ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

qui locus expreſſus videtur è *Theocrito* Idyllio. BART.

17. Mecum senior Meliboeus] Ad ſuſpicionem à ſe removendam teſtem advocat, cui tribuit gravitatem, & judicii ſinceritatem, dum eum *ſenem* appellat; recte vero Meliboei mentionem infert, ut tanquam materiam, & argumentum proponat Timetae, quod is dein verſibus proſequatur. TIT.

18. Laudesque tuas sublime ferebat.]
Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni. TIT.

18. Sublime] In ſublime, vel *ſublime* adverbii vicem. Virgilius Eclog. IX.

Cantantes ſublime ferant ad ſydera cygni.

Prudentius Romano.

——— *Praecipit*
Sublime tollant & manu pulſent nates.

Sublimiter dicat Appulejus. Lucretius lib. II.

Nocturnaſque faces coeli, ſublime volanteis. BART.

19. Quem nunc] Divini prorſus duo verſus, dignique homine Chriſtiano, & optimo poëta. BART.

19. Emeritae] Vita enim eſt noſtra inſtar conductae nobis tradita; atque ſimilis cuilibet mu-

Secreti pars orbis habet, mundusque piorum.
Quare age, si qua tibi Meliboei gratia vivit,
Dicat honoratos praedulcis tibia manes.

TIM.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

20. *Piorum*] *Priorum* V. B.
21. AMYN. praefigit R. & v. 23. TITY. & 30. AMYN.

NOTAE.

muneri, quod cum emeriti sumus, coronamur. D. Paullus. *ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίστιν τετήρηκα; λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ κύριος.* *Servituti* vitam comparat Seneca Epistolâ LXXVIII. Antiphon *carceri* apud Stobaeum. quem vide Sermone XCVI. BART.

19. PERMENSUM] Sic *peregrinationi* componitur vita humana à Seneca, *itineri* ab eodem de Brevitate ejus. aurei libelli de Beata & Brevi edifcendi sunt. BART.

20. SECRETI PARS ORBIS HABET,] Vel distiti, & à nostro orbe longe semoti, velut de Britannia dixit *Virgilius*:

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

vel nobis incogniti, & vivis inpenetrabilis. Virg.

Regna invia vivis.

vel secreti ob silentium, quod ibi servatur, verius enim manes obmurmurare, quam loqui dicuntur. Virgilius:

Dii, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes. TIT.

Rustica simplicitate locum nominare non audet, cum inter beatos in caelo amicum vivere dicat. Hoc enim eleganter multi ex Ethnicis suspicati potius quam sciverunt. Vide quae notamus infra ad versum XXXIX. hujus Eclogae. Seneca capite XXVIII. Consol. ad Polyb. *fruitur nunc aperto & libero caelo, ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille locus est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu.* Vide Ciceronem in Somnio Scipionis & eruditissimum ejus explanatorem, Macrobium, Platonem & ejus sectatores ad unum omnes, qui plus quam divina de hoc litteris tradiderunt. BART.

20. MUNDUSQUE PIORUM.] *Campi* nimirum *Elysii*, quo pii duntaxat, & qui vitam puriter egerunt, post mortem commigrant. *Horat.*

Te pias laetis animas reponis sedibus.

Manilius quoque hac notione usus est voce *mundus* libro 1.

——— *Secumque habitantia coelum*

Aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur.

De campis Elysiis plena sunt omnium ferme poëtarum, & veterum scriptorum monumenta, consule inter caeteros *Tibullum* Elegia ad Messalam. *Ibitis Aegeas.* & *Virgilium* Aen. 6. TIT. In campis Elysiis alius mundus, alia sydera. Virgilius lib. VI.

——— *Mundumque suum, sua sidera norunt.*

Et Claudianus de Raptu. Valerius Flaccus libro 1.

——— *donec silvas, & amoena piorum*

Deveniunt, campesque, ubi Sol totumque per annum

Durat aprica dies, thiasique chorique virorum,

Carminaque & populis quorum jam nulla cupido.

Hic quotannis ter fructum tellurem producere auctor Hesiod. α, ἔργων, cujus vide scholiastes. Hunc autem in mundum diis descensum & ascensum crebrum esse alii tradunt. Quintus Smyrnaeus. libro XIV.

Ὣς εἰπὼν ὑπόρουσε θοῇ ἐναλίγκιος αὔρῃ;
Αἶψα δ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον· ἦχι τέτυκτο
Οὐρανοῦ ἐξ ὑπάτοιο καταιβασίη τ' ἄνοδός τε
Ἀθανάτοις μακάρεσσι ———

Sed haec Graecorum fabulis decantatissima. BART.

21. VIVIT, Floret & permanet. Virgil.

——— *si quid mea carmina possunt,*

Nulla dies umquam memori vos eximet aevo.

Symmachus libro X. Epistola XXXII. BART.

22. DICAT HONORATOS] Honor de inferiis potissimum effertur; hinc manes honoratos appellamus, quos solemnibus ceremoniis prosecuti sumus. *Lucilius.*

Nullo honore disspletus, nullo funere.

Horat.

Sepulchri mitte super vacuos honores.

Virgil.

Ergo agite, & cuncti laetum celebremus honorem;

& paulo ante,

Nam-

Tim. Et parere decet juſſis, & grata jubentur.
Namque fuit dignus ſenior, quem carmine Phoebus,
Pan calamis, fidibuſque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri laudeſque ſonarent.
Sed quia tu noſtrae muſam depoſcis avenae,

Ac-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

23. *Et parere*] Virg. Ecl. v. *tibi me eſt aequum parere Menalca.*
24. *Pan*, &c.] Ex Virg. Ecl. v. verſ. 55. &c.

NOTAE.

Namque dies, ni fallor adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum. ſic Dii voluiſtis, habebo.

Caeterum animadvertendum eſt, ſummo conſilio Poëtam hoc loco *tibiae* meminiſſe; utpote, quae in funeribus adhiberi conſuevit tanquam luctui accomodata. *Virgil.*

Incipe Maenalios mecum mea tibia verſus.

Propert.

Tibia Mygdoniis luget eburna ſonis.

Ovid. Triſt. lib. III.

Interea noſtri quid agant, niſi triſte libelli;
Tibia funeribus convenit iſta meis.

& Faſt. 3.

Cantabat moeſtis tibia funeribus.

hae tubae caeteris erant longiores, ac latiores, quo gravior ſonus emitteretur: qui eas inflabant *Siticines* dicebantur, auctore Gellio. TIT.

22. Dicat] Laudet, celebret. Virgil.

Incipe, ſollicitos Galli dicamus Amores.

Idem.

Damonis Muſam dicemus & Alpheſibaei BART.

23. Et parere decet jussis,] Decet, quia grandior natu adoleſcenti jubet; grata jubentur, quia Melibaei memoria mihi quoque jucunda accidit: Virg.

Tu major, tibi me eſt aequum parere Menalca:

Neſtor apud Homerum:

'Αλλὰ πίθεσθ', ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο. TIT.

24. Fuit] Rurſus haeſitandi, atque ab erudito poëta requirendi cauſa erat, quid Orpheus afferret plus ſuis modulatibus, quam Phoebus ſuis carminibus in illis verſibus:

Namque fuit dignus ſenior quam carmine Phoebus
Pan calamis, fidibuſque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent.

Nam ſi modulari canere eſt, & carmina dicuntur cantus quia cantantur. quid Pan faciat calamis, quid Linus fidibus, & quomodo ſtudia invicem illorum differant, videmus: caeterum quomodo carmina Phoebi a modulationibus Orphei diſcernantur, in dubio reſtat. Sed res non habet obſcuritatem, & Nemeſiani non vulgarem doctrinam & diligentiam illuſtrat. Aliud namque eſt fungi officio Poetae, aliud partes tractare Muſici: illi carmina pangunt, hoc eſt cogitata certa verbis numero certo aſtrictis effingunt: hi carminibus ſic compactis ſonum accommodant, & canendi modum, hoc eſt vocis tenorem ſive accentum moderantur, ut libet, tum elatione, vel depreſſione, tum celeritate vel tarditate, quod nos vernacule *dare aërem*, vel *notas facere* vocamus. Diverſa carmina modulatu eodem cantari fas eſt, & diverſo modulatu carmina eadem item cantari, non dedecet: ſic rectiſſime dictum fuit, Phoebum tanquam Poëtarum Deum carminibus; Orpheum tanquam Excellentiſſimum muſices artificem modulatibus,

Acta viri laudeſque ſonare. MARTELL.

25. Fidibusque Linus,] Praeſtantiſſimus quiſque canendique peritiſſimus. Virgilius:

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis, atque huic Pater eſſet
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo,
Pan etiam Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum:

Propert.

Tunc ego ſim Inachio notior arte Lino. TIT.

25. Linus,] Panem, Linum, Orpheum jungit exemplo Maronis Pollione. Vide Laërtium prooëmio. BART.

27. Musam deposcis avenae,] Cantum, vel ſonum noſtrae fiſtulae. *Virg.*

Sylveſtrem tenui muſam meditaris avena.

idem: *Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.* rurſus: *Damonis muſam dicemus & Alpheſiboei.*

Zz Lu-

Accipe quae super haec cerasus, quam cernis ad amnem;
Continet, inciso servans mea carmina libro.
Tit. Dic age; sed, nobis ne vento garrula pinus

Ob-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

29 *Continet inciso quercus mea c. l.* R. & v. 28. deest. Virg. Ecl. v. *in viridi quae cortice fagi Carmina descripsi*, &c.

NOTAE.

Lucret. *Fistula sylvestrem non cessat fundere musam.* TIT.

28. QUAM CERNIS AD AMNEM,] Recte ad amnem, cum cerasus ex numero illarum arborum sit, quae locis aquosis gaudent, auctore *Plinio* TIT.

29. INCISO LIBRO.] Rusticorum hic mos. Virgilius. Calpurnius. III. V XLIV. BART.

29. SERVANS MEA CARMINA LIBRO.] Mos fuit Pastoribus in arborum corticibus carmina describere, id autem praecipue amantes facere consueverunt. *Virgil.*

——— Tenerisque meos incidere amores
Arboribus, crescent illae, crescetis amores.

Propert.

Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur & vestris Cynthia corticibus.

Ovid.

Incisae servant à te mea nomina fagi,
Et legor Oenone falce notata tua.

Sic etiam *Idas apud Calphurnium:*

Dic age, nam cerasi tua falce verba notabo,
Et decisa feram rutilanti carmina libro.

Theocritus:

Γεγραμμένα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, ὡς παριών τις
Αἰγνοίη, δωριστὶ σέβου μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Hic autem mihi nequeo temperare, quo minus divini poetae *Torquati Tassi* versus aliquot adscribam, qui in admirabili illo suo Majori Poëmate leguntur, id quod eo mihi libentius facio, quia eo ipso autore inprimis te, adolescens optime, delectari audio; atque ego quidem plurimum te hortor, ut quotiescunque nostris Poetis manum tibi admovere libet, ad nullum omnino alium te convertas, praeter hunc unum, de quo loquor; hujus vero mei de eo judicii caussas omnibus in promptu esse arbitror, atque ego alias fortasse pluribus verbis easdem prosequar; nunc ad institutum revertor: inquit igitur ille de *Erminia* loquens:

Sovente allhor, che su gli estivi ardori
Giacean le pecorelle a l'ombra assise,
Ne le scorze de' fagi, e de gli allori
Segnò l'amato nome in mille guise,
E de suoi strani, & infelici amori
Gli aspri successi in mille piante incise,.
E in rileggendo poi le proprie note,
Rigò di belle lacrime le gote.

Factus est autem hic Nemesiani locus ad imitationem illius *Maronis:*

Imo haec in viridi nuper, quae cortice fagi
Carmina descripsi, & modulans alterna notavi
Experiar. TIT.

30. GARRULA PINUS] Vel *canora* propter avium concentum, vel *stridula*, propter susurrum foliorum agitatorum Catullus.

Nam Cytliorio in jugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.

Virg.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.

rursus alibi:

Menalus, argutumque nemus, pinusque loquentes,
Semper habet.

Septimius Severus in Ruralibus:

Pinea brachia cum trepidant, audio canticulum Zephyri.

Cornelius Severus.

Pinea frondosi coma murmurat Apennini.

Ausonius.

Est & arundineis modulatio musica rivis,
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,.
Incubuit foliis quoties levis Eurus acutis.

Vis & eundem *Tassum*, de quo supra locutus sum, in hanc rem testem adducam? faciam non invitus, nam dignus profecto est, siquis alius, cujus auctoritas in quibusvis gravissimis rebus, nedum in his lusibus, advocetur, ait igitur.

Mormoral' aura, e fà le foglie, e l'onde
Garrir, che variamente ella percuote:

& reliqua. Sic mihi *Anibal Carus* poëta venustissimus Ecloga quapiam.

Odi

Obſtrepat, has ulmos potius fagoſve petamus.
TIM. Hic cantare libet: virides nam ſuggerit herbas
Mollis ager, lateque tacet nemus omne. quieti
Aſpice ut ecce procul decerpant gramina tauri.
Omniparens aether, & rerum cauſſa liquores,
Corporis & genitrix tellus vitalis, & aër,
Accipite hos calamos, atque hæc noſtro Meliboeo
Mit-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

31. *Fageſque* R. & B. Ed. Virg. Ecl. v. verſ. 3.
32. *Suggerit*] *Subigit* R. & MS. Pal. unde B. *ſubjicit.* recte. Virg. Ecl. x. *viridis ſe ſubjicit alnus.*
34. *Deflectant flamina Cauri* MS. Titii.
35. TIT. hic praefigit R. nam v. 32. perſona deeſt. R. V.
36. *Vitalis, & aër,*] Sic R. *tellus, vitalis & aer.* al. o.

N O T A E.

Odi la 'l fonte, e quel frenzuto pino,
Mentre mormora l'uno, e altro fiſchia,
Come inſieme ſi fan quilio, e bordone.
conſule hac de re *Annaeum Senecam* Natur. Quaeſt. lib. 2. cap. 28. ubi de tonitru diſputat. TIT.

30. VENTO GARRULA.] Alias voluptatem in hujuſmodi arborum cantico habent, ſed hic eam nihil moratur, attentiſſimus in judicis ſuum officium. Si vis eam videre deſcriptam, aut depictam potius, adi Ariſtenaetum libro I. Epiſtola IV. Aelianum. ποικ. libro III capite I. Longum Poemon. Theocritum Oariſt. Achillem Tatium. I. Petronium, Calpurnium, Virgilium Culice. &c. BART.

31. FAGOSVE PETAMUS.] Libenter ſub fagi umbra conſidere ſolent paſtores. Virgil.
Tityre tu patulae recubans ſub tegmine fagi
Sylveſtrem tenui Muſam meditaris avena.
rurſus alibi:
Tantum inter denſas umbroſa cacumina fagos
Aſſidue veniebat
Seneca,
Et vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas.
Dixit autem *coeleſtia templa* poëtice pro *coelo ipſo.* ſic Ennius:
Contremuit templum magnum Jovis altitonantis.
Lucretius.
—— —— *Altaque coeli*
Denſebant procul a terris fulgentia templa.
rurſus ibidem:
—— —— *Et ignes*
Paſſim per coeli volvunt ſe inania templa.
& Lib. 6.
Fumida cum coeli ſcintillare omnia templa
Cernentes. TIT.

35. OMNIPARENS AETHER,] Ex illis Maronis.
At Pater omnipotens faecundis imbribus aether
Conjugis in gremium laetae deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore foetus.
Pervigilii ſcriptor:
Cras erit qui primus, aether, copulavit nuptias
Ut parens totis crearet vernis annum nubibus,
In ſinum maritus imber fluxus almae conjugis
Ut foetus immixtus omnes aleret magno corpore.
Quem in animadverſis belle emendabimus. BART.

35. RERUM CAUSSA LIQUORES,] Thaletis doctrinae particula. vide Laërtium libro I. & Plutarchum περὶ ἀρχῶν. quaeque nos pluribus ad Claudianum quarto conſulatu Honorii. verſu XXIII. notavimus. BART.

36. CORPORIS] Maſſam corporis humani atque alterius omnis generis terrae adſcribit: quod ejus alatur fructibus & ſuſtineatur. Manilius libro IV.
—— *eſſe in nobis terrenae corpora ſortis*
Sanguineaſque animas.
Animae autem *aetherem* auctorem facit, de quo mox dicemus. Ita omnia στοιχεῖα Philoſophorum noninavit. *Aether* enim caeleſtis ignis eſt. BART.

36. VITALIS, ET AER,] Plutarchus. ἀναξιμένης δὲ ὁ μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο. ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι· καὶ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι, οἷον ἡ ψυχὴ, φησὶν ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα, συγκρατεῖ ἡμᾶς, καὶ ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα καὶ ἀὴρ περιέχει.

Mittite, si sentire datur post fata quietis.
Jam si sublimes animæ cœlestia templa,
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur:
Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno

Pe-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

38. *Fata*] *Facta* V. B.
39. *Nam*] Ita o. libb.

NOTAE.

Vide inibi eum ista confutantem. BART.

38. QUIETIS.] Virgilius.

Amat bonus otia Daphnis.

Defuncto itidem pastore. BART.

39. SUBLIMES ANIMAE CAELESTIA TEMPLA.] Eorum qui bene vixerant animas Poëtae aliique sapientes veterum in caelum post obitum evolare putabant. Manilius libro IV.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In caelumque redire animas, caeloque venire?

Idem libro I.

—— Fortes animae dignataque nomina caelo,
Corporibus resoluta suis, terraeque remissa,
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia caelum
Aethereos vivunt annos ——

Lucretius libro II.

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras; & quod missum est ex aetheris oris,
Id rursum coeli fulgentia templa receptant.

Silius Italicus lib. XV.

At queis aetherei servatur seminis ortus,
Caeli porta patet. ——

Euripides Supplicibus.

Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε. πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.

Gracilis epitaphio Probinae:

Vita subit caelum, corpus tellure tenetur,
Omnia sic repetunt jura locosque suos.

Julia Marcella Epitaphio Cl. Fabati.

Terrenum corpus, coelestis spiritus in me,
Quo repetente suam sedem, nunc vivimus illic,
Et fruitur superis aeterna in luce Fabatus.

Euripides Helena.

—— —— —— ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει,
Ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ', ἐμπεσών.

Vide Alcinoum cap. x. Platonic. definit. Maximum Tyrium Sermon. Plutarchum. περὶ ψυχ. Macrobium libro II. capite ultimo in Somnium Scipionis. Epictetum libro III. dissertat. capite XIII. Lactantium libro VII. capite XII. Senecam Epistola LXXX. ad Polybium Consolatione. cap. XXVIII. Consolatione ad Martiam. XXV. Boethium lib. III. carmine IX. Aeneam Gazaeum Theophrasto, qui libellus auro omni pretiosior est. Jamblychum Mysteriis Aegyptiorum. Nonnum libro XXXVII. Dionysiacôn. Prudentium Cathemer. X. & fine Hamartigeniae. Arnobium fine libri II. Lucianum περὶ πένθους. Quintum Smyrnaeum, libro VII ubi pro αἰέρα legendum puto αἰθέρα, idque favente editione vetere. locus est versu XLI. Sed ita tamen & libro XI. versu 465. Irenaeum libro V. Contra Valentin. Xenophontem. VIII. παιδ. & I. ἀπομνημ. Platonem non nominabo; nam ejus loca nota cuivis esse debent. Et sit finis tandem. BART.

39. CAELESTIA TEMPLA,] Manilium aemulatur libro primo.

Queis innexa manent caeli fulgentia templa.

Idem libro V.

Tunc conferta licet caeli fulgentia templa.

Vide Varronem libro sexto de lingua latina. BART.

40. SIDEREAS SEDES,] Animas putabant nonnulli in sidera à morte commutari. Martianus Capella.

Quaeque Platonis
Esse dedisti
Sidera mentes.

De quo alibi plurimis scripsimus. BART.

40. MUNDOQUE FRUUNTUR;] Ex Manilio lib. I.

—— Suumque habitantia caelum
Aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur.

Idem lib. IV.

—— —— Pervidimus omnem
Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
Pars sua conspicimus. ——

Quam-

Pectore fovisti, quos tu, Meliboee, probasti.
Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus,
Felicesque anni, nostrique novissimus aevi
Circulus, innocuae clauserunt tempora vitae.
Nec minus hinc nobis gemitus lacrymaeque fuere,
Quam si florenteis mors invida pelleret annos.
Nec tenuit tales communis caussa querelas;

Heu

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

44. *Anni*] *Animi* R. B.
48. *Nec tenuit*] *Haec* V. A. F. *Nec renuit*, Hug. Martell.

NOTAE.

Quamvis ibi de viventium animis loquatur. BART.

42. Meliboee probasti.] Vere igitur dixerat Tityrus:

Meum senior Meliboeus utrumque
Audierat, laudesque tuas sublime ferebat. TIT.

43. Longa tibi,] Non minimam felicitatis partem designat, quod diu vixerit. & quod vitam puriter egerit, quae duae conditiones praeter caeteras ad beatitatem requiruntur. TIT.

43. Spectata] Probata. Horatius. I. Epistol. I. *spectatum satis*. Comment. *probatum*. Portius Latro: *cui spectato frequenter in difficillimis rebus summam hujusmodi atrocissimi mali tuto committi posse facillime sibi pollicebatur*. Sic *spectare*, probare. Lucretius lib. III.

Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit —— BART.

44. Novissimus aevi circulus,] Aut annum octuagesimum primum intelligit, aut potius centesimum, aut quamdiu homo vivere naturaliter solet: consule *Plinium* alicubi Libro II. De annis climactericis longum esset omnia recensere: pete rem totam ex Galeno, & Fracastorio: alludit autem Poëta ad etymologiam anni: Sic Virgilius:

—— —— *Redit agricolis labor actus in orbem*
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
TIT.

45. Circulus,] Ultimum orbem annumque humanae vitae ait Melibaeum attigisse. *Circulo* autem aetas & tempus optime comparantur. Nam utrumque in se quasi abit, inque sua initia revertitur. Sic elegantissime divinus Heros Julius Scaliger nautarum vota *circulo* comparavit. Nonnus libro trigesimo septimo.

Ὄμμασιν ἀκλαύτοισιν ἐπεσχύνοντο θανόντας,
Οἷα βίον βροτέων γεραρὰ δ' εὐχὴ φυγόντας.
Ψυχῆς πημαινομένης, ἔθεν ἔκλυε, κυκλάδι σειρῇ
Νύσσης ἐς ἀρχαῖον. ——

Drepanius Florus.

Tempora transcursis in se redeuntia rivis.

Vide quae ad Claudiani Olybr. notamus. BART.

45. Innocuae] Tranquillae atque intemeratae. *Innocuus* enim tam illaesum, quam non laedentem significat. Claudianus Mamertus de Jona Proph.

—— —— *spacioso bellua rictu*
Cepit, & innocuum vasta reclavit ab alvo.
BART.

46. Nec minus hinc nobis] Etsi affecta aetate mortuus es, nihilominus tamen hujusmodi tui desiderium, ô Meliboee, nobis reliquisti, ut perinde tuus obitus nos affecerit, ac si juvenis, & adhuc sub ipso flore juventae nobis ereptus fuisses: ostendit ergo hic mirificum erga Meliboeum amorem, nam senes alioquin odio juvenibus esse consueverant. Cecilius:

Tum mihi in senecta hac deputo miserrimum
Sentire ea aetate esse odiosum se alteri. TIT.

48. Nec tenuit tales] Non compescuit nostras querelas in tuo funere communis causa mortalitatis, quia omnes non necesse est sic interire, tu enim non debebas ut caeteri homines interire, in senecta caelo adhuc dignus & deum concilio. Haec est sententia horum versuum. Ob communem causam renent luctum ἰσόφρονες illi Ἰνδοὶ, de quibus loquuntur Nonni modo producta carmina. Vide & Luciani elegantem libellum περὶ πένθους. At alii à commu-

Heu Meliboee, jaces letali frigore segnis
Lege hominum, coelo dignus canente senecta,

Con-

NOTAE.

ni hac causa causam acerbiori planctui sumserunt. Prudentius in illo divino hymno, quem Divina Aura ipsi verbotim inspiravit Cathem. x.

Quia lex eadem jubet omnes
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolere.

Valerius Flaccus initio libri v. Argonaut.

——— ——— ——— *positumque feretro*
Ingemuere, dies simul & suus admonet omnes.

Sic sapiens Ulysses apud Sophoclem Aiace Flag.

——— ——— ——— ἐποικτείρω δέ νιν
Δύστηνον ἔμπης καίπερ ὄντα δυσμενῆ
Ὅθ' οὕνεκ', ἄτῃ συγκατεζεύκται κακῇ
Οὐδὲν τὸ τούτου μᾶλλον ἢ τ' ἐμὸν σκοπῶν,
Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
Εἴδωλ' ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.

Et erat ipsius acerrimus hostis. BART.

48. COMMUNIS CAUSSA] Aequa omnibus proposita conditio moriendi. Horat.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Rursus alibi:

——— ——— *Aequa tellus*
Pauperi recluditur,
Regumque pueris.

Item.

Aequa lege necessitas
Sortitur insignes, & imos.

Propert.

Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo;
Et mala, sed cunctis ista terenda via est.

Pythagoras in Eclogis Stobaei.

Ἀλλὰ γνῶθι μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασιν. est autem hic communis consolandi locus alicujus obitum impatienter ferentis, de quo plura extant apud Plutarchum de Consolatione ad Apollonium, & ad uxorem suam; neque non item apud Senecam de Consolatione fratris ad Polybum, ad Albinam, & ad Martiam. Serv. Sulpitius Epist. ad Ciceronem inter eas, quae inscribuntur Familiares, Lib. 4. *quae* (Tullia) *si hoc tempore non suum diem obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.* Vel *communis causa* dicitur, propterea quod jactura publica fuit in Meliboeo. TIT. Difficilis locus, & prout hactenus jacet, mihi plane desperatus, nam nec quid sit *tenere querelas* intelligo, neque quomodo sensus ullus pulcherrimo superiori aptus eliciatur video: ac sane codices antiquiores impressi *nec* retinent, ubi recentiores omnes legunt *haec*. Unde tantilla mutatione, & sententia planissima legendum duxi: *Nec renuit* hoc est flevimus quidem nos amici, atque alumni obitum nostri Moelibei, & merito quidem flemus adhuc, id est suspiramus dilectum nostrum, quandoquidem populus ipse Romanus lachrimas nostras suspiriaque nostra probavit, tanti, ac talis interitu viri magnam in Republica jacturam esse factam arbitratus. Haec est *causa communis.* legimus itaque posthac.

Nec renuit tales communis causa querelas.

MARTELL.

49. LAETALI FRIGORE SEGNIS] Poëtica mortis descriptio ab effectu: hinc *mors frigida* Virg.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus:

Horatius *gelidam* appellavit, quod tantumdem pollet:

Gelidaque Dives
Morte carentes.

Sic mihi dixit Lucretius:

——— ——— *Et discedit in auras,*
Et gelides artus in laeti frigore liquit:

idem:

——— ——— *Namque jaceret*
Aeterno corpus perfusum frigore laeti.

Virgil.

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus.

idem in Diris.

Et calor infuso decedit frigore mortis.

Recte autem subjicit hic noster *segnis*, est enim sine igne, quandoquidem (ut scribit Varro de Lingua Latina) ignis aliis a *nascendo* derivatur, quod hic nascitur, & omne, quod nascitur, igne fit, ideo calet, ut quod denascitur, ignem eum amittit, ac frigescit. TIT.

50. LEGE HOMINUM,] Ob necessitatem moriendi cunctis propositam, ut ostendimus supra. TIT. Seneca in Epigrammatis: *lex est, non poena perire.* Prudentius supra positis versiculis. Eleganter Manilius *finem pendere nostrae vitae ab origine* ait, quasi dicas, ipsa nativitate nobis impingi necessitatem moriendi:

Nascentes morimur finisque ab origine pendet.

Quod

Concilioque Deûm. plenum tibi ponderis aequi
Pectus erat. tu ruricolûm discernere lites
Assueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia justi

Flo-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Concilioque Deum*] *Consilioque Deus* R.

53. *Assueras*] *Assuetus* B. Ed. *patiens*] MS. Pal. *pariens.* Unde conj. Gebhard. *paviens.* sed praefert vulgatam & confert cum Statii 1. Theb. 481. Vopiscus Caro: *Sarmatas ita inter bella patiendo contudit*, &c. i. e. perdurando. Ita hic quasi mulcens patiendo. vel f. *patiens mulcensque.*

54. *Ruris amor*] *Juris amor* Martell.

N O T A E.

Quod ita Silius Italicus extulit libro II.

——— ——— tantone cavetur
Mors reditura metu, nascentique addita fata.

Aliter idem libro III.

Et pace & bello cunctis stat terminus aevi
Extremumque diem primus tulit. Statius Silvis:
Quicquid habet ortum, finem timet. BART.

50. Coelo dignus] Ita de praestantissimis hominibus & rebus loquebantur: Juvenal.

——— Caelo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Idem.

Tertius è caelo cecidit Cato.

Vide Minutium Felicem apud Lactantium lib. I. Institutionum capite XI. C. Marius Victor, de Abramo, lib. III.

——— Successit filius Abram,
Vir caelo dignus ———

Vide notas ad Boëthium libro I. prosa III. BART.

51. Deûm.] Senatores Romanos videtur ita appellare, & sub *Meliboei* persona dubio procul aliquis magnatum maximorum defletur. Suspicamur Probum Imperatorem, mitem & justum principem, & reapse Probum (vide Epist. Valeriani Aug. apud Vopiscum) depingi & fleri: Ut vere *Deos* heic dicat. BART.

50. Canente senecta,] Non *dignus canente senecta*, nam paulo ante dixerat:

Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus.

Sed, tu segnis laetali frigore, quique prae senectute solus canes, jaces dignus coelo concilioque Deorum, cui nimirum intersunt, quicunque vitam puriter egerunt. Horatius:

Serus in coelum redeas:

& caetera: *canam senectutem* vocat mihi Tibullus ibi:

Cum vetus infecit cana senecta caput. TIT.

51. Ponderis aequi] Id est curarum, quae justitiam & aequitatem respiciunt; sic mihi usurpasse videtur Horatius hanc vocem *pondus* Epistola ad Numicium.

Cogat trans pondera dextram porrigere.

id est a gravitate & decoro discedere. TIT.

52. Tu ruricolûm discernere lites] Ad te Pastorum querelae deferebantur omnes, ipsas tu ex bono. & aequo dirimebas. Virg.

Non nostrûm est vestras componere lites. TIT.

54. Ruris amor.] Confert autem hoc plurimum ad aliorum gratiam benevolentiamque sibi comparandam, quo bono cum se destitutum esse intelligeret Cyclops ille, apud Theocritum merito conqueritur dicens:

Γινώσκω χαρίεσσα κορά τινος ὧνεκα φεύγεις.
Οὕνεκα μοι λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ
Ἐξ ὠτὸς τέταται ποτὶ θὤτερον ὡς μία μακρά.

Hinc *frontem exporrigere* & *explicare dicimus*, cum animi tranquillitatem significare volumus, quod Horatius Poëtice admodum variavit non uno in loco. TIT. Quamquam relligio mihi est innovare quicquam, ex quo sensus alioquin promitur minime absurdus; tamen quando *jus justo* paulo magis affine cernitur, quam *ras*, & nihilominus te, Titi, video in explicando *ruris amore* in diversas sententias discedere, quasi certissimus non esses. Addo quia antecedentia & consequentia jurisdictionem sapiunt, non rusticationem, legi mallem, *sub te juris amor.* tuum sit judicium, quo plurimum vales. MARTELL.

54. Sua te ruris amor,] Conjungit reverentiam justi & ruris cultum, quae duo solent con-

Floruit, ambiguos ſignavit terminus agros.
Blanda tibi vultus gravitas, & mite ſerena
Fronte ſupercilium, ſed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris, & jungere cera
Hortatus, duras docuiſti fallere curas.
Nec ſegnem paſſus nobis marcere juventam,
Saepe dabas meritae non vilia praemia Muſae.
Saepe etiam ſenior, ne nos cantare pigeret,
Laetus Phoebea dixiſti carmen avena.

Fe-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

56. *Vultus*] *Vultu gravitas* R. & B. Ed. *Serena*] *Severa*, Martell. quia praeceſſit, *blanda gravitas.*

58. *Et jungere*] Ita P. *conjungere* o. vett. ejuſdem. inf. Ecl. III. *cera conjungo ſub antris*, &c. Virgil. Ecl. III. *tibi fiſtula cera Juncta fuit.*

59. *Hortatus*] Ita ego. *Oratus* omn. Edd.

61. *Saepe dabas*] *Sedabas meriti* R & MS. Pal.

63. *Dixiſti*] *Duxiſti.* F. G. & B. Vide ad Cyneg. vs. 22.

NOTAE.

conjunctiſſima eſſe. Vide Senecam Hippolyto. Cato de Agricultura. *majores noſtri virum bonum cum laudabant, ita laudabant, Bonum agricolam bonumque Colonum. Magiſtrum Juſtitiae* Agri culturam vocat Cicero pro Roſcio. Probus vero Imperator, hoc etiam notari poteſt vel maxime, quippe qui Pannonias, Gallias, Moeſiamque vinetis magnifice coluerit, ut ſcribit Victor Schotti. Modo aetas & genus mortis non obſtarent. Sed illa perſonae adſingere, jus ſuum putat Poeta. BART.

57. Fronte sup.] Concedas mihi velim: quae tua humanitas eſt, & in antithetis pulcherrimis dignoſcendis acumen ingenii, *ſerena* mutandum omnino eſſe in *ſevera.* Nam hoc pacto *blanda gravitas in vultu* & *ſevera frons cum miti ſupercilio* venuſtiſſimam compoſitionem, & Oppoſitionem efficient. MARTELL.

57. Ore.] Facie. Virgil.

Os humeroſque Deo ſimilis. BART.

58. Conjungere cera] Et ſic fiſtulam concinnare, ipſaque deinde canere docuiſti. Virgil.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit.

Tibull.

Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo,
Nam calamus cera jungitur uſque minor. TIT.

59. Fallere curas.] Horatius Barbiton ſuam ita alloquitur:

O Decus Phoebi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis, ô laborum
Dulce lenimen, mihi cumque ſalve
Arte vocanti.

Virgil.

Solamenque mali de collo fiſtula pendet:

quem tamen verſum nonnulli ſubditiitium eſſe putant. Statius:

Fluit extremo chelyn, & ſolantia curas
Fila movet.

Videndus eſt Alexander in Problematis. TIT.

60. Nec segnem passus] Haud aliter ferme. Virgilius:

Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno. TIT.

60 Marcere] Et hoc ad Probum, quem ſcribit Vopiſcus hoſti etiam ab ſe interempto coëgiſſe milites amplum facere ſepulcrum, ne otioſos haberet, quod & ipſi optimo Imperatori tandem exitio fuit. BART.

61. Saepe etiam senior,] Nonnunquam tuo exemplo nos ad canendum excitaſti. TIT.

63. Laetus Phoebea] Apolline digna. illud dixiſti, alicubi ſcriptum erat *duxiſti*, ſed *dixiſti* valet cecinili, ut apud Maronem.

63. Dixisti] Non ad cantum, ſed fiſtulae ca-

Felix ô Meliboee, vale. tibi frondis odorae
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo:
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos:
De campo culmos, omnique ex arbore fruges:
Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte,

Mel-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

64. *Odorae*] Odore R. B. V. *frondis odore* B. Ed.
65. *Lauros*] *Laurus* R. ἀγχιάτας.
67. *De campo*] *De messe culmos* B. ex G. & Tig. Falsissime.
68. *Cymbia*] *Cimbia* V. B. Virgil. Aen. III. in funere Polyd. *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.*

NOTAE.

canorem ducendum: quare non possum non probare veteris Editionis scripturam, *Duxisti.* Praesertim cum de seniore sermo sit, qui lente fistulam inflat. Ita Ecl. 2. v. 61. BART.

64. Felix ô Meliboee,] Vid. Desid. Herald. Adver. lib. 2. cap. 4. BART.

64. O Meliboee, vale.] Ex veterum consuetudine dictum, sicut apud Maronem in Georg.

—— —— En iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale.

Rursus Aeneide:

—— —— Salve aeternum mihi, maxime Pallas,
Aeternumque vale. TIT.

65. Munera dat, lauros] Non aliter Calphurnius:

—— —— Et modo te Bacheis Musa corymbis,
Munerat, & lauro modo pulcher obumbrat Apollo.

Virgil.

—— —— Phoebo sua semper apud me
Munera sunt lauri, & suave rubens hyacinthus.
TIT.

65. Ruralis Apollo:] Expressit Graecum epitheton ἀγριος. In Ecloga sequenti *Pastoralis* appellatur. TIT. *Pastoralis* Calpurnio. Eclog. VII. v. XXII. vide Tibullum lib. II. Elegia III. BART.

67. De campo culmos,] Mirum ingenium Correctorum. Quid campo cum culmis? aut his cum illo? Isti tamen quadrato suo acumini hoc indulserunt, ut ne salva solum genuina esset Poëtae scriptura. Vetus editio.

De messe culmos, omnique ex arbore fruges.

Quae haud dubie verissima scriptura est. Non potuerunt naevum hunc, ut putabant, ferre qui in media barbarie pueris Nemesianum praelegebant. In Calpurnio etiam hujus generis aliqua notavimus. Exemplis opus non est, cum viri docti dudum apud Poëtas veteres bonam eorum vim congregarint. Quorum vestigia insistentes nos Analectorum opus congessimus Poëticorum, in quibus adfatim de talibus omnibus disputavimus. Et ita habet etiam editio Tigurina quae prodiit anno salutis CIↃ IↃ XXXVII. Quamque & ad Calpurnium, his diebus recensitum, laudavimus. BART.

67. Omnique ex arbore fruges:] JurisConsulti qui, verborum proprietati maxime student, negant *fruges* dici de arboribus, neque enim poma fruges appellari voluit Julianus; at in foro, non in Parnasso ipsius leges valent. Columella.

—— —— Aut aliena stirpe gravata,
Misit adoptatis curvatis frugibus arbor. TIT.

68. Grandaeva Pales] Dignitatis Epitheton, siquidem non tam ad aetatem, quam ad illius Deae venerationem, majestatemque refertur. Sic Virgil.

—— —— Hunc & Nymphae venerantur & ipse
Grandaevus Nereus.

Jam quod statim sequitur:

Spumantia cymbia lacte,

eundem Virgilium auctorem agnoscit, cum ait:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Sed & Aen. 5. ita legas:

Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi:
Ut multo in primis hilarans convivia Baccho.

Aa 2 vide

Mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos. dant carmina Musae,
Carmina dant Musae; nos te modulamur avena.
Silvestris nunc te platanus, Meliboee, susurrat,

Te

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

69. *Mala fer. N. pietas dat flore cor.* R. *flore* V.

NOTAE.

vide Macrobium Saturn. Lib. 5. Cap. 21. Palae autem lac offerebant veteres: ergo & ipsa lac feret, quo scil. plurimum delectatur. Tibullus:

Et placidam niveo spargere lacte Palem.

Ovidius:

Et tepido lacte precare Palem:

Sic Nymphae mel offerunt, tanquam ipsarum inventum, & Flora flores, quorum Dea fingitur ab antiquis, teste Lactantio Firmiano. TIT.

68. SPUMANTIA CYMBIA LACTE,] Virgil.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Vide Macrob. lib. v. c. xxi. BART.

69. DANT FLORES] Vetus liber ita habet. At eleganter emendarunt viri docti, Calpurnius Eclog. 2.

At mihi Flora comas parienti gramine spargit.

Martialis lib. 1.

Nosses jocosae dulce cum sacrum Florae.

Ovid. v. Fastor.

Chloris eram quae Flora vocor, corrupta Latino
Nominis est nostri littera Graeca sono.

Ubi & Zephyri perbelle Floram uxorem facit, frumentis florentibus praefectam docet Augustinus li. iv. de Civitate Dei. cap. viii. Nota *Floralia* divae hujus festa, *Floram* pro florido usurpari belle docuit Petrus Colvius, dignus longiore vita Juvenis, ad Appulejum. BART.

70 MANIBUS HIC SUPREMUS HONOS.] Sic Aeneas patris tumulum purpureis floribus conspergit Aen. 5. ad quam consuetudinem alludit etiam idem Virgilius lib. 6. in funere Marcelli. Sed & in Copa ita inquit:

Quid cineri ingrato servas male olentia serta,
Anne coronato vis lapide ista tegi.

Tibullus quoque ait:

Annua constructo serta dabit tumulo:

Intelligunt enim serta omnis florum generis. Varro lib. 6. de Lingua Latina: *infulas dictas apparet, quod velamenta hostiis est lana, quae adduntur, dicuntur infulae, intra hostiarum cornua velamenta erunt, itaque nunc, cum ad sepulchrum ferunt frondes & flores, addunt lanas.* Expressius tamen Sophocles in Electra.

Καὶ δὴ λέγω σοι πᾶν, ὅσον κατειδόμην.
Ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
Ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεοῤῥύτους
Πηγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ
Πάντων ὅς᾽ ἐστὶν ἀνθέων θήκην πατρός. TIT.

70. MANIBUS HIC SUPREMUS HONOS.] Virgilius. XI.

——— *toto lectos ex agmine mittit*
Mille viros, qui supremum comitentur honorem.

Coronis autem cingi sepulcra instar supremi officii solita, notissimum. Idque faciebant & Christiani veteres, quos eo nomine reprehensos à Vigilantio memini. Sed ista alibi. BART.

71. CARMINA DANT MUSAE;] Ἀνδρία, Terent.

Negat Fannium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hunc Demipho negat esse cognatam. TIT.

72. SYLVESTRIS NUNC TE PLATANUS,] Vel sterilis, ut Virgilius;

Et steriles platani malos gessere valentes.

vel quales in his montibus reperiuntur ad differentiam earum, quae in hortis magna cura a delicatulis viris nutriuntur, de quibus consule Plinium: est autem hic locus aliquo pacto non dissimilis Virgiliano illi:

——— ——— *Te nostrae, Vare, myricae,*
Te nemus omne canit. TIT.

72. PLATANUS TE SUSURRAT,] Moschus.

Νῦν φυτά μοι μύρεσθε, καὶ ἄλσεα νῦν γοάοισθε.

In

Te pinus reboat, te quidquid carminis Echo
Respondent silvae, te nostra armenta loquuntur.

Nam-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

73. *Te primis* B. V. *te, quidquid carminis, Echo*: supple, *reboat*. Ita bene disting. B. *susurrat Te pinus: reboat te, quicquid carminis, Echo*: Idem in Adverf. inepte. Gebhardus: *te quid quit carminis Echo, Resp fil.* Pessimè. Fortean: *te, quidquid carminis exit, Resp. s.* Virg. Ecl. I. *Ipsae te Tityre pinus*, &c. & Ecl. VI. *te nostrae, Vare, myricae, Te nemus omne canet.*

74. *Resp. silvae*] Virg. Ecl. X. *respondent omnia silvae. Loquuntur*] *Sequuntur.* R. V. A. F.

NOTAE.

In illo delicatissimo Bionis Epitaphio. BART.

73. REBOAT,] Rusticum hoc, nimisque durum, tantum sonum acuto stridori adscribere. BART.

73. TE QUICQUID CARMINIS ECHO] Horat.

——— Cujus recinit jocosa
Nomen imago.
Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo.

rursus alibi:

Ut paterni Fluminis ripae simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago:

describitur enim Echo recinens auditas voces: est autem ordo verborum: quicquid carminis respondet, Echo respondet. & quicquid sylvae respondent, te respondent. Virgil.

Formosam resonare doces Amaryllida Sylvas:
TIT.

73. QUICQUID CARMINIS] Modius ex illo ait interpretandum Ecloga X. Virg.

Respondent omnia silvae.

Sed duriuscule hoc Nemesianus extulit noster. Sed elegans sententia est distinctione erigenda.

——— Te, quicquid carminis Echo:
Respondent silvae ———

Quicquid carminis est tandem illa quam Echo appellamus, te reboat. Verissima explicatio. Luget Echo & apud Nonnum lib. XLVII.

Μούνη δ' ἀειρόμενος ἐμὸν κτύπον ἴαχεν ἠχώ,
Ἠμύσας ἀντιτύποισι τεὸν στονάχησα τοκῆα.

Idem libro XV.

Ἡ γάμον ἐχθαίρουσα κινύρεται παρθένος ἠχώ.
Καὶ θρῆνος ἐφθέγξατο· τί σοι τέκος ἤλυθε, βούτα·

Moschus in Bionis Epitaphio

Ἀχὼ δ' ἐν πέτρῃσιν ὀδύρεται, ὅττι σιωπῇ
Κοὐκέτι μιμεῖται τὰ σὰ χείλεα ——— BART.

74. TE NOSTRA ARMENTA SEQUUNTUR.] Nobis in dolore sunt pares: tuum interitum nobiscum lamentantur. Virgil. Ecl. 5.

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida Daphni boves ad flumina, nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam,
Daphni tuum Poenos mihi ingemuisse Leones
Interitum, montesque; ferae, sylvaeque loquuntur.

& 10.

Illum etiam lauri, etiam flevere myricae,
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Maenalus, & gelidi fleverunt saxa Lycaei.

Similes loci plures reperiuntur apud Theocritum, velut Idyllio α.

Τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο.
Τῆνον χ' ὡκ δρυμοῖο, λέων ἔκλαυσε θανόντα.

&

Πολλαὶ οἱ παρ ποσσὶ βόες, πολλοὶ δέ τε ταῦροι,
Πολλαὶ δ' αὖ δαμάλαι καὶ πόρτιες ὠδύραντο;

nec non Idillio δ.

Ὀστέα δ' ἐστὶν ἄφαντα, καὶ αἱ βόες αἱ περὶ ταῦροι.
Πλατόμεναι πάντα, καὶ οὐκ ἐθέλοντι νέμεσθαι.

& reliqua. TIT.

74. ARMENTA LOQUUNTUR.] Nonnus li. XV. de Hymno pastore ab amica Nicaea occiso.

——— καὶ εὐπ[illegible] λόχευμα
Ὕμνον ἐποικτείρων ἐλείβετο δάκρυα ταύρων,
Καὶ δαμάλεις ὠδύροντο, καὶ ἔστενεν ἀχνυμένη βοῦς
Ποιμὴν ἀπαιόρητος, ἔοικε δ' αὐτὸ βοῆσαι·
Βούτης καλὸς ὄλωλε, καλὴ δέ μιν ἔκτανε κούρη.

BART.

Namque prius siccis phocae nascentur in arvis,
Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confusis legibus anni,
Messem tristis hiems, aestas tractabit olivas,
Ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
Quam taceat, Meliboee, tuas mea fistula laudes.

TIT.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

75. *Nascentur*] *Pascentur* G. & Bart. Virg. Ecl. 1. *pascentur in aethere cervi*, &c. & Ecl. v. vers. 76.
76. *Hirsutusque*] *Vestitusque* V. A. B. F.
77. *Sudabunt*] Virg. Ecl. iv. *quercus sudabunt roscida mella.*
79. *Ver*] *Nec dabit* R. & V. 78. postponit huic.

NOTAE.

75. NAMQUE PRIUS SICCIS] Argumentum ἀπὸ τῶν ἀδυνάτων cujusmodi Virgilianum illud ex 1. Ecloga:

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces.

Valerius Cato in Diris:

Dulcia amara prius fient, & mollia dura;
Candida nigra oculi cernent, & dextera laeva.

Sic ex adverso votum perpetuitatis concepit: Ecl. 5.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit:

appellat autem *vestitum Leonem*, quia sit pilis obsitus & coopertus, quomodo Seneca in Hercule Oetaeo:

Nondum teneras vestite genas.

Hoc est barbate, unde *investis*. alicubi tamen legebatur, *hirsutus* in hoc nostro. TIT.

75. PRIUS SICCIS] Ex Tityro Maronis. pro *nascentur*, vetus liber *pascentur*, quod quamobrem non restituamus, causa prorsus non est. Argumenti hujus multa in Diris Valerii Catonis habes. BART.

76. DULCIA MELLA] Quod hic de taxo ait Nemesianus (& quidem recte, cum ea sit arbor praesentissimi veneni, unde toxicum derivatum creditur) Virgilius de quercu enunciavit:

Et durae quercus sudabunt roscida mella.

quod & penes Tibullum invenias ibi.

Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.

nec multo secus ab Ovidio dictum fuit:

Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

rursus:

——— ——— & in quercu mella reperta cava:

ejusdem generis est illud alterum Maronis:

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum:

quod ferme ex Theocrito Latine redditum est; sic enim Graecus autor:

Ἱμέρα ἀνθ' ὕδατος ῥείτω γάλα, καὶ τὺ δὲ Κρᾶθι
Οἴνῳ πορφύροις· τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι.

rursus alibi:

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι.
Ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι.

Recte autem hic noster dixit, *fore, ut taxi dulcia mella ferant*; nam taxus venenata arbor est, & apibus inimicissima, unde Lycidas apud Maronem ait:

Sic tua Cyrnaeas fugiant examina taxos. TIT.

78. MESSEM TRISTIS HIEMS,] Cum alioquin messis in aestivum tempus incidat, unde illud Maronis:

Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.

De messe & olivitate videndi sunt rei rusticae scriptores, Cato, Varro, Columella caeteri: nec praetereundus est Caelius Rhodiginus Lib. 6. c. 6. De anni partibus in universum plura invenies apud Ovidium in Metamorph. TIT.

79. ANTE DABIT] Nam sic Virgilius.

Primus Vere rosam, atque autumno carpere poma.

Ergo cuncta versa vice procedent, atque ideo confundentur. TIT.

81. PER-

TIT. Perge puer, coeptum tibi jam ne desere carmen.
Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo
Provehat, & felix dominam perducat ad urbem.
Namque hic in silvis praesens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.

Sed

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

81. TIT.] AMYN. R. *ne*] *neu* R.

84. *Praesens*, &c.] Ipsissima Statii verba fine Theb. *Jam certe praesens tibi fama benignum Stravit iter.*

NOTAE.

81. PERGE PUER,] Timetas enim jam canere desierat. TIT.

82. PLACATUS APOLLO] Minime iratus, qui eum cantando aeques. TIT.

83. DOMINAM PERDUCAT AD URBEM.] Sic infra Ecl. 2.

Dominam pervenit ad urbem.

Calphurn.

Tityron e sylvis dominam deduxit in urbem.

Horat. Od. 14. l. 4.

O tutela praesens Italiae,
Dominaeque Romae.

idem Ode 3. ejusdem Libri,

Romam principem urbium

appellaverat. potest autem hoc dictum accipi de ipsomet Nemesiano, cujus nomen in carminibus pangendis adeo jam innotesceret, ut imperatorem adeundi, inque ejus gratiam se insinuandi spem jam concipere posset. TIT. Calpulnius.

——— *dulce sonantem*
Tityron e silvis dominam deduxit in urbem.
BART.

84. PRAESENS TIBI FAMA] Potens, fautrix, nam cui praesentes adsumus, eum omnino juvare studemus, & qui favent, praesentes adesse consueverunt. Virgil.

Nec tam praesentes alibi cognoscere divos.

& in Georgic.

Et vos agrestum, praesentia Numina, Fauni,

rursus:

Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est.

& in Aeneid.

Tu Dea, tu praesens nostro succurre labori. TIT.

84. BENIGNUM STRAVIT ITER.] Verba Statii ad Thebaiden suam. lib. XII.

——— *Jam certe praesens tibi Fama benignum*
Stravit iter, coepitque novam monstrare futuris.
BART.

85. RUMPENS LIVORIS NUBILA PLENA.] Nam qui alios magno intervallo antecedunt, invidiam superasse dicuntur: hinc Sallustianum illud: *Gloria invidiam vicisti.* Horat.

Invidiaque major urbes relinquam.

rursus alibi:

Et jam dente minus mordeor invido.

& 2 Sat. 3.

Invidiam placare paro virtute relicta.

Insignis locus extat apud Plutarchum Commentario περὶ φθόνου καὶ μίσους ad hanc rem intelligendam valde accommodatus, quem illic inspici volo: rumpens autem dixit noster Poëta significanter: sic Propertius:

Hic erit, hic jurata manet, rumpantur iniqui.

Ovid.

Rumpere livore edax. TIT.

Simplicissime hoc protulit; *plena livoris nubila.* Sic *nubem timoris* dixit Claudianus noster Bello Getico.

——— *quos ante pares effecerat una*
Nube timor.

Tryphiodorus.

——— ——— Μετ' ἄλλο φόβου νέφος:

Sic *oblivionis nubes* apud Pindarum Olympion. VII.

Ἐπὶ μὰν βαίνει τι καὶ λάθας ἀτέκμαρτα νέφος.

Veterni. Auson.

Pelle soporiferi senium nubemque veterni.

Nubes injustitiae Boëth. libro V. pros. II. *Spei nubes* apud Statium lib. II. Thebaid. v. CCCXXI. *Nubilum stultitiae* Fulgentium. I. Mythol. *Nubes vetustatis* Claud. Consul. Probini. ἀχλύος νεφέλη apud Homerum Iliad. ρ. *nebula erroris* Juvenal. Sat. X. BART.

86. Sed

Sed jam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus praebere liquores.

NOTAE.

86. Sed jam sol] Hunc locum ita variavit Ecl. 2.

Frigidus e sylvis donec descendere suasit
Hesperus & stabulis pastos inducere tauros.

Virgilius autem dixit in eandem sententiam:

Et jam summa procul villarum culmina fumant:
Majoresque cadunt altis de montibus umbrae:

Caeterum, quod hic Nemesianus *mundi culmen* vocat, idem Maro *verticem* appellasse videtur in Georgic.

Praesertim si tempestas a vertice sylvis
Incubuit:

Quanquam non ignoro, carmen hoc aliter a Victorio contra Servii Grammatici sententiam exponi. idem Aeneid. 1.

Ipsum ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit.

ac multis interjectis:

——— ——— Sic vertice coeli:
Constitit.

Consule ad hanc rem alicubi Synesium in Epistolis; & Arrianum in descriptione Maris Euxini: TIT.

87. Flumineos suadens] Non dubium quin ita legi debeat, non fulmineos; praeceptum vero Columellae quoque testimonio comprobatur. TIT.

87. Flumineos] Tibullus libro II.

Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus. BART.



ECLO-



ECLOGA II.

IDAS & ALCON.

FOrmosam Donacem puer Idas, & puer Alcon
Ardebant: rudibusque annis incensus uterque

In

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

DONACE] Deest in omn. Edd. *In hac Eclogа cantantur amores pueriles inter amicos pastores Idan, qui & Hastacus, & Alconem. In qua etiam Poeta ipse loquitur.* Sic R.

IDAS] Ita P. ASTACUS R. V. A. F. & sic quoque vers. 1. *puer Astacus.* Quod factum ex Calp. Ecl. II. initio.

1. *Formosam* &c.] Virg. Ecl. II. *Formosum pastor*, &c. Eodem modo & verbo uterque incipit.

2. *Rudibus annis* R. & B. ex MSS. *Incensus*] *Intensus* V.

NOTAE.

1. FORMOSAM DONACEN] Calphurnius sic:

Intactam Crotalen puer Astacus, & puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti;
Dilexere diu.

Utrumque tamen ad illius Maronis imaginem factum est.

Formosum Pastor Corydon ardebat Alexim.

quanquam de nominum impositione haud ita curiosus esse consuevi in hujuscemodi praesertim argumento, quod in manibus habemus, di-

In Donaces venerem furiata mente ruebant.
Hanc, cum vicini flores in vallibus horti
Carperet, & molli gremium compleret acantho,
Invasere simul, Venerisque, immitis uterque,

Tum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

6. *Venerisque immitis*] Ita A. & F. ex MSS. *imbutus* R. P. *Venerique imbutus* V. & Gebhard.

NOTAE.

dicam tamen Donaci nomen inditum videri a calamo, de quo Plinius lib. 16. c. 36. Astaco vero a Pisce, cujus meminit Athenaeus lib. 3. at Donace nomen inditum universae Eclogae in codicibus Florentiae excusis TIT. In primo versu, imo certe in ipso epigrammate personarum introducendarum mendum insedisse in omnibus vulgatis exemplaribus pro comperto habeo. Nam ubi *Astacus* legitur; Idas adscribendus: errorem emanasse putamus a primo item versu, Eclogae secundae Calphurnii. MARTELL.

2. Ardebant:] Amabant. Virgil.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Vide Theocritum β. Nonnum lib. xxxiv. BART.

2. Rudibusque annis] Puerili aetate, vel tunc primum amoris faces experti. Ovid.

Hinc amor amborum tetigit rude pectus.

Auctor Elegiarum, quae Cornelii Galli nomine circumferuntur.

Nondum quid sit amor, vel quid venus ignea noram;
Torquebar potius rusticitate mea. TIT.

3. Venerem] Concubitum. Propertius:

Denique ubi amplexu Venerem promiseris emto
Fac simulet puros Isidis esse dies.

Tibullus.

Jam tu qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis. BART.

3. Furiata mente ruebant.] Abundantiam amoris denotat, quae saepe in furorem converti solet; unde amor furor a Poëtis nuncupatur. Virg.

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens.

Idem quoque *furiatam mentem* dixit:

Furiata mente Coroebus.

& Claudianus.

Furiatum pectus

de Raptu Proserpinae. TIT.

3. Furiata mente] Ἐρωμανέοντες, quod familiarissimum Graecorum Poëtarum felicissimo, Nonno. Et *furor* saepissime ipse amor dicitur, Ovidio, Virgilio, Catullo, Propertio, ut Graecos amatorios Atticistas taceam, quorum libri hoc furore ebrii sunt. Aristenaetus, Achilles Tatius, Heliodorus, Longus, Aelianus, Maximus Tyrius, Parthenius, Lucianus, alii. BART.

4 Hanc, cum vicini] Puellarum studium indicat, quae in floribus legendis, ipsisque in serta nectendis plurimum occupantur. Horatius de Europa loquens:

Nuper in pratis studiosa florum, &
Debitae Nymphis opifex coronae.

& reliqui Virg.

Pallentes violas & summa papavera carpens.
TIT.

5 Molli gremium] Virgil.

Et molli circum est ansas complexus acantho.

Quod ex Theocrito sumtum est Idyllio α. rursus idem Maro in Georgicis:

Ille comam mollis tantum tondebat acanthi.

herbam hanc nos vulgo *brancam ursinam*, vel *hircinam* appellamus. TIT.

6. Venerisque, imbutus] Spectabantur in uno codice *immitis*, quod & in pluribus aliis deinde reperi: significat autem hoc loco Poëta Astacum, & Idam Veneris muneribus obeundis minime, vel vix jam fuisse pares: unde statim subjicit:

Et pueris jam non puerilia vota.

vel *immitis* valet impatientem, & quasi efferatum ob amoris impotentiam: vel est epithetum Veneris Horatiano illi respondens:

Desine dulcium mater saeva cupidinum.

vel *immitis*, quod talis deinde futura esset, qua ratione persaepe epitheta usurpare Poetae consueverunt. Virg.

Uri-

Tum primum dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor, & pueris jam non puerilia vota.
Queis anni ter quinque hyemes, & cura juventae.

Sed

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

8. *Non puerilia*] *Nunc puerilia* R.

NOTAE.

Uritur infelix Dido:
sed *imbutus Veneri*, valet initiatus, vel dictum est, quomodo a Cicerone: *Plerique autem parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem, moresque deducimur.* TIT. Non video cur titubandum sit, si legatur *immitis*, aptissimo sensu nimirum immaturae. Nam ut matura quae fiunt, mitescunt, & tandem (nos vernaculo nostro sermone dicimus *Mezzi*) quasi mitia evadunt, ita quae immatura adhuc immitia dici merito possunt. Supersedeo bonorum auctorum exemplis, quae tibi suppetunt affatim, & domi nascuntur tuae. Si vero legamus *imbutus*, quod minus probarem, exponeremus tinctus & aspersus, quasi tunc primum Veneris adolescentes ii gaudia delibassent. MARTELL. Distingue,

——— ——— Venerisque, imbutus uterque
Tum primum.

Gaudia pro fructu amatorio dici abunde notamus ad Claudianum, de *furto* ad Carmen Musaei Grammatici. BART.

7. Dulci carpebant gaudia furto] Sic plerumque amatorum suavitates nuncupantur, eo quod secretas eas esse cupiunt, nam (ut inquit ille)

Celari vult sera furta Venus.

Maro:

Martisque dolor & dulcia furta.

Valerius Cato in Poëmatio, cui nomen Dirae:

Dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
Diceret

Ovid.

Nos Venerem tutam, concessaque furta canemus.
TIT.

8. Hinc amor,] A prima conjunctione utriusque acerrimum amorem gigni ajunt. Et id adseritur in Epistolis fictitiis Cleopatrae & Sorani. Gratius v. CCLXXXIII.

Primi complexus, dulcissima prima voluptas,
Hunc Veneri dedit impatiens natura furorem.

Vide quae inibi ex falso auctore vera dicimus. BART.

8. Jam non puerilia vota.] Juvenum aetateque confirmatorum, non puerorum opus est Veneris exercitium, itaque recte Ovidius *juvenile opus* appellavit:

Ergo ubi concubitus, & opus juvenile petetur,

Quanquam, inquit Horatius,

Et centum puer artium
Late signa feret militiae tuae. TIT.

Nuptiae. *Votum* enim utriusque sexus naturale, conjungi, hinc pro ipsa conjunctione dictum. Testamentum Grunnii Porcelli. *Sorori meae, in cujus votum interesse non potui, do lego dari &c.* Appulejus libro IV. Metam. *mutuo mihi pigneratus, votisque nuptialibus, pacto jugali, pridem destinatus.* Claudianus.

——— quonam usque verendus
Cunctatur mea vota socer?

Impp. Diocletianus. l. XVI. C. de Nuptiis. Justinianus. l. XXIV. Idem. l. X. de secund. Nupt. Honorius l. IV. Ejusdem tituli. Et l. IV. C. de Sponsal. BART.

9 Queis anni ter quinque hyemes,] Ita plerumque annos dinumerabant Veteres. Virg.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas:

per aristas enim messes, per messes annos ipsos intelligit duplici figura, metonymia sc. & synecdoche. Catull.

Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem,
Quam coepta, nonamque edita post hyemem.

Juvenal.

Sic multas hyemes, atque octogesima vidit
Solstitia.

Seneca Junior in Oedipo:

Decima jam metitur seges.

Idem in Thebaida.

Bruma ter posuit nives:
Et tertia jam falce decubuit Ceres.

Idem Troade:

 De-

Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce sonaret,

Sol-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

11. *Quod*] *Et.* V. A. B. F. *sonarent* V. A. B.

NOTAE.

——— ——— *Decies nivibus*
Canuit Ida, Ide nostris,
Nudata rogis, & Sigeis
Trepidus campis: decies secuit
Messor aristas:

& alibi non semel. Petronius Arbiter:

Jam decima moestos inter ancipites metus
Phrygas obsidebat messis.

Apud Sophoclem ἄροτος annum denotat; cur autem haec dinumerandi ratio apud illos invaluerit, docet Suidas: Οἱ μὲν γὰρ μετὰ ταῦτα δυναστεύσαντες, καὶ ἐπιτελεῖς τὰς χώρας ποιήσαντες, ἀπὸ τῆς αὐξήσεως τῶν καρπῶν τοὺς χρόνους διέκριναν καὶ ἐνιαυτοὺς περὶ ὡς ἐκάλεσαν·

Atque haec quidem, quod ad verba pertinet, quod vero ad mentem poëtae attinet, sic ait Aristoteles de historia animalium: φέρειν τὸ σπέρμα πρῶτον ἄρχεται τὸ ἄρρεν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἐν τοῖς ἔτεσι δὶς ἑπτὰ τετελεσμένοις. ἅμα δὲ καὶ τρίχωσις τῆς ἥβης ἄρχεται, καθάπερ καὶ τὰ φυτὰ τὰ μέλλοντα φέρειν τὸ σπέρμα, ἀνθεῖ φησι πρῶτον Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης: & reliq. TIT.

9. CURA JUVENTAE.] Non ait esse homines ἀπειροαφροδίτους, sed eleganteis, & ἐρωτικοὺς, ut loquitur Aristenaetus. BART.

10 DURI CLAUSERE PARENTES.] Ideo duri, quia clausere: sic Horatius:

Donarem pateras, grataque commodus
Censorine meis aera sodalibus.

De quo loquendi genere plura olim adnotaveram in meis libris locor. controvers. in quos cum petulanter admodum invectus esset Burdo quidam Gallo-Italus, coactus fui dignitatis meae tuendae causa, atque adeo ipsius veritatis amore pares vices ei rependere, quod feci invitus, sed necessario, ut puto, consilio, in ea porro defensione plura de hac phrasi observavi, quam fungus ille non capiebat, licet neminem parem sibi in eruditione esse jactitet. Sed redeo ad rem nostram, puellam claudentem *durum hominem* appellavit etiam Ovidius, h. e. *asperum, molestum.*

Dure Vir imposito tenerae custode puellae
Nil agis.

Nec aliter Horatius:

——— ——— *ut piger annus*
Pupillis, quos dura premit custodia matrum.

Solent autem parentes virgines jam nubiles diligentius custodire, nec passim, ut antea, cum pueris versari permittere; fuit vero tempus, quo timor hujusmodi procul aberat, id adeo, ut redeat summis votis expetit Tibullus dicens:

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Janua: si fas est, mos precor ille redi.

Sed certe virgines id aetatis custodiri debere docet Aristoteles de Histor. anim. his verbis: μάλιστα δὲ καὶ φυλακῆς δέονται περὶ τὸν χρόνον τοῦτον. μάλιστα γὰρ ὁρμῶσι πρὸς τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν ἀρχομένων αὐτῶν. & reliq. auctor Elegiarum, quae Cornelio Gallo tribuuntur.

Paedagogus adit me, illam tristissima mater
Servabat. TIT.

11. ET NON TAM TENUI FILO] Asperam arteriam accipe, per quam vox emittitur; ac de voce quidem, quae ad hunc locum intelligendum necessaria esse judicavi, haec sunt Aristotelis verba in Problematis: quaerebat autem illic Philosophus, cur vocem emittant acutam, qui expertes seminis sunt, ut pueri, mulieres, decrepiti, spadones: gravem autem Viri, qui firma sunt aetate, ac exitum quaestionis expedit, ut dicat: ἢ καθάπερ ἡ γραμμὴ καὶ τὰ ἄλλα λεπτὰ, ἐν ὀλίγῳ διάστημα ἔχει, τὰ δὲ παχέα πλείω, ὥστε καὶ ἡ λεπτὴ φωνὴ, ἐν δὲ πλείω, ἐχόντων μὲν τῶν προειρημένων πνεῦμα ἀσθενὲς, κινεῖ αὐτῷ ἀέρα ὀλίγον. & reliqua, quae ibi sequuntur; ex quibus verbis facile etiam cognoscitur, cur Poëta dixerit, *tenui filo*, nam tralatitie sumptum est à re propria, de qua Gratius de Venatione inquit:

Prima jubent tenui nascentem jungere filo
Limbum.

ac rursus:

Circum labra sequi, tenuique includere filo.

Sed

Sollicitusque foret linguae sonus, improba cervix,
Suffususque rubor crebro, venaeque tumentes:

Tum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

12. *Sollicitusque* &c.] Ita ego. *Sollicitumque foret linguâ onus*. omn. Edd.

NOTAE.

Sed & idem Aristoteles quippiam tradit loco superius indicato quod ad hanc rem intelligendam plurimum confert, id adeo apud ipsum inspici poterit, nam ego brevitatis causa non omnia huc congero. TIT. Devirginata Donace & jam propior gravidatae, graviori voce loquebatur, nec tam subtili spiritu enunciabat verba, imò pudore rei gestae sollicita, lingua quasi pressa onere quopiam anhelitabat. Vulgo notum mulierem gravius loqui virgine. *De* particula hoc loco παρέλκει. cujus generis magna vis exemplorum ad Ceirin Virgilii à nobis collecta. Elegantissimum est *filum vocis* dicere, quod illa quasi deductum fili aemuletur, ut perpetuae eloquentiae Orator Hercules Gallicus depictus est catenam ore exspuens, ex qua religati essent populi, de qua pictura elegans ἐπιλαλία exstat apud Lucianum. Sic *carmina tenui filo* apud Ausonium Mosella.

Mollia subtili nebunt mihi carmina filo
Pierides —— BART.

12. SOLLICITUMQUE FORET] Ob vocis mutationem, quae circa decimum quartum aetatis annum contingere solet, cujus rei causam pluribus verbis prosequitur Alexander Aphrodisiensis, sive mavis Trallianus problemate illo, quo quaerit: διὰ τί τὰ ἡβάσκοντα παιδία τραγίζειν λέγεται. eam quoque illic inspici velim, ne sim longior, poterit tamen idem fortasse referri ad amantium haesitationem, sicut & alia, quae sequuntur amoris indicia, de quibus venustissimum extat Sapphonis carmen, quod Catullus pene ad verbum expressit. Flaccus quoque non uno in loco hujusmodi indicia suavissimis carminibus prosequitur: sed omnium venustissimum est Valerii Aeditui epigramma, quod alicubi citat Gellius? vid. etiam Heliodorum in Histor. Aethiopica. TIT. Ob pudorem videlicet amissae virginitatis. Sic Callisto apud Ovidium.

Vix oculos attollit humo, nec, ut ante solebat
Juncta Deae lateri, nec toto est agmine prima,
Sed silet, & laesi dat signa rubore pudoris.
BART.

23. IMPROBA CERVIX,] Audax, elata. Virgil.

Improbus ille puer.

Propertius:

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus.

Calphurn.

Improbe te Lycida.

Graece idem valet vox κακός. TIT. Tumida. Catullus de ea quae primum virum expertura erat.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

Vel ad lassam cervicem referri possit ob capitis dolorem. Aristoteles lib. VII. de Histor. Animal. cap. IV. ἔτι δ᾽ ταῖς συλλήψεσι καὶ γυναῖκες βαρύνονται τὸ σῶμα πᾶν, καὶ σκότοι αὐτοῖς τῶν ὀμμάτων καὶ ἐν τῇ κεφαλῇ γίνονται πόνοι. BART.

12. IMPROBA CERVIX, SUFFUSUSQUE] Simpliciter haec intelligamus, amabo te, neque ad amoris indicia gratis confugiamus. Eandem rem quam instituerat magis adhuc, & magis physice ac poëtice urget pingendo. Pubescentes τράγοι ad verbum *hircire* nullus nostrum ignorat. Ergo tenuiori de filo non amplius vox illorum resonat. Quid (sodes) inde consequitur? nonne linguis eorum, hoc est instrumentis omnibus vocalibus majus onus, & magis sollicitum incumbit, si clariorem vocem exserere cordi sit? In hoc nixu non cervix improba nobis fit? hoc est pertinax, contumax, inobediens, denique minus respondens claritati vocis quam meditamur? haec est (ni mens improba sit) pura & germana loci hujus intellectio: dum autem improbitatem & contumaciam cervicis domare, & pervincere contendimus, & vim facimus animae & laryngi, tum venae tument in gutture, & (quod necesse est) eo accurrente sanguine colli partes omnes rubent. MARTELL.

13. SUFFUSUSQUE RUBOR] Amoris indicium. Horat.

Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manet.

Tibull.

Sed nimius luso corpora tingit amor.

 adi

Tum vero ardentes flammati pectoris aestus
Carminibus, dulcique parant relevare querela.
Ambo aevo, cantuque pares, nec dispare forma:
Ambo genae laeves, intonsi crinibus ambo:
Atque sub hac platano moesti solatia casus
Alternant: Idas calamis, & versibus Alcon.
Id. Quae colitis sylvas Dryades, quaeque antra Napeae,
Et quae marmoreo pede Najades uda secatis

Lit-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

16. *Ambo aevo* &c.] *Aevi* MS. Pal. & B. in Adv. Virg. Ecl. VII. *Ambo florentes aetatibus*, &c.

17. *Ambo genae*, &c.] Sic B. R. V. P. *genis* A. F. *Intonsi*] *Intonsis* V. A. F. B

21. *Najades*] *Naides* V. A. B. F. *Secatis*] Sic V. A. B. F. *secantes Litora purpureos alitis* R. P. *Naides uda secatis Gramina, purpureosque alitis per littora*. B. ex G. Sed in Adv. à seipso dissentit.

NOTAE.

adi Heliodorum & Achillem Statium. TIT. Et coloris alternatio in ruborem & pallorem signum συλλήψεως. Nonnus lib. XLVIII. Dionys. in amarissima irrisione Dianae in Auram, quae imminuta erat.

Εἰπὲ δέ μοι βαρύποτμε, σύνευνε, παρθένε Νύμφη,
Πῶς μεθέπεις χλοάουσαν ἐρευθαλέην σέο μορφήν;
Τίς σοι λέκτρα μίηνε τις ἥρπασε σεῖο κορείην.
BART.

13. Venaeque tumentes:] In cruribus praecipue conceptus tumorem facere ajunt. Aristoteles. καὶ πολλοῖς περὶ τὰ σκέλη οἰδήματα καὶ ἐπάρσεις γίνονται τῆς σαρκός. Plinius lib. VII. cap. VI. Mammillas tumidas τῆς διαπαρθενεύσεως indicium numerat aliquoties Nonnus Dionysiacis. Idem totum corpus intumuisse memorat, cum frustra priori cingulo post passum Bacchum Auram se cingere velle facit, quod simile est Catulli versui superius prolato. versus ex libro XLVIII. Dionysiacôn.

—— —— καὶ ἤμυσε κυκλάδα μίτρην,
Στέρνα πάλιν σκιόωσα καὶ ἑτοῖος ἴχνια μαζῶν
Παρθενίης ζωστῆρα μάτην ἐσφίγγετο δεσμῷ. BART.

14. Flammati] Inflammati. Vide ad Musaeum. BART.

15. Carminibus, dulcique parant] Est enim curarum non leve solatium ipsa doloris conquestio: hinc dicit Ecl. 4.

Cantet, amat quod quisque; levant & carmina curas.

Virg.

Ipsa cava solans aegrum testudine amorem.

Theocritus in Cyclope:

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον, ἄλλο
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον ἐμὶ δοκεῖ, οὔτ' ἐπίπαστον,

Summus noster Lyricen.

Che cantando il dolor si disacerba.

Consul. auctorem Problematum, quae Alexandro Aphrodisiensi vulgo tribuuntur. TIT. Eclog. IV.

Cantet, amat quod quisque; levant & carmina curas. BART.

16. Ambo aevo,] Ex Virgilio, sicut & alia multa, est enim apud ipsum hunc in modum:

Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati;

porro Virgilius a Theocrito sumsit, cujus haec sunt Idyllio quopiam:

Ἄμφω τώγ' ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν. TIT.

Theocritus.

Ἄμφω τώγ' ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.

Calpurnius Ecloga III. BART.

18. Atque sub hac platano] Calphurn.

Quidve sub hac Platano, qua garrulus obstrepit humor
Infesta statione sedes? TIT.

21. Marmoreo pede] Hesiodus in Theogonia appellavit Thetidem ἀργυρόπεζαν, id est, can-

Littora, purpureosque alitis per gramina flores,
Dicite quo prato Donacen, qua forte sub umbra
Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi jam trini perierunt ordine soles,

Ex

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

23. *Prato*] *Quo pacto* R.
25. *Nam me jam tr. petierunt ord.* R. V. B.

NOTAE.

candidis pedibus insignem a candore illius metalli, Tibullus sic:

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

idem intelligit Nemesianus hoc loco, nam marmoreum valet candidum apud Latinos eadem figura. Naevius Cypria Iliade, referente Charisio.

Cellam marmoream torquis gemmata coronat:

Sic etiam Virgilius:

Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum,
Gurgite cum medio portans Oeagrius Ebrus
Volveret.

Lucret.

——— Coerula quae sint
Nunquam in marmoreum possunt migrare colorem.

Ovid. in Fastis:

Aurea marmoreo redimicula demite collo.

& Metamorph.

Quas ubi marmoreo detersit pollice virgo.

De Nymphis consule praeter alios Lilium Gregorium Gyraldum. TIT.

21. Uda secatis Littora,] In superioribus sane parum nobis profuit vetus editio: nam corruptissime praetulit scripros elegantissimos de διαφορᾶς λόγου versus. At hoc loco non paullo melior est vulgatis. Habet enim hos versus transposito verbo ita conceptos.

Et quae marmoreo pede, Naides, uda secatis
Gramina, purpureosque alitis per littera flores.

Quae scriptura omni dubio procul legitime vera est. Nam quid correctores moverit *secare* Nymfas *littora* volentes potius pedibus marmoreis, quam gramina, & flores littoribus ademtos graminibus adfingentes, id inquirere, sit illis similem facere, qui hominum semper dissimillimi fuerunt. Ait Naides amantes discurrere per gramina, & alentes flores in littoribus. Elegantissime. Nec dubito talia quam plurima in hoc Poëta esse, quae tamen deprendere sine meliore libro nulla vis humani ingenii possit & audeat. BART.

24. Stringentem lilia palmis] Carpentem: Virg. Bucol.

Nunc stringe comas, nunc brachia tende.

rursus:

Sed tamen & quernas glandes nunc stringere tempus,
Et lauri baccas;

roseis autem *palmis*, id est, pulchris. Virgil.

Dixit & avertens rosea cervice refulsit.

In quam etiam significationem usurpatum quandoque scimus *purpureum* a coloris jucunditate: Hesiodus in Theogon: καὶ Εὐνίκη ῥοδόπηχυς &c. καὶ Ἱππονόη ῥοδόπηχυς. & in opere rustico:

Ἀρκτοῦρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος ἠώς. TIT.

Alludit ad Graecanicum formosum, ῥοδοδάκτυλος. δάκτυλα φοινίξοντα apud Nonnum libro XVI. Dionys.

Δάκτυλα φοινίξοντα λαβὼν γαμψώνυχι δεσμῷ
Κυπριδίου καμάτοιο παρήγορον.

Coluthus in raptu Helenae.

Τοῖον ἐφιστομένη ῥοδοδάκτυλος ἔννεπε Κύπρις.

Musaeus.

Ἠρέμα μὲν θλίβουσα ῥοδοειδέα δάκτυλα κούρης.

Hesiodus. β. Ἐργ.

Ἀρκτοῦρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος ἠώς.

Lucian. Dial. Ὁ τὴν οὖν μηδεὶς δὲ καταπεπλέγμενος αὖθις εἰς τὴν Ἴδην καθαρὸς γὰρ καὶ ῥοδοδάκτυλος καὶ ἐσταμένως ὤρεγέ τε ἔκπωμα

Carcynus apud Athenaeum li. XIII.

Ταῦτα καὶ τολμᾷς σὺ λέγειν ἡ ῥοδοδάκτυλος οὖσα

Claudian. Nupt. Hon. Homer. Odyss. β. BART.

25. Trini perierunt ordine soles,] Metonymia pro eo, quod est, jam tres dies elapsi sint. Virgil.

——— ——— saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

 &

Ex quo consueto Donacen expecto sub antro.
Interea tanquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,
Nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae
Luciferis, nulloque biberunt amne liquores:
Siccaque foetarum lambentes ubera matrum
Stant vituli, & teneris mugitibus aëra complent.
Ipse ego nec molli junco, nec vimine lento

Per-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

28. *Rabidos*] *Rapidos* R.

30. *Nulloque biberunt*] *Nullo lamberunt*. R. Forte: *nullos libarunt*. Desumptus enim hic locus ex Ecl. v. Virgilii:

——— ——— ——— nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

31. *Faetarum*] *Ferarum* V.

32. *Aëra*] *Atria* R. forte, *aethera*.

33. *Molli junco*] Virg. Ecl. II. *quorum indiget usus, Viminibus, mollique paras detexere junco.*

NOTAE.

& in majori Poëmate:

Tres adeo incertos coeca caligine soles,
Erramus pelago.

Sic etiam Graeci ἡλίων usurpant. caeterum ex amantium affectu dictum est, quibus vel minima mora longissima videri solet. Phaedria apud Terentium Eunucho:

Tandem ego non illa caream, si sit opus, vel totum triduum?

Par. *Hui universum triduum? vide quid agas?*

In nostra vero τὸ *ordine* hunc affectum exprimit. TIT. Recte hoc docti viri emendarunt. In libris veteribus est,

Nam me jam trini petierunt ordine soles.

Divine hoc Theocritus.

——— ——— Ὀκτὼ παῖδες ἐνίᾳ παῖδι δεκ' ἄλλαι
Σάμερον ἐνδεκάτῳ ποτιθὲς δύο, κὴ μῆνες ἐξ ᾧ.
Ἀπ' ἀλλάλων.

Sed Nemesianus ista allusit. XII. Edyll.

Ἤλυθες ὦ φίλε κοῦρε τρίτῃ σὺν νυκτὶ καὶ ἀοῖ
Ἤλυθες, οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι.
BART.

26. Sub antro.] Quo condixerat venturam. Sic. IV. Ecloga v. x.

Nunc placitas fugiunt fagos, promissaque fallunt
Antra.

Sic in spelunca Dido & Aeneas. BART.

29. Nulla meaė trinis] Virg.

——— ——— Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida Daphni boves ad flumina, nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Quod ex Theocrito sumtum constat:

——— ——— Καὶ αἱ βόες αἵ ποτε ταύρων
Πλαυθέντες γέρασιν, κὴ οὐκ ἐθέλοντι νέμεσθαι. TIT.

Notum ex Theocrito, sed illud melius in libro vetere. *Nulla mihi.* Quod altero tanto elegantius. BART.

31. Siccaque] Versus dignus quovis optimo Poëta. BART.

32. Mugitibus aera complent.] De equis ita inquit Virgilius. Georg. 3.

——— ——— Et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto:

Et Ecl. 6.

Proetides implerunt falsis mugitibus agros. TIT.

33. Molli junco,] Sic mihi vocat Maro:

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco?

Propertius *levem* ipsum appellavit.

——— ——— Et junco brassica vincla levi. TIT.

33 Vimine lento] Flexibili. Virg.

Lentum convellere vimen:

quod

Perfeci calathos cogendi lactis in usus.
Quid tibi, quae nosti, referam? scis mille juvencas
Esse mihi: nosti nunquam mea mulctra vacare.
Idas ille ego sum, Donace, cui saepe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Eheu nulla meae te tangit cura salutis!

Pal-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

35. *Mille*] Virg. Ecl. II. *Mille meae Siculis*, &c.
36. *Nunquam*] Virg. Ibid.: *Lac mihi non aestate*, &c.
37. *Idas ille ego*] Calpurnius hos x. versus majori ex parte verbotenus descripsit. Ecl. III. v. 50. &c.
40. *Eheu*] Ita A.&F. *Heu heu* V.B.&P. *En heu nulla m. te t. causa* R. & Gebhard. ex MS. Pal.

NOTAE.

quod pertinet ad sententiam; haud longe distat istud Theocriti ex Cyclope:

Αἴκ' ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις καὶ θαλλὸν ἀμάσας
Ταῖς ἄρνεσσι φέροις, τάχα κεν πολὺ μᾶλλον ἔχοις νῶν. TIT.

34. Calathos cogendi lactis in usus.] Tale quippiam significavit Maro dicens:

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco.

Vide Columell. l. VII. c. VIII. TIT. Vide ad Calpurnium. BART.

35. Quid tibi, quae nosti,] Idem versus apud Calpur. Eclog. III. v. LXV. Ille videtur potius Nemesiano abstulisse, quam ut huic praebuerit. BART.

35. Scis mille juvencas] Mutuo sumtum a Virgilio, qui porro a Theocrito utendum accepit. Latinus Poëta inquit:

Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans,
Mille meae Siculis errant in montibus agnae.
Lac mihi non aestate novum non frigore defit.

Graeci autem verba sunt haec:

Ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω·
Κἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενος γάλα πίνω.
Τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρῃ,
Οὐ χειμῶνος ἄκρω. Ταρσοὶ δ' ὑπεραχθέες αἰεί.

Quos locos imitatus etiam fuit Ovidius Metam. 13, sed & apud Horatium ita reperias:

Te greges centum, Siculaeque circum
Mugiunt vaccae.

Vide tamen, quae adnotavimus ad Calphurnii Eclogam III. TIT. Virg.

Mille meae Siculis errant in montibus agnae.

Vide Calpurnium Ecloga III. BART.

37. Idas ille ego sum,] Ἐμφατικῶς. Haec eadem sententia apud Calphurnium totidem fere verbis expressa reperitur; ipsius in propinquo statuam, ut conferri possint: ait igitur:

Ille ego sum Lycidas; quo tu cantante solebas
Dicere felicem, cui dulcia saepe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti. TIT.

Ad verbum Calpurnius III. BART.

39. Errantia labra petisti.] Ovid. Epistola Sapphus ad Phaonem:

Cantabam, memini, meminerunt omnia amantes;
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.

Et Amorum lib. II.

Haec quia dulce canit flectitque facillima vocem,
Oscula cantanti rapta dedisse velim.

Errantia autem: modo hunc, modo illum calamum percurrentia. TIT.

40. Te tangit cura salutis] Brevius Maro. *Nil nostri miserere*; quod ex Theocrito expressum est;

Ὁ δ' οὐ λόγον οὐδένα ποιεῖ.

& in Cyclope:

Τὶν δ' οὐ μέλει, οὐ μὰ Δί' οὐδέν. TIT.

41. Pal-

Pallidior buxo, violaeque simillimus erro.
Omneis ecce cibos, & nostri pocula Bacchi
Horreo: nec placido memini concedere somno.

Te

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

41. *Erro*] *Atre* R. forte: *violaeque sim. atrae*, *Omnes*, &c. at *nigrae violae* Virg. Ecl. x. Vel *violae simillimus*, est, pallentissimus, quia Ecl. II. Virg. *Pallentes violas*. Horatius: *Et tinctus viola pallor amantium.*

NOTAE.

41. Pallidior buxo,] Ab insigni ejus ligni pallore impotenter amantis habitum exprimit; vultum, inquam, horridum, exanguem macieque confectum: Ovid.

Pallidior Buxo vultus amantis erat:

& Metam. 4.

—— —— Oraque buxo
Pallidiora gerens.

rursus Lib. II.

—— —— buxoque simillimus ora
Pallor obit.

Auctor carminis in Priapum.

Uvis aridior puella passis,
Buxo pallidior, novaque cera.

Martial.

Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.

Hinc Apulejus: *at ille*, inquit, *modicum commoratus, refert sese, buxantique pallore trepidus mira super conserve suo renunciat.* Catullus dixit:

Quanto saepe magis fulgore expalluit auri &c.
Hospes inaurata pallidior statua.

Tibullus.

Parce precor tenero: non illi sontica causa est:
Sed nimius luteo corpora tingit amor.

Ovidius sic:

Cecidimus macie, color est sine sanguine, qualem
In pomo refero mente fuisse meo. &c.

loquitur Cidippe de se ipsa: Violae etiam color in amantium vultu impressus visitur. Hor.

O quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium.

Ut autem violarum plura sint genera, hic tamen de pallidis intelligit Nemesianus. Virgil. sic:

—— —— Tibi candida Nais
Pallentes violas, & summa papavera carpens.

Columella:

Tunc quae pallet humi, quem frondens purpurat auro
Ponatur viola.

Theocritus certum quoddam genus florum nominavit:

Καὶ μὲν χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγένετο πολλάκι θάψῳ.

Propertius simpliciter:

Perditus in quadam tardis pallescere curis. TIT. Calpurn. III. v. XLV. BART.

42. Pocula Bacchi] Vini, nota figura, Terent.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Virg.

Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinae.
TIT.

43. Concedere somno.] Eodem Epitheto quietem ornavit Virgil. Aen. I.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat:

Intelligit autem somnum ipsum: sic Aen. 5.

—— —— Placida laxarant mente quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:

Sed & soporem quoque Aen. 4.

—— Et placidum carpebant membra soporem
Corpora per terras.

& lib. VIII.

—— —— placidumque petivit
Conjugis infusus gremio, per membra soporem.

est autem hoc non leve ex multis magnisque amantium incommodis ut somnum oculis videre nequeant, quod in Didone expressit Virg.

—— —— Haerens infixi pectore vultus,
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.

Ovid.

Nec somni faciles & nox erat annua nobis,
Et gemitus nullo laeta dolore dabam.

Calphurn.

Dum flet & excusso dispergit lumina somno.

de *lychnuchio* vide, quae annotavimus in nostris locis controversis, ac deinceps in assertione pro eisdem adversus malevolum obtrectatorem, qui se Gallum finxit, cum revera sit vilis quispiam Burdo in agro Patavino ortus ex infima fece

ho-

Te sine, vae misero! mihi lilia nigra videntur,
Pallentesque rosae, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores.
At tu si venias, & candida lilia fient,
Purpureaeque rosae, tum dulce rubens hyacinthus,
Tum mihi cum myrto laurus spirabit odores.
Nam dum Pallas amet turgenteis sanguine baccas,

Dum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

44. *Vae misero*] *Ve* A. *veh*. R. *me* B. V. f. (*me miserum!*)
48. *Rosae, tum*] *Rosae, & dulce rubens hyac.* R. G. T. & B. Virg. Ecl. III. *lauri*, & *suave rubens hyacinthus.* eodem prorsus hiatu.
50. *Nam dum*] *Nam dea Pallas* R.

NOTAE.

hominum. TIT.

44. Te sine,] Totum est Calphurnii, qui illud statim subjicit.

Nec sapiant fontes & acescunt vina bibenti.
At si tu venias jam candida lilia fient,
Et sapient fontes, & dulcia vina bibentur.

Non absimilis locus est in Theocriti Βουκολιάσταις: rosas autem pallentes sibi videri ait, cum alioquin suapte natura aut candidae, aut purpureae esse soleant. Hor.

Nunc & qui color est puniceae flore prior rosae.

Virg.

—— —— Cum primum crastina coelo
Puniceis invecta rotis aurora rubebit;

idem in Copa.

Sertaque purpurea lutea mista rosa.

Martial.

Paestanis rubeant aemula labra rosis. TIT.

45. Dulce rubens hyacinthus] Virg.

Munera sunt lauri & suave rubens hyacinthus.

alibi *mollem*, *ferrugineum* alibi nominavit. TIT. Perditae audaciae correctores haec pessime mutarunt. Veteres duae editiones.

Purpureaeque rosa; & dulce rubens Hiacynthus.

Quae germana scriptura est. Vide de non elisis vocalibus ad Calpurnium notata. BART.

47. Candida lilia fient,] Ita, ut revera sunt, mihi esse apparebunt. Calphurn.

At si tu venias, jam candida lilia fient.

Sic propemodum Theocritus in Βουκολιάσταις·

Παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομοί, παντᾷ δὲ γάλακτος
Οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νέα τρέφεται·
Ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται. αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
Χ' ὁ τὰς βῶς βόσκων, χαἰ βόες αὐότεραι.

Lilia peculiari epitheto *candida* nuncupantur a nativo ipsorum colore. Propert.

Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mista papaveribus

&

Lilia non domina sint magis alba mea.

&

Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

idem fusius observavi ad locum Calphurnii:

Candida qui medias. TIT.

49. Cum myrto] Quandoquidem ex duabus illis plantis una positis, atque conjunctis suavissimus odor excitari consuevit dicente Virgilio:

Et vos, ô lauri, carpam, & te proxima myrte,
Sic positae, quoniam suaves miscetis odores.

Quod ex quarto Theocriti Idyllio sumtum videtur TIT.

49. Spirabit odores.] Eleganter ita *spiritum* pro odore dicebant veteres, Sympos. Aenigmatis. de Lilio.

Spiritus est magnus, quamvis sim corpore parvo.
BART.

50. Nam dum Pallas] Dum quisque Deus propriam sibique dicatam arborem amabit quam videlicet semper amabit. Pallas autem oleam in deliciis habere fingitur, utpote arborem a se primo inventam ex notissima fabula. Virgil.

—— —— Oleaeque Minerva
Inventrix.

Bacchus vitem. idem:

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho.

Priapus hortorum custos creditus est, unde ipsius curae poma demandata fuerunt ab antiquis. Virg.

Dum Bacchus viteis, deus & fata poma Priapus,
Pascua laeta Pales, Idas te diliget unam.
Haec Idas calamis. tu, quae responderit Alcon
Versu, Phoebe, refer, sunt aurea carmina Phoebo.
ALC. O montana Pales, ó pastoralis Apollo,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Vites, deus & fata, poma*] Ita ego, *Vites deus, & fata poma.* R. & P. *vites, deus & fata poma* P. *vites deus & fata poma.* V. forte: *vites, Ceres & fata, poma.* vel, *Tellus fata* Sed & *Deus* pro Cerere potest sumi. Vide Servium ad Aen. 11. vers. 632.

53 POETA, praefigit R. & V. *Haec Idas*, &c.] Virg. Ecl. VIII. *Haec Damon: vos quae responderit Alphesiboeus Dicite Pierides.*

NOTAE.

Sinum lactis, & haec te liba, Priape, quotannis
Expectare sat est, custos es pauperis horti.

Tibull.

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saevas falce Priapus aves.

extant plures lusus in hunc Deum, qui impressi circumferuntur. De Pale sic ait Virg.

Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.

eundem animi conceptum his versibus exprimit idem Poëta:

Haec tibi semper erunt, & cum solennia vota
Reddemus Nymphis & cum lustrabimus agros:
Dum juga montis aper, fluvium dum pisces amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Sed & alibi ita eundem variavit:

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet.

Vocat autem Nemesianus *baccas turgentes sanguine*, quomodo quidam vetus poëta *arborum sanguinem dixit*. Succus enim in pomis & arboribus proportione quadam sanguini respondet in animantibus, unde in sacris bibliis sanguinem uvae pro vino ipso reperias. TIT.

50. SANGUINE] Oleo, *Sanguis* pro quovis succo vitium, oleae, arborum. Vide doctissimum Casaub. ad Suet. BART.

51. BACCHUS DEUS] Vide quae ad Musaei v. 2. notamus. BART.

53. HAEC IDAS CALAMIS] Dixerat enim superius.

——— ——— *Idas calamis, & versibus Alcon.*

id est Idas ad sonum calamorum haec concinebat: est autem imitatio Virgiliana:

Haec Damon, vos quae responderit Alphesiboeus,
Dicite Pierides TIT.

54 AUREA CARMINA PHOEBO] Pulchra instar auri, vel pretiosa, ἄριστον μὲν (inquit Pindarus) ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ. ἅτε διαπρέπει νυκτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. Hinc mala aurea Hesperidum dicti sunt pecudum greges, quos exquisita pulchritudine puellae Hesperides alerent, quae ob decorem a Poëtis aureae dictae sunt, quemadmodum & Venerem ob egregiam formam appellant, auctore Diodoro lib. IV. Callimachus simpliciter sic:

Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή. TIT.

55. O PASTORALIS APOLLO,] Ab eo, quod Admeti gregem olim pavisse creditus est: hinc Virgilius *Pastorem ab Amphryso* eundem appellat, quamvis aliter de hoc cognomine sentiat Macrobius; ad poëticum certe figmentum allusit Tibullus, inquiens:

Pavit & Admeti tauros formosus Apollo:

& de se ipso loquens Apollo, apud eundem Poëtam:

Me quondam Admeti niveas pavisse juvencas
Non est in vanum fabula ficta jocum.

Ovid.

Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheraeas,
Fertur & in parva delituisse casa.

Seneca in Hippolyto.

Thessali Phoebus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocavit.

meminit etiam hujus fabulae Horatius in Odis. Graeci modo ποιμνιον, modo νόμιον, modo ἀγραῖον,

Et nemorum Sylvane potens, & nostra Dione,
Quae juga celsa tenes Ericis, cui cura jugaleis
Concubitus hominum totis connectere seclis,

Quid

N O T A E.

γεωργίον, modo ἐπιμήλιον, modo ἀρνοκόμην, modo νυμφαῖον vocant, quae cognomina a Pastorum officiis ducta sunt. Calphurn.

Aut foecunda Pales, aut Pastoralis Apollo:

Ex Graecis sic ait Callimachus.

Φοῖβον, καὶ Νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠϊθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο·

Orpheus in Argonauticis:

Ἄδμητός δ' ἀφίκανε Φεραιόθεν, ᾧ ποτὲ Παιὰν
Θητεύων ὑπέεικε. Διὸς δ' ἠλεύατο μῆνιν,
Οὕνεκά τοι Κύκλωπας ἀμαιμακέτοισιν ὀϊστοῖς
Ἐν Φθιτοῖσιν ἔπεφνεν. Ἀσκληπιοῖο ἕνεκα λώβης.

meminerunt etiam hujus fabulae Homerus, Pausanias alii, quos hic referre non est opus. TIT.

56. Et nemorum Sylvane potens,] Qui nemoribus praees Horat.

Sic te Diva potens Cypri
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater.

rursus alibi.

Suspendisse potenti,
Vestimenta maris Deo.

nec non alibi.

Phoebe, Sylvarumque potens Diana.

Virgil.

Nimborumque facis, tempestatumque potentem
&c.

Dii maris, & terrae, tempestatumque potentes,

valet enim ubique ἰσχυρτλὰ, ἢ κύριον; alii καὶ τὸν σεβαστὸν dici volunt pro eo, quod est *potiens*. Porro de Sylvano sic ait Virgilius:

Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Arvorum, pecorique Deo, lucumque diemque.
TIT.

57. Quae juga celsa tenes Ericis,] Eryx mons est Siciliae, in cujus cacumine templum Veneri dicatum extabat fama toto orbe notissimum, auctore Polybio, de co sic ait Virgilius:

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae.

inde Venus *Erycina*. Catull.

Spinosas Erycina serens in pectore curas.

Horat.

Sive tu mavis Erycina ridens.

& reliqua. TIT. Traductum ex Theocrito. Syracus.

Δέσποιν' ἃ Γολγώς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας.
Αἰπεινάν τ' Ἔρυκα χρυσῷ παίζοισ' Ἀφροδίτα.

Quos versus transtulit & Catullus. BART.

57. Jugales Concubitus] Non quod matrimoniis praesit, nam hoc munus Junoni tributum fuit, quae iccirco *Pronuba* nuncupatur & a parientibus invocari consuevit, sed quia (ut inquit Lucretius)

——— ——— *Per hanc genus omne animantium*
Concipitur, visitque exortum lumina solis:

& paulo post de eadem loquens.

Efficis, ut cupide generatim secla propagent,
Quae quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit laetum, nec amabile quicquam,
Te sociam.

& reliqua. TIT. Inversio est verborum. Nam sententia est, quae concubitu hominum omnia secula connectis. Et facile poterat scribere

——— ——— *cui cura jugali*
Concubitu est hominum connectere secula tota.

Sed maluit illo Schemate uti. Exempla hujus alibi complusculа notamus. De re ipsa Lucretius lib. 1.

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim secla propagent.

Huc respexit Nonnus fine libri XXIV.

Ἀνδρομέης Κυθέρεια τιθηνήτειρα γενέθλης.

Idem libro XXXIII.

Αἰωνὸς κόσμοιο φυτοσπόρε μῆτερ Ἐρώτων.

Idem lib. XLI.

Ἀνδρομέης Κυθέρεια κυβερνήτειρα γενέθλης.

Proclus de Amoribus.

Οἱ δὲ πατρὸς βουλῇσιν ἀλεξικάκοις τε θεοῖσιν,
Ἱμερτοῖς φύσεσιν ἀπείρονα κόσμον ἀέξειν.

Orpheus.

Πάντα γὰρ ἐκ σέθεν ἐστὶν ὑπεζεύξω δὲ κόσμον,
Καὶ κρατέεις τρισσῶν μοιρῶν γεννᾷς δέ τε τὰ πάντα.

Quae sane omnia in hunc sensum accipienda. BART.

61. Vo-

Quid merui, cur me Donace formosa reliquit?
Munera namque dedi, noster quae non dedit Idas;
Vocalem longos quae ducit Aëdona cantus:
Quae, licet interdum contexto vimine clausa,
Cum parvae patuere fores, ceu libera ferri
Novit, & agresteis inter volitare volucres:
Scit rursus remeare domum, tectumque subire
Viminis, & caveam totis praeponere sylvis.
Praeterea tenerum leporem, geminasque palumbes

Nu-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

59. *Reliquit*] *Relinquit* R.
61. *Quae ducit*] *Quae duceret* R. *quae non ducit*. V. B.
67. *Geminasque palumbes*] *Geminosque palumbos* R.

NOTAE.

61. Vocalem longos] Bene *longos*, nam Luscinia noctu, diuque pene indefatigabilis est in canendo, ut pluribus verbis docet Plinius lib. 10. nec non Aelianus de animalibus lib. III. Hinc Plauti illud ex Bacchidibus.

Ego quoque pol metuo, ne lusciniolae defuerit cantio.

Homerus quoque, quod huc aliquo modo facit, sic inquit:

Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν
Καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο
Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,
Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.

Sed & Theocritus in Aita.

——— ——— ——— ὅσσον ἀηδὼν
Συμπάντων λιγύφωνος ἀοιδοτάτα πετεηνῶν.

De hac vero ave, quae fabulose tradita sunt, reperias apud Antoninum Liberalem in Congerie transmutationum cap. II. Est autem commendatio muneris non tam a natura illius aviculae, de qua iidem Plinius & Aelianus in primis consulendi sunt libris super indicatis, quam ab Alconis opera, & diligentia, siquidem ajebat Scopelianus Sophista τὴν ἀηδόνα ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδειν. TIT.

61. Longos] Quujus canor longum durat tempus. Alia enim longiori tempore cantat, alia breviori. BART.

62. Quae licet] Distingue: *quae, licet.* &c. Caeterum superiorem versum ita correxit princeps Joan. Fr. Quintianus Stoa, non ineruditus Poësim vir memoria proavorum, cui hinc sua laus merito adscribitur. Antea erat absurde,

Vocalem longos quae non ducit aedona cantus.

Qualecunque meritum non auferendum hominis cupidi melioris litteraturae, conatibus & memoriae. BART.

62. Contexto vimine] Periphrasis caveae, quam tamen statim proprio vocabulo nuncupat:

--- --- Et caveam totis praeponere sylvis: TIT.

65. Scit rursus remeare domum] Tale quippiam de cervo Amatae narrat Virgil. Aen. VII.

Ille manum patiens, mensaeque assuetus herili
Errabat sylvis, rursusque ad limina nota,
Ipse domum sera, quamvis se nocte ferebat. TIT.

65. Rursus remeare] Pleonasmus usitatus scriptoribus veteribus circa τὸ *rursus*. Vitruvius libr. x. cap. XIII. *spiritum non patientur, obturantes foramina, rursum redire.* Apulejus lib. III. *nec qui laverim, qui terserim, qui domum rursus reverterim prae rubore memini.* Ita alii. BART.

67. Tenerum leporem] Calpurnius Eclog. III.

Saepe etiam Leporem decepta matre paventem
Misimus. BART.

67. Geminasque palumbes] Neque hic locus imitatione caret, factus est enim ad exemplum illius Maronis:

Parta meae Veneri sunt munera, namque notavi
Ipse locum aëreae quo congessere palumbes.
Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Sed & Theocritus hanc sententiam prior expresse-

Nuper, quae potui, sylvarum praemia misi.
Et post haec Donace nostros contemnis amores?
Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon
Te cupiam, qui mane boves in pascua ducam:
Dii pecorum pavere greges, formosus Apollo,

Pan

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

68. *Quae potui*, &c.] Virg. Ecl. III. *Quod potui, puero*, &c. *Aurea mala decem misi.*
69. *Et post*] *Tu post haec* R.
70. *Quod rusticus*] Virg. Ecl. II *Rusticus es Corydon.*
72. *Dii*, &c.] Ibid. Virg. *habitarunt dii quoque silvas.*

N O T A E.

ferat in Ὀδοιπόροις.

Κηγὼ μὲν δώσω τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών, τηνεῖ γὰρ ἐφίσδει.

Caeterum τὸ *Quod potui.* iccirco additur, quoniam de se praedicaverat Idas.

—— —— scis mille juvencas,
Esse mihi, nosti nunquam mea mulctra vacare:

cui cum paria objicere non posset Alcon, ingenue tenuitatem suam fatetur, interim tamen addit puellae se tribuisse quicquid in sua facultate situm esset; est ergo non levis commendatio muneris; pro lepore autem quem hic posuit Nemesianus, Virgilius capreolos dixit.

Praeterea duo, non tuta mihi valle reperti
Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo.

at Calphurnius & leporis & palumbi in illis:

His tamen, his, inquam, manibus tibi saepe palumbes,
Saepe etiam leporem decepta matre paventem
Misimus in gremium. TIT.

69. Et post haec] Epiphonema. Virg.

Et dubitant homines serere, atque impendere curam. TIT.

70. Quod rusticus] Suavissimum de contemtu rustici est Idyllion apud Theocritum. Male vero Olympius po[illegible]cerptum jam florem contemtum metuentem facit. BART.

72 Dii pecorum pavere greges,] Tuetur se Deorum exemplo; & est argumentum a minori. Sic Virgilius.

Quem fugis, ah demens, habitarunt Dii quoque sylvas,
Dardaniusque Paris.

Theocritus.

—— —— —— λέγε μύλῳ
Ὡς Πρωτεὺς φώκας καὶ θεὸς ὢν ἔνεμε.

Eodem argumento factum suum excusat Cherea apud Terentium Eunucho. TIT.

72. Apollo,] Cum ob Admetum serviit vel ob occisos Cyclopas, ut scribit Orpheus Crotoniata Argonauticis. Hujus pastoricii muneris mentio apud Virgil. III. Georg. Pindarus Pythionicῶν. IX. Ovidius. II. Metamorph. Euripides Alcestide. Callimachus εἰς Ἀπολλ. Tibullus lib. II. Eleg. III. Lucanus libro sexto. Macrobius lib. I. Saturnalib. cap. XVIII. Horatius XVII. Carminum. X. Homerus Iliad. β. & φ. Sidonius Narbone, Hippocrates περὶ ἱερῆς νόσου. Lucianus περὶ θυσιῶν. Q. Smyrnaeus libro tertio παραλ. Apollonius. IV. Argon. Nonnus libro decimosexto Dionys. Pausanias libro septimo. Plutarchus in Numa. Hyginus fab. I. & aliis. Coluthus de raptu Helenae. Lactantius libro primo cap. decimo. Valerius Flaccus libro I. Argonaut. Eustathius & alius Scholiast. in Homerum. Suida Admetus. Diodorus Siculus libro quinto. Augustinus libro XVIII. cap. XIII de Civitate Dei. Tertullian. Apologet. Arnob. libro quarto. Minutius Felix Octavio. Cyprianus de Idol. Josephus in Apionem. II. aliique. Hos nominavimus ne quis plane ἀναίτως opinetur, cum tot fabularum adlusiones supersedemus enarrare. BART.

Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.
Quin etiam fontis speculo me mane notavi,
Nondum Purpureos Phoebus cum tolleret ortus,
Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis.
Quod vidi, nulla tegimur lanugine malas.

Pa-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

73. *Fauni vates*] Lego: *Faunusque pater.* Calp. Ecl. II. *Faunusque pater, Satyrique bicornes.* Idem Ecl. I. *Antra patris Fauni.*
74. *Quin etiam* &c.] Virg. ibid. *Nec sum adeo informis*, &c. unde tota haec periodus.
75. *Ortus*] Ita R. & B. Ed. *orbes*, al. omn.
76. *Lumen*] *Lumine* V. A. B. *tremulo spl. lumine* MS. Tit.
77. *Tegimur*] Virg. Aeneid. X. *flaventem prima lanugine malas.* Ἑλληνικῶς. *tegimus* B. Ed.

NOTAE.

73. FAUNI VATES,] Fatidicus Faunus, & oraculorum praeses. Virg. VII. Aeneide. Colebant Faunum & Faunam, hanc faeminis, illum maribus responsa reddentem. Vide Servium Aeneide modo nominata. BART.

73. PULCHER ADONIS.] Virgil.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Sic etiam Theocritus: καλὸν ϗ ὡραῖον eundem vocat. TIT. Et hic inter Pastores. Virg. Ecl. X.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

BART.

74. FONTIS SPECULO] Videtur voluisse Criticorum censuram vitare, qui Virgilio notam inurunt dicenti.

Nec sum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.

tametsi ex Theocrito id sumtum constat, caute igitur Nemesianus, quod ab eis de mari dicitur, ad fontem transtulit quibusdam insuper adjectis circumstantiis, quae visum minus falli permittunt: sic etiam Calphurnius:

Fontibus in liquidis quoties me conspicor ipse,
Admiror toties; etenim sic flore juventae
Induimus vultus, ut in arbore saepe notavi
Cerea sub tenui lucere cydonia lana.

Simile quippiam reperias apud Callimachum. εἰς λυτρὰ τῆς Παλλάδος. Ibi.

Οὐδ' ἐς ὀρειχαλκον μεγάλα θεὸς, οὐδὲ Σιμοῦντος
Ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινομέναν.

Cur vero in speculis, & in perspicuis aquis nos ipsos videamus, docet Alexander problemate quopiam. TIT. Noti in hanc rem Theocriti & Maronis versus. vide & disticho Poetarum Scholast. BART.

76. NEC TREMULUM LIQUIDIS] Varietas Scripturae, quam hic offendi, nulla ex parte officit sensui, quo circa minimo in discrimine pono, an legamus *tremulum*, ut sit adverbialiter dictum, quomodo persaepe loquuntur Poëtae, an vero tanquam adjectivum ad *lumen* referatur, ut sit *tremulum lumen*, an etiam in sextum casum convertatur, ut sit *tremulo lumine*, nam omnibus his modis hunc versum notatum reperi; caeterum haec dictio de imagine rei ipsius expressa est, ut docet Macrobius Saturn. VI. ubi hoc Ennii carmen citat:

Lumine sic tremulo terra, & cava caerula candent:

Sic etiam dixit Lucretius:

Praeterea solis radiis jactatur aquai
Humor, & in lumen tremulo rarescit ab aestu;

nec non Virgilius:

——— ——— *Nec candida cursum*
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.

rursus alibi:

Sicut aquae tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum aut radiantis imagine lunae
Omnia pervolitat late loca.

neque absimile est, quod ait Propertius:

Armorum radiis picta tremulat aqua. TIT.

77. NULLA TEGIMUR LANUGINE MALAS.] Interpretatus est illud Theocriti.

Καὶ ναὶ [illegible]

Quomodo illud alter[illegible]

[illegible]

illo, *Quod vidi*: sed Lucretius dixit:

Tum demum pueris aevo florente juventas
Occipit & molli vestit lanugine malas TIT.

78. PA-

Pascimus & crinem. Nostro formosior Ida
Dicor: & hoc ipsum mihi tu narrare solebas,
Purpureas laudando genas, & lactea colla,
Atque hilares oculos, & formam puberis aevi.
Nec sumus indocti calamis. Cantamus avena,
Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus

Ti-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

78. *Pascimus*] *Pascimur* V. G. B. & Barth. *crimen.* V. B.
79. *Dicor* &c.] Verbotenus idem versus apud Calp. Ecl. III. 620.
82. *Indocti. calamis cantamus* R. & V. *avenae* R. Virgil. Ecl. II. *Canto, quae solitus*, &c.
83. *Qua*] *Qui* V. Forte: *Quae.* Deest hic v. in R.

NOTAE.

78. Pascimus et crinem.] Qui mos fuit Puerorum apud antiquos praesertim impudicorum, unde natum proverbium οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ ψηνίζεται. Agesilaus tamen suum in alenda coma studium, quod alioquin ingenuo homine indignum existimabatur, acuto dicto nulli reprehensioni affine esse demonstravit, interrogatus enim, cur id faceret, ὅτι, inquit, ὁ κόσμος ἀδαπανώτατός ἐστι. Horatius de Gyge.

Quem si puellarum insereres choro
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum solutis crinibus, ambiguoque vultu.

ac alibi:

Aut teretis pueri longam renodantis comam.

Hanc deinde ex ephoebis egressi praecidentes alicui Deo consecrare moris fuit. M. Varro de Liberis educandis apud Nonium. *Itaque Ambraciae primum capillum puerilem demptum; item cirrhos ad Apollinem ponere solent.* Martial.

Hos tibi, Phoebe, vovens totos a vertice crines,
Encolphus domini Centurienis amor.

Homerus.

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
Τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν,

quem locum explicat Papinius Sylvar. Lib. III. ibi:

Et quam Sperchie tumidas servabat Achilles.

Meminit hujus consuetudinis Pausanius in Arcadicis, neque non item Athenaeus ex Diphilo Comico. TIT.

78. Pascimus] Vetus liber, *pascimur.* Optime. BART.

79. Hoc ipsum mihi tu] Calpurn. III. v. LXXIX. BART.

79. Mihi tu narrare solebas,] Circumspecte admodum se gerit Alcon, qui de sua pulchritudine judicium non sibi, sed Donaci tribuit; non ita fecit Dametas apud Theocritum Idyllio VI. unde hic locus ferme expressus est: at Calphurnius cum nostro contendit.

—— —— Formosior illo
Dicor, & hoc ipsum mihi tu narrare solebas.

Alibi tamen hanc cautionem servavit Graecus Poeta dicens:

Κἠμ' ἐκ τῶ ἄντρω συνόφρυς κόρα ἐχθὲς ἰδοῖσα
Τὰς δαμάλας παρελῶντα, καλὸν καλὸν ἦμες ἔφασκεν.
TIT.

80. Et lactea colla,] Candida instar lactis. Virg.

—— —— tum lactea colla
Auro innectuntur &c.
—— —— Fusos cervix cui lactea crines,
Accipit.

Purpureas vero *genas*, id est rubore sparsas. Hesiodus Theogonia Agavem Καλλιπάρῃον vocat, & Gratias eodem epitheto exornavit. TIT.

81. Hilares oculos,] *Ridens oculis* Calpurn. Ecl. VI. v. XV. Vide ad Ceirin quae notata nobis. BART.

81. Puberis aevi.] Sic etiam locutus est Maro.

Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.

Hesiodus dixit in Theogonia.

Τόν ῥα νέον τέρεν ἄνθος ἔχοντ' ἐρικυδέος ἥβης.
TIT.

84 Ti-

Tityrus è sylvis dominam pervenit ad urbem.
Nos quoque, te propter Donace, cantabimus urbi:
Si modo coniferas inter viburna cupressos,
Atque inter pinos corylum frondescere fas est.
Sic pueri Donacen toto sub sole canebant:
Frigidus è sylvis donec descendere suasit

Hespe-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

85. *Cantabimus*] Ita vett. omn. *cantabimur* P.
86. *Viburna*] *Urbana* V. Virg. Ecl. I. *inter viburna cypressi.* Inde enim mutuata haec.
89. *Descendere*] Ita V. & A. *discedere* R. P.

NOTAE.

84. TITYRUS] Haec non obscure de Virgilio dicuntur, cujus personam sustinet Tityrus quidam ipsius prima Ecloga: respicit autem adhuc signantius locum illum:

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat

& reliqua: geminus huic est ille alter Calphurnii locus.

Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus Hyblaea modulabile carmen avena.

Rursus in fine.

Tum mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem
Tityron e sylvis dominam deduxit in urbem,
Ostenditque Deos. TIT.

Virgilius. eadem Calpurnius. BART.

86. SI MODO CONIFERAS] Comparatio Virgiliana.

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Haec eadem sententia nudis tamen verbis, & absque ullo Poëtico apparatu ita alibi exprimitur ab eodem Marone.

Non aliter, si parva licet componere magnis,

& reliq. Sic etiam Marcus Tullius de optimo genere Oratorum. *Parva enim magnis saepe rectissime comparantur.* Et in Oeconomico apud Lactantium: *Ut magna parvis conferamus.* Porro cupressum eodem epitheto insignivit etiam Maro dicens:

Aëreae quercus, aut coniferae Cyparissi. TIT.

86. CUPRESSOS,] Comparatio Virgiliana. BART.

88. TOTO SUB SOLE] Si tota die, haec atque alia multa in eandem sententiam cecinisse Astacum, & Alconem intelligemus; vel est legendum *tosto*, quod reperi in uno codice manuscripto; indico, non affirmo: ad hunc sensum dixisset Catullus.

Sole sub ardenti flaventia demetit arva.

Id quod etiam reperias apud Maronem: Hoc autem dico, quoniam *tosto* active sumi deberet, ni fallor. TIT.

89. FRIGIDUS E SYLVIS] Hac saepe occasione utuntur Poëtae Bucolici, cum sermoni finem imponere volunt; sic Virgilius Ecloga I. sexta, & decima: Nemesianus ea, quae hanc proxime consequitur, Calphurnius quinta, quos locos conferre poterunt studiosi adolescentes ad hunc, quem in manibus habemus, magis intelligendum adhuc; nam ego citato cursu ad reliqua propero pluribus de industria praetermissis, quae hic congeri possent, si mihi propositum esset verbosos Commentarios adornare; sed quoniam brevitati studeo, satis habui apud fontem digitum intendisse; & licet nihilominus, si libet, consulere cap. I. lib. X. meorum Locor. Controvers. super illo Carmine Virgiliano:

Surgamus, solet esse gravis cantantibus umbra;

quod ego legendum esse admonui *cunctantibus*, De quo deinde corium defricui fictitio illi Villiomaro, qui Josepho Scaligero in mimo peragendo personam commodavit. TIT.

89. DISCEDERE] *Descendere* habet vetus editio literis Longobardicis, & Tigurina. Quod optime receptum est. Hoc enim verbum etiam nullo praesente monte, qui *descendi* possit, usurpatur pro venire, aut discedere. Virgil. lib. XI.


Tyr-


Hesperus, & stabulis pastos inducere tauros.

NOTAE.

Tyrrhenamque manum totis descendere campis. Propertius. II.

Tranquille tuta descendit flumine cymba. Quod cum mira quadam suavitate dictum est. At boni correctores, qui sibi quidvis in his duobus Poëtis licere voluerunt, tamquam res foret nullius momenti, ex rusticis leporibus prorsus barbara nobis fecerunt mapalia, suis agrestibus immutationibus, utinam vero scriptum aliquod nancisci nobis liceret exemplar, plura utique eorum facinora in lucem proferrentur, quae hac ope destituti indagare non possumus. BART.





ECLOGA III.

BACCHUS.

PAN.

NYctilos, atque Mycon, nec non & pulcher Amyntas
Torrentem patula vitabant ilice solem;

Cum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

BACCHUS] Ita P. & additur; *Pan trium puerorum impulsu* [*modulatur.*] Sic & V. sed ult. vox deest. *In hac Ecloga Pan inducitur cantare laudes ac munera dei Bacchi Nyctilo & Mycone audientibus, cum Amynta.* R. Exprimit haec Ecl. Silenum Maronis Ecl. VI.

1. *Nyctilos, atque*] *Nyctilus ac Mycon* R.

NOTAE.

BACCHUS.] Inscribitur haec Ecloga ab argumento. TIT.

1. NYCTILOS, ATQUE MYCON,] Non dissimile habet exordium altera, quae hunc consequitur Ecloga; est autem imitatio ex Virgilii Sileno. TIT.

2. TORRENTEM PATULA] *Torridam aestatem* appellavit Maro. *Jam venit aestas Torrida*; &

pa

Cum Pan venatu fessus recubare sub ulmo
Coeperat, & somno lassatas sumere vires;
Quem super ex tereti pendebat fistula ramo.
Hanc pueri (tanquam praedam pro carmine possent

Su-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

4. *Lassatas*, Ita R. *lassatus*. al. omn. *lassatus resumere* G. Hinc Bart. leg. *lassus resumere*.
5. *Ex tereti*] è R. & V. A. B. F. Virg. Ecl. VII. *sacra pendebit fistula pinu*.
6. *Praedam*] Ita omn. libb. *praedem* Tit. & Bart.

NOTAE.

patulam fagum, ibi,

Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi
Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.

Sic Papinius in Hercule Surrentino.

——— ——— *Patula defendimus arbore solem.*

Sed *torrens sol* est, quem *assum* vocavit Cicero; Plato *ταϋτηρ*, ni fallor: sic *torridum aërem* appellat Propertius, & *torrentissimum axem* Papinius. TIT.

3. Torrentem solem;] Idem pene versus apud Calpurnium, Eclog. v. ubi notas vide. BART.

4. Cum Pan] Sic etiam Theocritus.

Οὐ θέμις ὦ ποιμὰν τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες. ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται, ἐστί γε πικρός.

Unde Virgilius sumsit, quod est in Sileno.

——— ——— *Chromis, & Mnasylus in antro*
Silenum pueri somno videre jacentem.

& reliqua: velim etiam inspici principium fabulae Aristaei commemoratae a Virgil. IV. Georg. TIT.

3. Venatu fessus] Circa meridiem dicebant Pana dormitum se in umbram recipere, nec illo tempore valde suavem esse excitatum. Id quod divina quadam rusticitate protulit pastor apud Theocritum.

Οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν οὐ θέμις ἄμμιν
Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες. ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται· ἐστί γε πικρός
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

At Nemesianus evigilantem nimis promptum ad cantum facit tam austerum daemonem. BART.

4. Somno sumere vires;] In Langobardica editione *lassatus resumere vires*. Non dubito verissimam scripturam esse, *lassus resumere*. Nimirum *το re* productum addidit libidinem corrumpendi Poëtam librariis. At dudum nos docuerunt docti, ambiguam eam voculam non uno loco nec uno in auctore reperiri. Vide Gifanii collectanea in Lucretium. de re ipsa Nonnus libro Dionysiac. XLVII.

Ναξιὰς ἰοχέαιρα πόνων ἀμπαύεται ἄγρης
Θηρεφόνους ἱδρῶτας ἀποσμήξασα θαλάσσῃ,
Τίκτε γὰρ γλυκὺν ὕπνον ἀεὶ πόνος. BART.

5. Pendebat fistula ramo] *Teretem olivam* reperi apud Maronem.

Incumbens tereti Damon sic cepit olivae:

Sed alibi ad mentem hujus nostri inquit:

Hic arguta sacra pendebit fistula pinu:

ad verba sic:

Solamenque mali de collo fistula pendet. TIT.

6. Tanquam praedam] Sumunt fistulam loco pignoris, quam pro pignore habeant, ut ita Pana ad canendum adigant, cui sensu conveniret *Praedem*; sed nihil determino contra omnium codicum, quos viderim, consensum. TIT. Acute tu quidem mi Roberte atque ingeniose *praedem* convenire huic loco pro *praedam* censuisti, atque ego tibi subscribam libens, modo idem Nyctilos atque Micon habuissent in animo apud Nemesianum, quod intenderunt Chromis & Mnasylus apud Virgilium. simile quiddam, non vero prorsus idem aucupati sunt utrumque illorum par. A Sileno Virgiliano poposcerunt agrestes pueri carmina, quae ipse deus illis exponeret. In Pane Nemesiano simplices atque ignari adolescentes carmina quidem exquirebant, sed quae ipsimet effingere ad libitum nossent, rustica enim quadam persuasione crediderant, si fistulam Panos modo nanciscerentur, carmina quae vellent continuo suo marte edituros, itemque fistulam divinam perinde atque illum nullo negotio tractaturos. Expressum hoc fit ex illis quae sequuntur, *Sed nec* &c. MARTELL.

6. Praedam] Libri duo veteres disertim praeferunt *praedam*. At nobis liquet, *predem* omnibus modis rescriptitandum esse. Sumebant fistulam predem carminis a Pane impetrandi, ut ad exemplum Maroniani Sileni Pan iste confinga-

Ddd 2 tur.

Sumere, fasque esset calamos tractare deorum)
Invadunt furto: sed nec resonare canorum
Fistula, quam fuerat, nec vult contexere carmen.
Sed pro carminibus male dissona sibila reddit.
Tum Pan excussus sonitu stridentis avenae,
Jamque videns, Pueri, si carmina poscitis, inquit,
Ipse canam. nulli fas est inflare cicutas,
Quas ego Maenaliis cera conjungo sub antris,

Jam-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

8. *Canorum*, &c.] Ita ego, subintell. tam. *canorum Fistula quem fuerat* V. A. B. F. *quem fuerat*. Martell. *canorum Fist. quem suevit* R. & P.
10. *Male sibila dissona*. V. A. & B. F. supra Ecl. 1. *dissona flamina Mopsi*.
12. *Si carmina poscitis*] Virg. Ecl. VI. *Carmina, quae vultis, cognoscite*, &c.

NOTAE.

tur. BART.

8. Sed nec resonare canorum] Tale quippiam observavi apud Anacreontem Oda I. in quibusdam libris legebatur *canorem* & *fuerat* pro *fuerat*, quod sane rectum arbitror: illam dictionem observavit quoque Lucretius:

Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor in aethereis dispersus nubibus austri.

Sed & Maro dicens:

——— ——— ——— *namque morantes*
Martius ille aeris rauci canor increpat ———

habet autem analogiam a verbo *cano*, exemplo illorum, *sudor*, *clamor*, *error*, *marcor*, *candor*, *algor*, *sonor*, *stridor*, *ardor*, atque hujus generis aliorum. TIT.

10. Sed pro &c.] Audacter enim lego *fuerat* pro sueverat & non *fuerat*, quod cum accusandi casu in relativo quomodo societur, non ariolor. Ut autem noster hic sensus apertius intelligatur subdit

Sed pro carminibus male sibila dissona reddit.

Ergo poscebant ii pueri carmina non a Pane, sed a fistula Panica: si quis objiciat: Pana dixisse illis

——— ——— *pueri si carmina poscitis*
Ipse canam.

Respondeo ipsum hoc mirum quantum nostrae sententiae faveat. Nam illud, *ipse canam* sat arguit Pana hoc voluisse, si carmina cupitis, carmina quidem habebitis pueri, sed a me ipso, non a mea fistula, vel a vobis. Itaque utroque in cupidine vestro decepti fuistis: nam fistulam Dei non licet tractare mortalibus, & carmina non suppeditat mutum, & brutum instrumentum Dei, sed divina inspiratio, accedente humana industria & labore. MARTELL.

10. Male sibila dissona] Supra Ecl. 1.

——— ——— ——— *nuper nam carmine victor*
Risisti calamos & dissona flamina Mopsi. TIT.

10. Dissona sibila] Eclog. 1. v. 16.

Risisti calamos & dissona sibila Mopsi. BART.

11. Excussus] Plene Virgilius:

Excutior somno, TIT.

11. Stridentis avenae,] *Stridentem stipulam* appellat Maro, quod idem valet.

——— ——— ——— *non tu in triviis indocte solebas*
Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Calphurn.

——— ——— *carmen inops & acerbae stridor avenae.* TIT.

12. Jamque videns,] Somno excussus. Virgil.

——— ——— *jamque videnti*
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit. TIT.

13. Ipse canam.] Virgil.

Carmina quae vultis cognoscite ——— TIT.

14. Quas ego Maenaliis] Sub antris Moenali montis Arcadiae, qui Pani dicatus est. Virg.

Pan ovium custos, tua si tibi Moenala curae.

quod autem ait, *cicutas se cera conjungere*, antiquum Panis inventum respicit, de quo Virgilius:

Pan

Jamque ego, Bacche, tuos ortus, & semina vitis
Ordine detexam. debemus carmina Baccho.
Haec fatus, coepit calamis sic montivagus Pan.
Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

15. *Jamque ego, Bacche*] Virg. init. Georg. II. *Nunc te, Bacche, canam* f. *Jamque ego Baccheos ortus*, ut Calp. Ecl. IV. 56. *Jamque ortus, Lenaee, tuos.* R. & Gronov. Observ.

N O T A E.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit; Pan curat oves oviumque magistros.

Consule Achillem Statium libr. VIII. de amore Clitophontis & Leucippes, ubi modus & occasio inveniendae fistulae traditur. TIT.

16. ORDINE DETEXAM] Non persistit in metaphora semel suscepta, persisteret autem si diceret:

Jamque ego Bacche tuos orsus & stamina vitis:

Quanquam *orsa* dicendum esset, excusabimus tamen licentiam aliorum Poëtarum exemplo, qui eam crebro usurparunt, veluti alicubi ostendimus in Assertione pro nostris libris Locor. Controvers. TIT.

16. DEBEMUS CARMINA BACCHO.] Ex Marone, qui dixerit:

——— ——— *debentur carmina Phoebo.* TIT.

16. BACCHO.] Bacchica Historia a capite ad calcem ab iis enarrata est, qui & olim & nuper τὰ μυθολογικὰ scripserunt. In vulgatissimis fabulis tempus terere nobis non libet. Caeterum quod hic Baccho carmina debere dicit, facit ut nobis in Ecloga praecedente v. LIV. rescribendum videatur,

——— ——— *sint aurea carmina Phoebo.* BART.

17. MONTIVAGUS PAN.] Οὐρεσιφοῖτος. Lucret.

Namque canes ut montivagae persaepe ferai
Naribus inveniunt intectas fronde quietes.

&

——— ——— ——— *pabula laeta*
Montivago generi possit praebere ferarum.

Catullus *nemorivagum* usurpavit in Galliambo:

Ubi cerva sylvicultrix, ubi aper nemorivagus?

De Pane vide Luciani Dialogum, qui ab hoc Deo inscribitur, ubi ipse & Mercurius loqui introducuntur. TIT. Haerebam hoc loco dubius quomodo Pan potuisset cantare calamis si fistulam Panos invaserant furto pastores nec redditam illam Pani, sicut par erat, legebamus. At divine cognovit & cognitam divine expressit Poëta Deorum vim longe aliam ab humana. Homines a nolente, & repugnante sine vi aliqua nequeunt extorquere quicquam. Deus contra a nolente & quantumvis renitente quicquid libeat, tanquam a volente, & permittente elicit, immo nolentem vi nulla adhibita reddit volentem, & aventem. Ignari pueri dum Syringam Panicam apud se esse putant: ecce a Deo illam inflari percipiunt, & mirantur. MART.

18. HEDERATA FRONTE] Hedera coronatus; est enim haec planta Baccho dicata, vel quia, ut canit Ovid.

Nysiades Nymphae puerum quaerente noverca,
Hanc frondem cunis circumposuisse ferantur.

Vel quia contra ebrietatem facere putatur, vel quia Cyssus puer unus ex Bacchi comitibus cum Satyro quopiam saltans, humi laetaliter afflictus est, & a Deo in hederam transformatus, quae & κισσὸς Graece nuncupatur. unde & Baccho cognomen inditum. Homerus in altero ad Dionysium hymno:

Κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν.

Tibullus:

Sed varii flores & frons redimita corymbis.

Propert.

Candida laxatis onerato colla corymbis.

Uterque de Baccho loquitur: sic etiam reperias apud Herodianum: Ἀντίγονος δὲ, Διόνυσον πάντα μιμούμενος, καὶ κισσὸν μὲν περιτιθεὶς τῇ κεφαλῇ ἀντὶ καυσίας καὶ διαδήματος Μακεδονικοῦ, θύρσον δὲ ἀντὶ σκήπτρου φέρων. Sed & βοτρυοχαίτην, & σύπλοκον cognominatum scimus: *corymbi* autem sunt hederae racemi Virg.

Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

de Baccho vide plura penes Macrobium Saturn. lib. I. cap. XVIII. TIT. Vide ad Calpurnium. BART.

Vitea serta plicas, qui comptos palmite tigres
Ducis odorato perfusus colla capillo,
Vera Jovis proles. jam tunc post sidera coeli
Sola Jovem Semele vidit Jovis ora professum.

Hunc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

19. *comptos*] Ita P. *qui quando.* omn. libb. forte *qui ovantes.* ut *τὸ qui* non elidatur.
20. *Odorato capillo*] Sic omn. libb. *odoratis capillis* P.
21. *Coeli*] *Celo* R.

NOTAE.

19. Vitea serta plicas,] Nam & vitis quoque ejusdem inventum esse creditur, unde *vitis consitor*, & *vitis sator* nuncupatur. Ovid.

——— ——— genialis consitor uvae.

Accius:

O Dionyse pater optime vitis sator Semele genitus Euie.

plura sunt hujus Dei a vino ducta cognomina, quae penes Orpheum & Homerum in Hymnis reperias. Aelianus de varia historia sic inquit: ὅτι τὸ πολυκαρπεῖν οἱ ἀρχαῖοι ὠνόμαζον φλύειν. ὅθεν τὸν Διόνυσον φλοιῶνα ἐκάλουν, καὶ προτρύγην, καὶ σταφυλίτην, καὶ ὀμφακίτην, καὶ ἑτέρως πως διαφόρως. Ex nostris videndus est Ovidius initio quarto Metamor. ex Graecis Diodorus libro III. sed & Gyraldum consulere praestiterit. TIT.

19. Comptos] Correctorum hoc est. Veteres enim omnes editiones habent,

——— ——— quando palmite tigres.

quando tigres ducis palmite, vera Jovis es proles. quod id impossibile homini nato. Vera haec lectio. BART.

19. Palmite tigres] Hoc enim animal Baccho sacravit antiquitas, itaque ipsius Dei currus a tigribus duci fingitur, quoniam ut scribit Fulgentius, omnis vinolentia feritati semper insistat. Sed & panthera Baccho tribuitur, quae & ipsa tigris est species, propterea quod animal sit calidissimum, & ut Bacchae saliant. lynces quoque & pardi huic Deo sacrati sunt. Horat.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili jugum
Collo trahentes.

Ovid.

Inque capistratis tigribus alta sedet.

Seneca in Hippolyto:

Tigres pampinea cuspide territans.

Propert.

Lyncibus in coelum vecta Ariadna tuis.

Ovid.

Tu bijugum pictis insignia frenis
Colla premis lyncum.

Vide tamen Philostratum in Iconibus: *ducis* autem *palmite*, id est vitea virga moderaris, vel vitis liquore mulces; tigris enim vinum maxime appetere dicitur. TIT.

20. Odorato perfusus colla capillo,] Hesiodus eundem χρυσοκόμην appellavit in Theogonia: sed & hic noster expressius illius Dei mollitiem notat: molles enim & delicati comam unguentis delibutam gerebant. Horat.

Cum que morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrie capillos.

talem autem pingi consuevisse Bacchum satis constat. TIT.

21. Vera Jovis proles.] Quoniam Semele fulmine tacta Bacchus supervixerit, ut hoc non levi indicio Jovis filium se esse probaverit, praeterquam quod in ipsius femore justum dierum ad nascendum numerum est consequutus. notum est omnibus Poëtarum figmentum. TIT.

21. Post sidera coeli] Praeter Sydera, quae assidue Jovem intuentur. TIT.

21. Sidera] Numina. Post numina sola Semele Jovem vidit ut Jovem. Cor. Severus in Aethna.

——— nec humanas fas est demittere in arteis
Sidera subducto regnant sublimia caelo. BART.

22. Sola Jovem Semele] Nam reliquae mulieres quae a Jove compressae dicuntur, verum Jovis vultum nequaquam aspexerunt, Europa, inquam, Leda, Danaë, Alcmena, & si quae sunt aliae, uni Semeli concessum fuit videre Jovem Jovis ora professum: fabula exstat apud Ovidium Metam. III. Higinum, Diodorum lib. III. & IV. Apollodorum; alios. vide etiam Philo-

Hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,
Protulit, & justo produxit tempore partus.
Hunc Nymphae, Faunique senes, Satyrique procaces,
Nos

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

24. *Justo*, &c.] Nemesianus ipse Cyneget. *justi complevit tempora partus.*

NOTAE.

lostratum in Imaginibus. TIT.

24. Justo produxit tempore] Cum videlicet Semele abortum fecisset Ovid.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener, si credere dignum est,
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

Theocritus λήναις.

Χαίροι μὲν Διόνυσος, ὃς ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι,
Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θήκατο λύσας·

hinc εἰραφιώτην ipsum vocatum scimus. Quid vero sub hujus fabulae involucro texerint veteres, docet Diodorus libro II. ubi de India loquitur. TIT.

24. Produxit] Ita in Cynegetici principio, fabula elegantissimis floribus verborum innexa a Nonno. *produxit* est *complevit* usque ad justum tempus. Cyneg.

At pater Omnipotens maternos reddere menses
Dignatus, justi complevit tempora partus.
BART.

25. Hunc Nymphae,] In veteribus duobus codicibus nostris transpositi apparent hi versus, hoc modo.

Vos etiam & Nysae viridi nutristis in antro
Hunc Nymfae, Faunique Senes, Satyrique procaces,
Quia & Silenus ———

Quo modo quin restituantur, nulla vetat ratio, nisi cui correctores numina sunt. BART.

25. Nymphae,] Bacchus a Nimphis nutritus. Nonnus li IX.

Ὤπασε θυγατέρεσσι Λάμου ποταμηΐσι Νύμφαις
Παῖδα Διὸς κομέειν πεφυλαγμένον. αἱ δὲ λαβοῦσαι
Βάκχον ἐπηχύναντο καὶ εἰς στόμα παιδὸς ἑκάστη
Ἀθλιβέων γλαγόεσσαν ἀνέβλυεν ἰκμάδα μαζῶν.

In hoc festive lusit epigrammatum poëta Meleager.

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος
Νίψαν, ἔσω τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἢν δὲ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Quod ita interpretatus sum post veterem Poëtam, cujus Epigramma. lib. I. veterum legitur.

Materno in cinere inventum lavere Lyceum
Nymphae, invergentes plurimam aquam puere,
Inde Deo in Nymphas magnus favor: experiere
Defendas si fors flumina, flammiferum.
BART.

25. Satyrique procaces,] In Venerem propensi, salaces, libidinosi, quod ipsum nomen arguit, dicuntur enim, ut quibusdam placet, ἀπὸ τῆς σάθης: id est ab inflammata rei venereae cupidine, vel a membro virili, unde salax ille caprarius apud Theocritum dicitur a Satyris, vel Panibus genus ducere.

Εὐγ' ἄνθρωπε φιλοῖφα, τό τοι γένος ἢ σατυρίσκοις
Ἐγγύθεν, ἢ Πάνεσσι κακοκνάμοισιν ἐρίσδει.

Bacchi comites numerantur a Strabone Σειληνοί τε, Σάτυροι, καὶ Βάκχαι, Λῆναί τε, καὶ Θυῖαι, καὶ Μιμαλλόνες, καὶ Ναΐδες, καὶ Νύμφαι, καὶ Τίτυροι προσαγορευόμενοι. Sed & Aeliani verba operae praetium fuerit adscribere, ut res tota melius cognoscatur, ait igitur ille Variae Historiae lib. III. ὅτι οἱ συγχορευταὶ Διονύσου σάτυροι ἦσαν οἱ ὑπὸ ἐνίων τίτυροι ὀνομαζόμενοι. ἔχον δὲ τὸ ὄνομα ἐκ τῶν τερετισμάτων, οἷς χαίρουσι σάτυροι. σατυροι δὲ ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι· σιληνοὶ δὲ ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν. τὸ δὲ σιλλὸν ψόγον λέγουσι μετὰ παιδιᾶς δυσαρέστου. & reliqua. Ovid. Metam.

——— ——— *tu bijugum pictis insignia frenis*
Colla premis lyncum: Bacchae Saturique sequuntur,
Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet & pando non fortiter haeret asello.

Vide universam Propertii Elegiam ad Bacchum libro III. & Philostratum de Vita Apollonii lib. VI. cap. XIV. TIT. Theocritus.

Εὐγ' ἄνθρωπε φιλεῖφαβ' τοι γένος ἢ σατυρίσκοις.
Ἐγγύθεν ἢ Πάνεσσι κακοκνάμοισιν ἐρίσδει.

Scholiast. οἱ Σάτυροι καὶ οἱ Πᾶνες εὐεπίφοροι πρὸς τὰς συνουσίας, ὅτι δὲ οἱ Σάτυροι τοῦτο ἔχουσι ἀπὸ τοῦ ὀνόματος. ἀπὸ γὰρ τῆς Σάθης πεποίηται Σάτυρος, σάθη δὲ ἡ εἰς τὰς ἐπιθυμίας ἐντύπωσις. ἀκρατεῖς οἱ Σάτυροι ἐρώτων. λέγει δὲ παρὰ τὸ σάθη, σάθη δὲ τὸ μόριον
ἢ

Nos etiam Nysae viridi nutrimus in antro.
Quin & Silenus parvum veneratus alumnum,
Aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis,
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis quassat crepitacula palmis.
Cui deus arridens, horrentes pectore setas

Vel-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

26. *Nos etiam* &c.] Ita ego. *Vos etiam Nys. vir. nutristis* P. *Vos etiam & Ny. vir. nutristis* V. A. B. F. *Nosque etiam Nymphae viridi nutrimus* R. Versus hic ante praecedentem ponitur in V. A. B. F.

27. *Quin &*] *Quin etiam Silenus* V.

NOTAE.

ἢ ἀνδρὸς ὅπερ καὶ παῖς λέγεται. Vide elegantem hac de re Euphemi fabulam apud Pausaniam libro primo. BART.

26. Nos etiam Nysae] Has Nymphas a Nysa Citheronis vertice dictas quidam volunt: Diodorus a Nysa foelicis Arabiae urbe derivat: earum nomina feruntur haec, Cisseis, Nysa, Erato, Eriphia, Bromie, Polyhymno, vel ex aliorum sententia haec, Arsene, Ambrosie, Bromie, Cisseis, Coronis: alii aliter scribunt, veluti Pherecydes, & Hesiodus: Homerus altero in Bacchum hymno. ὃν, loquitur de ipso Baccho,

-- -- τρέφον ἠύκομοι νύμφαι παρὰ πατρὸς ἄνακτος
Δεξάμεναι κόλποισι, καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον
Νύσης ἐν γυάλοις.

Propert.

Indica Nysaeis arma fugata choris.

Dictus est autem Bacchus a Nymphis nutritus, quoniam aqua infusa vinum augeat, teste Athenaeo lib. II. Ovid.

Nysiades Nymphae puerum quaerente noverca
Hanc frondem canis circumposuisse feruntur. TIT.

26. Sustinet ulnis] Fuit enim Silenus alumnus sive nutricius Bacchi, hujus autem moris meminit Terentius:

Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis!

Catullus ad Coloniam:

—— —— nec sapit pueri instar
Bimuli tremula patris dormientis in ulna.

Herodianus in Oratione Commodi de se, & Marco patre loquentis. Φέρετε μὲ πολλάκις, νήπιον ὄντα, ταῖς ὑμετέραις ἐναγκάλαις πίστεσι. TIT.

28. Sustinet] Vetus editio. *substinet.* BART.

29. Motuque quietem] Somnium invitat cunae, sive brachiorum crebra motitatione, cujus quidem effectus causam reddit Alexander Problematum auctor dicens iccirco id evenire, quia humores ita fusi cerebrum moveant; ipsius verba visum est adscribere: Διὰ τί τὰ βρέφη αἱ τροφοὶ πρὸς ὕπνον τρέπουσι κινοῦσαι αὐτά· πρὸς τὸ τοὺς χυμοὺς ὑπὸ τῆς κινήσεως χεομένους κινεῖν τὸν ἐγκέφαλον· τέλειοι μὲν τὸ τοῦτο πάσχειν οὐκ ἀνέχονται. Est autem pulchra ἀντίπτωσις in verbis Nemesiani, quamvis dictio *quietem* valeat hic somnum ipsum, ut apud Virgilium:

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat.

rursus.

Placida laxarunt membra quiete. TIT.

30. Tremulis quassat crepitacula palmis.] Martialis vocavit *Sistra.*

Si quis plorator collo tibi Vernula pendet,
Haec quatiat tenera garrula sistra manu.

Haud hinc abludunt, quae leguntur apud Alexandrum problemate quopiam, dum quaerit cur infantes nutricis canticum audientes vagitum sistant, mox vero etiam dormiant, verba ipsa qui volet, habet unde petere possit. TIT.

30. Crepitacula] Nonnus libro XLVIII. BART.

31. Horrentes pectore setas Vellicat,] Ut Diana apud Callimachum Cyclopib.

Βρόντεω σε σταζόμενη ἰφθιμέη γονάτεσσι
Στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης,

Et illa pars mansit depilis. BART.

32. Au-

Vellicat, aut digitis aures adstringit acutas,
Applauditve manu mutilum caput, aut breve mentum,
Et simas tenero collidit pollice nareis.
Interea pueri florescit pube juventa,
Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.

Tum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

32. *Adstringit*] *Aures adstringere acutas* V. Horat. II. Od. 19 *aures Capripedum Satyrorum acutas.* &c.
33. *Applauditve*] *Applauditque* R. *breve*] Ita R. & P. *leve* al. omn.
34. *Et simas*] Ita P. *summas* al. omn. & MSS. Titii. *Aut summas ten. sustulit poll.* R.

NOTAE.

32. AURES ADSTRINGIT ACUTAS,] Fastigiatas, in acumen collectas; tales enim fuisse Satyrorum aures auctor est Lucianus in Deorum Concilio, appellans ipsas ὀξείας: quomodo accipiendum arbitror Horatianum illud:

——— ——— *Et aures*
Capripedum Satyrorum acutas.

Lucianus ait: *οἱ δὲ Σάτυροι ὀξεῖς τὰ ὦτα, καὶ αὐτοὶ φαλακροί.* Quod posterius declarat illud alterum in nostro, *mutilum caput*, est enim *mutilum* pilis carens: nam Silenus quoque φάλακρος καὶ σιλανὸς pingebatur. vel *mutilum* parte aliqua cornuum detruncata, comminutaque. Varro de Lingua Latina: *Similiter ut si quis videat mutilum bovem, aut luscum hominem, claudicantem equum, negat in cornibus boum, hominum, & equorum naturam similitudinis proportione constare.* Columella: *& idipsum aliter curatur mutilum, & raripilum, aliter cornutum, & setosum, quale est in Cilicia.* Horat.

——— ——— *O tua cornu*
Ni foret exsecto frons (inquit) quid faceret, cum
Sic mutilus minitaris.

Ovid.

——— ——— *turpe pecus mutilum.*

Leve autem *mentum* vocat ob pilorum raritatem. Porro ad universum hunc locum intelligendum mirifice conducunt Callimachi versus ex hymno in Dianam, quocirca eos hic appingere libitum est.

Κούρα, σὺ δὲ προτέρω περ, ἔτι τριέτηρος ἐοῦσα,
Εὖτ' ἔμολεν Λητώ σε μετ' ἀγκαλίδεσσι φέρουσα,
Ἡφαίστου καλέοντος ὅπως ὀπτήρια δοίη
Βρόντεω σε στιβαροῖσιν ἐφεσσαμένου γονάτεσσι,
Στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης,
Ὤλοψας δὲ βίηφι. TIT.

32. MUTILUM CAPUT] Oppido eleganter; totum enim Sileni caput quasi simum est. Vide elegantissimam descriptionem & depictionem ejus apud Casaubonum incomparabilem Antiquitatis vindicem libro priore eorum quos de Satyrica & Satyra dedit. BART.

34. ET SUMMAS TENERO] Talitrum exprimit, quod Pollux describit his verbis: *τὸ δὲ σκανθαρίζειν ἐπὶ τῷ μέσῳ τῆς χειρὸς δακτύλῳ ὑπὸ τοῦ μείζονος ἀφιέντα, τὴν ῥῖνα παίειν.* Ejus ludi meminit Suetonius in Tiberio: haudquaquam mihi displiceret si reponeretur *simas* ἀντὶ τοῦ *summas*: etenim hanc narium formam tribuit Sileno Lucianus eodem Dialogo. ὁ δὲ (inquit) *φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα, ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος.* Veterem tamen scripturam non damno. TIT.

35. FLORESCIT] Pubertas quasi *flos* corporis humani. ἥβης χρύσεον ἄνθος Nonnus. Unde *flos Juvenilis* Barba Claudiano Olybr. Pindarus Olympionic. I. πρὸς εὐάνθεμον δ', ὅτε φυὰν λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον. Calpurnius Eclog II BART.

36. TUMUERUNT TEMPORA CORNU.] E cujus fronte cornua jam se promere incipiebant. Sic Horatius:

Cras donaberis hoedo,
Cui frons turgida cornibus,
Primis, & Venerem & praelia destinat.

Gratius de Venatione:

——— *teneraque extrudens cornua fronte.*

Claudianus de raptu Proserpinae:

——— *& parvo signantur tempora cornu.*

Plures autem rationes a scriptoribus afferuntur, cur Bacco cornua sunt tributa: nam vel eo corporis habitu Deum illum fingi volunt, quia Ammonis filius crederetur, cui nimirum cornua tribuerit antiquitas, aut quia primus boves jugo

Tum primum laetas ostendit pampinus uvas.
Mirantur Satyri frondes & poma Lyaei.
Tum deus, O Satyri, maturos carpite fructus,
Dixit, & ignotos, pueri, calcate racemos.
Vix haec ediderat, decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celerique illidere planta
Concava saxa super properant, vindemia fervet

Col-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

37. *Laetas*] *Lenes* V. A. B. & F. ex MSS. *laeves* Mod.
38. *Poma*] Ita R. & P. recte. Cerasos etiam *poma* vocat Ammianus lib. xxii. & pruna Virg. Ecl. ii 53. Male itaque *dona* A. & F. ex MSS. *dona Lycaei* V. pejus etiam.
41. *Ediderat*] *Audierat* R.
42. *Illidere*] Ita R. & P. *illudere* V. A. B. F.

NOTAE.

copulaverit, ut sit idem qui Osyris; aut cornua audaciam denotant, quoniam quidem audaces efficiuntur, qui liberalius biberint: aut ad cornu referri debet, quo pro poculo usos fuisse Veteres constat: aut aratri inventionem denotat. Videndi sunt Diodorus, Phornutus, Porphyrius, Athenaeus, Nicandri Scholiastes, Philostratus, Eustathius, alii; ex nostris Gyraldus & Natalis de Comitibus. Hinc factum est, ut Bacchus modo ταυρόμορφος, modo κερωὸς, modo Βουγενὴς, modo ταυροκέφαλος, modo ταυρωπὸς, modo ταυρόκερως, modo Βούκερως, modo δίκερως vocatus fuerit. Horatius de Baccho loquens:

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Tibullus:

Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat.

Propert.

Quod superest vitae per te, & tua cornua vivam,
Virtutisque tuae Bacche poëta ferar.

Ovid.

Accedant capiti cornua, Bacchus erit.

Seneca in Hippolyto:

Ac mitra cohibens cornigerum caput. TIT.

36. Cornu] Baccho veteres affinxisse cornua notissimum. Ejus rei ratio, quod ebriosus omnis ἀσελγέστερος. Exemplis non opus. BART.

37. Tum primum lenes] Aliqui malunt *laetas*: sed ego nihil muto, nam paulo post sequitur:

—— —— *O Satyri maturos carpite fructus.*

& est versus ad imitationem illius Virgiliani conformatus:

Heu male tum mites defendit pampinus uvas. TIT.

38. Et dona Lyaei.] Et hic malo *dona*, quomodo scriptum reperi in cunctis, quae viderim exemplaribus, quam *poma*: ita enim loquitur Maro, ad cujus normam totum se fingit hic noster.

—— —— *Tuis hic omnia plena*
Muneribus

Loquitur autem de Baccho. Rursus:

—— —— *Atque non Massica Bacchi*
Munera, non illis epulae nocuere repertae.

Sic Aeneid. 8.

—— —— *onerantque canistris*
Dona laboratae cereris.

De cognomine Lenaei videndus est Diodorus libro iii. TIT.

38. Poma] Notandum *poma* dici uvas. Cum alias tantum πραξίμως eo nomine accipi scribant Jure consulti. Quorum vide doctissimos interpretes. ad l. ccv. de verb. sign. BART.

40. Ignotos, pueri,] Tale est Virgilianum illud:

Sub lucem exportant calathis. TIT.

43. Concava saxa super] Periphrasis lacus vinarii, cujus meminit non longe hinc:

Prenus at ille lacu bibit.

Tibull.

Oblitus & musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum, magni deficiuntque lacus.

Jam-

Collibus in summis, crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo sparguntur pectora musto.
Tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque
Obvia corripiunt: quod sors dedit. occupat usus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit:

Pro-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

45. *Nudaque*] *Udaque* R. non male.
48. *Corripiunt*] *Corripuit* V. A. B. F. *Occupat*] Ita ego. *hoc capit* omn. Edd.
49. *Concavat*] *Convocat* V. B.

N O T A E.

Jam quod sequitur; *vindemia fervet*: sumptum est ex Virgilio:

—— ---- *Spumat plenis vindemia labris.* TIT.

43. CONCAVA SAXA] Primum torcular *concavum saxum* fuit, sic apud Nonnum Bacchus ex tota rupe torcular facit, Dionysiacon. lib. XII. BART.

43. FERVET] Virgil. *fervet opus*. Et Juvenalis.

Fervet opus, spirantque cavi mendacia folles.
BART.

44. COLLIBUS IN SUMMIS,] Ubi nimirum vites melius provenire solent. Virg.

——— ——— *denique apertos*
Bacchus amat colles.

&

Liber pampineas invidet collibus uvas.

rursus;

——— ——— ——— ——— *& quo*
Duceret apricis in collibus uva colorem. TIT.

44. RUMPITUR UVA,] Calph.

Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas. TIT.

45. PURPUREO SPARGUNTUR PECTORA MUSTO.] Gaudent enim qui uvas calcant, se mutuo proluere, sed & simpliciter ab eo, quod est necesse, dixit Tibullus:

Oblitus & musto feret pede rusticus uvas.

Propert.

Dummodo purpureo spument mihi dolia musto;
Et nova pressantes inquinet uva pedes.

Vide etiam Aloisium Alamannum poëtam Florentinum de Cultu agrorum. Hinc Baccho factum cognomen Morychi παρὰ τὸ Μορύσσειν, mustum autem purpureum vocat non absque ratione. Athenaeus Κλέαρχος φησὶ τὸ μὲν ὕδωρ ὥσπερ καὶ τὸ γάλα λευκὸν λέγεσθαι, οἶνον δὲ καθάπερ καὶ τὸ νέκταρ ἐρυθρόν. Hinc etiam Propertius:

Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.

Contra Tibullus;

Pressaque veloci condida musta pede. TIT.

LASCIVA COHORS,] Per appositionem; & est allusio ad etymon; unde Satyros veluti Sathunos quod sint in libidinem proni, appellatos opinantur, inquit Macrobius. Vide superius. TIT.

48. CANTHARON HIC RETINET,] Cantharo Bacchum fuisse usum tradit Plinius de Mario loquens, Virgil.

Et gravis attrita pendebat Cantharus ansa.
TIT.

48. CORNU BIBIT ALTER ADUNCO:] Dixi paulo superius veteres loco poculorum cornibus quandoque usos fuisse, quod testatur Athenaeus lib. II. hinc verbum κεράσαι, quod est vinum aqua permiscere, & κεραστῆρα ἀπὸ τῶν κεράτων, quasi κερατῆρα, dici volunt. Ambrosius libro de Elia & Jejunio: *per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & si quis respiraverit, commissum flagitium, soluta acies, loco motus habetur.* Hic tamen apud Nemesianum cornu significare potest buccinam, propterea quod statim praecesserit,

---- —— *Quod sors dedit, hoc capit usus* TIT.

49. CONCAVAT ILLE MANUS,] Quod expeditissimum est poculi genus, itaque Diogenes ille Cynicus omnis ociosae, supervacaneaeque supellectilis valde abhorrens, viso puero, qui e fonte cavis manibus aquam ad bibendum hauriebat, ligneum poculum, quod in pera gestabat, tanquam instrumentum minime necessarium abjecit: nescio an huc respexerit Lucretius eo versu:

 Et

Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Musta labris: alius vocalia cymbala mergit:
Atque alius latices pressis resupinus ab uvis
Excipit ad potus: saliens liquor ore resultat,
Spumeus inque humeros & pectora diffluit humor.
Omnia ludus habet. cantusque chorosque licentes,
Et Venerem jam vina movent. raptantur amantes

Con-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Vocalia*] *Venalia* R. *Cymbala*] *Cymbia* V. A. B. F.
53. *Ad potus*] Ita ego & Barth. Ed. *ac*, R. V. B. P. *at potis* A. F.
54. *Diffluit*] *Defluit* R. recte. *disfluit* V.

NOTAE.

Et sedare sitim, prius est, quam pocula natum. Propertius certe non alio mentem direxit, cum cecinit:

Et cava suscepto flumine palma sat est.

Ovidius item:

Nectar erat manibus hausta duabus aqua.

Quid sit autem τὸ

——— ——— *concavat ille manus*,

docet id, quod statim sequitur,

——— ——— *palmasque in pocula vertit.*

est enim declaratio prioris sententiae. Hunc locum imitatus est Politianus in Rustico, dicens:

Ille manu panda pronus bibit, alter ab ipso
Sugit musta lacu crepitantibus hausta labellis:
Hic sua suspensum resupinus in ora racemum
Exprimit, hic socii patulos irrorat hiatus,
Irriguumque mero sordet mentumque sinusque.

TIT.

50. Crepitantibus haurit] Ostendit Poëta hoc sermone nimiam Satyrorum in bibendo aviditatem: tale quippiam innuit Juvenalis illo Carmine, de quo multus circumfertur sermo:

Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

TIT.

51. Vocalia cymbia mergit:] Non consentiunt Codices in scriptura hujus loci, nam sunt qui *vocalia cymbia* legant, alii *venalia*, nonnulli *vocalia cymbala* prae se gerunt, quod rectum puto ob id, quod paulo ante praecessit:

——— ——— *Sibi pocula quisque*
Obvia corripuit, quod sors dedit, hoc capit usus.

Facit ad hunc locum quod scribit Clemens Alexandrinus Adhortatione ad gentes, ibi: ἐκ τυμπάνου ἔφαγον· ἐκ κυμβάλου ἔπιον· ἐκερνοφόρησα· ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. ταῦτα οὐχ ὕβρεις τὰ σύμβολα; οὐ χλεύη τὰ μυστήρια; τί δ' εἰ τὰ ἐπίλοιπα προσθείην. Propertius *Cymbala rauca* appellavit ab incondito ipsorum strepitu:

Fundet ad Idaeos Cymbala rauca choros.

Cornelius Gallus, si modo is est Cornelius Gallus, ait:

Hic ego per totum vidi splendentia corpus
Cymbala multiplices edere pulsa sonos.

Catullus gentis hujus instrumenta refert haec:

Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant,
Multaque raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu. TIT.

55. Omnia ludus habet.] Vini largior potus haec omnia parit. Virgilius dixit:

——— ——— *hilarans convivia Baccho.*

Notissimi sunt Ovidii versus in hanc sententiam. TIT.

56. Et Venerem jam vina movent.] Euripides ait:

Οἴνου δὲ μὴ παρόντος οὐκ ἔστι Κύπρις.

Apud Athenaeum Δειπνοσοφ. lib. VI. cap. XX. hoc spectatur Epigramma:

Ἐν τῇ κενῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως
Οὐκ ἔστι, πεινῶσι γὰρ ἡ Κύπρις πικρά.

Mox versus hic citatur:

Ἐν πλησμονῇ Κύπρις, ἐν πεινῶσι δ' οὔ.

Sed & Epigramma hoc adscripsisse non fuerit inutile:

Ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις, ἐν δὲ ταῖς κεναῖς
Παρέστηκεν οὐκ ἔνεστι ἀφροδίτη βροτοῖς.

In Graecorum collectaneis hoc legitur carmen:

Νεκρὸν ἀφροδίτη· διονύσου δίχα καὶ δήμητρος.

Un-

Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas,
Jam jamque elapsas hic crine, hic veste retentat.
Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex avide non aequis viribus hausit.

Ex

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

59. *Primum*] Ita R. & P. *primus*. V. A. B. F.

NOTAE.

Unde hausit Terentius sententiam a se Eunucho positam:

Verbum hercle, hoc verum est,
Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Aristophanes citante Athenaeo Vinum ἀφροδίτης γάλα nominat, quod eo libido alatur. TIT.

56. Venerem vina movent.] Vide Nonnum extremo libro xii. & lib. xv. & innumera pene scriptorum loca quae huc faciunt apud Andream Tiraquellum JCtum Gallicanum ad Legem nonam Connubialem. BART.

57. Fugientes jungere Nymphas,] Eas enim assidue persequi finguntur, quod Diana conqueritur apud Papinium. De Fauno dictum est ab Horatio:

Faune Nympharum fugientium amator:

& reliqua. TIT.

57. Fugientes] Eadem in Nonni nominatis locis. *raptantur jungere* Graecismus est. Virgilius.

——— *redit ascendere muros,*

in Ceiri.

——— ——— *accedo decerpere.*

Appulejus libro iv. Claud. lib. iii. inde Laud. Stilicon.

Quos decus esse Deae primi sub limine caeli
Roscida foecundis concepit Luna cavernis.

Virgil.

——— ——— *Ille suo moriens dat habere Nepoti.*

Statius Achill. i.

Exierant dare veris opes divaeque severas
Fronde ligare comas.

lib. ii.

——— ——— *Egressae thalamis Scyriades ibant.*

Persius:

——— *Postquam destertuit esse.*

Maeonides. Sic:

Ostentare choros.

Appulejus lib. viii. *canes immittuntur bestias invadere.* Claudianus bello Getico.

——— ——— *Numen juraverat Istri*
Non nisi calcatis loricam ponere rostris.

Idem ii. de Raptu.

——— *Levibus projecerat Euris*
Indociles errare comas.

Statius Achil. i.

——— ——— *sub inania natum*
Tartara, & ad Stygios iterum fero mergere fontes.

Horat. i. Carm.

Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere monteis.

Martialis lib. xv. epigr. lxxviii.

Tunc ego: non oculos sed ventrem pascere veni.

Valer. Flaccus l. iv.

——— *Ditem velat aequore Memphim*
Praecipere.

Manilius lib. i.

Et rapit aethereos per carmina pandere census.

Tertullianus ad Scapulam. *Scrupulo percussus inquirere accenditur.* Lucretius.

——— *Sedare sitim fontes fluviique vocabant.*

Graecis nihil usitatius. Theognis.

Τετρώκοντας πολλοὺς ἐς κακότητα πεσεῖν.

Apollonius li. iv.

Δῶκε δ' ἀνέρεστον λάτρεια πῶμα φυλάξ.

Themistius. Εὐχαριστηρία· ἐπεὶ δὲ αὐτῷ τεμέναξ διεσπάξατο χεῖρον τι. D. Matt. c. iv. ἐξῆλθε μισθώσασθαι ἐργάτας. &c. BART.

58. Jam jamque elapsas] Elabi cupientes: sic dixit Propertius *subripuisse* pro subripere voluisse.

Cognitus Iphicli subripuisse boves. TIT.

59. Roseo Silenus cymbia musto] Superius appellavit *purpureum*. De Silenis quippiam reperias apud Senecam Oedipo: Sed & Diodorum adire potes libro iii. TIT.

60. Non aequis viribus] Vel impar ad poculum sustollendum: vel non ferente stomacho tan-

Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque gravis semper ridetur Laccho.
Quin etiam deus ille, deus Jove prosatus ipso,
Et plantis uvas premit, & de vitibus hastas

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

62. *Iaccho*] *Hyaco* V. Virgil. Ecl. VI.
Hesterno, ut semper, venas inflatus Iaccho.
63. *Prosatus*] Ita R. & P. *natus ab ipso* V. A. B. F.
64. *Hastas*] *Haustus* MSS. Titii, ipso non probante.

NOTAE.

tantam vini copiam: eamdem locutionem reperias apud Maronem:

——— ——— *nec viribus aequis*
Nube cava eripui.

Rursus alibi:

——— ——— *Ut propius cernunt non viribus aequis*

At lib. X. dixit:

——— ——— *Si quae fors adjuvat ausum*
Viribus imparibus.

Contra eodem libro:

——— ——— *magno discordes aethere venti*
Praelia cum tollunt animis & viribus aequis.

Rursus ibidem:

Agmina concurrunt ducibusque & viribus aequis. TIT.

61. VENAS INFLATUS] Virgil. Sileno:

Inflatum hesterno venas, ut semper Iaccho.

Quem respicit. BART.

61. NECTARE DULCI,] Sic appellat modo vinum pretiosum. TIT.

62. HESTERNOQUE GRAVIS] Manifesto de Virgilio sumptum dicente:

Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.

Talis autem fingitur Silenus ab Euripide in Cyclope: vide Pausaniam in Atticis. TIT.

63. DEUS ILLE, DEUS] Repetitio haec emphasin auget: tale est Lucretianum illud:

——— *Deus ille fuit, deus inclite Memmi.*

nec non illud Maronis:

——— ——— *Deus ecce Deus.*

Bacchus invocatur ab eodem Poëta Georg. 2. ut nudatis cruribus lacum vinarium ipse quoque ingrediatur unaque uvas calcet: non ergo turpe fuit huic Deo hujusmodi studio vacare. Virgilii versus apposui:

Huc pater o Lenaee veni, nudataque musto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis. TIT.

64. DE VITIBUS HASTAS] Thyrsi [illegible], qua Virgilius quoque usus fuit dicens:

Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.

Neque aliter Statius:

Pampineamque quatit ventosis vitibus hastam.

Sic etiam propemodum Catullus:

Horum pars tecta quatiebat cuspide thyrsos.

Propertius:

Et medius tecta cuspide Bacchus erit.

Alibi ait:

Haec hederas legit in thyrsos.

Fuit autem *Thyrsus* Bacchi telum. Horat.

——— ——— *Euoe parce Liber,*
Parce gravi metuende thyrso.

Vide epigramma quoddam inter lusus Priapi: nec etiam Macrobium omiseris Saturn. lib. 1. cap. XIX. sed & Phornutum consulere poteris, item Diodorum libro III. in quibusdam Nemesiani codicibus erat legere *haustus* pro *hastas*: veruntamen Papinius ita loquitur:

——— ——— & *saevas miserantibus ingerit hastas.* TIT.

64. VITIBUS HASTAS] Thyrsos. Justinus Martyr. ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ [illegible] περιειλημένας τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις [illegible]. Silius Italicus lib. VII. Nonnus lib. IX.

Au-

Ingerit, & lynci praebet cratera bibenti.
Haec Pan Maenalia pueros in valle docebat,
Sparsas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberibus suadens siccare liquorem

La-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

68. *Liquorem*] Sic R. & P. *fluorem* V. A. B. F. & Barth.

NOTAE.

Αὐτὰ δ' ἔπλεκε Θύρσον ὁμόζυγον αἴθοπι κισσῷ
Ἀκρητάτῳ ἡ σίδηρον ἐπεστήκασι κορύμβῳ.

Vide eum & alibi. Virgilium Ecloga v. BART.

65. ET LYNCI] Quod est alterum animal Baccho consecratum: nam superius tigris meminit Poëta. Sic Virgilius:

Quid lynces Bacchi variae?

Hoc animal vinum appetere dicitur. TIT.

65. LYNCI] *Lynces* Bacchi currum trahunt. Statius l. IV.

Et jam pampineos materna ad moenia currus
Promeret, effrenae dextra laevaque sequuntur
Lynces, & uda mero lambunt retinacula Tigres.

Ovidius Metamorphosi III. BART.

66. MAENALIA] Μέγα Μαίναλον. mons Arcadiae, sacer τῷ πολυωνύμῳ Baccho. Schol. Theocriti, Id. α. BART.

67. SPARSAS DONEC OVES] Palantes: huic affine est, quod legitur apud Maronem:

Legere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit, & invito processit vesper Olympo. TIT.

68. UBERIBUS SUADENS] Bis die pecus mulgere solent Pastores per Aestatem: quare munus suum verbis adornare volens Caprarius ille apud Theocritum inquit:

Αἶγα δέ τοι δωσῶ διδυματόκον ἐς τρὶς ἀμέλξαι
Ἃ δὺ ἔχοισ' ἐρίφως ποτάμέλξεται ἐς δύο πέλλας.

Quem locum Virgilius ad vitulam transtulit: tempus vero pecoris ad mulctram admovendi erat paulo post ortum, pauloque post occasum: nam eo medio coeli spatium obtinente id facere non erat cautio. Virg.

Cogite oves pueri; si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

Utriusque commodi temporis meminit idem Poëta:

Quod surgente die mulsere, horisque diurnis,
Nocte premunt, quod jam tenebris, & sole cadente
Sub lucem exportant calathis.

Nec non Calphurnius:

At si forte vaces, dum matutina relaxet
Frigora, sed tumidis spument tibi mulctra papillis.

Caetera sunt in promptu. De tempore & hora mulgendi pecoris exstat etiam nonnihil apud Varronem, Columellam, reliquos. TIT.

68. LIQUOREM] Prorsus infando scelere correctores corruperunt hoc loco Olympium. Veteres libri, *fluorem*. quod optimum. Nam scriptores hujus generis multa usurpant vulgo non cognita. *fluorem* usurpat ipse in Cyneget. v. CCXXVII. itidem de lacte, & interpres Scribonii Largi, quisquis is est, cap. LXI. *Laevor* apud Celsum lib VII. *Callor*, Cassiodor. lib. I. Epist. XXXV. *Creper*, Glossae Isidori, *Pictor*, Arnobius, Appulejus, Lucret. Hieronym. Epist. *Paedor* Lucan. *Mador* Appulejus, *Pator* idem. *Tendor* idem. *Acor* & *Mucor* Ulpianus lib. IV. de periculo rei vend. *acor* & Tertullianus contra Marcionem, *Marcor*, Statius. *Aegror*, Lucretius, *amaror*, Lucretius & Virgilius. *Olor*, *fremor* apud Capellam, Arnobium, Statium, Appulejum, & alios, praesertim Afros, qualis & hic noster, reperias; in quibus si haereas, insanissimus sis. BART.

69. COGERE GLEBAS] Caseos conformare: astringere est lac coagulo densare, quod lacteus fici humor praeter caetera praestare solet, auctore Plinio, apud quem multa etiam ad hanc rem legere potes: nec pauciora reperias apud Columellam lib. VII. cap. VIII. ubi Casei faciendi rationem pluribus docet, quod praestat etiam Varro lib. II. Rei rusticae cap.

Lactis, & in niveas adstrictum cogere glebas.

NOTAE.

cap. XVIII. Hic autem & de coagulo intelligit Poëta, & de ratione casei astringendi, manuque comprimendi, densatur enim manibus, ut sit diuturnior, faciliusque aetatem ferat, qua ratione verbum *premere*, & ab eo derivatum *pressum* persaepe usurpari comperi. Virgilius:

Pinguis & ingratae premeretur caseus urbi.

Rursus:

——— ——— *sunt nobis mitia poma,*
Castaneae molles, & pressi copia lactis.

Idem:

——— ——— *Horisque diurnis,*
Nocte premunt.

Sic de melle:

——— *& spumantia cogere pressis*
Mella favis

Quod tamen *exprimere* valere crediderim. Calphurn.

——— ——— *rursusque prematur*
Mane, quod occiduae mulsura redegerit horae.

Quos duos locos iterum modo produxi. TIT.

69. GLEBAS.] *Massas* vocat Calpurnius. Eclog. V. BART.



ECLO-



E C L O G A IV.

E R O S.

Lycidas, Mopsus.

POpulea Lycidas, nec non & Mopſus in umbra,
Paſtores, calamis ac verſu doctus uterque,

Nec

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

Aecloga undecima. V. Quia Calpurnianae VII. praecedunt, ut in R. omnes XI. Calpurnii nomine ponuntur. Poſtea in A. & iis, quae illam ſequuntur, etſi Calpurnianae poſt Aurelianas collocantur, nihilominus XI. haec Ecl. inſcribitur. Quo id pertineat, dixi ſupra ad Titul. Cyneg. Nemeſ.

Eros] Sic P. & MSS. Tit. *In hac Ecloga Lycidas & Mopſus amores ſuos querelis deſperati proſequuntur*, &c. R. Tota a. oeconomia ex Pharmaceutriis Theocriti & Virgilii conſtat.

N O T A E.

Eros.] Hoc eſt Amatorius, ſive Amor, titulus eſt huic Eclogae in illis ipſis exemplaribus, de quibus ſuperius memini. TIT.

Eclog.] Hanc Eclogam omnium Nemeſiani

Nec triviale sonans, proprios cantabat amores.
Nam Mopso Meroë, Lycidae crinitus Jolas
Ignis erat: parilisque furor de dispare sexu
Cogebat trepidos totis discurrere silvis.
Hos puer ac Meroë multum lusere furenteis,
Dum modo condictas vitant in vallibus ulmos.

Nunc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

5. *Ignis*] Virg. Ecl. III. *meus ignis Amyntas*.
8. *Condictas*] *Conductas* R. *conditas* V.

NOTAE.

ni & Calpurnii ut loco postremam ita dignitate & elegantia primam puto. Adeóque prorsus digna erat cui excutiendae paulo plus temporis impenderetur. Sed quid agas procul omnibus, praeter tres vel quattuor, qui animae affixi sunt nostrae, libris, in hoc commentandi genere, in quo nihil propria auctoritate, omnia testimoniis agenda sunt? Verum nos quod seponimus non plane deponimus. BART.

1. POPULEA LYCIDAS,] Non aliter Maro:

Qualis populea moerens Philomela sub umbra.

Vide quae supra adnotavimas ad Eclogam primam. TIT.

2. CALAMIS] Sic est apud Theocritum:

Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν. TIT.

3. NEC TRIVIALE SONANS,] Nec ita canens ut indocti quidam, & rudes in triviis apud ignobilem Plebeculam facere consueverunt. Virgil.

——— ——— *Non tu in triviis indocte solebas*
Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Est enim *triviale*, quod ad trivia pertinet, sumiturque pro re vili, nulliusque precii. Juvenal.

Communi feriat carmen triviale moneta,

Calphurn.

——— ——— *Non hoc triviali more viator,*
Sed Deus ipse canit

Suetonius in Augusto: *Triviales ex circo Ludos interponebat:* hoc est, rudes, & imperitos. Aristides in Sermone περὶ τοῦ παραφθέγματος, Ἡ τοῖς ἐν τῷ τελεῖσθαι παραγγελλομένοις ἔχειν δοκεῖ σοι ταῦτα. TIT.

4. CRINITUS] *Coma* inter indicia mollitudinis. Vetus proverbium, ὅστις κομήτης, ὅτις οὐ ψωλίζει. *Pueri calamistrati pulcro indusiati* apud Appulejum. Martialis, Petronius, Horatius non uno loco, Phocylides νεισικῶ. Portius Latro, contra Catilinam. Manilius libro v. Astronomici. Unde ἀβροκόμους eorum epitheton, ut apud Nonnum fine libri x. Lucianus Ἔρωτι. Et nemo non scriptorum amatoriorum. BART.

5. IGNIS ERAT:] Amatores quos amant ignes suos appellare interdum consueverunt: Poëtae certe ita loquuntur. Virgil.

At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.

Amor enim ipse ignis, & igneus nuncupatur. τὸ πῦρ (inquit Xenophon) τοὺς ἁπτομένους καίει μόνον. οἱ δὲ καλοὶ καὶ τοὺς μακρὰν ἑστῶτας ὑφάπτουσιν. ἡ γὰρ ὄψις λαβεῖν τοῦ πάθους ἐστί. Scire autem oportet, non fuisse turpe apud antiquos puerorum amoribus indulgere, hinc Alcaei, Anacreontis, Horatii, Catulli, Virgilii, multorumque insuper aliorum amores celebrantur. Propert.

Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas,
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.

Suavissimum exstat Catulli epigramma de Caelio, & Quintio, ubi Caelii amori praecipue favet poëta, qui Auphilenum puerum deperibat. Videndus autem est ad hanc rem Plutarchi Amatorius, & Luciani Disputatio sub Callicratidis persona ingeniose magis, quam vere cum Chariclia habita: sed & Plato quoque nonnihil attigit de hac re. Versum qui paullo post occurrit, Scil. *Inque Vicem* &c. tamquam suppostitium, & ex proximo perperam inculcatum deleri jubeo. TIT. Virgilius Eclog III.

——— ——— *Meus ignis Amyntas.*

Ignis enim pro amore. Catullus.

Ut multo mihi major acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis. BART.

7. LUSERE FURENTEIS,] Decepere, & promissorum vanitate duxere. TIT.

8. DUM MODO CONDICTAS] Ecce quomodo amantibus illuserint. Ovid.

——— ——— *ado-*

Nunc fagos placitas fugiunt, promissaque fallunt
Antra, nec est animus solitos alludere fonteis.
Tum tandem fessi, quos lusus adederat ignis,
Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis,
Inque vicem dulceis cantu dixere querelas.

MOP.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

9. *Placitas*] *Placidas* B. R. V. & MSS. Titii.
11. *Tum*] *Dum* B. *lusus ederat* V. A. B. F.
12. *Vulnera*] *Vellera* R. & v. 14. *fugatior*.
13. *Vicem*] Sic omn. Edd. *vices* MSS. Titii. Repetitur hic vers. in B. quoque sup. vers. 6.
15. *Cur pastoralia*] *Et pastoralia* V. A. F. B.

NOTAE.

——— ——— *adopertaque vultu*
Pervenit ad tumulum, dictaque sub arbore sedit.
TIT.

Festus: *condicere est dicendo denunciare. Condicere*, promittere, stipulari. Appulejus lib IX. *condicta vespertina regressione, cubiculo facessit.* Ita *condicere coenam* Plautus. &c. *Conducere*, decernere, statuere, exponit vetus vocabularium. BART.

9. NUNC FAGOS PLACITAS] Sic malo, quam *placidas*, ut erat in quibusdam libris: significat enim fagos, sub quibus ex condicto convenire debebant, & sic placuerat, ut sub illis conveniretur. Virg.
——— *Placitone etiam pugnabis amori?* TIT.

10. ALLUDERE FONTES.] Pro ludere ad fontes notissima figura. TIT. Compositum usurpavit pro simplici verbo & particula seorsim posita. *Ad fontem ludere*, dicendum erat. Sic Appulejus libro II. *prima face cubiculum tuum adero.* BART.

11. TUM] Scribendum; *dum*. BART.

11. QUOS LUSUS EDERAT IGNIS,] Forte reponendum est *adederat*, id est ignis deceptos corroserat, & jam ferme consumpserat. TIT.

11. LUSUS] Elusus. Tibullus.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes, falsa timere jubent.
Hoc est, eludunt menteis & jubent falsa timere. BART.

11. ADEDERAT] Virgil. lib. IV.
——— ——— *Est mollis flamma medullas.*
BART.

12. DESERTIS NUDARUNT VULNERA SILVIS,] Consolatio est impotenter amantium querelas suas montibus & Sylvis exponere, quod Virgilius *inane studium* vocat.
Tantum inter densas umbrosa cacumina Sylvas
Assidue veniebat, ibi haec incondita solus
Montibus & sylvis studio jactabat inani.
Athenaeus ex Theognete poëta Comico hos versus citat:
Πεφιλοσόφηκας γῇ τε νηρηγῷ λαλῶν.
Οἷς οὐδέν ἐστιν ἐπιμελὲς τῶν σῶν λόγων.
Vide Propertii Elegiam, cujus initium:
Haec certe deserta loca.
& Heliodorum in Aethiopicis: sed insigne testimonium reperias apud Plautum Mercatore in Charini adolescentis ore positum ibi;
Non ego idem faceo ut alios in Comoediis
Amantes vidi facere: qui aut nocti aut diei,
Aut soli, aut lunae miserias narrant suas,
Quas pol ego credo humanis querimoniis
Non tanti facere, quid velint, aut quid non velint.
Cicero Quaest. III. Tusculanar. hos ex Euripide versus profert a se Latinos factos:
Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Coelo atque terrae Medeae miserias.
Plura etiam exempla exstant apud nostros Poëtas, Petrarcham, inquam, Tassium, Areostum, alios, quos poteris consulere: sed interim haec sufficiant. TIT.

13. INQUE VICEM] Vicissim, vel alternatim. Horat.
——— ——— *Nos cantabimus invicem*
Neptunum & viridis Nereidum comas.
Ad sensum inquit Maro,

MOP. Immitis Meroë, rapidisque fugacior Euris,
Cur nostros calamos, cur pastoralia vitas
Carmina? quemve fugis? quae me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis, ac, spem fronte serenans,
Tandem dura negas? non possum nolle negantem.

„ Can-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

17. *Quid vultu mentem* &c.] Ita V. A. P. recte. *mente* B. Virgil.
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.
Apulejus Milef. *vultu tamen gaudium tegit, & frontem asseverat*, &c. Male itaque Bart. ex G. *vultum veniens.* Ita quoque R. & F. *veniens praemissis* MS. Pal. Unde Gebhardus: *Voltum scoenis*, vel, *poenis premis. Serenans*] *Serenas?* B. R. V. G. & T.

18. *Negas?*] Malim: *Tandem, dura, nega: possum nunc velle neg. possum non velle* R. G. T, & ex MSS. Martell. *non possum non velle* B. V. *non possum uolle* A. & P.

NOTAE.

Alternis dicetis, amant alterna Camoenae.
Alicubi scriptum fuit, *inque vices*, ut dicitur *per vices*: Releves, non insisto. TIT. Invicem. Virgil.
Inque vicem gens omnes amet. ——— BART.

14. RAPIDISQUE FUGACIOR EURIS,] Mirificam Celeritatem significat. Virg.
——— ——— *fugit ilicet ocior Euro*:
iterum,
——— ——— *fugit ocior Euro.* TIT.

15. VITAS] Fugis. Catullus.
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
BART.

16. QUAE ME TIBI GLORIA VICTO?] Interrogatio, quae resolvitur in negationem. TIT.

17. QUID VULTU MENTEM PREMIS,] Recta scriptura, & est similis sententia Maronis:
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
quidam sinistri correctores fecerunt *veniens ex mente* nulla sententia, atque omnino perperam, meo judicio. TIT. Ambo nostri libri habent, *vultum veniens premis*; *ac spem fronte serenas.* &c. magis venusta vulgata scriptura. Sed cum nostrum librum mangonum manus minime, vel non ita certe graviter, passum putemus, ipsius scriptura non est insuper habenda. *Vultum* autem *premere* est austeritatem dissimulare. Nam *vultus*, ut *supercilium* quoque quandam significat austeritatem. unde *vultuosi*, qui torvum adspectum praeferunt. Sidon. lib. I. Epist. x. *alii tristes vultuosique junctis mihi lateribus incedere.* Marius Victorinus in libro de Maccabaeis.
Consentit cum mente color, tristisque gravatos
Attollit vultus ———
Sed Virgilii versus lib. IV.
Consilium vultu tegit & spem fronte serenat,
Quem aemulatur noster, correctores ad suum acumen in faciendum compulit. BART.

17. PREMIS,] Tegis, atque occultas. *Premere formidine vocem* apud Silium lib. II. Virgilius:
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
BART.

18. TANDEM DURA NEGAS?] Postquam multum, inquit tergiversata es; in hoc autem dura, vix negas: diximus supra.
——— ——— *duri clausere parentes.*
Caeterum subest reconditus sensus verbo *negare*: Tibull.
Sed ne te capiant primo, si forte negabit,
Taedia.
Martialis:
——— *non dat, non tamen illa negat.*
Ausonius:
——— ——— *patet negavi jam tue.*
non expedit hujus verbi notionem pudicis adolescentibus planius explicare. TIT.

18. NON POSSUM NOLLE NEGANTEM.] Sensus qui ex hac scriptura eligitur valde contrarius est ardori Mopsi, atque ejus cupidini, itaque dum nititur demulcere & ad suos affectus proclivem Meroëm reddere, ea pronunciat, quae in sua duritia persistere illam invitent. Nam si dicat Mopsus non possum amare quae negat, & me refugit, Puella, quae adolescentulorum mo-
re

„Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.
Lyc. Respice me tandem, puer ô crudelis Jola:
Non hoc semper eris.. perdunt & gramina flores,
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.

Do-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

21. *Non hoc* &c.] Virgil. Ecl. 11. O *formose puer*, &c.

NOTAE.

re nil magis affectabat quam amari, statim intra se dicet, si quicquam sapis Meroë, nega semper tuo Mopso, nam ille amabit usque & usque. Itaque abjecta scriptura quae contraria sit sententiae dictantis; legam (si tibi & aliis viris doctis non displiceat) *possum non velle negantem*, ut in aliquibus exemplaribus adnotatum in margine memini; quae lectio & superiori sententiae valde consona est, & non modo suadet, sed quasi vim affert puellae. Ne Meroë, ne vana spe lactes amantem, dic aperte velis, nolis: nam etsi perdite amo, vir tamen sum, nec patiar diutius me illudi, liberare me arbitratu meo ab amore possum. Vide ergo quid agas, & quocum tibi res fiet. Haec sententia (ni fallor) digna est erudito poëta & polito. MARTELL. Longe verissimam scripturam in duobus meis libris reperio.

——— ——— *Possum non velle.*

Hoc est minantis nimium superbae Meroae, posse se illam relinquere tam pervicaciter negantem. ut Corydon Alexi apud Maronem cantat:

Invenies alium si te hic fastidit Alexis.

Et Martialis ad suum amasium:

Negare jussi, pernegare non jussi.

Omnino verissimam scripturam eruimus ex nostris probis editionibus. BART.

19. Cantet, amat quod quisque:] Cantum ad taedium minuendum, quod ex amore percipitur plurimum valere docet Plutarchus in Quaestion. Conviv. Unde recte dictum est a Theocrito:

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον, ἐμοὶ δοκεῖ, οὔτ' ἐπίπαστον
Ἡ ταὶ Πιερίδες.

Hoc noster Eclog. 2.

Tum vere ardentes flammatè Pectoris aestus.
Carminibus dulcique parant relevare querela.

Horat.

——— ——— *Minuuntur atrae*
Carmine curae.

Hetruscus Lyricen:

Perche cantando il duol' si disacerba.

Neque hinc abludit, quod est apud Maronem:

Interea longum cantu solata laborem:

neque non illud:

Ipse cava solans aegrum testudine amorem.

Utriusque enim rei eadem est ratio, quam penes Alexandrum in Problematis notatam reperias. Hoc argumentum fusius prosequitur Hesiodus in Theogonia, quem consulere poteris. est autem hic versus intercalaris, qui aliquot aliis interjectis identidem repetitur. Graeci vocant Παρέτυμα ϗ ἐπιμελῴδημα. quemadmodum testatur Scholoastes Theocriti. Talis est Virgilianus ille:

Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.

Plures etiam hujus generis reperias apud Theocritum non uno in loco. TIT.

21. Non hoc semper eris.] Ex Alexide Maronis admonet illum brevitatis floris. BRAT.

21. Perdunt et gramina flores,] Hic locus totus est ex Theocrito:

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐςι ϗ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.
Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐςιν ἐν ἔαρι· ϗ ταχὺ γηρᾷ.
Λευκὸν τὸ κρίνον ἐςὶ, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ.
Ἁ δὲ χιὼν λευκὰ, ϗ τάκεται ἁνίκα παχθῇ
Καὶ κάλλος καλόν ἐςι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.

Multa exstant veterum Poëtarum testimonia in hanc sententiam, quae non est libitum hic adscribere satietatis vitandae gratia, cum Theocriti carminibus res abunde percipi possit. TIT.

23. Nec longum tenet uva comas,] Uvam dixit, cum vitem intelligat: vitis ergo non diu foliis ornata permanet, haec enim arborum comae appellantur. Horat.

Dif-

Donum forma breve est, nec se tibi commodat annus.
„Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.
Mop. Cerva marem sequitur, taurum formosa juvenca,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

24. *Annus*] Vide ad Grat. vs. 393. *annos* R. *annis* V. A. B. F. & Bart. ex G. & T.

NOTAE.

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae.

Calphurn.

——— ——— *Graciles ubi pinea densat*
Sylvas comas. TIT.

23. Comas,] Omnium germinum folia dicuntur à Poëtis *comae*. Severus apud Persii enarratorem.

Pinea frondosi coma murmurat Apennini.

C. Marius Victor. lib. 1. Genefeos.

——— *Tenero prorumpens cespite, laetis*
Jactavit se silva comis.

Dracontius in Hexaemero.

Semper vestita comis frondescit oliva.

Alcimus Avitus l. 1.

——— *Stant semper collibus herbae*
Arboribusque comae ———

Idem lib. iii.

Umbrosis propter stabat ficulnea ramis
Frondentes diffusa comas.

Paullinus Psalmo 1.

Et fronde numquam desluente pervirens
Stabit perenni vividum lignum coma.

Propertius lib. ii.

Et vitem docta ponere falce comas.

Tibullus lib. ii.

Deponit flavas annua terra comas.

Idem lib. 1.

Quam cito purpureos deperdit terra coloreis,
Quam cito formosas populus alta comas.

Catullus.

——— ——— *Cythorio in jugo*
Loquente saepe sibilum edidit coma.

Comae frondes. Isidorus Glossis. Sic *comam* marginis herbas vocat Appulejus noster l. v. Metamorph. Et Prudentius eleganter *agros crinitos*. ii. in Symmachum.

——— *Seges crinitis fluctuat agris.* BART.

24. Donum forma breve est,] Posuit hanc sententiam Socrates quoque in Paraenesi ad Demonicum his verbis:

Κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνήλωσεν, ἢ νόσος ἐμάρανε.

Sed & Junius de Senectute referente Stobaeo. Ovidius sic:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor & spatio carpitur illa suo.

Propert.

Nec forma aeternum, aut cuique est fortuna perennis.

Appellavit autem *formam donum* Horatii exemplo, cujus illud est:

O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens.
TIT.

Tibullus lib. 1.

Formae non ullam fata dedere moram.

Idem.

Ah si tardus eris, errabis, transiet aetas
Quam cito non segnis it remeatque dies.

Theocritus:

Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.

Seneca Hippolyto:

Anceps forma bonum mortalibus
Exigui donum breve temporis
Ut velox celeri pede laberis.

Inibi plura. Ovidius altero de Arte.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor & spatio carpitur ipsa suo.

Aristenaet. l. ii. Epist. 1. Γυνὴ ἔοικε λειμῶνι, καὶ ὅπερ ἐκείνῳ τὰ ἄνθη, τοῦτό γε ταύτῃ τὸ κάλλος. ἕως μὲν ἂν ἡ ὥρα τοῦ λειμῶνος ἐπακμάζῃ, καὶ ἡ χάρις τῶν ἀνθέων. ἡ ὥρα παρῳχηκυῖα πέπαυται μὲν τὰ ἄνθη &c. Theocritus.

Μὴ καυχῶ· τάχα γάρ σε παρέρχεται ὡς ὄναρ ἥβη.

Vide Xenophontem Sympofio. BART.

24. Annus.] Libri nostri: *annis*. Perbelle. Non annis augentibus forma se tibi commodat, aut juxta tuum emolumentum morari mavolt quam contra fugere. *Anni*, aetas. Petronius:

——— ——— *Atque ut fuga mobilis anni*
Circumscripta mora, properantes differat annos,
Quaerit se natura nec invenit ——— BART.

25. Levant carmina curas.] Contra Nonnus lib vi. πηκτίδες αἳ λύουσι μελεδῶνας. BART.

26. Cerva marem sequitur,] Argumentum

ab

Et Venerem ſenſere lupae, ſenſere leaenae,
Et genus aërium volucres, & ſquamea turba,
Et montes, ſilvaeque: ſuos habet arbor amores.
Tu tamen una fugis; miſerum tu perdis amantem.
„Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
Lyc. Omnia tempus alit, tempus rapit: uſus in arcto eſt.

Ver

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

32. *In arcto eſt*] *In arte eſt* R.

NOTAE.

ab inductione, ut vocant. Hoc ſimili utitur etiam Ovidius in re gemina:

Cerva marem ſequitur, ſerpens ſerpente tenetur:
Haeret adulterio cum cane nexa canis.

& in Faſtis:

Cum pare quoque ſuo coëunt volucreſque feraeque,
Atque aliquam, de qua procreet anguis, habet.
TIT.

28. Et genus aereum] Luculentum exſtat hac ipſa de re Lucretii teſtimonium, dum ait:

Aëreae primum volucres te, Diva, tuamque
Significant initum percuſſae corda tua vi:
Inde ferae pecudes perſultant pabula laeta:

& reliqua. Ariſtotel. de Hiſtoria anim. lib VI. ſcripſit animalia fere cuncta propenſiora eſſe ad coitum verno tempore. TIT.

28. Squamea turba,] Piſces; Lucret.

Credere Squamigeris latices nitentibus

aut etiam ſerpentes: Virgil.

Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis
Squammea convolvens ſublato pectore terga.

Hic noſter non multo infra:

——— *torte non ſquammea tractu*
Signat humum ſerpens.

Sed modo piſces intelligemus, cum ſtatim ſequatur:

Et montes ſylvaeque.

quibus verbis angues ſignificari nihil prohibet. TIT.

29. Suos habet arbor amores.] Videnda inprimis ſunt, quae de palmis ſcripta reliquit Plinius lib. XIII. capit. IV. qui de aliorum etiam arborum inter ſe amicitia, mutuoque affectu paſſim e re nata plura commemorat. Joannem Baptiſtam Portam etiam adire praeſtiterit, in libris quibus titulum fecit Phyſiognomonia. TIT. Etſi quae tu, docte Titi, de arborum inter ſe amicitia mutuoque affectu affers, pulchra ſunt & veriſſima, tamen ego ſimplici Minerva ſic intelligo: Amorem ineſſe rebus omnibus omniaque ad amorem eſſe natura proclivia: nam non ſolum animantium genus omne in quibus diſcrimen ſexus apparet, mutuo ſe mas amant & foemina; ſed animantia quoque, ſtirpes, & plantae, in quibus ejuſmodi diſcrimen non ſic apparet, imo vero etiam quae inanima ſunt, ut montes ipſi, & quae intra montes includuntur, lapides, metallaque, ſuos habent amores: nam omnia quae natura conſtant ſuos foetus habent & amant. Mare ipſum, & bruta tellus concipit hyeme quod turgeat Vere, maturet aeſtate, pariat Autumno. MARTELL.

29. Habet arbor amores.] Claudianus:

——— ——— *Omniſque viciſſim*
Felix arbor amat, nutant ad mutua palmae
Foedera, populeo ſuſpirat populus ictu,
Et platani platanis alneque aſſibilat alnus.

Nec mirum amaſſe, quae Nymfae fuerint, ut differit Venus longis logis in hymno in ſe ipſam, qui Homero adſcribitur BART.

32. Omnia tempus alit,] Sic ferme Virgilius:

Omnia fert aetas, animum quoque.

Plato quodam diſticho:

Αἰὼν πάντα φέρει· δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν
Οὔνομα, καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν, ἠδὲ τύχην.
TIT.

Diviniſſimus verſus. BART.

32. Usus in arcto est.] Praeceps eſt occaſio, & quae ſemel elapſa, nunquam revertitur. Notum eſt Auſonii epigramma in hanc ſententiam: vel exiguum temporis ſpatium relinquitur ad res utendas. Ovid.

Utendum eſt aetate, cito pede labitur aetas;
Nec bona, tam ſequitur, quam bona prima fuit:
TIT.

34. Qui-

Ver erat, & vitulos vidi sub matribus istos,
Qui nunc pro nivea coïere in cornua vacca.
Et tibi jam tumidae nares, jam fortia colla,
Jam tibi bis denis numerantur messibus anni.
„Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.
Mop. Huc, Meroë formosa, veni; vocat aestus in umbram:
Jam pecudes subiere nemus, jam nulla canoro
Gutture cantat avis, toto non squamea tractu

Signat

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

39. *Jam nulla*] Sic P. *nam nulla* R. *non ulla* V. A. B. F.
40. *Torto*] B. *Toto.*

NOTAE.

34. Qui nunc pro nivea] Hic portentosa est hominis eruditi interpretatio, inquit enim: *coiêre in cornua, id est tauri facti sunt cornibus coactis, quod signum est aetatis virilis, dicuntur enim coire cornua in tauro, quoniam in se reflectuntur.* Mihi sententia planissima videtur, si accipiatur ea mente, qua dictum fuit & a Marone:

— — Nec nemorum patitur meminisse nec herbae
Dulcibus illa quidem illecebris, & saepe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes,
Pascitur in magna sylva formosa juvenca:
Illi alternantes multa vi praelia miscent
Vulneribus crebris, lavit ater cornua sanguis;
Versaque in obnixes urgentur cornua vasto
Cum gemitu.

&

—— Pinguesque in gramine laeto
Inter se adversis luctantur cornibus hoedi.

Quod fere sumptum videri potest ab Aristotele libro VI. de Historia animalium; cujus haec sunt verba: *ἀγωνίζονται δὲ καὶ οἱ ταῦροι καὶ οἱ κριοὶ καὶ οἱ τράγοι. πρότερον γὰρ ὄντες σύννομοι ἅπαντες, περὶ τὸν καιρὸν τῆς ὀχείας μάχονται διιστάμενοι πρὸς ἀλλήλους.* Videnda autem sunt quae paulo ante haec verba illic leguntur. TIT.

35. Tumidae nares,] Spiritu plenae virili atque fortiori quam velit rusticus iste pullipremo. BART.

35. Jam fortia colla,] Translationem puellae accommodat Horatius:

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice; nondum munia comparis
Aequare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Collum robustum notavit Catullus dicens:

Hesterno collum poterit circumdare filo:

quem ego tamen locum aliter, quam caeteri hactenus fecerint, soleo interpretari. TIT.

36. Bis denis] XVII. Annum jam eximit aetati turpitudini isti obnoxiae Lucianus lib. II. Verar. Histor. in praeceptis Rhadamant. *προσέταξε δὲ καὶ εἴ ποτε ἀφικοίμην ἐς τήνδε τὴν γῆν, μήτε πῦρ μαχαίρᾳ σκαλεύειν, μήτε θέρμους ἐσθίειν, μήτε παιδὶ ὑπὲρ ὀκτωκαίδεκα ἔτη πλησιάζειν.* BART.

36. Numerantur messibus anni.] Diximus supra. TIT.

38. Vocat aestus in umbram:] Aestivo tempore commodissimum est sub alicujus arboris umbra ad solis ardorem depellendum quiescere. Virg.

Ante focum, si frigus erit, si messis in umbra.
TIT.

39. Pecudes subiere nemus,] Persius sic:

—— patula pecus omne sub ulmo est. TIT.

39. Non ulla canoro] Cicadae, non aves medio diei aestu canere solebant. TIT.

40. Torto non squamea tractu] Non dubium, quin ex Virgilio sumptum sit, ille enim sic ait:

Nunc etiam pecudes umbras, & frigora captant;
Nunc virides etiam occultant spineta lacertas.

Theocr.

Ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐφ' αἱμασιαῖσι καθεύδει.

Tortum vero *tractum* dixit quomodo Horatius:

—— —— Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. TIT.

41. Me

Signat humum ferpens, folus cano, me fonat omnis
Silva, nec aeftivis cantu concedo cicadis.
„Cantet: amat quod quifque: levant & carmina curas.
LYC. Tu quoque faeve puer, niveum ne perde colorem
Sole fub hoc; folet hic lucentes urere malas.
Hîc age pampinea mecum requiefce fub umbra.
Hîc tibi lene fluens fons murmurat; hîc & ab ulmis

Pur-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

42. *Cantu concedo*] *Tantum concede.* R. Virgil. Ecl. II. *At mecum raucis* [] *refonant arbufta cicadis.*

44. *Saeve*] *Scoeve* B. V. *Niveum*] *Nactum* R.

45. *Solet hic*] *Sed & hic lucentes vertito malas* R.

46. *Requiefce* &c.] Virg. Ecl. VII. *requiefce fub umbra.*

47. *Lene*] Perperam in P. *leue.*

NOTAE.

41. ME SONAT OMNIS SILVA,] Sic Ecl.
——— ——— *te nunc rura fonant.*
Caeterum quod de cicadis fubjicit, quanquam ad canendi diuturnitatem referri poteft, de fuavitate tamen accipere malo, namque & hinc quoque cicadae laus non mediocris acceffit dicente Theocrito:

Ὅστις νικασεῖν τὸ πλαΐον, ὡς τὺ πεποίθεις,
Σφὰξ βομβεῦν τέττιγος ἐναντίος.

Rurfus:

——— ——— *Τέττιγος ἐπεὶ τύγε φέρτερος ᾄδεις.*

Homerus;

——— ——— *ἀλλ' ἀγορηταὶ*
Ἐσθλοὶ, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην
Δένδρῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Sed de Platone illuftri Philofopho hoc Timonis carmen refertur a Laërtio, & Hefychio cognomento Illuftrio:

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς τέττιξ ἰσογράφος οἵθ' Ἑκαδήμου
Δένδρῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Confule praeterea Anacreontem pulcherrima ifta Oda, cujus initium:

Μακαρίζομέν σε τέττιξ.

nec non Philoftratum de vita Apollonii lib. VII. cap. V. Notiffima eft fabula de Eunomo Citharoedo, cujus meminit, praeter caeteros, Clemens Alexandrinus in principio Orationis ad Graecos: & Strabo lib. VI. Caffandra penes Lycophronem *τὴν φοιβόληπτον χελιδόνα* fe vocat. TIT.

43. NIVEUM NE PERDE COLOREM] Hunc fenfum ita expreffit Virg.

Quamvis ille niger quamvis tu candidus effes:
O formofe puer nimium ne crede colori:
Alba Liguftra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Hac de re vide Alexandrum in Problematis. TIT.

45. LUCENTES URERE MALAS.] Nitidas; ita ferme Horatius:

Tibi telas; operofaque Minervae
Studium aufert Neobule,
Liparei nitor Hebri.

&

Me Glicerae nitor urit. TIT.

46. SUB UMBRA. FONS] Tibullus libro I.

Sed canis aeftivos ortus vitare fub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae. BART.

47. HIC ET AB ULMIS] Quibus nimirum vites maritari folent. Virg.

Quid faciat laetas fegetes, quo fidere terram
Vertere Mecoenas, ulmifque adjungere vites
Conveniat.

&:

Semiputata tibi formofa vitis in ulmo eft.

Quomodo & populus. Horat.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

&:

Pomifne, an pratis, an amicta vitibus ulmo.

Catull.

At fi forte eadem (vitis) *eft ulmo conjuncta marito.*

Ggg Hinc

Purpureae foetis dependent vitibus uvae.
„ Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.
Mop. Qui tulerit Meroës fastidia longa superbae,
Sithonias feret ille nives, Libycosque calores,
Nerinas potabit aquas, taxique nocentis

Non

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Sithonias*] *Scythonias* R. Virg. Ecl. x. *Sithoniasque nives*, &c. unde totus locus petitus.

52. *Nerinas*] Ita R. & conj. B. id est, salsas, marinas. *Nerines* al. omn. Ausonius Epist. iv. *Nodosas vestes animantum Nerinorum.*

NOTAE.

Hinc *viduae* tum arbores, tum vites dicuntur, quae nullo adminiculo sustinentur, quaeque vitibus carent. Horat.

Et vitem viduas ducet ad arbores.

Item:

——— ——— *Platanusque coelebs*
Evincet ulmos.

Catull.

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo,
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam. TIT.

50. Meroe fastidia] Fastum, superbiam, arrogantiam, & contemptum. Virg.

Atque superba pati fastidia.

Tibull.

Oderunt Pholoes (moneo) fastidia divi. TIT.

Ex Alexide Maronis. BART.

51. Sithonias feret ille nives,] A negatione ejus, quod consequitur, quasi dicat *ἀδύνατον* esse Thraciae frigora, & Libyae aestus perferre. Horat.

Memphim carentem Sithonia nive.

item:

——— ——— *& nive candidum*
Thracem.

Rursus:

Carens Sithonia nive.

Sed idem percommode utramque plagam describit:

Pone me nigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus mundi nebulae, malusque
Jupiter urget.
Pone sub curru nimium propinqui solis,
In terra domibus negata:

quem locum imitatus fuit Franciscus Petrarcha quadam Ode. Catullus alicubi *Lybiam testam* vocat. TIT.

52. Nerinas potabit aquas,] Filiae Nerei, hoc est Galatheae, per quam mare ipsum intelligit, cujus aqua potui amarissima est. Virg.

Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblae. TIT.

Nerine uxor Martis, teste Agellio l. xiii. cap. xxii. Sed quid illi hic negotii? Prorsus idem quod Buttubattae Naevii. Scribe ergo *Nerinas*. *Nereus* pro Ponto. Persius.

Et qui caeruleum dirimebat Nerea Delfin.

Vel *Nero* potius Imp. apud illum. Ut hic *Nerinas aquas* ita *Doridos humorem* pro pelago posuit Q. Serenus capite quinquagesimo:

Prodest & potus vel mulsus Doridos humor. BART.

52. Taxique nocentis] De hac arbore supra nonnihil attigimus: plura insuper dici possent, quae consulto a me praetermittuntur. TIT. *Taxum* inter praesentia venena veteres numerarunt. Aves ea vescentes denigrari, homines profluvio ventris tangi, in Italia, Narbonae vero tam praesentis esse veneni, ut sub ea dormientes laedantur, quin & moriantur aliquando scribit Diosc. lib. iv. c. lxviii. Idem lib. vi. c. xii. frigus strangulatum & celerem interitum inferre eamdem arborem auctor est. Theophrast. l. iii. Hist. Plant. cap. x. ait jumenta folia taxi edentia emori, dumtaxat quae non ruminent, ruminantia non laedi. Fructum etiam ab aliquibus hominibus comedi citra damnum. Apud Cantabros vulgo venenum ex hac arbore eliquari auctor Florus lib. iv. Poëtarum

lo-

Non metuet fuccos, Sardoaque gramina vincet,
Et fua Marmaricos coget juga ferre leones.
„Cantet, amat quod quifque: levant & carmina curas.
LYC. Quifquis amat pueros, ferro praecordia duret,
Nil properet, difcatque diu patienter amare,
Prudentefque animos teneris non fpernat in annis,
Perferat & faftus. Sic olim gaudia fumet,
Si modo follicitos aliquis deus audit amantes.

„Can-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

53. *Sardoaque*] Ita P. *falebrofaque* R. *Sardorum* V. A. B. F. & G. Intellige apiaftrum quod *venenatum eft in Sardinia.* Plin. 20. c. 11. *Herbam Sardoniam* vocat Solin. Cap. de Sardinia. Virg. Ecl. VII. *Sardois videar tibi amarior herbis.*

54. *Marmaricos*] *Marmoricos* R.

56. *Quifquis* &c.] Defunt hi fex verfus in R.

N O T A E.

loca congregare nomine quemque cientem & longum fit & inutile, quare fuperfedebimus. BART.

53. SARDORUM GRAMINA VINCET,] Sardoae Herbae malignitatem fuperabit, nec quodlibet praefentiffimum venenum haurire dubitabit. De herba Sardoa meminit Virgilius:

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis. TIT.

53. SARDOA GRAMINA] Ea plus fatis amara effe indicio Mel Sardoum, quod amaricie nobile eft, ut Hymettium, Hyblaeum, & alia dulcedine. Veteres duo libri *Sardorum* non *Sardoaque* praeferunt. Utrum fequare intereffe nil arbitror, nobis quod minimum correctum eft, correctiffimum videtur. BART.

54. ET SUA MARMARICOS] Marcum Antonium illum Triumvirum currui leones junxiffe traditum eft, quod infolens factum Cicero vehementer infectatur. Ad epitheton profero Senecae teftimonium hoc in Hercule in Oeta:

Juxtaque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo.

Rurfus Agamemnone:

—— —— *Marmaricus leo*
Morfus cruentos paffus audacis Leae:

ab Africae regione leonum feraciffima. Sic etiam Getulum leonem dixit Plautus Menaechmis:

Ut ego hunc proteram leonem Getulum olentem, edentulum.

Philoftratus de Vita Apollonii. TIT.

56. FERRO PRAECORDIA DURET,] Ad tolerantiam fe comparet. Hefiod.

--- --- Ἀλλ' ἀδάμαντος ἔχον κρατερόφρονα θυμόν.

Tibull.

Non tua funt duro (flebis) praecordia ferro
Vincta, nec in tenero ftat tibi corde filex: TIT.

57. NIL PROPERET,] Quod contra naturam amoris. Is enim morae impatientiffimus. Exemplum eft apud Nonnum lib. VII. Jupiter amans Semelen. BART.

57. DISCATQUE DIU PATIENTER AMARE,] Saevitiam amati diu perferre affuefcat. Tibull.

Sed ne te capiant primo, fi forte negabit,
Taedia, paulatim fub juga colla dabit. TIT.

59. PERFERAT ET FASTUS.] Qui formoforum proprius eft, unde ait Catullus:

Dum tibi me purgo, nec poffum fletibus ullis
Tantillum veftrae demere faevitiae.

Facit huc autem Maronianum illud:

Nonne fuit fatius triftes Amaryllidis iras,
Atque fuperba pati faftidia? nonne Menalcam?
TIT.

60. SI MODO SOLLICITOS] Appellat amantes follicitos, quoniam dixerit Ovidius:

Res eft folliciti plena timoris amor.

quam eandem fententiam pofuit Heliodorus in libris Aethiopicorum. idem fibi voluit Maro, cum cecinit:

Omnia tuta timens.

loquebatur autem de Didone Aeneae amore infaniente; quem tamen locum perperam quidam in-

„Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.
Mop. Quid prodest, quod me pagani mater Amyntae
Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulphure lauros.

Cum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

62. *Quid prodest*] Virg. Ecl. III. *Quid prodest, quod me ipse animo non spernis Amynta.*

63. *Ter vittis*] *Vitis* V. *Vitiis* P. *Fronde sacra*] Virg. Ecl. VIII. *Verbenasque adole pingues, & mascula tura.* Hinc, *Ter ture vapore*] *Ter fronte vaporem* R. Gratius: *ter pinguia libant Tura.*

64. *Cineresque* &c.] Virg. ibid. *Fer cineres, Amarylle, foras, rivoque fluenti, Transque caput jace.*

65. *Incendens*] Ita leg. ex omn. Edd. Virgilius ibidem:

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

male itaque in Ed. mea, *Incedens.* Quanquam magae per ignes *incedere* solent. Plin. VII. c. 2. Vide Comment. ad Grat. vs. 458.

NOTAE.

interpretati sunt. TIT.

63. TER VITTIS,] Virgil.

Effer aquam & molli cinge haec altaria vitta.

De numero ternario plura scribit Macrobius ad somnium Scipionis. Virgilius sic:

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

& in Ciri:

Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter virgo, numero Deus impare gaudet.

Tibull.

Ter cane, ter dictis exspue carminibus.

Theocrit.

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.

consule Aristotelem libro I. de Coelo. TIT. Sacerdotes *vittis* cinctos notissimum. Tu vide quae de his collectanea scripsit Joannes Bernartius ad Papinii lib. V. Theb. Hausta autem haec incantamenta ex Pharmaceutriis Theocriti & Maronis, ad quos viri docti omnia collegere, quae heic dicenda erant. Adjice ea eis quae notar ad Petronium Joann. à Wowern, amicus noster, ὃς πάνυ τὰ πάνυ. Et nostra ad Ceirin. Scripsit Pharmaceutriam proavorum memoria & Actius Sincerus Sannazarius, tanta elegantia atque eruditione, ut cum ipsa antiquitate, ut singulis & omnibus fere suis in opusculis, certare possit. BART.

63. FRONDE SACRA,] Verbena scilicet. Virg.

Verbenasque adole pingues, & mascula thura.

vel ramo alicujus alterius arboris hisce sacrificiis adhiberi solitae Theocrit.

— — Ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένος ἀβλαβὲς ὕδωρ. TIT.

64. CINERESQUE AVERSA] Et hoc quoque ex Marone sumptum apparet, qui dicat:

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti,
Transque caput jace, ne respexeris.

Is porro ex Theocrito utendum accepit:

Ἦρι δὲ συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις
Ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα,
Ῥωγάδας ἐς πέτρας ὑπὲρ ὅρον, ἂψ δὲ νεέσθω,
Ἄστρεπτος, καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

Fuit enim ritus antiquorum purgamenta & februa abjicere, nec respicere, veluti docet Aeschylus. Ad quem ritum allusisse creditur Euripides Andromacha dicens:

Εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλᾶς ἔβαλεν
Κακὸν, ἅτις τέκεν ποτὲ πάριν. TIT.

65. CREPITANTES URERE LAUROS.] A natura so-

Cum sic in Meroën totis miser ignibus arsi?
„ Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.
Lyc. Haec eadem nobis varieque coloria fila,
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas:

Can-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

66. *Ignibus*] *Ossibus* Bart. ex G.
68. *Varieque coloria*] Ita R. & P. *quae versicoloria* V. A. B. F. & Bart. ex G. & T. Sed ineptit quod *versicolora* rectum putat, & ἀρχαϊκῶς *versicoloria*. Lego: *diversicoloria fila*. Virgil. ibid. *triplici diversa colore Licia circumdo*. Idem Virgilius in Epigrammate ad Venerem pro Aeneide sua:

Marmoreusque tibi diversicoloribus alis,
In morem picta stabit Amor pharetra.

Ita emendaveram obiter, cum relegens haec moneor eodem modo in Heinsiana Editione pridem excusum esse. Vulgo: *aut digne coloribus ales*. corruptissime.
69. *Micale*] *Mychale* B. *Herbas*] Ita R. & P. *artes* V. A. B. F.

N O T A E.

foliorum lauri epithetum sumpsit, haec enim igni imposita crepitum edere solent, a quo veteres omina sumebant. Tibull.

Ut succensa sacris crepitat bene laurea flammis:
Omine quo felix, & sacer annus eat.

Lucret.

Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Hinc *fragilem* ipsam appellavit Virgilius:

Fragiles incende bitumine lauros.

Quomodo Lucretius *fragilem sonitum chartarum* dixit:

Et fragiles sonitus chartarum commeditatur.

Propertius de herba Sabina dixit:

Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Caeterum de lauro sacris adhibita meminit Theocritus:

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν· ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν
Αἴθω· χ' ὡς αὐτὰ λακεῖ μέγα καππυρίσασα,
Κἠξαπίνας ἅφθη, κοὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτᾶς,
Οὕτω τοι ϗ Δέλφις ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθύνοι.

Hinc Virgilius dixit:

Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum. TIT.

66. Ignibus] *Totis ignibus*, prorsus phrasis est correctoria: Vetus Langobardicus Codex habet.

—— —— *Totis miser ossibus arsi.*

Quod protenus recipiendum expulso correctorum flagitio. Alias divinandum fuerat. Nobis noster liber sacra anchora fuit hoc quidem loco. BART. Hic ego interpunctionem ponere post *nobis* malim quam post *eadem*, quod etsi multi momenti non sit, sententiam tamen reddit pulchriorem, liquidiorem. MARTELL

68. Varieque coloria] Veteres duo libri;

Haec eadem nobis quae versicoloria fila.

Quam scripturam cur pro more suo mutarint, caussam nondum commentus sum, nec illi reddiderunt, *Triplici & versa colore lycia* apud Virgilium in eadem re versicolora debebat, *versicoloria* dixit ἀρχαϊσμῷ, qui versus in gratiam inserebant litteram. Priapaeorum Poëtarum unus.

Pallorem maciemque larvialem.

Estque ἐπένθεσις ποιητική. de quibus lege Donatum de Schematibus. Magorum ista prodigia exscriptorum omni genere nota sunt satis, quae hic sequuntur, ideoque non opus illustratione habent. BART.

68. Versicoloria fila,] Vel Θρία, si eae sunt vestes pictae Cypriorum lingua, ut quidam censent: vel dictum est imitatione Virgilii:

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo.

& in Ciri:

Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila. TIT.

69. Circumtulit artes:] Quidam legunt *herbas*, & *ignotas*, vel Lycidae, vel quod paucis cognoscantur, exponunt. TIT.

 70. Quod

Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.
Plus tamen ecce meus, plus est formosus Iolas.

„Can-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

70. *Quod luna timet*] *Colubrina tumet*. R. Virg. iterum Pharmaceutr.
Carmina vel coelo possunt deducere Lunam.
Quo rumpitur anguis] *Corrumpitur* R. Virg. ibid. *cantando rumpitur anguis.*
71. *Quo currunt*] *Concurrunt* R. *Migrant sata*] *Magice sata vell.* R. Virg. ibid. *satas alio vidi traducere messes.*
72. *Formosus*] *Fastuosus* Bart. ex G.

N O T A E.

70. QUOD LUNA TIMET,] Ea carmina murmuravit, quae lunam coelo deducere posse credita sunt. Virgil.
Carmina vel coelo possunt deducere lunam.
Horat.
Per atque libros carminum potentium
Refixa coelo devocare sidera.
Rursus in fine illius Ode:
An quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus & polo
Deripere lunam vocibus possum meis.
Tibull.
Cantus & e curru lunam deducere tentat.
Propert.
At vos deductae quibus est fallacia lunae.
Rursus:
Et jam luna negat toties descendere coelo.
Ovid.
Carmina Sanguineae deducunt cornua lunae.
Aristophanes in Nebulis:
Γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλὴν
Καθέλοιμι νύκτωρ τὴν σελήνην.
Cur autem creditum sit Veneficarum incantationibus lunam coelo diripi, causam affert vetus quidam Poëta, quem nonnulli Varronem Atacinum esse autumant; cujus versus citat Adrianus Turnibus Adverf. lib. XIX. cap. III. TIT.
70. QUO RUMPITUR ANGUIS,] Virgil.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ovid.
Viperias rumpo verbis, & carmine fauces.
Lucillius in Satyris:
Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu coluber
Disrumpit cantu venas, cum extenderit omnes.
Tibullus vero dixit:
Cantus & iratae detinet anguis iter. TIT.
71. MIGRANT SATA,] Universa propemodum haec aliquot carminum complectio e Virgilio sumpta est, ut vidimus, neque etiam hic locus inde non est petitus.
Atque satas (inquit ille) *alio vidi traducere messes.*
Invaluit autem apud antiquos opinio haec, ut fruges ex uno agro in alium carminibus quibusdam, magicisque incantationibus transferri posse crederent, cui incommodo nomothetae occurrentes legem promulgarunt in haec verba: *qui malum carmen incantassit, frugisve excantassit, coërcetor.* Exstat nobile Furii Cresini exemplum, cui a Sp. Albio dies dicta fuit, propterea quod fruges alienas in suum agrum migrare incantationibus quibusdam adegerit. Vide Plinium libro XVIII cap. VI. Tibullus ait:
Cantus vicinis fruges traducit ab agris. TIT.
71. VELLITUR ARBOS.] Ovidius de Medea dixit:
Convulsaque robora terra,
Et sylvas moveo.
Fabulam Orphaei sunt qui huc referant: nam feras, & arbores ad se trahere creditus est magicis incantationibus, quas sub dulcedine cantus, lyraeque intelligi volunt. TIT.
72. PLUS TAMEN] Ut ars magica plura insufitata, atque admirabilia facere possit; longe tamen adhuc praestat Iolae pulchritudo, majoremque vim habet: ea namque adeo in intimas medullas mihi penetravit, ut nullis carminibus inde eximi potuerit, in quam sententiam dixisse fertur Tibullus:
Non facit hoc verbis, facie, tenerisque lacertis
Devovet, & flavis nostra puella comis.
Consule etiam Heliodorum in Aethiopicis. De incredibili amoris, ac pulchritudinis vi plura exstant apud Graecos, Latinosque scriptores testimo-

„Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

73. ***Cantet***] ***Cantat***, hic tantum, V. A. B. F.

N O T A E.


monia, quibus recensendis consulto supersedeo, ne a meo brevitatis, quantum potest, ac res patitur, retinendae instituto sciens, volensque recedam: Illud erit instar omnium, quod legitur apud Anacreontem Ode quapiam:

Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις
Ποδωκίην λαγωοῖς,
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων
Τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν
Τοῖς ὄρνισι πέτασθαι,
Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα·
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχε.
Τί οὖν δίδωσι; κάλλος,
Ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν,
Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων.
Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον,
Καὶ πῦρ καλή τις οὖσα.

Atque haec ad Nemesiani Eclogas dicta sint: operam nostram nunc ad Calpurnium transferamus. TIT. Poterat hoc placere nisi contra librum foret. plus tamen arridet mihi *formosus Iolas*. Sed liber Longobardicis typis promulgatus expressissime habet.

——— ——— *plus est fastuosus.*

Quod ego quin recipiendum putem, nequaquam correctoribus inserviero. *Plus* pro magis posuit, quod ex veteri Latinitate hodie servat Gallicismus, strenue e nostris litteris alibi multis observatum est. Et haec putes ὑπομνημάτια quaedam Commentationum Nemesiani Eclogis devotarum. Magnum fuit procul a supellectili libraria memoriae ope isthaec compingere, ut nostram interim paupertatem angustiasque fateamur. BART.



AD

AD MANES

T. CALPURNII.

INcorrupta anima, & divini conscia ruris,
  Urbanis, tecum laeta, procul Furiis.
Elysii nemoris sancta hospita; Barthius ales
  Ingenuum dicit nunc tibi sanctus, AVE.
Et grato ingenteis agnoscit pectore grateis,
  Pro tam felici, scilicet, Officio.
Extorrem quod se patriâ, grassante Luis vi,
  In nemora, in silvas suscipis, in stabula.
Unde tui, Juvenis, dio percussus Amore,
  Has solvit suavi, Rustice, mente, Notas.
Queis tua jam longis horrentia carmina seclis,
  Discant, nocturnâ pro vice, ferre diem.
Illibata anima urbani pallore tumultûs,
  Illustreis rursum disce pati Radios.
Ad libros ubi se Juvenis tuus esse reversum
  Sentiet, has rediment longa notas Scholia.
Interea salve. Vindex tibi crescet Iambus
  Simplicitas si cui spreta futura tua est.

CASPAR. BARTHIUS.
αὐτοσχεδιασί.

T. CAL-

T. CALPURNII SICULI

ECLOGAE VII.

BUCOLICAE.

AD

NEMESIANUM CARTHAGINIENSEM.

T. CALPURNII SICULI
BUCOLICON
AD
NEMESIANUM CARTHAGINIENSEM.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

TITI CALPHURNII SICULI] Ita V. A. B. F. P. *C Calphurnii bucolicum incipit*; & in fine, *desinit*, R. *Junius Calpurnius* nominatur a Vopiſco, *qui ad memoriam dictabat* Caro; ejuſque ſuper morte Cari Epiſtolam exhibet. Caeterum quod Crinitus de noſtro refert, Diocletiano Caeſare, & Conſtantiis Principibus floruiſſe, idque ex Fl. Vopiſci commentariis apparere, prorſus falſum & ἀνιστόρητον. Vixit ſub Caro, & Numeriano, quorum laudes paſſim narrat, Ecl. I. IV. & VII.

AD NEMESIANUM] Sic V. A. B. F. P. Deeſt in R. ubi nulla omnino per undecim Eclogas Nemeſiani mentio. Forte: AD NUMERIANUM CAES. quem *juvenem*, *Deumque* videtur appellare Ecl. I. IV. VII. ut ipſe is ſit Calpurnius, cujus meminit Vopiſcus, qui cum in expeditione Perſica Caro etiam morienti affuerit, ſine dubio poſt mortem ejus in Numeriani comitatu fuit. Quiſquis ſit, Eclogae hae eodem illo temporis & imperii interregno dedicatae ſunt ſive Nemeſiano ſive Numeriano, quo ipſum Nemeſianum Cynegeticon ſuum condidiſſe dixi ad Nemeſ. Cyneg. verſu LXIV.



ECLOGA I.

DELOS.

ORNITUS, CORYDON.

NOndum solis equos declivis mitigat aestas,
Quamvis & madidis incumbant praela racemis,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

DELOS] Sic P. & Ed. Juntae. inepte. f. DEUS ex verss. 19. vel 46, & 73, & 84. Expressa enim ex Virg. Ecl. IV. tota haec Ecloga est.
1. ORN.] CORYD. R. usque ad v. 8. melius.
2. *Quamvis*] *Quatinus* R.

NOTAE.

DELOS.] Huic Eclogae titulus est *Delos* in impressis a Philippo Junta codicibus anno partae salutis 1504 TIT.
1. SOLIS EQUOS] Eorum nomina prodit haec Ovidius:

Interea volucres Pyrois, Eous, & Aethon,
Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Sensus autem est: Nondum aestatis calor se remi-

Et spument rauco ferventia musta susurro.
Cor. Cernis ut (ecce) pater quas tradidit, Ornite, vaccae
Molle sub hirsuta latus explicuere genista?
Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris?
Torrida cur solo defendimus ora galero?

Or.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

5. *Genista*] *Genesta* V. A. Ita expressit autor Pervigilii Ven. *Ecce jam super genestas explicant tauri latus.*

6. *Succedimus*] Virgil. Ecl. v. *sive sub* [] *umbras*, *Sive antro potius succedimus.* Et Ecl. II. *pecudes umbras & frigora captant.* Hinc v. 19. *captatae successimus umbrae.*

N O T A E.

misit, licet ad autumnum vergere incipiat, quo tempore vindemia facta vinum in lacubus exprimi consuevit. TIT. Calorem. Caussam pro effectu posuit, ut loquuntur Dialectici. *diem* vocat Ecl. IV. BART.

1. Declivis] In autumnum. Prona aut acta jam aestate dicit in auctumnum, nihil dum calorem remittere. *Prima autumnitate*, ut loquitur Cato. BART.

2. Quamvis et madidis] Notatio rustica autumni. Qui frugibus alternis, secundum Claudianum non Consulibus annos computant. De vindemia suavissime Anacreon Od. LII. BART.

3. Et spument-rauco] Non aliter fere Virgilius:

——— ——— Spumet plenis vindemia labris.

Nemesianus sic:

——— ——— Vindemia fervet
Collibus in summis.

Dicuntur vina *spumare*, cum post vindemiam in doliis conduntur. Lucanus:

Indomitam Meroë cogens spumare Falernum.

Juvenal.

Stertimus, indomitam quod despumare Falernum
Sufficiat.

Propert.

Dummodo purpureo spument mihi dolia musto.
TIT.

5. Latus explicuere genista?] Haec pastoribus umbram praebet, apud Virgilium

——— ——— Salices, humilesque genistae,
Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbram
Sufficiunt. TIT.

Auctor Pervigilii Veneris quod edidit in lucem Just. Lipsius Electorum I cap. v. *Ecce jam super genestas explicant agni latus.* Distinctio hic vulgo mendosa, facilis correctu. BART.

6. Cur non succedimus umbrae?] Sic etiam loquitur Virgilius:

Aut tecto assuetus coluber succedere, & umbrae.

Nec longe inferius:

Quam procul aut molli succedere saepius umbrae.

Aliqui legunt *ulmis*, sicut Ecloga, quae hanc consequitur:

——— ——— & easdem forte sub ulmos
Conveniant. TIT.

6. Succedimus] Virgil. Ecl. v.

Sive sub incertas, Zephyris motantibus, umbras,
Sive antro potius succedimus. ———

Idem saepius alias. BART.

7. Defendimus ora galero?] Pileo, quo utimur ad solis calorem propulsandum. Statius:

Obnubitque comas, & temperat astra galero.

Hunc Graeci πιλίδιον, sive πῖλον vocant, hoc est, καμηλαύκιον, sive σκιάδιον. Dion. καὶ σφίσιν πίλης τοῦ Θετταλικοῦ τρόπον εἰς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ τῇ ἡλιώσει ταλαιπωρῶσι, ἐπέτρεψε. Sic etiam Callimachus:

Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέον ἀμμενίκεθεν,
Μιμβλωκὸς πίλημα πίτευ ἄλκαρ ἔκειθ. TIT.

7. Galero?] Notum in urbe veteres vulgo non consuetos tegere capita. *Galerus* autem rusticum aut pastorale capitis tegumentum. Isidorus glossis: *Galerum, pileum pastorale, quod de junco fit.* Idem lib. XIX. Orig. c. XXX. galerum appellat *pileum* de pelle caesae hostiae factum, ideoque crediderim & pontifices & alios sacrificos olim galeritos incessisse, quod ex Festo & Appulejo notavit doctissimus Turnebus. Eo alludit Virgil lib. VII.

OR. Hoc potius, frater Corydon, nemus, ista petamus
Antra patris Fauni; gracileis ubi pinea densat
Silva comas, rapidoque caput levat obvia soli:

Bul-

NOTAE.

——— ——— *pars spicula gestat*
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros.

Et inde flavos galeros appellavit Corn. Severus.

——— ——— *flavo praetexerat ora galero.*

Galeram dixisse C. Gracchum, Galeriam M. Varronem, notavit Sosipater Charisius lib. I. Gramm. Aliud vetus Glossarium galerum interpretatur *calamancam.* Quod putum est Graecae originis. Galerum etiam meretricium capitis integumentum fuisse docemur a Juvenali. Sat. VI. Gladiatorium ab ejus Scholiaste Sat. VIII. v. CCVII. cujus verba admodum sunt corrupta. Quo pertinet distichon. L. libr. XIV. Martialis Comam etiam fictam atque assutam de alieno galericulum vocatam legere memini, sed scriptoris locus nunc non succurrit. BART.

8. FRATER CORYDON,] Tale est quod alibi dicet:

Si placet, antra magis, vicinaque saxa petamus;
Saxa quibus virides stillanti vellere muscus
Dependet,

& reliqua. Sic Nemesianus:

——— *has ulmos potius fagosve petamus.*

Appellat autem *fratrem* ob amoris abundantiam. Unde Horatius,

——— *indigni fraternum rumpere foedus*

dixit, cum firmissimum, ac sanctissimum intelligere vellet. TIT. Suavissima aemulatio simplicitatis rusticae. Et vetus lingua Latina omnes pareis *fratrum sororumque* nomine censebat, ut majores minoresque *parentum* & *filiorum.* cujus rei exempla non capit hic locus. BART.

9. PATRIS FAUNI;] Vocat Faunum *patrem*, quia pastoribus, & agrestibus praesit. Virg.

Et vos agrestum praesentia numina Fauni.

Ovid.

——— *sic quatiens cornua Faunus ait:*
Dii sumus agrestes, qui cum dominemur in altis
Montibus, arbitrium est in sua tecta Jovi.

Calphurn.

Vos o praecipue nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei.

Vel communi omnium Deorum epitheto usus fuit: *pater* enim divinitatis nomen censetur, unde Maro:

Huc pater o Lenaee veni:

&,

Da deinde auxilium pater:

&,

——— ——— *Fortia corpora volves*
Tybri pater:

&,

Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis.

Calphurnius de Fauno ipso:

——— ——— *Faunusque pater, Satyrique bicornes.*

Aliquando videtur nomen esse dignitatis, ut cum inquit idem Maro:

Cum pater in ripa, gelidoque sub aetheris axe
Aeneas tristi turbatus pectora bello
Procubuit.

Rursus ibidem:

Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta.

Qua vero ratione *pater* de viris dictum est, eadem *mater* de foeminis usurpari animadverti. Virg

——— ——— *castae ducebant sacra per urbem*
Pilentis matres in mollibus:

Hinc

Luna mater, mater Matuta. TIT.

10. RAPIDOQUE CAPUT] Adversus solem caput extollit. Caeterum pueriliter admodum explicat hunc locum doctus alioqui vir, dum *levat caput* interpretatur *intercludit omnem viam Phoebo & aditum:* subditque *caput accipitur pro aditu, quo occluso nullus* est locus Phoebaeis radiis. Ineptissima explicatio: ego accipio eo sensu, quo dixit Virgilius:

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi. TIT.

Nisi nos obvii simus nobis ipsis, locus pervius est, nec ullis umbris densatur, modo *caput* pro humano capite, ut vox capitis a primo sonat, accipiamus. Nam cum de *ore torrido* defendendo, hoc est capite ne torreatur a sole, imposito galero Corydon mentionem fecisset, subito in eadem sententia, Ornytus infert, quod sylva pinea adeo umbrosa erat, ac ramis inter se complexis ita densabatur, ut *obvia facta soli rapido,* id est, inter nos, & solem sese objiciens *caput levaret.* nempe efficeret sua opacitate, ne radiis solaribus caput nostrum gravaretur. *Levare* enim

Bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa
Protegit, & ramis errantibus implicat umbras.
COR. Quo me cunque vocas, sequor, Ornite. nam mea Leuce
Dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,
Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.

OR.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

13. *Leuce*] *Leue* R.

15. *Sacraria*] Sensus est, Leucen fugiendo septum sacrarii perrupisse, atque ita introitum patere. *Sacrarium* igitur hoc Fauni antrum erat (ut v. 9. dixit, *Antra patris Fauni*) in media silva arboribus circumseptum, in quo erat illa, quam vocat v. 20, & 34. *sacra fagus*. Ita Gratius v. 534. *sacraria* intelligit Dianae *medio in discrimine luci*, ubi *sacrum nemorale* fiebat, ut ipse canit v. 484. Ita Vet. Interpres Juvenalis *sacraria hortos templorum* dixit. Tale sacrarium est, quod αὐλὴν θεοῦ vocat Aelianus de Animal. lib. XI. c. VI. *Graeci aulas vocant animalium receptacula*, teste Servio. Hinc Gratio v. 167. *aula*, quae *canile* nunc dicitur. Horat. 1. Epist. 2. hinc intelligendus male a plerisque intellectus:

venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus.

Sed pergo.

NOTAE.

nim contrariam actionem significare ei, quae per verbum onerare vel gravare notatur ambiguum non est. Ergo tantumdem valet *levare caput* atque non onerare vel solarium radiorum repercussione gravatum non efficere. Sententia Hercle planissima, nec ulla in parte salebrosa. MARTELL.

10. RAPIDO SOLI:] Virgil. Eclog. II.

——— ——— *rapido fessis messoribus aestu.*

Rapidus Sol pro celeri Georgico. I. BART.

11. BULLANTES UBI FAGUS AQUAS] Bullas excitantes: sic etiam loquuntur Plinius, & Celsus, Apulejus ait: *De summo vertice affluens bullis ingentibus scaturiebat.* TIT.

11. BULLANTEIS AQUAS] Elegantissime: Apulejus libro IV. *de summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturibat* Tertullianus de Pallio: *quid? non aliud ex alio mutant, & montium scapulae decurrendo, & fontium venae elallando, & fluminum viae obumbrando. Bullitus aquae* apud Vitruvium lib. VIII. cap. III Architecton A fervente aqua hoc traductum, quae *bullire* dicitur. Celsus libro V. cap. XXIX. *Pinum juxta fontem* ex Theocrito desumpsit.

Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα
Ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδει.) ———

Caeterum hi tres Calpurnii versiculi summa elegantia conscripti sunt, nec verear eos opponere quibusvis hujus argumenti Latinis & Graecis. BART.

11. RADICE SUB IPSA] Aristenaetus libro I. epist. III. ἡ δὲ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ πλατάνῳ ῥεῖ ὕδατος εὖ μάλα ψυχροῦ. Quae Epistola nisi ab interprete paribus pene Gratiis traducta esset, an par quid divina elegantia haberet, valde dubitarem. Vide & Achillem Tatium lib. I. Leucipp. BART.

13. QUO MECUMQUE VOCAS,] Τρῖσις, tale ferme est Virgilianum illud:

——— ——— *veniam quocumque vocaris.* TIT.

14. GAUDIA] Concubitum. Vide quae ad Claudiani in Eutropium notamus. BART.

15. PERVIA CORNIGERI] Significat Corydon se a Venere abstinuisse, atque iccirco nulla religione prohiberi, quo minus Fauni sacris interesse possit, impuri enim, quique recenter cum mulieribus concubuissent, a sacris arcebantur. Tibull.

Quid-

Or. Prome igitur calamos, & si qua recondita servas.
Nec tibi defuerit mea fistula, quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lygdon.
Et jam captatae pariter successimus umbrae.
Sed quaenam sacra descripta est pagina fago,
Quam modo nescio quis properanti falce notavit?
Cor. Adspicis ut virides etiam nunc littera rimas

Ser-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

16. Deest in B.
17. *Mea fistula*] *Nova fist.* R. & 18. *Lydon.*
19. *Successimus*] Virg. Ecl. v. *successimus antro.*
20. *Sed quaenam*] Cor. hic praefigit R. usque v. 28. recte.

NOTAE.

Quidve pie, dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro.

Item alibi:

Vos quoque abesse procul jubeo; discedat ab aris,
Cui tulit externa gaudia nocte Venus.

Ovid.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri,
Secubat in vacuo sola puella toro.

Et:

Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
Et positis juxta secubuere toris:
Causa repertori vitis, quia sacra parabant,
Quae facerent pure, cum foret orta dies.

Porphyrius: Οἴεσθαι ἀπαρχὰς ἀπὸ τῶν ἐμψύχων· ὅταν δὲ τὸ σῶμα μετὰ τῆς ἐσθῆτος τινὲς λαμπρυνάμενοι μὴ καθαρὰν κακῶν τὴν ψυχὴν ἔχοντες, ἴωσι πρὸς τὰς θυσίας, οὐδὲν διαφέρειν νομίζουσι, ὥσπερ ὁ θεὸς τινὶ τῶν ἐν ἡμῖν χαιρήσει μάλιστα τῷ θείῳ διακειμένῳ καθαρῶς ἅτε συγγενεῖ πεφυκότι. ἐν γοῦν Ἐπιδαύρῳ προεγέγραπτο, Ἁγνὸν χρὴ ναοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα ἔμμεναι· ἁγνεία δ' ἐστὶ φρονεῖν ὅσια. Hoc dicebatur *pure habere*, ut aliquot superius citatis exemplis clare perspicitur, sed omnium optime declarat Plautus Asinaria:

Si forte pure velle habere: dixerit,
Tot reddat spurcas, quot puras habuerit.

Priapi sacra duntaxat hac religione soluta fuisse docet ille ipse deus Endecasyllabo quopiam qui inter lusus ejus templo affixos olim spectabatur. TIT. Perrupit Leuce sepem quae circumducta erat Fauni sacrario, dum fugit concubitum. BART.

18. Matura docilis] Neque enim calamos ex quibus fistula conformari debebat, nullo temporis discrimine, nullaque observatione passim cedere oportebat, sed certis quibusdam temporibus, ut docet Plinius lib. xvi. cap. xxxvi. quod hic *maturum* est, apud Virgilium dicitur *tempestivum.*

Aut tempestivam sylvis evertere pinum. TIT.

19 Et jam captatae] Virg.

Nunc etiam pecudes umbras, & frigora captant. TIT.

19 Captatae umbrae.] Virgil. Ecl. ii.

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant. BART.

20. Descripta est pagina fago,] Theocrit.

Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, ὡς παριών τις Ταῦτ' εἴδῃ δωριστί. TIT.

21 Properanti falce] Ipse properans falce descripsit: sic dicimus *properanti calamo.* TIT.

21. Falce] Falx est quodvis instrumentum incurvum, quo quid tale incidi potest. BART.

22. Virides] Plenas succi & recentes adhuc. Theocritus Cynisca.

——— ——— ποιεῖν δ' ἔδει οἷς γόνυ χλωρόν.

Sic *uvas virides* Apicius vocat, quae incorruptae. lib. i. cap. i *Oleum viride* in fine ejusdem cap. & lib. iii. cap. ii. *viridia condimenta.* Plura ad Claudianum. Quae sequuntur mire sedulitatem rusticam cum quodam pavore junctam referunt. Cum vero illa *Nam tibi longa*, affectate loquitur pastor, videtur sibi urbanum quid extulisse. BART.

23. Non-

Servet, & arenti nondum se laxet hiatu?
Ornite, fer proprius tua lumina: tu potes alto
Cortice descriptos citius percurrere versus.
Nam tibi longa satis pater internodia largus,
Procerumque dedit mater non invida corpus.
Or. Non pastor, non hoc triviali more viator,
Sed deus ipse canit: nihil armentale resultat;
Non montana sacros distinguunt jubila versus.
Cor. Mira refers. sed rumpe moras oculoque sequaci
Quamprimum nobis divinum perlege carmen.
Or. Qui juga, qui silvas tueor satus aethere Faunus,
Haec

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

25. *Citius*] *Ertius* MS. Pal. Hinc Bart. *certius* in Adv.
28. *Triviali*] Nemes. Ecl. IV. *Nec triviale sonans.*
29. *Armentale resultat*] Ecl. IV. *nemorale resultent.*
30. *Non*] *Nec* R. *destinguunt* V. & Gebhard. ex MS. P.

NOTAE.

23. Nondum se laxet hiatu?] Rei naturam aptissime expressit, calor enim exhausto humore laxat, quae humor coëgit, & quodam quasi glutino copulavit: hinc terra *hiulca* dicitur, quae radiis solis percussa rimas contraxit. TIT.

26. Nam tibi longa] Αἰτιολογία, cur possit Ornitus carmina in fago descripta commodius legere: per *internodia* vero tibias ipsas, cruraque intelligit a talo ad genua porrecta. Hesiodus in Scuto τανυσφύρη vocasse videtur, qui hoc corporis habitu praeditus est. TIT.

29. Sed deus ipse canit:] Faunus videlicet, cujus lucum subierant. Paulo post:

Qui juga, qui sylvas tueor satus aethere Faunus
Haec populis ventura cano. TIT.

29. Resultat;] Resonat. Virgil.

——— ——— *Vocisque offensa resultat imago.*

Et hoc crassius maxime dignum est rustico ore hominis armentalis. Elegantior multo in exprimendis pastorum vocibus & moribus est hic Poëta, quam vulgo putant, qui eum vel omnino non legerunt, vel cum Heroico supercilio. BART.

30. Distinguunt jubila] Rusticas cantiones accipe; est enim *jubilare*, ut Festus notat, rustica voce inclamare: unde *jubilum*. respexit autem canentium morem ad quem pertinet etiam Horatianum illud:

Imbelli Cithara carmina divides. TIT.

30. Jubila] Quae canunt inter opus rustici. Nulla vox iis cantilenis aptior excogitari possit. Festi Epitome. *Jubilare est rustica voce inclamare.* Varro lib. v. ut *Quiritare Urbanorum, ita jubilare rusticorum.* Sic Silius Italicus lib. XIV. Punic. pastoricios Daphnidis cantus *jubila* vocat.

Scyllaei tacuere canes, stetit atra Charybdis,
Et laetus scopulis audivit jubila Cyclops.

Vide & Jos. Scaligerum ad Festum. *Montana est silvestria, incondita.* Juvenal.

Sylvestrem montana thorum cum sterneret uxor. BART.

31. Rumpe moras] Virg.

Eja age, rumpe moras. TIT.

31. Oculoque sequaci] Apprime proprie hoc ad oculum sequentem ductus litterarum usus est verbo, quod aliter fere scriptores usurpant. Sanum putet aliquis hominem fuisse Baptistam Pium, nisi ejus hac de voce verba legerit ad Sidonii epist. XVII. li. VII. BART.

33. Satus aethere Faunus,] Aethere genitum Faunum esse dicit, quoniam ex Aethere cuncta oriri creditum est. Hinc Nemesianus *omniparentem* ipsum appellavit. Recte autem huic Deo Vaticinium tribuit Calphurnius, quoniam a fando, id est Vaticinando nomen ei fa-

Haec populis ventura cano. juvat arbore sacra
Laeta patefactis incidere carmina fagis.
  Vos ô praecipue nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei. licet omne vagetur
Securo custode pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxinea nolit praesepia crate:
Non tamen insidias praedator ovilibus ullas
Adferet, aut laxis abiget jumenta capistris.
Aurea secura cum pace renascitur aetas,
Et redit ad terras tandem squalore situque

Al-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

35. *Fagis*] Virg. Ecl. v *in viridi nuper quae cortice fagi Carmina descripsi.* Nemes. Ecl. r. *inciso servant mea carmina libro* Malim tamen, *fatis.* Ex illo Virg. Ecl. iv. *Ultima Cumaei venit jam carminis aetas.* & ibid. v. 47. Nec enim congruunt, *arbore sacra*, & *patefactis fagis*, cum una tantum fuerit.

41. *Adferet*] *Affert.* V.

NOTAE.

ctum esse volunt, vel ἀπὸ τῆς φωνῆς, quod voce, non signis futura ostenderet; auctore Servio Grammatico. TIT.

33. Satus aethere] Ut rusticus Deorum principem & ipso coelo oriundum celebrat Faunum, quo vix noverat ipse aliud majus Numen. BART.

35. Patefactis incidere carmina fagis.] Cortice fagorum signato, falceque notato. TIT.

35. Patefactis] Lucretius semper corripit alteram syllabam. Ratio tamen productionis in proclivi est, cum *patere* secundo ordine declinetur. BART.

37. Vos populi gaudete mei.] Agrestes, quibus Faunus praeest, ut alibi diximus. TIT.

39 Claudere fraxinea] Ad luporum, furumque rapinas arcendas. Virgil

—— —— trans flumina lata,
Aut intus clausos satura ad praesepia servat:

Apulejus: *insurgit speluncae, qua margines montanae desinunt, turris ardua caule firma, solidis cratibus, ovili stabulatione commoda, porrectis undique lateribus.* Omitto Jacobi Sanazarii testimonium ex opere, quod Arcadia inscripsit. TIT.

40. Praedator ovilibus] Vel est ἐπίθετον lupi, qui assidue gregi insidiatur, unde Virgilius:

Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat.

Horatius idem de Urso dixit:

Nec vespertinus circum gemit ursus ovile.

Vel quemlibet furem intelligit. Recte autem paulo post utitur verbo *abigere*, quod proprie significat armenta ex pascuis subtrahere: de cujus notione ita scriptum reliquit Vulpianus jurisconsultus: *Abigei proprie ii habentur, qui pecora ex pascuis vel armentis subtrahunt, & quodammodo depraedantur, & abigendi studium, quasi artem exercent, equos de armentis, oves de gregibus abducentes.* TIT

42 Aurea secula] Similis Senecae exclamatio in Apocolocynthosi, Neroni prospera vovens BART.

43. Et redit ad terras] Tale est Maronianum illud:

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo;
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies coelo demittitur alto.

Per Themim autem Justitiam intelligit, quae ex Themide, & Jove nata fingitur. Vel Dea est, quae efficit, ut pacta conventa inter nos custodiantur, serventurque. Videndus est Aratus in Φαινομένοις ab illo versu: Εἰ τ' οὖν ἀτραίω κοινὴ ἦεν. & reliqua: nam huic Calphurnii loco illustrando mirifice confert. TIT.

44. Ju-

Alma Themis posito, juvenemque beata sequuntur
Saecula, maternis caussam qui lusit in ulnis.
Dum populos Deus ipse reget, dabit impia vinctas
Post tergum Bellona manus, spoliataque telis

In

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

44. *Juvenemque*] Numerianum videtur innuere, qui & Ecl. VII. *juvenis Deus.* Nam quod sequitur,

45. *Lusit in ulnis*] *Julis* R. V. A. B. F. & MS. Pal. Hoc plane Numeriano convenit, qui ORATOR. SUIS. TEMPORIBUS. POTENTISS. (ut in statua est) habitus, & tamen adolescens extinctus est. Vide Victorem, & Vopiscum in vita ejus & ad hunc Casaubonum.

46. *Vinctas*] *Junctas* V. A. B. F. *victas* B. Ed. Virg. Aen. I. initio: *& centum vinctus aënis Post tergum nodis*, &c. Unde & reliqua desumpta.

NOTAE.

44. JUVENEM] Quin hic sit Caesar Numerianus mihi cum praestantissimo Casaubono nullum dubium est. Vopiscus de illo videatur. BART.

45. CAUSSAM QUI LUSIT IN ULNIS.] Sunt, qui ad Germanicum referant, cui dicavit Ovidius libros Fastorum, quos cum causis inscripsit, putantque allusum ad ipsius stirpem maternam, ejus enim mater fuit Antonia Octaviae Augusti sororis ex Antonio filia, & ex Julii Caesaris prosapia; haec illi: Sed mihi non displicet legi in *ulnis* pro *julis*; ut sit sensus: qui causas oravit, cum adhuc inter matris ulnas versaretur. Pertinet hoc ad Nemesiani laudes amplificandas, ut is dicatur tunc temporis adeo ingenio valuisse, ut jam causas orare meditaretur. De Germanici eloquentia exstat Ovidii testimonium hoc:

Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis.
Scimus, & ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui. TIT.

45 MATERNIS CAUSSAM QUI LUSIT IN ULNIS.] Admodum adolescens & pene adhuc puer Numerianus magnam Eloquentiae laudem tulit. Pari schemate orationis Manilius lib. I.

——— ——— *matrisque sub armis*
Miles, Agrippa, suae.

Quod observavit ad Propertii lib. III. Scaliger, licet denuo damnarit in ultima eaque divina Manilii recensione, nobis tamen displicere non potest. Causarum exercitationes olim pueris adhuc pene lactentibus propositas in scholis clarum ex Petronio est. Sic de generosis Catulis Gratius.

——— *affectant materna regna sub alvo.* BART.

46. DEUS IPSE REGET,] Ita Reges, atque Imperatores vocabant veteres, ut est auctor Joannes Tzetzes. Hinc ait Horatius:

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare praesens divus habebitur Augustus.

Virg.

——— ——— *Ille mihi semper Deus.* TIT.

Ipse Deus, indutus formam Caesaris. Horatius.

——— *mutata Juvenem figura*
Ales in terris imitaris almae
Filius Majae &c.

Pleni hujusmodi adulationis omnes Poëtae. BART.

46. DABIT IMPIA JUNCTAS] Vel etiam *vinctas* nullo sensus discrimine. Virgil.

Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.

Rursus:

Et centum vinctus ahenis
Post tergum nobis fremet horridus ore cruento.

Hic noster:

——— ——— *tu prior illi*
Vinctas tende manus:

exprimit autem captivorum habitum. Mirum tamen videri possit, quod Dea belli servitutem servitura sit. Virgilius de Furore id extulit Aeneid. I. quem locum, quia hic plurimum facit, consulas velim. TIT.

47. POST TERGUM] Alludit illud Maronis:

——— ——— *Furor impius intus*
Saeva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

BART.

In sua vesanos torquebit viscera morsus:
Et modo quae toto civilia distulit orbe,
Secum bella geret. nullos jam Roma Philippos
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos.
Omnia Tartareo subigentur carcere bella,
Immergentque caput tenebris, lucemque timebunt.
Candida pax aderit, nec solum candida vultu,

Qua-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

52. *Subigentur*] *Subdentur* R. f. *claudentur*. Virgil. ibid. *dirae ferro & compagibus arctis Claudentur belli portae.* Manilius fine lib. I. *discordia carcere clausa*, &c.

NOTAE.

48. In sua vesanos] Simile est carmen Lucani:

In sua victricem conversam vulnera dextram.
TIT.

49. Distulit] Huc atque illuc dispersit. Quod verissimum Historiam horum temporum excutientibus. Sueton. Julio. *Fama distulit permissum esse jus annulorum.* BART.

50. Nullos jam Roma Philippos] Philippi urbs fuit Thessaliae, a qua campi Philippei Pompeji primum, deinde Bruti, & Cassii exercituum clade percelebres. Horat.

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula.

Rursus:

Vestris amicum fontibus, & choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbor.

Et:

Unde simul primum me demisere Philippi
Decisis humilem pennis.

Virg.

Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

Consule Dionem lib. XLVII. TIT.

51. Captiva triumphos.] Tartarus enim tenebrarum plenus fingitur, velut etiam Catullus docet Endecasyllabo quopiam, unde Virgilius *nigrum* ipsum appellavit, quasi dicat tenebricosum:

——— ——— *his nigra videre*
Tartara.

Est autem carcer inferorum, ut ait hic noster, & confirmat Tertullianus in Apologetico. Vide Apollodorum in Bibliotheca. TIT.

51. Ducet captiva] Omnino elegantissime. Nam in bellis civilibus seipsam triumfavit Roma, sibi ipsi captiva ignominiae fuit. Similia apud Lucanum libro primo Pharsaliae. Hoc quoque belle Calpurnius quod Philippos potius nominat quam quemvis alium recentiorem Romanae cladis locum, ne contaminaret temporum felicitatem. Et rusticus quod antiquissimum norat protulit. BART.

54. Candida pax aderit,] Vera, non fucata, qualis fuit aliquando inter Caesarem & Pompejum. Fingebatur autem Pax alba veste amicta. Petron. Arbiter:

Pax prima ante alias niveos pulsata lacertos
Abscondit galea victum caput.

Idem de Fide dixerat Horatius:

Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno

quamquam *candidum* absolute pro *laete* & *jucunde* persaepe accipitur. Horat.

Quid fles Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii.

Tibullus:

——— ——— *& sint candida fata tua.*

Sic *niveum* pro eodem:

O niveam quae te poterit mihi reddere lucem.

Et:

Fulseris hic niveis Delius alitibus.

Cornelius Gallus Elegia nuper ab Aldo juniori formis repraesentata:

O niveas luces, o tempora dulcia.

Exstant sexcenta alia exempla de hac re, quae nihil opus est huc advocare. TIT.

55. Li-

Qualis saepe fuit, quae libera Marte professo,
Quae, domito procul hoste, tamen grassantibus armis
Publica diffudit tacito discordia ferro.
Omne procul vitium simulatae cedere pacis
Jussit, & insanos clementia condidit enseis.
Nulla catenati feralis pompa senatus
Carnificum lassabit opus, nec carcere pleno

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

55. *Professo*] Sic R. P. & Mod. Statius I. Silv. 2. *professus Clamaretur hymen. profusso* V. hinc, *profuso* A. B F. & G.

56. *Quae*] *Quam* B. *Grassantibus*] *Crass.* R.

57. *Diffudit*] *Diffugit* R. recte. *Discordia publica*, i. respublicas intestinis armis discordes. Ita *publico consulere* Tacitus, aliique. Quanquam & a *discordiam* declinari potuit: ut contra Ecl. VI. 41. *Lateralis cingula*, pro *cingulum*.

59. *Clementia*] *Dementia* R. & MSS. Pal. & Tit. *dem. contudit* Bart. in Adv. ex MS. Pal.

NOTAE.

55. LIBERA MARTE PROFESSO,] In veterioribus Editionibus: *Marte profuso.* quod jure damnavit atque in alterum hoc commutavit incredibilis diligentiae Fr. Modius Novantiq. Epist. CV. eique nos volentes merito assentimur. Est autem *Professus Mars* non clandestinus aut tectus velo pacis mentitae, sed apertus & prae se ferens bellum. Sic Lactantius libr. IV. cap. XXII. *quasi non facile illi esset ut citra corporis imbecillitatem se hominibus ostenderet eosque justitiam doceret, siquidem id volebat, majore auctoritate, ut ajunt, professi Dei.* Nemesianus Ecl. III.

Sola Jovem Semele vidit, Jovis ora professum.

Sic *confessa mors* apud Pacatum panegyrico, *professio doloris* apud Quinctilian. declamat. CXLVI. BART.

56. QUAE, DOMITO PROCUL HOSTE,] Etenim cum hostes omnes debellassent Romani, tunc demum in seipsos arma converterunt, itaque ait Horatius:

Sed ut secundum vota Parthorum, sua
Urbs haec periret dextera:
Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.

Vidit autem hoc Onomademus ille in Chio factionis Princeps, qui victoria potitus diversarum partium viros haudquaquam exigendos censuit, quod vereri se diceret, ne sui inimicis omnino liberati cum amicis dissentire inciperent. TIT. Omnino scribendum:

Quam domito procul hoste, tamen grassantibus armis,

Ita unius litterae mutatione impeditum locum extricamus. Sententia non indiget explanatione longiore. Apage vero illatinum atque barbarum vocabulum *discordium* cujus accusativum pluralem non invitii huc viri docti intrudunt, prorsus invitis Charisin. Versus isti plane sunt divini. BART.

57. TACITO DISCORDIA FERRO.] Occultis conspirationibus, & consiliis de seditione excitanda; vel ideo *tacito*, quia bella rite non indicebantur, utpote injusta, & nefaria. TIT.

58. VITIUM SIMULATAE PACIS] Ipsam simulatam pacem, pro qua vitium posuit. Notavimus in hanc rem multa ad Ceirin Virgilii. BART.

59. CLEMENTIA CONDIDIT ENSEIS.] Sunt, qui hic legant *dementia* ex antiquis codicibus TIT.

60. NULLA CATENATI] Catenis vincti, & per hoc captivi. Horat.

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena. TIT.

61. CARNIFICUM LASSABIT OPUS,] Senatorii ordinis viros carnificum manibus occisos nihil novum sub tyrannicis temporibus. Adeo ut laudetur a Capitolino Marcus, qui Imperium suum noluit sanguine Senatorio contaminari atque pollui. Et Severum. Imp. legem rogasse ne

 prin-

Infelix raros numerabit curia patres.
Plena quies aderit, quae stricti nescia ferri
Altera Saturni revocet Latialia regna,
Altera regna Numae, qui primus ovantia caede
Agmina, Romuleis & adhuc ardentia castris,
Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.
Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,

Nec

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

67. *Pacis opus*] Nihil muta. Livius lib. I. c. 42. *Aggrediturque inde pacis longe maximum opus*, &c.

NOTAE.

principi liceret inconsulto Senatu Senatorem occidere, auctor Spartianus. Nec erat sub Principibus sanis qui de Senatore cognosceret nisi ipse Princeps & praefectus praetorio, ut clarum ex Lampridii Alexandro. *Catenatum* vocat, quia catenis colligati in Tullianum compingi noxii consueti. BART.

62. INFELIX RAROS] Vel *raros patres* ob amissos filios. Horat.

Audiet pugnas vitio parentum
Rara juventus.

Vel raros Senatores ob eorum numerum imminutum in bellis civilibus TIT.

63. PLENA QUIES ADERIT,] Claudian.

——— ——— *concordia fratrum*
Plena redit ——— BART.

63. STRICTI NESCIA FERRI] Nam sub Saturno

Non acies, non ira fuit, nec bella, nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber.

Ut ait Tibullus. Aratus.

Χαλκείη γενεὴ προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
Οἱ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν.
BART.

64. ALTERA SATURNI] De aureo seculo videnda sunt, quae scribit Hesiodus & Ovidius:

——— ——— *redeunt Saturnia regna*

inquit Virgil. TIT.

65. ALTERA REGNA NUMAE,] De Numa videnda sunt, quae prodit Livius libro primo, Dionysius Halicarnasseus, & Plutarchus in ejus Principis vita. TIT.

68. INTER SACRA TUBAS,] Tubarum usus ante Regem Numam in Castris tantummodo cognitus erat. Numa Pompilius sacrificia plurima, eorumque ritus instituit: in his tuba canere ceptum. De tuba in Sacrificiis adhibita sic ait Virgilius:

Et tuba commissos medio canit aggere ludos;

illic enim sacra manibus Anchisae celebrabantur. Varro in Armilustrium: *Armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant; ac, dum sacrificabant, tubis canebant.* Magnos honores tubicinibus a Numa fuisse habitos docet Plutarchus in Quaestionibus Romanis; *ita duo Reges alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxere* inquit Livius. De tubae in praeliis usu, res est notissima. Ennius:

At tuba terribili sonitu taratantara trusit.

Quod carmen sic imitatus Virgilius:

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit.

Rursus:

Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.

Horatius:

Et lituo tubae permistus sonitus.

Consule Vegetium de Re militari. TIT. In sacris quibusdam tubas usurpatas clarum, quod ad discrimen bellicorum alii *tubicines sacrorum* dicantur, ut Varro lib. IV. de lingua Lat. Qui & sacros illos lituos *Tubos* vocatos docet. In funeribus tubarum quoque usum fuisse notavit amicus noster; qui elegantissimum super iis librum collegit. BART.

69. ADUMBRATI HONORIS,] Solum enim nomen Consuli erat honoris, potestate penes tyrannos constituta. Vide quae hac de re ad Claudiani VI. Consul. Honorii notavimus. BART.

69. Fa-

Nec vacuos tacitus fasceis, & inane tribunal
Accipiet consul: sed legibus omne reductis
Jus aderit, moremque fori vultumque priorem
Reddet, & afflictum melior deus auferet aevum.
Exultet quaecumque Notum gens ima jacentem,
Erectumque colit Boream, quaecumque vel ortu

Vel

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

70. *Et inane*] *Etiamne* R.

NOTAE.

69. Faciem] *Nudam imaginem* ut vocat Claudianus, simul autem venalem fuisse ingerit umbraticum illum honorem. BART.

69. Faciem mercatus honoris,] Ambitum notat, & inanem Magistratus speciem, cum omnis ipsius auctoritas penes facinorosos cives resideret. Caeterum per *honorem* vel quemlibet Magistratum simpliciter intelligit, vel particulam, κατ' ἐξοχὴν Praeturam ipsam, quae proprio quodam jure *Honor* dicta fuit. Hinc *jus honorarium*, inquit Justinianus, *solemus appellare, quod qui honores gerunt, id est magistratus, auctoritatem huic juri* (praetorio) *dederunt. Et praetor honoratus* vocatur ab Ovidio:

Verbaque honoratus libera Praetor habet. TIT.

70. Nec vacuos tacitus fasceis,] Vanum, atque inanem consulatum, & absque ulla jurisdictione, & auctoritate: fasces enim insigne consulatus fuerunt, per quos honores ipsos significat. Lucret.

Qui petere a populo fasces, saevasque secures
Imbibit.

Rursus:

——— ——— pulchres fasces, saevasque secures
Proculare

Virg.

Illum non populi fasces non purpura Regum
Flexit.

Rursus alibi:

Vis & Tarquinios reges, animamque superbi
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?

Horat.

Cuilibet hic fasces dabit, eripietque Curule
Cui volet importunus ebur.

At rursus:

——— ——— ——— ——— ut si
Detulerit fasces indigno, detrahat idem.

Est autem figura *μετωνυμία*. Eodem modo dictum est ab Horatio:

Nec ponit, aut sumit secures
Arbitrio popularis aurae!

& a Propertio:

Cum tibi Romano dominas in honore secures.
TIT.

Plane cassos atque nullius potestatis. Talis usus τοῦ *vacuus* frequentissimus. quasi tu vanum dicas. Sedulius libro III.

——— ——— ——— nihil omnem
Claudere per noctem vacuo potuere labore.

Appulejus libro IX. *confictis observationibus vacuis fallens omnes homines.* Hinc *vacare*, nullius usus esse. Arnobius libro VII. *quod si certum est & fixum, vacant omnia Deorum auxilia, vacant odia, vacant benignitates.* BART.

71. Legibus omne reductis Jus aderit,] *Juris* vocabulum, heic Imperium denotat. Legibus in pristinum decus reductis suum aderit imperium, suaque privata potestas. BART.

72 Vultumque priorem] Hoc ideo, quia statim dixerat:

Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris.

& nihilominus vultus a facie differt. Sallustius: *Prorsus in facie, vultuque verecundus inerat.* Consule Nonium. TIT.

73. Melior deus] Numerianus Cari filius. Ita loquitur Virgilius:

O Meliboee Deus nobis haec otia fecit,

cum Augustum intelligat. Antiqui distinctionem habebant inter Deos, ut unus alio melior esset. Hinc etiam majorum minorumque gentium Deos reperias, patellarios atque hujus generis notae, ac deterioris etiam plurimos ex falsae illius religionis persuasione. TIT.

75. Erectumque colit Boream,] Ex Pythagoreorum sententia locutus est, illi enim supernam coeli partem polum nostrum statuebant,

in-

Vel patet occasu, mediove sub aethere servit.
Cernitis ut puro nox jam vigesima coelo

Ful-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

76. *Servit*] *Fervet* Tit. *fervit* Bath. ex T.

NOTAE.

infernam vero antarcticum, id est *ὑπτίαν*, ut vocat Plato; unde fortasse Noti appellatio derivata est. Aristoteles tamen Pythagoricis se adversarium praebet, curque ab ipsis dissentiat, rationem affert lib. II. de Coelo: Virgilius sic:

Mundus ut ad Scythiam, Riphaeasque arduus arces
Consurgit, premitur Lybiae devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt; manesque profundi.

Qui locus ad Arati normam expressus est. TIT.

76. Mediove sub aethere servit.] Fortasse *fervet*. Zonam torridam intelligit, quae falso inhabitabilis a veteribus credita est. De quinque Zonis videnda sunt Tibulli carmina in poëmatio ad Messalam ab illo versu:

Nam circumfuso consistit in aethere tellus,

& caetera, notissimus item est Virgilii locus ex primo Georgic.

Quinque tenent coelum Zonae,

& reliqua. Sic etiam Varro citante Isidoro:

At quinque aethereis Zonis accingitur orbis,
At vastant imas hyemes, mediamque calores:
Sic terrae extremas inter, mediamque coluntur,
Quam solis valido numquam vis auferat igne.

Lucretius:

Inde duas porro prope partes fervidus ardor,
Assiduusque geli casus mortalibus aufert.

Confule praeterea Ovidium Metam. lib. I. & ex Graecis Dionysium Afrum. TIT. Diligenter locus hic attendendus, nam (ni falsus sim) non fuit mens poëtae complecti hac descriptione universum terrarum orbem, vel saltim totum nostrum hemisphaerium: quarta orbis parte contentus fuit, atque etiam angustiore, neque de quinque Zonis ullam cogitationem suscepit in hisce carminibus Calphurnius, nec decebat, cum revera tunc temporis ad omnes mundi plagas imperii Romani, neque majestas neque arma pervenissent: tantum intendit comprehendere partem nostri orbis habitatam, & imperio Romano parentem, videlicet quae intra tropicum Cancri, & polum nostrum arctum hinc inde solem orientem versus, & occidentem interjacet. Itaque quinque nationum genera attingit laetarique & exsultare jubet. primo quae ad austrum sunt, & ad circulum solstitialem spectant, has vocat *gentem imam*, intuitu septentrionalis, quae secundo loco ponitur, quam vocat *Boream erectum*: nam *hic vertex nobis semper sublimis*. Tertio & quarto loco populi orientales, & occidentales inferuntur. Tandem, & quinto loco nos annumeramur qui medii inter has quattuor tunc imperio Romanorum serviebamus, unde dicit

——— ——— *Meliore sub aethere servit.*

Qui Zonam torridam habitabant nondum Romanis fascibus colla submiserant, imo neque a Romanis hi populi noscebantur: cum (ut tu rectissime doces) a Veteribus inhabitabilis (quamquam falso) creditus fuit totus tractus Zonae torridae dictae. MARTELL. Omnes editiones habere *fervit*, ait doctissimus Modius; Sed nostra quae prodiit Tiguri anno CIↃ IↃ XXXVII. diserte *fervit* agnoscit, cujus nos merito scripturam amplectimur, Petronius,

——— ——— *totasque per Alpes*
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.

Attius Achille.

Ne tum cum fervat pectus iracundia.

Pomponius Fullone.

Facite ut ignis fervat ligna in stipite &c.

Afranius Vopisco.

Quanta vociferatione fervitur.

Virgilius lib. VIII.

Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.

Lucilius, Terentius, Horatius, apud Priscianum lib. IX. Eutyches lib. I. de discernendis Conjugat. Alcuinus Grammatica. Et nemo non omnis generis auctorum. BART.

77. Puro] Omen aliquod futuri sereni principatus dies habet purus, coelumque sudum. Claudianus.

Imperii lux illa fuit, praesagus obibat
Cuncta nitor, risitque tuo Natura sereno.

Idem.

Sed mox cum solita miles te voce levasset
Nubila dissolvit Phoebus, pariterque dabantur
Sceptra tibi, mundoque dies: &c.

Sidonius. *Imperii ver illud erat.* &c. Quo pertinet

Fulgeat? ut placida radiantem luce cometem
Proferat? ut liquidum mittat sine vulnere sidus?

Non

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

78. *Placidum radianti.* V. A. B. F. R. ex G. *placida radiatum* MSS. Tit. *Cometen.* R.
79. *Mittat*] *Nutet* R. A. F. *nutat* B. V. G. *nictat* B. f. *nuteat.* Manilius lib. I. de Cometis, &c. Tit. *Saepe nitent*, &c.

NOTAE.

net & distichon Maronianum.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Divisum Imperium cum Jove Caesar habet.
BART.

78. RADIANTEM LUCE COMETEM] Alii legunt *radiatum luce*, quod non respuo. Sic dixit Seneca Hippolyto:

Tuque sidereum caput
Radiate Titan.

Porro hic cometem intelligit ex Jovis & Veneris planetis coagmentatum, qui laetorum successuum praenuncius esse consuevit, ut admonet Servius ad illud Maronis:

Non secus ac liquida si quando in nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent.

Non esse autem cometem infortuniorum semper indicem videtur indicare Plinius lib. II. cap. XXV. his verbis: *Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso.* Idem confirmat Seneca Quaest. Natur. lib. VII. Sed nullum omnino cometam foelicia, aut secus portendere certum est, idque nuper longis disputationibus ostenderunt eruditissimi viri Squarcialupus, Erastus, Dudithius, Grynaeus, & alii; qui fatuam, & anilem vulgi opinionem solidissimis rationibus ab ipsis fundamentis convulserunt. & nos in nostris libris de Universo divinationis genere haud inanibus argumentis, ut puto, labefactavimus: Verumtamen consulas licet Cornelium Gemmam de divinis Characterismis. Quod si *radianti* legere malumus apud hunc nostrum, conveniet cum Marco Tullio, cujus illud est:

Vidit & claro tremulos ardore cometas.

Scintillant enim haec sidera, & lucem quodammodo vibrant, quod hic noster vocat deinde *nutare*, ac mox *scintillare*. TIT.

78. PLACIDA RADIANTEM LUCE COMETEM] Vetustissima editio habet.

——— ——— *placidum radianti luce.*

Quod cur posteriores mutaverint, nulla caussa est. Cometen, signum esse mutationis regni omnibus veteribus, praecipue poëtis, in confesso est. Unde *eversorem regnorum* vocat Silius Italicus. Cum autem in melius seculum mutaturus videatur, blandam ei lucem atque liquidam assignat Calpurnius. BART.

79. LIQUIDUM] Purum, nec sanguineo suffusum rubore. Virgil. Eclog. VI.

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis.

Plura de hoc vocabulo notavimus alibi locorum, de re ad Gratium v. 445. BART.

79. MITTAT] Vetustissima Editio diserte habet *nutat*: nec dubitamus Calpurnium *nictat* scripsisse. Elegantissime enim *nictare* sine vulnere dicitur sidus quod non sanguineam aut rufam flammam in scintillas quasi dispergit & demittit, quod de infaustis sideribus Poëtis in ore est. Unus hic locus docet quantum Calpurnius major sit Poëta, quam magistelli possint credere, qui eum cum sodali Nemesiano inter quisquilias Linguae Latinae habent. *Nictare* scite dicuntur *stellae* cum scintillant, quas *nictationes* scitius eorum lucernas a coena redeuntium Atticus scurra dicit Aristophanes. Vide de hoc verbo ad Ceirin nostra Scholia. BART.

79. SINE VULNERE SIDUS?] Quod nullam caedem, seu bellum portendat praeter ejus sideris communem, ut putant, naturam. Solent enim cometae atrocia, & tristia significare. Virgil.

——— ——— *nec diu tristes arsere cometae.*

Tibull.

Haec fore dixerunt belli mala signa cometae.

Lucan.

——— ——— *Crinemque timendi*
Sideris, & terris mutantem regna cometae.

Aristoteles cum de his ignibus diligenter disputet lib. I. *Meteor.* de hujuscemodi praedictionibus ne verbum quidem. Ptolemaeus is fuit & reliqui astrologi, qui haec prognostica invexerunt. TIT.

Kkk 80. Num-

Non per utrumque polum, ficut folet, igne cruento
Spargit, & ardenti fcintillat fanguine lampas.
At quondam non talis erat, cum Caefare rapto
Indixit miferis fatalia civibus arma.
Scilicet ipfe Deus Romanae pondera molis

For-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

80. *Non per*] *Nunquid.* V. A. B. F. rectius. *Non, quod, &, igne comato* B. in Adv. ex Ms. Pal *igne cremato* R. Virg. Aen. x. *liquida fi nocte cometae Sanguinei lugubre rubent.* Claudianus: *fanguineo delabitur igne cometes.* Nihil ergo hic mutandum.
81. *Spargit?* V. A. B. F. rectius. Lucanus lib. 1. *nunc fparfo lumine lampas Emicuit,* &c. *Spargit; ut.* Barth. ibid. *fefe, ut folet, i. e. Spargit.* B. hic,
82. *At quondam*] *Et* R. & A.

NOTAE.

80. NUMQUID UTRUMQUE POLUM,] Teftantur docti viri fcribendum hic effe ex integro codice: *non per utrumque polum.* Caeterum ignem cruentum vocat poëta, ficut Virgilius *fanguineos cometas.* Perfimilis locus reperitur apud Lucanum, Ibi:

Nunc jaculum longo, nunc fparfo lumine lampas
Emicuit coelo. TIT.

A Sole exoriente ad occidentem. Petronius.

——— ——— *qua fidus currit utrumque*

Id eft, oriens & occidens Sol. Virgil. Culice.

Qua facit Oceanum flammas in utrumque rapaces.

Id eft, Eoum & Hefperium. Clare Rutil. lib. I. Itinerarii.

Qua fert atque refert Phoebus uterque diem.

Tales autem lampades five faces decurrere folent per univerfum coelum: ut apud Julium Obfequentem legas non femel, vide Dionem lib. XXXVII. BART.

81. SPARGIT.] Pro fpargitur: agendi verbum pro patiendi pofuit, vide ad Gratium Notata. Conjeceram aliquando, *non per utrumque polum fefe, ut folet.* Sed non eft opus mutatione. BART.

82 AT QUONDAM NON TALIS ERAT,] De prodigiis, quae mortem Caefaris confecuta funt, multa Virgilius Georgic. I & Horatius Carm. lib. I. Od. II. vide etiam Plutarchum, & Suetonium. TIT.

83 INDIXIT] Bellum publice, & palam denunciavit. *Arma* etenim pro bello hic fumitur. Virg.

Arma virumque cano.

De belli indicendi ritu confule T. Livium; & nos quippiam annotavimus in noftris libris controv. TIT. Belle ufus eft eo verbo quo denunciatur bellum profeffo ab hofte. Quafi indixiffent fidera civibus neceffitatem feditionum. BART.

84. SCILICET IPSE DEUS &c.] Dignus locus, qui diligenter excutiatur, perdifficilis fane, verum pulchritudine, ac claritate penfabitur omnis difficultas, & labor: una diftinctionis notula importune collocata afperitatis tantum, & falebrarum in duobus ultimis hifce verfibus infundebat, ut venuftatem illorum univerfam penitus eliminaret Laudat, vel palpat Auguftum Poëta, quicunque ille tunc effet Imperator, noftra nil modo refert: At nihil aptius, luculentiufque dici poterat in laudem novi principis, quam tantam fuiffe ejus vel fortunam, vel gratiam, vel providentiam, vel etiam potentiam, ut in tranflatione tanti imperii, novifque habenis tam vafti Regni fufcipiendis nulla omnino commotio vel facta jam, vel futura mox foret in Republica, cunctofque populos tot, tamque diverfarum Provinciarum, & nationum aequiffimo animo fefe parentes atque obedientes novo Regi vel praebuiffe, vel praebituros effe. Hic eft totius hujus complexionis fenfus verus probus politiffimus: Ordinem autem, & explicationem verborum non pigebit attexere: *fcilicet ipfe Deus.* Intelligimus haec de Carino, non de Numeriano, qui quidem Numerianus Carini frater germanus fuit non filius; Numerianum autem ab hoc loco dimovemus, & Carinum fubftituimus, quia poft obitum patris Cari Imperatoris, hi duo ejus filii ab ipfo pridem Caefa-

Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,
Ut neque tralati sonitu fragor intonet orbis,
Nec prius ex meritis defunctos Roma penates
Censeat, occasus nisi cum respexerit ortus.

Cor.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

87. *Ex meritis defunctos Roma penates Sentiat* Barth. in Adv.

NOTAE.

sares dicti susceperunt simul & animis concordibus imperium, sed Numerianus in Oriente, ubi non multo post occisus fuit, nec Romam Imperator unquam venit: Carinus in occidente, circa nostrae salutis annos 284. & de eo, qui Romae potuit fuisse cum imperio, sine magno errore omnia haec dicta esse arbitramur. Diocletianum vero non moramur, cum is non sine magna contentione, & Reipublicae perturbatione, multisque & ancipitibus praeliis adversus Carinum susceptis, Imperium adeptus sit. Ergo hic *Deus Romanae pondera molis fortibus lacertis* tam suaviter molliterque excipiet, ut ne tantillum quidem ingens haec machina, dum quasi loco movetur, & de manibus Patris Cari in ulnas Carini filii transfertur concussa vel concutienda, aut ex allisu crepitum ullum, nedum fragorem ediderit, vel editura sit. Explicat magis adhuc. Ita sane in novo adipiscendo imperio tranquilla, quieta, & pacata fuerunt omnia, ut non prius Romae suspicio ulla de obitu imperatoris Cari penetraverit, quam laetissimus Nuncius de Imperio suscepto a Carino in occidente, a Numeriano autem in oriente junctis in unum Fratrum voluntatibus afferretur; itaque Roma non prius rescivit penates *defunctos ex meritis* i. e. patrem Carum, qui in imperio administrando functus, vel defunctus erat *ex meritis* i. e. probe se gesserat, valet enim *defunctos ex meritis* idem prorsus ac si dixisset *emeritos*; Non prius inquam Roma censuit hos *emeritos penates* esse *occasus*. i. e. rescivit occidisse Carum patrem, quam respexerit, & cognoverit quasi solem orientem emersisse novum Imperatorem Carinum. Quid hac sententia pulchrius, elegantius, acutius excogitari potuit? Verba etiam significantissime illam prae se ferunt. Nam alludens ad ortum solis, & occasum (metaphora sat nota in recenti & vieto Regibus significandis) dicit non prius Roma rescivit *occasus*, Id est defecisse unum, quam respexerit *ortus*, id est noverit creatum novum Imperatorem alterum. Et artificio mirabili non dixit *occidisse*, sed *occasus*, quoniam Deorum occidere non est. At *soles occidere, & redire possunt*, inquit ille, itaque ut invidiae plena de Augusto, vel de Deo vox erat *occidere*, ita contra plausibilis vox, & metaphora fuit *ortus & occasus*. Notam autem distinctionis, quae primo erat post verbum *censeat* transtulimus post nomen *occasus*, quae vox cum respondere debuisset illi *ortus* & propterea in numero plurium censenda fuisset, cum vocabulo unitatis convenire qui possit vides. Si nostra haec viris doctis, ac tibi praesertim, Roberte Titi, non displicebunt, operae pretium aliquod his lucubrationibus me fecisse putabo. MARTELL.

84. Romanae pondera molis] Negotia Romani imperii, sic enim appellat Horat.
Cum tot sustineas, & tanta negotia solus
Res Italas ornes.
Molis igitur hoc est magnitudinis. Virgil.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
TIT.

85. Sic inconcussa lacertis,] Alludit per transcursum ad fabulam Herculis, qui Atlanti successit in coelo humeris sustinendo. Porro per translatum orbem nequaquam Romam eversam intelligit, ut quidam somniant, sed imperii administrationem a Carino ad Numerianum translatam. TIT.

86. Sonitu fragor] Tantam molem imperii sine sonitu aut convulsione ulla dicit translatam in Cari & liberorum humeros. Ut nec senserint mortales tantam molem moveri, nisi cum alium destinari viderint occidenti seniori succedere juniorem. Haud dubio illud respexit quod Caro vivo adhuc Numerianus & abominabilis Carinus imperii gubernacula ceperunt. BART.

88. Censeat,] Malim rescribillare, *sentiat*, non prius sentiat Roma Deos suos tutelares, h. e.

COR. Ornite, jam dudum velut ipso numine plenus
Me quatit & mixtus subit inter gaudia terror:
Sed bona facundi veneremur numina Fauni,

OR.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

91. *Facundi*] Ita R. & Herald. *foecundi* al. omn.

NOTAE.

Carum, defunctos, quam ipsius occasum ingerat ortus duorum ejus successorum ad Imperium. Si aliter exponi placet, capere possunt etiam hanc sententiam: meritis suis defunctos non prius censeat Roma Imperatores, quam cum Orientem omnem respicere coëgerint Occidentale suum imperium. Ex Oriente quidem Carus nomen Persici retulit teste Vopisco. BART.

88. OCCASUS NISI CUM RESPEXERIT ORTUS] Quod nimirum numquam eveniet ob terrae globum interjectum, & sic argumentum est ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Manilius;

—— —— medioque tumore
Eripiunt terrae coelum, visusque coërcent.

Deinde:

Sic stellis glomerata manent.

& reliqua. Item:

Sed quia per teretem deducta est terra tumorem,
His modo post illis apparet Delia terris.

Mundi duae sunt partes, una quae nobis perspicua est, altera quae aspectui nostro subtrahitur, in contrariamque mundi oram incolentium oculis subjicitur. Proculus περὶ ὁρίζοντος loquens ait: Ὁρίζων δέ ἐστι κύκλος ὁ διορίζων ἡμῖν τό τε φανερὸν καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου. καὶ διχοτομῶν τὴν ὅλην σφαῖραν τοῦ κόσμου, ὥστε ἡμισφαίριον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι· ἡμισφαίριον δὲ ὑπὸ τὴν γῆν. Hanc rem tetigerunt etiam Plinius, & Macrobius. TIT.

89. IPSO NUMINE PLENUS] Multo dignius Calpurnio, atque longe etiam elegantius *plenum* refingas, quod quidem ut fiat ego non dubitem auctoritatem praestare. *Plenus Deo* phrasis irrisa olim in nescio quo a Seneca Patre, usitatissima est. Vetus inscriptio.

Templum in rupe Tagi, superis & Caesare plenum.

Qua facie Juvenal.

—— —— plenumque Nerone propinque:

Arnobius lib. v. *Ut vos plenos Dei numine ac pectore censeatis.* Jul. Firmicus de Err. Profan. Relig.

—— —— haustusque medullis
Annibal exagitat. ——

Silii Italici par est sententia. BART.

90. ME QUATIT] Talem fere describit Sibyllam Virgilius lib. VI. Horatius ait:

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius.

Lucanus vero sic:

—— —— quippe stimulo, fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsuque deorum
Concutiunt fragiles animas.

Videndi sunt Cicero de Divinatione, & Plutarchus in Commentario, ubi quaerit; Cur Pythia versibus respondere desierit. TIT.

90. INTER GAUDIA TERROR;] Non metus, qui spei opponitur, tametsi spes metui conjuncta esse potest, sed veneratio, quae terrorem incutere solet. Sic Virgilius *horrendam* Sibyllam vocat. id est venerandam, & *tectum horrendum* eadem ratione. TIT.

91. BONA] Mitia, propitia. Horat. lib. IV. Car. II

Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere, bonique divi.

Vide Thesaurum Formularum Brissonii, libro primo. BART.

91. FOECUNDI VENEREMUR NUMINA FAUNI,] Vel quia multa in pectore clausa gerit, ut apud Maronem:

—— Foecundum concute pectus.

Vel quia foecunditatem, uberemque frugum proventum pollicetur: *bona* vero *numina* dixit, hoc est amica, propitia, ut,

Sis bonus, foelixque tuis. TIT.

Propter foecunditatem Terrae maxime Deos rustici colunt, quorum omnis in ea felicitas. Quare non audio doctissimum Heraldum qui in Adversariis *Facundi* reponit, & *Bacchum Faune* substituit. BART.

92. DEUS

OR. Carmina, quae nobis deus obtulit ipse canenda,
Dicamus, teretique sonum modulemur avena:
Forsitan Augustas feret haec Meliboeus ad aureis.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

92. *Nobis*] *Vobis* B.
94. *Meliboeus*] Vide Comm. ad Nemes. Cyneg. Titulum.

NOTAE.

92. DEUS OBTULIT IPSE] Similiter Manil. lib. I.

—— —— Deus ipse mereris,
Das animum, viresque facis ad tanta canendum.

BART.

94. FORSITAN AUGUSTAS] Ad aures Caesaris. Falluntur autem, qui hoc loco per Augustum Octavianum ipsum accipiunt; cum de Diocletiano, aut Numeriano intelligendum sit. Meliboeus personam sustinet alicujus potentioris amici Calphurnii, qui apud Imperatorem gratia polleret, cujus amici opera sperat fore poëta, ut se in Caesaris familiaritatem quandoque insinuet. Tale quiddam Virgilio evenisse memorant, sed & de seipso quippiam simile narrat alicubi Horatius. TIT.

94. MELIBOEUS] Nemesianum fortassis innuit, quem Augustis familiariorem fuisse ex eo liquet, quod cum Numeriano saepius carmine certaverit. Porro si hanc Eclogam ideo *Delon* inscripsit Calpurnius, quod in ea vaticinium novi seculi, sane longe ab Apollinis insula ad Fauni praesagium petiit titulum. BART.





E C L O G A II.

C R O T A L E.

Astacus, Idas, Thyrsis.

INntaſtam Crotalen puer Aſtacus & puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Aſtacus horti,

Di-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

Crotale] Sic P. Deeſt in al. omn. Imitatur Ecl. II. Nemeſiani, & obiter Virg. Ecl. VIII.

N O T A E.

1. Intactam Crotalem] Integram, ut loquitur Horatius & Catullus, non imminutae pudicitiae. Sic etiam utitur hac dictione idem Catullus:

Sic virgo dum intacta manet, dum cara ſuis eſt.

Virgil.

Cui pater intactam dederat.

Horat.

Sunt quibus unum opus eſt intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare.

Ab hac Crotale nomen eſt inditum Eclogae in exem-

Dilexere diu: formosus uterque sed impar
Voce sonans. terras hi cum gravis ureret aestas,
Ad gelidos fonteis & easdem forte sub ulmos

Con-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

3. *Sed impar*] Leg. *nec impar*. Ita & Mod. *neque impar* Martell. Nemes. Ecl. II. *Ambo aevo, cantuque pares, nec dispare forma.* Et in fine hujus Ecl. *Este pares*, &c.

NOTAE.

exemplaribus Florentiae excusis. TIT. Ad quas & pastorum protior Cupido. Unde illa ad procacem bubulcum ad Theocritum.

Καλόν σοι ϲαμάλας φιλεῖν, οὐκ ἄζυγα κώρας.
BART.

1. PUER] Primaevus adolescens: nam *pueros* vocant scriptores, qui aetate jam etiam puberes. Ut Statius de Leandro.

——— Phryxaei natat hic contemtor Ephebus
Aequoris.

lib. VI. Sic Bathyllum suum pingi vult Anacr. od. XXIX.

Ἀφελῆ ποίησον αἰδῶ,
Παφίλω θέλουσαν ἤδη.

Virg lib. V. de Euryalo.

Nisus amore pio pueri.

qui paullo post tot homines occidit. Sic Gnyphon Petronianus *puer* annorum XVI. Gallienus Imp. Epith.

Ite agite o pueri pariter sudate medullis,
Omnibus inter vos &c.

Sic *puellae* etiam dicuntur jam nuptae. Horat.

——— ——— puellae
Jam virum expertae ———

Appulejus lib. VI.

——— ——— puellae lepidae, Amoris uxori.

Qui & lib IX. maritatam adulteram *puellam* vocat. Quod & ipsum Graecanicae est imitationis. BART.

2. INAS LANIGERI] Παλιλογία, sive *ἀναδίπλωσις*, veluti apud Virgilium:

——— ——— Vos haec facietis maxima Gallo,
Galle cujus amor,

& cetera. Rursus:

——— ——— Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens. TIT.

3. DILEXERE] Amavere, non temere hoc ita usurpant verbum scriptores. Propert. lib. II.

Parvo dilexit spacio Minoida Theseus.

Catullus.

Non jam illud quaero, contra ut me diligat illa.

Idem.

Nemon' in tanto potuit populo esse, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes.

Virgilius Aeneidos I.

——— magno miserae dilectus Amore.

Differentiam ex Cicerone notavit Nonius. BART.

3. SED IMPAR VOCE SONANS.] Formosi quidem sed non ejus pulchritudini par vox respondet, ut sit aeque formosa, hoc est bona. De canendi peritia in fine dicet:

Este pares, & ob hoc concordes vivite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociavit, & aetas.

Nemesianus dixit:

Et non tam tenui filo de voce sonarent. TIT.

——— ——— ——— ——— Nam Vos
Et decor, & cantus, & amor sociavit & aetas.

Nam distinxisse cantum a Voce, & de Voce bona, vel improba sollicitum fuisse Poëtam, persuadere mihi non possum. Itaque lego, ut res ipsa docet legendum:

——— ——— Formosus uterque, neque impar
Voce sonans.

Secus autem, quattuor illis collectis, quae tu optime observasti, non omnibus paria reddidisset, certe non meminisset in propositione peritiae canendi, & in collectione omisisset vocis imparitatem. Itaque quattuor posita in Epilogo, maxime probant correctionem nostram factam in prooemio. MARTELL. Eruditissimus Modius loco *sed*, *nec* nobis reponit, inductus potissimum ultimis hujus Eclogae carminibus, quibus pueros istos pares cantu discedere jubet Thyrsis. Id rei ipsius & de litteris his optime meriti capitis gratia amplectimur. Porro aliquot certamina pastoricia sunt apud Theocritum, unde excerpere poterit qui volet; quae hunc putet expressisse, nihil quidem heic ad incomparabilem illam Venerem, tamen multa optima BART.

5. AD GELIDOS FONTEIS] Virg.

His

Conveniunt, dulcique simul contendere cantu
Pignoribusque parant. placet, hic ut vellera septem,
Ille sui victus ne messem vindicet horti.
Et magnum certamen erat sub judice Thyrsi.
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quaecumque vagis alitum ferit aëra pennis.
Convenit umbrosa quicumque sub ilice lentas

Pa-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

9. *Et magnum*, &c.] Virg. Ecl. VII. *Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.* *Thyrsi*] *Thyrso* B. R. & sic porro semper.

11. *Et quaecumque vagis alitum*] Ita V. A. B. F. P. *avium* B. *altum* R. f. *Et quodcunque vagu altum.* Vide ad Cyneget. Nemes. vers. CLXX.

N O T A E.

Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori.
Considera num hic locus imaginem prae se gerat illius Theocriti:

——— ——— Ἐπὶ κρήναις δὲ τιν' ἄμφω
Εἰσδόμενοι θέρεος μέσω ἄματι, τοιὰ δ' ἄειδον.
TIT.

7. PIGNORIBUSQUE PARANT.] De pastorum consuetudine, qui saepe inter se pignore deposito certare introducuntur, velut exempli gratia, apud Maronem:

——— ——— tu dic mecum quo pignore certes.

Hic autem superfluere videtur enclitica, neque enim parant contendere cantu, id est alter alterum cantu superare., & pignoribus, sed contendentes cantu superare pignoribus positis. TIT.

7. VELLERA SEPTEM,] Oves: dixerat enim superius:

Idas lanigeri dominus gregis. TIT.

Lanam velleribus demtam. Nam & ipsa Lana *Vellus* dicitur. Unde Poëtae nivem, quae instar habet albissimae lanae *vellus* vocant. Martial.

——— ——— tacitarum vellus aquarum
Depluit in vultus Caesaris, inque sinus.

Severus Rhetor.

Quam densis fluitant velleribus nives,
Tam crebrae pecudum neces.

Vide Commentationem ad Gratium. BART.

7. HIC UT VELLERA] Placet hic septem vellera ut ne vindicet, ille messem horti. *Ut ne*, Comicum est pro solo; *Ne*. *Ut: quidvis faciam ut hoc ne faciam.* &c. *Messem* autem *horti* non fructus sed gramen intelligo, alioqui contra septem vellera ridiculum foret. BART.

9. ET MAGNUM CERTAMEN ERAT] Tantum non ex Virgilio ad verbum huc translatum:

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.
TIT.

Maro.

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.
BART.

10. ADFUIT OMNE GENUS PECUDUM,] Haec monstra rerum de Orpheo canente commemorari solent. Res notior est quam ut de ea pluribus agere oporteat. Propert.

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threcia detinuisse lyra.

Virgil.

Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.

Consule Ovidium Metamor. 10. TIT.

11. ALTUM] Ita habent & vetustae Editiones: Sed non dubium est, *Avium*, scripsisse, propter syllabam. BART.

11. ALITUM FERIT AERA PENNIS.] *Quaecumque Alitum* valet quotquot Alites. Sunt tamen, qui legant *altum*, ut ad aëra referatur. TIT.

12. LENTAS PASCIT OVES,] Vel placidas, a natura ejus animantis. Ovid.

Quid bos, quid placidae commeruistis oves.

Vel quia lente pasci debent, sicut de capellis tradit Columella lib. VII. cap. VI. vel reponendum est *laetas* ex vetere exemplari. Sic *laeta armenta* vocavit Maro:

——— ——— tenent oleaeque, armentaque laeta.

Ac rursus:

Lae-

Pascit oves, Faunusque pater, Satyrique bicornes.
Adfuerunt sicco Dryades pede, Najades udo,
Et tenuere suos properantia flumina cursus.
Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totos fecere silentia monteis.
Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri
Calcabant: illis etiam certantibus ausa est
Daedala nectareos apis intermittere flores.

Jam-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

14. *Adfuerunt*] *Adfuerint* R. *Adfuerant* G.
15. *Et tenuere*] Virg. Ecl. VIII. eadem in re:
Et mutata suos requierunt flumina cursus.
18. *Neglectaque pascua tauri Calcabant:*] Virg. ibid. *Immemor herbarum*, &c. *cessabant* [] *illis certantibus.* Sic R.
19 *Neglectaque* —— *Calcabant:*] Desunt B.
20. *Intermittere*] *Intervisere* R.

NOTAE.

Laeta boum passim campos armenta videmus;
id est pinguia. TIT.

13. SATYRIQUE BICORNES] Faunos bicornes appellat Ovidius:
Aut quas semideae Dryades, Faunique bicornes.
TIT.

14. ADFUERUNT] Recte ita recentiores ediderunt. Nam *Adfuerant* a paedagogis est. qui exempla desiderat, Gifanium ad Lucretium consulat jubeo. Omnia autem ad Orphei Historiam exprimit, quae notissima. BART.

14. ADFUERUNT SICCO DRYADES] Duo Nympharum genera praecipue commemorat, cum de aliis quoque omnibus in universum intelligat: sunt enim & Oreades, & Napeae, & Najades, & Limnades, & Potamides, itemque aliae. Porro Dryades arboribus praeesse creditae sunt, Najades fontibus. Dicuntur autem Dryades, quae & Amadryades ἀπὸ τῆς δρυὸς, unde & Querquetulanae Latinis: Najades vero ἀπὸ τοῦ νάειν, & sunt fontium Nymphae, quae & πηγαῖαι, & κρηναῖαι nuncupantur. Nemesian.
Quae colitis sylvas Dryades, quaeque antra Napeae:
Et quae marmoreo pede Najades uda secatis
Litera. TIT.

15. ET TENUERE SUOS] Expressum ex Virgilio:
Et mutata suos requierunt sidera cursus.
Ad quem locum Fulvius Ursinus Alcaei, atque Ennii versus citat. Propertius quoque ita locutus est:
Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threicia detinuisse lyra. TIT.

16. TREMULIS INCURRERE] Quasi tremorem quendam ramusculorum inducit & depingit hic versus. Claudianus.
Et tremulum bibulis inserpere murmur arenis.
Qui quidem divinus est. BART.

18. NEGLECTAQUE PASCUA] Haec verba quidam non agnoscunt, quae tamen e Virgilio propemodum expressa videntur:
Immemor herbarum, quos & mirata juvenca.
TIT.

20. DAEDALA NECTAREOS] Laboriosa, vel varia, quod discolores flores libet, indeque mel conficiat. Lucret.
—— —— *Tibi suaves Daedala tellus*
Summittit flores.
Iterum:
—— —— *Phoebaeaque Daedala chordis*
Carmina consimili ratione expressa silerent.
Item:
Mobilis articulat verborum Daedala lingua.
Et:
—— —— *naturaque Daedala rerum.*
Virgilius:
—— —— *patri quos Daedala Circe*
Supposita de matre nothos furata creavit.

Jamque sub annosa medius consederat ulmo
Thyrsis, &, O pueri, me judice, pignora, dixit,
Irrita sint moneo: satis hoc mercedis habeto,
Si laudem victor, si fert opprobria victus.
Et nunc alternos magis nt distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus jactate micantes.
Nec mora, discernunt digitis, prior incipit Idas.
Id. Me Silvanus amat, dociles mihi donat avenas,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

21. *Annosa*] *Umbrosa* R. V. A. B. F. rectius. Virg. Ecl. II. *frondosa vitis in ulmo est.* &, *umbrosa cacumina fagi.*

27. *Discernunt*] *Discrevit digitus* V. A. B F. & Mod.

NOTAE.

Vel *Daedala apis* dicitur a varietate artificii, quod propemodum indicat Maro dicens:

Non aliter (si parva licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor urget habendi
Munere quamque suo, grandaevis oppida curis,
Et munire favos, & Daedala fingere tecta.

A verbo δαιδάλλειν, unde Daedalus Architectus, & λογοδαίδαλοι, verborum Opifices, quique ornandae orationis artificio instructi sunt. TIT.

21. MEDIUS] Inter Astacum, & Idam, vel arbiter ad litem ipsorum dirimendam. TIT. Duplici caussa, ut judex atque ut senior medius considet Thyrsis, quo de more ad satiem alibi nos scripsisse meminimus BART.

23. IRRITA SINT MONEO:] Ut res magis amice procedat, vetat Thyrsis pignora ipsos deponere, sed laude victorem, convitio victum contentum esse vult: sic cum pignora deposita sunt, suum unicuique concedi solet a prudente judice. Virg.

Non nostrum inter vos tantas componere lites,
Et vitula tu dignus, & hic, & quisquis amores
Aut metuit dulces, aut experietur amaros TIT.

24. SI LAUDEM VICTOR,] Virtutis enim satis amplum censetur praemium ipsa Laus. Hippodamus Pythagoreus in libro de Republica virtutem tribus ex causis promoveri scribit, metu, cupiditate, pudore: ejus verba reperias apud Stobaeum Sermone de Rep. TIT.

25. MAGIS UT DISTINGUERE] Et hodie hoc fieri videmus cum ordinem alicujus negotii observant, ut primam vicem primo extento digito notent, secundam secundo & ita porro, ne occupato animo numerus elabatur, simul autem micatio jungitur, ut manu ter jactata possit uterque alterius digitum & numerum observare, suamque inde vicem sermocinandi. Haec est caussa cur jactationem distinctioni jungat Poëta. De numeris digitorum & micandi consuetudine vide amicum nostrum eruditissimum Wowerium lib. de Polymathia. cap. VII. Casaubonum ad Augustum Suetonii, Turneb. lib. XX. c. XIII. alios. Quorum tradita non recoquimus. BART.

26. TER QUISQUE MANUS] Digitis micare lusus genus fuit, quod adhuc apud nos durat, ut repente porrectis digitis, certantium uterque numerum divinaret. Marcus Varro, *Micandum est* (inquit) *cum Graeco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur.* Oportebat autem digitorum numerum ter divinare, velut ex D. Augustino libro de Trinitate colligitur, cum inquit: *Nam id ubi volumus, facile habemus; ut alia omittam, vel micando digitis tribus:* id est, ut nunc vulgo loquimur, *alle trè dita.* TIT.

27. DISCERNIT DIGITUS,] Sunt, qui legant, *discernunt digitis*, id est sortiuntur, quis primus incipere debeat. Ego nihil habeo, cur magis hanc, quam illam scripturam retinendam censeam. Nam illud *Nec mora*, valet, nulla est interposita mora, hoc est, confestim digitis micarunt: itaque idem sensus omnino resultat. TIT.

28. ME SYLVANUS AMAT,] Imitatur Virgilium, qui dixerit:

Et me Phoebus amat, Phoebo sua semper apud me
Munera sunt lauri, & suave rubens hyacinthus.

Theo-

Et mea frondenti circumdat tempora teda.
Ille etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen,
Jam levis obliqua crescit tibi fistula canna.
As. At mihi Flora comas parienti gramine spargit,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

29. *Teda*] Vide Gronov. III. Observ. c. 13.
32. *At mihi*] Leg. *Et mihi*, ex R. V. A. B. F. *flore* R.

NOTAE.

Theocritus etiam quippiam cecinit ab hac re non ita abhorrens:

Ταὶ μῶσαί με φιλεῦντι, πολὺ πλέον ἢ τὸν ἀοιδὸν Δάφνιν.

Porro Sylvanus Deus est Pastorum. Virgil.

Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum, pecorique Deo, lucumque, diemque.
TIT.

29. CIRCUMDAT TEMPORA TAEDA.] Cypresso, quae arbor Sylvano dicta est. Virgil.

Et teneram ab radice ferens Sylvane cupressum.

Qua explicatione responsum velim Julio Caesari Scaligero, cujus non aequum de hoc loco judicium exstat in Hypercritico: sed errat, ut in aliis multis. TIT. Non possumus defendere hoc loci Calpurnium contra Heroëm Jul. Scaligerum, nisi quod loquatur & sub persona pastoris, & pueri. Nam cum pastor pinus nullum norit alium usum, nisi ut tedas inde conficiat, jure suo videtur tedam pro ipsis ramusculis frondosis, quibus Silvanus coronam illi nexuerat, posuisse. *Teda frondens* dici non potest, non enim teda est nisi non frondens: sed hoc Poëticum & pastorale simul est. imo & puerile. Affectata Calpurnio simplicitas elucet maxime ex duobus sequentibus verficulis, nihil enim & re & verbis simplicius fingi poterit. BART.

30. ILLE ETIAM PARVO MIHI] Respexit hunc locum Maronis:

Et dixit moriens, te nunc habet ista secundum.
TIT.

32. AT MIHI FLORA COMAS] Par pari objicit, quomodo facit etiam Menalcas apud Maronem. Siquidem cum Damon dixisset:

Ille (Jupiter) *colit terras, illi mea carmina curae:*

Statim Menalcas subjicit: *Et me Phoebus amat*, Sic Theocritus:

Καὶ γὰρ ἔμ' ἐν πολλῶν φιλεῖ μέγα. TIT.

32. PARIENTI GRAMINE SPARGIT,] Sic Virgilius de arbore dixit:

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor.

Suavius tamen ad meas aures accideret, si *fundit* non *spargit* legeretur. Flora autem & Pomona hortis praesunt: iccirco earum hic meminit Astacus. Nec mihi probatur judicium Scaligeri de epitheto *matura:* quod ego referendum censeo ad pomorum maturitatem, vel *matura annis*, hoc est grandaeva, ut alibi nuncupatur: quomodo Virgilius dixit:

——— ——— *aevi maturus Alethes:*

& Ovidius:

——— ——— *Romulus maturior annis*
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.

Rursus alibi:

Quid numeras annos? vixi maturior annis.

Sic Ausonius:

Maturus aevi nec rudis dijudicem.

& senes inde *maturi* nuncupantur: ut *maturusque senex* apud Horatium. &:

Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis
Aeternum sibi Roma cupit

apud Statium, Graecorum fere exemplo, qui *πεπείρας* pro anu dixerunt. Aristophanes:

Οὐ γὰρ ἐν νέαις τὸ σοφὸν ἔνεστι,
Ἀλλ' ἐν πεπείραις.

Sic per contrarium dixit Maro:

Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

Vel *maturus* id est bonus, unde *Mater Matuta.* Consule Festum in *Manare.* TIT. Gravido dicere vult. Sed nescio quod ulcus hic latere suspicor. Quodvis enim epitheton gramini aptius foret. Sed non dubito *pariens gramen* ob foecunditatem divae Florae dixisse, cum omnis Flos e gramine suo prognascatur. *Pariens* ergo *gramen*, quod jamjam florem excludit. BART.

32. SPARGIT,] Viri Poëticam doctissimi cavere nos cane & angue pejus mandant, ne bre-

 vem

Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.

Ac-

VARIAE LECTIONES JANI. VLITII.

33. *Pomona*] *Peramoena* R. *matura Pomona*, pro pomis. ut *flava Ceres*, pro frugibus. Male haec notat Jul. Caes. Scaliger in Hypercritico.

N O T A E.

vem ponamus in carmine syllabam quam SP. SC. ST. sequantur. Quorum auctoritati ut merito cedimus, atque Observationem dignam tanta eruditione largimur, ita contraria in alta & fideli Antiquitate exempla plura occurrere non diffitemur, quam ipsi arbitrari potuerint. Atque ecce vobis quaedam, cum Calpurnio tuendo ab nota inelegantiae aut barbariei necessaria sint. Optimus & singularis judicii Poëta Petron.

—— —— florida tellus
Cum volo, spissatis arescit languida succis.

Virg.

Ponite spes sibi quisque.

Idem in Ceiri.

Nec fuerat, nisi Scylla novo correpta furore.

Idem Catalectis.

Magni petentes docta dicta Scironis.

Ennius Annali xi.

Alte elata specus.

Ita enim rectissime ad Festum Scaliger. Idem li. xiii.

Pontibus instratis conjunxit littora Xerxes.

quod magis etiam asperum est. Propertius lib. iii.

—— Minoa venumdata Scylla figura.

lib. iv.

Consuluitque striges nostro de Sanguine.

Auctor Moreti:

—— Calcanea scissa rigebant.

Ausonius Profess. ix

Amne Sperchei pariterque nati.

Idem Profess. xxiii.

—— —— quae foedera, stemma quod olim.

Silius Italicus lib. xiv.

—— —— perflataque Strongylus Austris.

Horatius lib. i. Sat. x.

Saepe stilum vertas.

Lucilius lib. x.

Trinis deducere scalis.

Idem.

—— nec uti pygentia scorta.

Idem lib. ix.

—— atque accurrere scribas.

lib. vii.

—— segetem immutasse statumque.

lib. viii.

—— modo stet rectus subtemine pannus.

Ennius Annal. i.

—— Stabilitaque scamna solumque

Silius lib. xiii.

—— quae te via scire superbum.

Ovidius iii.

—— animum quoque spes bona firmat.

Propertius lib. iii.

Nunc ubi Scipiadae classes?

Prudentius.

—— —— pingere Sculptilibus.

Propertius eadem elegia ix. lib. iii.

Brachia spectavi sacris admorsa colubris.

Ovidius ii. de Ponto.

—— —— olentia stagna Palici.

Idem lib. iii. de Ponto Eleg. iv.

Nunc mea scripta legis qui sum submotus ad Istrum.

Avienus in Arato:

—— —— rutilans ubi stella relucet.

Catullus.

—— —— unda Scamandri.

Lucretius lib. vi.

—— —— guttis manantibus stillent.

Idem. iv.

—— —— tecti mellia strata.

lib. vi. rursus:

—— speluncasque videt saxis ingentibus structas.

denuo lib. vi.

Tenuia sputa minuta.

Ovid. iv. Metam.

—— modo vir modo foemina Scyron.

Propertius lib. iv.

Jam bene spondebant tunc omina.

At Lucretio & Propertio castigatiores & politiores in suo genere frustra anquiras Poëtas. Horat. lib. i. Sat. iii.

—— —— non fastidire strabonem.

Ovidius.

Vincere spe vidi qui moriturus erat.

Idem

Accipe, dixerunt Nymphae, puer, accipe fontem,
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.
Id. Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger albae
Ter-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

35. *Nutrire*] Ita P. & MSS. Tit. *mutare* al. o. *Hortos*] *Ortus*, & supra, *fontes* MSS. Tit.

NOTAE.

Idem lib. III. El. II. de Ponto.
Saepe creat molles aspera spina rosas.
Manilius lib. II.
—— —— *sequi vadimonia sponsi.*
Statius Achill. I.
—— *sparsosque studet componere crines.*
Lucretius lib. IV.
Unde sciat quid sit scire & nescire.
Idem ibid.
Endo statu prior haec.
Lucanus:
—— —— *nil agimus nisi sponte Dei.*
Horat.
—— —— *quocunque in fornice stantem.*
Sidon. Narb
—— —— *duratum pede stipitem flagellat.*
&c.

nam alteram tantam vim Exemplorum congerere poteram, & scit esse jam olim observatam mihi Frid. Taubmanus seculi poëta, ad quem mecum ista de re altercantem memini aliquam multa misisse. Non negem tamen melius esse vitare haec quam admittere, praecipue cum videam potissimum Grammaticum Terentianum Maurum idem sentire, non tamen ut crimen censeam raro usurpare. Ad Argumenta quae in contrarium Melissus, Gruterus, Taubmanus, aliique protulere, tum respondebo, cum ipsi hanc vim exemplorum confutaverint. BART.

35. Nam potes irriguis] Canalibus, per quos aqua ducitur ad hortos irrigandos. Colum.
Vicini quoque sint amni, quos incola clarus
Attrahat auxilio semper sitientibus hortis,
Aut fons illachrymet putei non sede profunda,
Ne graves haustoris tendentibus ilia vellat.
Horat.
Irriguo nihil est elutius horto.
Tibull.
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Propert.
Et circum irriguo surgebant lilia prato.

Candida. Ovidius sic:
Ipse potes riguis plantam defigere in hortis
Ipse potes rivos ducere lenis aquae.
Facit ad hunc locum, quod scriptum reliquit Aristoteles de partib. animal. lib. III. Ibi: Ἔστιν δ' ὥσπερ ἐν τοῖς κήποις αἱ ὑδραγωγίαι κατασκευάζον) ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ πηγῆς, εἰς πολλοὺς ὀχετοὺς καὶ ἄλλους ἀεὶ πρὸς τὸ πάντη μεταδιδόναι. Alicubi *fontes* pro *fontem* exaratum reperi, & *nutrire* pro *mutare*, quod ferme rectum puto: sed & *ortus* pro *hortis* non respuerim hac mente. Siquidem potes hortum irrigando olerum ortum accelerare, ut quae sua vi ac natura serotina sunt, praecocia fiant; denique ut nunquam olera non sufficiant, sic dicet inferius: *semper olus metimus, nec bruma, nec impedit aestas.* TIT. Illud *mutare* admonuisti repertum alicubi a te *nutrire*, sed utri lectioni magis adhaereas judicare non possum, judicium enim tuum in ambiguo mihi est. Nos *mutare* nequaquam mutandum esse censemus, nisi si *ortus* tuos probando magis quam *hortos*, *maturare* malimus quam *mutare*, non inepta sententia & voce: sed *mutare* sensum reconditum, & olitoribus valde gratum reddit; virtus enim horti, & olitoris compendium est, posse eodem anno, atque eadem in area horti diversas ac diversas sationes, & plantationes facere, ubi dudum fuerant lactucae, betas inde vel caepas exempli causa colligere, hoc sine aquarum & canalium liberali beneficio jugique irrigatione fieri nequit. MARTELL. Qui irrigant, non irrigantur, adde *Irrigui* vocem iis, quae observat Agellius duplicis potentiae libro IX. cap. XII. Vide & quae ad Claudiani Epithalamion Honorii notavimus. BART.

36. Cultum gregis,] Virg.
—— —— *quae cura boum, quis cultus habendo*
Sit pecori.
Quod est argumentum tertii libri. Itaque ejus initio Palem invocat:

Terga maritus ovis nafcenti mutet in agna,
Quae neque diverfi fpeciem fervare parentis
Poffit, & ambiguo teftetur utrumque colore.
As. Non minus arte mea mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, & non genitalia poma.
Ars mea nunc malo pira temperat, & modo cogit

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

39. *Colore*] *Calore* V. A. B.
41. *Genitalia*] Ita R. & P. *Gentilia* al. o. Vide ad Olymp. Cyneg. verfu CCLX.

NOTAE.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Paftor ab Amphryfo.

Eft enim Pales Dea pabuli. TIT.

36. Ut niger albae] Videndus eft ad hanc rem, praeter caeteros, Columella lib. VII. cap. II. & eo, quod hoc proxime confequitur. Virgilius ait:

Illum autem quamvis aries fit candidus ipfe,
Nigra fubeft udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infufcet vellera pullis
Nafcentum.

Vidit hoc etiam Ariftoteles περὶ ζώων ἱστορίας cum dixit: λευκὰ δὲ τὰ ἔκγονα γίνεται καὶ μέλανα, ἐὰν ὑπὸ τῇ τοῦ κοῦ [κριῶ] γλώττῃ λευκαὶ φλέβες ὦσιν ἢ μέλαιναι· λευκὰ μὲν, ἐὰν λευκαί. μέλανα δὲ, ἐὰν μέλαιναι. ἐὰν δὲ ἀμφότεραι, ἀμφότερα, πυῤῥὰ δὲ ἐὰν πυῤῥαί. Idem quoque fic alicubi fcriptum reliquit: μεταβάλλουσι δ' ἔνια τῶν ζώων τὰς χρόας τῶν τριχῶν κατὰ τὰς τῶν ὑδάτων μεταβολάς. ἔνθα μὲν γὰρ λευκὰ γίνεται, ἔνθα δὲ μέλανα. & reliqua. Confule etiam Plinium lib. XXXVII. cap. II. & alicubi Varronem. Legimus hiftoriam in facris Bibliis de variatis Virgis Jacob. TIT. Ut niger maritus ex alba ove verficolores edat agnos. Ipfe Maro non poterat luculentius hoc proferre. Plane divinum eft. BART.

40. Mutabilis induit arbos] Loquitur de Infitione, de qua plura reperias apud rei rufticae fcriptores. Porro caute additum fuit verbum *mutabilis*, ut intelligamus videlicet non poffe omne genus furculorum omni arbori inferi, fed neceffe eft ut furculus arbori, cui inferitur, cortice fimilis fit: quamquam Columella lib. 5. hanc veterum opinionem falfam effe demonftret. Mirum quippiam narrat Plinius de arbore tilia a fe olim vifa juxta Tiburtes. Confule etiam Julianum parabatem epiftola quapiam, nec non Clementem Alexandrinum Stromatum libro VI. qui quatuor infitionis genera enumerat. De eadem fic eft apud Virgilium:

Inferitur vero ex foetu nucis arboris horrida,
Et fteriles platani malos geffere valentes;
Caftaneae fagos, ornufque incanduit albo
Flore piri, glandemque fues fregere fub ulmis.

Ovidius ait:

Veneris infitio, fac ramum ramus adoptet,
Stetque peregrinis arbor operta comis.

Infignis locus exftat apud Ovidium Metam. XIV. ab illo verfu:

Rege fub hoc Pomona fuit;

& caetera: quem omnino confulas velim. TIT.

41. Et non gentilia poma.] Factus eft hic Verfus ad imaginem illius Virgilii:

Miraturque novas frondes, & non fua poma.

Sic etiam dixit Columella:

—— —— aut aliena ftirpe gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos.

Alicubi legebatur *genitalia*, quod probant docti viri. TIT.

41. Non genitalia] Infitiva. *adulterina* dicit Optatus Afer lib. VI. Contra Parmenian. *Infertiva* Calpurnius Flaccus Declam. XXIV. *Aliena* Palladius.

Nam quaecunque virens alienis frondibus arbos
Comitur, his difcit credita ferre modis.
BART.

42. Malo pira temperat,] Quod γενικῶς pronunciaverat, nunc pofito exemplo particulatim declarat. Sic Virgilius:

Et foepe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque infita mala
Ferre pirum, & prunis lapidofa rubefcere corna.

Quomodo fortaffe intelligendus eft ille alter locus:

Insita praecoquibus surrepere persica prunis.
ID. Me teneras salices juvat aut oleastra putare,
Et gregibus portare novis, ut carpere frondes
Condiscant, primoque recidere gramina morsu,
Ne depulsa vagos quaerat foetura parentes.

As.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

45. *Novis, ut*] Ita ego. Vide supra ad Gratii Cyneg. vs. CCCVII. *novas ut carpere frondes* omn. Edd.

NOTAE.

cus:

Insere nunc Melibaee pires, pone ordine vites.

Propertius ait:

Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus, invito stipite, mala tulit.

Ovidius Elegia de Medicamine faciei:

Cultus, & in pomis succos emendat acerbos,
Fissaque adoptivas accipit arbor opes.

Manilius,

Atque arbusta vagis essent quod adultera pomis.

Vide Palladium. TIT. Palladius lib. XIII. cap. de piro.

Nunc teretem pingui producit acumine malum.

Idem:

Hujus & immissi vertere cydonia rami,
Pomaque confusus blanda creavit odor.

Idem:

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat; Malus amica, pirum.
BART.

43. PRAECOQUIBUS SURREPERE PERSICA PRUNIS.] Praecocia poma dicuntur immatura, vel quae ante justum, ac legitimum aliorum ejusdem generis tempus maturescunt. De persicis inquit Plinius: *Post autumnum maturescunt, aestate praecocia intra triginta annos reperta.* Idem scribit in prunis sylvestribus insitiones fieri persicorum. Est aut *subrepere* tacite insurgere, ut fere non sentiatur. Quod vero hic verbum *inserere* usurpatum videmus, quomodo & apud Propertium loco superius indicato, Columella de eadem re loquens usus est verbo *adoptare.* Ovidius utrumque sumpsit dicens:

Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet;
Stetque peregrinis arbor operta comis.
Cultus & inprimis succos emendat acerbos.
Fissaque adoptivas accipit arbor opes. TIT.

43. SURREPERE] Elegantissime, quasi furto aut clam: Petronius.

Surrepsi tamen & male repugnanti gaudium extorsi.

Terentianus Maurus.

Qua potui tamen obrepens incepta peregi. BART.

43. PERSICA PRUNIS.] Palladius de Persico.

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus.

Quid praecoquibus prunis opus sit fieri, idem Palladius testis lib. II. c. XV. *Persica* in Persia lethalia fuisse ornatissimis versibus scribit Columella lib. X. BART.

44. ME TENERAS SALICES] Meminit salicis, quia ea ovibus gratissima est. Virg.

——— ——— *non me pascente capellae*
Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.

Rursus:

Dulce satis humor, depulsis arbutus hoedis,
Lenta salix foeto pecori.

Nemesian.

——— ——— *dum salices hoedi, dum gramina Vaccae*
Detondent.

De alendis autem ovibus recens natis haec tradit Columella: *Agni cum firmi esse coeperint, pascendi sunt intra stabulum Cythiso, vel Medica, tum etiam furfuribus, aut, si permittit annona, farina hordei, vel ervi.* idem ferme ad verbum scribit Palladius. TIT.

44. OLEASTRA] Non memini alibi *oleastrum* in genere neutro positum observare. BART.

47. NE DEPULSA VAGOS] Depellere est ablactare. Virg.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hoedis. TIT.

47. QUAERAT] Desideret. Petronius.

——— ——— *quaeque virum quaerunt*

Idem.

Quaerit se natura, nec invenit. sic infra v. 51.
BART.

47. FOETURA] Varroni *fetura* lib. II. de RR.

a

As. Et mihi cum fulvis radicibus arida tellus
Panditur, irriguo perfunditur area fonte,
Et satiatur aqua, succos ne forte priores
Languida mutatâ quaerant plantaria terra.
Id. O si quis Crotalem deus adferat! hunc ego terris,
Hunc ego sideribus solum regnare fatebor:
Decernamque nemus, dicamque, sub arbore numen
Hoc erit, ite procul (sacer est locus) ite profani.

As.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

48. *Arida*] Leg. *altera tellus*, ex R. ut postea dicit, *mutata terra*. cum arbores transplantantur.
49. *Panditur*] *Pangitur* cit. Tit.
54. *Decernamque nemus*] *Dicam namque* R. V. A. B. F.
55. *Hoc erit*] f. *Dicamque (sub arbore numen Hâc erit) Ite*, &c. *Hâc* [illegible]. Ita *sacra fagus* Ecl. I. sub qua sacrarium Fauni.

NOTAE.

a tempore conceptionis usque ad partum. Sed heic pro lactentibus foetibus ponitur. Virgil. Eclog. VII.

Si foetura gregem suppleverit, aureus esto. BART.

48. Fulvis radicibus] Cum tellus hortensis rastris, vel ut Columella loquitur, *olatris* inversa est, ait se rivos ei inducere. Vide eum libro X. BART.

49. Panditur,] Est qui legat *pangitur*, quod non probo. Inquit Astacus, se, cum terra nimio calore fissuras ducit, ita ut arborum, herbarumque radices nudas ostendat, hortum irrigare solere, plantariaque eo pacto recreare, ne areant. TIT.

49. Irriguo perfunditur area fonte,] Supra vocavit canales *irriguos*, de qua re videnda sunt, quae scribit Laurentius Valla Dialogi lib. I. in Pogium ab illo loco. Pog.

Habes hortum egregium, in quo est fons irriguus. Guar.

Ah Pogi, fontem irriguum dicis, quid appellares hortum?

& reliqua. Cato ait de re rustica: *secundo loco hortus irriguus.* TIT.

49. Area] Planicies horti. Columella.

Aggere praeposito cumulatis area glebis
Eminet ———

Et *area* quaevis planicies. Petronius de calvitie.

Areaque attritis ridet adusta pilis. BART.

50. Satiatur] Columella.

——— ——— *semper-sitientibus hortis.*

Idem.

Terra bibat fontes & hiantia compleat ora. BART.

50. Succos ne forte priores] Iis qui arbores in aliud solum transferunt, praeter caetera hoc potissimum curandum est, ut quantum fieri potest, solum, in quo planta traducitur solo, ex quo traducta est, simile reddant irrigatione, stercoratione, omni denique cultura, artisque remediis, ut docent rei rusticae scriptores. TIT.

51. Mutata terra.] Praecipit hoc etiam Columella, ne assuefiant alii terrae plantae, quam est propria.

——— ——— *sicco ut consuescat pulvere planta*
Nec mutata loco siccos exhorreat aestus. BART.

53. Hunc ego sideribus,] Hunc ego vere Deum esse profitebor, coeloque, & terris ipsum dominari praedicabo, dicuntur enim Dei *terrarum domini*. Horat.

Terrarum dominos evehit ad Deos. TIT.

54. Dicam namque nemus,] Qui ad consecrationis ritum verba haec referunt, dupliciter peccant. Nam & coniugationis, quam vocant grammatici, ordinem pervertunt, cum *dicabo* dicendum fuisset, & syllabe modulum negligunt, qui in *dicare* brevis est, cum in *dicere* protendatur. TIT.

55. Ite procul] Verba in sacris usurpari consue-

As. Urimur in Crotalen: si quis mea vota deorum
Audiat, huic soli, virides qua gemmeus undas
Fons agit, & tremulo percurrit lilia rivo,

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

56. *In Crotalen*] *In Crotale*, Nic. Heinsius.
57. *Huic soli*] *Huic similis* V. A. B. F.

N O T A E.

sueta, cum βέβηλοι καὶ ἀμύητοι praeconis voce a sacris arcebantur, & (ut ita dicam) e templo eliminabantur. Virgil.

——— ——— procul o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Horat.

Odi profanum vulgus & arceo.

Plato in Theetheto: ἄθρει δὴ περισκοπῶν μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ. Verum hac de re plura notata reperias in iis libris, quos de Ritibus sacrorum ethnicorum confecimus. TIT.

55. ITE PROFANI.] Eleusiniorum per praeconem haec erat proclamatio, quam deinde ad omnia sacra transtulere. Vide notata Brissonio lib. I. Formularum. BART.

56. URIMUR] Ovid.

Uror ut inducta ceratae sulfure taedae.

Asclepiades.

Τήκομαι ὡς κηρὸς γὰρ πρὸς πῦρ κάλλος ὁρῶν. BART.

56 IN CROTALEN:] Frustra contra omnium Editionum fidem mutat in CROTALE hoc eruditissimus Modius, cujus beatis manibus aeternam pacem precor. *In* praepositio promiscue veteribus usurpabatur, nunc cum Accusativo nunc Ablativo, ut loqui amant Grammaticorum pueri, casu. Exempla sunt ubivis veterum & probatorum scriptorum obvia, maxime in libris Jureconsultorum. Et in MSS. libris Digestorum ita legitur. in. l. II. §. XXXI. de Orig. Jur. in L. XVII. de Pactis. L. XIII §. VI de Acceptilat. L. XIII de Bonor. possess. L. XLI. in princ. de fideic. Libert. L. XVIII. de Stipul. Servor. L. XI. de Minor. L. XXXIV. de Negotiis Gest. L. VIII. de Pollicitat. L. IX. de Acquir. Poss. L XXXV. de Obl. & A. L. III. §. XI. de Suis & Legit. L. XL. de Adoption Quorum capitum verba qui aliter concinnant, injurii sunt in reverendam Antiquitatem. Alia habes apud Gifan. Ind. Lucret. Popmam ad Catonem, Turnebum, alios. BART.

57. HUIC SIMILIS,] Non video, quid causae sit, cur vocem *similis* in vocem *soli* convertamus: itaque nihil mutandum statuo. Est autem sensus: si quis deus voti me compotem fecerit, huic ego similem alterum ex fago dolatum dicabo: vel proferuntur haec verba ab Astaco respiciente Fauni signum in luco positum, quod ab aliquo nobili artifice elaboratum esset, cui alterum aeque absolutum se Deo illi consecraturum pollicetur. TIT.

57. GEMMEUS UNDAS] Διάφανος, pellucidus gemmae instar, particulatim Smaragdi, quare additum est *virides undas*. Tibullus:

O pereat quicunque legit viridesque Smaragdos.

Ovidius undas appellavit *vitreas* ab eadem perspicuitate, & *vitream* pruinam epistola Ariadnae ad Theseum. Sic etiam Horatius:

O fons Blandusiae splendidior vitro. TIT.

Crystallinus. Theocritus in Dioscuris.

——— ——— αἱ δ' ὑπένερθεν
Ἄλλαι κρυστάλλῳ ἠδ' ἀργύρῳ ἰνδάλλοντο.

Alcimus Avitus lib. I.

Hic fons perspicuo resplendens gurgite surgit,
Talis in argento non fulget Gratia: tantam
Nec Crystalla trahunt nitido de frigore lucem.
BART.

58. TREMULO PERCURRIT LILIA RIVO,] Hanc fluentis aquae ὑποτύπωσιν ita expressit Horatius:

——— ——— qua obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

Rursus alibi:

——— ——— unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

Et Epod.

——— ——— montibus altis
Levis crepante Lympha desilit pede.

Et in Epist.

Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum. TIT.

Mmm 59. In-

Inter pampineas ponetur faginus ulmos.
Id. Ne contemne casas, & pastoralia tecta:
Rusticus est (fateor) sed non est barbarus Idas.
Saepe vaporato mihi cespite palpitat agnus,
Saepe cadit festis devota Parilibus agna.
As. Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti
Mit-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

61. *Sed non est*] *Sed non &*, Nic. Heinsius.
63. *Parilibus*] *Palilibus* R. V. A. B. F. rectius.

NOTAE.

59. Inter pampineas] Inter ulmos vitibus maritatas. Catullus:

At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,

loquitur de vite. Horat.

Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo.

Virg.

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

Item alibi:

Quid faciat laetas segetes, que sidere terram
Vertere Maecenas, ulmisque adjungere vites
Conveniat. TIT.

59. Faginus] *Faginum* pro fago dixit, ut Varro *humanum* pro homine,

——— ——— *& humano major Cato.*

Et Lucret. lib. III.

——— ——— *mortis formidine vitae*
Percipit humanos odium.

Ita & Naevius. *Ulmos* vocat *pampineas*, quia pampini iis subligari & adduci consueti. Ali maxime vitem ab ulmo tradit Columella c. XVI. de Arb. BART.

60. Ne contemne casas,] Mutuo sumptum ex Marone: neque enim dubium est, quin ad illud carmen allusum sit:

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas. TIT.

62. Cespite] Arae enim rusticae ex cespitibus congestis construebantur. Horat. lib. III. Carm. VIII.

——— ——— *positusque carbo in*
Cespite vivo. Ecl v. vers. 25. BART.

62. Palpitat agnus,] Tale ferme est Virgilianum illud:

——— ——— *pecudumque reclusis*
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Porro quod hic ait Calphurnius *vaporato cespite*, intelligo de Vapore Thuris, non de flamma, quae aram circumdederit, ut quidam interpretantur: notum est enim thus in sacrificiis adhiberi consuevisse, unde *Thuricremae arae* apud Maronem. Sic etiam dixit Horatius:

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, Thuraque.

&:

Vocantes Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Rursus:

Et Thure, & fidibus juvat
Placare, & vituli sanguine debito
Custodes Numidae Deos.

Caeterum verbo *vaporare* usus est quoque Statius ibi:

——— ——— *vaporatis lucent altaribus ignes.*

Sed & Lucretius, & Horatius idem alicubi usurparunt; & ex nostris Petrus Bembus in illo:

Vaporan più d'un tempio, è fan lor voti.

Hinc Nemesianus *thus vaporum* usurpavit ibi:

——— ——— *ter thure vaporo*
Lustravit. TIT.

63. Festis devota Palilibus agna.] *Palilia*, vel Parilia dicebantur festa in honorem Palas, quae XII. Kal. Maji celebrabantur, uno die antequam Roma condita esset. Plutarchus in Romulo. de ipsis ita est apud Propertium:

Urbi festus erat, dixere Palilia patres:
Hic primus cepit moenibus esse dies.

Consule etiam Tibullum elegia v. lib. II. TIT.

63. Palilibus] Vide Servium. Georgico. III. BART.

64. Nos quoque pomiferi] Sic etiam Tibullus:

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus
Libatum agricolae ponitur ante Deum.

Tibullus appellavit hortum *pomosum* eodem sen-

Mittere primitias, & fingere liba Priapo:
Rorantesque favos damus, & liquentia mella.
Nec fere grata minus, quam si caper imbuat aras.

Id.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

65. *Fingere*] Ita P. & MS. Tit. *fundere* R. & MS. Tit. alt. *Fingere* V. A. B. F. Mod. & Casaub. ad Suet. *farrea liba Priapo* cit. Bart.

66. *Favos*] Ita P. Mod & Martell: *Rorantes fagos* al. omn. Vide Cyneg. Nemes. vs. cccLXX.

67. *Nec fere*] Ita R. vide ibid. *fero* P. & Mod. *fore* V. A. & Bart. ex G.

NOTAE.

sensu:

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis. TIT.

64. Laribus horti] Florae & Pomonae, Priapoque. *Lares* enim non sunt aedium solum, sed & aliorum locorum tutelares Dii. Ut *lares marini* apud Varronem Sesqui Vlyxe, & Livium libro XL. *Lares viales* apud Plautum Mercatore. *Lares urbium* apud Capellam libro II. & Censorinus cap. III. de die Natali eosdem *Lares* & *Genios* esse auctor est, ut tot sint Lares quot res fere insigniores, & *Manes* eosdem cum Laribus deos auctor Festus. BART.

65. Et fingere liba Priapo:] Erat *fingere* in uno manu descripto codice, in altero legebatur *fundere*: sed ut de mero probe fundere dicatur. de libo fortasse non ita. Virgilius inquit:

Sinum lactis, & haec te liba Priape quotannis
Exspectare sat est. TIT.

Placet mihi mirandum in modum correctio, quam in uno manuscripto codice repertam a te ais, *fingere*. ubi erat *figere* vel *fundere*. Nam ut *fundere* locum non habet in re minime liquida, vel non pro liquida sumpta, & ut liba quae in usum cibarium veniunt non bene affiguntur ut pictae tabulae reliquaque anathemata parietibus sacris affigi & suspendi consueverunt: ita *fingere* in libis, quae Priapo dicarentur, dici vix potest quantum mihi arrideat. Ac sane cum libum (M. Catone Magistro) potissimum fiat ex farina similacea, de libo (sicut in placentis nostris usuvenit) effingere quicquid volumus, & in quamcunque formam volumus proclive est. Quae vero hortorum, ac deliciarum Deo forma vel effigies maxime grata foret intelligi malo ab aliis, quam explicari a me. Itaque venustissime dictum fuit:

Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo.

MARTELL.

Lib. Veteres. *figere.* quod probat Casaub. ad Sueton. BART.

65. Liba Priapo:] Eo allusit auctor incertus in Phallicis.

Quicunque vestrum, qui venitis ad coenam,
Libare nullos sustinet mihi versus. Vide v. LXXI. BART.

66. Rorantes fagos] Vel aërio melle madentes, vel etiam melle ipso conspersas, cui posteriori sententiae convenit Maronianum illud de apibus:

Saepe etiam effossis (si vera est fama) latebris
Sub terra fodere lares, penitusque repertae,
Pumicibusque cavis, exesaeque arboris antro.

Ac, ut in variis arboribus favos construere soleant apes, fagus tamen, nescio quo pacto, ab ipsis magis appeti ad eam rem videtur, quocirca sic ait Claudianus:

——— ——— *credas examina fundi,*
Hyblaeum raptura thymum, cum cerea reges
Castra movent, fugitque cavo dimissus ab alvo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis. TIT.

Ne cogamur vaticinari, potius quam interpretari, non *fagos* legimus sed *favos*; numeri autem ergo, quod alioqui ductus verborum exposcebat, addita copulativa, legimus *rorantesque faves.* quantum vero laevissima isthaec mutatio habeat venustatis & congruentiae (etiam tacente me) noverunt omnes. MARTELL.

66. Liquentia mella.] Desaecata & pura. Virgil.

——— ——— *aut cum liquentia mella*
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Etenim non Servius modo, sed ipsemet Virgilius hanc vocem ita declarare videtur:

——— ——— *aliae purissima mella*
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.

TIT.

67. Nec fere] Ita rescripserunt qui novissi-

Id. Mille sub uberibus palanteis pascimus agnas:
Totque Tarentinae praestant mihi vellera matres:

Per

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

68. *Palantes*] Sic R. P. *ballantes* V. *balantes* A. F. Bart. & Nic. Heins. ex Virg. Aen. IX. *tuti sub matribus agni Balatum exercent.*

69. *Vellera*] Ita R. V. A. F. *vellere* P.

NOTAE.

me Poëtam hunc publicarunt auctoritate V. C. Modii, ut ille ait; At veteres Editiones longe elegantiorem & digniorem Calpurnio scripturam praeferunt. *Nec fero grata minus.* Quam nos reducimus summo studio atque auctori redonamus suo. Elegantissima autem omissio est vocis *speramus* vel *spero*, cum nondum bene finem hoc sermoni imponente, alter juvenculus irrumpat cantum. Nihil hac lectione venustius excogitari possit. De Omissionibus verborum talibus vide Popmae gemmeum geminum libellum libro II. cap. XI. de usu Antiquae Locutionis. Sic verba aliquoties eleganter omittit Apulejus noster libro IV. *quae diebus ac noctibus nihil quicquam rei, quam merum saevienti ventri tuo soles aviditer ingurgitare.* Deest *agis* vel *geris*. Eodem libro *clamore ludunt, strepitu cantillant, conviciis jocantur, ac jam caetera semiferis Lapithis Centaurisque similia.* Omissum est, *geruntur*. Idem libro VII. *vestemque lautiusculam proferunt, sumeret abjecto centunculo divite.* Omissum est, *orantes* vel, *rogantes*, vel aliud quid tale. Sed omnem dubitationem tollit hujus phraseos auctor Virgil. Aen. I.

—— —— sic nam fore bello
Egregiam & facilem victu per secula gentem.

Idem libro IX.

—— —— confestim alacres admittier orant.
Rem magnam, pretiumque morae fore ——

Deest; *confirmantes*, aut, *asserentes*. BART.

67. Caper imbuat aras.] Phrasis Virgilii, sic enim ille:

—— —— —— illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus

Hic noster:

—— —— tepidos tunc omnia cultros
Imbuat.

Catullus vero dixit:

Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hircus, cornipesque capella.

Theocritus simpliciter:

Βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος. TIT.

68. Mille sub uberibus] Numerus finitus pro infinito vulgata figura. Virg.

Mille meae Siculis errant in montibus agnae.

Nemesian.

—— —— scis mille juvencas
Esse mihi.

Theocrit.

Ἀλλ' αὐτὸς τοιοῦτος ἐὼν, βοτὰ χίλια βόσκω.

Consule Ovidium Metam. lib XIII. ubi Polyphemus de Galatea conqueritur: vel *mille* dixit, ut majorem gregem, qui simul stabulari possit, significaret. Nam Columella lib. VII. hac de re ita inquit: *sed numerum generis hujus majorem, quam centum capitum sub uno clauso non expedit habere, cum lanigerae mille commode stabulentur.* Quod autem in hoc nostro legitur *balantes*, alicubi spectabatur *palantes*. TIT.

68. Palanteis] Puer videat rescribendum esse: *balantes*, quod mirum non correxisse novitium Editorem, virum aliarum rerum sagacissimum. *Praestant mihi vellera.* Virgilianum est, ne quis in *vellera* commutet. *Palanteis agnae sub uberibus*, monstrum est. de ovibus Tarentinis Columella libro VII cap. II. & alibi. BART.

69. Totque Tarentinae] Tarentini pecoris vellus omnium mollissimum erat, quod in causa fuit, ut ejus hic particulatim meminerit Calphurnius: de ipso ita reperias apud Columellam: *Generis eximii Milesias, Calabras, Appulasque nostri existimant, earumque optimas Tarentinas.* Rursus eodem libro: *Graecum pecus, quod plerique Tarentinum vocant, nisi cum domini praesentia est, vix expedit haberi, siquidem & curam, & usum majorem desiderat. Nam cum sit universum genus lanigerum caeteris pecudibus mollius, tum ex omnibus Tarentinum est mollissimum, quod nullam domini aut magistrorum inertiam sustinet, multoque minus avaritiam, nec aestus nec frigoris patiens.* TIT.

70. Per

Per totum niveus premitur mihi caseus annum.
Si venias, Crotale, totus tibi serviet hornus.
As. Qui numerare velit, quam multa sub arbore nostra
Poma legam, citius tenues numerabit arenas.
Semper olus metimus; nec bruma, nec impedit aestas,

Si

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

71. *Si venias*] Ita P. *venies* hic & inf. R. V. A. B. F. *Tibi*] Ita B. F. P. *mihi* V. A. G. *Ornus*] Ita R. & P. *annus* V. A. B. F.

73. *Arenas*] Ita R. & P. *aristas* V. A. B. F.

NOTAE.

70. Per totum niveus] Dixi in Commentariis ad Nemesianum hujus poëticae *φαντασίας* auctorem fuisse Theocritum, cum ait:

Τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ,
Οὐ χειμῶνος ἄκρω.

Quem locum sic reddidit Maro:

Lac mihi non aestate novum, non frigore desit.

Ovidius sic:

Lac mihi semper adest niveum, pars inde bibenda
Servatur, partem liquefacta coagula durant.

Sed tamen Homerus ita cecinit in Odyssaea:

Ἀλλ' αἰεὶ παρέχουσιν ἐπηετανὸν γάλα θῆσθαι.

Appellavit autem *caseum niveum* ex ejus nativo colore. Sic Virg

Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.

Nisi sit *pecoris nivei*, non *lactis nivei*. Marcus Varro in Satyra Andabata:

Candidum lacte papilla cum fluit, signum putant partuis.

Tibull.

Et nivei lactis pocula mista mero.

&:

Mox etiam niveo fundere lacte parant.

Athenaeus: *Κλέαρχος φησὶ τὸ μὲν ὕδωρ ὥσπερ καὶ τὸ γάλα λευκὸν λέγεσθαι, οἶνον δὲ, καθάπερ τὸ νέκταρ, ἐρυθρόν.* Sed in lacte perpetuum est epithetum, in caseo temporarium. Porro hic praetereundum non fuit in quibusdam codicibus legi *hornus* pro *annus*, quae tamen vox illi alteri notione respondet; significat enim praesentis anni, quod & hornotinum dixit Cicero Verrina de anteactis. Horat.

Si thure placaris, & horna
Fruge lares, avidaque porca.

Rursus Epod.

Et horna dulci vina premens dolio.

Propert.

Illa dies hornis caedem denunciat agnis.

Mihi tamen vulgata scriptura magis arridet, quoniam videam vocabulum *hornus* non nisi adjective (ut ajunt) usurpari, quomodo igitur dixerit Calphurnius:

——— ——— *totus mihi serviet hornus?* TIT.

71. Tibi serviet] Veteres Editiones habent. *mihi*. Totus hornus annus mihi serviet, si venies, Crotale, plane se ait felicem futurum ejus adventu. Haec lectio videtur mihi praeferenda alteri illi recens natae; plus enim ad rem facit & mores pastoritios. BART.

71. Hornus.] Intellige, proventus lactis & casei, atque horna foetura annorum, nec minus Lanificina. *Hornum* dixit ut fiat collusio vocum; nam Astacus *hortum* dicet. Superior lectio *&* *mihi*, non proba est cum v. 75. intueor. BART.

73. Citius tenues numerabit arenas.] Quod tamquam *ἀδύνατον* intelligi vult. Facit huo illud Catulli:

Nam si densior aridis aristis
Sit nostrae seges osculationis.

Ovidius ait:

Cyniphiae segetis citius numerabis aristas,
Altaque quam multis floreat Hybla thymis.

Neque hic tamen consentiunt exemplaria: in quibusdam enim legebatur *arenas*, quod ferri potest, earum namque numerus infinitus propemodum est. Horat.

Te maris & terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta.

Catull.

Ille pulveris Erythraei, siderumque micantium
Subducat numerum prius.

Malo tamen *aristas*, quoniam res agitur inter pastores. TIT.

74. Olus metimus;] Hinc clarum quam in

 ini-

Si venias, Crotale, totus tibi serviet hortus.
Id. Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,
Sume tamen calathos nutanti lacte coactos.
Vellera tunc dabimus, cum primum tempus apricum
Surget, & a tepidis fiet tonsura Kalendis.
As. Et nos, quos etiam praetorrida munerat aestas,
Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,

Ca-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

75. *Venias*] *Venies*, iterum V. A. B.
77. *Sume*] Ita R. & B. *Summo* A. P. *Summo tamen calathos mutanti* V.
79. *Fiet tonsura*] *Surget tonf.* R.
81. *Renidenti*] Ita P. & Martell. *renitenti* al. omn. *Chias*] *Thilas*, & v. 83. *echinni* R.

N O T A E.

initio eclôgae hujus *messem* dixerit, nempe Olearum. BART.

74. Nec bruma,] Opponit ei, quod statim dixerat Idas:

Per totum niveus premitur mihi caseus annum.
TIT.

75. Totus tibi serviet hortus] Ovid.
——— ——— *omnis tibi serviet arbos.* TIT.

77. Sumo tamen calathos] Non hoc ex nihilo dictum accipere oportet, nimius enim aestus ovium ubera exhaurit. Virg.

Cogite oves pueri, si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis. TIT.

Scribe, *sume*, offert enim amasiae calathum. Quod responsio Astaci arguit. Caeterum *nutans lac* elegantissima rusticitate pingue illud & concretum dicit, quod semper quasi lapsabundum & fluibundum videtur. Eleganter descriptum Ecl. v. vs. lxv. Nemes. Ecl. ii. *perfeci calathos cogendi lactis in usus.* In Calathis tale lac ferri consultum docemur a Servio, quem vide iii. Georgico. Qui idem *Calathum* Latine quasillum autumat in Eclogas. *Calathi coguntur nutanti lacte* cum eo ad superficiem usque onerantur & implentur. BART.

77. Nutanti lacte] Supra vocavit *tremulum* eadem mente. TIT.

79. Fiet tonsura Kalendis.] Intelligo Calendas Martii, tunc enim ver ad aestatem inclinare incipit, quo tempore tonderi pecus commodissimum est, auctore Columella, cujus haec sunt verba: *Tonsurae certum tempus anni per omnes regiones servari non potest, quoniam nec ubique tarde, nec celeriter aestas ingruit, & est modus optimus considerare tempestates, quibus ovis neque frigus, si lanam detraxeris, neque aestum, si nondum detraxeris, sentiat.* Varro sic ait: *tonsurae tempus inter aequinoctium vernum, & solstitium, cum sudare inceperunt oves, a quo sudore recens lana tonsu succida appellata est: oves istas tondent circiter ordeaceam messem, in aliis locis ante foenisecia, quidam has in anno bis tondent, ut in Hispania citeriore, ac semestres faciunt tonsuras.* TIT.

80. Etiam] Non cedit Idae jactanti aestiva sua dona. BART.

80. Munerat] Muneribus ditat atque locupletat. Terentius Heauton. *Munerarier Ancillas primum ad dominas qui affectant viam.* *Munero* exstat apud Diomedem lib. i. Gramm. Donatum in Editione Secunda, P. Consentium in Arte. Utrumque *munero* & *munerer* agnoscit Priscianus lib. viii. BART.

81. Mille renitenti] Ficorum genus gratissimum; de quibus Martialis:

Infanti melimela dato, fatuasque mariscas,
Nam mihi quae fuerit pungere, Chia sapit.

Illius saporem idem Poeta expressit in Xeniis:

Chia seni similis Baccho, quam Setia misit,
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

Non desunt, qui legant *renidenti cortice*, quod mihi tamen non persuadent. TIT. Non persuadent tibi, mi Titi, qui retinent hic libentius *renidenti* quam *renitenti*. Sed persuasissent (puto) si tibi succinuissent ilico, quod ipse nunc (te non dubito applaudente facio) optimae & oportune lectae fici notas, quarum una est, nec

in

Castaneasque nuces totidem, cum sole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.
Id. Num, precor, informis videor tibi? num gravis annis?
Decipiorque miser, quoties mollissima tango
Ora manu, primique sequor vestigia floris
Nescius, & gracili digitos lanugine fallo?
As. Fontibus in liquidis quoties me conspicor, ipse

Ad-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

84. *Annis?*] *An num?* V. A. B. *annum* F. *annis Decipiorque* Bart. ex G.
85. *Decipiorque*] *Decrepitusque* R. *Decipior miser? ô quoties* Bart. ex G.
87. *Gracili*] *Fragili* R. & Gronov.
88. *Conspicor, ipse*] Ita ego. *conspicor ipse*, *Adm.* P. & Martell. ex MSS. *conspicor esse*. R. A. F. *compiscor esse* V. B.

NOTAE.

in postremis

Cocci di piante, & sceppi delle risa

Significare hinc poëtae voluerunt, tunc laudatissimas esse ficos cum scissa pellicula quasi renidere videantur. At corticem habere renitentem prae se fert duritiam, & immaturitatem ingratam, & lautioribus labris viscosam, odiosamque. MARTELL.

81. Castaneasque nuces] Quae simpliciter absque adjuncto *Castaneae* quoque nuncupantur. Virg.

Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Hac de re adeundus est Macrob. Satur. lib III. c. XVIII. TIT.

82. Sole Novembri] Elegantissima phrasis, & eruditior pene quam pro rustico & pastore. BART.

83. Virides Echini.] Hirta cutis castanearum. Omne hirtum atque pungens *Echinum* vocant veteres. Claudianus libro II. in Eutropium.

Quas figat verubus partes, quae frusta calenti
Mandet aquae, quanteque cutem distendat Echino. BART.

83. Rumpentur echini.] Quod argumentum est maturitatis Castanearum. Echinus dicitur spinosus ille calyx, quo Castanea circumdatur. TIT.

84. Num, precor, informis] Verbum *precor ἐνέργειαν* quandam sermoni addit. Sic Terentius Eunucho: *hem; Obsecro, an is est!* Cicero ad Atticum: *Si tibi res, si locus, si institutum placet, lege quaeso legem, mihique eam mitte.* Locus autem videri potest expressus ex Virgilio dicente:

Non sum adeo informis, nuper me in litore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.

Ita vero interrogat Idas, ut negari velit. TIT.

84. Num gravis] Annis senior. TIT.

85. Decipiorque miser,] Plus indignationis & dignitatis pastoralis habet quod in veteri Editione reperio.

——— ——— num gravis annis
Decipior miser? ô quoties m. BART.

86. Primique sequor vestigia floris] Primam lanuginem. Virg.

——— ——— & primaevo flore juventae
Exercentur equis.

Rursus:

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa.

Lucret.

Tum demum pueris, aevo florente juventas
Occipit, & molli vestit lanugine malas.

Tibull.

At tu dum primi floret tibi temporis aetas.

Hesiodus Theogonia.

Τὸν ῥα νέον τέρεν ἄνθος ἔχοντ' ἐρικυδέος ἥβης.

Meus Tassius de Lesbino loquens:

A cui non anco la stagione novella
Il bel mento spargea de' primi fiori. TIT.

86. Floris] Barbae primae. Vide Animadversiones in Claudianum nostras, ubi huius generis multa notavimus. Notissimi sunt Theocriti & Maronis versus, quos noster hoc loco imitatur. BART.

88. Fontibus in liquidis] Cur dictum sit *in fon-*

Admiror toties. etenim sic flore juventae
Induimus vultus, ut in arbore saepe notavi
Cerea sub tenui lucere Cydonia lana.
ID. Carmina poscit amor, nec fistula cedit amori.
Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula vesper,
Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphesiboeus.

As.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

90. *Induimus*] *Induimur* Nic. Heins. Verissime Nam exprimit Nemes. Ecl. I. *nulla tegimur lanugine malas.*

92. *Cedit*] *Sistit amori* R.

94. *Agat*] *Vocat*, & 95. *cratibus obstr.* R. Ita apud Avienum Perieg. leg. *cantuque sacrato Ludunt.* ubi Ed. *cratituque.* mendose.

NOTAE.

fontibus, sciri potest ex eis, quae ad illud Nemesiani adnotavimus.

Quin etiam fontis speculo me mane notavi:

Porro *liquidis* valet puris ac pellucentibus. Virgilius:

At liquidi fontes, & stagna virentia musco
Adsint. TIT.

Pro *esse*, quod sane supervacaneum, & insuave est, Aio me iis ipsis in exemplaribus tuis, unde tu multas varietates & correctiones eruisti, legisse *ipse* & vero bene. Tu judicabis: legatur itaque posthac:

Fontibus in liquidis quoties me conspicor ipse.
MARTELL.

90. INDUIMUS VULTUS] Nemesianus:

Quod vidi, nulla tegimur lanugine malas.

Transit autem illico ad simile rei explanandae gratia. Sic Martialis:

Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quae spoliata nitent.

Porro Cydonia mala, quae & cotonea nuncupantur, *cerea* appellavit a colore quem referunt, quocirca Palladius eadem *fulva* nominavit in epigrammate: sed *lucere* additum est ob colorem splendicantem, auroque persimilem, quem referunt cotonea, hinc dixit Virgilius:

Aurea mala decem misi, cras altera mittam:

nisi si de citriis intellexit: certe cotonea auri colorem prae se ferre constat. TIT.

91. LANA.] *Tenera lanugine mala.* Virgil. Quae *cerea* hic, *fulva* vocat Palladius lib. XIII.

Cum praestet cunctis se fulva Cydonia pomis.
BART.

92. CARMINA POSCIT AMOR,] Cantu gaudet amor, unde natum adagium:

Μουσικὴν ἔρως διδάσκει, κἄν τις ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Nemesianus inquit:

Cantet, amet quod quisque, levant & carmina curas.

Sed verius ille apud Maronem:

Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec Cythiso saturantur apes, nec fronde capellae.

Propertius:

Nonnihil aspersis gaudet Amor lachrymis.

Unde suavissimus noster Lyricen:

Io mi pasco di lacrime, tu 'l sai. TIT.

93 SED FUGIT ECCE DIES,] Ita ferme Catullus:

Sed moraris, abit dies, prodeas nova nupta.

Vide ad hanc locutionem quae scripta reliquit Seneca epist. CIX. lib. XIX. Sumitur hinc autem honesta digressus occasio; quomodo apud Virgilium:

Majoresque cadunt altis de Montibus umbrae

Nemesianus sic:

Sed jam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus praebere liquores.

Rursus alibi:

Sic pueri Donacem toto sub sole canebant,
Frigidus e sylvis donec descendere suasit
Hesperus, & stabulis pastos inducere tauros.

Diximus in nostris libris Locor. Controvers. TIT.

94. HINC TU, DAPHNI, GREGES,] Ingentem pecudum numerum significat hoc versu. TIT.

95. JAM

As. Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbos.
I procul, ô Dorida, primumque reclude canalem,
Et sine jam dudum sitientes irriget hortos.
Vix ea finierant, senior cum talia Thyrsis:
Este pares, & ob hoc concordes vivite; nam vos

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

98. *Ob hoc*] *Abhoc* R. i. e. abhinc. recte.

NOTAE.

95. Jam cantibus obstrepit arbos.] Noctis adventantis descriptio, tunc enim aves canere incipiunt, cum medio diei aestu intra frondes tacitae latitare soleant. Virgil.

—— —— cum frigidus aëra vesper
Temperat, & saltus reficit jam roscida luna,
Litoraque Alcyonem resonant, & acanthida dumi.

Sic matutinum tempus descripsit Ovidius Epist. Ariadnae ad Theseum:

Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, & tectae fronde queruntur aves.
TIT.

95. Cantibus obstrepit arbos.] Vento sub crepusculum increbescente. Elegantissime de arborum cantilenis Petronius.

Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur.

Ut Manilius.

—— —— totumque canora
Voce nemus loquitur.

Longus Pastoralium primo. Καὶ τὰς ἀνέμους συρίττοντας ταῖς πίτυσιν ἐμπνέοντας. Virgilius Culice. BART.

96. Primumque reclude canalem,] Contra Maro, tametsi figurate id dici videatur:

Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

Sed hic noster de canali *intelligit* ad *hortum* irrigandum. Loquitur enim *Astacus*, atque ait:

Et sine jamdudum sitientes irriget hortos;

neque vero meridie horti irrigari consueverunt, sed aut mane aut etiam noctu, ne solis videlicet fervor humorem absumat, aut quoniam, cum aqua sit calida, necaret, quae irrigarentur. Haec autem ipsissima sunt Aristotelis verba in Problematis, ubi cum quaesivisset, cur non meridie, sed mane noctuve irrigare consueverint subdit: Πότερον ἵνα μὴ ὁ ἥλιος ἀναλώσῃ ἢ ὅτι ἐὰν ᾖ θερμὸν τὸ ὕδωρ διαφθείρῃ τὰ ἀρδόμενα. TIT.

99. Este pares,] Non aliter fere Palaemon apud Virgilium:

Et vitula tu dignus, & hic, & quisquis amores
Aut metuit dulces, aut experietur amares.

Ovid.

Dicta triplex causa est, at vos ignescite divas:
Res ex arbitrio non dirimenda meo:
Ite pares a me.

Homerus:

Μηκέτι παῖδε φίλω πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον,
Ἀμφοτέρω γὰρ σφῶϊ φιλεῖ νεφεληγερέτα Ζεὺς
Ἄμφω δ' αἰχμητά. TIT.

99. Concordes vivite:] Ob aequalitatem, ac similitudinem, quae inter vos intercedit, ea etenim amicitiam conciliare solet, ut multis in locis docet Aristoteles: Plutarchus in commentario, cui titulus. Quomodo amicum ab adulatore dignoscere valeamus, hos affert senarios ex Poëta nescio quo:

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει,
Παῖς παιδὶ, γυναικὶ πρόσφορον γυνὴ,
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεὶς, ἐπῳδός ἐστι τῷ πεπραγμένῳ

Sed & Theognis inquit:

Ἡ ὅτις με τιμῶσι ὁμῶς, ἴσοι, οἵτε κατ' αὐτὸν
Εἴκουσιν χώρης, οἵτε παλαιότεροι.

Ovid.

Par aetas, par forma fuit, primasque magistris
Accepere artes, elementa aetatis ab iisdem:
Hinc amor amborum tetigit rude pectus.

Cornelius Gallus, nisi mentitur titulus:

Sum grandaevus ego, nec tu minus alba capillis,
Par aetas animos conciliare solet.

Plura nos de hac re contraximus in Commentariis ad Senecam de Beneficiis, quos propediem in lucem dabimus. Quatuor autem colligit Thyrsis, quorum omnium superius meminerat poë-

Et decor, & cantus, & amor fociavit, & aetas.

N O T A E.

ta: *Et decor*, inquit, ad pulchritudinem ipfam referens, de qua fuperius, *Formofus uterque*. & *cantus*, quod pertinet iam canendi tantum refpicit: nam de Voce dixerat: *fed impar Voce fonans*, & *amor*, uterque enim Crocalem deperibat: & *aetas*, quoniam uterque puer, inquit enim

Intactam Crocalem puer Aftacus, & puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Aftacus horti
Dilexere diu. TIT.

100. ET DECOR, ET CANTUS,] Theocritus. Bucoliaft.

'Αμφω τώγ' ἤστην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
'Αμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν. &c.
BART.

Ex ista quidem tu fcriptura verfu fup. 3. *nec impar voce fonans*, Titi, fenfum mulgis, quantum pote fit, fuavem, fed palatui meo nondum fapit. Nam conceptio illiusmodi poëta digno fat digna non videtur: quorfum enim paftores cantus decertantes invicem, impares voce fingere? Melius Nemefianus qui in fimili certamine congruenter:


Ambo aevo cantuque pares, nec difpare forma.

Melius utriufque magifter optimus Virgilius:

Et cantare pares, & refpondere parati.

Quid? quod fibimet ipfe Calphurnius contradiceret, qui nunc jam in calce hujus Eidyllii eofdem hofce paftores aequales cantu pronunciat, inquit enim:

Et decor, & cantus, & amor fociavit, & aetas.
MARTELL.



ECLO.



ECLOGA III.

EXORATIO.

IOLAS, LYCIDAS.

Numquid in hac, Lycida, vidisti forte juvencam
Valle meam? solet illa tuis occurrere tauris.

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

EXORATIO.] Sic P. & Ed. Juntae. rectius deest in al. omn.
IOLAS] JOLLAS semper R.

NOTAE.

ECLOGA III.] Continet haec ecloga exorationem, sive potius promissionem exorandi puellam amatam, quocirca ejus epigraphe in libris Florentiae impressis est *Exoratio*. TIT.

1. NUMQUID IN HAC,] *Rus merum* Eclogam hanc vocat vir summus. At nos, quod illi rus est, suam pastori urbanitatem putamus. Affectasse summam simplicitatem in pastoriciis colloquiis Calpurnium, exinde nobis vel maxime clarum, quod cum unus aliquis ad narrandum producitur, optimi sint versus & digni quovis felicissimo poëta: at, cum colloquuntur, tum rusticitatem sponte induunt. Sed incomparabile Scaligeri ingenium ex sua felicitate omnes omnium

 Poë-

Et jam paene duas, dum quaeritur, eximit horas:
Nec tamen apparet. duris ego perdita ruscis
Jam dudum, nullis dubitavi crura rubetis
Scindere, nec quidquam post tantum sanguinis egi.
Lyc. Non satis attendi: neque enim vacat. uror, Iola,

Uror,

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

4. Leg. *Nec tamen apparet duris eho (* i. e. *heu!) perdita ruscis. Jamdudum nullis*, &c. Virg. Ecl. VIII. *viridi procumbit bucula in ulva Perdita*, &c.
5. *Jamdudum nullis*] Sic R. P. *&* *nullis* V. A. B. F. Bart.

N O T A E.

Poëtarum versus aestimare velle, injurium est. Non nego Scaligerum meliorem Poëtam Calpurnio, Calpurnium tamen malum non concedo. BART.

3. Tuis occurrere tauris.] Virgilius eodem sensu dixit:

Occursare capro, cornu ferit ille, caveto. TIT.

3. Eximit horas:] Par phrasis illo Horatii.

——— *partem solido demere de die.*

eximit est consumit. Virgil.

Postquam exempta fames epulis.

Lucretius lib. III.

——— ——— *Mors eximit im.*

Sic Cicero Philipp. V. *Horam eximere ullam in tali cive liberando sine scelere non possumus.* Pari phrasi *eximere actionem* dixit Ulpianus, cum per procrastinationem effectum est, ut jam lege agi non possit L. XXVI. *Ex quibus caussis majores*, &c. BART.

4. Duris perdita ruscis] Ruscus frutex est acuminatorum foliorum & durorum, unde a Graecis ὀξυμυρσίνη, dictus est. Virgilius *horridum* appellasse videtur per subauditum intellectum eo versu:

Horridior rusco, projecta vilior alga.

Battus apud Theocritum vitulam quaerens in spinam incidit, quae ipsius calcaneo haesit:

Θᾶσαι μ' ὦ Κορύδων, ποτὶ τῶ Διός, ἁ γὰρ ἄκανθα
Ἁρμοῖ μ' ὧδ' ἐπάταξ' ὑπὸ τὸ σφυρόν

& reliqua. Cui respondet Corydon

Εἰς ὄρος ὄχ ἕρπεις, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε,
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομέοντι.

Propertius:

Retulit hirsutis brachia secta rubis. TIT.

5. Jam dudum, nullis] Melior scriptura in veteribus Editis. *Jamdudum & nullis.* non enim ante hanc juvencae anquisitionem laesa sibi crura fuisse dicit. BART.

5. Crura rubetis] Rubetum dicitur locus rubis consitus, a rubo, sicut quercetum, lauretum, myrtetum, atque his similia a suis quaeque arboribus, *dubitavi* autem *rumpere* pro rupi, sicut infra:

——— ——— *nec medios dubitasti rumpere cantus;*

id est rupisti. TIT.

6. Post tantum sanguinis] Sic Venus apud Bionem.

Λυσαμένα πλοκαμῖδας ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται,
Πενθαλέα, νήπλεκτος, ἀσάνδαλος, αἱ δὲ βάτοι νιν
Ἐρχομέναν κείροντι, καὶ ἱερὸν αἷμα δρέπονται.

BART.

7. Satis] Eleganter ita pro *bene* usurpatur haec vox. Cor. Celsus lib. VI. c. IV. *id autem quod subinde raditur, illini atramento scriptorio satis est.* H. e. Bonum. Victor Uticensis l. I. de Perseo. Vandal. *quorum numerum satis comprehendere impossibile est.* de libris B. August. Tibul. l. II.

Tunc tibi, lena, precor diras, satis anxia vivas,
Moverit e votis pars quotacunque deos.

Ad quos versus consule Verisimilia doctissimi Fruterii lib. III c. IX & nostra ad Claudianum. Optatus Afer lib. I. *haereticos a domo veritatis satis extorres.* Sic Rufinus in Hist. Eccl Appendice, Hieronymus in Vita Joannis Monachi: Alcuinus Flaccus in principio Artis Grammaticae. Sidonius, Appulejus, Capitolinus. hic in Marco, iste lib. VI. ille Narbone. BART.

7. Neque enim vacat.] Recte causam subjungit Lycidas, ne amici curam penitus deposuisse videatur. TIT. Cum rustica quadam indignatione hoc effert, unde vers. XVIII. Phyllide contentum se Iolas non sine exprobratione meminit. BART.

8. Uror,

Uror, & immodice: Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amatque novum post tot mea munera Mopsum.
Iol. Mobilior ventis ô foemina. sic tua Phyllis?
Quae sibi (nam memini) si quando solus abesses,
Mella etiam sine te jurabat amara videri.
Lyc. Altius ista querar, si quando vacabis Iola.
Has pete nunc salices, & laevas flecte sub ulmos:
Nam

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

8. *Et immodice; Lyc.*] *Immodice Lyc. ingrata* Bart.
9. *Munera*] *Vulnera* R. non male.
13. *Vacabis*] *Vacabis* B. Ed. *si forte vacabit* R.
14. *Laevas*] *Levus*, i. laeves, R.

NOTAE.

8. Uror, et immodice.] Quamquam amantes uri dicantur, unde amori faces tribuuntur; hic tamen verbum *uri* accipio pro Zelotypia tangi, quomodo eo usus fuit Terentius Eunucho, ibi:

Numquid hic vides, quod te urit?

cur ita credam, facit, quod statim sequitur:

——— ——— *Lycidam ingrata reliquit*
Phyllis:

& reliqua, nec non illud alterum:

Haec ego cum vidi, fateor, sic intimus arsi;
Ut nihil alterius tulerim. TIT.

8. Et immodice.] Non satis belle recentiores post hoc verbum solidae distinctionis notam interserunt. Nam immodice ingratam ait sibi Phyllidem, quae sane amplius esse non poterat grata cum post tot accepta munera in conspectu hujus alium amplectitur. BART.

9. Novum post tot mea munera] Infelix fatum hujus nominis, nam alius quispiam Mopsus male etiam audit apud Maronem:

Mopso Nysa datur; quid non speremus amantes.

sunt qui legant *vulnera* ἀντὶ τοῦ *munera*, non ita bono sensu, quocirca non discedo a vulgata scriptura. TIT.

10. Mobilior ventis ô foemina.] Mulierum inconstantiam notat, eamque ventis comparat Horatii exemplo, cujus haec sunt verba:

——— ——— *heu quoties fidem,*
Mutatosque deos flebit, & aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens.

Absolute Virgilius, & absque metaphora

——— ——— *Varium, & mutabile semper*
Foemina. TIT.

Q. Cicero in epigrammate pariter *leviorem vento foeminam* dicit.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namque est foeminea tutior unda fide.

Propertius:

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tumefacta Noto;
Quam cito foeminea non constat foedus in ira,
Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis.

Sed quid opus pluribus, *mulierem quid verius dicas quam mulierem?* ait Rhetor vetus apud Rutilium Lupum. Hoc est, κοινὸν ἀνθρώποις κακόν. secundum Euripidem in Andromacha, itemque φυτῶν ἀθλιώτατον. ut idem ait in Medea. Vide Stobaei Sermonem LXXI. BART.

11. Solus abesses,] Ut omnes alii adessent, tui unius absentiam moleste ferre consuevit. TIT. Etiam nobis omnibus de juventute montana praesentibus, solo te absente. BART.

12. Mella etiam sine te] Eodem ferme pacto dixit Nemesianus:

Te sine, vae misero mihi lilia nigra videntur,
Pallentesque rosae, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores;
At tu si venias:

& reliqua. TIT.

13. Altius ista querar,] A longiore capite querelas arcessens: vel efficacius, expressius, & magis ex animo. TIT.

13. Si quando vocabis,] Legendum: *vacabis.* TIT.

14. Et laevas flecte sub ulmos:] Demonstratio loci. Sic Martialis:

Nam cum prata calent, illic requiescere noster
Taurus amat, gelidaque jacet spatiatus in umbra,
Et matutinas revocat palearibus herbas.
Iol. Non equidem, Lycida, quamvis contemptus abibo.
Tityre, quas dixit solus pete solus, & illinc,

Si

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

18. *Contemptus*] Forte, *contentus*.
19. *Dixit*] *Dixi* R. *Solus*] Ita V. A. B. F. *laetus* R. P. *laevus* Bart. *salices* B.

NOTAE.

Quaeris iter? dicam: vicinam Castora canae
Transibis Vestae, virgineamque domum:
& reliqua Ridicula est loci cujusdam demonstratio apud Plautum. TIT.

16. Taurus amat,] Φιλεῖ, solet, vel facere delectatur *exemplo* Graecorum. Plato: οἷα δὴ ἐν πολέμῳ φιλεῖ. Rursus: καὶ τῷ ὄντι τὸ ἄγαν τι ποιεῖν, μεγάλην φιλεῖ εἰς τοὐναντίον μεταβολὴν ἀνταποδιδόναι. Dionysius Halicarnasseus: οἷα δὴ φιλεῖ πάσχειν στράτευμα νεοσύλλεκτον. Horat.

Qua Pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis.

Rursus:

Auram per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Item alibi:

Quid quod libelli Stoici inter sericos
Jacere pulvillos amant

Sallust. *Terrebat eum clamore, vultu, saepe impetu, atque aliis omnibus, quae ira fieri amat.* Rursus: *Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae secundae res amant, lascivia, atque superbia incessere*: vel *amat requiescere*, id est libenter requiescit. TIT.

16. Gelidaque jacet] Virgilius *frigidam* vocavit eodem consilio:

Frigida vix coelo noctis decesserat umbra.

Spatiatus autem: hoc est, postquam spatiatus est. TIT.

17. Et matutinas revocat palearibus herbas.] Περιφραστικῶς pro ruminat. Est allusum ad Graecum verbum μηρυκάζειν, sive μηρυκᾶν, cum nihil aliud sit ruminatio, quam cibi ex ventriculo in os attractio. Recte autem addit

——— ——— *gelidaque jacet spatiatus in umbra.*

siquidem animalia cum ruminant, ut plurimum jacere consueverunt, auctore Plinio, qui porro ex Aristotele sumpsit libr. ix. de Historia animalium. Virgilius simpliciter dixit:

Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Ad quem locum sic scriptum reliquit Servius: *Revomit, & denuo consumit: ruminatio autem dicta est a ruma eminenti guttaris parte, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus.* Quibus verbis tueri possumus hunc Calphurnii locum a censura Julii Caesaris Scaligeri in Hypercritico: nam per palearia sumemus hic rumam ipsam, ut sic verbum *revocare* optime sensui quadret: quocirca videat Scaliger, quid sibi illic voluerit: nam certe Calphurnii consilium bellissime procedit, si versus recte intelligantur. conferunt huic loco percipiendo, quae scripta leguntur apud Plinium lib. x. ubi de himantopode, & onocrotalis, & de peregrinis avibus loquitur. Ait enim: *Huc omnia inexplebile animal* (onocrotalum accipe) *congerit, mira ut sit capacitas: mox perfecta rapina, sensim inde in os reddita, in verum alvum ruminantis modo refert.* TIT. Omissum est *a* vel *ab*. ruminantem taurum describit. Scaligeri divino ingenio rusticum sermonem opponimus, cui satis est vel extrema *palearia* nominare, ut inde intelligat pectus, vel loca quae sub palearibus, unde herbas mane comesas revocat atque ruminat bovinum genus. BART.

19 Tityre,] Ἀποστροφὴ ad eum, qui in proximo aderat. Τὸ *solus* aliqui legunt *laetus* ex antiquis exemplaribus: Indico, non determino. TIT.

19. Pete laetus] Omnino *laevus* fac rescribas. Nam ad laevum latus amandabat Tityrum ut vers. xiv.

——— ——— *& laevas flecte sub ulmos.* BART.

21. Sed

Si tamen invenies, deprenſam verbere multo
Huc age. ſed fractum referas haſtile memento.
Nunc age, dic, Lycida, quae vos tam magna tulere
Jurgia? quis veſtro deus intervenit amori?
LYC. Phyllide contentus, (ſolus tu teſtis Iola es)

Cal-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

23. Jamdudum conjeci: *quis veſtros Deus intervertit amores*, vel, *quis veſtro dolus intervenit amori*. Cum poſtea vidi ex MSS. citare Tit. *veſtrum deus intervertit amorem*.

24. *Solus tu*] Leg. *tu ſolus* ex R. V. A. B.

NOTAE.

21. SED FRACTUM REFERAS HASTILE MEMENTO] Haſtam, in cujus extremitate aculeus affixus eſt ad armenta agenda excitandaque; Tibullus vocavit *ſtimulum*:

Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.

Theocritus: λαγωβόλον.

Εἴς ἦν μοι ῥαικὸν τὸ λαγωβόλον· ὥς τε παλάξω.

TIT.

2[illegible] FRACTUM REFERAS HASTILE] *Haſtile fractum* vice pedi erat paſtori idque tradit Tityro, ut illo vaccam agat, monetque, ſuum ſibi ſalvum pedum referat. BART.

22. TAM MAGNA TULERE JURGIA?] Diſtulerunt, diſturbaverunt: per aphaereſim, ut *temneſe* pro *contemnere*. TIT. Hoc eſt, abſtulere atque diſtulere. Caſſius Parmenſis

——— ——— *ſi quis petit ardua, ſudor*
Plurimus hunc tollit ———

Etſi eo loco poteſt aliter capi. Petronius.

Qui pelago credit magno ſe foenore tollit.

Virgil.

——— *Eridanus, campoſque per omnes*
Cum ſtabulis armenta tulit ———

Ad Petronii verſum exponendum illud Lucretianum, quod docti fruſtra immutant lib. VI.

Quod Solis vapor aetatem non poſſe videtur
Efficere, uſque adeo tollens fervore coruſco.

Sed *auferre* quoque eleganter uſurpant in hunc Calpurnii ſenſum Poëtae. Corn. Severus.

——— ——— *ſed enim abſtulit omnes*
Tamquam ſola foret rapti Ciceronis imago.

Virgil. III. Aen.

——— ——— *nox humida coelum*
Abſtulit. ———

Idem.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

BART.

23. DEUS] Fortuna. Horatius.

——— ——— *te tuos*
Praebente divos.

Idem.

Non tibi ſunt integra lintea,
Non Dii. ———

vel Daemon malivolus, maledeus. Seneca Thyeſte.

Quis maledeorum Tantalo vivas domos
Oſtendit iterum ———

Scaevum infeſtumque numen. *Intervenit*, hoc eſt, adverſatus eſt, ut disiungeret irrepſit. Alioqui *σὺν δαίμονι* contraria phraſi *propitio Deo* dicebant, cum quid proſperi ominabantur. Theocritus Pharmac.

Ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω.

Quo loco acutius quam verius eruditiſſimus Heinſius. apud Sophoclem.

Σὺν δαίμονι πᾶς ἄνθρωπος καὶ γελᾷ καὶ ὀδύρεται.

Quae alibi plenius notavimus. *Laeva Numina* vocabantur dii hujuſmodi ſcaevi atque nocentes. Arnob. lib. VII. *κακοὶ δαίμονες* Graecis, ut apud Arrian. lib. I. ca. XXII. Epicteti, quos duos notavit Briſſonius. *Scaeva* Appulejus. *Interventor* pro impediente ſeu intercedente ſimiliter dicitur ab Ulpian. l. VI. *de Obſeq. parentibus & patron. praeſtandis.* BART.

23. DEUS INTERVENIT AMORI?] Scripturam, quam alicubi reperi, non damno:

——— ——— *quis veſtrum Deus intervertit amorem?* TIT.

24. PHYLLIDE CONTENTUS,] Dicit ſe una Phyllide ſemper contentum vixiſſe ſpreta Calyrice, quo nomine apud eas, quas amant, plurimum ſe gloriari, idque ipſis identidem commemorare ſolent amatores. Propert.

Mi

Callirhoën sprevi, quamvis cum dote rogaret.
En sibi cum Mopso calamos intexere cera
Incipit, & puero comitata sub ilice cantat.
Hoc ego cum vidi, (fateor) sic intimus arsi,
Ut nihil ulterius tulerim. nam protinus ambas

Di-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

25. *Callirhoën*] *Calyricen* V. A. B. F. *Callirricen*. G.
26. *Cera*] *Caerae* V. A. B.
28. *Intimus*] *Imitus* Bart. ex G.
29. *Ambas*] *Amba*, Vigil. Inepte. Marcus Evang. c. 14. ὁ δὲ Ἀρχιερεὺς διαῤῥήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ, λέγει, &c. *discindens tunicas suas*, &c.

NOTAE.

Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est;
Cynthia prima fuit; Cynthia finis erit. TIT.

25. CALLIRHOEN] Vetus Editio, quae solet bonae alioque esse fidei, Callirricen somniat, nec quid nec quare. BART.

25. QUAMVIS CUM DOTE ROGARET.] Pertinet hoc ad Lycidae constantiam ostendendam, atque amoris pariter abundantiam indicandam. Virg.

Teque sibi generum Thetis amat omnibus undis.
TIT.

Munera quamvis offerret: qualia sc Dorco apud suavissimum Longum. δῶρα πολλά τε καὶ μεγάλα ὡς βουκόλος ἀπελγυσάμενος, ζεῦγος βοῶν ἀροτήρων, σμῆνος τέτταρων μελισσῶν, φυτὰ μηλεῶν πεντήκοντα, δέρμα ταύρου τεμεῖν ὑποδήματα, μόσχον ἀνὰ πᾶν ἔτος μηκέτι γάλακτος δεόμενον. BART.

26. CALAMOS INTEXERE CERA INCIPIT,] Calamos cera tanquam glutine jungere atque connectere. Virgil.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

Alibi:

——— ——— *aut numquam tibi fistula cera*
Juncta fuit? TIT.

27. COMITATA SUB ILICE CANTAT.] Παθητικῶς. Virgil.

——— ——— *fido comitatus Achate.* TIT.

28. INTIMUS ARSI,] Ira percitus fui, est enim ira aestus circa cor, qui praecipue amantibus etiam levissimis de causis accidere solet, ac tunc praesertim, cum sibi in amore non responderi sentiunt: existimant enim tunc se contemni, & pro nihilo duci, velut diserte tradit Aristoteles in Rhetoricis: itaque cum amore Virgilius iram conjunxit:

——— ——— *rursusque resurgens*
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.

Possumus id etiam referre ad invidentiam, quam rivalis Mopsus in Lycida excitabat. Nam zelotypia est quasi quaedam invidentia, quae [illegible] amantibus facile commoveri solet. Horat.

Cum tu Lydia Thelephi
Cervicem roseam, cerea Thelephi
Laudas brachia, vae meum
Fervens difficili bile tumet jecur. TIT.

Proba lectio

——— ——— *intimus ita exarsi.*

Sed vetus Germanica Editio disertis litteris agnoscit: *imitus*. Quod cur rejiculum videri nobis debeat, ego non comminiscor. *Imitus* probam vocem & dignam quovis Latinissimo scriptore Agellio dudum restituit doctissimus Lipsius Electorum libro II. cap. III. Macrobio Joannes Isacius libr. V. Saturnal. cap. XVII. Utitur ea Arnobius, & Appulejus libr. IX. Metamorphos. Quin ignorantia & Barbaries scriptorum librariorum aut Chalcographorum posteriorum hinc eam exturbaverit, fidejubente vetere Editione, non dubito. BART.

29. ULTERIUS TULERIM.] Ut nihil ulterius ferre possim. Alioquin *ultimum* pro infelicissimo usurpat versu XCI.

——— ——— *Lycidas habet ultima rerum.*

Ita Appulejus libro primo, *in quadam avia & lacinioſa convalli a vastissimis latronibus obsessus, atque omnibus privatus tamdem evado, &, utpote ultime affectus, ad quamdam cauponam diverto.* Idem libro septimo, *altero die tormentis vexatum*

plu-

Diduxi tunicas, & pectora nuda cecidi.
Alcippen irata petit, dixitque, relicto
Improbe te Lycida, Mopsum tua Phyllis amabit.
Nunc penes Alcippen manet, ac ne forte vagetur
Ah vereor. nec tam nobis ego Phyllida reddi

Exo-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

30. *Diduxi*] *Deduxi* R. V. A. B. F. *Cecidi*] *Rescidi* V. A. B. F.
33. *Manet*] *Movet* R. *Ac ne*] *At ne* Bart.
34. *Ah*] *Ha* hic & inf. B.

NOTAE.

pluribus, *& pene ad ultimam mortem excarnificatum.* Quae si perpendissent doctissimi Gulielmius & Stewechius, alium ejusdem scriptoris locum qui est libro tertio, *tunc ultima non cessas subinde lectorum juvenum capillamenta surripere*, non tam facile immutatum venissent. Nam *ultima* ibi, ultimo supplicio digna, dicitur faemina; vel vilissima, atque infelicissima, quomodo *pessimi* atque *extremi*, nec non *novissimi* vocabulis eum Afrum abusum docebit propediem curiosus noster index usque ad fatiem. *Taleria*, est ferre possim. BART.

29. AMBAS DIDUXI TUNICAS,] Interiorem & exteriorem: de exteriore nil opus testes producere: de interiore sic est apud Propertium:

Interdum tunica duxit operta moram.

Ibidem paulo post:

Quod si pertendens animo vestita cubaris;
Scissa meas vestes experiere manus.

Idem generatim:

Nec tibi perjure scindam de corpore vestes. TIT. Interulam atque pastorum tunicam. Pectora autem nuda usque ad inflammationem atque ulcera in luctu caedebant veteres, ut Cleopatra apud Plutarchum in Antonio. De eo more pleni omnium scriptorum libri. Qu. Smyrnaeus.

——— ——— αἶψα δ' ἀλεγεινῶς
Ἐκ κεφαλῆς τίλλοντο κόμην, καὶ στήθεα χερσὶ
Θεινόμεναι γοάασκον ———

Sedulius lib. II. Paschalis Carminis.

Haec laceros crines nudato vertice rumpit,
Illa genas secuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus ———

in Historia infanticidii. Matth. II.

Sed nihil attinet pluria congerere. Porro amicus noster quasi alter ego Victor Vigilius ignavum nimis arbitrabatur in tanta animi perturbatione, quam conspecto amicae facinore inciderat pastor, ambas eum diduxisse otioso more tunicas. Legebat igitur, *amba*, ut *manus* subintelligatur, dicatque ambabus se manibus vestem dirupisse a pectore. Quod nobis, salvo amicitiae jure, non placuerit tamen. Etenim & hoc simplicitatis est in summo dolore parcere vestimentis, ut rapiendae apud Ovidium Proserpinae tanta puerilibus adfuit annis simplicitas ut virgineum dolorem auxerint effusi gremio flores. Sed penitius Calpurn. intuenti videtur non de suo planctu sed de verberibus loqui potius, quibus ipse rusticus Phyllida mulcaverat, & id verum est, ut tot illa verba compendifacere potuissem. Vide ad ver. 37. Puellas duabus tunicis amictas fuisse docet Aristenaet. lib. I. Epist. VII. BART.

31. DIXITQUE RELICTO] Distinctio vitiosa in hunc potissimum modum resarcienda est.

——— ——— ——— *dixitque, relicto*
Improbe, te, Lycida, Mopsum tua Phyllis amabit.

& dixit: relicto te, improbe Lycida Mopsum quondam tua Phyllis amabit. Nullis aliis hic opus ambagibus. BART.

32. IMPROBE TE LYCIDA.] Virg.

Improbus ille puer. TIT.

33. AC NE FORTE VAGETUR] Melius legas, *At ne forte vagetur.* BART.

34. EGO PHYLLIDA REDDI] Reconciliari, placari. Catullus dixit *restituere.*

Nam sanctae Veneri, Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,

& epigrammate ad Lesbiam:

Quod te restituis Lesbia mi cupido.

Restituas cupido, atque insperanti ipsa refero te. TIT.

Exopto, quam, quod Mopso jurgetur anhelo.
Iol. A te coeperunt tua jurgia: tu prior illi
Victas tende manus. decet indulgere puellae,
Vel cum prima nocet. si quid mandare juvabit,
Sedulus iratae contingam nuntius aures.

Lyc.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

35. *Jungetur, anhelo* Bart. & T. *anhelo*, inquit, & suspiro quod Mopso *jungetur*. Insulse. *jurg tur anhelo* R. V. A. B. F. P. supple *exopto, quod* (pro, ut) *jurgetur anhelo Mopso*: quia (ut infra ait) *torrida Mopsi Vox, & cantus iners, & acerbae stridor avenae.*
37 *Victas*] *Vinctas* V. A. B. F. & Bart. ex T. *junctas* Mod.
38. *Puellae*] *Puellis* Bart. ex Germ.
39. *Nocet*] *Nocent* R. V. A. B. & Bart. ex G.

NOTAE.

35. Mopso jungetur anhelo.] Suspirioso, *spiritus, angustia, & difficultate laboranti, ἀσθματικῷ, ὀρθοπνοϊκῷ.* Virg.

Ora fovent illo, & senibus medicantur anhelis.
TIT.

35. Anhelo.] Gemo atque suspiro, anheloque. Id quod interpretis ineptissimi gratia appingendum fuit, qui cum nomen hic non verbum caperet, monstrosissimas in species se vertit atque prodigia mera protulit. Id quod notavit & doctissimus antea Modius. Inscitissime autem *jurgetur* pro *jungetur* hoc versu correctores ediderunt: Tigurina enim Editio quam ad Eclog. primam laudavi, *jungetur* diserte habet. Scitissime amantis affectus exprimitur, qui non tam dolet sibi eripique amat, quam alteri tradi, id vero insanit. BART.

36. A te coeperunt tua jurgia:] Dixerat enim Lycidas.

——— ——— *Nam protinus ambas*
Deduxi tunicas, & pectora nuda rescidi. TIT.

37. Victas tende manus] Captivorum more. Virgil.

——— ——— *manus interea juvenem post terga revinctum,*

vel *junctas*, ut exprimat supplicantium habitum. Virg.

——— ——— *duplices tendens ad sidera palmas.*
TIT.

Male iidem Correctores *victas* heic reposuerunt, cum *vinctas* eadem Editio optimo jure praeferat. nec magis bene congruit Modianum *junctas*, etsi id suos habeat auctoreis. Sed disputatione non est opus, si quis cogitat verberasse Lycidam Phyllidem, quod ingerit versu LXX.

Quod si dura times etiamnunc verbera, Phylli,
Tradimus ecce manus, licet illae & vimine torto
Scilicet & lenta post tergum vite domentur.

Simulque hanc sibi ipsum poenam ibidem indicere. quam & post verberatam amicam Ovidius libr. I. Amorum Elegia VII. in suum caput vovet.

Adde manus in vincla meas, meruere catenas,
Dum furor omnis abest, si quis amicus ades.
BART.

37. Decet indulgere puellae,] Vetus editio litteris Germanicis impressa habet

——— ——— *decet indulgere puellis,*
Vel cum prima nocent ———

Quam purissimam Calpurnii scriptionem esse sacramento contendam quingenario. Estque Graecismus *prima nocent* pro primo, quod adnotavit poni solitum Junius Philargyrus in versu 21. quarti Georgici. quo Catone decet nos esse contentos. Vide Notas ad Gratii Cynegeticon versu vigesimo quinto qui idem sic locutus. BART.

39. Vel cum prima nocet.] Etiamsi rixarum origo ab ipsa incipiat, par est aliquid de suo jure puellae concedere, & cum vel prior dissidii causas praebuerit, ei tamen indulgere amantes aequum est. Tibull.

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa, querelis
Supplicibus miseris flentibus illa favet. TIT.

39. Contingam nuntius] Quod dici solet *aures contigit rumor*, vel *Fama*, rustico more corrupit ad se. BART.

40. Quo

Lyc. Jam dudum meditor, quo Phyllida carmine placem:
Forsitan audito poterit mitescere cantu:
Et solet illa meas ad sidera ferre Camoenas.
Iol. Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo,
Et decisa feram rutilanti carmina libro.
Lyc. Has tibi, Phylli, preces jam pallidus, hos tibi cantus
Dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,
Dum flet, & excusso dispergit lumina somno.

Non

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

43. *Cerasi*] *Ceras* R. Vide Nemes. Ecl. I. 28. &c.
46. *Modulatur*] *Modulatus* Bart. Ed. *Acerba*] *Amara* MS. Tit.
47. *Dispergit*] *Dispargis* B.

NOTAE.

40. Quo Phyllida carmine placem:] Tametsi non prece, aut carminibus, sed auro placari puellas vere dixerit Tibullus:

Ad dominam faciles aditus per carmina quaere,
Ite procul Musae, si nihil ista juvant.

sed de Urbanis avaris loquebatur ille, nam agrestes, & rura colentes carminibus capiuntur. TIT.

41. Poterit mitescere] Hoc est: mitescet. Nam hoc modo *τὸ potest* usurpant persaepe scriptores. de quo vide doctissimi Gul. Canteri Novar. lectio. l. II. c. II. BART.

43. Cerasi tua cortice verba notabo,] Vide quae adnotavimus ad illud Nemesiani:

Accipe quae super haec cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet inciso servans mea carmina libro.

Sic etiam hic noster:

Aspicis, ut virides etiam nunc litera rimas
Servet? & arenti nondum se laxet hiatu?

Rursus:

Et cantus viridante licet mihi condere libro:

hic dixit *rutilanti* a colore corticis illius arboris. TIT.

44. Decisa] Quasi descripta, rustico mox scalpello decisa. BART.

45. Jam pallidus,] Macie confectus. Ovid.

Fugerat ore color, maciesque obduxerat artus.

Propertius:

Perditus in quadam tardis pallescere curis. TIT.

Ob amorem videlicet infelicem. Sappho.

——— ——— *χλωροτέρη δὲ ποίας*
Ἔμμι. τεθνάκην δ᾽ ὀλίγω δέυσα
Φαίνομαι ἄπυς.

Nemesianus.

Pallidior buxo violaeque simillimus erro.

Thapso pallidiorem dicit Theocritus. Jam *pallidus* prorsus illud ultimum Sapphus denotat. BART.

46. Dat] Hoc est, canit, aut narrat. Virgil.

——— ——— *da Tityre nobis.*

Vide ad Raptum Proserpinae. BART.

46. Modulatur] Male recentiores *modulatus* excuderunt. ait enim se noctu insomnem Amore illa cantillare. Aristen. de Acontio. *δάκρυα μόνον εἶχ᾽ ὕπνον αἱ νύκτες ἐκεῖνοι τῷ μειρακίῳ.* BART.

46. Modulatur acerba,] Alicubi scriptum reperi *amara*, tametsi *acerba* non rejecerim, quantumvis argueretur Julius Caesar Scaliger in Hypercritico. TIT.

47. Dum flet,] Amantes enim ad lachrymas proclives esse consueverunt teste Luciano: itaque ait Horatius:

——— ——— *humor & in genas*
Furtim labitur arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Item alibi:

Sed cur, eheu Ligurine, cur
Manat rara meas lachryma per genas?

Propert.

Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?

crebroque noctes inquietas transfigunt, quarum

 dua-

Non ſic deſtructâ macreſcit turdus olivâ,
Non lepus extremas legulus cum ſuſtulit uvas,
Ut Lycidas, domina ſine Phyllide, tabidus erro.

Te

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

48. *Deſtructa*] Ita R. V. A. B. F. *diſtricta* P. & MSS. Tit.
50. *Tabidus*] Ex Nemeſ. Ecl. II. *Pallidior buxo, violaeque ſimillimus erro.* *Turbidus* V. A. B. F.

NOTAE.

duarum affectionum perpulchrae afferuntur rationes a Nicolao Leonico in Quaeſtionibus amatoriis. TIT.

47. DISPERGIT LUMINA] Miſer hinc atque illinc oculis deſiderantibus ſociam cubilis quaerit. Talem cum evigilaſſet a Theſeo relictam Ariadnam Catullus deſcribit. BART

48. NON SIC DESTRUCTA] Palam eſt turdos olearum baccis plurimum delectari, ipſarumque eſu mirum in modum pingueſcere. Inter cibos vero, qui eis praebentur, myrti, & lentiſci ſemina, itemque oleaſtri, & hederaceae baccae, nec minus arbuti enumerat Columella, & Conſtantinus Caeſar in ſelectis praeceptionibus de agricultura. Porro minime praetermiſerim legi in quibuſdam codicibus *diſtricta* pro *deſtructa*, quomodo locutus eſt Maro:

Sed tamen & quernas glandes tunc ſtringere tempus;
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque mora;

hinc *ſtrictores* apud *Catonem*. TIT.

48. DESTRICTA] Peculiare hoc verbum in olivis manu decerpendis. Columel. XII c. I. *ſcalae, corbulae, decem modiae, quibus diſtricta bacca.* Idem lib. XI. c. II. *Tum & olea diſtringenda eſt, ex qua velis viride oleum efficere.*

Sic *ſtringere oleam* Cato c. CXLIV. Varro lib I. cap LV. Turdos olivis paſci notum. Auſon. Ep. II.

Qualis Picenae populator turdus olivae
Clunes opimat cereos. BART.

48. MACRESCIT] Horat. lib. I. Epiſt. II. In hujuſmodi autem verborum fictione perquam felix eſt Lingua Latina. Sic *congermaneſcere* dixit Appulejus, *Curveſcere*, incertus auctor Carminis probi de Laudibus Domini. *Pudeſcere* Prudentius Apotheoſi. *Luteſcere, nocteſcere, vireſcere, epuleſcere*, Furius Poëta apud Agel. lib. XVIII. cap. XI. *Sordeſcere, aceſcere, aueſcere. ſqualeſcere, ſplendeſcere, areſcere*, agnoſcit Vetuſtiſſ. Grammaticus Flavius Caper. *Crepuſculeſcere* Sidonius lib. VIII. Epiſt. III. *Glabreſcere* Columella lib. II. cap. XX. *rureſcere* Ennius Annal. VII *Longeſcere*, Idem Annal. XVII. *Minueſcere* Auſon. Ephemer. *niveſcere* Tertullian. de Pallio. *pulcreſcere* Sammon. Seren. cap. XLV. *Caleſcere, horreſcere, tabeſcere*, Priſcianus lib. VIII. *Herbeſcere, dumeſcere flammeſcere, aegreſcere, floreſcere, frondeſcere, Juveneſcere, ſeneſcere, albeſcere, palleſcere, miſereſcere* Cariſius lib. III. *geleſcere, lenteſcere, putreſcere, grandeſcere, vileſcere, palmeſcere, amaſcere, teneraſcere, bruteſcere, igneſcere* Diomedes lib. I. *rubeſcere, marceſcere, areſcere, luteſcere, pateſcere, dormiſcere, ſentiſcere, integraſcere, viviſcere, veſperaſcere* Priſcian lib. VIII. *maneſcere* Cledonius in Arte. Plura alii ſcriptores atque Grammatici, nam nobis procul a libris degentibus inquirere non licet. BART.

49. LEGULUS CUM SUSTULIT UVAS,] Per *extremas uvas* intelligit aut omnium tardiſſime matureſcentes, aut racemos ipſos poſt plenam vindemiam relictos. non aliter dixit Virgilius:

Jam canit extremos effoetus vinitor antes.

Porro uva ſaginari lepores omnibus eſt exploratum. *Legulus* autem dicitur *à viri &* vindemiator. Nam ſic reperias apud Varronem de Lingua Latina: *ut legulus & vindemiator, alter ab oleis, alter ab Uvis.* TIT.

49. LEGULUS] Qui legit uvas. *Legulus olearum* in Catone cap. LXIV. de Agricultura. & CXLIV. BART

50. DOMINA SINE PHYLLIDE,] Sic amantes amaſias vocare conſueverunt. Tibull.

Ad dominam faciles aditus per carmina quaero.

Alibi:

Saepe aliam tenui, ſed jam cum gaudia adirem,
Admonuit dominae, deſeruitque Venus.

Propert.

——— ——— *domina judice tutus ero.*

Horat.

Me

Te sine, vae misero! mihi lilia nigra videntur,

Nec

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Vae misero*] *Ve domina* R. Nemes. ibid. unde hic & sequens 53. versus verbotenus exscripti.

NOTAE.

Me dulcis dominae Musa Lyciniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos.

Puella in Idyllio Theocriti sic inquit:

Ναὶ μὰν φασὶ γυναῖκας ἑὰς τρομέειν παρακοίτας.

Cui respondet Daphnis:

Μᾶλλον ἀεὶ κρατέουσι.

Quod apud nostrum legitur hic *turbidus*, alicubi scriptum visebatur *tabidus*, id est macie confectus, ut superius *Jam pallidus.* TIT.

50. TABIDUS] Exsuccus atque aridus. Sic Maximus Tyrius Sermone VIII. de Sappho. *τῇ δὲ ὁ ἔρως ἐτίναξε τὰς φρένας ὡς ἄνεμος κατ᾽ ὄρος δρυσὶν ἐμπεσών.* Virg. lib. VI.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Propertius lib. III.

Gaudet me vacuo solum tabescere lecto.

Maximianus de sene amante.

Aret sicca cutis, rigidi stant undique nervi,
Et lacerant uncae tabida membra manus.

Lucretius lib IV.

Usque adeo incerti tabescunt vulnere caeco.

Vide Aristenaetum lib. I. Epist. X. BART.

50. DOMINA] Amasia. Polyaenos ad Circem apud Arbitrum: *fateor me, domina, saepe peccasse.* *Domini* Amasii, Aristen. lib. I. Epist. XXIV. *σὺ δ᾽ οὖν ὦ ἐμὸν δεσποτίδιον εὐθὺς, εὐθύς.* Et amantes servi. Idem libro II. Epistol. II. *δοῦλόν με θέλεις ἔχειν; ὡς ἐθελόδουλον ἔχε.* Propertius lib. I.

Tam grave servitium nostrae cogere puellae
Discere. ———

Tibullus lib. II.

Hic mihi servitium video, dominamque paratam,
Jam mihi libertas, illa paterna, vale.

Idem eodem loco.

——— *ad imperium dominae sulcabimus agros,*
Non ego me vinclis verberibusque nego.

Aristenaet *ὡς ἄχρις ἂν ἐμοῦ δεσπόζειν ἐθέλοις, βουληθείης δὲ μέχρι παντός, ἐρωτικῶς σοι διατελέσω θεράπων.* Cuius *δεσποτίδιον* quod supra produximus, *dominulo* redditur a Maritâ testatrice in superstitem conjugem apud Scaevolam JC. l. XLI. de Legatis III. Uxores quo pacto *dominae* & quâ aetate vocatae docuit elegantiss JCtus Gul. Fornerius lib. I. Selection. cap. XI. *Cui nostra haec adjico.* Lucil. lib. XXVII. Satyr. *Cum mei me adeant servuli, ego dominam non appellem meam?* Statius Epithal. Viol.

——— ——— *violis modo lilia mixta*
Excipis & dominae niveis a vultibus obstas.

Achil. Tatius li. I. *κἂν δὲ ταῦτα σοι ποιοῦντος καρτερῇ καὶ ἀνέχηται, τὸ ἔργον ἤδη δέσποιναν καλεῖν καὶ φιλῆσαι τράχηλον.* Et facit hoc sequentibus verbis adolescens. *οὐκ ἔχων ὅ, τι εἴπω, χαῖρε, ἔφην δέσποινα.* Catullus.

Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi.

Propertius lib. I. el. IV.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?

Propertius lib. II.

——— ——— ——— ——— *sed me*
Fallaci dominae jam pudet esse jocum.

Sed plurimis undique memoriae ingruentibus finiendum est. BART.

51. MIHI LILIA NIGRA VIDENTUR,] committo hunc locum cum illo altero Nemesiani:

Pallidior buxo, violaeque simillimus erro:
Omnes ecce cibos,

& reliqua. Cui prope geminus videri potest hic alter Maronis:

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba,
Liber pampineas invidit collibus umbras:
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit;
Jupiter & laeto descendet plurimus imbri.

Qui porro de Theocrito mutuo sumptus videtur, cum ait:

Πάντα ἔαρ, πάντα δὲ νόμοι· πάντα δὲ γάλακτος
Οὔθατα πλήθουσι, καὶ τὰ νέα τρέφονται,
Ἔνθ᾽ ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται, αἱ δ᾽ ἂν ἀφέρπῃ,
Χὠ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι χαἰ βοτάναι.

& reliqua. TIT. Nemesiano debet hos versus Calpurnius, quippe cum puto per *Tityrum* jonem jam se ipsum intelligere Eclo. I. Calpurnius ergo illo junior. Est ergo & hoc adulationis quoddam genus, quod veluti praejudicati jam & majorum gentium scriptoris Nemesiani versus usur-

 pat.

Nec sapiunt fontes, & acescunt vina bibenti.
At si tu venias, & candida lilia fient,
Et sapient fontes, & dulcia vina bibentur.
Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas
Dicere felicem, cui dulcia saepe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Ah dolor! & post hoc placuit tibi torrida Mopsi

Vox?

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

52 - 54. *Et dulcia vina bibenti*, utrobique sic R.
53. *Et candida*] *Jam cand.* V. A. B. F. *Fient*] *Fiant* V.
55. *Quo te*] *Tu* R. V. A. B. F. *Cantante*] *Cantare.* August. Hi 4. versus ex Nemes. ibid. sunt.
59. *Torrida*] f. *Torpida* Nic. Heins. vide sup. v. 33.

NOTAE.

pat. BART.

53. Jam candida lilia fient,] Videbuntur ita, ut revera sunt. TIT.

55. Ille ego sum Lycidas,] Prorsus illa sunt Olympii.

Idas ille ego sum, Donace, cui saepe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.

Et observavit divinus Scaliger Hypercritico. BART.

56. Cui dulcia saepe dedisti Oscula,] Ovid.

Cantabam, memini, meminerunt omnia amantes,
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.

neque non alibi:

Quae mihi dum referes, quamvis audire juvabit,
Multa tamen rapies oscula, multa dabis.

Nemesianus:

Idas ego ille sum, Donace, cui saepe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.

TIT.

58. Inter calamos errantia labra] Par ludus apud suavissimum Longum lib. I. *ἐδίδασκεν αὐτὴν καὶ συρίττειν, καὶ ἀρξαμένης ἐμπνεῖν, ἁρπάζων τὴν σύριγγα τοῖς χείλεσιν αὐτὸς τοὺς καλάμους ἐπέτρεχεν. καὶ ἐδόκει μὲν ἁμαρτάνουσαν διδάσκειν, εὐπρεπῶς δὲ διὰ τῆς σύριγγος τὴν Χλόην ἐφίλει.* Pari suavitate inter edendum osculis fruuntur amasii apud eumdem Charitum pullum lib. III. Cantionis autem suavitas & peritia, quantum ad Amores faciat, tum aliunde tum ex lepidissimo Aristenaeto, qui nescit hactenus, discat libro I. Ep. XXVII. lib. II. Ep. V. Anacreon apud Max. Tyrium Serm. VIII. *ἐμὲ γὰρ λόγων εἵνεκα παῖδες ἂν φιλοῖεν. χαρίεντα μὲν γὰρ ᾄδω, χαρίεντα δὲ οἶδα λέξαι.* BART.

59. Torrida Mopsi Vox?] Per analogiam a re, in qua siccitas inest: quomodo a coloribus *λευκὴ, καὶ μέλαινα*, quarum hanc *fuscam* vocavit Suetonius in Nerone illam *candidam* Celsus, ut puto, Horatius certe liquidam appellasse videtur, ibi,

Cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Conferunt huic loco intelligendo Suidae verba in *μέγα· ὅτι λέγομεν φωνὴν λευκὴν ἢ μέλαιναν, κατ' ἀναλογίαν καὶ ὁμοιότητα τὴν ἀπὸ τῶν χρωμάτων φαμέν.* Rursus in *λευκόν. ὁμώνυμον ὥσπερ τὸ ἀγαθόν. τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ σώματος λεγόμενον, τὸ λευκὸν χρῶμα σημαίνει, ὅπερ ἐστὶν ὑπὸ τὴν ποιότητα· τὸ δὲ ἐπὶ τῆς φωνῆς, τὸ ποσόν. λευκὴ γὰρ λέγεται φωνὴ ἡ εὐήκοος. εὐήκοος δέ ἐστιν ἡ τὴν ἀκοὴν σφοδρῶς καὶ ταχέως ἀλλοιοῦσα. ὁμοίως δὲ τὸ ὀξὺ δεικνύοιτ' ἂν ὁμώνυμον.* Quinctilianus quoque de vocis qualitate scribens ita inquit: *Est candida, & fusca, & plena, & exilis, & lenis, & aspera, & contracta, & fusa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtusa.* Praeterea consulendus est Aristoteles lib. I. Topicorum, & Julius Pollux in Onomastico, qua parte de Voce, aut his, quae a Voce derivantur, disputat: sed & Demetrium Phalereum adire praestiterit. TIT.

Quasi

Vox? & carmen inops? & acerbae ftridor avenae?
Quem fequeris? quem, Phylli, fugis? formofior illo
Dicor, & hoc ipfum mihi tu narrare folebas.
Sum quoque divitior. certaverit ille tot haedos

Pa-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

62. *Dicor* &c.] Nemef. ad verbum Ecl. II. 79.
63. *Certaverit*] *Certaverat* R.

NOTAE.

Quafi exfuccam dicas. Ut *liquida* contra, quae fluit atque uberat. Infra ipfe.

Tam liquidum, tam dulce canit, ut non ego malim &c.

Hoftius apud Macrob. lib. VI. cap. III. Saturn.

——— ——— non, fi mihi linguae
Centum, atque ora fient totidem, vocefque liquatae.

Pari fchema *ingenium rorans* quafi nec uberans nec ficcum legas apud Melam lib. I. cap. I. Ita enim omnino ibi refcribendum eft. Cum ita loquatur Calpurn. Ecl. V. *Torrida vox* ineruditam atque barbaram notat. Nam fcite *madere artibus* in contrarium dicitur. Martialis lib. VII. ep. LXVIII.

Cujus Cecropia pectora dote madent.

Idem lib. I. Epigr. XXXIX.

Si quis Cecropiae madidus Latiaeque Camoenae
Artibus.

Varro Atacinus elegantiffime.

Argutofque inter laticeis & Mufica labra
Pierio liquidam perfundit nectare mentem.

Fulgentius lib. I. Mytholog. *Gorgonei fontis afpergine madidas, & praepetis ungulae rivo merulentas Pieridas abftraxi.* Qui declarat *madere artibus* idem genus effe dicendi quod *madere vino* cum ebrium dicimus. Appul. lib. VI. Metam. Petronius *plenum* quafi ebrium in eadem re dixit.

——— ——— fic flumine largo
Plenus, Pierio diffundes nectare verba.

Sic *ficcum* quoddam *eloquii genus* agnofcit Macrob. lib V. Saturn. cap. I. in Frontone. BART.

60. CARMEN INOPS?] Nullis divitiis poëticis locupletatum: funt autem in caetera divitiae poëticae, pulchrae, atque aptae inventiones, crebrae figurae, lectiffima verba. TIT. Sic *pauperem venam* dixit in Vita Virgilii Focas Grammaticus. Contra *dives facundia*. Prudentius primo in Symmachum.

——— ——— has fundit dives facundia gemmas.

Sidon:

Veftrae laudibus hofpitalitatis
Cantum impendere pauperis cicutae. BART.

60. ET ACERBAE STRIDOR AVENAE?] Virgil.

——— ——— non tu in triviis indocte folebas
Stridenti miferum ftipula difperdere carmen?

hic nofter:

——— ——— qui vix ftillantes arida voces
Rumpis, & expellis male fingultantia verba.
TIT.

Crudae atque durae. Gloffae. *Acerbum*, ἄωρον, ἀπέπειρον. De quorum primo vide Euftath. in M. Odyff. *Acerba virgo* pro immatura viro Varro apud Nonium. Ad auditum pariter ac Calpurn. tranftulit Lucr. lib. II.

——— ——— ferrae ftridentis acerbum
Horrorem ———

Quod Gifanius quoque obfervavit. Pro crudo atque immaturo hoc vocabulum ufus eft Appulejus aliquoties. Tertull. cap. XI. de Veland. Virg. & adverfus Hermog. XXXIV. Senec. Epift. CXXII. Virg. III. Georgico.

Afper, acerba fonans. ——— BART.

61. QUEM SEQUERIS?] Per comparationem Mopfi, & fui. TIT.

61. FORMOSIOR ILLO DICOR,] Nemefianus:

——— ——— noftro formofior Ida
Dicor, & hoc ipfum mihi tu narrare folebas.

Tale quippiam reperias apud Theocritum. TIT.

63. SUM QUOQUE DIVITIOR.] Triplex bonorum genus commemorat Lycidas, quibus fe praeditum effe dicit. Animi bona continentur eo verfu:

Ille ego fum Lycidas, quo tu cantante folebas
Dicere foelicem.

bona corporis ibi.

——— ——— formofior ille
Dicor.

Denique bona fortunae fequentes duos verfus complectuntur:

——— ——— fum-

Pascere, quot nostri numerantur vespere tauri?
Quid tibi, quae nosti, referam? scis, optima Phylli,
Quam numerosa meis siccetur buccula mulctris,
Et quam multa suos suspendat ad ubera natos.
Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto
Texitur, & nullo tremuere coagula lacte.

Quod

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

65. *Quae nosti*] *Quae nostri* V. Nemes. ibid. v. 35.
67. *Suspendat*] *Suspendit* R. *ab ubere* f.
68. *Gracilis*] Leg. *gracili* ex V. A. B. F. Nemes. ibid. v. 33.
69. *Et nulla trem. coag. lactis* R. V. A. B. F. & Bart. ex G. Nemes. ib.

NOTAE.

——— ——— *sum quoque divitior:*
& caetera. TIT. In conjugiis haec vetustissima querela est, divitias aestimari non probitatem. Theognis.

Κριοὺς μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα Κύρνε, καὶ ἵππους
Εὐγενέας. καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν
Βήσεσθαι· γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
Ἐσθλὸς ἀνὴρ, ἤν οἱ χρήματα πολλὰ διδῷ.

Vide Plutarchum in Lycurgo. At vetus Amor aliter. Aristen. l. 1. ep. x. Ἀνόητος ὅστις ἂν ἠλλάξατο τὸ Μίδου χρυσίον, οὐδὲ τὸν Ταντάλου πλοῦτον ἰσοστάσιον ἡγεῖται τῇ κόρῃ· καὶ σύμψηφοι πάντες ἐμοὶ, ὅσοι μὴ καθάπαξ τῶν ἐρωτικῶν ἀμαθεῖς. Verum tamen illud Diotimae Socraticae apud Maximum Tyrium Serm. VIII. ὅτι θάλλει μὲν ἔρως εὐπορῶν, ἀποθνήσκει δὲ ἀπορῶν. BART.

64. Numerantur vespere tauri?] Imaginem refert cujusdam loci apud Theocritum, quem superius indicavi. Ex pastorum autem more & instituto dixit *numerantur vespere tauri.* Ii siquidem gregem a pabulo redeuntem quotidie recensere solent. Theocritus:

Οὐ θησῶ ποκα γ' ἀμνόν, ἐπεὶ χαλεπός θ' ὁ πατήρ μευ
Χ' ἁ μάτηρ, τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.

Quod deinde fuit imitatus Virgilius, ut notum est. Idem Virgilius, inquit:

Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit; & invito processit vesper Olympo.

Duo vero Lycidas opponit, tauros hoedis, numerum numero TIT.

65. Optima] Βελτίστη, Graecanicum. Nisi & hic nasus quidam rusticus εἰρωνείαν latet. Nam corrupta jam erat Phyllis. Sic Chariclia Adulteram Arsacen ἀρίστην vocat apud Heliodorum libro septimo. Εὔχου μὲν ἐν ἴσῳ, καὶ κάλλιστον μηδὲν τοιοῦτον ἀποτελέσαι τὴν πάντα ἀρίστην Ἀρσάκην. BART.

68. Gracili sine te fiscella, salicto] Virgil.

Haec sat erit Divae vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco.

Et in Georgicis:

Nunc facilis rubea texatur fiscina virga.

Nemesian.

Dum fiscella tibi fluviali Tityre junco
Texitur.

De cavea Theocritus:

Αὐτὰρ ὅγ' ἀνθερίκεσσι καλὰν πλέκει ἀκριδοθήραν,
Σχοίνῳ ἐφαρμόσδων.

Notat autem hic Calphurnius ἐρωτομανίαν Lycidae, de qua quidem animi affectione si quis plura scire desiderat, habet nostros locos controversos illic, ubi Horatii carmen hoc:

Miserarum est, neque amori dare ludum,

interpretamur. TIT.

69. Et nullo tremuere] Produxit ultimam in *nulla* vel ob caesuram, vel ob positionem sequentis verbi *tremuere*, non sine exemplo veterum Poëtarum. TIT. Vetustissima Editio: *nulla tremuere coagula lactis.* Quae genuina est scriptura Calpurnii. Scioli Correctores caesuram non observarunt, nec illud *nulla* posteriorem syllabam longam habere ob sequentes duas consonantes. Habent enim & *TR* nonnumquam hanc vim. Virgilius.

——— ——— *Terrasque tractus maris.*

ut & *CR.* Cinna apud Carisium.

At scelus incesto turpe crescebat in alvo.

Ausonius Monosyllabis.

Au-

Quod ſi dura times etiam nunc verbera, Phylli;
Tradimus ecce manus. licet illae & vimine torto,
Scilicet & lenta poſt tergum vite domentur,
Ut mala nocturni religavit brachia Mopſi
Tityrus, & medio furem ſuſpendit ovili.
Accipe, ne dubita, meruit manus utraque poenas.

His

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

71. *Illae vimine* R. V. A. B. F. *Illae verbere* MSS. Tit.

NOTAE.

——— ——— *fato cadit arborea trabs.*

item *FR* ut apud eundem. *populea frons.* item *GR*. Idem Claris Urbibus. *verſa Graja manus.* in Athenis. Ut & *PR*. Idem Eclogario.

Jane novae primo qui das tua nomina menſi.

Idque rationis loco habet ſtridorem aut horrorem caninae litterae, quae in praecedente verbo aliquid ſoni relinquere creditur, ut inde ultima vocalium longeſcat. BART.

70. Quod si dura times] Reſpicit quod initio dixerat:

——— ——— *Protinus ambas*
Diduxi tunicas, & pectora nuda reſcidi. TIT.

71. Tradimus ecce manus.] Ovid.

Adde manus in vincla meas.

Plautus:

Quid me quaeris? quid laboras? quid hunc ſollicitas? ecce me:
Num te fugi? num ab domo abſum, num oculis conceſſi tuis?
Nec tibi quidem ſupplice; vincire vis, hem oſtendo manus,
Tu habes lora, ego tremere vidi, quid nunc ceſſas? colliga.

Libenter facio, ut quotieſcumque ſeſe mihi occaſio praebet, excellentiſſimi poëtae Torquati Taſſii teſtimonia producam, quare conferam locum ex ipſius grandiori poëmate, ubi Tancredus ita Cloridam alloquitur, eſt enim ab hoc Calphurnii non valde alienum:

Ecco io chino la braccia e t' apreſento
Senza difeſa il petto, hor che nuol ſiedi?
Vuoi ch' agevoli l' opra? I ſon contento
Trarmi l'usbergo hor' hor, ſe nudo il chiedi.

Redeo propius ad hunc noſtrum. Facti poenitentia ducitur Lycidas, ſeque peccati poenam ſubire velle profitetur, qui mos eſt amantium, ut puellas placent. Tibull.

——— ——— *ſed victor & ipſe*
Flet ſibi dementes tam valuiſſe manus. TIT.

71. Vimine torto,] Manuſcriptus codex diſerte prae ſe gerebat *verbere*, quomodo loquitur Maro:

——— ——— *Illi inſtant verbere torto.*

Rurſus de eadem re loquens:

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo.

Sed & vulgata hujus loci ſcriptura ejuſdem poëtae auctoritate firmatur, qui dixerit:

Feſtinate fugam, tortoſque incidere funes
Ecce iterum ſtimulat. TIT.

72. Post tergum vite domentur,] Vitis erat inſigne Centurionum, qua ii in peccantes milites animadvertebant, inde generaliter ad omnes tranſlata locutio. TIT.

73. Ut mala nocturni] Per tranſcurſum in rivalem invehitur, cui furtum objicit, quemadmodum ſibi invicem idem crimen exprobrant Menalcas & Dametas apud Maronem. De furtorum poenis videndus eſt alicubi Gellius. TIT.

73. Mala brachia] Furtifica. Catullus:

——— ——— *manu ſiniſtra*
Non bene uteris in joco atque vino.

Ita *malam manum* Plautus dixit, cum de marſupio pleno argenti loqueretur, quod mala manu tangi non vult, in Perſa, ſi tamen memini. Virgil.

Atque mala vites incidere falce novellas.

Suſpenſum autem furem ideo arbitror, ut eo melius verberari poſſet, quod ſupplicii genus illuſtravit Joannes Meurſius πάντα εἰδὼς χειρῶν ἐφθαλμὸς, in Auctario Philologico cap. XXII. BART.

74. Medio suspendit ovili.] Ut cunctis ludibrio eſſet. TIT.

His tamen, his, inquam, manibus tibi ſaepe palumbes,
Saepe etiam leporem decepta matre paventem
Miſimus in gremium. per me tibi lilia prima
Contigerant, primaeque roſae. vix dum bene florem
Deguſtabat apis, tu cingebare coronis.
Aurea ſed forſan mendax tibi munera jactat,
Qui metere occidua ferales nocte lupinos

Di-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

76. *Inquam*] *Iiſdem* R. & *palumbos*. B. & R. Nemeſ. ib. v. 67.
78. *Miſimus in gremio*. R. V. A. B. F. *Miſimus : in gremio per me*. G. recte. Nemeſ. ib. v. 68.

NOTAE.

76. His tamen, his, inquam, manibus] Πάθος auget repetitio pronominis. Eſt autem color rhetoricus in hac oratione ad poenam depellendam, aut ſaltem minuendam valde accommodatus. Conſimilis figura ſpectatur apud Livium in P. Horatii verbis capitis ſupplicium a filio ſororis necis reo depellere conantis, pete inde, ſi vacat. TIT.

77. Saepe etiam leporem] Eodem propemodum pacto Nemeſianus:

Praeterea tenerum leporem, geminaſque palumbes
Nuper, quae potui, ſylvarum praemia miſi.
TIT.

77. Paventem] *Pavidus* perpetuum Leporis epitheton. Horatius Epodo rr. BART.

78. Mısımus in gremium.] Vetus liber, *miſimus: in gremio per tibi.* Quod bene correxerunt. BART.

79. Primaeque rosae.] Quam vim habeat ὑποτύπωσις indicat omnium ſermone tritum proverbium, *Rarum carum*; ad quod reſpexit Plato in illis: τὸ γὰρ σπάνιον ὦ Εὐθύδημε τίμιον, τὸ δὲ ὕδωρ εὐωνότατον ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος. Martialis ait:

Rara juvant, primis ſic major gratia pomis:
Hybernae pretium ſic meruere roſae.

Rurſus alibi:

Dat feſtinatas, Caeſar, tibi bruma coronas,
Quondam veris erant, nunc tua facta roſa eſt.

Ovid.

Et tenui primam deligere ungue roſam.

Contra Horatius:

Perſicos odi, puer, apparatus,
Diſplicent nexae Phylira coronae.
Mitte ſectari roſa quo locorum
Sera moretur.

Adi quae copioſe congeſſimus in Commentariis ad Senecam de Beneficiis. TIT. Ne grammaticae normae gratis labefactentur, libentius diſtinctionem apponerem poſt illud *miſimus*, continua & alioquin dulciſſima reſonat illa ſententia: in gremio tibi per me contigerunt lilia prima, roſaeque primae; ſed hoc leviuſculum, id quod ſequitur nequaquam leve. MARTELL.

80. Degustabat apis,] Vix apes jam maturos flores inveniebant, cum tibi ego illos indagaram. BART.

81. Aurea sed forsan] Non dubium, quin ad proverbium *Montes aureos polliceri* ſit alluſum, de quo conſule Paroemiographum Terent..

—— —— *Is ſenem per epiſtolam*
Pellexit, modo non montes aureos pollicens. TIT.

82. Ferales nocte lupinos] Valde ἐμφατικῶς dicuntur haec in Mopſi contemptum; perinde enim eſt, ac ſi ita loquatur Lycidas: jactet aurea munera, nihil non tibi polliceatur is, qui furtim alienos lupinos metit, qui viliſſimo pane victitat, qui denique cum extrema cunctarum rerum inopia colluctatur. Vocat autem *ferales* lupinos, quos *triſtes* appellavit Maro:

Aut tenues foetus viciae, triſtiſque lupini
Suſtuleris, fragiles calamos, ſilvamque ſonantem.

Ovidius, *pallentes* eoſdem nominavit:

Nec tu pallentes dubita praebere lupinos. TIT.

Triſtes vocat Maro Georg. I. Sed memini lege-
re

Dicitur, & cocto pinsare legumine panem:
Qui sibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,

Vi-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

83. *Pinsare legumine panem*] Ita V. A. B. F. *pensare legumina pane* R. B. & P. Sic Ecl. IV. 141. & V. 111.

NOTAE.

re notatum aliubi *Lupinos* in mortuariis veterum coenis exhibitos Manibus. Sed auctor illius observationis nunc non incidit. Lucian. Dial. ubi loquitur Menippus. *θέρμους εἰ θέλεις καὶ τὸ ἑκάτης τὸ δεῖπνον*. Idem inter praecepta a Rhad. data in insula Beat. recenset. *μὴ θέρμους ἐσθίειν*. BART.

83. Occidua nocte] Legitimae Latinitati esset *occidua nox* vergens in diem: sed Calpurnium puto aliter intelligere, nempe noctu hunc vicinis aut alias incautis legumina furari. Ut supra vers. 73. *nocturnum* eumdem hunc Mopsum *furem* vocat. *Occiduus*, est occasui proximus. Ovidius I. Met.

——— *occiduo quae littora Sole tepescunt.*

Prosper Aquitanus pro *caduco* posuit in aureolis illis Epigrammatis, quae vertit ex Augustino.

Est & in hac vita multis requies data sanctis,
Quorum animas mundus non tenet occiduus.

Ibidem.

Factum est aeternum quod fuit occiduum.

Paulinus in Elegia de Obitu Celsi.

Exortes animae carnis ab occiduo. BART.

83. Cocto pinsare legumina pane] Vel *ἐξ τῆς ὀσπριολογίας* panem coquere molitis leguminibus; vel confecto pane cibaria parare & legumine fresso, quo edulio plebeji, tenuiorisque fortunae homines utebantur, ut est apud Horatium. Lucanus in Panegyrico ad Calphurnium Pisonem:

Claraque Pisonis tulerit cognomina prima:
Humida callosa cum pinseret hordea dextra?
TIT.

Vidisti tu vir docte, atque oculate difficultatem hujus loci, proinde in commentariis, nulla tantae variationis mentione facta, *cocto pinsare legumina pane* descripsisti: Atque id duobus modis laboras explicare, quasi neutrum acri, & purgatissimo tuo judicio satisfaciat. Antiquam & vulgatam scripturam nos retinendam censuimus, ingenue fatentes nisi longo rerum usu edoctos, quo pacto in difficultate annonae, sterilibusque annis egentes rustici sibi consulere soliti sint & familiae, numquam intellecturos fuisse quid sit *cocto legumina pane pinsare*. Nam duae res valde inter se distantes videntur, coquere legumen, & pinsare panem, vel pinsere; illud coquinarium est, hoc pistorium. At subtile commentum fuit, & ad rem familiarem, vel augendam, vel tuendam, vel etiam per compendii rationem ad familiam sustentandam valde utile, coctis leguminibus, cujuscunque generis suppetant, vel iis quoque frugibus, quae leguminum instar elixata eduntur, ut Oryza praesertim, & milium decorticatum, id proprie forsitan Latine diceretur *pistum*, nos vulgo *brillatum*, item Lupini aqua prius macerati, & edulcati, quod egentissimorum hominum, extremum refugium est, & alia hujus nominis plus minus; Utile inquam, & oppido quam compendiosum commentum fuit, coctis leguminibus & iis in pultem redactis admixto certo farinae triticeae pondere, adhibitoque fermento, panem conficere: quod subigendo & pinsando diu, atque diu fit. Cum itaque Lycidas exprobare rivali suo vellet cum furti nota summam mendicitatem, contra id, quod ille montes aureos jactabat, dicit: Mopso in more esse per noctem metere, scilicet in campis alienis, *lupinos*, quos ob amaritudinem vocat *ferales*, quasi exsecrandos & invisos: & ex hoc legumine (ponit enim poëtico ritu genus hoc frugis in leguminibus) probe atque per otium cocto, & per coctionem plurimum aquae absorbente, atque inde plurimum excrescente, farina, quantum sit satis ad panificium, adscita & tota illa massa susque deque bene, ac bene subacta, panem sibi quo misere sustentaretur parare. Res modo facta est, ut arbitror, aperta, & indubitabilis MARTELL. Puer rescribat, *pinsare*. Nisi si hoc peccatum typographicum est. BART.

85. Ma-

Vilia cum subigit manualibus hordea saxis.
Quod si turpis amor precibus (quod abominor) istis
Obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa
Ilice, quae primum nostros violavit amores.
Hi tamen ante mala figentur in arbore versus:

„Cre-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

87. *Nectemus*] *Innectemus* R.

NOTAE.

85. Manualibus hordea saxis.] Contemptum auxit Lycidas ab eo, quod Mopsum panem ex hordeo conficere dixit, eumdemque suis manibus molere affirmavit; utrumque enim vilissimum est. Servi nequam in pistrinum a veteribus conjiciebantur, ut molam versarent, asinique vice fungerentur: nam alioquin hoc animal ei muneri deserviebat, unde inquit Catullus,

Et non pistrino truditur, atque asinus;

id est perinde, atque asinus. Hinc *asinus machinarius*, id est molas agens, de quo fit mentio a Jurisconsulto in L. quaesitum est ff. de fundo instr. & in l. cum quaeritur ff de legat. III. *&* *molae asinariae*, vel *jumentariae*; item *molae manuarine*, qui & *trusatiles*, de quibus in l. dolia ff. de fundo instr. Hic igitur Lycidas vilitatem, ac mendicitatem Mopso exprobrat, quod videlicet molas trusatiles verset; *saxa manualia* vocat Tacitus, quae sola manu jaci possunt absque ullius machinae ope, atque auxilio: contra de Romano milite ait: *congestas lapidum moles pervolvere:* de *manualibus lapidibus* hoc insuper Sisennae testimonium reperitur apud Nonium: *Manuales lapides dispartit, propterea quod is ager omnis ejusmodi telis indigebat.* Sed & Ammianus ait: *Et quamquam angusti calles difficiliorem aditum dabant ad muros, aptatique arietes aegre promovebantur, manualium saxorum sagittarumque metu arcente*, & reliqua. Rursus alio libro: *Dimicabatur nihilominus utrobique saxorum manualium nimbis.* Contra *saxa muralia* dixit idem auctor, cum de arietis forma loqueretur libro XX. TIT. Molis trusatilibus, quas manu intorquere possis. Serenus de iis cap. IV.

——— ——— ——— ——— ningit
Copia farris uti frendentibus edita saxis.

Vetustissimos solis saxis ad eam rem usos Virgil. Aen. I. & Valerius Flaccus testes. Trusatiles molas *manuarias* vocat Cato cap. X. de Agricult. *versatileis* Plin. lib. XXXVI. cap. XVIII. BART. Formulas hujus veteris consuetudinis, ad mentionem rei adversae, vide apud τ̄ θαυμάσιον Brissonium lib. I. qui & eamdem hanc ex Ovidio notavit. BART.

87. Laqueum miseri] Desperatione adacti vitam suspendio finiemus ab illa Ilice, de qua supra dictum est:

En sibi cum Mopso calamos intexere cera
Incipit, & puere comitata sub ilice cantat.

Caeterum non desunt exempla eorum, qui prae amoris impotentia sibi laqueo collum obstrinxerunt, quod se facturam minatur Europa apud Horatium:

Vilis Europae pater urget absens:
Quid mori cessas? potes hac ab orno
Pendulum Zona bene te secuta
Laedere collum.

Praesentissimum porro ad amoris curas deponendas, atque amoliendas remedium laqueus esse creditur, testante id epigrammate Graeco. TIT. Nihil consuetius amatoribus quam letum sibi minari. Aristenaetus lib. I. Epist. X. τοιγαροῦν εὐθέως, ὦ κάλλιστον παιδίον, Ἀκόντιε, δυοῖν θάτερον ἢ γάμον ἢ θάνατον διαλογίζου βληθείς. Idem lib. II. Epist. οἶδ᾽ ἂν ἐρᾷ τις, Καλλίνη, καὶ τοῦ σοῦ φθείρεται γλυκυτάτου πνεύματος. καὶ τεθνήξεται θᾶττον οἷα τερχὸς χειμάῤῥου, καὶ σκιᾶς εἴδωλον γεγονὸς, εἰ μὴ τὴν παροῦσαν θεραπείαν ἐπιτύχοις τοῦ νοσήματος. BART.

89. Mala figentur in arbore versus:] *Malam arborem* vocat, quam T. Livius non uno in loco *infoelicem* appellat: *I lictor caput obnube liberatoris urbis hujus, arbori infoelici suspende.* Cicero pro Rabirio: *I lictor colliga manus, infelici arbori suspendito.* Nescio an eodem sit referendum Catullianum illud:

Infoelicibus ustulanda lignis.

Pertinet autem ad invidiam, ingratique animi no-

„Credere, pastores levibus nolite puellis:
„Phyllida Mopsus amat, Lycidas habet ultima rerum.

Nunc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

91. *Mopsus amat*] f. *habet*. *Mopsum Phyllis amat.* Mod.

NOTAE.

notam Phyllidi impingendam, carmen, quod de suo interitu scribi vult Lycidas. Idem Hypermnestra, cum propinquam mortem a patre sibi impendere sciret, praestari sibi voluit. Horat.

—— —— —— —— secundo
Omine, & nostri memorem sepulchro,
Scalpe querelam.

Ovid.

Inscribere meo causa invidiosa sepulcro;
Aut hoc aut simili carmine notus eris.
Phyllida Demophoon letho dedit; hospes amantem;
Ille necis causam praebuit, ille manum.

Et in epistola Didonis:

Nec consumpta rogis inscribat Elisa Sichaei;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit.
Praebuit Aeneas & causam mortis, & ensem:
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

Franciscus Petrarca:

Et voglio anzi un sepolchro bello, & bianco,
Che 'l vostro nome à mio danno si scriva
In alcun' marmo. TIT.

89. Mala] i. e. *infelice*, ut erat in veteri formula. *Malus* pro letali nonnumquam usurpatur. Valerius Flaccus lib. I.

—— —— quoties mox rapta videbo
Vela Notis, plenasque malis clamoribus undas.

Intelligit naufragorum morticinos planctus. Plura de hoc vocabulo & docti & nos alibi notavimus, quae heic repetenda non sunt. BART.

91. Phyllida Mopsus amat,] Pronunciatione hoc adjuvandum est, ut admirationem exprimat: sic ferme Virgilius:

Mopso Nysa datur?

Sed cuinam quaeso culpae affinis judicari debet puella, si a Mopso ametur? habet enim hanc vim pulchritudo, ut statim conspecta omnium sibi voluntatem, amoremque conciliet; Itaque sapienter Graeci pulchro ex eo indidere nomen, quod omnes ad se alliciat; dixerunt enim καλὸν παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ. Et veteri proverbio circumfertur: ὅτι καλὸν, φίλον αἰεί. Theognis:

Ὅττι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.
Ταῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Cogitabam itaque num legi oporteret. *Phyllida Mopsus habet*, id est ἔχει, nisi *amat* ita dictum sit, ut ostendere velit Lycidas, ne dignum quidem esse Mopsum, qui Phylliden amet, nedum ab ipsa mutuo diligatur. Eodem consilio dixit Catullus;

Quam sic te sineres ab isto amari.

Loquitur autem de suo puero. vel debet verbum *amat* cum effectu accipi, ut sit, amore potitur, quod expressius innueret illa altera lectio *habet*, quamquam ne sic quidem obscurus est sensus, & alioqui verbum *habet* in hac significatione ad turpiculum amorem, aut turpem ipsius usum referri consuevit; ut apud Terentium:

Quis heri Chrysidem habuit?

Hinc jocus ille Martialis:

Quare non habeat, Fabulle quaeris
Uxorem Themison: habet sororem.

Sic dixit Demosthenes: ἔχω Λαΐδα, οὐκ ἔχομαι. Sed non expedit in his rebus diu immorari: TIT. *Amat*, heic *cum effectu*, ut loquitur Jurisconsultus, intellige, ut redametur quoque ipse. Alioqui:

—— —— τί κυνότερον ἢ ὅτι μοῦνοι
Ἀνέρες ἱμείρουσι καὶ οὐ ποθέουσι γυναῖκες:

ut canit Nonnus lib. XLVIII. Dionys. Idem *saxeam vocem* esse dicit abnuentis puellae lib. XXXIII.

—— φθέγξασθε λίθοι πετρώδεα φωνὴν
Χαλκομίδην ποθέω καὶ ἀναίνεται.

Quare non opus est ut in sententiam veniamus eruditissimi Modii, qui lubenter rescribat, *Mopsum Phyllis amat*. Nec eo sane usus est quod pueris nobis, cum fortefortuna hunc Poëtam arripuissemus, placebat, trajici voces, ut fieret:

Phyllida Mopsus habet, Lycidas amat ultima rerum.

Quae sententia alioqui optima esset, Calpurnioque dignissima. Sed sustinenda mutatio. BART.

91. Habet ultima rerum.] Περίορισις mortis. sic enim ipsam definivit Demosthenes: πέρας μὲν γὰρ ἐστὶν ἅπασιν ἀνθρώποις τοῦ βίου θάνατος. Horat.

Hec sentis, moriar; mors ultima linea rerum est. TIT.

92. Su

Nunc age, si quidquam miseris succurris, Iola,
Perfer, & exora modulato Phyllida cantu.
Ipse procul stabo, vel acuta carice tectus,
Vel propius latitans vicina, ut saepe, sub ara.
IOL. Ibimus, & veniet, nisi me praesagia fallunt:

Nam

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

92. *Quicquam*] *Si quiquam* Bart. ex G.

93. *Perfer*] *Praefer* R. *Et exora modulato*] *Et ore tuo modulabor Phyllida* B. V. & Martell. ex V. C.

95. *Vicina, ut saepe sub*] *Vicina saepe sub.* R. V. A. B. F. Lego: *vicina sepe sub aram*, vel, *vicinae sepibus arae.* Vide quae ad Ecl. 1. vs. 15. notavi.

96. IOL.] Deest in V. A. *Venit*] *Venies* R.

NOTAE.

92. SI QUIDQUAM MISERIS SUCCURRIS,] Siquidem succurris, meminit enim ejus, quod pollicitus fuerat Idas.

——— ——— *Si quid mandare juvabit,*
Sedulus iratae contingam nuncius aures.

Caeterum sic est apud Maronem:

Non ignara mali miseris succurrere disco. TIT.

92. QUICQUAM] Vetus liber, *quiquam.* pro quoquam. Quod genuinum sine dubio. BART.

Perfer & exora modulato Phyllida cantu.

Primum illud constat, in antiquioribus illis libris impressis, qui propterea minus corrupti ab improbis correctoribus censendi sunt, dilucide haberi

Perfer & ora tuo modulabor Phyllida cantu.

Sententia praeclara sine controversia. Nam etsi bonus Iolas sedulum se nuncium Lycidae apud Phyllida fore pollicitus esset, dicens

——— ——— *Si quid mandare juvabit,*
Sedulus iratae contingam nuncius aures.

Lycidas tamen ab Iola nil aliud quaesivit, ac voluit, nec e re sua futurum sperabat aliud, quam fideliter recitari Phyllidi sua Carmina. In his a seipso compositis omnem spem suam collocarat; reliquorum & verba, & cantus nil pensi habebat. Deinde hujus etiam suae persuasionis causam reddit, itaque respondet,

Jam dudum meditor, quo Phyllida carmine placem,
Forsitan audito poterit mitescere cantu;
Et solet illa meas ad sydera ferre Camenas.

Ergo perfer tantum, o Iola, mea carmina in libro Cerasi a te notata, & descripta. sedulo perlege illa meae Phyllidi: Sic namque fiet, *ut ore tuo* id est per organa vocis tuae, ego *moduler*, id est ad modum, mansuetudinem, miserique amantis & languentis commiserationem adducam dominam meam. Et vero si etymon verbi *moduler* attendamus, *modulari* nil aliud esse comperiemus, quam modum id est mensuram adhibere. Unde *modulari* proprie est mensurare, sed translate (uti superius de modulatu observabamus) modum & rationem vocis in cantu praescribere. Itaque *modulari Phyllida* erit modum, & mensuram aliquam praebere Phyllidi in me amando, vel despiciendo. Potuisset poëta nullo carminis, vel politissimae sententiae detrimento dicere *mulcebo*, sed optimo cantori & modulatori arrisit magis vox propria quam aliena. Et alioquin illud *exora modulato cantu*, multum officeret amentium amantium studio, qui non aliena virtute, sed meritis propriis in gratiam redire amicarum expetunt. Quid? quod illud *modulato carmine* inane esset, cum sat foret exorasse Phyllida, vel sine modulatione, Carminibus Lycidianis scilicet modo lectitandis & simplici voce pronunciandis. MARTELL.

94. ACUTA CARICE TECTUS,] Ita quoque caricem vocavit Maro:

Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta. TIT.

Ad illud: *tu post carecta latebas.* BART.

95. VICINA SEPE SUB ARA.] Sub ara alicui Deo dicata. Est autem hic τὸ *Sepe* nomen non adverbium: quamquam sine diphthongo scribi debet, ut sit manifeste differentia vel in auferendi casu etiam si accentus praeterea deesset in extrema syllaba. TIT.

97. NAM

Nam bonus a dextra fecit mihi Tityrus omen.
Qui redit inventa non irritus ecce juvenca.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

97. *A dextra*] *A dextro* R. *en dextrum* f.
98. *Qui redit*] *Qui venit* R.

NOTAE.

97. Nam bonus a dextra] Omen quarundam rerum a dextra foelix, a finistra infoelix. Virgil.

Saepe finistra cava praedixit ab ilice cornix.

Rurfus:

Quod nisi me quacumque novas incidere litis
Ante finistra cava monuisset ab ilice cornix.

Porro de auguriis plura a nobis collecta funt in iis libris, quos de Univerfo divinationis genere confecimus, quae hic repetere fupervacaneum foret. TIT.


97. Bonus] Vult dicere. Tityrus a dextra bonum omen facit: Maro:

At pater Aeneas fe matutinus agebat.

ita nofter faepiffime infra. BART.



ECLO-



ECLOGA IV.

CAESAR.

MOELIBOEUS, CORYDON, AMYNTAS.

QUid tacitus, Corydon, vultuque fubinde minaci,
Quidve fub hac platano, quam garrulus adftrepit humor,
In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

CAESAR.] Sic P. & Ed. Juntae. Numerianum, an Carinum, vel utrumque intelligat, haud proclive eft dijudicare. Numerianum refpicere videtur vf. 87. *facundo comitatus Apolline Caefar*, ut videre eft Ecl. I. 45. Utrumque fpectat vf. 10. Sed potius eft, folus intelligatur Numerianus, cui intimus erat Nemefianus, qui hic Meliboei nomine defignatur.

2. *Quam*] *Qua* F.

NOTAE.

CAESAR.] Ab argumento poëmatii factus eft huic Eclogae titulus *Caefar*: fic enim vifitur in codicibus Florentiae divulgatis a Philippo Junta. TIT.

1. QUID TACITUS, CORYDON,] Cogitabundi habitum ac geftum exprimit: fic Horatius:

An

Infesta statione sedes ? juvat humida forsan
Ripa ? levatque diem vicini spiritus amnis ?
Cor. Carmina jam dudum, non quae nemorale resultent,
Vol-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

3. *Infesta*] *Infecta* R. an *Intecta* ?
5. *Jamjudum*] *Namdudum* R.

NOTAE.

An tacitum silvas inter reptare salubres. TIT.

1. VULTUQUE SUBINDE MINACI,] Eleganter hoc describitur a Juvenali Satira IX. Rusticissime autem jocatur in τῷ INFESTA BART.

2. SUB HAC PLATANO,] Sic etiam dixit Nemesianus:

Atque sub hac platano moesti solatia casus
Alternant.

Fuit enim haec arbor in deliciis habita ob amoenitatem Umbrae, quare crebra ejus mentio exstat apud Poëtas. Moschus ait:

Αὐτὰρ ἐμοὶ γλυκὺς ὕπνος ὑπὸ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ,
Καὶ παγᾶς φιλέοιμι τᾶς ἐγγύθεν ἦχον ἀκούειν.

Horat.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & caetera.

Sed & M. Tullius lib. I. de Oratore : *Nam me haec tua Platanus admonuit, quae non minus ad opacandam hunc locum patula est diffusa ramis quam illa, cujus umbram sequutus est Socrates.* TIT.

2. PLATANO, QUAM GARRULUS ADSTREPIT] Petronius.

Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras,
Et circumtonsa trepidanti vertice pinus,
Et baccis redimita Daphne, tremulaeque cupressus.
Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo versabat rore lapillos,
Dignus Amore locus. —— BART.

2. GARRULUS ADSTREPIT HUMOR,] Non aliter ferme Lucretius:

Propter aquae rivum sub ramis arboris altae.

Virgilius in Culice:

Rivum propter aquae viridi sub fronde latentem.

Tibullus:

Sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae: TIT.

3. INFESTA STATIONE SEDES ?] Cur *infesta* dixerit, docuit illis verbis ; *garrulus astrepit humor.* Sed & illis alteris versibus ratio reddi potest:

Namque sub exeso raucam mihi pumice lymphae
Respondent ; & obest arguti glarea rivi.

Sunt qui legant *intecta.* TIT.

3. INFESTA STATIONE] Tamquam obsideret locum. Rusticus magnam hanc putat festivitatem. Terentius.

—— —— *nunc vero domi*
Certum obsidere est usque donec redierit. BART.

4. LEVATQUE DIEM] Diei aestum: Physice autem locutus est ; etenim ex fluminibus frigida quaedam aura assidue spirare solet, veluti scriptum reliquit Aristoteles in Problematis. Sed & apud Arrianum in descriptione maris Euxini ita exaratum legas: *ἐνθένδε ἐπλέομεν, τὰ μὲν πρῶτα ταῖς αὔραις ταῖς ἐκ τῶν ποταμῶν πνεούσαις ἕωθεν καὶ ἅμα ταῖς κώπαις διαχρώμενοι· ψυχραὶ μὲν γὰρ ἦσαν αἱ αὖραι, ὡς λέγει καὶ Ὅμηρος.* Auctor Poëmatii, cui titulus Aetna,

Flamina parva ferunt auras,

inquit : quod Ammianus quoque confirmat. Plinius narrat Nilum unum omnium fluminum nullas exspirare auras: id quod etiam apud Heliodorum, Aethiopicorum libro II. reperias. Testatur etiam Diodorus libro I. ubi causas inundationis Nili perscrutatur. TIT.

4. DIEM] Solem, seu Solis equos, ut Eclog. I. calorem circumscripsit. *Dies* est Sol. Lucretius lib. I. II. & VI.

—— —— *lucida tela diei,*

pro radiis Solaribus. quibus locis interpres est Lucianus libro de Astrologia. *τοῦ ἠελίου τὰς βολὰς τὰς ἐγὼ ἤματος εἶναι συμβάλλομαι.* BART.

4, VICINI SPIRITUS AMNIS ?] Sane res ipsa docet vicinos fluvios sentiri aëre gelidiori & spiritu quodam gratissimo. Vide Appianum in Parthico ; sive, quem ille de more exscribit, Plutarchum in Antonio. BART.

5. NEMORALE RESULTENT,] Supra:

—— —— *nihil armentale resultat.* TIT.

Volvimus, ô Meliboee; sed haec, quibus aurea possint
Saecula cantari, quibus & deus ipse canatur,
Qui populos urbesque regit, pacemque togatam.
Me. Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo
Respicit, ô juvenis; sed magnae numina Romae

Non

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

8. *Urbesque*] *Urbemque* V. A. B. F. f. *Urbemque regit plebemque togatam.* κατ' ἐξοχὴν.
9. *Resonas*] *Resonans* R.
10. *Respicit*] Ita R. P. & Mod. *Despicit* V. A. F. B. & Bart. *Numina*] *Munera* R. V. A. B. F. & G. *moenia* Tit. recte.

NOTAE.

5. Resultent,] Rusticum, pro resonent. Eclog. 1.

——— ——— *nihil armentale resultat.* BART.

7. Saecula cantari,] De aureo seculo videndus est Hesiodus, & ex nostris Ovidius. Res omnibus nota est & valde pervulgata. TIT.

7. Deus ipse] Imperator. Sic Virgilius:

O Meliboee deus nobis haec otia fecit. TIT.

8. Urbemque regit,] Romam κατ' τὴν ἀντονομασίαν ἢ ἐξοχὴν. Horatiis:

——— ——— *rubente*
Dextera sacras jaculatus arces
Terruit urbem. TIT.

8. Pacemque togatam.] Toga proprium fuit Romanorum vestimentum, unde Virgilius:

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

ea utebantur domi, cum foris in militiam profecti Chlamydem, aut sagum, aut lenam sumerent, hinc toga pro pace, sagum pro bello. Ovid.

Occidit exemplum juvenis memorabile morum,
Maximus ille armis, maximus ille toga.

Martialis:

Clarum militiae Fronte, togaeque decus.

M. Tullius Oratione in Pisonem:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Idem secunda adversus Catilinam: *Atque haec omnia sic agentur, Quirites, ut res maximae minime motu, me uno togato duce sedentur.* Idem de Sago Philippica 5. *justitium indici, saga sumi dico oportere.* Rursus octava: *Delectus tota Italia decerni, sublatis vocationibus: saga cras sumentur.* Rursus, 13: *Te non intelligis, delectu tota Italia habito, Consulibus missis, Caesare ornato, sagis denique sumptis, hostem judicatum?* TIT. Romanam. *Toga* enim pacis aequivoca. Cicero: *cedant arma togae. Togatus Romulus* apud Ausonium Ludo Sapientum, pro plebe Romana. Sic Lucullum Xerxem *togatum* appellabat Tubero Stoicus, teste Plutarcho in Lucullo. vide Macrob. lib. vi. Saturnal. cap. v. BART.

9. Diversus Apollo] Contrarius. Aeneid. v. Virg.

Quo diversus abis?

Laeva numina vocat idem.

——— ——— *si quem*
Lumina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo.

vel *diversus Apollo* est idem cum Deo Vejove, de quo vide Agellium lib. v. cap. xii. BART.

10. Magnae munera Romae] Quid si legamus *moenia*? & quidem oportere arbitror ob id, quod statim sequitur:

Non ita cantari debent, ut ovile Menalcae.

Natus est autem error ex antiqua Orthographia *moenera* pro *munia*. Romam vero magnam appellavit vel ob amplitudinem Imperii, vel ob murorum ambitus magnitudinem. Virg.

——— ——— *hic maxima porro*
Accepit Roma.

& iterum:

——— ——— *nunc maxima rerum*
Roma colit.

Rursus:

Et juxta Ascanius magnae spes altera Romae.

Alibi *altam* nominavit:

Albanique patres, atque altae moenia Romae.

Alibi quoque, postquam de Roma per comparationem locutus est, ita sermonem claudit:

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

TIT.

10. No-

Non ita cantari debent, ut ovile Menalcae.
Cor. Quidquid id est, silvestre licet videatur acutis
Auribus, & nostro tantum memorabile pago:
Dum mea rusticitas, si non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari.
Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Haec eadem nobis frater meditatur Amyntas,

Quem

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

12. *Id est*] Ita R. P. & Mod. qui cit. *adest. inest* al. omn.
14. *Tam mea*, & 15. *Valet a pietate* Bart. in Adv.
17. *Meditatur*] Sic P. *meditatus* al. omn. *Nobis*] i. nobiscum. Virg. Ecl. VII. *Corydon est nobis*, &c. Vide ad Olympii Cyneg. versu 158.

NOTAE.

10. Numina Romae] Veteres Editiones habent *Munera*. Illud magis placet. Caeterum quod hoc versu Modius *respicit* reponit, in ejus gratiam fortassis, non rei gratia ut suscipiatur, non opus est. Nam ita loqui scriptores vulgatum est, ut duplicem potestatem vocabulorum una particula submoveant. Praeterea *Diversus Apollo te non respicit*, non est ex sententia Poëtae, qui favere vult Deum cantori. BART.

11. Non ita cantari debent,] Significat τὸ πρέπον servandum esse, quomodo etiam inquit Horatius:

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii;
Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,
Nec saevam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia:

& quae ibi sequuntur. Sic etiam Virgilius:

Cum canerem reges, & praelia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: pastorem Tityre pingues
Pascere oportet oves: deductum dicere carmen.

Columella:

Ista canat majore Deo, quem Delphica laurus
Impulit. & reliqua. TIT.

12. Quicquid inest,] Bene idem Modius, de litteris variis nominibus optime meritus: *Quicquid id est*. quod familiare omnibus scriptoribus. BART.

12. Acutis Auribus,] Aliter hic accipiendae sunt *acutae aures*, quam fecerit Nemesianus dicens:

—— —— *aut digitis aures astringit acutas.*

Hic enim attentas, & ad audiendum erectas, vel dociles intelligit Poëta, quibus infra opponit *obesas*,

—— —— *& obesis auribus apta.*

Illic vero ὀξείας, id est fastigiatas, & in acumen collectas. Ausonius appellavit nares *acutas*, quae sagaciter odorarentur:

—— —— *minus aptus acutis*
Naribus horum hominum, TIT.

Ingeniosis atque delicatis. Quibus *obaesas* opponit infra. Sic *acutas manus* Cupidini dat Appulejus lib. v. Metam. Sic *acutos homines* ingeniosos vocat Aquila Romanus Rhetor. *inventio rerum cum acutis hominibus communis est*. BART.

15. Valeat pietate probari.] *Pietas* hoc loco idem valet, quod apud M. Tullium, ibi: *Ego omni officio, ac potius pietate erga te caeteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio.* TIT.

15. Pietate] De principe ut Deo loquitur, nam erga eum *pii* sumus: Sic saepe Panegyristae & Symmachus. BART.

16. Eadem,] Ablativus est, & vox duarum syllabarum. Lucilius lib. IX.

Hec faciemus & uno eodemque ut dicimus pacto.
BART.

16 Proxima pinus obumbrat,] Cum Platano pinum conjungit. supra enim dixerat:

Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit humor
Infesta statione sedes?

Idque rectissime. Certe Horatii exemplum secutus videri potest dicentis;

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere. TIT.

17. Frater meditatus Amyntas,] Blande Amyn-

Quem vicina meis natalibus admovet aetas.
MEL. Jam puerum calamos & odorae vincula cerae
Jungere nunc cohibes, levibus quem saepe cicutis
Ludere conantem vetuisti fronte paterna?
Dicentem, Corydon, te non semel ista notavi:
Frange, puer, calamos, & inanes desere Musas,
Et potius glandes rubicundaque collige corna:

Duc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

18. *Aetas*] *Aestas* G. *quem vicena meis natalibus amovet aestus.* ut nondum vicesima venerit aestas. Bart. in Adv.

19. *Odorae*] *Odorare* R.

20. *Nunc cohibes*] i. permittis. Glossae: *cohibet*, κατέχει, ἐνθυμεῖ, pro, connivet. Salmas. *cohibes*, contrarium τῷ *prohibes* Bart. in Adv: (ita *adscisco* oppositum τῷ *descisco* apud Grat. v. 16.) *nunc cogis* MSS. Tit. fortean; *non cohibes.* Insuave enim τὸ *nunc*, praecedente *Jam.*

NOTAE.

Amyntam appellat. Sic etiam supra:
Hoc potius frater Corydon nemus, ista petamus
Antra patris Fauni. TIT.

19. ODORAE VINCULA CERAE] Mellis odorem adhuc servantis. Haec enim praeter caeteras nota est optimae cerae, auctore Plinio. TIT.

20. TUNC COHIBET,] Alicubi spectabatur *cogis*, quod rejici non debet. TIT.

20 CICUTIS] Fistula. Virgil.
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula. ———
Ecloga VII. BART.

21. LUDERE] Tentare carmen. Vide ad Ceirin. BART.

21. FRONTE PATERNA] Severa, vel simpliciter admonitoria; nam in priore sensu dixisset potius *patrua*, sicut Horatius:
Aut exanimari metuentis patruae
Verbere linguae.
Rursus:
Sive ego prave, seu recte, ne sis patruus mihi.
Catullus in Gellium:
Gellius audierat, patruum objurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
M. Tullius pro Coelio: *Qui in reliqua Vita mitis esset, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister.* Idem ad Atticum: *Cura, amabo te, Ciceronem nostrum, cui nos Θῶοι videmur.* TIT. Austeritate patria. Ut *patruam Linguam* Horatius pro severa dixit libro III. carmin. XII. BART.

23. FRANGE, PUER, CALAMOS,] Juvenalis:
Frange miser calamos, vigilataque praelia dele.
Sic etiam Martialis:
Frange leves calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.
Sic apud Theocritum seipsum admonet Cyclops:
Αἰκ' ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις καὶ θαλλὸν ἀμάσας
Ταῖς ἄρνεσσι φέροις, τάχα κεν πολὺ μᾶλλον ἔχοις νῶν.
Unde sumpsit Virgilius, quod ait:
Quia tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?
De inani studio, poëtarum multae exstant querelae apud scriptores, atque Ovidius quidem se a patre objurgatum fuisse narrat his verbis:
Saepe pater dixit, studium quid inutile tentas,
Maeonides nullas ipse reliquit opes.
Martialis ad Flaccum:
Pierios differ cantusque, chorosque sororum:
Aes dabit ex istis nulla puella tibi:
& caetera. TIT.

24. RUBICUNDAQUE COLLIGE CORNA:] Virgil.
——— ——— *prunis lapidosa rubescere corna.*
Horatius:
——— ——— *quod si rubicunda benigne*
Corna vepres & pruna ferant? TIT.

25. LAC

Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem
Non tacitus porta. quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo
Praeter ab his scopulis ventosa remurmurat echo.
Cor. Haec ego, confiteor, dixi, Meliboee; sed olim
Non eadem nobis sunt tempora, non deus idem.
Spes magis arridet. certe ne fraga rubosque
Colligerem, viridique famem solarer hibisco,

Tu

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

27. *Tutere*] *Taceare* R. f. *tueare. solere* Nic. Heinf.
28. *Praeter ab*] Ita omn. Edd. vett. *Praeterquam* P. & Mod.
30. *Sunt tempora*] *Sed olim*: *Non eadem enim nunc tempora* Bart. in Adv.

NOTAE.

25. Lac venale per urbem] Ex hac consuetudine omen factum est Crasso in Parthos proficiscenti ab eo, qui ficus Cauneas inclamavit, auctore Plinio. Eodem referendum est Persianum illud:

Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis
Cum bene discincto cantaverit ocyma vernae.

Martialis:

Quod fumantia qui tomacla raucas
Circumfert tepidis coquus popinis.

Rursus:

Surgite jam pueri, clamat jentacula pistor, TIT.

26. Non tacitus] Ingerit hic locus, qui hodie alicubi locorum mos est, eum & Romae fuisse, ut rustici, quod in urbem venale inferrent, vendibile proclamarent. BART.

27. Quo tutere famem?] Claudianus:
Extremam defende famem. TIT.

27. Tutere] Defendas: hoc est, arceas atque propellas. de *defendendi* verbo ad Claudianum infr. Ecloga VI. BART.

28. Praeter ab his] Non bene consuluit laudi suae Modius hunc locum refingendo. *Praeterquam his.* Poëtae enim non raro ita locuti sunt, ut praeferunt omnes veteres Editiones. Elegantissime. *Ventosa* autem non est Echus Epitheton. Sed haec constructio. mea carmina nemo remurmurat, praeter Echo, quae ventosa ab his scopulis. BART.

28. Ventosa remurmurat Echo.] Cur *ventosam* Echo appellaverit, curque *remurmurat* dixerit sciri potest ex Aristotele in Problematis; ubi illius effectus causam reddit, ad quam rem videndus est etiam Plinus libro II. cap. XLIV. & Lucretius libro III. De ea sic ait Maro:

——— ——— aut ubi concava pulsa
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Horat.

——— ——— cujus recinit jocosa,
Nomen imago.

Rursus:

——— ——— ut jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago. TIT.

29. Sed olim] Distingue: *sed olim.* Fatetur olim se ista dixisse, nunc alterius esse Fortunae. BART.

30. Non eadem nobis sunt tempora,] Sententia Terentiana,

Nunc haec tempora aliam vitam, alios mores postulant.

Olim autem tempus praesens denotat. TIT. Num particula *olim* praesens tempus aliquando denotet, mecum non est judicare contra judicium tuum, mi Titi; sed hoc loco vereor, ut tempus anteactum, longissimoque intervallo antea praeteritum potius significet, ut solet, ac sane debet. Verumtamen post illud *olim* exemplo notam separationis apponendam judicarem, & elucebit actutum sententia clara, praeclara, percelebris. in re perspicua non abutar otio, & litteris. MARTELL.

31. Rubosque] Mora in rubis nascentia. sic *quercus*, & *fagus* pro glande quandoque ponitur. TIT.

32. Jam me solarer hibisco,] Qui gregi-

bus

Tu facis, & tua nos alit indulgentia farre.
Tu nostras miseratus opes, docilemque juventam,
Hiberna prohibes jejunia solvere fago.
Ecce nihil querulum per te, Meliboee, sonamus,
Per te secura saturi recubamus in umbra,
Et fruimur silvis Amaryllidos. ultima nuper
Litora terrarum, nisi tu, Meliboee, fuisses,
Ultima visuri, trucibusque obnoxia Mauris

Pa-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

34. *Nostri* G. *Tu nostri mis. ope es* Bart.
35. *Solvere*] *Pellere* R. & MSS. Tit.
37. *Saturi recubamus*] *Satyri recumbamus* R.
38. *Amaryllidos*] Ita R. P. *Amaryllidis* V. A. F.
40. *Trucibusque*] *Trucibus qua* Bart. in Adv. *trucibus* R.

N O T A E.

bus objici consuevit, unde extrema paupertas denotatur: verbo *solari* in hac re usus est etiam Maro dicens:

Concussaque famem silvis solabere quercu. TIT. Vide ad Gratium versu XXXII. BART.

33. INDULGENTIA FARRE] Pro fragis, moris, hibisco, atque aliis hujusmodi vilibus. Opponit autem *alere τῷ solari*, quocirca statim dicet:

Per te secura saturi recubamus in umbra. TIT.

34. TU NOSTRAS MISERATUS OPES,] Vetustissima Editio, quam aliquoties laudavimus, litteris Germanicis, sive Longobardicas mavis, excusa, Lipsiae, ut arbitror, aliam lectionem habet.

Tu nostri miseratus opes.

An scriptum Calpurnio, *Tu nostri miseratus ope es*, ut non nudam miserationem, sed & opem ingerat Melibaei? Nam cum pauperrimum se queratur, opes jactare stolidum sit, nisi fortassis amissas dicat restituisse Melibaeum. Judicent eruditi. Nobis vetus lectio Calpurnii genuina videtur. BART.

35. JEJUNIA SOLVERE FAGO] Virgil.

Uvidus hesterna venis de glande Menalcas.

Rursus:

Concussaque famem silvis solabere quercu.

In aliquibus exemplaribus *pellere* legebatur. Hinc nos dicimus *afcielvere* quasi jejunium solvere per *subauditum* intellectum. TIT.

35. FAGO] Glandibus e fago concussa: sic *rubos* dixit supra pro fructibus in iis crescentibus. BART.

37. RECUBAMUS IN UMBRA,] Virg.

Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi. TIT.

38. SILVIS AMARYLLIDOS,] *Amaryllis* pro Roma, quomodo etiam Virgilius dixerat:

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. TIT.

39. LITORA TERRARUM,] Quae sint haec ultima terrarum litora statim expressius docebir: alioquin de Thule, aut Britannia intelligi potuisset, dicente Marone:

——— ——— *tibi serviet ultima Thule.*

Atque alibi:

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Caput autem Bethicae extremum fuisse noti orbis terminum tradit etiam Solinus. Itaque Silius ait:

Atque hominum fidem Gades, Calpemque secutus;
Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis;
Occubuit saevo Tyrius certamine ductor.

Hinc natum Proverbium *τὰ πέρα Γαδείρων οὐ περατά*. TIT.

40. TRUCIBUSQUE] Idem vetus liber, quem seculi aetatem jam excessisse autumo, *trucibus* habet. Id correxerunt pessimo exemplo librarii. BART.

41. Pa-

Pascua Geryonis, liquidis ubi cursibus ingens
Dicitur occiduas impellere Betys arenas.
Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,
Ah dolor! & pecudes inter conductus Iberas,
Irrita septena modularer sibila canna:
Nec quisquam nostras inter dumeta Camoenas
Respiceret: non ipse daret mihi forsitan aurem
Ipse Deus vacuam, longeque sonantia vota
Scilicet extremo non exaudiret in orbe.

Sed,

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

41. *Geryonis*] *Germani* R.
42. *Betys*] *Bactrus* R. leg. *Baetis*.

NOTAE.

41. Pascua Geryonis,] Insula Erythria, sive Gadir, in qua propter soli fertilitatem Geryonem habitasse fabulantur Poëtae: cujus armenta Hercules abduxerit, de cujus ubertate videnda sunt, quae scribit Strabo lib. III. consule etiam, si libet, Dionysium de situ orbis. TIT.

41. Liquidis cursibus] Horatius dixit *liquido pede*, cum eandem rem exprimere vellet. Nam *liquidum* etiam simpliciter de aqua enunciatur: unde & ipsam nomine generis ita vocat Horatius ibi:

Ut tibi, si sit opus, liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, & dicas magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere.

Graece Plutarchus sic: Καὶ σὺ ἰσθιῶν τὸ συναγωγῆς τὸ ὑγρὸν τῷ ὕδατι. Liquidas undas dixit Catullus:

Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas.

Tibullus:

——— ——— *liquida deleat amnis aqua.*

Tibullus ad Messalam:

Splendidior liquidis cum sol caput extulit undis.

Nemesianus Ecloga II.

Nec tremulum liquidis splenderent lumine in undis. TIT.

42. Bethys arenas.] Hispaniae fluvius, qui regioni, quam interfluit, nomen dedit. TIT.

43. Jacerem,] Contemtui ludibrioque essem. Vide quae ad Claudianum de hoc verbo notavimus. BART.

44. Conductus Hiberas Mercenarius, alieni gregis pastor, cujus notae hominum conditio vilissima erat, hinc Menalcas apud Maronem:

Hic alienus oves custos bis mulget in horas.

Vide Luciani dialogum, qui ab hoc hominum genere nomen sumpsit. TIT.

45. Irrita septena] Fistulae ἑπτάφωνος, quae septem cannis constabat. Virgilius:

Et mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

His Theocritus duas addit:

Σύριγγ' ἂν ἐποίησα καλὰν ἐγὼ ἐννεάφωνον.

Cur autem fistula septem cannis compingeretur, doctam atque abstrusam rationem affert summus amicus meus, idemque vir, si quis alius, eruditissimus Fabius Paulinus in suo illo praeclaro opere, quod *Hebdomades* inscripsit: eam illic inspici velim. Nam mihi in Commentariis non est propositum in isthaec φιλοσοφήματα digredi. TIT.

46. Camoenas Respiceret:] Virgilius:

Libertas, quae sera tamen respexit inertem.

De verbo *respicere* menimi me quippiam superius *adnotasse*. TIT.

48. Ipse Deus] Amicus potentior sive ipse imperator. Diximus supra. TIT.

49. Non exaudiret] Et quod consequens est, mihi non faveret, aut opem ferret. Sic Horatius:

——— ——— *prece qua fatigent*
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam. TIT.

50. Mi-

Sed, nisi forte tuas melior sonus advocet aureis,
Et nostris aliena magis tibi carmina rident,
Vis hodierna tua sibigatur pagina lima?
Nam tibi non solum venturos noscere nimbos
Agricolis, qualemque ferat sol aureus ortum,
Attribuere dei? sed dulcia carmina saepe
Concinis, & modo te Baccheïs Musa corymbis

Mu-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

50. *Advocet*] *Avocat* R. *avocet* Frut. Mod. P. & Barl.
52. *Hodierna*] *Aliena* V. A. B. F. *hiberna* Tit. ex Ed. Juntae. *Subigatur*] *Subigat vir* V. A.
56, & 57. *Concinis & medio plus pulcer obumbrat* R.

N O T A E.

50. MELIOR SONUS AVOCET] Ita optime correxerunt eruditissimi quondam, Lucas Fruterius lib. III. Verisimilium ca. XII. & Modius Epistola CXXIV. vulgo antea erat
—— —— —— —— *advocet*.
stupide & barde. BART.

51. TIBI CARMINA RIDENT ,] Pro arrident κατ' ἀφαίρεσιν, quae figura crebro occurrit in bonorum poëtarum scriptionibus; talia sunt & illa; *temnere*, *ruere*, *stare*, *mittere*, atque alia his similia pro *contemnere*, *eruere*, *stare*, *omittere*. TIT. Placent, arrident. Lucretius alicubi ait veteres homines prostratos sub arboribus rite corpora curasse, praesertim cum rideret anni tempestas. BART.

52. VIS ALIENA?] Loquitur Corydon de suis carminibus, quae *aliena* vocat; vel legendum est *hodierna*, quod docti viri admonuerunt, & est in codicibus Florentiae impressis a Philippo Junta anno salutis 1504 TIT.

52. SUBIGATUR] Iidem Fruterius & Modius corrigere hoc ajunt ex *subigat vir*, quod habetent omnes libri: At nostrae veteres Editiones [illegible] & Tigurina MDXXXVII. Edita, diserte hoc agnoscunt. *limam* dicit ipsius autem, nam veteres recitationem convocatis amicis pro recensione habebant, ut ex Seneca Patre Suasor. & Plinii Epist. omnibus notum. BART.

53. NAM TIBI NON SOLUM] Quod pastores interdum facere consueverunt, itaque Ecloga insequenti Mycon pater signa futurae pluviae Canthum filium docet, eademque tradit Virgilius in Georgicis; sed & Aratus in Phaenominis aliqua commemorat. TIT.

54. SOL AUREUS] Virgilius de hac re sic cecinit:

Sol quoque & exoriens, & cum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
Et quae mane refert, & quae surgentibus astris.

Quae sententia Aratum auctorem agnoscit in illis:

Ἠελίοιο δέ τοι μελέτω ἑκάτερθεν ἰόντος,
Ἠελίῳ δὲ μᾶλλον ἐοικότα σήματα κεῖται,
Ἀμφοτέρῳ, δυομένῳ καὶ ἐκ περάτης ἀνιόντι.

Consule Plinium libro XVIII. TIT.

56. BACCHEIS MUSA CORYMBIS] Hedera, qua nimirum poëtae coronari solent: unde ab Horatio *praemium doctarum frontium* vocatur:

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis.

& alibi:

—— —— *seu condis amabile carmen,*
Prima feres hederae victricis praemia.

Virgil.

Pastores hedera crescentem ornate poëtam.

ad quod carmen consule Servium. *Corymbus* dicitur hederae fructus in modum racemorum uvae conformatus. meminit Propertius:

Vello hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis alliget ossa comis.

De lauro etiam res notissima est, itaque plura dicere supersedeo. TIT.

Ederas intelli[illegible]quibus, ut lauro quoque, olim coronabantur Poëtae. Ovidius:

De-

Munerat, & lauro modo pulcher obumbrat Apollo.
Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos
Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donavit, dixitque: Truces haec fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis

Mon-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

59. *Here*] *Heri* G. *heri quos doctus.* R.

NOTAE.

Deme meis ederas, Bacchica serta, comis.

Virgilius.

Inter victriceis ederam tibi serpere laurus. BART.

59. Here quos] *Here* (inquit Festus Pompejus) id est adverbium tempus *heri*, dictum a Graeco χθὲς. & Quinctilianus: *Heri nunc litera terminatur, at veterum Comicorum adhuc libris invenitur: Here ad me venit.* Eo Juvenalis usus est:

Spes hodie minor est, here quam fuit.

Sic etiam Martialis:

Et pestitum est nobis nil here, praeter aprum.

Rursus alibi:

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here, sed nihil scidisti.

Item alibi:

Cur here, quod dederas, hodie puer Hile negasti?

Rursus ibidem:

——— ——— *Here qui puer Hile fuisti.*

Per Iolam fortasse Nemesianum intelligit, cui haec Idyllia dicata esse voluit. TIT. Vetus Editio, *heri*. Sed illud procul dubio verum est. Martialis.

——— ——— *here qui puer, Hylle, fuisti.*
Dic nobis, hodie qua ratione vir es? BART.

60. Dixit Truces] Muneris commendatio ex Terentii praecepto: *Munus quantum potes, verbis adorna.* Sic Virgilius:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim;
Et dixit moriens, te nunc habet ista secundum.

Ac rursus alibi:

Floribus atque apio crines ornatus amare,
Dixerit: hos tibi dant calamos (en accipe) Musae;
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.

Quibus allusum videtur ad fabulam Orphei: fistulae vero cantu feras bestias cicurari plures tradiderunt, & notat Victorius variis Lectionibus. de Cervis quidem sic ait Aristoteles de Historia animalium libro IX ἁλίσκονται δὲ θηρευόμεναι αἱ ἔλαφοι συριττόντων καὶ ᾀδόντων, ὥστε καὶ κατακλίνονται ὑπὸ τῆς ἡδονῆς· δυοῖν δ' ὄντων, ὁ μὲν φανερῶς ᾄδει, ἢ συρίττει, ὁ δὲ ἐκ τοῦ ὄπισθεν βάλλει. TIT.

60. Tauros Conciliat,] Erat hoc artificium veterum pastorum, jumenta aut greges assuefacere ad fistulae sonum, ut ad illum pascerent, atque eum quoquo versum sequerentur. Longus lib. I. τὰς αἶγας καὶ τὰς οἶς συλλέγοντες· ὑπὸ γὰρ τοῦ δείματος πτυρθεῖσαι, καὶ ὑπὸ τοῦ κυνὸς ὑλακτοῦντος ταραχθεῖσαι· αἱ μὲν εἰς πέτρας ἀνέδραμον, αἱ δὲ μέχρι τῆς θαλάττης αὐτῆς κατέδραμον, καί τοίγε ἐπεπαίδευντο, καὶ φωνῇ πείθεσθαι καὶ σύριγγι θέλγεσθαι, καὶ χειρὸς πλαγῇ συλλέγεσθαι. Ibidem Dorco bubulcus moriens: ἐπαίδευσα τὰς βοῦς ἤχῳ σύριγγος ἀκολουθεῖν, καὶ διώκειν τὸ μέλος αὐτῆς κἂν νέμωνταί ποι μακράν. Χλόη λαβοῦσα τὴν σύριγγα καὶ ἐνθεῖσα τοῖς χείλεσιν ἐσύριξε μέγιστον ὡς ἐδύνατο· καὶ αἱ βόες ἀκούουσι καὶ τὸ μέλος γνωρίζουσι καὶ ὁρμῇ μιᾷ μυκησάμεναι πηδῶσιν εἰς τὴν θάλατταν. BART.

62. Tityrus hanc habuit,] Virgilius, qui sub ficta Tityri Pastoris persona canere introducitur sua prima Ecloga. Is vero apud Latinos primus Bucolicum carmen cecinit imitatus Theocritum; itaque de se ipso ait:

Prima Syracusio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare Thalia.

Per *Hyblaeum avenam* Syracusanam intelligit, & per hanc Theocritum ipsum, quem secutus est Maro ut diximus. TIT. Virgilium innuit. Sidonius praefat. Major. BART.

63. Hy-

Montibus, Hyblaea modulabile carmen avena.
Mel. Magna petis, Corydon, si Tityrus esse laboras.
Ille fuit vates sacer, & qui posset avena
Personuisse chelym, blande cui saepe canenti
Allusere ferae, cui substitit advena quercus,
Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho
Naïs, & implicitos comebat pectine crines.

Cor.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

66. *Personuisse*] *Praesonuisse* Bart. ex G. & Ni. Heinf. qui & conj. *blandae cui*, &c.

NOTAE.

63. Hyblaea] Quod possis modulari ad Theocriti avenam, comparat Siculo Romanum vatem. Vel alludit ad illud,

Sicelides Musae paullo majora canamus. BART.

63. Modulabile carmen] Quod cani ad fistulam possit, sic *modulatum cantum* dixit Ecloga II. vers. 95. BART.

65. Sacer,] Diis dignus. Silius lib. XII. de Ennio.

——— ——— sacer hic ac magna sororum
Aonidum cura, & dignus Apolline vates.

Idem in praeconio Virgilii. Nam liber non est ad manum. Sic *divinum* vocat Virgilium Statius extrema Thebaide. BART.

65. Qui posset avena] Veteris & illibatae Editionis scriptura dignissima Calpurnio est.

——— ——— qui posset avena
Praesonuisse chelyn.

Quam cur correctores mutarint, non video. Reducenda illa omnibus modis est. BART.

66. Personuisse chelym,] Qui fistulam, quae pastorum propria est, ad heroum, deorumque laudes concinendas adhibere posset. Horat.

Teque testudo resonare septem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum mensis, & amica templis.

Vel qui fistulam adeo scite tractaret, ut lyrae sonum propemodum referret, atque ipsi quam proxime accederet. Horatius:

Tibia non ut nunc Orichalco vincta, tubaeque,
Aemula

Quinctilianus lib. x. cap. I. *Stesichorus quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt maxima bella canentem, & Epici carminis onera lyra sustinentem, & si tenuisset modum, videtur aemulari potuisse Homerum.* TIT.

67. Advena quercus,] Qui canendi artificio celebres cluunt, Orpheo pares esse dicuntur, de quo multa fabulantur poëtae, atque inter caetera de ipso narrare solent, quod feras cantu allicere, arboresque radicitus evulsas sono testudinis quocumque vellet, sequi cogeret: ita enim praeter caeteros scribit Philostratus junior in imaginibus: *τεθαύμασ]αι δέ τι καὶ μεῖζον ὁ ζωγράφος, δένδρα γὰρ ἀνασπάσας τῶν ῥιζῶν, ἀκροατὰς ἄγει ταῦτα τῷ Ὀρφεῖ καὶ περιίστησιν αὐτῷ πεύκη τε ἐκεῖ, καὶ κυπάρισσος, καὶ κλῆθρος, καὶ αἴγειρος αὐτή, καὶ ὅσα ἄλλα δένδρα, ξυμβαλόντα τοὺς πτόρθους, οἷον χεῖρας, περὶ τὸν Ὀρφέα ἕστηκε.* Sed & Ovidius Metamorphos. 10. copiosius hoc argumentum prosequitur ab illo versu:

Umbra loco venit, non Chaonis abfuit arbor.

Item Horatius:

Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Hic noster in illis:

Assuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quaecumque vagis ulitum ferit aëra pennis.
TIT.

68. Rutilo spargebat acantho] Virgilius *croceum* appellavit:

Et circumtextum croceo velamen acantho. TIT.

70. Est

Cor. Est (fateor, Meliboee) deus: sed nec mihi Phoebus
Forsitan abnuerit, tu tantum commodus audi:
Scimus enim quam te non aspernetur Apollo.
Mel. Incipe, nam faveo: sed prospice, ne tibi forte
Tinnula tam fragili respiret fistula buxo,
Quam resonare solet, si quando laudat Alexim.
Hos potius calamos, magis hos sectare canales,
Per me qui dignas cecinerunt consule silvas.

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

69. *Implicitas comebat pectine comas* R.

70. *Est*] Et *fateor* R. *Sed nec*] *Sed nunc* R. *sed si* A. F. *Est fateor*, *Meliboee: Deus sed nec*, Martell.

71. *Abnuerit*] Ita al. omn. *annuerit* R. & cit. Mod.

72. *Scimus enim*] *Dicimus en* R. *Quam te*] Sic P. & Bart. ex G. & T. *quia te* R. V. A. B. F. & Mod. *Aspernetur*] *Aspernatur* R. B.

75. *Quam*] *Qua* R. *Quae* V. A. B. F. *Alexim*] *Alexis* R. V. A.

76. *Hos*] Hoc *potius calamos*, *magis hoc* V. A. B. F.

77. *Per me*] *Pro me* R. & Bart. ex G. Itaque non ipse Nemesianus Eclogas se scripsisse ait. Virg. Ecl. IV. *silvae sint consule dignae.*

N O T A E.

70. Est (fateor, &c.] Hic rursus beneficio tempestivae distinctionis pulcherrimi sensus aperiendi datur occasio. Post illud Meliboee virgula consueta ponatur, deinde legatur junctim,

—— —— Deus sed si mihi Phoebus
Forsitan abnuerit.

Hoc sensu: Verum est quod dicis Meliboee, me scilicet nimis audacem esse, vel etiam temerarium, qui mihi persuadeam, quasi novum Virgilium, posse me meis Musis in Amicitiam Imperatoris praesentis Augusti venire. Verissima sunt certe quae dicis, sed non propterea desperabo vel ab incoeptis desistam. Nam si non possum meis meritis ad Caesaris aures devenire, possum tuo saltem favore, ac gratia. Ergo si *Deus meus Phoebus*, ipse nempe Augustus *Forsitan abnuerit*, id est dedignabitur audire mea Carmina: Audi illa tu Nemesiane, sive quicunque alius sis, qui ad instar Maecenatis studia poëtarum foveas, & gratia multum valeas apud Caesarem Augustum. MARTELL.

71. Abnuerit,] Ita corrigere ait Modius Epistola CXXIV. sed editiones ante eum natum hoc praeferunt. BART.

71. Commodus audi:] In hoc commodus, si audiveris. Horat.

Donarem pateras, grataque commodus
Censorine meis aera Sodalibus.

Sic Tibullus:

Et magnas messes terra benigna daret. BART.

72. Scimus enim quam te] Haec scriptura est 'Ατόπτῳ & Tigurini. Quare satis mirari non possum Correctorum audaciam, qui de suo barbarismum non verecundati sunt infercire Calpurnio. *Scimus enim quia te.* Quomodo citat & doctissimus Modius: sed quid opus est isto naevo, cum aliter Princeps Editio? BART.

74. Tam fragili] Hortatur ut intendat sonum, nec tam fragili atque humili utatur, quam in Alexi rustice laudando, solitus sit. BART.

75. Si quando laudat Alexim] Manifesto alludit ad secundam Maronis Eclogam. TIT.

77. Per me] Vetus: *pro me*, Quod & ipsum videtur τοῦ ποιητοῦ. Diximus ad primam Eclo. per Meliboeum videri nobis Olympium designari, id quod hoc loco confirmatur. Nam & is Bucolicus Poëta. Notus Virgilii versus quem heic alludere satagit. Cur *per me* maluerit Modius, caussam non comminiscor. Caetera quae idem hic corrigere dicit, ante eum natum Edi-

 tio-

Incipe, ne dubita. venit en & frater Amyntas:
Cantibus iste tuis alterno succinet ore.
Dicite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen:
Tuque prior, Corydon, tu proximus ibis Amynta.
Cor. Ab Jove principium, si quis canit aethera, sumat,
Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi:
At mihi, qui nostras praesenti numine terras,

Per-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

78. *Ne dubita*] *Nec dub.* V. A. B. F.
79. *Succinet*] *Succinat* R. *Succinit* V. A. B. F.
80. *Dicite*] *Ducite* Bart. *Ne mora*] *Nec mora* V. A. F. B.
83. *Atlantiaci*] *Atlantiacum* Bart. ex G.
84. *Atqui nunc nostras* V. A. B. F.

NOTAE.

tiones nostrae prae se tulerunt. Quarum neutram ipsi visam scimus, ne quid quis illi affingere putet. BART.

77. Consule silvas.] Et hic versus illum Virgilii respicit:

Si canimus Silvas, Silvae sunt Consule dignae.

atque universam denique illam Eclogam. TIT.

79. Alterno succinet ore.] Alteram ab hoc carmen vim aperit verbi *succinere*, significat enim cantum alterius excipere, & post alium easdem partes sumere, unde tibia *succentiva* dicitur, quemadmodum *incentiva* ea appellatur, qua canendi fit principium; docet Varro libro 1 de Re Rustica. Porro Amyntam fratrem vocat, vel quia vere frater esset, vel ob amoris erga ipsum abundantiam. sic supra Ecloga prima:

Hoc potius frater Corydon nemus, ista petamus
Antra patris Fauni. TIT.

80. Vicibusque reducite carmen:] Virgilius dixit:

Alternis dicetis, amant alterna Camoenae. TIT.

80. Reducite] Quasi in scenam. Hoc enim scenale verbum. Alioqui *ducere carmen* dixit Horatius.

——— ——— forte epos, acer
Ut Varius, ducit nemo.

Scribe,

——— ducite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen. BART.

81. Tuque prior,] Non aliter fere Maro:

Incipe Dameta, tu deinde sequere, Menalca. TIT.

82. Ab Jove principium,] Sic etiam Virgilius:

Ab Jove principium Musae, Jovis omnia plena.

In quo Aratum imitari voluisse crediderim, qui dicat:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον.

Sed & Theocritus quoque inquit:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῖσαι.
TIT.

82. Si quis canit aethera,] Ad Aratum respicit, qui Φαινόμενα cantaturus a Jove orditur. Vide ad Grat. *pondus Olympi* dicit ipsum coelum. de qua phrasi plurimis ad Ceirin Virgilianam. BART.

83. Atlantiaci] Princeps Editio habet.

Si quis Atlantiacum molitur pondus Olympi.

Quae scriptura procul dubio germana est. Nam *Atlantis pondus* est coelum, quod ipse fert humeris. Juvenal. de diis.

—— —— Miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. BART.

83. Pondus Olympi:] Vocat *pondus* alludens ad Fabulam Atlantis. qui coelum humeris sustinuisse fingitur: figmentum est pervulgatum. TIT.

84. At qui nunc nostras] Non longe diversus abit Horatius dicens:

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare, praesens divus habebitur
Augustus adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis. TIT.

86. Et

Perpetuamque regit juvenili robore pacem,
Laetus, & Augusto felix arrideat ore.
Am. Me quoque facundo comitatus Apolline Caesar
Respiciat, montes neu dedignetur adire,
Quos & Phoebus amat, quos Juppiter ipse tuetur:
In quibus augustos visuraque saepe triumphos
Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbos.

Cor.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

85. *Juvenili robore*] *Vivendi robore* R.
86. *Laetus*, *&*] *Laetus in Aug.* Bart. ex G. & T.
87. *Me*] Ita P. & Mod. *Te* R. V. A. B. F. & MS. Pal.
90. *Visuraque*] *Visurus saepe* R. & MS. Pal. *Visuris* V. A. B. *visuri* F. *visurae* B. recte.
91. *Fructificat*] *Fructiferant* R. *fructificat* V. *Vicinaque*] Non est alius locus in quo se & Calpurnium tam multimode ac misere torsit Bart. Hic conj. *divinaque*, vel, *& civica* pro quercu. In Adv. *unitaque*, vel, *vicinaque*, de Paulina conjuge. *Vitisequa*, pro hederâ, E. Swarth. Ἀιγῶν. Virg. Ecl. II. *Et vos, ô Lauri, carpam, & te proxima Myrte.* Hinc *vicina* lauro hic Myrtus dicitur. Vel, si quid mutandum, leg. *visurae saepe triumphos Laurus Fructificant*, *Erycinaque nascitur arbos*, pro eadem.

NOTAE.

86. Et Augusto] Iterum hoc correctorum est: Nam Tigurina & altera Edd. habent.

——— ——— *in Augusto.*

Laesit teneras hominum subtilissimorum aures abundans τὸ *in.* quod nobis tamen absonum non est. Sallustius Jugurtha. *tanta vis avaritiae in animos eorum, veluti tabes, invaserat.* Terentian.

Et labor in studiis semper celebratur, inhaeres.

Plura alibi. BART.

89. Quos et Phoebus amat,] Vel Νόμιος, propterea quod Apollo paverit Admeti greges, ut alibi monuimus, vel Palatium intelligit, ubi erat Bibliotheca Apollini ab Augusto dicata. per *montes* vero, *quos Jupiter ipse tuetur*, Capitolium intellige, in quo Jovis Feretrii templum construxerat Romulus opima spolia de Acrone referens, ut narrat Plutarchus, & Livius. TIT.

89. Juppiter tuetur] Multi alii montes Jovis in tutela sunt, tum uterque qui *Ida* dicitur. BART.

91. Laurus fructificat,] Qua nimirum fronde triumphaturi duces coronabantur. Sumebatur autem ea laurus non e Capitolio, quemadmodum hic subindicare videtur Calphurnius, sed ex Caesarum villa, cui nomen ad Gallinas, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia via, qua de re consulendus est Plinius libro xv. nisi forte malumus intelligere de laureto, quod erat in monte Aventino teste eodem Plinio; quamquam universe ante Caesarum, ac Pontificum domus ea arbor seri consuevit, sicut ibidem tradit idem auctor: sed quod ait Calphurnius *fructificat* ad rem amplificandam pertinet: nam cum laurus omnis sua vi sterilis sit, triumphalis certe infoecunditatis vitio prae caeteris notata a Plinio eo ipso libro. Per *vicinam* vero *arborem* quercum intelligit, quam civis civi, a quo servatus erat in proelio, testem vitae, salutisque acceptae dabat, auctore Gellio; ea vero e fronde querna fiebat, quoniam cibus, victusque antiquissimus querceus capi solitus sit. reliquam *vicinam* hic appellat Calphurnius respiciens ad Palatinam quercum; quam ob cives servatos positam fuisse tradunt: cjus meminit Ovidius dicens:

Causa superpositae scripto testata coronae
Servatos cives indicat hujus ope.
Et Jovis haec, dixi, domus est, quod ut ipse putarem,
Augurium monti querna corona dabat.

nec non Juvenalis in illis:

Cum farre, & vino Janum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere quid faceret plus.

Cor. Ipse polos etiam qui temperat igne geluque,
Juppiter ipse parens, quo tu jam proximus ipse,
Caesar, abes, posito paulisper fulmine saepe
Cressia rura petit, viridique reclivis in antro
Carmina Dictaeis audit Curetica silvis,
Am. Aspicis ut virides, audito Caesare, silvae
Conticeant? memini, quamvis urgente procella,

Sic

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

92. *Qui temperat*] *Quo* V. A. B. F.
93. *Quo tu*] Ita V. A. F. *quoi* R. *cui* Mod. & P.
94. *Caesar abes*] Sic ego. *habes.* R. *abis* al. omn.
95. *Reclivis*] Ita P. *reclusus* R. *reclivus* V. A. F. *reclinis* Bart.
96. *Curetica*] *Currentia* R. *coretica* A.

NOTAE.

Martialis quoque ad illum respexit dicens:

O cui Tarpejas licuit contingere quercus,
Et meritam prima cingere fronde comam.

Possumus etiam de querceto montis Coelii dictum accipere: constar enim coelium montem *Querquetulanum* fuisse nuncupatum a multiplici quercu, qua conseptus erat. TIT.

91. Vicina arbos.] Quae sit hoc loci *vicina arbos* non satis in proclivi est. An forte quercûm sibi vicinam innuit rusticus? Nam post laurum quercum nominare decebat, cum Apollini jam Jovem modo subjunxerit? Quicquid id est, mihi videtur rescribendum contra omnes omnino etiam libros: *divinaque nascitur arbos.* Ut quercum ita capias, quam cur *divinam* vocaret, cum non intelligerent Exscriptores, in *vicinam* mutarunt. *Quercus* autem non raro veteres colebant instar numinis alicujus. Ovidius libro VIII. Metamorph. Lucanus lib. III. Pharsal. Maximus Tyrius de Celtis. Alii. Sed non eo respexisse videtur Calpurnius. Potius ad veterem notissimamque fabulam, qua fictae sunt Doneae Quercus oracula edere. Unde Poëtae licentia omnes *divinas* appellare. Subibat aliquando suspicari istum versum ita rescribillandum,

——— ——— *visuraque saepe triumfos*
Laurus fructificat, & civica nascitur arbos.

Tò *ι* productum concoquere in caesura etiam non potuit correctorum stupor. Itaque pro &, *que* fecerunt & voci subjunxerunt. *Civica* autem *arbor* post triumfalem optime nominata foret, quae quidem est quercus, ut enarrabit adițus Agellius lib. v. cap. VI. Judicent otiosiores atque eruditiores. Nos ista satis est commentari ut in buccam veniunt. BART.

94. Posito paulisper fulmine] Saepe gravioribus curis omissis mitiori aliquo studio se oblectat: rale quippiam reperitur apud Horatium de Apolline ibi:

——— ——— *quondam cithara tacentem*
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Et in Carmine Seculari:

Condito mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo. TIT.

95. Reclivis] Scribe: *reclinis.* De Jovis in Creta nativitate ut & sepulcro alibi scripsimus. BART.

96. Curetica silvis,[A Curetis, seu Corybantis decantata. Fuerunt autem Curetes Deorum administri, qui propterea Jovem in Creta aluisse crediti sunt. De ipsis longa sane atque prolixa exstat narratio apnd Strabonem γεωγραφικῶν libro x. Sed praeterea Diodorus, & Hyginus videndi sunt, neque non item Lucretius ab illo versu:

Dictaeos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum: & reliqua. TIT.

98. Conticeant?] Quae paulo ante ventorum vi agitarae strepitum ac murmur edebant, Caesaris mentione injecta statim conticuerunt. Est autem hoc solemne Poëtis, cum Dei adventum significare volunt. Luctetius.

Te

Sic nemus immotis subito requiescere ramis,
Et dixi: Deus hinc, certe deus expulit Euros.
Nec mora Pharsaliae solverunt sibila cannae,
Cor. Aspicis ut teneros subitus vigor excitet agnos?
Utque superfuso magis ubera lacte graventur?
Et nuper tonsis exundent vellera foetis?

Hoc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

99. *Sic nemus*] (*Scit Deus*) *immotis* &c. R.

101. *Pharsaliae*] *Pharsalis* R. i. e. *Pharsales*. Ita & Nic. Heinf. recte. Stephanus: τὸ ἐθνικὸν Φαρσάλιος, Φαρσαλία, καὶ Φαρσαλίς. Ita leg. *Solverunt*] Ita R. P. Mod. & Tit. ex MSS. *sonuerunt*. V. A. F.

104. *Exundent*] Ita P. *exudent* omn. vett. Edd. *Vellera*] *Ubera* R. *Foetis*] i. matribus. Seneca Hippol. prologo: *Nocturna petunt pabula foetae*, &c. *setis* Tit. inepte.

NOTAE.

Te Dea, te fugiunt venti, te nubila coeli,
Adventumque tuum; tibi suavis Daedala tellus
Summittit flores, tibi rident aequora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine coelum. TIT.

99. Subito] Magno consilio additur hoc, videlicet, ut res monstri similis efficiatur; alioqui enim paulatim ventus desistere naturaliter consuevit. Supra invenias eamdem fere sententiam:

Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totas fecere silentia montes. TIT.

101. Pharsaliae solverunt sibila cannae,] Judicii comprobatio ab eventu. *Pharsalias* vero cannas vocat rustica simplicitate pro Arcadicis, ut ad Syringae fabulam sit allusum. Huic affine propemodum est Maronianum illud:

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracintho.

Quidam per *Pharsalias* cannas accipiunt fistulas ex auletico calamo confectas, qui in stagnantibus Orchomenii Thessaliae fluvii aquis copiose proveniunt; de quo plura scribit Plinius lib. XVI. In quibusdam *codicibus* legebatur *solverunt* ἀντὶ τοῦ *sonuerunt*, id est continuo Numeriano applaudentes sonitum dederunt. TIT. Historiam hanc in Thessalia fieri circa amoenissimum fluvium Enipeum fingendum est. ibi enim sita Pharsalos. Aut ipsa Tempe huic fabulae concilianda, quae amoenitate pene totius orbis prima. Describit eleganter Aelianus l. III. ποικ. c. I. Nam Pharsalia etiam commune Thessaliae nomen est. Condigne ergo in festivissimum locum traduxit Calpurn. fabulam. BART.

101. Solverunt sibila] In laudes videlicet Augusti. Hoc enim vult divinitus fieri Poëta. BART.

102. Subitus vigor] Eodem epitheto exornavit agnos Virgilius:

Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Est autem universus hic locus ex Virgilio nescio quo pacto expressus, ille enim sic inquit:

Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho. TIT.

104. Exudent vellera foetis?] Conjeci olim esse legendum *exundent vellera fetis*, a qua conjectura ne nunc quidem valde abhorreo, praesertim cum in quibusdam libris diserte spectetur illud *exundent*, verumtamen, quoniam scribit Varro tonsurae esse tempus inter aequinoctium vernum, & solstitium, cum sudare oves incipiunt, a quo sudore recens lana tonsa succida est appellata, ἀπίχω. Ad totius hujus loci sententiam faciunt verba Plutarchi in Commentario, quo causam quaerit, Cur Pythia carminibus oracula reddere desierit, inquiens: Οἱ μὲν οὖν περὶ τὸ Γαλάξιον τῆς Βοιωτίας κατοικοῦντες, ᾔσθοντο τοῦ Θεοῦ τὴν ἐπιφάνειαν, ἀφθονίᾳ καὶ περιουσίᾳ γάλακτος, προβάτων γὰρ ἐκ πάντων κελάρυξεν ὡς ἀπὸ κρηνέων φέρτατον ὕδωρ θῆλεον γάλα. τοὶ δ' ἐμπίπλων ἐσσύμενοι πίθους, ἀσκὸς δ' οὔτε τις ἀμφορεὺς ἐλίνυε δόμοις, πέλλαι δὲ ξύλινοι πίθοι πλῆσθεν ἅπαντες. Deos vero hominum coetibus quandoque se inserere consuevisse cecinit Homerus dicens:

Καί τε Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
Παντοῖοι τε λέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας. TIT.

105. Se-

Hoc ego jam (memini) semel hac in valle notavi,
Et, venisse Palem, pecoris dixisse magistros.
Am. Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat,
Diligiturque deis: quem sic taciturna verentur
Arbuta, cujus iners audito nomine tellus
Incaluit, floremque dedit; quo silva vocato
Densat odore comas, stupefacta regerminat arbos.

Cor.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

105. *Semel hac*] *Semel haud*, conj. Tit.
110. *Quo silva*] *Quoi* R. *cui* V. A. B. F. ut sup. v. 92.
111. *Odore*] f. *Odora*, ut *frondis odorae*. Nemes. Ecl. 1.

NOTAE.

105. Semel hac in valle notavi,] Tenuis conjectura ex non admodum firma observatione: itaque suspicabar fuisse scriptum *semel haud*, id est persaepe: verumtamen, ut alii id saepe observaverint, Corydoni sane non nisi semel usu venit, ut idem inspiceret, vel semel in illa valle, persaepe fortasse alibi, quare nil est immutandum. TIT.

108. Diligiturque deis:] Claudianus ad Honorium. *O dilecte Deo.* III. Consulatu Honor. BART.

108. Taciturna verentur Arbuta,] Aut vocis expertia, aut ventorum spiritu minime agitata, dixerat enim paulo ante:

Adspicis ut virides audito Caesare silvae
Conticeant?

atque hoc quidem pacto accipi malo epithetum illud, quod alioquin ineptum esset, propterea quod non dicatur quippiam eo carere, quod ad id suscipiendum non sit accommodatum, veluti docet Alexander Aphrodisiensis in Commentariis ad tertium librum topicorum Aristotelis. TIT.

109. Iners tellus] Sic etiam tellurem appellavit Horatius:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum.

& *brutam* alio loco eodem sensu.

Quo bruta tellus, & vaga flumina.

Simili ratione dictum est & illud:

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura.

Per *pigros* enim *campos* incultos intelligit, horridos, ac denique steriles, & infrugiferos. TIT.

110. Incaluit,] Reddita est apta generationi, quae nimirum a calido fit, & sicco, tamquam a causis conficientibus: cum terra igitur sua vi ac natura frigida sit, si flores, aut aliud paritura est, necesse est, ut extrinsecum calorem assumat, atque adeo solis radiis intepescat, alioqui iners manebit, & infoecunda: sentit Galenus libro 1. de Naturalibus facultatibus, in animalibus, ac stirpibus calidum ac frigidum praecipue agere, siccum vero, & humidum pati, id quod Aristoteles multo ante scriptum reliquerat tum alibi, tum initio quarto Meteorologic. dum loquitur de quatuor primarum facultatum numero, earumque conjugationibus his verbis: ὧν τὰ μὲν δύο ποιητικὰ, τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν, τὰ δὲ δύο παθητικὰ, τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ ὑγρόν. & quae ibi sequuntur: nam quod illic Aristoteles dixerat statim ratione confirmare aggreditur. TIT.

110. Dedit;] Hoc est, peperit. Vide ad Claudianum. BART.

125. Cui silva vocato] Alicubi spectabatur *quo: vocato* autem positum est pro advocato. TIT.

110. Vocato] Instar Numinis divini. Ecl. v. vers. 27. BART.

111. Stupefacta] Hoc est, dudum sterilis atque exsucca, prorsusque marcida. Sic Corn. Galli sub nomine Lycorin stupefactam in Amore Maximianus dicit.

Post multos quibus indivisi viximus annos
Respuit amplexus, heu, stupefacta, meos.

Sic mare mortuum *stupere* dicit Avienus Perieg.

Denique quam lento stupeat plaga salsa profundo.

Opta-

Cor. Illius ut primum fenferunt numina terrae,
Coepit & uberior, fulcis fallentibus olim,
Luxuriare feges, tandemque legumina plenis
Vix refonant filiquis: nec praefocata malignum
Meffis habet lolium, nec inertibus albet avenis.
Am. Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Foffor, & invento, fi fors dedit, utitur auro.

Nec

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

113. *Sulcis*] *Succis* R. V. A. B. F.
114. *Legumina*] *Legumine* F.
117. *Jactare*] Ovid. *jactati pulfabant arva ligones.* Virg. Georg. II. *duros jactare bidentes.* Male ergo haec invertit Jul. Caef. Scaliger.

N O T A E.

Optatus Afer lib. III.

Ut vobis ftupefcerent dentes ipfi uvas comederunt.

Hilarius.

Poft tenebras ftupido fpectarunt lumina coelo.

Sententia fimilis eft apud Sidonium Antemiano.

Pretulit excifus jam non fua germina palmes,
Imperii ver illud erat: fub imagine frondis
Dextra per arentem florebant omina virgam.
BART.

113. Sulcis fallentibus olim;] Spei agricolae non refpondentibus, aliter dictum eft a Marone;

——— ——— *& fallax herba veneni.*

Idem ait:

Grandior & foetu filiquis fallacibus effet.

Quidam fufpicantur legi debere *fulcis* pro *fuccis.* TIT. Vide Animadverfiones noftras ad Gratium verf. XXXIII. De lolio & avena notiffimi Maronis verfus. BART.

115. Vix resonant siliquis:] Cum filiquae plenae funt, legumen, quod intus abfconditur, nufquam fe commovere poteft, itaque nec fonum reddit, hoc enim confequens omnino eft. Virgilius inquit:

Unde prius laetum filiqua quaffante legumen,
Aut tenues foetus viciae, triftifque lupini
Suftuleris fragiles calamos, filvamque fonantem:

Vix autem abfolute inficiatur, quomodo etiam fumi debet in illo Terentii: *vix apud me fum:* ac fic antea dixerat Lucilius: *Carcer vix Carcere dignus:* notant Grammatici. TIT.

116. Messis habet lolium,] Eadem ratione *infoelix* appellavit Maro:

---- ---- Intereunt fegetes, fubit afpera filva,
Lappaeque, tribulique, interque nitentia culta
Infoelix lolium, & fteriles dominantur avenae.
TIT.

117. Damnatos] Delatores erant parati qui thefauris forte fortuna inventis repertores damnarent furti & vindicarent divitias Principi. Scite Juvenalis fugillat nec pifces fub principibus immanibus tutum fuiffe capere, cum ftatim adfuerint delatores, qui depaftos diu vivaria Caefaris dixerint. Sed de his pluria in eo Commentario, quem de Jure Principum apud Romanos delineavimus. BART.

117. Metuit jactare ligones] Si quis hunc locum planiffime fibi aperiri cupit, adeat Luciani Timonem, unde exemplo ante oculos pofito Calphurnii φ[illegible] mirifice illuftratur, neque enim dubito, quin eo refpexerit poëta, cum haec fcriberet: fed interim tamen Horatium audiamus, qui & ipfe quoque huic loco intelligendo non minimum affert adjumenti, ibi:

O fi urnam argenti fors qua mihi monftret, ut illi
Thefauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipfum mercatus aravit, dives amico
Hercule.

Unde Perfius illud fuum mutuatus eft:

——— ——— ——— ——— *& fi*
Sub raftro crepet argenti mihi feria dextro
Hercule. TIT.

118. Utitur auro.] Neque amplius ex no-

va

Nec timet, ut nuper, dum jugera versat arator,
Ne sonet offenso contraria vomere massa:
Jamque palam presso magis ac magis instat aratro.
Cor. Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas

Pos-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

119. *Versat*] *Verset* V. A. B. F.
122. Cor.] Deest usque v. 133. in V. A. B. F.

NOTAE.

va principis liberalitate cum domino conferre cogitur tamquam in alieno solo inventum, quod ante Adrianum passim obtinebat, sicut colligimus ex l. fructus ff. solut. matrim. sed hoc Calphurnius ad Numerianum transtulit adulatione quadam: ea de re nonnulla teperies Institutionibus Imperialibus de Rer. divis. vel simpliciter auro potitur, si in id forte inciderit, dum agrum fodit. Caeterum thesauros humi abscondi consuevisse notum est, & Plautinus Euclio suo exemplo docet: sic etiam Horatius:

Nullus argento color est, avaris
Abditae terris inimice lamnae,
Crispe Sallusti.

Ausonius in epigrammate:

At qui, quod terrae abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit, & periit.

Hinc *thesaurus* definitur, ut sit; *vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat*, Paulus Jurisconsultus. TIT.

120. Ne sonet offenso] Jam non loquitur amplius de Thesauris, ut quidam falso interpretantur, sed exsequitur sententiam quam Ovidius quoque expressit in Epistola Penolopes ad Ulyssem his verbis:

Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa:

neque non item Lucanus in illis:

Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa:

quamquam per contrariam massam, galeas, ocreas, thoracas, caeteraque arma occisorum militum possumus intelligere. TIT.

121. Instat aratro.] Innititur aratro ipsum altius in terram adigens, ne praevaricetur, ut loquitur Plinius, a quo habitu *curvus* arator dicitur a Marone:

Tempora quae messor, quae curvus arator haberet. TIT.

122. Ille dat, ut primas] Valde suspicor ne in cunctis exemplaribus impressis librariorum incuria omissa sit hoc loco notatio ad marginem personae Corydonis, & paulo etiam post, aliis quinque versibus interjectis, personae Meliboei ad illud *ille meis*; quinis enim & quinis alterna illorum concertatio progrediebatur. Hinc rursus ab illo *Pan recolit Sylvas*, notam quae denuo Corydonem indicet, retrahendam esse judicavi ad superiorem versum qui incipit, *Numine Caesareo*. Haec admonuisse sat est, probare non est necesse. Neglecta isthaec discretio nebulas offuderat sententiae amoenissimae, & eruditissimae. Nam quis sit ille *Securior Lyaeo*: & cui referatur illud *ipse*, nullus, credo, audeat affirmare, si teneamus ineptam vulgatorum omnium codicum de personis introductis notationem: verum de nostra perquam necessaria distinctione, sensus emergit perspicuus, & elegans. *Pan ipse* i. rura: quique extra urbes habitant ruricolae omnes, genus hominum maxime latrociniis, rapinis, & armorum licentiae obnoxium, *numine Caesareo*, id est, pace & tranquillitate ubique constituta per imperii novi & Augusti majestatem, *Securiores* jam sunt ipso *Lyaeo*, quasi dicat Securiores sunt securitate ipsa. Elegantissime profecto Pana committens cum Baccho, intelligit Pana esse magis liberum Libero ipso; ab animi namque securitate, libertate, ac solutione Lyaeum fuisse nuncupatum Liberum Patrem, notius est, quam ut hoc loco mihi dicendum sit. Securissimam autem pacem, & totius reipublicae otium desideratissimum significaremus sine dubio, si diceremus agricolas omnes esse magis liberos ipsomet Libero, vel libertate ipsa: Ubi paulo post vulgati codices haberent,

Hos precor aeternos populos.

mihi dubium nullum sit, longe elegantius, & ad mentem Poëtae, congruentius fuisse olim in codicibus non corruptis *aeternus*. Res parvi momenti, sed multae puritatis. MARTELL.

122. Pan

Possit, & intacto Bromium perfundere vino,
Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas,
Ut quoque turba bono plaudat signata magistro,

Qui

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

124. *Saliat*] *Psallat* R. f. *psallat calcator ad uvas.* Virg. Ecl. 1. *canet frondator ad auras.*

125. *Signata*] Ita P. & T. *Saginata* B. & Alii Quidam. Vide Comment. ad Olymp. Cyneg. versu 166.

NOTAE.

122. PRIMAS] Primitias frugum Cereri, caeterarum rerum aut proventuum caeteris diis consecrabant prisci Eclog. II.

Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti
Mittere primitias.

Cato lib. 1. Originum. *Mezentium Rutulis imperasse ut sibi offerrent, quas primitias diis offerebant,* &c. apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. v. BART.

122. CULTOR ARISTAS] Primitias Cereri offerre ex agricolarum instituto. Virgilius:

In primis venerare deos atque annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis.

Auctor epigrammatis in Priapum:

Contentus modico Bacchus solet esse racemo,
Cum capiant alti vix sua musta lacus:
Magnaque fecundis cum messibus area desit,
In Cereris crines una corona datur.

De Primitiis vero, quae in sacrosancto veteri instrumento sacerdotibus offerri Deus jubebat, piae, doctaeque exstant sententiae apud Philonem Hebraeum libro de sacrificiis Abeli, & Caini, nec non de sacerdotum honoribus; sed ea non sunt hujus loci & temporis. TIT.

123. BROMIUM PERFUNDERE VINO,] Bacchi cognomen a verbo Βρεμίω, vel ἀπὸ τοῦ βρόμου, qui, cum Bacchus in lucem ederetur, exauditus est teste Diodoro, & Eusebio. Phornutus de Natura Deorum a voce calcantium uvam in torculari nominis originationem deducit, quae si vera est, huic loco maxime quadrat; ejus meminit Ovidius inter multa Bacchi cognomina dicens:

Thuraque dant Bacchumque vocant Bromiumque, Lyaeumque,
Ignigenam, satumque iterum, solumque bimatrem. TIT.

Libationem intelligit, de qua cum multi notarint, tum belle elegantissimus Lipsius Poliorcetico v. cap. x. BART.

124. UT NUDUS RUPTAS] Ita ferme Nemesianus:

——— ——— *celerique illudere planta*
Concava saxa super properant; vindemia fervet
Collibus in summis, crebro pede rumpitur uva:
Nudaque purpureo sparguntur tempora musto TIT.

125. SIGNATA MAGISTRO,] Nisi hic versus uno spatio sit productior, cujusmodi ille apud Lucretium:

Praeter enim quam quod morbi est, cum corpus aegrotat.

media syllaba in voce *saginata* corripitur contra ejus naturam, quod notari volo. Propertius recte:

Parva saginati lustrabant compita porci.

Rursus:

Qui dabit immundae venalia farta saginae:

vel foras abjicienda est secunda vocalis, ut sit *sagnata*, veluti illud ejusdem poëtae, Propertii inquam;

Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit.

ac rursus,

Spectaclum capta, nec minus urbe fuit.

Sic etiam Horatius:

Nullus argento est color avaris
Abditae terris inimice lamnae,
Crispe Sallusti.

Virgilius:

Ac primum laxos tenui de vimine Circlos
Cervici subnecte.

Quorum exemplo nos in nostro Nereo, quod poëmation in nuptias serenissimorum Principum Ferdinandi Medices, & Christinae Lotharingiae non ita diu confecimus, & publicavimus, ut nosti, hunc in modum scripsimus. *Semitis quid pluribus hortes Distinctos?* Pro *semitis*, quod ineruditi quidam non videntes, temere, atque imprudenter nos de ea re carpere non sunt veriti, in quo inscitiam suam manifesto detexerunt. Caeterum per *magistrum* vel convivii principem intelligerem, hoc est συμποσίαρχον, veluti apud Catullum: *ut lex Posthumiae jubet magistrae:* unde *Magisteria*. Cicero: *Me vero & magisteria*

Qui facit egregios ad pervia compita ludos.
AM. Ille meis pacem dat montibus: ecce per illum
Seu cantare juvat, seu ter pede laeta ferire

Car-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

127. *Montibus*] *Motibus* MS. Tit. Virg. Ecl. v. 8.
128. *Laeta*] *Lenta* R. MSS. Tit. & Bart. ex G. & T.

NOTAE.

delectant a majoribus instituta, & is ferme, qui more majorum a summo adhibetur magistro in poculo. Vel ipsum vinum, quo nullus magister melior inveniri potest: aut etiam magistrum vici rustici ad quem pertinuerit cura Compitalitiorum. TIT.

125. PLAUDAT SIGNATA] Ita emendarunt qui Editionibus posterioribus praefuerunt. Tamen & Tigurina alias proba, ita habet. At princeps Editio omnium quas ego vidi, *Saginata* diserte praefert. Idque in *Sagmata* viri docti commutare nisi sunt, quasi dicas sagminibus coronata, quem morem ex Tibullo illustrant. Modio placet

——— ——— ——— ——— *faciata,*

idque itidem ex his Albii ejusdem.

Turbaque vernarum saturi bona signa Coloni
Ludet ———

Discernere utram ex his sequantur Eruditos lectionem Lectores sino. Mihi Modiana tamen potior videtur, nisi quod nec *Signata* valde displicere possit, cum egregios ludos signati agricolae celebrare potuerint. BART.

125. MAGISTRO,] Magistros vicorum ludis his pastoralibus praefuisse ex Asconio jam olim notavit Turnebus lib. XXI. cap. III. Adversar. BART.

126. AD PERVIA COMPITA LUDOS.] Festa intelligit in honorem Bacchi celebrari solita, quae τὰ ἀσκώλια vocabant Athenienses, propterea quod in medio theatri super utres, id est ἀσκοὺς inflatos obunctosque uno pede subsilirent, ut dilabentes risum spectatoribus excitarent: hos ludos ita describit Varro: *Etiam pelles bubulas oleo persusas percurrebant, ibique cernuabant, a quo vetus est ille versus in carminibus. Ibi pastores ludos faciunt coriis consualia.* Virgilius vero sic:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proscenia ludi;
Praemiaque ingentes pagos, & compita circum
Thesidae posuere; atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos salière per utres;
Nec non Ausonii Troja gens missa coloni
Versibus incompti ludunt, risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
Et te Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. TIT.

De ludis his pastoralibus ad compita celebrari consuetis non compilo quae dudum notarunt Turnebus lib XXI cap. III. aliique Criticorum primores. In compitis aras locari plurimum solitas docet Aggenus Urbicus ad Frontinum. Alia quaedam huc pertinentia fortassis non vulgaria notarem, si penes me essent mei libri. Haec enim in fuga Pestilenteis Morbi desultorie conscribimus. BART.

127. PACEM DAT MONTIBUS] Non damno vulgatam scripturam, sed indico alteram, quae erat *motibus*. TIT.

128. TER PEDE FERIRE] Trimetros canere, qui quamquam senis ictibus, tribus tamen insignioribus constant. Sic Horatius:

——— ——— *Pollio regum*
Facta canit pede ter percusso.

quidam Codices prae se ferebant *lenta*, quod senarii jambici naturam respicit, in quibus spondei frequentes collocabantur, ut tardius incederent, veluti docet Horatius Epistola ad Pisones. TIT. Modium qui *carminibus* hoc loci *gramina* substituit, plane insuper habendum putamus. Sed nec correctorum nobis placet audacia illaetabilis, qui *laeta* heic pro *lenta* in Calpurnium intruserunt. Elegantissime autem ait *lenta* (ita enim duae veteres & Optimae Edd.) *carmina ferire pede.* Cum ad fistulae sonum lenta rustici saltatione carmen exprimunt atque sequuntur. χορεύειν ὑπὸ σύριγγι dicunt Graeci, cum saltus ad fistulae temperatur canticum. Anacreon Ode. VI.

Ὑπὸ βαρβίτῳ δὲ κούρη
Κατὰ κισσίνοις βρέμοντας
Πλοκάμοις φέρουσα θύρσους
Χλιδανόσφυρος χορεύει.

Ut *carmina ferire pedibus*, sic versu sequenti, *cantare Choreas* dicit, quorum utrumque si vertas

cum

Carmina, non nullas licet hic cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro,
Turbida nec calamos exsurdant classica nostros.
Cor. Numine Caesareo securior ipse Lycaeus
Pan recolit silvas, & amoena Faunus in umbra
Securus recubat, placidoque in fonte lavatur
Naïs, & humanum non calcatura cruorem

Per

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

129. *Carmina*] Ita omn vett. *Gramina* P. & Mod. *Non nullas*] i. *Nullas non*, ita leg. Bart. *Hic*] *Et* R. A. B. F. Deest in V.

132. *Lycaeus Pan*] Ita P. ex Virgil. Aen. VIII. *Panos de more Lycaei.* Livius lib. I. c. 5. *nudi juvenes Lycaeum Pana venerantes.* Male ergo *Lycaeo* Bart. ex G. *Lyaeo* R. V. A. B. F. *Lycaeas* Nic. Heins.

N O T A E.

cum vulgo loquare. Prorsus festivus hic locus, dignusque qui vindicetur Calpurnio. Sic Satyri saltant sonum tympani apud Nonnum lib. XII.

Ἄλλος ἀνεσκίρτησε μέθης δεδονημένος οἴστρῳ
Φρικτὸν ἀμαστορόφης αἰὼν μίμημα βοείης.

Sic apud luxuriosiores omnia fiebant ad numeros, ut in convivio Trimalcionis apud Petronium. BART.

129. Nonnullas] Omnino inverte: *nullas non*, nullius non generis licet hic choreas tentare. BART.

129. Cantare choreas,] Artificiosa dicendi ratione & cantum; & tripudium conjunxit poëta, nam veteres saltantes canebant. Virgilius sic:

Pars pedibus plaudunt Choreas & carmina dicunt.
TIT.

130. Condere libro,] Inscribere in cortice arboris, ut morem fuisse pastoribus supra demonstravimus. Nemesianus:

Continet inciso servans mea carmina libro.

Hic noster:

Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo;
Et decisa feram rutilanti carmina libro.

Glaucus in Epigrammate:

Ναὶ ναὶ Πὰν συρικτά, καὶ ἐς αὔγειος ἐκείναν
Σοί τι κατὰ φλοιοῦ γράμμ' ἐκόλαψε λέγειν. TIT.

131. Exsurdant classica.] Tubae suo ingenti strepitu nostrorum calamorum exiguum sonum offuscant, neque exaudiri permittunt: hoc enim naturale est, ut magnus aliquis fragor impedimento fit, quo minus tenuior sonitus exaudiatur, quocirca qui ad Nili Cataractas inhabitant se invicem loquentes exaudire nequeunt ob praecipitantis aquae fragorem. Porro cum praelium esset committendum, litui, tubae, cornua, caeteraque hujusmodi bellica instrumenta clangebant, quod bellicum, seu classicum canere dicebatur; qua de re videndus est Vegetius de re militari lib. II. TIT.

132. Securior ipse Lycaeus] Magis securus ob numen Caesaris, quam ob numen Bacchi: est autem Lyaeus Bacchi cognomen ἀπὸ τὸ λύω, quod curis videlicet hominum mentes solvat, ut ait Ovidius:

Cura fugit, multo diluiturque mero.

Horatius ad Graecum nomen alludens inquit:

Curam, metumque Caesaris rerum juvat
Dulci Lyaeo solvere.

Per *Lyaeum* vinum accipiens, quod est liquor Bacchi. TIT.

132. Lycaeus] Vetustissimus liber & alter, *Lycaeo*. quod cur mutarint, idque Modio satisfdante, ego caussam non video. Imo dignius hoc ajo felici Poëta quam alterum. *Pan Lycaeo* est, sicut *Paster ab Amphriso* *Lycaeus* autem sacer Pani. Vide Theocritum & in eum Calliergi Collectanea Eidyll. I. BART.

133. Faunus in umbra] Quam libenter captare consuevit. Horat.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, & igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos. TIT.

135. Humanum] Prorsus divini duo versus. BART.

 136. Per.

Per juga siccato velox pede currit Oreas.
Am. Dii, precor, hunc juvenem, quem vos (nisi fallor) ab ipso
Aethere misistis, post longa reducite vitae
Tempora, vel potius mortale resolvite pensum,
Et date perpetuo coelestia fila metallo:

Sit

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

136. *Siccato*] *Soccato velox pede* Tit. inepte. Calp. Ecl. II. *Adfuerunt sicco Dryades pede.*

NOTAE.

136. Per juga siccato] Hic noster,
Affuerunt sicco Dryades pede, Najades udo.
Cur vero pedem siccatum appellaverit declarat dicens:
—— —— *humanum non calcatura cruorem:*
nimirum ob sanguinem occisorum. Ovidius.
Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Petronius Arbiter:
—— —— *horrida tellus*
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.
Caeterum Oreades Nymphae montium nuncupantur παρὰ τοῦ ὄρους. Virgilius,
—— —— *quam mille secutae,*
Hinc, atque hinc glomerantur Oreades.
Mihi placet vulgata scriptura, fuit tamen cum legerem *soccato aivi & siccato*, hoc est soccis induta. Propertius:
Cui saepe immundo sacra conteritur via socco.
Sic Virgilius:
—— —— *atque alte suras incincta cothurno.*
Hesiodus in Theogonia vocat Junonem χρυσοπέδιλον. Sed hic nihil mutandum, ut praemonui. TIT.

138. Post longa reducite] Votum longaevitatis. Horatius:
Serus in coelum redeas, diuque,
Laetus intersis populo Quirini:
vel totidem (inquit) annos eidem rependite. TIT.

138. Reducite] Tamquam coelo venisset, eo reducendum ait. Horatius.
Serus in caelum redeas, diuque
Laetus intersis populo Quirini.
Claudianus III. Consul. Hon.
Distulit Augustus cupidu se reddere caelo.
Manilius lib. IV. de Caesare.
Ille etiam coelo genitus, caeloque receptus.
Vellejus lib. II.
Animam caelestem caelo reddidit.
Claud. VI. Cons.
—— —— *seniore supernas*
Jam repetente plagas —— BART.

139. Mortale resolvite pensum,] Senec. Apocol. de filo Neronis
—— —— *Humanaque fata*
Laudatum transcendit opus: ne demite, Parcae,
Phoebus ait, vincat mortalis tempora vitae.
Statius I. Thebaide.
Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis
Aeternum sibi, Roma, cupit —— BART.

140. Coelestia fila metallo:] Curate ne Parcae stamen aureum umquam intercidant, hoc est, efficite ipsum immortalem: nota autem sunt, aut saltem passim obvia, quae de Parcis ab antiquis traduntur: earum nomina commemorantur haec, Clotho, Lachesis, Atropos: Clotho quidem παρὰ τὸ συγκλώθειν τὰ ἀνθρώπινα, Lachesis παρὰ τὸ λαγχάνειν τὸ πεπρωμένον, Atropos παρὰ τὸ ἀμετάτρεπτον τῆς μοιρηδίης ἀνάγκης. Earum pulcherrima exstat descriptio apud Catullum de Nuptiis Pelei, & Thetidis ab illo versu:
His corpus tremulum complectens undique vestis:
& reliqua. Per *metallum perpetuum* fila ex solido auro confecta accipe, siquidem aurum nulla rubigine tangitur, nec ullum intertrimentum patitur; vel nusquam interruptum. TIT.

140. Metallo:] Auro. Seneca:
Mutatur vilis pretioso luna metallo.
Aurea formoso descendunt secula filo.
Hinc Martialis.
Et tetum Phryxi Julia nebit ovem.
Ita Claudianus quoque est locutus cum Sidonio. BART.

141. Pa-

Sit deus, & nolit pensare Palatia coelo.
Cor. Tu quoque mutata seu Juppiter ipse figura,
Caesar, ades, seu quis superûm sub imagine falsa
Mortalique lates: vivas, atque hunc, precor, orbem,
Hos, precor, aeternus populos rege; sit tibi coeli
Vilis amor, coeptamque, pater, ne desere terram.
Mel. Rustica credebam nemorales carmina vobis
Concessisse deos, & obesis auribus apta:

Ve-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

142. *Mutata figura*] Horat. 1. Od. 2. *Sive mutata juvenem figura*, &c. unde & reliqua petita.

144. *Atque hunc*] *Et hunc* R. *lates :* * *& enim hunc* V. A. B. F. *lates : aeternum hunc, te precor*, Mod.

145. *Aeternus*] Ita R. P. Mod. & Mart. Stat. Theb. 1. *quem Aeternum sibi Roma cupit*, &c. *aeternos* V. A. B. F.

146. *Terram*] f. *Curam*. Caeterum quod, *pater*, hic dicat, quem modo *juvenem*, ut revera erat Numerianus, ab Horat. ib. habet, qui ut *juvenem* dixerat, addit: *Heic ames dici pater, atque princeps.*

NOTAE.

141. Palatia coelo.] Vide Statium lib. 1. Lucanus.

——— *Te, cum statione peracta,*
Astra petes serus, praelati regia caeli
Excipiet gaudente polo ——— BART.

142. Tu quoque mutata] Μίμησις Horatiana, sic enim ille:

——— ——— *tandem venias precamur*
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo,

& reliqua. TIT. Horatium imitatur lib. 1. od. 11. ut notavit & Modius BART.

144. Etenim hunc, deprecor,] Hic versus in omnibus codicibus mendose legebatur, itaque merito asterisco fuit notatus, sed eum ipsum ita corrigo ex vetere exemplari:

——— ——— *vivas vel venias, atque hunc precor orbem.* TIT.

145. Aeternus populos rege,] Vel aeternum rege, vel *aeternos populos*, hoc est Romanos ipsos, quorum imperium perpetuum fore auguratur Juppiter apud Virgilium dicens:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi.

Roma porro dicta est *urbs aeterna* eamdem ob causam. TIT.

146. Coeptamque, pater,] Vel quia Jovem paulo ante ipsum appellavit, qui hominum, deorumque pater dictus est, ut alibi adnotavimus, vel tacite ad honorem illum respexit, qui civibus de Rep. bene meritis, atque adeo Imperatoribus ipsis tribuebatur, ut patres Patriae dicerentur. TIT.

147. Nemorales deos] Agrestes, qui lucos habitant, cujus generis sunt Faunus, Pan, Sylvanus, Satyri, Pomona. TIT.

148. Obesis auribus apta:] Rudibus, & indoctis, a corporis habitudine: siquidem mores animi (teste Galeno) corporis temperamento ut plurimum respondent: hinc Homerus Boeotos pingues appellavit, ejus gentis tarditatem ingenii ac stupiditatem notans: πὰρ δ' (inquit) *οἱ ἄλλοι ναῖον Βοιωτοὶ μάλα πίονα δῆμον ἔχοντες.* nisi soli fertilitatem respexit potius, quod mihi fit verisimile ob id, quod de Oresbio statim dixerat. Horatius:

Pingue pecus domino facias, & caetera praeter
Ingenium.

Rursus alibi:

Ne rubeam pingui donatus munere,

id est versibus indoctis & ineptis. Hinc dicimus *pingui Minerva*, & *pingui ingenio* fieri, quae insulse, & inepte fiunt: respondet autem Menalcas ei, quod initio dixerat Corydon:

Quicquid inest, silvestre licet videatur acutis
Auribus, & nostro tantum memorabile pago.

&

Verum, quae imparibus modo concinuistis avenis,
Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim,
Quod Peligna solent examina, lambere nectar.

Cor.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

149 *Quae imparibus*] Ita V. A. B F. P. Virg. Ecl. II. *disparibus septem compacta cicutis Fistula. quam paribus* R. f. *quae paribus* ex Ecl. II. v. 3.

150. *Canunt*] Ita omn. Edd. *sonant* Mod.

151. *Solent examina lambere, nectar* Ita disting. *legunt examina, lambere* cit. Mod. *Pelvina sonant*. R.

NOTAE.

& rel. TIT.

149. IMPARIBUS CONCINUISTIS AVENIS,] Quarum sunt aliae aliis majores. Virgil.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Vel *imparibus*, id est minime aptis ad heroum laudes concinendas, qua de re superius Menalcas Corydonem admonuerat: vel dictum est, ut illud: *sed impar Voce sonans.* TIT.

150. TAM LIQUIDUM,] Cantus liquidus in laude ponitur, significat enim clarum & distinctum. Lucret.

Et variae volucres nemora avia pervolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.

Virg.

Tam liquidas corvi presso ter gutture voces,
Aut quater ingeminant.

Est autem Graeca phrasis pro liquide & dulciter canere. sic Horatius:

Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Rursus alibi:

—— —— aderat querenti
Perfidum ridens Venus, & remisso
Filius arcu.

Catullus ad Lesbiam:

—— —— qui identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem.

& in Endecasyllabo:

Illam, quam videtis Turpe incedere.

Nemesianus, unde hic locus desumptus videtur:

—— —— qua dulce locutus
Tityrus e sylvis dominam pervenit ad urbem. TIT.

Vide supra notata ad Ecl. III. versu 59. Hieronymus ad Laetam. *placeat, et comes non compta, neque formosa, neque lasciva, quae liquido gutture carmen dulce moduletur: sed gravis* &c. BART.

150. TAM DULCE CANUNT,] Cur *canunt* in *sonant* mutarit Modius, caussa nulla est. *Canunt* enim idem est quod illud alterum. Horat.

—— —— cujus recinit jocosa
Nomen imago.

Lucr.

Frundiferasque novis avibus canere undique silvas.

Alii, quos nominare longum. BART.

151. QUOD PELIGNA SOLENT] Pelignos favos tanquam cera spectabiles commendat Plinius, sed Calabri mellis nobilitas ab Horatio celebratur ibi:

Ego apis Matinae more, modoque
Grata carpentis Thyma per laborem
Plurimum circa nemus, uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Nam Matinus mons est Calabriae: hic locus expressus est ex Theocrito, ibi:

Ἀδύ τι τὸ στόμα τοι καὶ ἱφίμερος ὦ Δάφνι φωνά.
Κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

TIT.

151. SOLENT] Modius habet: *Legunt* Sed nec tam enormi, nec ulla alia nobis opus correctione. Nam *τὸ solere* ita absolute ponunt Scriptores. Sic Ulpian. lib. I. de Ritu Nuptiar. *verum etiam si qua ut adsolet, in taberna cauponia pudori suo non parcit.* Catullus.

Soles haec imaginosum.

ad quem consule Scalig. Animadv. BART.

151. LAMBERE NECTAR.] Theocr.

Κρέσσον μελπομένω τευ ἀκουέμεν ἢ μέλι λείχειν.

dulcedinem carminis cum melle atque nectare comparat. Persius:

Cantare credas Pegaseium nectar.

Petron.

—— —— sic flumine largo
Plenus, Pierio diffundes nectare verba.

Paullinus ad Cytherium.

Re-

Cor. O mihi quam tenero decurrunt carmina versu!
Tum, Meliboee, sonent, si quando in montibus istis
Dicar habere Larem, si quando nostra videre
Pascua contigerit. vellit nam saepius aurem

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

152. *Quam, tenero quae currunt* Bart. ex G.
153. *Sonent*] i. sonabunt, Mod. *sonant* R.
154. *Dicar*] *Dicat* R.
155. *Vellit*, &c.] Virg. Ecl. VI. *Cynthius aurem Vellit, & admonuit*, &c.

NOTAE.

Referensque paucos de tuis scriptis logos
Quasi labra melle sparserit,
Sic de favorum mihi tuorum guttulis
Dulcissimum gustum offerens,
Magis coëgit quas aveuts non dedit
Desiderare litteras.

Seneca, siquidem fides titulo lib. I. Vet. Epigr.

Crispe, fides dulcis, placitique acerrima virtus,
Cujus Cecropio pectora melle madent.

Lucian. Imagin. καὶ τὸ γλυκεῖον ἀπὸ τῆς γλώττης περὶ αὐτοὺς μᾶλλον ἢ περὶ τὸν Πύλιον γέροντα ἐκεῖνον ὁ Ὅμηρος ἂν εἴρηκεν. Hesiod. Theogon.

——— ——— ὅδ' ὄλβιος ὅν τινα Μοῖσαι
Φιλεῶνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.

Homer. Iliad. α.

——— ——— λιγὺς Πυλίων ἀγορητὴς
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Theocr. Μελπὸν ταὶ Μοῦσαι μοὶ ἀεὶ ποθεινὰ δίδοντι
Τὰν γλυκερὰν μολπάν.

Lucretius lib. I.

Et quasi Musaeo dulci contingere melle.

Pindarus Olympionicôn VII.

Καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν
Μοισᾶν δόσιν ἀεθλοφόροις
Ἀνδράσιν πέμπων, γλυκὺν καρπὸν φρενός.

Theocr. Thalys.

Οὕνεκα οἱ γλυκὺ Μοῖσα κατὰ στόματος χέε νέκταρ.

Scholiast. αἱ Μοῦσαι αὐτὸν γλυκύτατον τραγῳδὸν ἐποίησαν, δηλοῖ δὲ διὰ τοῦ νέκταρος ὑπερβολικῶς τὴν μελιχρότητα ἢ τὴν γλυκυφωνίαν. &c. Martianus Capella li. IX. de Musica. *Post hos honoratior fontigenarum virginum chorus Pegaseae vocis nectare diffluebat.* Qui quidem videtur mihi Persii versum in mentem habuisse. Nam veterem esse scripturam docet ejus Criticus vetus. Varro Atacinus, ut volunt.

Argutosque inter latices & Musica labra,
Pierio liquidam perfundis nectare mentem.

Licentius ad Augustinum.

Scripta salutiferi sermonis, & illa priorum
Aequiparanda favis: reputans quae pectore in alto;
Conceptum in lucem vomuisti nectareum mel.

Cui congruum quod Dulcedine versuum praestantes Poëtae aut Orationum alii scriptores soleant vocitari *Apes*: Hesyc. Illust. Σοφοκλῆς ὁ τραγικὸς μέλιττα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ἡδύ. Vide in hanc rem comparationem Poëtarum & apum apud disertissimae suavitatis Muret. Variar. li. VIII. ca. I. BART.

O mihi] Hic versus ita emendandus est:

O mihi quam, tenero quae currunt carmina versu!

Et ita diserte vetustissima Editio. Ne quid non nostrum in armum tollamus. BART.

152. Decurrunt carmina] Bene *decurrunt*, nam carmina pedibus constant, id est modulis quibusdam incedunt sicut animalia pedibus. Horatius:

——— ——— *nec cito pede currere versus.*

& iterum: *euntes mollius*: ab eo, quod est in animalibus. Propertius:

Et cavit, ut soleant molliter ire pedes.

Nisi forte legendum sit *mensa*, quod tamen non crediderim. TIT.

153. In montibus istis] Quos Roma suo ambitu complectitur. TIT.

155. Vellit nam saepius aurem } Auris memoriae dicata fuit, hinc *aurem vellere* pro admonere. Virgil.

Cum canerem reges, & praelia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit.

& in epigrammate:

Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.

Seneca de Beneficiis: *loquar mecum, & aurem mihi vellam.* Item alibi: *Nec tamquam munus dabo, sed verba mea redimam & aurem mihi per-*

vel-

Invida paupertas, & dixit, Vilia cura.
At tu, si qua modo non aspernanda putabis,
Fer, Meliboee, deo mea carmina. nam tibi fas est
Sacra Palatini penetralia visere Phoebi:
Tu mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem
Tityron e silvis dominam deduxit in urbem,
Ostenditque deos, & spreto dixit ovili,
Tityre rura prius, sed post cantabimus arma.

MEL.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

156. *Dixit*] *Dicit* Bart. ex G. *Cura*] *Rura* V. A. F.
157. *At tu*] *Et tu* R. *Tamen*] *Modo* V. A.
160. *Tu mihi*] *Tum mihi* V. A. B. F.
161. *Tityron e silvis*] *Tyroniam silvis* R. *Dominam* &c.] Nemes. Ecl. I. *dominam perducat ad urbem.*
162. *Ovili*] *Olivo* R.

NOTAE.

vellam, damno castigabe promittentis temeritatem. TIT.

155. VELLIT AUREM] Notum ex Virgili BART.

156. INVIDA PAUPERTAS,] Quia invidet ditioribus. Ovid.

Invidus alterius rebus macrescit opimis. TIT.

156. DIXIT,] Vetus liber: *dicit.* Optime. De Paupertate sua etiam infra conqueritur. BART.

156. VILIA CURA.] Cujusmodi sunt, quae initio hujus Eclogae commemoravit Menalcas:

Et potius glandes, rubicundaque collige corna:
Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem
Non tacitus porta. TIT.

159. PENETRALIA VISERE PHOEBI:] Vel Caesaris intimum cubiculum, quem etiam superius Deum vocavit, ut dixi, vel sacrarium templi, quod Augustus in palatio Apollini excitavit, ut auctor est Suetonius: in eo erat bibliotheca: unde Horatius:

Scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo.
TIT.

160. QUALIS] Maecenatem intelligit: Sidonius. BART.

160. QUI DULCE SONANTEM] Περιφραστικῶς. C Cilnium Maecenatem intelligit, qui aditum Virgilio ad Caesaris Augusti benevolentiam sibi colligendam patefecit, quod argumentum tractat idem Maro Eclog. I. Nemesianus vero inquit:

——— ——— *cantamus avena,*
Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus
Tityrus e sylvis dominam pervenit ad urbem.
TIT.

161. TITYRON.] Supra notavimus per *Tityrum* Maronem intelligi, idque ductum est ex ipsius Eclog. VI. Sidonius lib. I. Epist. V. *Atque obiter Cremonam pervectus adveni, cujus est olim Tityro Mantuano larium suspirata proximitas.* BART.

161. DOMINAM DEDUXIT IN URBEM,] Romam vocat *urbem dominam*, hoc est μητρόπολιν. Sic Horatius:

O tutela praesens Italiae,
Dominaeque Romae.

Idem *principem urbium* appellat, ibi: *Romae principis urbium.* Sed Calphurnius imitatus est Nemesianum, qui dixerat:

——— ——— *Dominam perducat ad urbem.*

Sic etiam Martialis:

Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est.
TIT.

162. OSTENDITQUE DEOS,] Augustos. Principes enim deos vocabant veteres, ut docet Joannes Tzetzes non in uno loco. Virgilius ait:

O Meliboee deus nobis haec otia fecit. TIT.

163. CANTABIMUS ARMA.] Alludit ad libros Georgicorum & Aeneidos, quos post Bucolica conscripsit Virgilius: eorum ordinem ipsemet ita fuit exsecutus in prooemio Aeneidos, antequam

MEL. Respiciat nostros utinam fortuna labores
Pulchrior, & meritae faveat Deus ipse juventae!
Nos tamen interea tenerum mactabimus hoedum,
Et pariter subitae peragemus fercula coenae.
Nunc ad flumen oves deducite: jam fremit aestas,
Jam sol contractas pedibus magis admovet umbras.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

164. MEL. *Respiciat*] Deest quidem haec persona in V. A. & proximo v. sequitur AMYN. sed ea hic ponenda est.

165. *Meritae*] *Mente* R. *Faveat*] Ita om. Edd. praeter August. quae habet, *fuerat*. Ita cit. Mod. & legit, ut hic editum.

168. Hic MEL. nomen praefigunt V. A. R. recte. *Aestas*] f. *aestus*. Virg. Georg. II. 331. *Aestibus at mediis*, &c.

169. *Admovet*] *Admonet* V.

NOTAE.

quam illos versus Tucca & Varro inde amoverent.

Ille ego qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egressus silvis vicina coëgi;
Ut quamvis avido parerent arva colono,
Gratumque opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma, virumque cano. TIT.

164. RESPICIAT] Et per hoc faveat. Sic usus est hoc verbo Virgilius:

Candidior postquam tondenti barba cadebat,
Respexit tamen, & longo post tempore venit.

Hic noster superius hac ipsa Ecloga

Nec quisquam nostras inter dumeta Camoenas
Respiceret. TIT.

165. FAVEAT] Ita Modius restituit: & ita nostrae veteres ambae habent. Quas velim ipse visas. BART.

166. NOS TAMEN INTEREA] Non longe discedit hic noster a Virgilii vestigiis, ille enim sic inquit:

Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Verum hic hoedus occidi videtur in coenae usum TIT.

168. JAM FREMIT AESTAS] Breviores umbras emittit, sol enim cum mediam coeli plagam pervadit, magis ex pediculo nos adspicit; itaque umbras contrahit, ex adverso mane, cum exoritur, vel cum vesperi occidit, productiores efficit, propterea quod nostrum hemisphaerium ex transverso illustrat, sicuti docet Aristoteles in Problematis. Virgil.

Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.

Ovid.

Fecerat exiguas tum sol altissimus umbras.

Vide Strabonem γεωγραφ. extremo libro secundo, ubi περὶ τῶν περισκίων καὶ ἀμφισκίων καὶ ἑτεροσκίων loquitur. TIT.

169. JAM SOL] Rustica meridiei denotatio. Ovidius. Metam. II.

Jamque dies medius rerum contraxerat umbras,
Et Sol ex aequo meta distabat utraque.

Valerius Flaccus lib. III. Argonaut.

Jam summas caeli Phoebus candentior arces
Vicerat, & longas medius revocaverat umbras.
BART.



ECLOGA V.

MYCON.

Forte Mycon fenior, Canthufque Myconis alumnus,
Torrentem patula vitabant arbore folem,

Cum

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

DIDASCALICA AECLOGA. V. A. *In praefenti ecloga dantur praecepta paftoralia filio a patre*; *& eft didafcalica*, &c. R. Imitatur autem paffim Virgilium. Georg. III.

NOTAE.

MYCON.] Editio Florentina a Philippo Junta procurata huic Eclogae titulum praefigit *Mycon* a paftore, qui in ea loqui introducitur. TIT. Ad hanc Eclogam, quae Inftitutionem rudis ruftici paftoris continet, multa erant notanda fi apud me effet mea mihi Bibliotheca. Ignofcet fortunae, non mihi lector bonus imputabit nomen. Refarciam cum primum ea ad manus revenerit uberiori copia hunc defectum, fecundum Symmachum. Sine libris tale aliquid muginari quam fit arduum omnes norunt, qui quidem in his litteris aliquid fapiunt. Multa fane cogitanti incidunt quorum fcriptores novi, loca autem nominare non poffum, nec unius vocis gratia ad totos auctores lector remittendus eft, ne fe ludibrio haberi fufpicetur. BART.

2. TORRENTEM PATULA] Patulam fagum vocavit etiam Virgilius;

Tityre tu patulae recubans fub tegmine fagi.

Sic M. *Tullius* de Platano: *Nam me haec tua pla-*

ta-

Cum juveni senior praecepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris:
Quas errare vides inter dumeta capellas,
Canaque lascivo concidere gramina morsu,

Can-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

3. *Cum*] *Tum* V. A. B. F. *Quom* R.

NOTAE.

tanat admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates. Homerus τανύφυλλον ἐλαίην dixit. Moschus *βαθύφυλλον πλάτανον*. Illud *torrentem solem* convenit cum illo Catulli:

Sole sub ardenti flaventia demetit arva:

quod & in Virgilio reperias. Propertius ait:

Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
Incipit & sicce fervere terra cane. TIT.

Adurentem quasi aut ustulantem. Sed magis placet *torrentem* intelligi quem Maro *rapidum* vocat, torrentis videlicet modo omnia frangentem. Hanc phrasin in Poëtis Christianis memini legere, nec observatam doctissimo Fabricio. Juvencus praefatione Historiae Euangelicae,

Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus.
Quo cunctum torrens rapiet flamma ultima mundum.

Elegantius dicere non poterat Juvencus. Arator l. I. Historiae Apostolicae.

Ardua progreditur caenacula, Petrus, adire
Jam medio torrente die. ——

Torrentem Lunam aliubi legi. Hygin. lib. IV. cap. XIV. Astron. BART.

3. Tum juveni senior] Comparativum pro positivo. Ovid.

Diva potens, seniorque pater, pia sarcina nati.

Rursus:

Jamque vale seniorque pater, germanaque Gorge. TIT.

4. Tremulis titubantia labris:] Pulchre exprimit senectutis incommodum in verbis enunciandis, quod Graeci vocant *ἰσχνοφωνίαν* cum quis nequit expedite syllabam syllabae contexere pronunciando, quo vitio senes praecipue laborant, unde ab Horatio *balba senectus* nuncupatur:

Occupet extremis in vicis balba senectus.

Tibullus:

Balbaque cum puero dicere verba senem.

quamquam proprie *balbus* est *ψελλός*. Sed ad mentem hujus nostri dixit Juvenalis:

Una senum facies, cum voce trementia labra.

Tibullus etiam:

Et sibi blanditias tremula componere voce.

Hujusce vero effectus causam exquirit Aristoteles in Problematis, apud quem videre poteris. TIT. Elegantissime Persius.

Atque exporrecto trutinantur verba labello. BART.

5. Quas errare vides] Errando pasci. Virgil.

Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere quae vellem calamo permisit agresti. TIT.

6. Canaque lascivo] *Gramina cana* dixit ob pruinam. Virgil.

Frigora nec tantum cana concreta pruina.

Rursus:

—— —— *dum mane novum; dum gramina canent.*

Item alibi:

—— —— *gelidus canis cum montibus humor Liquitur.*

Horat.

Nec prata canis albicant pruinis.

Eadem ratione:

Stractem nive candidum,

& Thracem appellavit. Caeterum *lascivo morsu* dixit pro voluptuoso & deliciosO, ita enim interpretatur Servius grammaticus illud Maronis:

Florentem Cytisum sequitur lasciva capella.

Et Constantinus sane de Agricultura scribit capras gregatim pasci, sed maxime invicem discedentes, salientesque, ac lascivientes: sed & Columella de Capro inquit: *quod si uberius alatur, matrem stupro supervenit, & ideo ante sex annos consenescit, propterea quod immatura Veneris cupidine primis pueritiae temporibus exhaustus est. itaque quinquennis parum idoneus habetur foeminis implendis.* TIT.

Canthe puer; quos ecce greges a monte remotos
Cernis in aprico decerpere gramina campo,
Hos tibi do senior juveni pater: ipse tuendos
Accipe: jam certe potes insudare labori,
Jam pro me gnavam potes exercere juventam.
Aspicis ut nobis jamdudum mille querelas

Ad-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

7. *Quos*] *Quas*, & 9. *Has*, & 24. *clausas* Bart. ex G.
12. *Adspicis, ut*] *Adspice, ut.* Bart. ex G. & T. *Jamdudum*] *Jampridem* V. A. F.

NOTAE.

7. GREGES] Propric hoc de ovibus dicitur. Virgilius Georg. IV.

Lanigeros agitare greges, hirtasque capellas.

Ovidius. Metam. IV. Nostra Editio vetus:

—— *Quas ecce greges a monte reductos.*

Et foeminino genere *greges* a Lucretio dictas notat Nonius. Locus est l. II. Et cur non imitatum dicamus id Calpurnium, cum iste Virgilii, Virgilius Antiquitatis fuerit studiosissimus? Et quare non invitis Grammaticis eorum Notis utamur praecipue cum infra v. XXIV. idem exstet. BART..

8. IN APRICO] Sic *aprices colles*, & *aprica saxa* vocavit Maro:

—— —— —— —— *& quo*
Duceret apricis in collibus uva colorem.

Ac rursus alibi:

—— —— —— —— *& alte*
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Apricum campum dixit Horat.

—— —— —— —— *cur apricum*
Oderit campum patiens pulveris, atque solis.

TIT.

9. HOS TIBI DO] Cum diserte idem liber, *has* habeat, confirmatur superior Nota. BART.

9. TUENDOS ACCIPE:] Virgil.

—— —— *Quae cura tuendo*
Sit pecori. TIT.

10. INSUDARE LABORI,] Qui plurimus exhauriendus est pecoris magistro, etenim, ut inquit Columella: *Magister hujus pecoris debet esse acer, durus, strenuus, laboris patientissimus, alacer atque audax, ut qui per* rupes, per solitudines, per vepres, *facile vadat*, & non ut alterius generis pastores sequatur. TIT.

10. INSUDARE] Rusticissime, hoc est, optime. BART.

12. ASPICIS] Vetus illa laudata editio, *Adspice* repraesentat, eamque sequitur Tigurina, quae videtur ex illa deducta. Et hoc ego omnino arbitror reducendum, quid enim nobis cum febriculosis illis anxietatibus Grammaticorum recentium, qui suspendere se malint quam tale aliquid, quod ipsis non satisfacit, in bonis Poëtis relinquere! Faciant quod velint, ego propterea antiquitatem non puto temerandam vel in minutioribus quam istud est. Nec non suspicor in hoc ipso Poëta plura illos ipsos sibi indulsisse, quae nos non queamus sine meliori Exemplari indagare. Plura de hoc antiquitatis more non elidendi vocales in Analectis Poëticis. Interea vide elegantissima Collectanea de VERSIBUS a Gifanio Indici Lucretiano inserta. Virgil. Ecloga II.

Actaeo Aracintho:

Ecl. V.

Duo altaria Phoebo.

Eclog. VII.

Castaneae hirsutae.

Eclog VIII.

Ut vidi ut perii, ut me malus abstulit error.

Ibid.

Ismarus aut Rhodope aut extremi Garamantes.

Ibid.

—— —— *Ipsi sibi somnia fingunt.*

Ecloga X.

Illum etiam lauri, illum flevere miricae.

Quibus tot locis Bucolicorum in libello audacia facta est Calpurnio semel imitandi, quam nemo olli negaverit sanus, unde Grammaticos nostros semper excipio. Silius lib. XII.

Aonidum cura & dignus Apolline vates.

Quod corrigendo illi Poëtae praefecti non belle correxerunt. Ausonius, antiquitatis studiosissimus.

Hic

Adferat, & baculum premat inclinata senectus?

Sed

N O T A E.

Hic ego Ausonius
ubi inserentem *sum* L. Fruterium τὰ ἴδια ταράττειν jussero. Idem Epigramm. LVII.
Exteriore Myro, interiore Deus.
Idem Parental. XXVI.
——— *Ergo commemorata ave.*
Idem Ludo in Solone.
Laudat Solonem, Croesum in amicis habet.
ubi M. non eliditur. Idem Cupid. Crucifiao:
Et Thisbe & Canace & Sidonis horret Elisa.
Idem Idyll XVIII.
Nymfae Hamadryades.
Idem Ecl.
Octipedem in cancrum Phryxaeo ab ariete pergens.
Valerius Flaccus lib IV.
Cum facibus spirisque & tartareo ululatu.

Ita alii etiam & pene omnes Poëtae. Ista Gifanianis interim adjicienda, dum nostra Analecta prodeunt. BART.

12. MILLE QUERELAS] Ob multos variosque morbos senes identidem infestantes, μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς ἔχει, inquit Euripides. Juneus in libro de senectute apud Stobaeum in Collectaneis hac de re plura scripta reliquit, quibus recensendis, ut brevitati studeam, consulto supersedeo. Apollodorus tamen senectutem ipsam morbum esse pronunciavit, τὸ γῆρας (inquit) ἐστὶν αὐτὸ νόσημα. Et Aristoteles in libris de Animalibus senectutem appellat νόσον φυσικήν. TIT. Senectuti semper est quod queratur. De quo multis Maximianus in interpolato illo, ut nos putamus, Cn. Cor. Gallo. Eleganter Horatius in Arte.

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit & inventis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus: iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: castigator, censorque minorum.
BART.

Maximian.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.
O sola fortes garrulitate senes!

Et Menandri illud notum est, Senes nihil esse nisi umbram & vocem. Tamen verissimum est de illis qui in illa vitae hyeme, ut Eratosthenes & Patrocles dicebant, degunt, quod ait Euripides Alcest.

Μάτην ἄρ' οἱ γέροντες εὔχονται θανεῖν
Γῆρας ψέγοντες, καὶ μακρὸν βίου χρόνον,
Ἢν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται
Θνήσκειν, τὸ γῆρας δ' οὐκ ἔτ' ἔσ' αὐτοῖς βαρύ.

Quod in Euripide Romano ita vertimus:
Vano seniles devovent Letho caput,
Damnare longum tempus aetatis cati,
Quippe, ubi prope aderit mors: videbis neminem
Abire promtum, non graves jam annos vocant. BART.

13. BACULUM PREMAT] Senes invalidi baculo se sustentare consueverunt: hinc ait Juvenalis:

——— ——— *& pedibus me*
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo:

Cornelius, cui pater luminibus captus pro baculo inniteretur, Scipio cognominatus est, & nomen ex cognomine posteris dedit, auctore Macrobio: dicitur enim *Scipio* bacillus ille, cui senes innituntur. Heliodorus Aethiopicorum lib. 1. οὐκ ἐπὶ τοιαύταις ἡμᾶς ἐλπίσιν ὦ Ἀθηναῖοι τὸν δὲ ἀνίπτερον ἔληξε· ἀλλὰ τὸ γῆρας τὸ μὲν βακτηρίαν ὄντα σὲ προσδοκῶν. Auctor ille qui a nonnullis Cornelius Gallus esse perhibetur:

Hinc est, quod baculo incumbens ruitura senectus
Assiduo pigram verbere pulsat humum.

Notum etiam est Sphingis aenigma: Ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπον, οὗ μία φωνή, καὶ τρίπον. Idem Latinus poëta, quem modo nominavi.

Fitque tripes, rursus quadrupes, ut parvulus infans.

Sed & Hesiodum audire operae pretium fuerit dicentem in opere ἔργα καὶ ἡμέραι·

——— ——— *τότε δὴ τρίποδι βροτῷ ἶσοι,*
Οὗτ' ἐπὶ νῶτα ἐάγη κάρη δ' εἰς οὖδας ὁρῶν.

Caeterum *inclinatam senectutem* vocat a rei natura, quod silices videlicet intueantur, ut dixit Hesiodus. Nonius tamen aliunde originationem derivat. Hinc quoque Plautinus jocus Curculione:

——— ——— *ecce autem bibit arcus, pluet,*
Credo, hercle, hodie.

Vetulam enim, quod incurva esset, & inscaa, *arcum* nominavit. Propertius sic:

——— ——— ——— ——— *cum sit*
Ipsa anus: haud longa curva futura die.

Ovid.
Jam venit tacito curva senecta pede.

Praestantissimus noster poeta Torquatus Tassius de Raimundo loquens, cum Argantes Christianos ite-

Sed qua lege regas & amantes lustra capellas,
Et melius pratis erranteis mollibus agnas,
Percipe. Vere novo, cum jam tinnire volucres
Incipient, nidosque reversa lutabit hirundo;

Pro-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

17. *Incipiunt, nidosque reversa habitabit* R.

NOTAE.

iterum ad singulare certamen provocasset:

Et io, ben' ch' à gir' curvo mi condanni
La grave etè, non sia, che ciò escusi.

Vel *inclinata* ad occasum respiciens. TIT.

14 ET AMANTES LUSTRA CAPELLAS,] Jam praecepta Cantho promere incipit Mycon; admonetque ut capras in montibus, oves in pratis pastum ducat, quod rei rusticae scriptores observari jubent: itaque Varro inquit: *Caprinum pecus habet sua propria quaedam? quod potius silvestribus saltibus delectatur, quam pratis, studiose enim de agrestibus fructibus pascuntur, atque in locis cultis virgulta caepunt, itaque a caependo caprae nominatae.* Columella quoque in hanc sententiam: *Id autem genus* (de caprino pecore loquitur) *dumeta potius, quam campestre situm desiderat, asperisque etiam locis, ac silvestribus optime pascitur: nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur, & arbusculis frutetisque maxime gaudet.* Macrob. *Caprae vero consuetudo haec in pastu videtur, ut semper altum pascendo petat.* Virgil.

Pascuntur vero silvas. & summa Lycaei,
Horrentesque rubos, & amantes ardua dumos:

Idem quoque tradit Constantinus de Agricultura libro VIII. hoc noster paulo infra dicet:

——— ——— *tum campos ovibus, dumeta capellis*
Orto sole dabis ——— TIT.

14. AMANTES LUSTRA] Ob arbuta nova quibus inhiant capellae. Manilius:

Et nova per montes quaerunt arbusta capellae.

Virgilius Culice. BART.

15. PRATIS ERRANTEIS MOLLIBUS] Ex Virgilio

Mollibus in pratis unctos saliere per utres. TIT.

16. VERE NOVO,] Imitatio Virgiliana tum in verborum conjunctione, tum in praecepto ipso. Sic ille:

Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.

Item:

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur.

id est vere ineunte: quoad praeceptum sic inquit idem summus poëta:

At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas,
In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes.

Itidem Horatius:

Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas,
Ac neque jam stabulis gaudet pecus neque arator igni. TIT.

17. LUTABIT HIRUNDO:] Quod statim in universum dixerat, nunc particulatim hirundinis exemplo posito magis declarat: siquidem vere adventante solet hirundo ex ignotis regionibus ad nos remeare, unde *veris praenuncia* nuncupatur. Philemon:

Ὦ μὲ χελιδὼν τὸ θέρος ὦ γυναῖκες λαλεῖ.

Ovid.

Fallimur, an veris praenuncia venit hirundo,
Et metuit, ne qua versa recurrat hyems?

Rursus:

Tum blandi soles, ignotaque redit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.

Horat.

Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infoelix avis.

Et alibi:

——— ——— *te dulcis amice, revises*
Cum Zephyris si concedas, & hirundine prima.

Virgil.

Hoc geritur Zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant, quam prata coloribus, ante
Garrula quam stagnis nidum suspendat hirundo.

Aristophanis interpres admonet nos de proverbio,

Νῦν χελιδὼν ἔστιν ἔαρ ἀρχή.

Ita-

Protinus hiberno pecus omne movebis ovili.
Tunc etenim toto vernanti gramine silva
Pullat, & aestivas reparabilis inchoat umbras:

Tunc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

19. *Toto*] *Tota* R. & Bart. ex G.

N O T A E.

Itaque ipsam Rhodii publicis votis quotannis invitabant sub tempus vernum his verbis:

Ἐλθὲ, ἐλθὲ χελιδὼν καλὰς ὥρας
Ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς.

Alterius adagionis ab hac ave ducti meminit Aristoteles in Ethicis, *μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ.* Denique Aristophanes, Homerus, Hesiodus, multi praeterea alii tum Graeci, tum Latini poëtae hujus avis in hanc sententiam meminerunt, quorum testimonia nihil est opus recensere; de voce *lutare*, quod ad rem ipsam attinet, sic est apud Aelianum: *ἡ χελιδὼν, ὅτε εὐπορεῖν πηλοῦ, τοῖς ὄνυξι φέρει καὶ συμπλάττει τὴν καλιὰν, εἰ δὲ ἀπορεῖν εἴη, βρέχει ὡς Ἀλέξανδρος λέγει, ἑαυτὴν, καὶ εἰς κόνιν φύρει τὰ πτερὰ, ἐμπεσοῦσα, καὶ δὲ πηλοῦ περιπαγέντος, ἐντεῦθεν ἀποψήχουσα τῷ ῥάμφει τὴν συνειθισμένην οἰκοδομίαν χειρουργεῖ.* Aristoteles quoque initio libri sexti de Historia animalium hirundines ex luto nidos construere scribit; sed & lib. IX. ejusdem operis id fusius deinde explicat, velut ibi perspici potest, docet etiam ex ipsomet Aristotele Antigonus in Congerie mirabilium narrationum. Plinius de hac re ita inquit: *Gellio Doxius coeli filius lutei aedificii inventor placet, exemplo sumpto ab hirundinum nidis.* Ovid.

Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.

Tertullianus de avibus generatim inquit libro *primo* de Opificio Dei: *nidos enim aut luto aedificant, aut virgultis, & frondibus construunt, & ciborum expertes, incumbunt ovis.* De verbo ipso sciendum est Catonem eo usum fuisse dicentem; *conspergito amurca omne quod lutaveris.* Spartianus in Heliogabalo: *Misit, qui in castris statuarum ejus titulos luto tegerent*, & caetera; deinde subdit: *sed ubi primum lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserunt*: hinc *delutare* pro eodem, quod apud Catonem reperi, ibi: *si habitationem delutare vis, terram quam maxime cretosam, vel rubricosam sumito, & amurcam infundito, paleas indito.* Aliud verbum hinc formatur, quod est *lutesco*. Furius:

Sanguine diluitur tellus, cava terra lutescit.
TIT.

17. LUTABIT] *Lutare* est luto inducere. Cato cap. XCII. *granarium totum oblinito crasso luto, postea conspergito amurca omne quod lutaveris.* Luto nidos ab hirundinibus compingi testis vel Stat. lib. III. Silv. II. de Nilo.

Cur vada desidant & ripa coërceat undas.
Cecropio stagnata luto.

Testis enim Plinius lib. x. cap. XXXIII. *Hirundines stagnanti Nilo nidificatione sua molem inexpugnabilem unius fere stadii spacio opponere.* De quo monere decebat, qui Commentarios in eum excellentissimum Poëtam scribebat. Sed ille impar erat congressus tanto Achilli. BART.

18. PECUS OMNE MOVEBIS OVILI.] Horat.

Solvitur acris hyems;

& caetera: posui non multo ante. TIT.

19. TOTO VERNANTI] Infelicissimi correctores hoc substituerunt verae lectioni, quae in utroque nostro libro superstes est, *tota vernanti.* De ingenio hujus Poëticae licentiae supra diximus, & exemplum habuimus apud nostrum. Hoc vero loco penitus non quadrat Correctorum creatura. BART.

20. PULLAT,] Pullulat. Ovidius in hanc sententiam dixit:

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum.
TIT.

Non succurrit memoriae hoc verbum apud aliquem scriptorum legisse. Afris tamen quibuslibet non indignum sit. BART.

20. REPARABILIS] Horat.

——— ——— redeunt jam gramina campis
Arboribusque comae.

Silvam caeduam accipe. TIT. Hoc est, reparata. Saepe enim talibus ita utimur: Septimius Romanus lib. I. de bello Trojano *insperabilem* pro insperato, Ausonius Periocha. II. Iliad. *Supera-*

Tunc florent silvae, viridisque renascitur annus.
Tunc Venus, & calidi scintillat fervor amoris,

La-

NOTAE.

perabilem pro superato, Varro Atacinus *Vincibilem* pro victo posuere. Multi alii multa alia ut cum bono Deo docebit noster ad Apulejum Comment. BART.

21. TUM FLORENT SILVAE,] Veris descriptio a consequentibus, ita ferme Virgilius:

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.

Item alibi:

Vere tument terrae, & genitalia semina poscunt.

Horatius:

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae.

Ovid.

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet:
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum.

TIT.

21. RENASCITUR ANNUS.] *Annus* pro formosissima ejus parte. Columella lib. x.

——— ——— *Tunc versicoloribus anni*
Foetibus alma parens cingi sua tempora gaudet.

Hoc est veris. Ovidius pariter de vere, Fastorum II.

Omnia tunc florent & tunc nova temporis aetas &c.

Vide elegantissimum carmen quod Pervigilium Veneris autumatur. BART.

22. TUM VENUS,] Lucret.

Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Favoni;
Aeriae primum volucres te, diva, tuumque
Significant initum percussae corda tua vi.
Inde ferae pecudes persultant pabula laeta.

& quae sequuntur. TIT. Ver Veneris tempus Nonnus li XI. Virg. Georg Columella X. Lucretius I. Omnium autem elegantissime autor delicati illius Pervigilii; quem nos aliquando aemulantes in x. libro Amabilium ita cantillavimus. Juvat enim taedio eximendo lectori istud propinare Amoris elegidion.

Speculum Leporis almum
Ver, pande humum rigentem.
Sine Vere nil Diona est.
Vere ingruente, via
Revivisxit almi Olympi.
Sine Vere nil Diona est.
Longe sepulta Somno
Natura, jam resurgit.
Sine Vere nil Diona est.
Genitabileis Favonii
Rerum excitant caloreis.
Sine Vere nil Diona est.
Aprilibus sub auris
Rosa mundus omnis una est.
Sine Vere nil Diona est.
Emortua ante florum
Nunc germina intumescunt.
Sine Vere nil Diona est.
Speculum Leporis almi
Ver, Lusuum Dioptra est.
Sine Vere nil Diona est.
Ver Ludii Chorea est,
Ver Saltuum Lubido est.
Sine Vere nil Diona est.
Ver prata cum coronat,
Charites redire certant.
Sine Vere nil Diona est.
Amabileis Favonii,
Roseos rigate campos.
Sine Vere nil Diona est.
Reducite eleganti
Pede, Gratiae, choreas,
Sine Vere nil Diona est.
Salsisubsuli Leporeis,
Speculum polite vestrum.
Sine Vere nil Diona est.
Labella Saviorum
Sitiunt modo duella.
Sine Vere nil Diona est.
Papillula arroganteis
Oppressiunculas volt.
Sine Vere nil Diona est.
Tunicae suopte motu
Jam sussilire pugnant.
Sine Vere nil Diona est.
Oculisque delicatum
Monstrare mox rosetum.
Sine Vere nil Diona est.
Et illud, illud, illud,
Sed pulcra subticendum est.
Sine Vere nil Diona est.
Rotundi ventris Hebe
Sitit Herculem maritum,
Sine Vere nil Diona est.

Gla-

Lascivumque pecus salienteis accipit hircos.
Sed non ante greges in pascua mittito clausos,
Quam fuerit placata Pales. tum cespite vivo

Po-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

25. *Tum cespite*] *Tu* V. A. B. F. Virg. Georg. III. 294.

NOTAE.

Glabelli virginalis
Phoebum Juventa, poscit.
Sine Vere nil Diona est.
Pandunt sinus Puellae,
Et ambiunt Puellos.
Sine Vere nil Diona est.
Hortus tuus, Cythera,
Vult irriguri Amore.
Sine Vere nil Diona est.
Nemus maritum in imbrem
Comam arborum resolvit.
Sine Vere nil Diona est.
Rosa vinculum resignat
Unguemque volt superbum.
Sine Vere nil Diona est.
Cupido Praetor est: jus
Edisserit Juventae.
Sine Vere nil Diona est.
Taurus, Leo, Tigrisque,
Agit suas Choreas.
Sine Vere nil Diona est.
Cedat Diana silvis
Jam regnat has Cythera.
Sine Vere nil Diona est.
Cedat Salacia undis
Jam regnat has Cythera.
Sine Vere nil Diona est.
Cedat Jovis Olympo
Jam regnat hunc Cythera.
Sine Vere nil Diona est.
Pan montibus, Palesque
Agris severa cedat,
Et Faunus & Deorum
Quod uspiam est Bonorum.
Diona ubique regnat.
Nullum Diona numen
Regnare volt nisi unum,
Amabilem Priapum.
Sine Vere nil Diona est.
In Vere cuncta, cuncta
In Vere jam Diona est.
Cecinit Rosillus ista
Neaerillulamque utroque
Amplexam habens lacerto.
Ver ipse lusit illic
Ubi volt Diona ludi. BART.

22. SCINTILLAT] Pari elegantia amoris oculos in vere agnoscit Pervigilii scriptor. Et de scintillis aliquoties Nonnus in Dionysiacis. ut lib. XLII.

Καὶ μογίς πολὺ μᾶλλον ἐπὶ σπινθῆρες ἐρώτων
Θερμότεροι γεγάασι ———

Ita alibi: BART.

23. SALIENTES ACCIPIT HIRCOS.] De caprarum admissura aliter omnino Varro de Re rustica, *quod ad foeturam pertinet* (inquit) *desistente autumno exigunt a grege in campos hircos in caprilia; item ut in arietibus dictum, quae concepit post quartum mensem, reddit tempore verno.* Neque non item Columella his verbis: *Tempus admissurae per autumnum fere ante mensem Decembrem praecipimus, ut propinquante vere gemmantibus frutetis, cum primum silvae nova germinant fronde, partus edatur.* Verum Calphurnius non de admissura loquitur, sed de Veneris desiderio, quod excitat vernum tempus in animantibus, atque Aristoteles quidem de Historia animalium scribit animalia prope omnia propensiora esse ad coïtum verno tempore. Porro voce *salire* in hunc sensum utitur etiam Varro, ibi: *deterrent ab saliendo fiscellas e junco, aliave qua re, quod adligant ad naturam.* Ovidius quoque inquit:

Laeta salitur ovis. TIT.

24 SED NON ANTE GREGES] Primum praeceptum ad religionem pertinet: sic Hesiodus in Carmine *ἔργα καὶ ἡμέραι*·

Ἀλλὰ σὺ τῶν μὲν πάμπαν ἔεργ' ἀεσίφρονα θυμόν,
Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, ἐπὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν·

& quae ibi sequuntur. TIT.

24. CLAUSOS,] Iterum hic *clausas* agnoscit liber vetustissimus Editionum. vid. v. VII. supra. BART.

25. CESPITE VIVO] Horat.

Nunc

Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca, tepidos tunc hostia cultros
Imbuat: atque etiam, dum vivit, ovilia lustra.
Nec mora; tunc campos ovibus, dumeta capellis
Orto sole dabis, simul hunc transcendere montem

Coe-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

26. *Geniumque loci*] *Geniumque foci* R.
29. *Tum campos* &c.] Virgil. Georg. III. vers. 323. &c.
30. *Transcendere*] Ita P. *accedere* R. V. A. B. F.

NOTAE.

Nunc vivum mihi cespitem, hic
Verbenas puer ponite, thuraque
Bimi cum patera meri.

Rursus alibi:

Positusque carbo in cespite vivo.

Etenim arae ex cespite fiebant. Hoc sacrificium erat lustrale: ipsius meminit Horatius ibi:

Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis.

TIT.

Vide supra. & Juvenal. Sat. XII. BART.

26. GENIUMQUE LOCI,] Notum veteres & Genios suos locis attribuisse. Virgil.

——— *Incertus geniumne loci famulumne parentis*
Esse putet.

Vide Paulum Festi Carnificem. Censorinum cap. III. de die Nat. Ita *Genius statuae* apud Papinium Equo Maximo. Jamblychum in Mysteriis Aegyptiorum, Appulejum Deo Socratis. Locorum tutelam Graeci Heroibus daemoniisque adsignabant. Cujus testimonia sunt apud Xenophontem libro II. & III. παιδείας, aliosque Historicos, qui iidem ἐπιχώριοι θεοὶ appellabantur, ut alibi notamus. BART.

27. SALSO FARRE VOCA,] Mola, quae in sacrificiis adhibebatur. Virgilius:

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Auctor obscoeni Carminis in Priapum:

Illusit mihi pauper inquilinus,
Qui libum dederat molamque fusam.

Aliqui putant *molam* fuisse farinam ex hordeo *torrefacto*: quod si ad Graecos ritus referamus, verum est, sed in Romanorum sacris ex farre, sale, & aqua conficiebatur. TIT.

27. SALSO FARRE] *Mola salsa*, ut loquitur Plautus. de more lustrationis alibi alii & nos ipsi. BART.

28. IMBUAT:] Virgil.

——— ——— *illius aram*
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Ovidius autem sic:

——— ——— *percussaque sanguine cultros*
Inficit in liquida praevisos forsitan unda. TIT.

28. OVILIA LUSTRA.] Infra:

Nam dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis.

Nil opus est hic repetere, quae fusius a nobis perscripta sunt in Commentariis de Ritibus sacrorum Ethnicorum, quos Senecae exemplo confecimus. TIT.

29. CAMPOS OVIBUS,] ὑπαλλαγῇ, velut apud Maronem:

Linquere pollutum hospitium, & dare classibus
Austros,

ad sententiam facit, quod scripsit superius hic noster:

Sed qua lege regas & amantes lustra capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnos.

Macrobius quoque ait in Saturnalibus: *Caprae vero consuetudo haec in pastu videtur, ut semper altum pascendo petat.* Rursus de capra loquens: *Quae dum pascitur ab imis partibus, semper prominentiam scopulorum alta deposcit.* Quae verba, si Aristotelis locum, de Historia animalium, quem infra ponam, respiciunt, videndum est an recte a Macrobio reddita fuerint. Aristoteles ait libro VIII. πρόβατα δὲ καὶ αἶγες, εἰσὶ μὲν ποηφάγα, τὴν δὲ νομὴν ποιοῦνται τὰ μὲν πρόβατα, προσεδρεύοντα καὶ μονίμως, αἱ δὲ αἶγες ταχὺ μεταβάλλονται καὶ τῶν ἄκρων ἀπτόμεναι μόνον. Sed tamen adire praestiterit Columellam, Constantinum Caesarem, quem vocant, & alios rei rusticae scriptores. TIT.

30. DABIS,] Virgil.

Qua data porta, ruunt.

30. SIMUL HUNC] Simulatque. Horat.

Et

Coeperit, & primae ſpatium tepefecerit horae.
At ſi forte vaces, dum matutina relaxat
Frigora ſol, tumidis ſpument tibi mulctra papillis,
Implebis quod meſſe fluat: rurſuſque premetur

Ma-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

31. *Et primae*] *Ut pr.* V. & Bart. ex G. & T.
33 *Papillis*] *Capellis* R. Virg. ib. *exhauſto ſpumaverit ubere mulctra.*
34. *Implebis, quod meſſe* &c.] *Quod maſſa* G *tumidis ſpumantia mulctra papillis Implebis, quo maſſa fluat.* Sic B. Sed locus hic a Marone etiam mutuatus:

Quod ſurgente die mulſere, horiſque diurnis,
Nocte premunt: quod jam tenebris & ſole cadente,
Sub lucem exportant calathis, &c.

Hinc leg. conjicio: *Inde premes, quod mane fluat*, &c. vel, ſi licet, *Nocte premes, quod mane fluit. Premetur*] *Prementur* V. A. F.

N O T A E.

Et domus exilis Plutonia, quo ſimul mearis,
Nec regna vini ſortiere talis.

Item alibi:

—— —— qui ſimul
Stravere ventos aequore fervido
Depraeliantes.

Rurſus:

—— Quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.

Atque alibi non ſemel Catullus quoque ibi:

Nam ſimul id factum eſt multis diluta labella
Guttis abſterſiſti omnibus articulis.

Denique M. quoque Tullium ita quandoque locutum fuiſſe, deprehendi, veluti cum ait: *& ſimul a Caeſare ei literae, quas exſpectaret, remiſſae eſſent, auctorem etiam daturum.* De hora paſcendi gregis vide Columellam, qui Maronis etiam teſtimonium citat. TIT.

31. ET PRIMAE] Libri veteres. *Ut*. belle omnino. BART.

31. SPATIUM] In gnomone horologico puta. Perſius:

—— Et quinta jam linea tangitur umbra. TIT.

32. VACES,] Ceſſes. Vide ad Claudianum de hoc verbo BART.

33. SPUMENT TIBI MULCTRA PAPILLIS,] Verbo *ſpumare* uſus quoque fuit Virgilius de eadem re loquens:

Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra;
Laeta magis preſſis manabant ubera mammis:

hic tamen pro *papillis* alicubi *capellis* viſebatur. TIT.

33. MULCTRA] Notandum hunc Poëtam *mulctra* in foeminino & neutro genere uſurpare. Sic ſupra Eclog. IV verſ. XXIV.

Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem.

Sententia hujus impediti loci haec eſſe videtur. Si forte ceſſabis greges producere in campum, dum Sol altius adſcenderit, moneo prius lac capellis ovibuſque deducas. *Mulctrum* etiam apud Horat. Epod. BART.

34. QUOD MESSE FLUAT:] Non minus obſcure eamdem ſententiam expreſſit Virgilius:

Quod ſurgente die mulſere, horiſque diurnis,
Nocte premunt, quod jam tenebris, & ſole cadente
Sub lucem exportant calathis, adit oppida paſtor,
Aut parce ſale contingunt hyemique reponunt.

Eſt autem utriuſque poëtae hic ſenſus: caſeus qui ex lacte bene mane expreſſo fingitur, intra paucos dies abſumi debet, neque etiam fert diuturnitatem: qui vero ex lacte, quod veſperi emulgetur, conficitur, non ita facile corrumpitur; itaque in ſequentem annum conſervari poterit: ſed ut caſeum a manibus, & a vetuſtate incorruptum ſerves, cerebrum muſtelae coagulo addito. De caſei confectura vide (ſi vacat) praeter caeteros, Columellam lib. VII. cap. VIII. TIT. Ut rectiſſime doces, Titi, hic locus eamdem ſententiam geſtiebat repraeſentare, atque ille alter, quem de Virgilii Georgicis attuliſti. Verum Virgilio (ni aberrat animus) longe alius ſenſus fuit, quam tu arbitraris: neque enim ſummus Poëta, ac Philoſophus egregius,

Mane, quod occiduae mulfura redegerit horae.
Parce tamen foetis: nec fint compendia tanti,

De-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

35. *Redegerit*] Ita omn. libb. *co'gerit* Ed. Bart.
36. *Nec fint*] *Neu* V. A. B. F.

N O T A E.

rerumque rufticarum experientiffimus intellexit, cafeum, qui de lacte mane expreffo formetur, intra paucos dies abfumendum fore, & hunc non ferre diuturnitatem; qui vero de vefpertino contra in fequentem annum confervari poffe: hanc diftinctionem cafeorum eo loci Virgilius ne fomniavit quidem meo judicio: immo vero, fi res agatur fummo jure, oppofita fententia ex verbis Poëtae deduceretur. Nam proprie matutinum lac ad cafei diuturnitatem defervit, lac Vefpertinum etiam fine Cafei, vel conformatione vel diuturnitate fuos ufus habet. Sed verus & lacte ipfo candidior fenfus horum carminum Virgilianorum eft:

Quod furgente die mulfere, horifque diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris, & fole cadente
Sub lucem exportant calathis, adit oppida paftor:
Aut parco fale contingunt, hyemique reponunt.

Lac emulfum mane vel interdiu cafeum tantum praeftat, nempe qui arefcat, folidefcat, & durus perduret: Lac emulfum vefperi, non modo cafeum item durum, & ad ferendam vetuftatem idoneum praebet, fed dat praeterea nobis facultatem efficiendi lactea diverfi generis edulia, quae poftridie mane divendantur: hoc tibi praefentis pecuniae emolumentum dare non poteft lac matutinum, qua dum coaguli tempus exfpectatur, aeftus diei increbrefcit, ipfum acefcit, lucem craftinam videre non quit: ergo quod dixit Virgilius, lac mane mulfum nocte premi, intelligendum eft aptum fore ad integram prefluram, ut inde cafeus aridus & affervandus evadat, quoniam lacteae illae tenellae deliciae, quae fubito venum dantur, integrum & folidum preffum non ferunt. Lac autem Vefpertinum ad utrumque ufum valet: nam vel fub lucem exportatur calathis, hoc eft, fummo mane intra vimina juncea, unde nos id genus lactis, *giuncate* dicimus, vel etiam coagulatum tantummodo in vafis prefforiis ad oppida defertur recens vendendum; vel falitur (fi lubet) perinde atque matutinum, & preffatur, ut inde cafeus folidus, & diuturnus evadat. Et haec de loco Virgiliano; quem prae oculis (non dubito) nofter Calphurnius habuit: verumtamen ad amuffim ab illo non fuit expreffus: nam de lacticiniis quae vulgus noftrum vocat, five de lacte recenti, nulla cogitatio apud ipfum. Tantum praeceptum dat paftoricium triviale, lac mulfum mane ad vefperam premendum & in cafei quamvis formam effingendum, contra quod mulgetur vefperi, interpofita fcilicet noctis parte, ad coagulum, mane preffandum, & cafei figuram tum temporis repraefentandum. Unde facile, imo neceffario adducor, illud *meffe* corruptum effe, & ex ipfo loco Virgilii reponendum *nocte*. Implere autem, quod *nocte fluat* & lac interdiu per otium coagulatum tandem vefpere in formis illis ligneis ab inferiore parte terebratis, ita preffare manibus, vel impofita re aliqua graviore adeo coarctare, ut nocte ferofum illud excoletur & defluat. *Mulfuram* autem actionem illam mulgendi notare notum eft. Hoc pacto plana, & perfpicua redduntur omnia. MARTELL.

34. QUOD MESSE] Intricatus & mendofus locus. In vetere libro nihil variatur nifi quod *Maffa* legitur. Unde facillime conjectandum *Meffe* & *quo* refingendum venire, ut de cafeo fit fermo. Eaque emendatio citra dubium vera eft. Sed & in praecedente verfu aliquid haeret. Quare repone.

—— Tumidis fpumantia mulctra papillis
Implebis, quo maffa fluat. ——

Nihil hac emendatione certius. *Mulfura* vocem notandam puto, non enim memini exemplum. BART.

35. OCCIDUAE] Vefpertinae. Vide fupra. BART.

36. PARCE TAMEN FOETIS:] Hoc etiam Varro praecipit dicens: *Interea matres eorum his temporibus* (intellige tu quibus uterum gerunt) *non mulgent quidam. qui melius, omnino perpetuo, quod & lanae plus ferunt, & agnos plures.* Idem quoque fignificare voluit Columella hoc fermone: *Quippe finguli agni binis nutricibus fummittuntur,*

nec

Deſtruat ut niveos venalis caſeus agnos.
Nam tibi praecipuo foetura colatur amore.
Te quoque non pudeat, cum ſerus ovilia viſes,
Si qua jacebit ovis partu reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natoſque tepenti
Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare paratos.
Nec tu longinquas procul a praeſepibus herbas,
Nec nimis amotae ſectabere pabula ſilvae,
Dum peragit vernum Jovis inconſtantia tempus.

Ve-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

41. *Natoſque tepenti*] Ita R. P. & MSS. *Natoque parenti* V. A. F. *natoſque parenti* Mod.

44. *Amotae*] Ita R. P. & Mod. *admotae* V. A. B. F. *Sectabere*] *Sectare ad* R.

N O T A E.

nec quicquam ſubtrahi ſummiſſis expedit, quo ſaturior lactis agnus celeriter confirmetur, & parta nutrici conſociata minus laboret in educatione foetus ſui. Sed & Virgilius hoc eſt intuitus in illis:

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Sed & Georgic. III.

—— —— nec tibi foetae
More patrum nivea implebunt mulctralia vaccae,
Sed tota in dulces conſument ubera natos.

Tradit autem Africanus omnia pecora immenſum lac dare, unaque foetum enutrire, ſi cythiſum comederint, aut dictamnum ventribus ipſarum alligaveris, refert Conſtantinus Caeſar, quem vocant: verum non omne lac animalium uterum gerentium utile eſſe tradit Ariſtoteles de Hiſtoria animalium. TIT.

36. COMPENDIA] Lucra. *Compendifacere* ita apud Plautum pro Lucrifacere. Tibullus libro I.

Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Preſſerat externa navita merce ratem. TIT.

37. VENALIS CASEUS] Supra:

—— —— & lac venale per urbem
Non tacitus porta.

Virgilius:

Pinguis & ingratae premeretur caſeus urbi.
TIT.

41. HANC HUMERIS PORTARE TUIS,] Virgil.

—— —— hanc etiam vix Tityre duco;
Hic inter denſas corilos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah ſilice in dura connixa reliquit.

Caeterum conſule Varronem de Re ruſtica. Porro illud *parenti* lego *tepenti* ex antiquis libris. TIT.

42. FERRE SINU] Tibullus:

Non agnamve ſinu pigeat, foetumve capellae
Deſertam oblita matre referre domum.

Et quidam ſummus amicus meus carmine quopiam ludens ita olim cecinit:

O hoede foelix parvule, ad cancellulos
Quem debilem ſinu refert virgo pia,
Nec fert carere te parente ſimula
Deſertum, & illam convocantem queſtibus,
Et vix trahentes languidos via pedes. TIT.

43. PROCUL A PRAESEPIBUS] Hujus quoque rei admonuit nos Virgilius:

Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua luna moneret;
Quo ſigno caderent Auſtri, quod ſaepe videntes
Agricolae propius ſtabulis armenta tenerent.

Itaque in hoc noſtro lego deinde *amotae* non *admotae.* TIT.

45. JOVIS INCONSTANTIA] Tum enim crebri repentinique imbres decidunt, quos Jovem immittere creditum eſt: hinc Virgilius:

Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.

Ob frequentes pluvias, quae per id tempus decidere ſolent. Virgilius ver imbriferum nuncupavit. TIT.

45. JOVIS] Aëris, ſeu aetheris. Empedocles.

Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε,
Ζεὺς αἰθὴρ, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' ἀϊδωνεὺς,
Νῆστις τ' &c. 20.

Plutarchus Περὶ ἀρεσκόντ. Δία μὲν γὰρ λέγει τὴν ζέσιν ἢ τὸν αἰθέρα. Servius Georg. II. Ennius apud Cic.

Iſtic

Veris enim dubitanda fides: modo fronte ſerena
Blandius arriſit, modo cum caligine nimbos
Intulit, & miſeras torrentibus abſtulit agnas.
At cum longa dies ſitientes adferet aeſtus,
Nec fuerit variante deo mutabile coelum;
Jam ſilvis committe greges, jam longius herbas

Quae-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

46. ***Fronte***] ***Forte*** V. B.
48. ***Torrentibus***] ***Tondentibus*** R. & cit. Tit.
49. ***Sitientes***] ***Sitientibus*** R.
51. ***Jam ſilvis*** &c.] Quae ſequuntur uſque verſ. 62. e Marone deſumpta Georg. III. verſ. 322. uſque 338.

NOTAE.

Iſtic eſt is Juppiter quem dico, quem Graeci vocant
Aërem, qui ventus eſt & nubes, imber poſtea.

Horatius I. Carm. XXII.

Quod latus mundi nebulae maluſque
Juppiter urget.

Claudian. I. in Eutrop.

Nimboque minacem
Sanguineo rubuiſſe Jovem.

Juvenal. Sat. V.

—— Fremeret ſaeva cum grandine vernus
Juppiter.

Martial. lib. VII. epig. XXXV. BART.

46. Dubitanda] Vide quae ad verſum. CXI. Muſaei de uſu hujus verbi notavimus. BART.

47. Cum caligine nimbos] *Βρονταῖς*· Cur autem vere plurimum tonet, minimum hyeme in cauſa putat eſſe Plutarchus inaequalitatem temperiei: ſed Lucretius puriſſimis, eiſdemque ſuaviſſimis verſibus hoc ipſum fuſius explicat dicens:

Autumnoque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur coeli domus undique totaque tellus,
Et cum tempora ſe veris florentia pandunt,
Frigore enim deſunt ignes, ventique calore
Deficiunt, neque ſunt tam denſo corpore nubes;
Inter utrumque igitur cum coeli tempora conſtent,
Tum variae cauſae concurrunt fulminis omnes,
Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus, & aeſtum;
Quorum utrumque opus eſt fabricanda ad fulmina nobis
Ut diſcordia ſit rerum, magnoque tumultu,
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aër:
Prima caloris enim pars & poſtrema rigoris,
Tempus id eſt vernum, quare pugnare neceſſe eſt
Diſſimiles inter ſeſe, turbareque mixtas. TIT.

48. Torrentibus abstulit agnas.] Tale quippiam viſitur apud Maronem:

Saepe etiam immenſum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectae ex alto nubes, ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti ſata laeta, boumque labores
Diluit.

& reliqua. Propius tamen ad hunc locum accedunt, quae ſcripta reliquit Ovidius in haec verba:

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque, rivoſque,
Tectaque cumque ſuis rapiunt penetraliā ſacris.

Verumtamen praetereundem non eſt, quibuſdam legendum videri in Calphurnio *tondentibus* pro *torrentibus*, hoc ſenſu: adeo quandoque invaleſcunt tempeſtates turbulentae, ut agnas e manibus auferant eas tondentium. TIT.

49. At cum longa dies] Aeſtas, quo tempore dies longiſſimi ſunt, ſicut hyeme breviſſimi. Virgil.

Atque ubi jam breviorque dies, & mollior aeſtas.

Porro quod ſequitur *ſitientes*, alicubi ſcriptum reperi *ſitientibus* auferendi caſu: nil tamen muto, intelligoque aeſtus inducentes. Alcaeus:

Πάντα δ' ἐδίψη ὑπὸ καύματος.

Virgil.

Inde ubi quarta ſitim veniens collegerit hora.

Horat.

Adduxere ſitim tempora Virgili TIT.

50. Variante deo] Coeli inconſtantiam, quam

Quaere: sed ante diem pecus exeat. humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinae lucent in gramine guttae.
At simul argutae nemus increpuere cicadae,

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

54. *Tinguntur*] Ita R. P. & MS. Tit. *tanguntur* V. A. F.
56 *At*] *Ut* V. A. F. *Argutae*] *Arbutae* R. Virg. ibid. *cantu querulae rumpent arbusta cicadae*. f. hic: *inrupere*.

N O T A E.

quam vocat Maro, intelligit. TIT.

52. Humida dulces] Hac de re sic scribit Varro de re rustica: *cum inter haec bina loca, ut jugum continet scirpiculos, sic colles publice distantes pastiones, eaeque ibi, ubi pascuntur in eadem regione, tamen temporibus distinguunt, ut aestate quod tunc plurima luce exeunt in pastum, propterea quod tunc herba roscida meridianae, quae est aridior, jucunditate praestat.* Ac paulo post: *Ab occasu parvo intervallo interposito, ad bibendum appellunt, & rursus pascunt, quoad contenebravit, iterum enim tunc jucunditas in herba redintegravit.* Idem quoque confirmat Columella Virgilii testimonio scribens: De temporibus autem pascendi, & ad aquam duceudi per aestatem, *Non aliter sentio, quam ut prodidit Maro.*

Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.

Nemesianus vero sic:

Incipe dum salices hoedi, dum gramina vaccae
Detondent, viridique gregem permittere campo,
Et ros, & primi suadet Clementia solis.

Sed & Constantinus, & alii rei rusticae scriptores idem uno ore testantur. TIT.

53. Fugientibus Euris] Flare desinentibus, quod evenit circa solis occasum tali de causa. Cum vaporis copia e terra excitata amplior est, quam ut solis radiis absumi, atque resolvi queat, tunc ipse humor sive halitus in altum evectus solis radiis cietur, qui quanto sunt vehementiores, tanto validius ipsum impellunt: itaque exoriente sole venti spirant vehementissime, occidente vero conflaccescunt, quod eorum motio ulterius non adjuvetur, nec quemadmodum antea, cieatur, quae fuit Theophrasti sententia in libris de Ventis. Consule etiam Aristotelem in libris de Rebus, quae in aëre gignuntur, & in Problem. TIT.

54. Tinguntur pascua rore,] Sic est in duobus meis exemplaribus, & ita concipio, in tertio legebatur *tinguntur*, quod nec valde respuerim: nam sic ferme loquitur Varro de Re Rustica: *supra terram aëre frigidiore tinguntur.* Ubi tamen Victorius rescribi debere suspicatur *tanguntur*, quod me in sententiam confirmat. Ros vero *nocturnus* appellatur, quia noctu decidat, unde ipsum *Lunae filiam* vocavit Alcman:

Διὸς θύγατηρ ἔρσα τρέφει ϗ σελάνας δίας. TIT.

55. Et matutinae lucent] Poëtica descriptio ejus, quod statim dixerat. Sic Ausonius Elegia de Rosa:

Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus:
Caulibus & patulis teretes colludere guttas,
Et coelestis aquae pondere tum gravidas.

Cur autem *matutinae* dixerit, sciri potest ex Aristotele in Meteoris. Itidem canit Propertius:

Sidera sunt testes, & matutina pruina. TIT.

56. At simul argutae] Videtur proba lectio *at*: caeterum hoc praeceptum reperias etiam apud Varronem, Columellam, caeteros; sed ego Virgilii testimonio contentus ero, qui dicat:

Inde ubi quarta sitim coeli collegerit hora,
Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
Ad puteos, aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam:
Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra.

Horat.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, & igneam

Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas
Vel campos permitte ſequi: ſine protegat illos
Interea veteres quae porrigit eſculus umbras.
Verum ubi declivi jam nona tepeſcere ſole
Incipiet, ſeraeque videbitur hora merendae;
Rurſus paſce greges, & opacos deſere lucos,
Nec prius aeſtivo pecus includatur ovili,
Quam levibus nidis ſomnos captare volucris

Co-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

58. *Vel campos*] *Et campos* R.

60. *Tepeſcere ſole*] Ita ſup. 31. *primae ſpatium tepefecerit horae.* Palladius f. hinc compilavit Novemb. Tit. XIII. *de paſcendi ordine: Quarta hora caleſcente*, &c. quae his comparanda ſunt.

64. *Quam levibus nidis*] *Laevibus ac nidis* Bart. ex G. & diſting. *volucris: Cogitet & trem.* vel, *volucres: Cog.* &c.

NOTAE.

Defendit aeſtatem capellis
Uſque meis, pluvioſque ventos. TIT.

56. NEMUS INCREPUERE] Simillime Ovidius.
——— ——— *nemorum convicia picae.*

Eleganter autem meridiem a cicadarum ſtrepitu notat. In quo Muſicum aliquid animalculo veteres venerabantur, Anacreontem vide oda XLIII. Longum primo Poimenico BART.

57. AD FONTEM COMPELLE GREGES,] Hic noſter:

Nunc ad flumen oves deducite. TIT.

59. INTEREA VETERES] Virgilius dixit;
——— ——— ——— ——— *ut altae*
Caſtaneae, nemorumque Jovi, quae maxima frondet
Eſculus.

Atque alibi:

Eſculus in primis, quae quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice in tartara tendit.

quibus verbis veterem annoſamque eſculum intelligit. TIT.

60. JAM NONA] Hora ſcilicet. TIT.

61. SERAEQUE VIDEBITUR HORA MERENDAE;] Merenda iccirco ſera dicitur, quia ſole jam ad occaſum properante parabatur ante coenam, ut eſt auctor Nonius. Plura nos de hac re diligenti obſervatione collegimus in iis libris, quos de Coenis antiquorum conſcripſimus. TIT.

61. MERENDAE;] Jos. Scaliger ad Varronem de RR. notat *Merendam* eſſe cibum qui mercede operantibus ante miſſionem veſpertinam datur. Aliter Feſtus, vel ejus carnifex, qui *a mero die* dictam putat, Nonius *quod poſt meridiem detur.* Iſidorus lib. XX. Orig. *Merenda eſt, qui declinante die ſumitur, cibus, quaſi poſt meridiem edenda & proxima coenae.* Aliter tamen idem eodem libro cap. III. quae verba adſcribam ut corrigam. *Hinc & merenda, quod antiquitus id temporis pueris operariis, quibus panis merus dabatur, aut quod meridient eodem tempore, id eſt ſoli ac ſeparatim, non utique in prandio aut in coena ad unam menſam.* Etymologiam hominis nihil moror, verba autem ita corrigenda ſunt, *aut quod meri edant eodem tempore, id eſt ſoli ac ſeparatim* &c. Certiſſima correctio. Scaligeri ſolius originationem veram eſſe arbitror, eamque velim obſervatam ab amico noſtro, qui nuper ejus generis Commentarium Witebergae in Saxonia edidit. BART.

62. RURSUS PASCE GREGES,] Et hic omiſſis aliis Virgilium audire oportet dicentem:

Tum tenues dare rurſus aquas, & paſcere rurſus
Solis ad occaſum, cum frigidus aëra veſper
Temperat, & ſaltus reficit jam roſcida luna,
Litoraque alcyonem reſonant, & acanthida dumi. TIT.

64. QUAM LEVIBUS] Miror quid coëgerit correctores veram ſcripturam hoc quoque loco corrumpere, niſi jam ſciam, id eſſe eorum officium. Vetus Longobardica editio. *Laevibus ac ni-*

Cogitet, & tremuli tremebunda coagula lactis.
Succida jam tereti constringere vellera junco
Cum jam tempus erit, maternas demere lanas,
Hircorumque jubas & olentes caedere barbas,

An-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

65. *Et tremuli*] *Ac* R. *Lactis*] *Lacti* V.
66. *Succida*] Varro de R. R. *a quo sudore lana tonsa succida est appellata. Junco*] *Vinco* i. e. *vinclo* R.

NOTAE.

tidis. Probe. BART.

64. Levibus nidis] Ex levi materia confectis. TIT.

65. Tremuli tremebunda coagula lactis.] Ἐκλειπτικῶς, nam *sunt* vel *fiunt* intelligi debet: de lacte *tremulo* hoc noster:

——— ——— *& nulla tremuere coagula lactis.*

Rursus eodem sensu:

Sumo tamen calathos nutanti lacte coactos. TIT. Distinctio vitiosa multam noctem infundit his versibus. Scribe.

Nec prius aestivo pecus includatur ovili
Laevibus ac nidis somnos capture volucris:
Cogitet & tremuli tremebunda coagula lactis.

Structura est. pecus non prius ovili includatur aestivo, quam volucres nidis, ut somnos capiant. ἀπὸ κοινοῦ τὸ *includatur* repetendum, fefellit correctores. Adjicit non prius quoque includendas pecudes, quam quis coëgerit lac expressis earum papillis. Sic perspicua est sententia quam nemo antea intelligebat. Sed illustrior erit sententia si *cogitet* confiderat interpretemur, & simul ad versum hos sequentem deducamus. Hoc potissimum pacto.

Nec prius aestivo pecus includatur ovili
Laevibus ac nidis somnos captare volucres:
Cogitet & tremuli tremebunda coagula lactis
Succida jam tereti constringere vellera junco.

Volucres autem in corte aut ornitho tropheo intellige, non feras. Si minus arridebit haec distinctio, suspicaberis inter tertium & quartum versum deesse. BART.

66. Succida jam tereti] *Tonsurae tempus* (inquit Varro) *inter aequinoctium vernum, & solstitium, cum sudare coeperint oves, a quo sudore recens lana tonsa succida est appellata.* Quae Varronis verba illorum sententiam coarguunt, qui *succida vellera* hoc loco accipiunt pro lana, quae succum imbibit, cum coloratur. Caeterum *constringere tereti junco* significat lanam tonsam in fasciculos quasi quosdam, & globos junco injecto comprimere, scribit enim idem Varro non multo post: *quam* (lanam) *demptam, & conglobatam alii vellera, alii velamina appellant* & reliqua. Nonnulli tamen de canistro ex juncis facto, & contexto intelligere malunt. TIT.

67. Cum jam tempus erit,] Tonsurae tempus esse scribit Didymus neque frigore adhuc exsistente, neque aestate, sed medio vere: idem ferme prodit Varro; ut supra vidimus: nec longe inferius ab illo loco; *oves hirtas* (inquit) *tondent circiter hordeaceam messem, in aliis locis ante foenisecia: quidam has in anno bis tondent, ut in Hispania citeriore, ac semestres faciunt tonsuras, duplicem impendunt operam, quod sic plus putant fieri lanae, quo nomine quidam bis secant prata.* Hic noster:

——— ——— *a tepidis fiet tonsura Calendis.*

TIT.

68. Hircorumque jubas] Varro ubi supra: *Ut fructum ovis e lana ad vestimentum, sic capra pilos ministrat ad usum nauticum, & ad bellica tormenta, & fabrilia vasa, neque non quaedam nationes harum pellibus sunt vestitae, ut in Getulia, & Sardinia.* & reliqua. Columellae quoque, *caper* (inquit) *optimus habetur longissimo pilo; nam & ipse tondetur usum in castrorum, ac miseris velamina nautis.* Virgilii locus, quem citat Columella, positus est Georgic. III. atque integer ita se habet:

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cyniphei tondent hirci, setasque comantes
Usum in Castrorum, & miseris velamina nautis.

Quod etiam confirmat Aelianus de Historia animal dicens: ἐν Λυκίᾳ λέγει Καλλισθένης ὁ Ὀλύνθιος κείρεσθαι καὶ τὰς αἶγας, ὥσπερ ἐρίων πανταχῆ τὰ πρόβατα. γίνεσθαι γὰρ ὁ αὐταῖς καὶ σύγκειμαι δεινῶς τὰς

ai-

Ante tamen fecerne pecus, gregibufque notatis
Confimiles include comas; ne longa minutis,
Mollia ne duris coëant, ne candida fufcis.
Sed tibi cum vacuas pofito velamine coftas
Denudabit ovis, circumfpice, ne fit acuta
Forfice laefa cutis, tacitum ne puftula virus
Texerit occulto fub vulnere: quae nifi ferro
Rumpitur, ah miferum fragili rubigine corpus
Corrodet fanies, & putrida contrahet offa.
Providus (hoc moneo) viventia fulphura tecum,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

70. *Comas*] *Comâ* B.
76. *Ab miferum* Sic R.P. & MSS. Tit. *in* MSS. V. A. B. F.
77. *Sanies*] f. *Scabies.* Vide ad Grat. vf. 408. *Contrahet offa*] Virg. ib. *Offa minutatim morbo collapfa trahebat.* & verfu ult. *contractos artus facer ignis edebat.* Ita leg. ex MS. vulgo: *contactos.*
78. *Viventia fulphura*] *Liventia* MS. Tit. Virg. ib. *vivaque fulphura, Idaeafque pices, & pingues unguine ceras, Scillamque, Helleb. gr. nigrumque bitumen.*

N O T A E.

αἶγας, ὡς εἰπεῖν βοστρύχους, ὥς τινα ἕλικας κόμης ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν· καὶ μέν τοι καὶ τὰς τεχνίτας τῆς τῶν ἐργασίας κατακεχρῆσθαι αὐταῖς τὰς σειρὰς συμπλέκοντας, καὶ τοὺς κάλως ἄλλοι. TIT.

68. OLENTES CAEDERE BARBAS,] Ob tetrum odorem hircorum & caprarum. Ovid.

Nec male odorati fit triftis anhelitus oris,
Nec laedat nares virque paterque gregis.

Hinc exftat Catulli jocus in Rufum:

Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle fub alarum trux habitare caper.

Ariftophanes:

Ὄζων κακὸν τῆς μασχαλῶν
Πατρὸς τραγασαίου. TIT.

70. CONSIMILES INCLUDE COMAS;] De qua fimilitudine intelligat, ftatim dicet: *ne longa minutis.* & caetera. TIT.

70. COMAS;] Fac *coma* reponas. Elegantius id erit. Medicamenta quae pro fcabie fequuntur aut ulcere regnofces ad Vegetii libros de Veterinaria, qui nobis cum reliquis libellis noftris jam abfunt. BART.

74. FORFICE LAESA CUTIS,] *Vulnera, quae inter tondendum quandoque imprimuntur, pice liquida illinuntur,* inquit Conftantinus ex interprete. TIT.

75 QUAE NISI FERRO] De medicina pecoris ovilli multa reperias apud Columellam lib. VII. fed & Virgilius quoque inter praeftantiffima remedia vulnerum abfciffionem enumerat:

Non tamen ulla magis praefens fortuna laborum eft,
Quam fi quis ferro potuit refcindere fummum
Ulceris os, alitur vitium, vivitque tegendo.

Qui locus ibidem a Columella pro teftimonio adducitur: tu vero hic confidera, an per *tacitum virus* vermiculum illum intelligat poëta ille, quem tuberculis ineffe fcribit Columella. TIT.

76. IN MISERUM] Antiqui codices aliquot: *ah miferum* per interjectionem. TIT.

77. ET PUTRIDA CONTRAHET OSSA.] Pufulam accipe, de qua videndus eft Columella: is pecudem, quae tali morbo correpta eft, *Pufulofam* vocat TIT.

78. VIVENTIA SULPHURA] Hanc quoque medicinam agnovit Maro, cum inquit:

Aut tonfum trifti contingunt corpus amurca,
Et fpumas mifcent argenti, ac fulphura viva,
Idaeafque pices, & pingues unguine ceras,
Scyllamque, helleborofque graves, nigrumque bitumen.

Alicubi fcriptum reperi *liventia:* fed & illud *pro-*

vi-

Et Scyllae caput, atque intacta bitumina porta,
Ulceribus laturus opem: nec Brutia desit
Dura tibi, & liquido simul unguine terga, (memento)
Si sint rasa, linas. vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina. nam tibi lites

Au-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

79. *Atque intacta bitumina*] *Et buctata bitumina* R.
80. *Brutia*, &c.] Illustravi haec late in Comm. ad Grat. vs. 406.
81. *Et liquido*] Τὸ *&* deest in V. A. B. F. *Simul unguine*] Ita R. P. & MSS. Tit. *picis ungere* V. A. B. F. *picis unguine* Mod. Varro: *Si qua in tonsura plagam accepit, eum locum oblinunt pice liquida*. Sed vide Comm. ibid.
82. *Vivi*] *Vini quoque pondere molle Argentum coquito*. R. Forte: *vivi quoque pondera in olla Argenti coquito, lentumque bitumen ahena*, vel, *in illo*, sive, *in uno aheno*. Vide Commentarium l. c.

NOTAE.

vidus explicatione indiget: quare intelliges, vel *ego providus*, ut de se loquatur Myeon ob experientiam propter aetatem; vel *tu providus*, id est in hoc providus, si tecum portaveris viventia sulphura; & caetera. Sic loquitur interdum Horatius:

Magnessam Hippolytum dum fugit abstinens:

&:

——— ——— *Illic matre carentibus*
Privignis mulier temperat innocens.

&:

Quod viro clemens misero peperci.

&:

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus.

Atque alibi saepe, ut etiam superius adnotavi. TIT.

79. SCYLLAE] Babbos: de Scylla in hunc usum meminit etiam Virgilius, ut ostendi. Per *intacta*] vero *bitumina* nova accipit, & in nullum praeterea usum vocata. TIT.

80. NEC BRUTIA DESIT] Pix omnium probatissima auctore Plinio, est enim pinguissima, & resinosissima: *Gignitur*, inquit, *& pinguis liquorisque oleacei in Sicilia Agragantino fonte inficiens rivum: incolae id harundinum panniculis colligunt citissime sic adhaerescens: utuntur eo ad lucernarum lumina olei vice, item ad scabiem jumentorum*. Quamquam jumentorum appellatione minutum pecus non intellexerim. TIT.

81. LIQUIDO PICIS UNGERE] Frustra repetitur vox *picis*, quae in illo per subauditum intellectum continetur,

——— ——— *nec Brutia desit*
Dura tibi.

Quocirca sequemur veterum codicum scripturam, in quibus esset: *liquido simul unguine*, ut de axungia dictum accipiamus, quam inter medicinas pecoris ovilli connumerat quoque Columella eodem libro: illam tamen alteram scripturam confirmare videtur Varro his verbis: *si quam in tonsura plagam* accepit, eum *locum oblinunt pice liquida*. & alioqui structura poscit infinitum *ungere*, ne illud *memento* sit *otiosum, & vacans*. TIT.

81. SIMUL UNGUINE] Modius producit: *picis unguine*. Quod si e libris est, valde probem. Nam a Vegetio aliquoties liquidae picis unctio celebratur. BART.

82. VIVI ARGENTI] *Et spumas* miscet *argenti*, inquit Virgilius. *Argentum* vivum nominat etiam Ausonius in illo:

Miscuit argenti lactalia pondera vivi,

plura tamen Plinius libro XXXIII. TIT.

84. IMPRESSURUS OVI] Hunc morem tetigit etiam Maro, cum de equis loqueretur:

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Festus Pompejus, *signare* (inquit) *significat modo scribere, modo malo signa imprimere, modo pecora signis notare*. Anacreon Ode quapiam:

Ἐν ἰσχίοις μὲ ἵπποι,
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Arianus de expeditione Alexandri: ἔν τε αὐτῇ τῇ

 Ἰω-

Auferet ingenteis lectus possessor in arvo.
Tunc etiam, dum siccus ager, dum fervida tellus,
Dum rimosa palus, & multo torrida limo
Aestuat, & fragiles nimius sol pulverat herbas,
Lurida conveniet succendere galbana septis,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

85. *Auferet*] Ita R. P. *Afferet* V. A. B. F. *Ingentes*] *Ingenti* R. *In arvo*] Sic V. A. F. *ovili* R. *in armo* Mod. Frut. & Tit.
87. *Torrida*] *Turbida* Tit. ex MS.
88. *Nimius*] *Nimium* R. & sup. 86. *quom siccus.*
89. *Galbana* &c.] Virgil. ibid. vers. 414. & seq.

NOTAE.

Ἰνδῶν γὰρ βοῦς ἰδόντας ἐγκεκαυμένας ῥόπαλον, τεκμηριοῦσθαι ἐπὶ τῷ ὅτι Ἡρακλῆς ἐν Ἰνδοῖς ἀφίκετο. Et de Rebus Indicis: *καὶ γὰρ καὶ σκυτάλην φορέειν τε οἱ Σίβας, καὶ, [τοῖς] βουσὶν αὐτῶν ῥόπαλον ἐπικαίειν, καὶ τοῦτο ἐς μνήμην ἀναφέρειν τοῦ ῥοπάλου τοῦ Ἡρακλέους.* A quibus signis equi alii *κοππατίαι*, alii *σαμφόραι*, alii *φασιανοί*, alii *βουκέφαλοι*, atque aliis nominibus dicti sunt, prout quisque aliquod signum impressum gestaret, auctoribus inprimis Athenaeo, Suida: veruntamen consule nostros libros Locor Controvers. & Assertionem, quam pro ipsis conscripsimus adversus Yvonem illum stramentitium, qui in nos petulantissime stylum distrinxit. Porro instrumentum, quo hujusmodi signum imprimebatur, a Latinis vocatum est *character*, ut admonet Isidorus in Originibus. TIT.

85. AUFERET INGENTEIS] Hunc versum in libris locorum controvers. olim ita castigavi: *Auferet ingentes' lectus possessor in armo.* Quamquam si legatur in *arvo*, non improbarim: certe quod aliqui in vetustis exemplaribus testantur se reperisse *ovili*, subdititium est, & minus probae notae, quare prorsus rejiciendum autumo. TIT.

85. LECTUS POSSESSOR IN ARVO.] Elegantissime Fruterius & Modius correxerunt.
——— ——— ——— ——— *in armo.*
Vetus editio nihil hoc loci a vulgari mutat, nisi quod tam *armo* quam *arvo* legi possit. Unde natus error BART.

87. ET MULTO TORRIDA LIMO] Quid si legamus *turbida*, quomodo erat in uno manu descripto codice? mihi sane ferri posse videtur, sed fortasse tamen sincerius fuerit, si exscribatur:

Dum rimosa palus emulse torrida limo.

Rimosa rimis abundans, quod potissimum evenit aestivo tempore solis vehementia. Virgil.

Hoc ubi hiulca sits findit canis aestifer arva

Catull.

Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

Tibull.

Qualis & arentes cum findit Sirius agros.

Ad vocabulum quod attinet, sic legas apud Propertium:

Aut per rimosas mittere verba fores.

& apud Virgilium:

--- --- *Multum accepit rimosa paludem.* TIT.

88. PULVERAT HERBAS,] Vel ita aridas efficit, ut ferme in pulverem redigat, vel pulvere conspergit Utitur hoc verbo Plinius. TIT. Quasi in pulverem nimia ariditate redigit, quod fit ferventissimo calore. *Pulverandi* verbo utuntur, Plautus, Columella, Palladius. BART.

89. LURIDA CONVENIET] Hic tractus pulchra imitatione sumptus est ex Virgilio:

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare gravi nidore Chelydros:
Saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu
Vipera delituit, coelumque exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere, & umbrae,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere Virus,
Fovit humum.

Florentinus haec praeterea medicamenta ponit ad venenatas bestias a stabulis arcendas; *pili muliebrum* (inquit) *in ipsis mandris suffumigentur, aut galbanum, aut cornu cervi, aut caprarum ungulae, seu pili, aut bitumen, aut casia, aut conyza, aut aliud quippiam grave olens, singula per se,*

aut

Et tua cervino lustrare mapalia fumo:
Obfuit iste malis odor anguibus; ipse videbis
Serpentum cecidisse minas. non stringere dentes
Ulla potest uncos, sed inani debilis ore
Marcet, & obtuso jacet exarmata veneno.
Tunc age, vicinae, circumspice, tempora brumae,
Qua ratione geras. aperit cum vinea sepes,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

91. *Obfuit*] *Obfuerit malus iste odor* R.
95. *Tunc age*] *Nunc age* R.

NOTAE.

aut plura etiam per se, aut simul omnia: refert Constantinus Imperator libro XVIII. idem quoque tradiderat Columella & Plinius. TIT.

90. CERVINO] Quod de cervino hic cornu usto tradit, vide apud Plinium lib X. cap. LXX. & lib. XXVIII. c. IX. BART.

90. MAPALIA] Peregrina vox, & Afrorum propria ex Carthaginiensi solo ad nos translata: ea tamen usus est Virgilius dicens:

—— & raris habitata mapalia textis.

idem pollet vox *magalia*, sed est differentia in modulo syllabae mediae. Virgil.

Miratur molem Aeneas, magalia quondam.

& alibi:

Ut primum alatis tetegit magalia plantis. TIT.

91. MALIS ODOR ANGUIBUS;] Respondet ei, quod supra citavimus ex Virgilio:

—— —— aut mala tactu
Vipera. TIT.

92. SERPENTUM CECIDISSE MINAS.] Virgilius sic:

—— —— cape saxa manu, cape robora pastor,
Tollentemque minas, & sibila colla tumentem
Rejice.

Lucretius vero sic:

Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem
Serpentem,

& caetera. TIT.

92. STRINGERE DENTES] Poëticum est serpentibus denteis adscribere. Quod aemulatus Appulejus Apologia; ut jam alibi a nobis traditum est. BART.

94. EXARMATA VENENO.] Siquidem Venenum serpentibus loco armorum a natura tributum est; exarmantur igitur, cum veneno privantur. Silius.

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus:

contra Virgilius dixit:

—— —— ferrumque armare veneno.

Justinianus in prooemio Institutionum ad civilem prudentiam: *Imperatoriam majestatem* (inquit) *non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* TIT.

94. EXARMATA] Serpenteis *exarmari* dicuntur, quibus veneni usus ademtus est. Silius lib. I. Punicor.

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr. ——

Valerius Flaccus lib. VII. de Dracone.

Alium dehinc turbida Colchis
Exarmat, lentumque offert, timideque minantem.

96. APERIT DUM VINEA SEPES,] Autumni descriptio a consequentibus. Virgil.

—— —— Tibi purpureo gravidus autumno
Floret ager, spumant plenis vindemia labris.

& in fine:

Et varios ponit foetus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Sed hinc autumnus aperit sepes dominis agrorum, & vinearum ad asportandas uvas. Cimon ve-

Et portat lectas securus vinitor uvas,
Incipe falce nemus vivasque recidere frondes.
Tunc opus est teneras summatim stringere virgas,
Tum debes servare comas, cum permanet humor,
Dum viret, & tremulas non excutit Africus umbras.
Has tibi conveniet tepidas foenilibus olim

Pro-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

100. *Cum permanet*] Leg. *dum permanet.* ex omn. Edd.
102. *Has*] *Ast* R. V. A. F. & G. *Tibi*] *Ubi* V. A. F. *Tepidas*] Leg. *Tepidis foenilibus* ex R. V. A. B. F. Virg. ib. verſ. 321.

N O T A E.

vero omni tempore aperiebat sepes suorum praediorum plebi, & populo, ut omnes inde suo arbitratu uvas & poma sumere possent; Aemilius Probus. TIT.

97. Securus vinitor] Tunc demum securus, cum uvas in lacus conjiciet; vinitor autem est vineae cultor, sive etiam vindemiator. Virg.

Jam canit extremos effoetus vinitor antes:
TIT.

98. Incipe falce nemus] Hac de re sunt Columellae verba: *at contra penuriae hyemis succurritur objectis intra tectum per proesaepia cibis; aluntur autem commodissime repositis ulmeis, vel ex fraxino frondibus, vel autumnali foeno, quod cordum vocatur.* Sed & Maro inquit:

Post hunc digressus jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, & fluvios praebere recentes.

Quod etiam intellexit ibi.

Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.

Vivas autem frondes appellat virentes, intelligit autem *herbitum*, ut vocat Isidorus in libris Etymologiarum. TIT.

99. Summatim] Per summam cutem. Columella lib. iv. *Summatim ablaqueare vitem* pari modo dixit *Summatim* alias *in summa* valet, ut Afranius usus apud Carisium. BART.

99. Stringere virgas,] Virgil.

——— ——— *hinc, ubi densas*
Agricolae stringunt frondes.

Rursus:

——— ——— *tunc stringe comas, tunc brachia tondo*

Summatim autem ex summa parte, ex cacumine, alias aliter; ut,

——— ——— *summatim dicere conor.* TIT.

100. Servare comas,] Frondes arborum. Horat.

Vos laetam fluviis, & nemorum coma.

Item alibi:

Et spissae nemorum comae.

Rursus:

——— ——— *redeunt jam gramina campis,*
Arboribusque comae.

Catullus:

Cythoris in juge loquente saepe sibilum edidit coma.

De re sic ait Horatius:

Devinctum curas, & strictis frondibus exples.
TIT.

101. Non excutit Africus umbras.] Cur umbras tremulas vocaverit hic Virgilii versus declarare potest:

Sive sub incertis Zephyris motantibus umbras:

Excutit autem folia, & per hoc umbras. TIT.

102 Has] Frundes nimirum. Nam eae pastus hyemalis pecudum. Meus liber *Ast* hoc loco. quamvis non adeo concinnum. *Comas* pro fron-

Promere, cum pecudes extremus clauserit annus.
Sic tibi nitendum est. labor hoc in tempore noster,
Gnavaque sedulitas venit, & pastoria virtus.
Nec pigeat ramos siccis miscere recentes,
Et succos adhibere novos. ne torrida nimbis

In-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

104. *Sic*] Ita omn. l. *Dic* Mod. *Hic* Bart. ex G.
107. *Ne torrida*] Ita R. P. *neu* V. A. F. f. *ne*, *ut torrida nimbis Instat hiems*, i. e. quando hyems est, ne *Incurvare velis*, &c.

NOTAE.

frondibus dici notavimus alibi. Cor. Severus apud Interp. Persii.

Pinea frondosi coma murmurat Appennini.
BART.

103. Extremus clauserit annus.] Hyems, quo tempore pecus intra praesepia clausum haberi solet. Horatius, cum ver describeret, inquit:

Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni.

Incidit autem extremitas anni in mensem Decembrem, quo mense Terminalia festa celebrabantur in honorem anni vertentis. TIT.

104. Sic tibi] Eleganter Fr. Modius: *Dic tibi: nitendum est.* Sed maneamus veteris libri scripturam. *Hic tibi.* Ita diserte Vetus liber. BART.

105. Gnavaque sedulitas] Superius ita:

Jam pro me gnavam potes exercere juventam.
TIT.

105. Pastoria] Ita Ovidius. Apud Varronem de Re Rustica male haec mutatur in *Pastoricii* vocem. Ovidius.

Illud erat tempus quo te pastoria texit
Pellis.

Apud Apulejum lib. IX. quoque in veteri fragmento membraneo non *pastoricii* sed *pastorii canes* leguntur, idque bis, ne quis dubitet. BART.

106. Miscere recentes,] Quae sint frondes, quos siccis misceri oporteat, statim exprimet, ibi:

Tu tamen aut laeves hederas, aut molle salictum
Valle premes gelida.

Columella de atinia, quae ulmi est species, loquens, ita habet lib. V. *est ulmus longe laetior, & procerior, quam nostra, frondemque jucundiorem bobus praebet: qua cum assidue pecus alueris, & postea generis alterius frondem dare institueris; fastidium bobus affert:* & quae plura deinceps illic sequuntur. TIT.

107. Torrida nimbis] Superius torridam aestatem nominavit, & recte: sic etiam Virgilius: *jam venerit aestas Torrida.* Eodem pacto nunc hyemem vocat summa ratione, siquidem frigus, urendi facultatem habere non quidem, per se, ac sua vi, sed κατὰ συμβεβηκός, certum est, dum calorem videlicet ad interiora contrahit, qui demum ita coactus κατὰ τὴν ἀντιπερίστασιν vehementius agit, atque interdum ita sane, ut etiam penitus exurat, alioqui minime usturus, si circa externa solummodo versaretur. Fuit haec Aristotelis sententia in libris Meteorologicis hic verbis expressa: ποιοῦμεν τὸ ψυχρὸν ὡς φθαρτικὸν ἢ ὡς κατὰ συμβεβηκός, καθάπερ προείρηται πρότερον, οἴεται δὲ καὶ καίειν λέγεται καὶ θερμαίνειν τὸ ψυχρόν. οὐχ ὡς τὸ θερμὸν ἀλλὰ τῷ συνάγειν ἢ ἀντιπεριΐστασθαι τὸ θερμόν. Id quod paulo post magis adhuc aperit dicens: ξηραίνεται δὲ πάντα ἢ θερμαινόμενα ἢ ψυχόμενα, ἀμφότερα δὲ θερμῷ, καὶ ὑπὸ τῆς ἐντὸς θερμότητος, ἢ τῆς ἔξω. Et quae ibi plura sequuntur in eam sententiam: nam satis est arbitror digitum ad fontem intendisse; itaque legas apud Maronem: *aut Boreae penetrabile frigus adurat.* Lucanus sic: *urebant montana nives.* Hic noster paulo infra: *ne forte rigor penetrabile corpus urat.* Cornelius Tacitus: *Ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt.* Justinus: *Quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis, aut murinis vestiuntur.* Hinc *pruinam* dictam volunt, quod fructus & virgulta perurat. TIT.

Yyy Et

Instet hiems, nimioque gelu, nivibusque coactis
Incurvare velit nemus, & constringere frondes.
Tu tamen aut laeves hederas, aut molle salictum

Val-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

109. *Velit*] Ita ego. *velit* al. omn. *Nemus*] *Vimen* R. & MS. Tit. *vimen, & stringere* Nic. Heinf. ex Virg. Aen. III. 31.

110. *Tu tamen*] *Tum tamen* F. *Hederas*] *Horedas* R.

NOTAE.

Et vox *torrida* in hyeme, & sententia, quod frigoribus mediis frondium strictura prohibeatur, & caeteroqui totus ambitus horum carminum mihi valde suspectus est, itaque lego:

—— —— licet horrida nimbis
Instet hyems; nimioque gelu nivibusque coactis
Incurvare velit nemus, & constringere frondes,
Tu tamen &c.

Minima quidem jactura vulgatae scripturae, sed maximo forsan emolumento sententiae. Praeceptum dat valde pastorale, & gregibus salubre. Ad sustentandas per asperitatem hyemis oviculas tuas, aut capellas sedulus in hoc eris, & gnavus: nondum absoluto autumno, virgultorum & ramusculorum struem (deputatis arboribus) tibi comparabis, hanc asservabis diligenter & gregibus tuis paulatim, ubi libera pascua deficient, subministrabis, ita tamen ut cum hoc pabulo nimis arido, & exusto novi semper aliqui virides rami, vel frondes admisceantur. Sed dices: quomodo ingruente severiore hyeme, dum omnia nivibus oblita, dum earum pondere, & gravitate rami arborum curvantur, dum nimio gelu arescunt omnia, quomodo, inquam, ramos vividos, aut frondes succi plenas colligere potero? Respondet Poëta, in hoc elucet gnavi pastoris omnis virtus, in hoc nervi omnes egregii opilionis intendendi sunt, labores in hoc nullos detrectare debet sedulus & diligens pastor. Nam haederae, vel salices, nonnullaeque aliae semper virentes arbores tibi deesse nequeunt, modo non pigeat valles imas penetrare, in quarum angulia non ubique semper incumbit nix. Quis neget sensum hunc esse pulcherrimum, & huic sensui lectionem nostram mirifice consentire? Ad duas postremas eclogas sextam, & septimam Calphurnii, quid annotem sane non habeo, doctissimis, & luculentissimis commentariis tuis destitutus: sub prelo enim adhuc sunt. At ego (fateor ingenue) non praelucente mihi lumine tuo caecutirem in tenebris. Exspectabimus tua quae restant, & si qua video in luce conspicienda tua, tua potius dicenda (ut ista haec) erunt, quam mea. Vale. MARTELL. Quae instar torrentis nimbis ingruat, vide quae supra de hoc vocabulo. Sic *Eloquia torridum* legi apud Venantium Fortunatum, quasi tu pluentem eloquio dicas. BART.

109. INCURVARE VELIT NEMUS,] Pro locorum qualitate frondes citius seriusve decidunt, & multae praeterea arbores reperiuntur, quae tota hyeme folia servant. Itaque non est absurda sententia, si mediis frigoribus frondes stringere prohibet. Aliqui codices habebant *Vimen* pro *nemus*: sed tunc versus ratio non constabit, nisi legatur, *& stringere frondes*, ut ultima Syllaba in *vimen* extendatur ob caesuram, quod non est novum apud prolatos auctores. TIT.

110. LAEVES HEDERAS,] Expolitas, lubricas. Plinius quoque hederae folia laevia appellavit: qua de causa nix ex eis cito defluit, tametsi non desunt, qui ob humiditatem foliorum id accidere putent, ut docet Plutarchus in Quaestionibus convivialibus. Recte vero Calphurnius hederae meminit ob perpetuitatem foliorum: huic enim plantae folia non decidunt ut notum est, quod ex Empedocle observat etiam Plutarchus loco statim indicato. TIT.

110. MOLLE SALICTUM] Flexibile & lentum, cui notioni haud omnino crediderim usquequaque respondere Graecum ῥαδινὸν, de qua voce ne te pigeat adire nostros libros Locorum Controvers. & Assertionum, quos edidimus adversus Yvonem quemdam Villiomarum, impurum hominem & nulliis judicii. TIT.

111. VAL-

Valle premes gelida. ſitis eſt penſanda tuorum,
Canthe, gregum viridante cibo. nihil aridus illis,
Ingenti poſitus quamvis ſtrue, proſit acervus,
Virgea ſi deſint liquido turgentia ſucco,
Et quibus eſt aliquid plenae vitale medullae.
Praecipue gelidum ſtipulis & fronde caduca
Sterne ſolum, ne forte rigor penetrabile corpus
Urat, & interno vaſtet pecuaria morbo.
Plura quidem monuiſſe velim: nam plura ſuperſunt.
Sed jam ſera dies cadit, & jam, ſole fugato,

Fri-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

111. *Sitis eſt*] *Satis* R.
118. *Pecuaria*] *Penetralia* R.

NOTAE.

111. VALLE PREMES GELIDA.] Ubi nimirum foelicius hederae proveniunt, auctore Theophraſto de cauſis eorum, quae oriuntur e terra. TIT.

112. NIHIL ARIDUS] Acervus foliorum aridorum, cujuſmodi multa enumerat Columella libro VII. TIT.

114. LIQUIDO TURGENTIA SUCCO,] Plena, tumentia; hoc enim valet verbum *turgere*, ſicut apud Graecos ὀργᾷν. Virgil.

---- ---- jam laeto turgent in gramine gemmae.

Unde vox ὀργὴ duci potuit, quod aliquo pacto confirmare videtur M. Tullius, in Quaeſtionibus Tuſcu. ibi:

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris.

Sic etiam Horatius:

——— ——— Vae meum
Fervens difficili bile tumet jecur.

Plutarchus Συμποσιακῶν lib. III. ἱστοροῦσι γὰρ ὅτι καὶ σκιὰ σμίλακος ἀποκτείνει τοὺς ἐγκαθευδήσαντας, οὕτω ὀργᾷ μάλιστα περὶ τὴν ἄνθησιν. TIT.

116. PRAECIPUE GELIDUM] Hac de re ſic inquit Columella: *Detur opera, ne quis humor ſubſiſtat, ut ſemper quam aridiſſimis filicibus vel culmis ſtrabula conſtrata ſint, quo prius, & mollius incubent foetae.* Virgil.

Incipiens ſtabulis edico in mollibus herbis herbam
Carpere oves, dum mox frondoſa reducitur aeſtas,
Et multa duram ſtipula, filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida laedat
Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpeſque podagras. TIT.

116. CADUCA FRONDE] Virgil. I. Georg.

Saepe levem paleam & frondes volitare caducas. BART.

117. URAT,] Georg. I.

——— ——— penetrabile frigus adurat.

Vide Joannem Brodaeum, optime de his ſtudiis meritum, lib. Miſcellan. sI. cap. VIII. Hieronymum Magium, dignum meliore fato, libro primo cap. XVII Miſcellan. BART.

120. SED JAM SERA DIES] Honeſta diſceſſionis cauſa, velut apud Nemeſianum:

Sed jam ſol demittit equos de culmine mundi:

&

Frigidus e ſilvis donec deſcendere ſuaſit
Heſperus.

Conſule noſtros libros Locorum Controverſ. illic ubi Maronis illud emendamus atque explicamus:

Surgamus, ſolet eſſe gravis cantantibus umbra. TIT.

121. NOCTIFER HORAS] Expreſſit Graecam vocem Heſperus, ut ſic Latine reſpondeat huic contrariae Lucifer. Eadem uſus eſt Catullus in illo:

Nimirum aethereos oſtendet noctifer ignes.

Eſt autem utraque eadem Veneris ſtella, quae mane oriens Lucifer, ſero apparens Heſperus appellatur. De his apud Iſidorum in libris Originum ita ſcriptum reperias: lucifer dictus, eo quod inter ſumma ſidera plus lucem ferat: Lucifer enim eſt una ex Planetis: haec proprie & ju-

Frigidus aeſtivas impellit noctifer horas.

N O T A E.

jubar dicitur, eo quod jubar lucis ex ſe fundat: ſed & ſplendor ſolis & lunae ac ſtellarum jubar vocatur, quod in modum jubae radii ipſorum extendantur. Veſperus ſtella occidentalis, quam cognominatam perhibent ab Heſpero rege Hiſpaniae. Eſt autem & ipſa ex quinque ſtellis planetis noctem ducens & ſequens ſolem: fertur autem, quod haec ſtella oriens Luciferum, occidens Heſperum facit, de qua Statius:

——— *& alterno deperditur humor in ortu.*

Quod autem eadem ſtella mane luceat & ſero, aperte oſtendit Catullus in carmine nuptiali dicens:

Nocte latent fures, quos idem ſaepe reverſus
Veſpere mutato comprendis nomine eoſdem.

Porro *frigidus* a Calphurnio vocatur ex rei natura: ſic etiam Nemeſianus:

Frigidus e ſilvis donec deſcendere ſuaſit
Heſperus.

Qua ratione frigidam noctis umbram appellavit Virgilius:

Frigida vix coelo noctis deceſſerat umbra. TIT.

121. NOCTIFER] Heſperum puto intelligi. Catullus.

Nimirum aetherios oſtendit noctifer ignes.

Niſi *Nocturnum* Plauti malis, pro Genio quopiam peculiari noctis. Vide quae ex Statio notat Adrianus Turnebus, quo nemo doctior umquam antiquis ſcriptoribus manum admovit, lib. XXIV. c. XXVII. BART.



ECLO-



ECLOGA VI.

LITIGIUM.

ASTILUS, LYCIDAS, MNASYLUS.

SErus ades, Lycida: modo Nyctilus & puer Alcon
Certavere sub his alterno carmine ramis,

Ju-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

LITIGIUM] Sic P. & Ed. Juntae. Sequitur Virg. Ecl. III. non aequis, ut alias fere, passibus. Nihil enim hac jejunius. Quod miror praeteriisse Jul. Scaligerum, cum reliquas tam rigide noter.

1. *Serus*] * *ectus* R. omissa priori litera.

NOTAE.

LITIGIUM Haec Ecloga inscribitur in libris, qui e Juntarum Typographia prodierunt: sumitur autem titulus ab argumento Idyllii TIT.

1. SERUS ADES,] Pro sero: hic noster,

—— —— *cum serus ovilia vises.*

Horatius:

Tamen heu serus adulteros
Crines pulvere collines.

Sic-

Judice me, sed non sine pignore. Nyctilus hoedos
Juncta matre dedit: catulum dedit ille, leaenae
Juravitque genus: sed sustulit omnia victor.
Lyc. Nyctilon ut cantu rudis exuperaverit Alcon,

Asti-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

4. *Leaenae Juravitque genus.*] Pollux: Τὰς δὲ Λεαινίδας (f. Τεμμικὰς) ἐκ κυνῶν καὶ λεόντων, καὶ κλητολέοντας λεοντομιγεῖς. *Lacanum Juravitque genus* MS. Tit. id est, Λάκαινον, *Lacainum*, sive *Lacaenum*. Talis pastori a Virgilio commendatur. Vide Comm. ad Grat. versu 211. *Laconem Juravitque genus* Nic. Heins. Ἐκλωικῶς.

6. *Ut*] *Et* R. Persona Lyc. non hic, sed v. 7. est in V.

NOTAE.

Sic alibi:

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.

Item:

Si vespertinus subito te oppresserit hospes.

& alibi:

——— ——— *urbis aventes*
Moenia nocturni subrepere.

Virgil.

Nocte vetat caeca serus freta.

Quod loquendi genus a Graecis originem traxit. Homerus:

——— ——— χεῖζος ἴση μετὰ δαῖτα.

Rursus:

Ὥσπερ παννύχιοι στυγερῷ κείμεσθ' Ἄρηϊ.

Ac rursus:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Hesiodus:

Παννύχιος δ' ἄρ' ἔλαυνε παρ' αἰδοίῃ παρακοίτῃ.

Euripides:

Μεσονύκτιος ὠλλύμαν. TIT.

1. Serus] Sero. supra Ecl. v. vers. xxxix. BART.

2. Alterno carmine] Ita enim sibi invicem respondere Pastores, ac pignora persaepe deponere introducuntur, ut vidimus alicubi superius. De amoebaeo carmine adeundus est Servius ad illud Maronis:

Vis ergo inter nos, quid possit uterque vicissim
Experiamur? TIT.

4. Juncta matre] Una cum ipsa eorum matre. TIT. Non supra quattuor haedos parere & hos admodum raro capras docet Plinius. Ergo catulum Leaenae cum quattuor haedis & una capra quis compararit? Sane fateamur in hac Ecloga multa esse quae facile quis meliora faciat, est enim omnium Calphurnii infelicissima. Sed tantus apud nos honos antiquitatis, ut etiam ejus naevos adoremus. BART.

4. Catulum dedit ille,] Hic versus ita legebatur in uno manu descripto Codice:

——— ——— *catulum dedit ille, Laconum*
Juravitque genus:

quod cur improbem nulla est causa: commendat enim Astilus Alconis catulum pro pignore positum a generis nobilitate: siquidem ex agro Spartano generosissimi canes afferebantur. Virgil.

Armoque Amyclaeumque canem, pressamque pharetram.

Rursus ibidem:

——— ——— *sed una*
Veloces Spartae catulos, acremque Molossum.

Nemesianus Cynegetico:

Elige tunc cursu facilem facilemque recursu,
Seu Lacedaemonio natam, seu patre Molosso;
Non humili de gente canem.

Ita tamen hanc scripturam amplector, ut vulgatam alteram non rejiciam, cui sensum hunc subesse arbitror: deposcit Alcon catulum, quem ex cane gravida facta leaena peperit, ut sic ferocissimum fuisse intelligamus. Porro notum est: ex tigribus, lupis, vulpeculis, caeterisque hujus generis diversis animalibus canes, quandoque concipi, ut auctor est Plinius libro viii. & Xenophon de venatione: Gratius quoque idem prodit his carminibus:

Tunc & mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravis succedere Tigrim
Ausa canis, majore tulit de sanguine foetum.

Hinc apud Maronem Lyciscae factum nomen; λύκος enim lupus dicitur, σκύλαξ vero catulus:

Excipere insidiis multum latrante Lycisca.

Videndus tamen omnino est Aelianus de animalibus lib. viii. cap. 1. TIT.

7. Acan-

Aſtile, credibile eſt, ut vincat acanthida cornix,
Vocalem ſuperet ſi dirus aëdona bubo.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

7. *Credibile eſt? ut vincat* R. diſtingue; *credibile eſt? ut vincat acanthida cornix?* ἀπὸ κοινοῦ repetendo.
8. *Dirus Aëdona*] *Si turpior aedona* R. & cit. Bart.

N O T A E.

7. Acanthida cornix,] Saepe hujuſmodi quopiam ſimili utuntur poëtae, cum inaequalitatem, ac diſcrimen aliquod longe intercedere inter aliquos oſtendere volunt. Lucret.

—— —— quid enim contendat hirundo
Cygnis?

Virgil.

—— —— ſed argutos interſtrepere anſer
olores.

Lucanus in Panegyrico:

Sed nec olorinus audet Pandionis ales
Parva referre ſonos, nec ſi velit improba, poſſit:
Sic & Aeodonia ſuperantur voce cicadae,
Stridula cum rapido faciunt convitia ſoli.

Auſonius ad Paulinum:

Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
Si confers fulicas Cycnis, & aëdona parrae,
Caſtaneis corylos aeques, viburna cupreſſis.

Pindarus:

Σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ.
Μαθόντες δὲ λάβροι
Παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὣς
Ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Theocritus:

Ὅστις νικασεῖν τὸν πλαῦλον, ὡς τὺ πεποίθεις,
Σφὰξ βομβεῦν τέττιγος ἐναντίον.

Rurſus in fine:

Οὐ θεμιτὸν Λάκων ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν,
Οὐδ' ἔποπας κύκνοισι, τὺ δ' ὦ τάλαν, ἐσσὶ φιλεχθής.

Rurſus alibi:

—— —— Βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Neque non alibi:

Ὅσσον ἐλαφρότερος μόσχω νεβρὸς, ὅσσον ἀηδὼν
Σύμπασιν λιγύφωνος ἀοιδοτάτη πετεηνῶν.

Saepe enim avibus comparantur ob cantus ſuavitatem. Horat.

Jamjam reſidunt cruribus aſperae
Pelles, & album mutor in alitem
Superne:

& reliqua. Item alibi:

Multa Dircaeum levat aura cygnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus.

Eſt autem acanthis avis, quam Latini acredulam, ſive luſciniam vocant, ita enim exponit Servius ad illud Maronis:

Litoraque alcyonem reſonant, & acanthida dumi.

Hujus aviculae meminit Aelianus, eique a ſpinis, in quibus nidulatur, nomen fuiſſe inditum ſcribit his verbis: ἀκανθὶς τὸ ὄρνεον, ἐκ τῶν πεφυκότων ἀκανθῶν λαβεῖν τὸ ὄνομα οἱ σοφοὶ τὰ ὀρνίθων φασί. φθέγγεται δὲ ἄρα εὐμελῶς καὶ μουσικῶς δεινῶς. TIT. Vide quae de acanthide notavit doctiſſimus Jacobus Nicolaus Loenſis. libro Miſcellan. III. cap. XXVI. BART.

8. Vocalem superet] Luſciniam dulce canentem, hoc enim modo pollet dictio *Vocalis*, velut apud Nemeſianum:

Vocalem longos quae ducit aëdona cantus.

Heſiodus eamdem appellavit ποικιλόδειρον κ' ἀοιδόν. Sed mirum Ariſtophanem in Ranis ἀηδόνιον non luſciniae, ſed hirundinis cantum appellare: Bubo avis eſt funebris, & infauſtra, nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu, ut ſcribit Plinius: itaque Virgilius ait:

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri, & longas in fletum ducere voces.

& Ovidius:

Foedaque fit volucris venturi nuncia luctus
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Plura de hac ave tradit Aelianus libro octavo de Hiſtoria animalium. TIT.

8. Dirus aedona] Optime ita emendatum eſt. Itaque habent duae optimae editiones. At paedagogi quidam adducunt

—— —— turpior aëdona.

Quod γνήσιον ipſorum eſt. *Aëdonem* Latine dixit & Nemeſianus. Imitationem eſſe Germanicam omnibus notum. BART.

9. Tr

As. Te potiar, Petale, qua nunc ego maceror una,
Si magis aut docili calamorum Nyctilus arte,
Aut cantu magis est, quam vultu, proximus illi.
Lyc. Jam nunc decipior te judice. pallidus alter
Venit, & hirsuta spinosior histrice barba;

Can-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

9. *Te potiar*] Sic R. P. *Ne pot.* Mod. *Te patiar* V. A. *Petale*] Sic P. *Crotale.* R. A. *Crocale* B. V.

12. *Pallidus*] *Panetas* R.

13. *Ridens*] *Viridans oculis* R.

NOTAE.

9. Te patiar,] Duram, adversam, iratam ἐκπληκτικῶς, vel etiam ἁπλῶς, quandoquidem τὸ *pati* per se molestiam prae se fert: est autem ἀποστροφὴ ad Crocalem absentem. TIT.

9. Te potiar,] Prorsus insulsissima scriptura. Veteres libri habent consensu. *Te patiar.* Qund cur Modio visum sit adeo intolerabile, ego prorsus non video. Refingit ille. *Ne potiar.* Sed mutatione contra libros nulla opus est. Pati Petalen se vovet dissimulato *inclementem* vel tali alio, quod elegantissimum est, praesertim pro pastore. Idque ductum ex illo Maronis Eclog. II.

Nonne fuit satius tristeis Amaryllidos iras
Atque superba pati fastidia? ———

Ejusdem sententiae illud quoque Ecl. x.

Certum est in silvis inter spelaea ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere Amores
Arboribus ———

Propertius libro II.

Nil ego non patiar, numquam me iniuria mutet,
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.

Idem de Cleopatra fastuosissima non aliter locutus est libro III.

Si mulier patienda fuit, cape Roma triumphum.

Idem de Achille. Sed ibi aliud est.

Omnia formosam propter Briseida passus.
BART.

9. Maceror una,] Vox amantium, cum se impotenti amore teneri significant. Horat.

——— ——— *me libertina nec uno*
Contenta Phryne macerat.

Rursus:

Quam lentis penitus macerer ignibus. TIT.

10. Docili] Patiar infestam Petalen, si aut cantu aut fistula magis proximus est illi quam vultu. Nota phrasin: *magis proximus*, pro proximior: Sic Appulejus lib. IX. *eosque variis agressi vulneribus distrahunt ac lancinant* (ita vetus Scida, vulg. *lacerant*) *nec fugientibus saltim compescunt, sed eo magis irritatiores sequuntur.* De hac plura Scaliger ad Culicem, Nansius ad Nonnum, nosque postremo in animadversis ad Boëthium. BART.

11. Proximus illi.] Negat id, quod consequitur, ut, quod antecedit, inficietur: non magis (inquit) cantu similes sunt Alcon ut & Nyctilus, quam sint ipso vultu: verum hoc dissimillimi omnino sunt: nam Alcon pulcher, Nyctilus turpis, ac deformis habetur: ergo canendi quoque artificio valde inter se discrepant. TIT.

12. Pallidus alter Venit,] Fuit; sicut apud Maronem:

An deus immensi venias Maris.

Rursus:

Hinc populum late regem, belloque superbum
Venturum excidio Lybiae.

vel *venit*, id est in certamen descendit. TIT.

13. Spinosior histrice] Habens barbam, vel pilos horridiores histrice: eadem figura subest Horatiano illi:

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo:

Hirsutum supercilium dixit Virgilius:

Hirsutumque supercilium, promissaque barba

& frontem hispidam. Ibi:

——— ——— *cui laterum tenus hispida nanti*
Frons hominem refert.

Et Horatius: *faciem hispidam.* Sed hic noster rem auxit per comparationem histricis, de quo animali consulendi in primis sunt Aristoteles, Plinius, Aelianus, & Solinus. TIT.

14. Can-

Candidus alter erat, laevique decentior ovo,
Et ridens oculis, crinemque simillimus auro,

Qui

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

14. *Levique*] Sic R. P. *lenique* V. A. F.

NOTAE.

14. CANDIDUS ALTER ERAT,] Argnmenti vires, quo Astylùs usus fuerat, convertit Lycidas in adversarium, affirmans Nyctilum formosissimum esse, Alconem vero insigni turpitudine praeditum: quod autem Alcon *candidus* esse dicitur, opponitur illi: *pallidus alter, Venit*: quod *levi decentior ovo* illi, & *hirsuta spinosior histrice barba.* & est allusum in comparatione ovi ad proverbium *Ovo nudior*, quod usurpavit Nicia in epigrammate:

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τις ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτὸς
Καὶ δασὺς ὢν λίαν ὠὸν ἅπας γέγονε. TIT.

15. ET RIDENS OCULIS,] Hilaritatem quandam oculis prae se ferens, sic etiam dictus est oculus ridens a Musaeo:

——— ——— ὡς δέ τις Ἥρως
Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.

Hilaritatem igitur Nyctili, & auream ipsius comam dilaudat Lycidas: color enim flavus, & auro similis in puerorum comis valde commendatur. Horatius de quorumdam sententia:

Cui flavam religas comam
Simplex munditiis.

Ovid.

At mihi flaventes diriguere comae.

Idem epistola Medeae ad Jasonem:

Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli.

Hesiodus Theogonia:

Χρυσοκόμης δὲ Διόνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην,
Κούρην Μίνωος θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.

Anacreon de Batyllo:

Λιπαρὰς κόμας, ποίησον
Τὰ μὲν ἔνδοθεν, μελαίνας,
Τὰ δ' ἐς ἄκρον, ἡλιώσας

Idem Amorem *χρυσοχαίταν* nuncupavit. TIT.

15. RIDENS OCULIS] Amatorium aliquid innuit. Incomparabilis Nonnus lib. XLI.

Ὀφθαλμοὶ γελόωντες ἀκοιλεῖς ἐρώτων.

Vide plura ad Ceirin & Claudianum. BART.

15. SIMILLIMUS AURO,] Flavum capillitium in viris & faeminis amabant veteres. Auctor Lyrici falso Cn. Gallo adscripti.

Pande puella, pande capillulos
Flavos, lucentes ut aurum nitidum.

Catullus Coma Berenices.

Devotae flavi verticis exsuviae.

Tibullus lib. I.

Devovet & flavis nostra puella comis.

Venantius de B. Maria.

Nil premitur candore tuo, Sole, crinis honore.

Euripides Medea.

Ἔνια ξανθὰς λέγουσι Μούσας
Ξανθὰν ἁρμονίαν φυτεῦσαι.

Claudianus.

Non labra rosae, non colla pruinae,
Non crines aequant violae.

Lucanus lib. X.

——— Tam flavos gerit altera crines,
Ut nullas Caesar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas.

Statius lib. IV.

Et vertice flavum
Crinem sparsa Noto.

Horat.

Cui flavam religas comam.

Petronius, non Arbiter:

Vincunt colla rosas & cedit crinibus aurum.

Callim.

Καὶ Κεφάλω ξανθὴν ἄλοχον Δηϊονίδαο.

Idem.

Σῦσθε νῦν ὦ ξανθαὶ σῦσθε Πελασγιάδες.

Orpheus.

——— ——— λιπαρὰς γὰρ ἔθειρας
Πυρσαῖς ἀκτίνεσσ' ἐναλίγκιοι ἠέρταζε.

Aelian. li. XIII. *ποικ. ξανθὴ δὲ ἦν αὐτῆς ἡ κόμη, οὔτι που πολυπραγμοσύνῃ γυναικείᾳ, ἀλλ' ἦν φύσεως ἔργον ὁ χρυσός.* Ita & Aristenaetus. Et haec de faeminis: de viris Catullus,

In flavo saepe hospite suspirantem.

Theocritus.

Ξανθοκόμας Πτολεμαῖος ἐπιστάμενος δόρυ πάλλειν.

Idem.

Ξανθότριχι παρ Μενελάῳ.

Silius lib. IV.

Caesariem crinemque tibi Gradive, vovebat
Auro certantem.

Herodianus & Lampridius de Commodo. Plura non congero, & haec ipsa alibi scripta sunt. Sed *δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.* BART.

Qui dici posset, si non cantaret, Apollo.
As. O Lycida, si quis tibi carminis usus adesset,
Tu quoque laudatum posses Alcona probare.
Lyc. Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,
Ipse tuos judex calamos committere nostris?
Vis conferre manus? veniat licet arbiter Alcon.
As. Vincere tu quemquam? vel te certamine quisquam

Di-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

19. *Par es*] *Pares* R. V. Virg. Ecl. III. *Vu ergo inter nos, quid possit uterque, vicissim*, &c.

21. *Manus*] *Manum* V. A. F. *Veniat licet*] Sic V. A. F. *vel veniat* R. *veniat vel* P. f. *veniat velit*.

22. *Tu quenquam?*] Virgil. ib. *Cantando tu illum*, &c. unde totus locus mutuatus est.

NOTAE.

16. Si non cantaret,] Invidiam Dei cavet. Nam alias quem forma, etiam cantu componeret illi Rusticus. & notissimum ex fabulis, qui cum hoc Deo cantu certarunt, male fuisse mulctatos omnes. BART.

17. Usus] Artificium, quod usu paratur. Vide ad v. viii. Cynegetici Gratiani. BART.

18. Probare.] Re ipsa audendo mecum concertare. BART.

19. Vis igitur,] Hujusmodi quaepiam provocatio exstat apud Maronem:

Vis ergo inter nos, quid possit uterque vicissim
Experiamur?

vox *improbus* respondet Graecae voci κακὸς. Theocrit.

—— —— Τὺ δ' κακὸ ϗ τῦτο ἰγάκδος
Βασκαίνειν.

Virgilius *laborem* appellavit:

—— —— *labor omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Idem:

—— —— *improbus iste*
Exsultat fidens.

Horatius:

—— —— *improbus urget*
Iratis precibus.

Alibi:

Vivet uter locuples sine gnatis, Improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus.

Item alibi:

—— —— *negat improbus & te*
Negligit, aut horret.

Valerius Flaccus:

Ille iterum in clypei septemplicis improbus orbem
Arietat.

Quibus in locis vox *improbus* valet pervicacem, & indefessae pertinaciae. Virgilius Convitii loco foedissimum quempiam nominavit;

Aut quisquam merito foedissime pulsum
Arguet?

loquitur Turnus Drancem increpans. Sed quod in nostro deinde legitur *par es*, alicubi scriptum erat conjunctim *pares*, id est obtemperas. TIT.

21. Veniat licet arbiter Alcon.] Quem tu tantopere dilaudas, quique iecirco iure mihi suspectus esse deberet. Non aliter Virgilius:

Audiat haec tantum vel qui venit, ecce, Palaemon.

Hic enim Dametae vicinus fuisse fingitur, quae res in propinqua amicitiae parte deputanda est auctore Terentio. TIT.

22. Vel] Nota licentiam extra caesuram. Supra monuimus talia multa in hoc Poëta latere corrupta. Sed de his in Analectis Poëticis multissima. BART.

22. Vincere tu quemquam?] Ἔκκυψις. Virg. *Cantando tu illum?* TIT.

22. Vincere tu] Ex Palaemone Virgilii. BART.

22. Vel te certamine quisquam] Insignis contemptus inest huic orationi: sic etiam reperias apud Virgilium:

Atque idem fugientem haud est dignatus Orontem
Sternere.

In-

Dignetur, qui vix ſtillantes, aride, voces
Rumpis, & expellis male ſingultantia verba?
Lyc. Fingas plura licet. nec enim potes, improbe, verba
Ex-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

23. *Aride*] Sic R. *arida* V. A. P.

25. *Verba*] Reſpondet ultimae voci verſ. 24. *verbo* R. *vera* Tit. quod ſibi adſcribit Bart.

NOTAE.

In hunc ſenſum exaudienda ſunt, quae ſcribit Ovidius ſub Ajacis perſona, ibi:

Praemia magna peti, fateor, ſed demit honorem
Aemulus Ajaci, non eſt tenuiſſe ſuperbum,
Sit licet hoc ingens, quicquid ſperavit Ulyſſes,
Ipſe tulit pretium jam nunc certaminis hujus;
Qui, cum victus erit, mecum certaſſe feretur.

Quem locum aut ſuperavit, aut ſaltem commodiſſime expreſſit magnus ille noſter Taſſius, cum de Gernando loquitur de Rinaldi fama contumelioſiſſimis verbis detrahente; ibi:

Vinca egli, o perda homai, che vincitore
Fù infino allhor, che emulo tuo divenne:
Che dirà il mondo (e ciò fa ſummo honore)
Queſti già con Garnando in gara venne:
Poter à te recar gloria, & ſplendore.
Il nobil grado, che Dudon pria tenne;
Ma già non meno eſſe, da te u' atteſe;
Coſtui ſcemò ſuo pregio allhor, che'l chieſe.

Multa praeterea in hanc ſententiam colligere poſſem ex Graecorum, Latinorumque monumentis: verum non omnia perſequi in animum induxi. TIT.

23. Stillantes, aride, voces] Superius dixit:

——— *& poſt haec placuit tibi torrida Mopſi*
Vox, & carmen inops, & acerbae ſtridor avenae?

Confer cum hoc loco illum alterum Nemeſiani.

Sed pro carminibus male ſibila diſſona reddit.
Tum Pan excuſſus ſonitu ſtridentis avenae.

Quod Virgilio acceptum ferri debet dicenti:

——— *num tu in triviis indocte ſolebas*
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

Virgilius porro a Theocrito mutuo ſumpſit, qui ſcripſerat.

Τὰν ποίαν σύριγγα; τὺ γδ πόκα δῶλε Συβύρτα
Ἐκτάσω σύριγγα, τὶ δ᾽; οὐκέτι σὺν Κορύδωνι,
Ἀρκεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι.

TIT.

23. Stillantes,] Vide locum Pomponii Melae a nobis correctum ad Eclog. III. v. LIX. BART.

24. Singultantia verba?] Interciſa, quaſi per ſingultus emiſſa. Horat.

——— ——— *ſingultim pauca locutus.* TIT.

24. Verba?] Mirum quo viderint hoc edentes Correctores. Omnino legendum, *vera.* BART.

24. Singultantia] Optime hac voce exprimit coactum quendam cum triſti acumine ſonum. Qualem ſolent obeuntes vi edere. Silius lib. I.

Oraque dum calcat jam ſingultantia leto,
Hac iter eſt, inquit, vobis ad moenia Romae.

Valerius Flaccus lib. II.

——— ——— *Singultantia geſtans*
Ora manu, taboque ſinus perfuſa recenti.

BART.

25. Improbe, verba] Crediderim legi debere, *vera*, ut opponatur illi,

Fingas plura licet.

Nam ſtatim ſequitur per contrarium:

——— ——— *ſicut tibi multa Lycotas.*

Nec dubito de ſinceritate hujus lectionis, tametſi refragentur omnia ad unum exemplaria. *Improbum* etiam uſurpavit Maro eodem ſignificatu:

——— ——— *Ille aſper, & improbus ira*
Saevit in abſentes?

Sed & de monte idem dixit:

Fertur in abruptum magno mons improbus actum.

quod eſt ex Homero:

——— ——— ἀναιδὴς αἰχμαλῆ πέτρης.

Vide quae paulo ſupra de hac voce annotavimus: ſed & apud Nemeſianum quippiam me obſervaſſe memini. TIT.

 28. Ec-

Exprobrare mihi, ficut tibi multa Lycotas.
Sed quid opus vana confumere tempora lite?
Ecce venit Mnafylus: erit (nifi forte recufas)
Arbiter. infta nunc non credulus, improbe, verbis.
As. Malueram, fateor, vel praedam nactus abire,
Quam tibi certanti partem committere vocis:
Nec tamen hoc impune feres. en afpicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?
Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.
Scit frenos, fcit ferre jugum, fequiturque vocantem

Cre-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

28. *Mnafylus*] Ita Virg. *Mnafyllus* V. A. *Manafyllus* R. *Recufas*] *Recufes* V. A. F. Sic Virg. ib. *ne forte recufes.*
29. *Infta nunc*] *Inflatis non credulus, improbe, verbis* Nic. Heinf.
30. *Praedam*] *Praeda* F. *praedem* B. *praeda victus* Vet. Ed. quam citat Tit.
33. *Medius*] *Melius* R.
34. *Quamvis diligat hunc mea Pectale, accipe.* V. B.
35. *Frenos, fcit*] *Freno* V. *frenos, &* R.

NOTAE.

28. Ecce venit Mnasylus :] Hoc nomen reperias etiam apud Maronem:

—— Chromis, & Mnafyllus in antro
Silenum pueri fomno videre jacentem.

Ubi Servius utrumque Satyrorum nomen effe tradit. TIT.

30. Vel praedam nactus] Id eft, etiamfi probe fciam me praedam quafi quandam adeptum effe, mallem tamen abire ea dimiffa, quam te meo congreffu dignari: aut eft legendum, quomodo unus liber vetuftiffimis typis excufus habebat, *vel preda victus abire*, id eft; maluiffem equidem difcedere victus, quod ad pignus attinet, quam tecum certare, neque enim is es, ut te quifquam certamine dignetur: maluiffem igitur pignus amittere, & hac parte quafi me victum fateri, quam tibi certanti partem committere vocis. Pignus autem quafi praedam futurum fuiffe Lycidae affirmat, quoniam immerito ipfum auferret. TIT.

30. Praedam] Si vel optima mihi obveniret, non effet tamen cur non abirem. Sed *praedam* vocat pignus quod alter deponebat, tanquam jam nactus id effet, adeo plenus confidentiae eft de fua victoria. Sed non poffum diffimulare conjecturam meam, *praedem* lego, ut licet fponforem nactus, Mnafylum fcilicet, ut ipfe gloriatur, victoriae fe certum effe, malit tamen contendere ut alteri faltem aegre faciat. Adeo fuperbus eft ut Judicem putet fponforem fibi futurum. BART.

32. Nec impune feres.] Quo minus & ipfe quoque aliquid contra deponas, unde inferius dicet:

—— dum fciat hic fe non fine pignore vinci. TIT.

33. Candida qui medius] Epithetum perpetuum, funt enim lilia eo colore maxime confpicua, utpote Junonis lacte prognata, velut fabulantur poëtae. Virgil.

—— —— albaque circum
Lilia, verbenafque premens, vefcumque papaver.

Rurfus:

—— —— & candida circum
Lilia fundantur.

Item:

—— Vel mifta rubent mihi lilia multa
Alba rofa.

Propert.

Et circum irriguo furgebant lilia prato
Candida purpureis mifta papaveribus.

&

Lilia non domina fint magis alba mea. TIT.

35. Scit frenos,] Commendatio pignoris a

cer-

Credulus, & menfae non improba porrigit ora.
Afpicis ut fruticat late caput? utque fub ipfis
Cornibus, & tereti lucent redimicula collo?
Afpicis ut niveo frons irretita capiftro
Lucet, &, a dorfo quae totam circuit alvum,
Alternat vitreas lateralis cingula bullas?
Cornua fubtiles, ramofaque tempora molles

Im-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

37. *Fruticat*] *Fruticet* V. A. B. F. duo feqq. verff. defunt in R.

41. *Cingula*] Hinc Servius, & ab eo Ifidorus, *cingula hominum*, *cingulas animalium* effe dicunt. Gloffae, *Ζωστήρ*, *cingula*, *baltheum*, *cingulum*.

N O T A E.

cervae manfuetudine, indicat enim ipfam cicurem effe, quales Amatae, Scipionis, Sertonii, Mithridatis, aliorum cervae fuiffe memorantur: facile autem hoc animalis genus cicurari folere docet Plinius: quod vero addit, *fequiturque vocantem*, pertinet ad id, quod de hoc animante fcriptum eft ab Aeliano de Hiftoria animalium, in haec verba: τῷ Πτολεμαίῳ τῷ δευτέρῳ, ὃν καὶ Φιλάδελφον καλοῦσι, βρέφος ἐλάφου δῶρον ἐδόθη, καὶ τῇ φωνῇ ἀνετράφη τῇ Ἑλλάδι καὶ λαλούντων συνίει· ἐπιπιστεύω δὲ ὑπὲρ τούτου τῶν ζώων, καὶ Ἰνδῶν μόνης φωνῆς ἐπαΐειν τὰς ἐλάφους. TIT.

37. UT FRUTICAT LATE CAPUT?] Late cornua diffundit inftar fruticum, unde paulo poft *ramofa tempora* appellabit, quomodo Virgilius:

Et ramofa Mycon vivacis cornua cervi.

Et in majori opere:

Dectorefque ipfos primum capita alta ferentes,
Cornibus arboreis fternit.

Vel iccirco *fruticat* dixit, quia faepe obfervatum eft inter cornua cervorum hederam adnafci, auctore Plinio; cujus verba adfcripfi: *captique jam funt hedera in cornibus viridante & attritu arborum, ut in aliquo ligno, teneris, dum experiuntur innata.* Idem antea fcripferat *Ariftoteles*, unde Plinius fumpfit, de Hiftoria animal. & in Commentario de admirandis non rationibus. TIT.

38. LUCENT REDIMICULA COLLO?] Propria ornamenta, & vincula capitis muliebria. Juvenal.

——— ——— ——— *accipient te*
Paulatim qui longa domi redimicula fumunt
Frontibus, & toto pofuere monilia collo.

Sed nunc his cervum, quem in deliciis habebat Aftacus, exornatum fuiffe dicit, quod ex Ovidio fumptum opinor, ubi de Cypariffi cervo nefcio quid huic fimile fcriptum reliquit dicens:

Ingens cervus erat, lateque patentibus altas
Ipfe fuo capiti praebebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro, demiffaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo:
Bulla fuper frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur; parilefque aetate nitebant
Auribus e geminis circum cava tempora bullae.

& reliqua. Sic de tauro Europae:

Paulatimque metu dempto, modo pectora praebet
Virginea palpanda manu, modo cornua fertis
Impedienda novis.

Non omiferim etiam Virgilianum illud:

Aurea pectoribus demiffa monilia pendent. TIT.

39. NIVEO FRONS IRRETITA CAPISTRO] Purpureum capiftrum Cypariffi cervo tribuit Ovidius:

Mollia purpureis frenabas ora capiftris. TIT.

41. VITREAS BULLAS?] Hujufmodi fane conveniunt paftoribus: at Cypariffus argenteas indidit fuo cervo, ut vidimus ex Ovidio. TIT.

41. CINGULA] Faeminino genere *cingulam* dici cum jumenti notamus, docet Ifidorus lib. xx. Orig cap. xvi. Cui credimus, dum non eft exemplum aliud. BART.

42. CORNUA SUBTILES,] Rofae poffunt dici fubtiles ab earum natura & qualitate: nam Plinius de rofa loquens, libro xxi. inquit: *Emplaftris, atque collyriis inferitur mordaci fubtilitate.* Sed quae mens fuiffet Calphurnii, fi hujufmodi epithetum hoc quidem in loco ufurpaffet? erunt

igi-

Implicuere rosae, rutiloque monilia torque
Extrema cervice notant: ubi pendulus apri
Dens sedet, & nivea distinguit pectora luna.
Hunc ego, qualemcunque vides in valle, paciscor
Pendere, dum sciat hic se non sine pignore vinci.
LYC. Terreri, Mnasyle, suo me munere credit:
Aspice quam timeam. genus est (ut scitis) equarum
Non jugale mihi, quarum de sanguine ponam

Ve-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

44. *Notant*] f. *natant*, vel *nitent*.
49. *Ut scitis*] *Et scitis*, Nic. Heins.
50. *Non jugale*] Vide Comm. ad Nemes. vs. 170. *Nonijugale*, vel *Non junctum ante* Bart. *Non subigale* Gebhard. *Non jugale* Buch. Leg. *Conjugiale*: id est, foeturam tantum exercens. Ita & H. Bruno, εὐσόχως.

NOTAE.

igitur *subtiles rosae*, tenues, & exiles ad differentiam centifoliae, quae non nisi in extremis coronarum cardinibus addi consuevit. in perveteri exemplari scriptum reperi *sutiles*, quam lectionem, nisi syllaba repugnaret, libentissime reciperem. Dicuntur enim *rosae sutiles* ad differentiam pactilium, quae e surculis, vel ramulis plectuntur: cum sutiles fiant fere e mero rosae folio, aut floribus. Plinius loquitur in hanc sententiam: *summa auctoritas pactili coronae; sutiles aliorum sacris invenimus, & solemnes coenis: transiere deinde ad rosaria; eoque luxuria processit, ut non esset grata nisi mero folio: sutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos.* Martial.

Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Rursus alibi:

Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit
Qui posuit sacrae nobile gentis opus.

Quid de hoc Calphurnii loco insuper dicam, non habeo, quocirca lectori rem dubiam incertam relinquo. TIT.

43. RUTILOQUE MONILIA TORQUE] Rubi species reperitur, quae baccas oblongas, easdemque rutilas ferat, has rustici in lineas componunt, eisdemque puellarum colla exornant, sicque minore molestia parta sua & ipsae corallia gestant: de his modo Calphurnius intelligit, ut pastorum servet decus, & quod Graeci vocant τὸ ἀγίνει: nam ad aurum minime retulerim. Propertius ait:

Et dare puniceis plena canistra rubis.

Sic ferme Gratius de venatione:

—— —— collaribus ergo
Sunt qui lucifugae cristas inducere maelis
Jussere, aut sacris conserta monilia conchis.

Ovidius quoque de Conchis in hunc usum meminit ibi:

Munera fert illi conchas, teretesque lapillos,

Quo Plautinum illud libenter retulerim: *Cave tu harum conchas spreveris.* TIT.

45. ET NIVEA] Dens enim apri albus est, itaque ipsum vocat Homerus ibi: Θήξας λευκὸν ὀδόντα· & reliqua. Huic loco simillimus est, ac tantum non idem ille alter Statii:

—— nemorisve notae sub pectore primo
Jactantur, niveo lunata monilia dente.

Quod in suam Arcadiam transtulit deinde Jacobus Sannazarius. TIT.

46. QUALEMCUMQUE VIDES] Tot, tantisque dotibus insignitum. TIT.

47. DUM SCIAT HIC] Hoc est, quod superius dixerat;

Nec tamen hoc impune feres.

Sic Virgilius:

—— tu dic mecum, quo pignore certes. TIT.

47. NON SINE PIGNORE VINCI.] Acute dictum. BART.

50. NON JUGALE] Jugo ferendo assuefactum, per quod equarum praestantiam denotat, siquidem minus generosae currui subjiciuntur; vel quae per aetatem nondum jugo subjectae sunt.

Velocem Petaſon, qui gramina, matre relicta,
Nunc primum teneris libavit dentibus. illi
Pes levis, adductum latus, excelſiſſima cervix,
Terga ſedent, micat acre caput, ſine pondere cervix,
Et tornata brevi ſubſtringitur ungula cornu,
Ungula quae viridi ſic exultavit in arvo,
Tangeret ut fragiles, ſed non curvaret, ariſtas:

Hunc

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Velocem*] *Veloci* R. & deeſt v. 53.
54. *Micat acre caput*] Leg. *micat aure*, *caput ſine pondere curvum*, vel, *cernuum*. *Τὸ cervix* ex praecedenti male repetitum. Vide ad Nemeſ. vſ. 245.
55. *Et tornata*] *Ut torn.* Bart. ex G.
56. *Quae*] *Quâ* V. A. F. Virg. Aen. VII. fine, de Camilla eadem hyperbole utitur.
57. *Sed non*] *Non ſed* G. *non &* Bart. Deeſt hic & 58. R.

NOTAE.

ſunt. Horatius:

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare.

Sed cum loquatur de toto genere, haec expoſitio huic loco minime convenit: ac fortaſſe intelligit poëta de equabus, quibus nullus adhibetur maritus ad ſobolem procreandam, perinde ac Favonia ſpirante gravidae fieri ſoleant; ut de equabus, in Luſitania ſcriptum reliquit Plinius. Tuus, idemque meus Taſſius, quod huc pertinet, ſic inquit: *Quaeſto* (Aquilinus, nomen equi Raimundi a pernicitate ſic dicti, nam paulo ante ſic legas:)

——— ——— e preme il dorſo
Del ſuo Aquilino, à cui diè 'l nome il corſo
Su 'l Tago nacque, ove talhora
L' avida madre del guerriero armento,
Quando l' alma ſtagion, che n' innamora
Nel cor l' inſtiga il natural talento,
Volta l' aperta bocca incontra l' ora,
Raccoglie i ſemi del fecondo vento,
Et de' tepidi fiati, ò meraviglia,
Cupidamente ella concipe, & figlia.

Conſule Ariſtotelem in libris de Hiſtor. anim. & de Admirandis narrationibus. TIT.

50. JUGALE] Ἁμάρτημα ποιητικόν. Niſi latet aliquod vitium ſcripturae, quod plane credo. Et imbibam reſeribere. *Non junctum ante.* quod ex veritate abbreviationis Longobardicae facile corruptui fuit. an ſcripſit ——— *nonijugale*, ut *quadrijugum* & talia? Deſcriptionem equi elegantis pete ex Virgilio, Gratio. Oppiano. Nemeſiano. Columella. lib. VI. cap. XXIX. aliiſque Poëtis. BART.

51. VELOCEM PETASON,] Nomen proprium equi, eujus nominis originationem epitheto expreſſit Calphurnius: πετάννύω etiam & πετάννυμαι, & πετάω ad velocitatem curſus referuntur. TIT.

51. MATRE RELICTA,] Quoniam haud amplius lacte nutriuntur. Horat.

Me tener ſolvet vitulus relicta
Matre, qui largis juveneſcit herbis
In mea vota. TIT.

53. PES LEVIS,] Divertitur in laudes equi, ut par pari referat: indicia vero boni equi enumerat Virgilius inter caetera haec:

Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit,
Primus & ire viam, fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.

& reliqua. Vide praeterea (ſi vacat) Columellam lib. 6. & Xenophontem περὶ ἱππικῆς. TIT.

55. ET TORNATA] Vetus liber. *Ut torn.* quod qua de cauſa immutemus, non video hercle. Nam correctorum gratiam tanti non emimus. BART.

57. TANGERET UT FRAGILES,] Miram equi pernicitatem narrat imitatione Virgilii, cujus haec ſunt:

Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas:

Vel

Hunc dare, si vincar, silvestria numina juro.
Mn. Et vacat, & vestros cantus audire juvabit.
Judice me sane contendite, si libet: istic
Protinus ecce torum fecere sub ilice Musae.
Sed, ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,
Gramina linquamus, ripamque volubilis undae.
Namque sub exeso raucum mihi pumice lymphae
Respondent, & obest arguti glarea rivi.
As. Si placet, antra magis vicinaque saxa petamus,

Saxa

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

62. Praefigit huic Has. & v. 66. Lyc. R.
64. *Pumice lymphae*] *Punice lyphae* R.

NOTAE.

Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas:
quae porro ad Homerum auctorem sunt revocanda, apud quem ita scriptum legimus de equis Erichthonii:

Αἱ, δ' ὑποκυσάμεναι ἔτεκον δυοκαίδεκα πώλους.
Αἱ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων,
Ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον.

Eamdem propemodum descriptionem reperias penes Apollonium illic, ubi de Polyphenio loquitur lib. 1. allusum autem arbitror ad Iphicli & Orionis fabulam, quorum alteri datum esset, ut per summas aristas adeo leviter excurreret, ut ne summa quidem aristarum culmina inflecteret. Orioni vero Neptunus pater indulserat, ut suspensis vestigiis ita fluctus inambularet, ut ne summos quidem pedes allueret, auctore praeter caeteros Hesiodo, quod & Tzetzes deinde commemorat in Varia Historia. Consimile propemodum est, quod penes eundem Maronem legitur, ibi:

——— *ac per aperta volans ceu liber habenis*
Aequora, vix summa vestigia penat arena.

In quo historiam Ladae respexit, Alexandri Magni cursoris, qui tanta celeritate fuisse perhibetur, ut vestigia ejus in arena non apparerent. Sic etiam Manilius:

Vixque rotis levibus summum contingere campum
Vincentem pedibus ventos.

Item non paulo inferius:

Cui coelum campus fuerat, terraeque, fretumque
Sub pedibus non ulla tulit vestigia campus.
TIT.

57. Sed non curvaret,] Vetus scriptura: *non sed.* Non dubito veram esse: *Non &.* BART.

61. Protinus ecce torum] Locum, ubi residentes, aut cubantes percommode canere possimus: *torus* dicitur a *tortis* herbis, quae accumbentium humeris supponuntur, teste Servio Maronis interprete, & Isidoro. TIT.

61. Torum] Quo consideamus: Statius.
Gramineos dedit herba toros ——— BART.

62. Sed, ne vicini] Ita ferme Nemesianus.
——— ——— *Sed nobis ne vento garrula pinus*
Obstrepat, has ulmos potius fagesve petamus.

Hic noster:

Quidve sub hac platano, quam garrulus astrepit humor,
Infesta statione sedes? TIT.

63. Volubilis undae.] Horatius:
Jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

Rursus:

Rusticus exspectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis aevum.
TIT.

Horatius. BART.

65. Arguti glarea rivi.] Ovidius *rivum lapidosum* appellavit:
Defluit incerto lapidosus murmure rivus. TIT.

66. Antra magis] Sic propemodum Ecl. 1.

Hoc

Saxa quibus viridis ſtillanti vellere muſcus
Dependet, ſcopuliſque cavum ſinuantibus arcum
Imminet, exeſa veluti teſtudine, concha.
Mn. Venimus, & tacito ſonitum tutabimur antro.
Seu reſidere libet, dabit ecce ſedilia tophus:
Ponere ſeu cubitum, melior viret herba tapetis.
Nunc mihi ſepoſita reddantur carmina lite:
Nam vicibus teneros malim cantetis amores:
Aſtile tu Petalen, Lycida tu Phyllida lauda.
Lyc. Tu modo nos illis jam nunc, Mnaſyle, precamur,
Auribus excipias, quibus hunc & Acanthida nuper

Di-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

70. *Sonitum tutabimur*] *Sonitus ructabimus* R.
72. *Tapetis*] Sic P. *lapillis* R. V. A. B. F. ſ. *mediis viret herba lapillis.*
75. *Lycida tu*] *Tu Lycida Phyllida* R.
76. *Tu modo* (*nos ipſi*, &c. A. B. F. *Tu modo nos* (*ipſi*. V. *ipſe* R.

NOTAE.

Hoc potius frater Corydon nemus, iſta petamus
Antea patris Fauni, gracilis ubi pinea denſat
Silva comas, rapideque caput levat obvia ſoli.
TIT.

66. Magis] Potius. Alibi notavimus multa. Antri deſcriptio heic ſatis feſtiva, venuſtior tamen multo apud Aelianum lib. XIII. ποικ. cap. I. BART.

67. Stillanti vellere muscus] Lanugo, quae ab antris dependet, quaſi vellus quoddam eſſe videtur, per quod humor guttatim fluit: Graeci vocant βρύον ϗ σφάγνον, teſte *Dioſcoride*. TIT.

68. Sinuantibus arcum] Vide Sidonium Epithalamio Polemii & Araneolae. Claud. Paneg. Olyb. BART.

69. Exesa veluti testudine, concha.] Inſtar conchae ſtriatae, vel imbricatim undatae, ſive rugatae, aut aliter quoquo modo coelatae. Virgil.

Et tophus ſcaber, & nigris exeſa Chelydris
Creta. TIT.

70. Sonitum tutabimur] Proba lectio, & nullo modo rejicienda: nam quod docti viri admonent in aliquibus codicibus legi *ſonitus ructabimus*, idque interpretantur ex intimo pectore expromemus, fictitium puto, aut in pingui aliqua & fumoſa popina ortum, altumque crediderim, itaque nihil muto. TIT.

70. Tutabimur] Hoc eſt, arcebimus: ut *famem tutari* dixit ſupra, nobis notantibus. BART.

72. Ponere seu cubitum] In cubitum recumbere, qui jacentium habitus quandoque eſſe conſuevit. Horatius:

Et cubito remanete preſſo. TIT.

74. Vicibus] Viciſſim. Ita ſaepius ſupra. BART.

74. Teneros malim cantetis amores:] Molles, & laſcivos, & ut Graeci loquuntur, ἁπαλάς. Ovidius:

Me Venus artificem tenero praefecit Amori.

Item alibi:

Quaere novum vatem tenerorum mater Amorum.

Auctor Elegiarum Cornelii Galli nomine vulgatarum:

Unguibus, & morſu teneri paſcantur amores.

Cur autem *Amor tener* dicatur oſtendit Agatho apud Platonem in Convivio, & nos etiam alibi docuimus. TIT.

75. Astile tu Petalen,] Proponit utrique materiam ad canendum TIT.

77. Acanthida nuper] Paſtorem dulce canentem: de hac ave dictum eſt a nobis initio hujus Eclogae. TIT.

Diceris in silva judex audisse Thalea.
As. Non equidem possum, cum provocet iste, tacere.
Rumpor enim merito: nihil hic nisi jurgia quaerit.
Audiat, aut dicat, quoniam cupit. hoc mihi certe
Dulce satis fuerit, Lycidam spectare trementem,
Dum te stante palam sua crimina pallidus audit.

Lyc.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

78. *Thalea*] *Thalia* R.
81. *Aut dicat*] *Et dicat* Tit. ex MS. *ut dicit* Bart.
82. *Spectare*] Ita R. P. Mod. *expectare* V. A. B. & Bart. cit.
83. *Te stante*] Bart. cit. *testante*, & conj. *testem ante.* f. *Testata palam sua crimina*] Sic Tit. ex MSS. *carmina* R. V. A. B. F.

NOTAE.

78. In sylva Thalea.] Nomen proprium silvae, de qua nihil mihi compertum est: nam quod quidam de Taleis hariolantur, risum mihi movet; multis enim modis ineptum est. TIT.

78. Silva Thalea.] Quicquid Baptista Pius atque interpretum nonnulli garriant nobis; ego obscaenum aliquid heic latere suspicor, quod non necesse sit pluribus enarrare. Θαλέω Grajis *pubesco* esse nemo ignorat; jam silva illa quo pertineat argutus aliquis facile subducet. Tu vero, ait, Mnasile, illis nos auribus audies quibus delicatum illud certamen arbitratus es, quod hic ipse meus antagonistes nuper cum Acanthide, nescio quo spinoso homine in silva pubescente confecit, vel sibi confici passus est. Sane magnum aliquod crimen objici docet quae sequitur gravis atque irata recriminatio. Ita nobis videtur, si qui melius quid sciverint, nos eos sequemur volentes. BART.

80. Rumpor] Ita. Ut invidia ille apud Martialem, in quem concludit:

—— *Rumpatur quisquis rumpitur invidia.*
BART.

81. Audiat, aut dicat,] Ex hac scriptura hunc sensum eliciunt eruditi quidam, *audiat*, me scilicet incipientem cantilenam, aut *dicat*, id est ipse canere incipiat. ut optionem Lycidae Astacus offerat: ait, aut ipse canendi initium faciat, aut me incipientem patienter audiat. ego vero libro vetere auctore lego, *audiat*, & *dicat*, ob id, quod statim sequitur, *quoniam libet*, id est, quandoquidem magis placet altercari, quam vicibus carmina dicere: Proponitur igitur aequa jurgandi conditio ex noto proverbio:

Qui quae vult dicet, quae non vult, non audiet?

Terentius:

Si mihi pergit quae vult dicere, quae non vult audiet.

Poëta nescio quis, cujus versiculum tamquam vulgo jactatum citat Quinctilianus, inquit:

Nec male respondit, male enim prior ille rogarat.

Est autem ab Homero sumptus, qui dicat:

Ὁπποῖον δ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖον κ' ἐπακούσαις.

Sic Hesiodus in opere ἔργα καὶ ἡμέραι·

Εἰ δὲ κακὸν τ' εἴποις τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Vide Paroemiographum in

Qui quae vult dicit, quae non vult audiet. TIT.

Audacter corrige, *audiat ut dicit, quoniam cupit.* Notum Terentii illud quod alludit Andria. *si mihi pergit dicere quae volt, ea quae non volt audiet.* BART.

82. Exspectare] Modius legit. *spectare*, belle. BART.

83. Testante] Quasi pro tribunali. Argutator aliquis legat, *testem ante.* Quod nobis inventoribus minime placet tamen. Immo totus locus iste quoque & hic *standi* verbum obscaenitatis suspicio. Notum cujus generis sint *stare*, *inclinare*, & talia. BART.

83. Sua carmina] Sinceriores codices, ac minus depravati habebant *crimina*: *pallidus* autem dicitur ob timorem, qui pallorem, tremoremque inducere solet, quam utramque affectionem expressit hic noster. Eorum causam prodit Alexander Aphrodisiensis, vel quicumque tandem auctor fuit earum quaestionum, quae

Lyc. Me, puto, vicinus Stimicon, me proximus Aegon
Hos inter frutices tacite risere volentem
Oscula cum tenero simulare virilia Mopso.
As. Fortior ô utinam nondum Mnasylus adesset!
Efficerem ne te quisquam tibi turpior esset.
Mn. Quid furitis? quae vos insania tendere jussit,
Si vicibus certare placet? sed non ego vobis

Ar-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

87. *Nondum Mnasylus*] *Judex Manasyllus adesset* (f. *abesset*) R.
88. *Ne te*] *Nec te* Bart. ex V.
89. *Quae vos*] f. *Quo vos*. Virg. Ecl. 1. *en quo discordia cives Perduxit miseros.*
90. *Sed non*] *Sic non* Bart. Virg. Ecl. III. *Non nostrum est*. &c.

NOTAE.

quae sub ejus nomine passim circumferuntur, cujus verba apud ipsum inspici velim. TIT.

84. Me, puto,] Servius Honoratus ad illud Maronis:

Tum credo, cum me arbustum videre Myconis;

& caetera, notat, & rustice, & naturaliter responsum esse, non enim ante purgari objecta, sed alia objici: id ipsum modo in hoc nostro observare licet. TIT.

84. Stimicon,] Qui ambo scilicet me experti erant parum virum esse. ita εἰρωνικῶς laesam pudicitiam alteri objicit, qui eum & ipse virile aliquid sit patrare aggressus, derisus sit ab illis, qui antea ipsum habuerant pro faemina. *Risere* illud ex Palaemone est, qui a Theocrito mutuatus. BART.

85. Tacite risere] Lucret.

Quam famulae longe fugitant, furtimque cachinnant. TIT.

86. Simulare virilia] Cum tamen essent Venerea, & qualia amantes amasiis suis libare consueverunt. TIT.

88. Efficerem] Palam homini hillicidium minatur, quod quidem nimis rusticum est. BART.

88. Ne te] Omnino verius quod in fidissima editione, *Nec te*. Efficerem nec tibi ipsi alium te esse aut cognitum haberi turpiorem. Optime. Primum enim ipsum turpissimum facit, postea vero sua sibi confessione jugulaturum narrat. TIT.

88. Tibi turpior] Iccirco additum est *sibi*, quia superius Lycidas alienae pulchritudinis quasi judicem se constituerat dicens:

Jam nunc decipior te judice, pallidus alter
Venit, & hirsuta spinosior histrice barba:
Candidus alter erat, levique decentior ovo:
Et ridens oculis, crinemque simillimus auro.

Inquit igitur Astylus: Ni Mnasyllus adesset, ita pugnis, calcibusque te acciperem, ac male mulctarem, ut tu, qui alienarum formarum adeo egregius aestimator videri vis, neminem te turpiorem judicares. Cicero ad Atticum: *Nihil me turpius apud homines fuisset*, neque vero ad istam ipsam ἀσχαλλω quicquam alienius. TIT.

89. Tendere jussit,] Ἀφαίρεσις pro contendere, nisi forte legendum sit *quo*: Virgil.

Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis inquit? TIT.

89. Tendere] Contendere. Simplex pro composito. Horum usurpatio nota doctis. BART.

90. Si vicibus certare placet?] Ἔκλειψις, sive ἀποσιώπησις, si placet invicem cantu certare, ego ero inter vos arbiter: sequitur statim correctio sui;

—— —— *sed non ego vobis*
Arbiter. TIT.

90. Sed] Pro hoc malim *sic* recipi; Si ita voltis ait, alium vobis judicem quaeritote, ego enim alternorum cantuum, non vestrarum impuritiarum vobis arbitrum me pollicitus sum. BART.

 93. La-


Arbiter: hoc alius poſſit diſcernere judex.
Et venit ecce Mycon, venit & vicinus Iolas:
Litibus hi veſtris poterunt imponere finem.

NOTAE.

93. LITIBUS HI VESTRIS] Virgilius locutionem ſemel variavit ita:
Non noſtrum inter vos tantas componere lites.
Rurſus ita:
Limes agro poſitus litem diſcerneret agris. TIT.



ECLO-



ECLOGA VII.

TEMPLUM.

LYCOTAS, CORYDON.

LEntus ab urbe venis, Corydon: vigefima certe
Nox fuit, ut noftrae cupiunt te cernere filvae,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

TEMPLUM] Sic P. & Ed. Juntae. AMPHITHEATRUM mavult Pithoeus. Fortaffe, quia v. 6. *Deus*, & in fine Dii indigetantur, ideo fciolus aliquis iis *Templum* hoc extruxit. Ut Ecl. 1. DEUS pro eo, quod vulgatur, DELUS, infcriptam fuiffe conjiciebam. *In hac Ecloga tractatur magnificentia Urbis & ludorum Imperatoris.* R.

NOTAE.

Cur *Templum* Ecloga haec infcribatur in exemplaribus Florentiae publicatis probabilem caufam fortaffe afferre poffem, at res mihi tanta non videtur TIT.

Multa ad hanc quoque Eclogam dici poterant ad Ludos atque Theatrum facientia. Sed & illorum pars optima dicta jam a doctiffimis viris, & nobis non eft confilium Commentarios fine libris inftituere, nec adeo poteftas. Adeant de iis quae operofius hic explicanda Julium Cae-

fa-

Et tua maerentes expectant jubila tauri.
Cor. O piger, & duro jam durior osse Lycota,
Qui veteres fagos, nova quam spectacula, mavis

Cer-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

4. *Et duro*] *O duro* V. A. F. *Osse*] *Axe* V. A. F. Tit. *ore* Bart. ex G.
5. *Veteres fagos*] Virg. Ecl. III. *ad veteres fagos.* *Nova quam*] *Novaque* R.

NOTAE.

farem Bullingerum, qui de theatro copiose congessit, adeant Justum Lipsium, Amphitheatra depingentem. Nobis satis fuerit superque enarrare phrasin, & emendandis versibus incumbere. Nec caetera tamen tam deponimus quam seponimus in editionem omnium Poëmaticorum, quam molimur. BART.

1. Vigesima certe] Vigesima dies, respicit enim divisionem, quam Romani de die faciebant: de qua haec M. Varronis verba leguntur in libro Rerum Humanarum: *Homines, qui ex media nocte ad proxime* mediam noctem his horis viginti quatuor nati sunt, uno die nati dicuntur. Si qui vero de varia dierum divisione apud diversas gentes usurpata plura nosse cupit, habet Gellium, & Macrobium, qui id copiose prosequuntur. TIT.

3. Expectant jubila tauri.] Sic supra:
Non montana sacros distinguunt jubila versus.
TIT.

3. Jubila] Rusticos cantus. Tu vide quae ad primam Eclogam cantillavimus. BART.

4. O Piger,] Hebes, stulte, ita enim exponit Servius vocem *tardus*, quae idem prorsus valet ac illud Virgilii:
Venit & Upilio, tardi venere bubulci.
Jam quod sequitur,
——— *O durior axe Lycota*,
sunt qui testentur in aliquibus Codicibus scriptum se reperisse *esse*, quod sicut facile tolerari potest; ita non necessario fuit excogitatum; vulgatior enim scriptura commodam habet sententiam: siquidem *axis* hoc loco ponitur pro materia aliqua dura ac solida: cujusmodi fere esse consuevit, quae ad curruum axes conficiendos adhiberi solet, de qua Plinius ait: *secatur in laminas praetenues & ilex, colore quoque non ingrata, sed maxime fida iis, quae terantur, & rotarum axibus, ad quos lentore fraxinus utilis, sicut duritia ilex, & utroque legitur ulmus.* Perinde igitur est, ac si dixisset Calphurnius, o durior ilice, & quercu, quod in rudi, agrestique ingenio praeditos jaci consuevit. Homerus:
Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης·
& Pallada epigrammate quopiam:
Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός εἶ, φασὶν οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης,
Plato in libris de Republica: ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν, ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίνεσθαι· ἀλλ᾽ οὐχὶ ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν. Virgilius:
Gensque virum truncis & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat. TIT.

4. Durior osse] Librorum veterum scriptura; *durior ore.* Quod genuinum est. Nec satis mirari possum correctorum inscitissimam audaciam. Dure, inquit, Corydon; quod hic tu desideas atque rusticeris, istis spectaculis neglectis; durior vero quod me increpare audeas, tam diu Romae spectaculis vacantem. Jam, inquit; durissimi oris es, qui rusticitate summa me increpes. Nihil certius. Sic veteris Poëtae jocus capiendus, qui cum hominem durissimi oris descripturus, dixit:
——— *os nullum, vel potius pugilis.*
apud Suetonium de Grammaticis. Pugilum enim ora assiduis ictibus percussa, callum ducunt, ut fiant porro durissima. Ideoque Poëta is duriciem summam oris & impudentiam homini objectat. *Ferreum os* dixit Cicero in Pisonem. *Durum* Terentius Eunucho. A. IV. Sc. VII. ubi Donatus notat *os durum* pro impudente dici, ut *mollis frons* pro pudente poni sit consueta. Valeant ergo Correctores. BART.

5. Qui veteres fagos,] Annosas: ἀντίθεσις in verbis non in sententia, *veteris fagos, nova spectacula.* Virgilius:
Seque novo veterum deceptum errore locorum
Agnovit.
&:
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus. TIT.

6. Ju-

Cernere, quae patula juvenis deus edit arena.
LYC. Mirabar quae caussa foret tibi tanta morandi,
Cur tua cessaret taciturnis fistula silvis,
Et solus Stimicon caneret pallente corymbo;
Quem sine te maesti tenero donavimus hoedo.
Nam, dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis.

Juf-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

6. *Juvenis Deus*] Numerianus. Soli enim huic tantum munus attribuit hic, quod & Carus & Carinus simul ediderant, eadem de causa, ob quam Nemesianus eidem Patris gesta in Persas asscribebat. Nimirum quia Caro jam mortuo hunc unum Imperatorem Romae expectabant, Carino forte jam oppresso, vel saltem confligente cum Diocletiano. Ideo Ecl. I. pacem illam tantopere praedicat, quae vivis Caro & Carino nulla fuit. Vide ad Nemes. p. 327. & seqq. ib. *Edit*] *Ardet* (*f. audet.*) R. Sic Ammianus lib. ult. *Barbari molibus magnis ardebant*. i. magnas res moliebantur. Perperam Cl. Valesius: *erumpere ardebant*. Gratius: *illi aggeribus tentare superbis*. Aur. Victor dicit Gratianum nihil aliud agere, quam *spiculis meditari*.

7. *Quae causa*] Leg. *quae tanta foret tibi causa*. ex R. & Virgil. Ecl. I. *Et quae tanta fuit* &c.

NOTAE.

6. JUVENIS DEUS] Carinus, quem & alibi quoque, ut vidimus, deum nominavit. TIT.

7. MIRABAR] Virgilius:

Mirabar, quid moesta deos Amarylli vocares.

8. TACITURNIS FISTULA SILVIS] Ideo *taciturnis*, quia tua fistula cessaret, neque eas, ut antea, resonare faceret. TIT.

9. ET SOLUS STYMICON] Vel incomitatus, & qui sine te alternatim canere nequiverit, vel qui te excepto primas canendi partes obtinet. TIT.

9. PALLENTE CORYMBO;] Hederacea corona redimitus: vide quae adnotavimus supra ad illud:

——— *& modo te Baccheis Musa corymbis*
Munerat. TIT.

Coronatus scilicet. *Stimicon pallente Corymbo*, est compositus ad canendum; *Corymbus* hic, ut puto, est etiam. v. 56. Ecl. 4. hederam designat. Ea enim cantores coronabantur. Virgilius.

Pastores edera crescentem ornate Poëtam.

Idem.

Inter victrices hederam tibi serpere laurus.

Horatius:

Doctarum ederae praemia frontium.

Persius.

Pallidamque Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Ederae sequaces.

Juvenal.

Ut dignus venias ederis & imagine macra.

Martial. lib. VIII. Ep. LXXXII. Prudentius Cathemerinon hymno. III. BART.

10. SINE TE MOESTI] *Moesti*, quia sine te; non quia donaverimus hoedo: intelligit autem hoedum recens natum, qualem significat Horatius ibi:

Cras donaberis hoedo, cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & praelia destinat,
Frustra. TIT.

11. LENTUS ABES,] Secutus, *otiosus*. Virgilius:

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Superius initio Eclogae *lentus* valet tardus: hoc est sero, est enim ibi positum adjectivum pro adverbio more Graecorum, de quo alibi nonnihil actitamus aliquot exemplis allatis. TIT.

11. LUSTRAVIT OVILIA THYRSIS.] Gregem de more purgavit: hic noster in Didascalica:

——— ——— *in cespite vivo*
Pone focum, geniumque loci, Faunumque, laresque

Sal-

Juffit & arguta juvenes certare cicuta.
Cor. Scilicet invictus Stimicon, & praemia dives
Auferat, accepto non folum gaudeat hoedo,
Verum tota ferat quae luftrat ovilia Thyrfis:
Non tamen aequabit mea gaudia: nec mihi, fi quis
Omnia Lucanae donet pecuaria filvae,
Grata magis fuerint, quam quae fpectamus in urbe.
Lyc. Dic age, dic Corydon, nec noftras invidus aures
Defpice: non aliter certe mihi dulce loquere,
Quam certare foles, quoties ad facra vocatur
Aut foecunda Pales, aut paftoralis Apollo.

Cor.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

15. *Tota*] *Tuta*, &, *Thyrfus*, ut femper R.
18. *Spectamus in urbe*] *Spectavimus urbe*, Nic. Heinf.
21. *Soles*] Ita P. & Mod. *folet* R. *folent quotiens adf. vocantur* V. A. B. F.
22. *Foecunda*] *Secunda* V.

NOTAE.

Salfe farre voca, tepidos nunc boftia cultros
Imbuat, atque etiam dum vivit ovilia luftra.

13. Scilicet] Omnino fcribe: *fic licet*. Optime. Nam fubjicit.

Non tamen aequabit mea gaudia. BART.

13. Et praemia dives Auferat,] Futurus dives, fi praemia auferat. De hac locutione dictum eft a nobis fuperius. TIT.

15. Quae lustrat ovilia Thyrsis;] Id, quod continet, pro eo, quod continetur, *ovilia* fcilicet pro gregibus, qui Ovilibus includuntur. Sic dixit Virgilius:

—— —— *Trifte lupus ftabulis*,

nota figura: fed & ovilia ipfa; ficut & urbs luftrabantur. De claffis luftratione vide, quae refert Appianus Bellorum civilium libro v. TIT.

17. Omnia Lucanae] Armenta, quae in Lucanis faltibus pafcuntur, in quibus ob lautiffima pafcua ex omni parte paftores cum armentis convenire folent. Horatius:

Pecufve Calabris ante fidus fervidum
Lucana mutet pafcua.

Idem:

Quid vici profunt & horrea, quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, fi metit Orcus? TIT.

18. Spectamus in urbe.] *Spectamus* eft fpectavimus. ne quis pruriat mutationem. BART.

19. Invidus aures Despice:] In hoc futurus invidus, fi defpexeris; ejufdem generis eft locutio, quae modo anteceffit, *& praemia dives Auferat*. Notavi fuperius non uno in loco. TIT.

21. Quam certare soles,] Paftores nimirum inter fe cum Palis & Apollinis Sacra celebrantur, non quod certent Pales, & Apollo. TIT.

21. Solent,] Paftores videlicet, quibus tribuit fuaviffimum fuo calculo cantum. Saepe ita aliquid omittitur, & is de quo fermo eft. Vide ad Claudianum & Ceirin Virgilianam a nobis Animadverfa. Atque haec ideo ajo, ne quis Modio obtemperet *foles* contra omnes libros nobis refcriptitanti. BART.

22. Pastoralis Apollo.] Νόμιος a paftione, quod Admeti greges quandoque paverit. Sic Nemefianus:

O montana Pales, O paftoralis Apollo.

Sed Ecloga prima *ruralem* appellat eo verfu:

Munera dat, lauros carpens ruralis Apollo.

Confule Macrobium Saturnal. libro primo. TIT.

23. Tra-

COR. Vidimus in coelum trabibus ſpectacula textis
Surgere, Tarpejum prope deſpectantia culmen,
Immenſoſque gradus, & clivos lene jacentes.
Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter foemineas ſpectabat turba cathedras.

Nam

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

25. *Clivos*] Ita P. Mod. & Lipſ. *divos* om. Edd. vett. & Tit.

NOTAE.

23. TRABIBUS SPECTACULA TEXTIS] Deſcriptio amphitheatri ex materia lignea confecti: nam lignea quoque ea fuiſſe non ſolum temporaria, ſed perpetuo etiam manſura conſtat tum ex aliis, tum praeſertim ex Cornelio Tacito, qui Fidenatis, & Placentini lignei amphitheatri meminit, & M. Scauri Plinius. Dicuntur autem Calphurnio cuncta per hyperbolem, ſicut multa in eandem ſententiam a Martiale de Amphitheatro Caeſaris. TIT.

25. IMMENSOSQUE GRADUS,] Crebritate & multitudine, gradus enim non erant altiores palmopede & digitis VI. ut ex Vitruvio notavit Juſtus Lipſius. BART.

25. ET DIVOS LENE JACENTES.] Carinum & Numetianum: in nonnullis excuſis libris cernere eſt *clivos* pro *divos*, quod quam aliquorum guſtui ſuaviter ſapit, tam meum offendit: itaque vocem illam non injuria, ni fallor, ex noſtra editione rejecimus. TIT.

25. CLIVOS LENE JACENTES.] Optime ita confirmarunt ſcribendum ſua auctoritate Lipſius atque Modius. *Lene jacentes* pereleganter vocat, quod non ſint praerupta altitudine, ſed ſenſim adſcendenti. Elegantiſſime. Pari figura Claudianus noſter. Epig. Aponi.

Alto colle minor, parvis erectior arvis,
Conſpicuo clivus molliter orbe tumet.

Non poterat divinius dici. Sic Minutius Felix Octavio: *orom curvi molliter littoris, iter fabulis fallentibus, legebamus.* Vide pluria a nobis ad eum Claudiani locum ex Appulejo, Hilario, Saxone Grammatico, adnotata. BART.

26. VENIMUS AD SEDES.] Ait ſe adſcendiſſe, unde ſpectabant ruſtici, aut alias plebis infimae homines. Is autem locus erat in ſummo theatro Vide Suetonium lib. II. cap XLIV. BART.

26. PULLA SORDIDA VESTE] Pullus color videtur proprius fuiſſe vilis plebeculae: unde infra hac eadem ipſa Ecloga *pullam paupertatem* appellabat. Suetonius: *ſanxitque ne quis pullatorum media cavea ſederet.* Eſt vero pullus color niger, ut docet Servius Grammaticus ad illud Virgilii:

—— —— *ne maculis infuſcet vellera pullis*
Naſcentum:

vel eſt color, qualem dorſum leporinum oſtendit, aut terra recens aratro proſciſſa: ac neſcio an ſit, quem Graeci vocant *ὠόχρουν*, ſive etiam *μήλινον*, nos *bigio* ſive *bertino* appellamus; aut potius niger cum aliquo rubore admiſtus; etenim Ovidius mori fructus *pullos* vocat; conſule tamen Antonium *Thyleſium* in libro de *coloribus*. TIT.

26. PULLA VESTE] *Pulla veſte* denotari pauperiem ſatis docuerunt praeclariſſimi homines, Turnebus lib. XXI. cap. III. Caſaubonus ad Suetonium, & Lipſius Elector. lib. I. cap. XIII. BART.

27 INTER FOEMINEAS] Permiſtim mares & faeminas in Theatro ſediſſe indicare propemodum videtur Ovidius dicens:

Sed tu praecipue curvis venare theatris,
Haec loca ſunt voto fertiliora tuo:
Illic invenies, quod ames, quo ludere poſſis,
Quodque ſemel tangas, quodque tenere velis.

Quem imitatus Juvenalis inquit:

—— *cuneis an habeant ſpectacula totis*
Quod ſecurus ames, quodque inde excerpere poſſis?
TIT.

27. FOEMINEAS] Faeminas cum pauperibus ſpectaſſe notat Lipſius ex Suetonii loco jam nominato. Non tamen omnes, eo certum eſt quod toties ab Ovidio docemur in Theatro amicam ab amante eſſe officiis cultam theatralibus, ut pulveris e ſinu excuſſione, veſte ſubſtrata, & talibus. Arguit & Plutarchus in Sulla. Ex quibus, ut alios taceam, patet promiſcue viros & faemi-

Nam quaecumque patent sub aperto libera coelo,
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.
Qualiter haec patulum contendit vallis in orbem,
Et sinuata latus, resupinis undique silvis,
Inter continuos curvatur concava montes:
Sic tibi planitiem curvae sinus ambit arenae,

Et

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

28. *Patent*] *Petant* B.
32. *Continuos*] *Continuas* V. A. verss. 32, 33, 34. desunt R.
33. *Sic tibi*] *Ubi* G. *Sic tibi* Bart. & Nic. Heins.

NOTAE.

minas sedisse. *Cathedras* autem simpliciter pulpita accipimus, quae fabricata inclinandi corporis gratia. Nam *Cathedra* Tertulliani, quam Lipsius cap. XIII. huc ducit, alind mihi quidem videtur esse negotium. Et tectum suisse hunc spectandi locum ex sequentibus duobus versibus claro clarius est. BART.

29. NIVEI LOCA DENSAVERE TRIBUNI.] Cum antea Populus Romanus nullo discrimine in theatro sedens spectaculis interesset, legem tulit L. Roscius Otho, qua certum cuique locum praescripsit, & equitibus sane quatuordecim proximos gradus assignavit, sicque nobiles a plebe distincti sunt. Ejus legis crebra mentio exstat apud scriptores. M. Tullius Philipp. 2. *Illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset* Horatius:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Juvenalis:

Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Rursus alio loco:

——— ——— *effice summam*
Bis septem ordinibus, quam lex designat Othonis.

Ad hanc Ordinum distinctionem *Flaccum* respexisse arbitror, ibi:

Laetum theatris ter crepuit sonum.

Intelligit enim plausum a tribus spectatorum ordinibus per cuneos fuisse redditum, id est, a Senatoribus, Equitibus, & Plebe; ac proinde ab universis, qui spectaculis interessent: neque aliter Virgilius plebem a nobilitate sejunxit in illis:

——— ——— ——— *hunc plausus hiantem*
Per cuneos, geminatus enim plebisque, patrumque,
Corripuit.

Caeterum *Tribunos niveos* vocat, quia spectatores in theatris candidis vestibus utebantur. Hinc jocus ille Martialis de Horatio quopiam:

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo maximusque
Sancto cum duce candidus sederet,
Toto nix cecidit repente coelo.

Sed in primis Magistratus. Juvenalis:

——— ——— *niveosque ad frena Quirites.*

Nam togam albi, seu candidi coloris fuisse notat Aldus junior in libris de Quaesitis per epistolam. TIT.

29. TRIBUNI.] Militares, quibus jus considendi in Equestibus. Vide doctissimum Lipsium, cap XIV. *niveos* vocat, quia togati spectabant, & togarum color talis, ut pridem docuerunt docti. BART.

30. QUALITER HAEC PATULUM] Formam Amphitheatri componit cum valle, in qua sermocinatur, ut capiat Rusticus auscultator. vide Lipsium cap. VIII. BART.

31. RESUPINIS UNDIQUE SILVIS,] Acclivibus, quomodo Horatius *Tybur supinum* appellat:

——— ——— *seu Tybur supinum:*
Seu liquidae placuere Bajae. TIT.

33. SIC TIBI] Malim *ibi*. Vetus editio. *ubi*. BART.

33. ARENAE,] Planiciem theatri *arenam* dicimus. Martialis.

——— ——— *Nec*

Et geminis medium ſe molibus alligat ovum.
Quid tibi nunc referam, quae vix ſuffecimus ipſi
Per partes ſpectare ſuas? ſic undique fulgor
Percuſſit. ſtabam defixus, & ore patenti,
Cunctaque mirabar, nec dum bona ſingula noram.
Tum mihi, dum ſenior lateri qui forte ſiniſtro
Junctus erat, Quid te ſtupefactum, ruſtice, dixit,

Ad

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

34. *Molibus*] *Mollibus* V. A. 36. *Sic*] *It undique* R.
38. *Bona* &c.] Virg. Georg. I. *bona ſi ſua norint*, &c.
39. *Tum mihi*] *Tu mihi* R. *Dum*] *Nunc* V. A. ſ. *tum mihi*, *tum ſenior*, vel, *dum ſenior lateri quis forte*, &c. *Tum ſenior*, *mihi dum* Bart.
40. *Quid te*] *Quid me* R. ſ. *quid tu ſtupefactus*.

N O T A E.

——— ——— *Nec cepit arena nocentes.*
Claudianus.
——— ——— *Largo ditefcat arena*
Sanguine.
Vide Marcilium ad Spectacula Martialis. BART.

34. ET GEMINIS MEDIUM] Geminis hemicyclis connectitur in ovi formam, id eſt in circulum non omnino perfectum, ac ad amuſſim rotundatum, ſed aliquantum longiorem: haec autem Amphitheatri forma fuit Auctore Caſſiodoro, & Dione de Amphitheatro Caeſaris: ad quam rem videnda etiam ſunt, quae ſcribit Plinius lib. 36. de theatro M. Scauri. Dicitur autem amphitheatrum ab ἀμφὶ καὶ θέατρον, quia ſcilicet omni ex parte ſubſelliis clauſum fuerit abſque ſcena. Dio de Caeſare loquens: θέατρόν τι κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη. Ovidius ſic:

——— ——— *ſtructoque utrinque theatro*
Ut matutina cervus periturus arena.

Facit huc quod legitur apud Statium:

Et geminum molem rudi, tectique theatri.

Adi (ſi libet) Dionem Pruſienſem in eo ſermone, cui titulus Venator. Alicubi ſcriptum reperi *mollibus* per duplex *ll.* & *ovi* pro *ovum*, ut de ovi albumine intelligere ſit opus. TIT.

34. OVUM.] Ita reſtitutum doctiſſimis viris, Turnebo lib. v. cap. vi. Lipſio de Amphit. viii. optime. Poëtice deſcribit ovalem figuram Amphitheatri, undique, vel utrimque fecus molibus aedificiorum compactam atque incluſam: Quod pereleganter voce *alligat* repraeſentatur nobis. BART.

35. QUID TIBI NUNC REFERAM,] Hoc κατ' παρασιώπησιν dicitur, ſive παράλειψιν. TIT.

36. SIC UNDIQUE FULGOR] Ab omni parte theatri ob trabes inauratas; vel ab ore Imperatorum, & Senatus circumſtantis. TIT.

37. PERCUSSIT.] Optime, nam quaſi attonitum ſe & defixum patulo ore, ſpectaſſe canit. Boëthius libro I. proſa IV. *Quibus autem deferentibus percuſſi ſumus?* Nec bene ibi veteres libri. Nam & ipſe quaſi fulmine ſe ex aula tactum loquitur. Auſonius pariter Perioch. Iliad. IX. *Graecis & praeterita dimicatione percuſſis & inſtante conterritis.* Optatus Afer libro I. Contra Donatiſtas. *Defixus* quis dicatur, vide ad Ceirin & Gratium. BART.

37. STABAM DEFIXUS,] Habitus eſt admirandis. Virgil.

——— ——— *obtutu defixus in uno.* TIT.

39. TUM MIHI,] Multo ornatior & expeditior erit ſententia, ſi trajectis verbis malis legere.

Tum ſenior, mihi dum lateri qui forte ſiniſtro

Et arbitror ita Poëtam ſcriptitaſſe BART.

40. STUPEFACTUM RUSTICE,] Qui rura colis, neque enim ignominiae cauſa hoc modo nunc ſenex ille Corydonem compellat: ſic alibi:

Ruſticus eſt, fateor, ſed non eſt barbarus Idas:

vel *ruſtice*, id eſt ignare. Ovidius:

Forſitan & narras quam ſit tibi ruſtica conjux,
Quae tantum lanas non ſinit eſſe rudes. TIT.

Ad tantas miraris opes? qui nescius auri
Sordida tecta casas, & sola mapalia nosti.
En ego tam tremulus, tam vertice canus, & ista
Factus in urbe senex, stupeo tamen. omnia certe
Vilia sunt nobis, quaecumque prioribus annis
Vidimus, & sordet quidquid spectavimus olim.
Balteus en gemmis, en illita porticus auro

Cer-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

41. *Ad tantas*] Ita omn. I. Carrio cit. *Ac.* & leg. *Ad. Miraris*] *Mireris* R.
42. *Casas*] *Dabas* R.
43. *Tam vertice*] *Et vertice* R.

NOTAE.

41. AD TANTAS] Nullam dum vidi Editionem quae aliter praeferret. At Lud. Carrio ad Valerium Argonauticon Poëtam scribens, se ita corrigere gloriatur, promittitque liberaliter Scholia in Calpurnium. Quid praestiterit ignoro. Unum scio ante Carrionem natum tres editiones ita habuisse. Valerii etiam locus nihil facit ad nostrum. Simplicissima sententia. Quid miraris te ad tantas opes stupefactum, cum nihil tu praeter mapalia hactenus videris, nobis quoque tantae res stuporem injiciunt licet quotidie eas videntibus. BART.

42. SORDIDA TECTA] Per appositionem: sunt autem *casae* humiliora pastorum habitacula. Isidorus: *Casa est* (inquit) *agreste habitaculum palis atque virgultis arundinibusque contextum, quibus possunt homines tueri se a vi frigoris, vel caloris injuria.* Item *mapalia.* Idem: *Magalia aedificia Numidarum agrestium oblonga incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sint, sive rotunda in modum furnorum, & mapalia dicta quasi magaria, quia magar Punici novam villam dicunt, una littera commutata, l pro r. magaria tuguria.* Utrumque a Virgilio usurpatum reperio:

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere cervos.

Et;

——— ——— quid pascua versu
Prosequar? & raris habitata mapalia tectis?

Rursus:

Miratur molem, Aeneas, magalia quondam.

Rursus;

Ut primum alatis tetigit magalia plantis.

Hic noster:

Et tua cervino lustrare mapalia fumo.

Utrumque enim dicimus & *mapalia*, & *magalia*, syllabae tantum modulo variato, sicut propositis exemplis aperte constat. TIT.

42. SOLA MAPALIA] Casas pastoricias. ut supra. Ecl. v. vs. xc. Claudian. pro stabulis.

——— ——— Passimque juvenci
Semineces, & adhuc infecta mapalia tabe.

Silius lib. XVII.

Qualia Maurus amat dispersa mapalia pastor.

Armeniis *mapalia* olim fuisse *circumferanea*, ut loquitur Apulejus, ut & aliis nationibus, ex Xenophonte & aliis alibi pluribus scripsimus. BART.

43. TAM TREMULUS,] Senex ac fere decrepitus, a consequenti. Sic infra:

O foelix Corydon, quem non tremebunda senectus
Impulit.

Juvenalis:

——— ——— cum voce trementia membra.

Confer cum hoc locum illum Nasonis ex 4. Fastor.

Tertia lux (memini) ludis erit; hac mihi quidam
Spectanti senior, contiguusque loco;
Haec ait illa dies.

& reliqua. TIT.

43. VERTICE CANUS,] Alterum consequens eorum, qui senectute premuntur. Ovidius:

——— ——— cadunt a vertice cani.

Tibull.

Dicere nec cano blanditias capiti:

Unde vero canities proveniat, docet Aristoteles in Problematis. TIT.

47. BALTEUS EN GEMMIS,] Baltheus, quem Zo-

Certatim radiant. nec non, ubi finis arenae,
Proxima marmoreo peragit spectacula muro:
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rotulam, tereti quâ lubricus axis
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras. auro quoque torta refulgent

Re-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

51. *Coit*] *Colit* R. *Rotulam*] *Rotulum* R. *rutilum* V. A. B. F. *pluteum* : *Teret hic* , *quo* *l.* B. *rotulam teretem*, vel, *ruplum* Lipſ. ex Gloſſis: *ruplus*, τερῶιυς γαλιαγεαι. Cl. Salmaſ. ibi leg. *rutlus*, & hic, *rutulum tereti qui lubricus axe.* & iste exponit ad Hiſt. Aug. p. 437. *Axe*] *Aſſem* R. *axem* V. A. B. F.

N O T A E.

Zonam quoque nuncupant, inter partes, ſeu membra aedificiorum a Vitruvio connumeratur; quo ſenſu vox haec modo accipi debet, ne forte de Zona qua praecingi conſuevimus intelligamus. TIT.

47. Balteus] Vide Lipſium cap. xiii. De porticu eundem cap. xiii. eodem extremo. BART.

47. Illita porticus auro] Quae ante theatrum conſtructa erat: nam theatri ichnographia cum porticu ex Vitruvio colligitur. *Illita* vero *auro* dictum eſt ſicut ab Horatio:

——— ——— *aurum veſtibus illitum*
Mirata.

nec non ab Ovidio:

Neve male optatu maneat circum illitus auro.

Rurſus alibi:

Culta placent, auro ſublimia tecta linuntur.

Seneca Junior in Hippolyto:

Removete famulae purpuram, atque auro illitas
Veſtes. TIT.

50. Ebur admirabile truncis,] Teſſerulis commiſſis & coagmentatis. TIT.

50. Ebur] Inferius erant trunci quibus eboreae illae laminae, ſi ita loqui licet, nitebantur, erant autem glaberrimo ebore ea loca inducta ne ferae poſſent ex arena in podium tranſilire, ſcilicet cum primum inſilirent, retro decidebant, unguibus glabricie eluſis. Porro prae podio erant retia expanſa, dentibus hinc illinc acutis praeeminentibus, ne, ſi forte fera ebore decidiſſet, tamen in podium exſcendere aut penetrare poſſet. BART.

51. Et coit in rotulam,] *In rutilum*, ita habent veteres editiones. Lipſius & alii *rotulam* correxerunt: Sed quis uſus hoc loco ſit *rotulae* ſane comminiſci ego non poſſum. Omnino videtur ſcribendum,

——— *& coit in pluteum* ———

Quidquid abeat a literis vulgatae ſcripturae, recipienda prorſus videtur haec lectio. Pluteis enim ſimillima illa compactura eburnea, aut glabra alia ex materia. Correctoribus ſane nihil arduum, qui ex *pluteo* facile *rutilum* exterebrant. BART.

51. Tereti qua lubricus axis] Scribo.

——— *Teres hic, quo lubricus axis*
Impoſitus ſubita vertigine falleret ungues.

Teres ait hic pluteus erat, ut ferae inſilientis ungues concameratus axis eluderet, & praecipitaret ipſas retro. *Axem* dixit cameram illam, ut caelum rotundo fornice compactum eo nomine appellamus. Certiſſima haec medicina eſt loco qui fruſtra aliquot eruditiſſimos Antiquitatis homines exercuit. BART.

52. Subita vertigine] Hinc theatrum, ſive theatri partem aliquam verſatilem fuiſſe intelligimus, cujuſmodi C. Curionis, & M. Scauri theatrum a Plinio deſcribitur. TIT.

53. Auro quoque torta refulgent Retia,] Quae in theatro explicantur ad feras excipiendas. Heliogabalus *ſcobe* auri porticum ſtravit, & argenti, dolens quod non poſſet & electri. Nero blatteis, ſeu purpureis funibus piſcatus eſt auctoribus Lampridio, Suetonio, Oroſio, Eutropio, aliis; ſed ut haec, quae hic ex ſenis illius ſententia refert Nemeſianus, non ita longe a vero abeſſe intelligantur, transferam huc univerſam illam Flavii Vopiſci particulam ex Carino, quae ad ea melius intelligenda confert,

Retia, quae totis in arenam dentibus extant,
Dentibus aequatis: & erat (mihi crede, Lycota,
Si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.
Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,
Hîc niveos lepores, & non sine cornibus apros,
Manticoram silvis etiam quibus editur Alcen

Vi-

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

55. *Aequatis*] f. *Auratis*. Vide ad Grat. versu 86.

59. *Manticoram silvis*] Leg. *Mantichoram*, *&* *silvis*, &c. Vide ad Nemes. Cyneg. vs. 118. *Nycticanam* R. f. *Et canam silvis*. *Ut cana maelis* Gratio. *Manticorum* A.

NOTAE.

ita igitur apud ipsum scriptum exstat. *Memorabile maxime & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus: Nam & neurobatem, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & tichobatem, qui per parietem urso eluso cucurrit, & ursos mimum agentes, & item centum salpistas, uno crepitu concinentes, & centum campaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos, & gymnicos mille, pegma praeterea magnificentiorem reddidit: mimos praeterea undique advocavit: exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est: exhibuit Cyclopem adornatum. Graecis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, & musicis aurum & argentum donata, & vestis serica.* TIT.

54. Totis] Retia ista supra fornicem illum, quem modo descripsit, amitibus, ex elefanti dentibus fabrefactis, in arenam prominebant, ut omni modo excluderetur impetus ferae. Facilius ista intelligo, quam describo, praesertim cum nullum habeam auctorem qui ista pariter ut Calpurnius describat. Nam caeteri pro vulgaribus negligunt quae rusticus iste operose describit. Modius sane, qui pleraque hujus Poëtae ulcera tangere visus est, ista loca plane non adiit. BART.

56. Dens longior omnis aratro.] De elephantinorum dentium magnitudine haec scripta reliquit Plinius: *Magnitudo dentium videtur quidem in templis praecipua, sed tamen extremis Africae, qua confinis Aethiopiae est, postium vicem in domiciliis praebere, sepesque in iis, & pecorum stabulis pro palis elephantorum dentibus fieri Polybius tradit auctore Gulussa regulo.* Aratri porro longitudo praescribitur a Marone hac fini:

Huic a stirpe pedes temo protentus in octo
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
TIT.

58. Niveos lepores,] Peregrina recenset animalia, quae se magna cum admiratione vidisse testatur senex ille: sciendum autem est summo studio omnis generis feras conquirere solitos, quicumque spectacula essent edituri. Hinc M. Tullius non uno in loco pantheras, aliasque feras peregrinas ad ludos, quos edere in animo habebat, sibi mitti ab amicis postulat. De Commodi spectaculis Populo editis praeter caetera haec commemorat Herodianus: *τὰ δὲ πανταχόθεν ζῷα ἐθηρίζετο αὐτῷ. τότε γὰρ εἴδομεν ὅσα ἐν γραφαῖς ἐθαυμάζομεν· ἀπό τε γὰρ Ἰνδῶν καὶ Αἰθιόπων εἴ τι πρότερον ἄγνωστον ἦν, μεσημβρίας τε, καὶ τῆς ἀρκτῴας γῆς ζῷα πάντα φονεύων, Ῥωμαίοις ἔδειξε. τὸ δ᾽ εὔστοχον τῆς χειρὸς αὐτοῦ πάντες ἐξεπλήττοντο.* & reliqua. Porro candidi lepores ingenti miraculo spectantur, neque enim passim reperiuntur. Plinius certe miraculi instar refert in Alpibus hujus coloris lepores quandoque visos fuisse. Quidam hunc Caliphurnii locum de cuniculis accipiunt sed falluntur: nam quae raritas in eorum venatione, ac spectaculo considerari potest? certe nulla. TIT.

58. Et non sine cornibus apros,] Cornutos apros mittit India, ut scribit Plinius dicens: *In India cubitales dentium flexus gemini ex rostro, totidem a fronte, ceu vituli cornua exeunt.* Hoc idem tamen de Aethiopia memoriae prodit Aelianus de Historia animal. Sed in India etiam Aethiopia continetur. Aeliani verba sunt haec: *λέγει δὲ Δίνων ἐν Αἰθιοπίᾳ γίνεσθαι τὰς ὄρνιθας τὰς μονόκερως, καὶ ὗς τετράκερως.* TIT.

59. Manticoram silvis] Ex Ctesia Cnidio hunc

Vidimus, & tauros quibus aut cervice levata
Deformis scapulis torus eminet, aut quibus hirtae
Jactantur per colla jubae, quibus aspera mento
Barba jacet, tremulisque rigent palearia setis.

Non

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

62. *Quibus aspera mento*] *Quis aspera* R. Virgil. Aen. VI. *cui plurima mento Canicies inculta jacet.*

NOTAE.

hunc in modum hoc animal describit Plinius: *apud Aethiopas nascitur fera, quam manticoram appellant triplici dentium ordine pectinatim coeuntium, facie, & auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spicula configentem; vocis, at si misceatur fistulae, & tubae concentus, velocitatis magnae, humani corporis vel praecipue appetentem.* Eisdem coloribus eam depinxit Solinus in polyhistore, uterque enim ab Aristotele hausit, qui porro Ctesiam & ipse quoque secutus Manticorae formam & naturam nobis aperuit lib. 2. de Animalibus. Photius autem ipsius Ctesiae verba refert in Excerptis: quod vero ad nominis originem attinet, postquam ipsam feram eisdem notis spectandam nobis exhibuit Aelianus, quibus Plinius, & Solinus ipsam descripserat, ita inquit: ὅτι δὲ κρεῶν ἀνθρωπείων ἐμπιπλάμενον τόδε ζῷον χαίρει, κατηγορεῖ καὶ τὸ ὄνομα. ἔοικε γὰρ τῇ Ἑλλήνων φωνῇ ἡ Ἰνδῶν, ἀνθρωποφάγον αὐτὸ εἶναι· ἐκ δὲ τοῦ ἔργου καὶ κέκληται. Sed & [illegible] eandem vocari comperio a Strabone, μαρτιχόρας a Pausania, μαρτιχόρας a Philostrato, μαντιχόρας ab Aristotele, Plinio & aliis: hanc non aliam esse putat Pausanias, quam quae tigris alio nomine dicta est. TIT.

59. Silvis] In suis silvis ait arbores cum feris ex genitalibus earum regionibus vidisse advectas. BART.

59. Alcem vidimus,] Hanc vulgo appellant *la granbestia*, cujus ungulam variis morbis opitulari existimant. Omissa Plinii, & Solini hujusce ferae descriptione, appingam Caesaris verba, quibus Alces forma, & natura fusius, atque exactius explicatur; tametsi ne huic quidem cum aliis valde conveniat. Caesar igitur de Bello Gallico scribit in hunc modum: *sunt item quae appellantur Alces; harum est consimilis capris figura, & varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt, mutilaeque sunt cornibus, & crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causa procumbunt, neque si quo afflictae casu conciderunt, erigere sese, aut sublevare possunt: his sunt arbores pro cubilibus; ad eas se applicant, atque ita paulum reclinatae quietem capiunt, quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consueverunt; omnes eo loco aut a radicibus subruunt, aut abscindunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur: huc cum se consuetudine reclinaverunt, infirmas arbores pondere affligunt; atque una ipsae concidunt.* Eandem Pausanias describit in Boeoticis ab illis verbis: Ἔστι δὲ Ἀλκὴ καλούμενον, εἶδος μὲν ἐλάφου καὶ καμήλου μεταξύ. & reliqua. Gordianus, qui deinde imperatorem gessit, dum Aedilis esset, splendidissima, ac magnificentissima munera populo exhibuit: namque cervi palmati ducenti mixtis Britannis in eis visi sunt: equi feri triginta; oves ferae centum; alces decem; tauri Cybaritici centum: struthiones Mauri miniati tercenti; onagri triginta; apri centum quinquaginta: Ibices ducentae: damae totidem, auctore Julio Capitolino; vide eumdem in Gordiano Juniore. TIT.

60. Cervice levata] Haec descriptio tauris Syriacis convenit ex Plinio, aut etiam camelis, aut forte camelopardali, de qua consule Dionem lib. XLIII. Plinium lib. VIII. cap. XVIII. Strabonem libro XVI. TIT.

62. Jactantur per colla jubae,] Uros accipe, quorum descriptionem ex Caesare petere licet: sunt tamen, qui bonasum designari putent, sed falluntur. TIT.

63. Barba jacet,] Hic de brutis barba dicitur unius numero, secus atque Servius Honoratus observavit, quem iccirco pluribus in hanc rem exemplis collatis carpit Beroaldus Annotationibus in eum ipsum grammaticum: sed hic pro *jacet* quidam legendum admonent *riget*: ad universum vero hunc tractum melius adhuc perci-

Non solum nobis silvestria cernere monstra
Contigit: aequoreos ego cum certantibus ursis
Spectavi vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amni,
Qui sata riparum venientibus irrigat undis.

Ah

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

64. *Non solum*] *Nec* V. A. B. F.
66. *Dignum*] f. *Dictum. Sed deforme pecus.*
67. *Sed*] *Et* Bart. ut de Crocodilo, non de Hippopotamo, porro loquatur. *In illo*] *Quod Nilo pascitur* R. Nemes. Ecl. I. 75.

NOTAE.

cipiendum videnda sunt, quae scribit Joannes Baptista Pius Annotationibus Posterioribus c. 39. De animalibus autem, quae hic commemorantur, vide Cardanum in libris de subtilitate, Gesnerum, & Petrum Bellonium, TIT.

65. Aequoreos] Etiam maritima spectacula edita, ponto in theatrum immisso, Martialis, Xiphilinus, alii: vide Lipsium c. x. BART.

66. Spectavi vitulos,] Vituli marini sunt quos alio nomine Phocas vocant, sic dicti, quia vocem edant bovis voci persimilem, teste Aristotele, & Plinio. Fecit autem summo consilio Calphurnius, ut inter innumera propemodum aequoris animalia, Phocas delegerit, quas cum ursis in theatro fuisse commissas dicat, neque enim ita facile aliud invenias, quod in mari simul, & in terra degat, id quod Aristoteles, Plinius, atque Aelianus memoriae prodiderunt: atque Aristotelis quidem verba sunt haec de Historia Animal. ἡ γὰρ φώκη ἐστὶ μὲν τῶν ἀμφοτεριζόντων, οὐ δέχεται μὲν γὰρ τὸ ὕδωρ, ἀλλ' ἀναπνεῖ καὶ καθεύδει, καὶ τίκτει ἐν τῇ γῇ μὲν, πρὸς τοῖς αἰγιαλοῖς δὲ, ὡς οὖσα τῶν πεζῶν. Hinc a Virgilio dictum est:

Sternunt se somno diverso in litore Phocae. TIT.

66. Equorum nomine dignum,] Hippopotamum scilicet quem ita delineat Plinius: *Ungulis bifidis, quales bubus, dorso equi, & juba, & hinnitu, rostro resimo, cauda, & dentibus aprorum, aduncis, sed minus nexis, tergoris ad scuta, galeisque impenetrabilis, praeterquam si humore madeat, depascitur segetes destinatione ante, ut ferunt, determinatas in diem, & ex agro ferentibus vestigiis, ne quae revertenti insidiae comparentur.* Hunc primum Romae visum fuisse idem auctor scribit aedilitate M. Scauri, qui, cum ludos celebraret, unum hippopotamum, & quinque crocodilos temporario eutipo ostendit: ipsos autem appellat pecus Calphurnius alludens ad fabulam Protei. Sic Plautus:

Non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?

Naevius:

Tum autem lascivum Nerei simum pecus
Ludens ad cantum classium lustrat.

Horatius:

Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes.

Est autem hippopotamus aquatilis & terrestris bestia, ut docet Diodorus lib. I. sed equi fluviatilis descriptionem invenias etiam apud Achillem Tatium Alexandrinum libro IV. De amore Clitophontis, & Leucippes haud ita longe ab initio, inde pete, quisquis es lector horum Commentariorum. TIT.

66. Equorum nomine] Hippopotamos loquitur. BART.

67. Sed deforme] Lego. *& deforme.* jam enim de Crocodilis. BART.

68. Qui sata riparum] Nilum intelligit, cujus τρόφιμα hippopotamos appellat Aelianus, propterea quod haec bellua nusquam fere alibi reperiatur: in descriptione autem Nili ad ejus fluminis inundationem ingenii aciem direxit Calphurnius, quoniam hoc praecipue miraculo flumen illud nobile sit, ac inter caetera valde celebre, cujus tamen effectus causa magno adhuc in profundo demersa latet: atque adeo variae ea de re opiniones circumferuntur, ut pigeat singillatim eas recensere, plura tamen si quis forte parum hic sibi satisfactum doleat, inveniet in nostris commentariis ad Senecae libros de Beneficiis, ad quos studiosos adolescentes,

ut

Ah trepidi quoties nos defcendentis arenae
Vidimus in partes, ruptaque voragine terrae
Emerfiffe feras; & eifdem faepe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.
Lyc. O felix Corydon, quem non tremebunda fenectus
Impetit? ô felix, quod in haec tibi faecula primos
Indulgente deo dimittere contigit annos!
Nunc tibi fi propius venerandum cernere numen

Sors

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

69. *Defcendentis*] *Difcedentis* Lipf. & Bart.
70. *Ruptaque*] *Rapteque* R. f. *ruptaeque*. 71. *Et in iifdem* R.
74. *Impetit*] *Impedit* V. A. F. G. & Bart. Ed.
75. *Dimittere*] *Demittere* Bart.

NOTAE.

ut temporis Compendium hic fiat, libenter rejicio: fed & hic Cardanum confulere potes; item Nogarolam, Bellonium, & ex noftris Borrium. TIT.

68. Sata riparum] Elegantiffime. Nam cum exuberat Nilus, totius regionis fines ipfius ripae funt. Ideo ait *fata riparum*. Ruftice etiam illud quod nomen Nili non ponit. Virgil.
—— —— *& quis fuit ille* &c. BART.

69. Descendentis] Recte Lipfius, *difcedentis*. quem lege cap. x. Ita Petronius. *quem de arena ruina dimifit*. Vide & Scaligerum ad V. Manilii. BART.

70. Ruptaque voragine terrae] Specu fubterraneo, qui quafi quidam terrae hiatus aperiebatur diverfa animalium genera in apertum evomens. TIT.

72. Aurea cum croceo] Emerfit filva: nam modo flumen, modo nemus, modo urbs aliqua, aut mons, prout fpectaculi qualitas exigebat, in theatro de improvifo apparere confuevit, cujus rei aliquot exempla hiftorici prodiderunt, qui Imperatorum vitas confcripferunt, eorum inquam Imperatorum, quos Roma, cum jam in praeceps labi inciperet, paffa eft: ea hic fufius profequi nō eft neceffe. TIT.

73. Tremebunda senectus] Per *Metonymiam* eo, quod homines tremebundos reddat, diximus fuperius. Sic Horatius, *mortem pallidam* appellavit:
Pallida mors aequo pulfat pede Pauperum tabernas,
Regumque turres. TIT.

74. Impedit?] Ita omnes libri. Modius mavult, *impetit*; quamobrem, ipfius fuerat docere. BART.

74. Saecula primos] Hoc fane pacto fcriptum reperi fummo confenfu omnium tum editorum, tum manu defcriptorum exemplariorum. verumtamen non fatis difpicio, quomodo dicti fint *primi anni* ejus, qui jam prae fenectute vix incedere poffet: itaque ut hanc difficultatem vitarem, arbitratus aliquando fum legi oportere *primo*, non *primos*, hoc fenfu: tibi uni inter paftores, nec praeterea alii: fed ne quid mentiar, non omnis mihi fcrupulus penitus evellitur, & alioquin cogito defendi poffe vulgatam illam fcripturam, ut de fua, non de Corydonis fenectute loquatur Lycotas: nam Corydon fingitur hic Juvenis. Eft igitur fenfus: *quem tremebunda fenectus non impedit*, ficut me impedit. Sic plana omnia manente fcriptura; atque hoc verum puto. TIT.

75. Dimittere] Malim *demittere*. quod eft quafi inferere, aut intro porrigere. Ut cum dicimus *manum demittere in veftem* &c. Ita dicat felicem quod juventa ejus in hoc ufque feculum fit dilata aut protenfa. Hoc enim vult. BART.

76. Cernere numen] Carinum appellat numen: fic Virgilius:
Nec tam praefentes alibi cognofcere divos.
Hic locus nonnullam imaginem prae fe gerit illius Horatiani:
—— —— *O bone (nam te*
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audifti? TIT.

Sors dedit, & praesens vultumque habitumque notasti;
Dic age, dic, Corydon, quae sit modo forma deorum.
Cor. O utinam nobis non rustica vestis inesset!
Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerunt. utcunque tamen conspeximus ipsum
Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno
Et Martis vultus & Apollinis esse putavi.

VARIAE LECTIONES JANI VLITII.

77. *Et praesens*] *Et referens* V. A. B. F.
78. *Modo*] *Mihi* R. Virg. Ecl. I. *Sed tamen iste deus*, &c.
81. *Pullaque*] *Nudaque* R. *Adunco*] *f. Adeso*
82. *Obfuerunt*] *Obfuerant* V. A. B. F. *Utcunque*] *Utrunque* R. f. *utrumque*, Carinum & Numerianum, quos v. 78. *Deos*, & statim *numina* dixerat. Siquidem vivus adhuc erat Carinus.
83. *Ac, nisi*] *At nisi* V. A. F. *& nisi* B.
84. *Putavi*] *Putatur.* R.

N O T A E.

77. Et referens] Alicubi legebatur *praesens* non omnino perperam: sed illud; *vultumque habitumque* est ex Horatio, ibi:

——— ——— ——— ——— adde
Vultum, habitumque hominis. TIT.

81. Pullaque paupertas,] Dixi superius hac eadem Ecloga tenues homines, neque aliqua nobilitate conspicuos, pulla veste usos fuisse. Suetonius in Augusto: *ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans*, & reliqua. Alicubi legebatur *nudaque.* TIT.

81. Adunco fibula morsu] Rusticos magis aduncas gestasse fibulas civibus, nullibi nec traditum nec observatum legere memini. BART.

81. Fibula morsu] Fibula in vestimentis fuisse videtur, quam nunc vulgo *uncinello*, sive *gangbero* nuncupamus: nisi si potius vocetur *fibbia*, quod magis puto. Virgil.

Herum unum ad medium, teritur qua sutilis alvee
Balteus, & laterum juncturas fibula mordet. TIT.

82. Obfuerant.] Recte Modius: *obfuerunt.* BART.

84. Et Martis vultus] Hoc dicit: & ferociam, & mansuetudinem simul prae se ferebat, atque ita utrumque contrarium temperaverat, ut neque nimis saeva asperitate, neque nimis dissoluta lenitate praeditus videretur. tale quippiam reperias apud Ovidium in illis:

Sume fidem, & pharetram, fies manifestus Apollo,
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Sic etiam dixit Propertius:

Indue me loris, fiam non dura puella,
Atque virum sumpta quis neget esse toga?

& Claudianus:

——— ——— potuitque videri
Pallas, si Clypeum ferret, si spicula Phoebe.

Neque fortasse aliena sunt ab hoc loco, quae scribit Plutarchus de fortuna Alexandri. Ὁμήρῳ μὲν γὰρ οὐ πρεπόντως οὐδὲ πιθανῶς τὸ Ἀγαμέμνονος κάλλος ἐκ τριῶν συμμεμιγμένον εἰκόνων, ἀπείκασται,

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

& quae deinceps ibi sequuntur TIT.

84. Et Martis et Apollinis.] Ausonius Epigr. I. Innuit id quod Oppian IV. Cyn. de Antonino dicit.

——— μικρέγεθος ἐμῷ παλάμῃ κ' ἀοιδῇ.

Et hic nos definimus. Quicquid hic notatum, brevi majori opere explanaturi, praetermissum, expleturi. BART.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS CAJI
BRITANNI
DE
CANIBUS BRITANNICIS
LIBER UNUS.

Cccc 2

JOANNIS CAJI BRITANNI DE CANIBUS BRITANNICIS LIBER UNUS.

Ad *GESNERUM.*



SCripsimus ad te (chariſſime Geſnere) ſuperioribus annis variam hiſtoriam de variis quadrupedum, avium, atque piſcium formis: variis herbarum atque fruticum ſpeciebus & figuris. Scripſimus & de canibus quaedam ad te ſeorſum, quae in libro tuo de Iconibus animalium ordine ſecundo manſuetorum quadrupedum, ubi de Canibus Scoticis ſcribis: & in fine Epiſtola tuae ad Gulielmum Turnerum de libris a te editis, inter libros nondum excuſos, te editurum polliceris. Sed quia de Canibus noſtris quaedam in eo libello mihi videbantur deſiderari, editionem prohibui, & alium promiſi. Quamobrem, ut promiſſis meis ſtarem, & expectationi tuae ſatisfacerem, homini omnis cognitionis cupido, univerſitatem generis, differentiam atque uſum, mores & ingenium, veluti methodo quadam conabor explicare. Diſpartiar in tres ſpecies: Generoſam, Ruſticam, & Degenerem: ſic ut de illa primo: de hac poſtremo: de ruſtica, medio loco tibi dicam. Omnes Britannicos vocabo: tum quod una Inſula Britannia, ut Anglicos omnes ſic quoque Scoticos omnes complectatur: tum quod venatibus magis indulgemus, quia voluptati ex feris & venatione, propter animalium copiam atque hominum otium, magis Britanni ſumus dediti, quam eorum animalium indigi & negotioſi Scoti. Ergo cum omnis ratio generoſae venationis, vel in perſequendis feris, vel in capiendis avibus finiatur, canum, quibus haec aguntur, duo genera ſunt: alterum quod feras inveſtiget, alterum quod aves perſequatur. *Ex generosis venaticis.* Utraque Latinis uno & communi nomine dici poſſunt venatica. Sed Anglis cum aliud eſſe videatur feras ſectari, aliud aves capere, ut primum venationem, ſecundum aucupium nominant, ita canum nomina volunt eſſe diverſa: ut qui feras laceſſunt, venatici: qui aves, aucupatorii dicerentur, Venaticos rurſum divido in quinque genera. Aut enim odoratu, aut viſu fatigant feras, aut pernicitate vincunt, aut odoratu & pernicitate ſuperant, aut dolo capiunt Qui odoratu fatigat: & prompta alacritate in venando utitur, *Sagax.* & incredibili ad inveſtigandum ſagacitate narium valet: a qua re nos ſagacem hunc appellamus, quem Graeci ab inveſtigando ἰχνευτὴν, a nare ῥινηλάτην dicunt. Huic labra propenſa ſunt, & aures ad os uſque pendulae, corporiſque media magnitudo. Hunc Leverarium vocitabimus, *Leverarius.* ut univerſum genus in certas ſpecies uſque nomina reducamus: cum alioqui uſus aut officii nomine, in unitatem ſpeciei adigi nullo modo queant. Nam alius leporis, alius vulpis, alius cervi, alius platycerotis, alius taxi, alius Lutrae, alius Muſtelae, alius cuniculi (quem tamen non venamur niſi caſſe & viverra) tantum odore gaudet: & in ſuo quiſque genere & deſiderio egregius eſt. Sunt ex his qui duos,

ut vulpem atque leporem, variatis vicibus sequi student, sed non ea felicitate, qua id quod natura sequi docuit: errant enim saepius. Sunt qui vulpem atque taxum solum, quos Terrarios vocamus: quod subeant terrae cuniculos, more viverrarum in venatu cuniculorum, & ita terrent mordentque vulpem atque taxum, ut vel in terra morsu lacerent, vel e specu in fugam aut casses cuniculorum ostiis inductas, compellant. Sed hi in sagacium genere minimi sunt. Qui insequuntur, majores: propenso & hi labro atque aure, nec vivas tantum uti memorati omnes, sed & mortuas quoque conspersi sanguinis odore persequuntur. Sive enim vivae sauciantur ferae, atque e manibus venatorum elabantur, sive mortuae ex vivario sublatae sunt (sed profusione sanguinis utraeque) isti canes odore facile persentiscunt, & subsequuntur. Eam ob causam ex argumento sanguinarii appellantur. Cum tamen fieri solet ut furum astu nullo conspersio sanguine abripiatur fera, etiam sicca hominis vestigia per extentissima spatia nullo errore sequi norunt, in quantalibet multitudine secernere, per abditissima & densissima loca appetere, & si flumina tranent etiam persequi: cumque ad ulteriorem ripam perventum est, circuitu quodam qua fugitum est investigare, si primo statim odore in vestigium furis non inciderint. Sic enim arte inveniunt, quod fortuna nequeunt, ut recte videatur, ab Aeliano scriptum, libro sexto, capite quinquagesimo nono de animalibus, τὸ ἐνθυμηματικὸν καὶ διαλεκτικὸν, καὶ μέντοι καὶ τὸ αἱρετικόν, hoc est, considerationem, ratiocinationem, atque etiam partitionem seu arbitrium canibus hisce venaticis inesse: nec ante cessant persequi, quam sunt fures comprehensi. Eos luce, in tenebris habent heri: nocte producunt, quo alacriores in persequendo sint assueti tenebris, quibus praedones delectantur maxime. Iidem cum fures insequuntur, non ea donantur libertate qua cum feras, nisi in magna celeritate fugientium furum, sed loro retenti, herum ducunt qua velit ille celeritate, sive pedes sit, sive eques. In confiniis Angliae atque Scotiae propter frequentia pecorum & jumentorum spolia, multus usus hujus generis canum est, & principio discit pecudem & armentum persequi, postea furem relicto armento. In hoc genere nullus est aquaticus naturaliter, nisi eos ita nominare placeat, qui Lutram insequuntur, qui subinde ripas, subinde aquas frequentant. Non recusant tamen omnes aviditate praedae tranantis flumina, etiam aquis se committere. Sed hoc desiderii potius est, quam naturae. Quod autem ex his aliquas, Brachas nostri, Rachas Scoti sua lingua nominant, in causa sexus est, non genus. Sic enim canes foeminas in venatico genere vocare solent nostri. Ad postremum, in natura sagacium est, ut alii pervestigando taceant ante excitatam feram, alii statim ad primum odorem voce prodant animal, etsi remotum adhuc, & in cubili: & quo juniores, eo petulantioris oris & mendacioris sunt. Aetas enim & venandi assiduitas, experientiam in his facit & certitudinem, ut in aliis omnibus: maxime, cum norint obtemperare domino vel inhibenti vel animanti. Quod visu lacessit, nare nihil agit, sed oculo: oculo vulpem leporemque persequitur, oculo seligit medio de grege feram, & eam non nisi bene saginatam & opimam: oculo insequitur: oculo perditam requirit: oculo si quando in gregem redeat, secernit, caeteris relictis omnibus, secretamque cursu denuo fatigat ad mortem. Agasaeum nostri abs re, quod intento fit in feram oculo, vocant. Usus ejus est, in septentrionalibus Angliae partibus magis quam meridionalibus: locis planis & campestribus, quam dumosis & sylvestribus: equitibus magis quam peditibus, quo ad cursum equos incitent (quibus delectantur magis quam ipsa praeda) assuescantque sepes fossasque inoffense & intrepide transilire & aufugere, quo insessores per necessitates & pericula salutem fuga sibi quaerant, aut hostem insequendo cum velint caedant. At si quando canis aberraverit, dato signo quam mox accurrit, & feram de integro subsequens, clara voce, cursuque celeri ut ante lacessit. Quod pernicitate vincit, leporarius dicitur: quod praecipua ejus cura, praecipuusque usus est in persequendo lepore. Quamquam & in capiendo platycerote, cervo, dorcade, vulpe, & hoc genus aliis feris, & viribus & memorata velocitate valent: sed plus minus pro suo quisque desiderio, & corporis firmitudine aut exilitate. Est enim strigorum genus: in quo alii majores sunt: alii minores: alii pilo sessili: alii hirto. Majores majoribus, minores minoribus feris destinamus. Cujus naturam in venatione, magnam: in hoc, miram deprehendi: quod (referente Joanne Froisarto historico lib. hist. suae

Terrarius. *Sanguinarius.* *Agasaeus.* *Leporarius.*

suae 4.) leporarius Richardi secundi Anglorum regis, qui ante neminem praeter regem agnoverat, venientem Henricum Lancastriae ducem ad castellum Flinti ut Richardum comprehenderet, relicto Richardo, Henricum solitis in Richardum favoribus excepe-rit: quasi adversitates Richardi futuras intellexerat & praesentiscerat. Id quod Richardus probe animadvertit, atque ut praesagium futuri interitus verbis non dissimulavit. Quod sagacitate simul & pernicitate potest, & genere, & compositione corporis medium est inter sagacem illum, & leporarium: & a levitate appellatur levinarius, a loro (quo ducitur) lorarius. Hic propter velocitatem, & gravius feram urget, & citius capit. Quod dolo agit, Vertagum nostri dicunt, quod se dum praedatur, vertat, & circumacto corpore, impetu quodam in ipso specus ostio feram opprimit & intercipit. Is hoc utitur astu. Cum in vivarium cuniculorum venit, eos non lacessit cursu, non latratu terret, nec ullas inimicitias ostentat, sed velut amicus aliud agens, taciturna solertia praetergreditur, observatis diligenter eorum cuniculis. Eo cum pervenerit, ita se humi componit, ut & adversum ventum semper habeat, & cuniculum lateat. Sic enim ille revertentis aut exeuntis cuniculi odorem facile sentit, & suus cuniculo omnino tollitur, & prospectu fera fallitur. Ad hunc modum compositus canis & prostratus, aut exeuntem cuniculum & imprudentem in ipso specus ingressu versute opprimit, aut revertentem excipit atque ad latentem herum ore perducit. Minor hic est sagaci illo, strigosior, & erectiore aure. Corporis figura leporarium spurium diceres, si major esset. Et quamvis eo minor multo sit, uno tamen die tot potest capere, quot justum equi onus esse possunt. Dolus enim illi pro virtute est, & corporis agilitas. Huic similis, canis furax est, qui jubente hero noctu progreditur, & sine latratu odore adverso persequens cuniculos, cursu prehendit quod herus permiserit, & ad heri stationem reportat. Vocant incolae canem nocturnum, quod venetur noctu. Sed haec de iis qui feras insequuntur.

Levinarius; seu lorarius. *Vertagus.* *Canis furax.*

Qui aves, proximum locum habent. Eos Aucupatorios dici, ante proposuimus. Hi ex generosorum numero etiam sunt, & duûm generum. Alii enim per sicca tantum venantur: Alii per aquas tantum aves persequuntur. Qui per sicca tantum, aut libero vestigio & latratu avem investigant & excitant, aut tacito indicio eandem commonstrant. Primum genus Accipitri servit: secundum reti. Peculiaria nomina primum genus non habet, nisi ab ave ad quam venandam natura est propensus. Qua de causa Falconarii hos, Phasianarios: hos, Perdiciarios vocare solent. Vulgus tamen nostrum communi nomine Hispaniolos nominat, quasi ex Hispania productum istud genus primo esset. Omnes maxima ex parte candidi sunt: & si quas maculas habeant, rubrae sunt, rarae, & majores. Sunt & ruffi atque nigri, sed perpauci. Est & hodie novum genus ex Gallia advectum (ut novitatis omnes sumus studiosi) sed ex toto in albo obfuscatum maculose, quem Gallicanum vocitamus. Secundum genus est, quod tacito pede atque ore avem quaerit, & nutum juvantis heri sequitur, vel promovendo se, vel reducendo, vel in alterutram partem dextram aut sinistram declinando. Cum avem dico, Perdicem & Coturnicem intelligo. Cum invenerit, cauto silentio, suspenso vestigio, & occulto speculatu, humiliando se prorepit, & cum prope est, procumbit, & pedis indicio locum stationis avium prodit: unde canem indicem vocare placuit. Loco commonstrato, auceps exporrectum rete avi inducit. Quo facto, canis ad consuetum heri indicium seu vocabulum quam mox assurgit, & propinquiori praesentia aves perturbat, atque ut inexplicabilius irretiantur facit. Quod artificium in cane, animali domestico, mirum videri non debet, cum & lepus agreste animal, & saltare, & tympanum anterioribus pedibus numero pulsare tympanistarum more, & canem dente atque ungue petere, pedibusque crudeliter caedere, in Anglia visus est omnium admiratione, anno salutis nostrae 1564. Nec est vanum istud, eoque relatum lubentius quod operae pretium putarem, nihil praetereundum esse, in quo naturae spectanda sit providentia. Qui per aquas aucupatur propensione naturali accedente mediocri documento, major his est, & promisso naturaliter hirtus pilo. Ego tamen ab armis ad posteriores suffragines, caudamque extremam, ad te (Gesnere) detonsum pinxi, ut usus noster postulat, quo pilis nudus expeditior sit, & minus per natationes retardetur. Aquaticus a nostris appellatur: ab aquis

Ex generosis aucupatoriis. *Hispaniolus.* *Index.* *Lepus tympanum pulsat.* *Aquaticus, seu inquisitor.*

aquis quas frequentat sumpta appellatione. Eo aut aves in aquis aucupamur (& praecipue anates: unde etiam Anatarius dicitur, quod id excellenter facit) aut Scorpione occisas educimus, aut spicula sagittasque fallente ictu recuperamus, aut amissa requirimus: *Anatum fallaciae.* quo nomine & canes inquisitores eosdem appellamus. Quanquam Anas, & canem, & aucupem quoque egregie subinde fallat, tum urinando, tum etiam dolo naturali. Etenim si quis hominum ubi incubant aut excludunt, propinquabit, egressae matres, venientibus se sponte offerunt, & simulata debilitate vel pedum vel alarum, quasi statim capi possint, gressus fingunt tardiores. Hoc mendacio solicitant obvios, & eludunt, quoad profecti longius a nidis avocentur: caventque diligenter revertendo, ne *Anaticularum providentia.* indicium loci conversatio frequens faciat. Nec anaticularum studium segnius ad cavendum. Cnm enim visas se praesentiscunt, sub cespitem confugiunt aut carectum, quorum obtectu tam callide proteguntur, ut lateant etiam deprehensae, nisi fraudem canis *Canis piscator.* odore detegat. Canem piscatorem (de quo scribit Hector Boëthius) qui inter saxa pisces odore perquirit, nullum plane novi inter nostros, neque ex relatione aliquando audivi, etsi in ea re perscrutanda perdiscendaque diligentior fuerim inter piscatores & *Lutra. Pupinus.* venatores: nisi Lutram piscem dicas, ut a multis creditur: quo modo & Pupinus avis, piscis esse dicitur & habetur. Sed qui perquirit piscem (si quis perquirat) venationis ne causa, an famis faciat, mote caeterorum canum, qui pes inediam cadaverum morticinam carnem appetere solent, tum demum ad te scribam, cum de ea re certior fiam. Interim id scio, Aelianum & Aetium Lutram, κύνα ποτάμιον solere appellare. Intelligo etiam Lutram hoc habere cum cane commune, quod per inopiam piscium, excursiones in terram faciat, atque agnos laniat, rursusque ad aquam satur redeat. *Phocae.* Sed inter nostros canes is non est. Phoca etiam inter scopulos atque saxa praedatur piscem, sed in numero canum nostratium habitus non est, etsi canis marinus a nostris appelletur. Est & aliud genus canum generosorum apud nos, sed extra horum ordi- *Ex generosis delicatis, Melitaeus, seu fotor.* nem, quos Melitaeos Callimachus vocat, a Melita insula in freto Siculo (quae hodie usu derivante Malta vulgo dicitur, & Christiano milite nobilis existit) unde ortum id genus habuit maxime: atque a Melita Siculi Pachyni, ut author Strabo est. Perexiguum id est plane, & foeminarum lusibus ac deliciis tantum expetitum, quibus quo minus est, eo gratius est, ut sinu gestent in cubiculis, & manu in pilentis, genus sane ad omnia inutile, nisi quod stomachi dolorem sedat applicatum saepius, aut in sinu aegri gestatum frequentius, caloris moderatione. Quin & transire quoque morbos aegritudine eorum intelligitur, plerumque & morte: quasi malo in eos transeunte caloris *Ex rusticis:* similitudine. Generosorum canum genus jam explicui: Nunc rusticum adjicio. In eo memorabilia duo tantum genera sunt: pecuarium, seu pastorale, & villaticum seu Molossum: alterum ad propellendas injurias ferarum, alterum adversus insidias hominum *Pastoralis.* utile. Pastorale nostrum mediocre est, quod illi cum Lupo, naturali pecori inimico, res non est, cum apud nos nullus est, beneficio optimi principis Edgari, qui, quo genus universum deleretur, Cambris (apud quos in magna copia erant) vectigalis nomine in *Lupi nulli in Britannia.* annos imperavit trecentos lupos. Sunt qui scribunt Ludwallum Cambriae principem pendisse annuatim Edgaro regi, 3000. luporum tributi nomine, atque ita annis quatuor omnem Cambriam atque adeo omnem Angliam orbasse lupis. Regnavit autem Edga- *Edgarus.* rus circiter annum Domini, 959. A quo tempore non legimus nativum in Anglia visum lupum: advectum tamen questus faciundi causa ex alienis regionibus, ut spectetur tantum, tanquam animal rarum & incognitum, saepius vidimus. Sed ad canem pastoralem. Is ad certam heri jubentis vocem, aut ex pugno concluso & inflato clariorem sibilum, errantes oves in eum locum redigit, in quam pastor maxime desiderat: sic ut levi negotio, & immoto fere pede, pastor quo velit modo ovibus moderetur, vel ut se promoveant, vel gradum sistant, vel pedem referant, vel in hanc illamve partem se inclinent. Etenim non ut in Gallia & Germania, non ut in Syria & Tartaria, sic in Anglia quoque oves pastorem sequuntur, sed contra, pastor oves. Quandoque etiam nullo procurrente aut circumeunte cane, ad solum ex pugno sibilum sese congregant palantes oves, metu canis credo, memores una cum sibilo, prodire quoque & canem solere. Id quod in itinere diligenter saepius observavimus, ad pastoris sibilum refrenantes equos, quo videremus rei experimentum. Eodem etiam cane ovem vel mactandum

dum prehendit, vel sanandum pastor capit, nulla prorsus laesione.

Villaticus, seu Catenarius. Villaticum, vastum genus est & robustum; corpore quidem grave & parum velox, sed aspectu truculentum, voce terrificum, & quovis Arcadico (qui tamen ex Iconibus creditur provenire) potentius atque acrius. Quod villis fideliter custodiendis destinamus cum metus est à furibus, villaticum appellamus. His quoque utile, id est, contra vulpem atque taxum, qui rem pecuariam faciunt. Valet etiam ad sues agrestes persequendos, domesticos è frugibus aut arvis abigendos, taurosque capiendos atque retinendos, cum usus aut venatio postulat, singuli singulos, aut summum duo singulos, quamvis intractabiles. Est enim acerrimum genus & violentum, formidabile etiam homini, quem non reformidat. Neque enim ad arma expavescit: quoque acrius fiat, assuescunt nostri naturam arte & consuetudine juvare. Etenim ursos, tauros, arctylos, aliaque fera animalia, praefectis certaminum arctophylacibus, nullo millo, nullo corio defensos exagitare: saepe etiam cum homine sude, clava, ensive armato concertare docent, atque ita ferociores acrioresque reddunt, & imperterritos faciunt. Vis illis supra fidem, & pertinax mordacitas, usqueadeo ut tres ursum, quatuor vel leonem comprehendant. *Henricus septimus.* Quod videns aliquando (ut fama est) HENRICUS septimus, Angliae rex prudentissimus, quotquot erant suspendi jussit, indignatus ut infimi & ignobilis generis canes, generoso leoni, & animalium regi violentiam inferant: memorabili exemplo subditorum, ne quid contra regem gens rebellis audeat. Haud absimilis etiam historia de eo fertur, quoad Falconem quendam suum, à Falconariis vehementer laudatum, quod in aquilam quid auderet, quam mox occidi jussit, ob eandem rationem. Hoc genus canis, ètiam Catenarium, à catenae ligamento, qua ad jannas interdiu detinetur, ne solutum laedat, & tamen latratu terreat, appellatur. Et *Cicero.* quanquam Cicero pro S. Rosc. opinetur, si canes luce latrent, iis crura suffringantur, nostri tamen homines propter securitatem vitae atque rei, longe aliter sentiunt. Nam *Fures.* furum apud nos plena sunt omnia: etiam luce, neque infamem mortem suspendia metuunt. In causa est non curta res solum, sed vestis vitaeque luxus atque fastus etiam, sed petulantia, sed otium & superbia Salaconum μεγαλαυχοῦντων, qui nihil aliud quam ut equi insultare solo & gressus glomerare superbos, quam gyro breviori flecti, qui nihil aliud quam cevere, quam otiose mendicando accusata non merente corporis infirmitate spoliare. *Valentinianus.* Sed his Valentinianus Imperator bene prospexit legibus latis, ut qui nullo corporis morbo laborantes, corporis infirmitatem desidiosi ignavique praetexentes mendicarent, perpetui coloni ei inservirent, qui eorum ignaviam proderet atque accusaret, ne eorum desidia onerosa populo, odiosave sit exemplo. *Alfredi vigilantia.* Alfredus quoque regno administrando tanta vigilantia justitiaque usus est, ut si quis per vias publicas incedens, marsupium auro plenum vesperi perdidisset, mane, atque adeo post mensem unum, integrum & intactum inveniret, uti Ingulphus Croylandensis in historia refert. Nostra autem aetate, nihil fere securum, ne in aedibus quidem, quamvis accurate conclusis. *Canis custos.* Custos quoque (Graecis οἰκουρὸς) à custodiendis non solum villis, sed & mercatorum aedibus, & quibus ampla res est domi, canis iste nominatur. Eam ob rem canes publice alebantur Romae in Capitolio, ut significent si fures venerint. *Canis Laniarius.* Dicitur & Laniarium, quod eorum usus multus sit laniis agendis & capiendis bestiis. Sed *Molossicus.* & Molossicum quoque & Molossum Latinis dicitur, à Molossia Epiri regione, ubi hoc genus canes boni & acres erant. *Mandatarius.* Est ex hoc genere quem mandatarium ex argumento appellamus: quod domini mandato literas, aliasve res de loco in locum transferat, vel melio inclusas, vel eidem alligatas. Quae ne intercipiantur, vel pugna, vel fuga si impar sit, diligenter cavet. *Lunarius.* Est & Lunarium, quod nihil aliud quam excubias agit, quam insomnes noctes totas protrahit baubando ad lunam, ut Nonii verbo utar. Ex quibus grandiores atque graviores, etiam rotae amplioris circumactu, aquam ex altis *Aquarius.* puteis ad usus rusticos hauriunt, quos aquarios appellamus ex officio: & sartores aera- *Sarcinarius.* rios vagos manticis ferendis memorabili patientia levant: à qua re sarcinarios nuncupamus. Praeter has villaticorum qualitates atque usus, hanc unam habent praecipuam, quod amantes dominorum sunt, & odium gerant in externos. Quo fit ut per itinera dominis in praesidio sunt, quos à furibus defendunt, vivos salvosque conservant: à qua *Defensor.* re etiam canes defensores jure dici possunt. At si quando vel multitudine, vel majori

vi opprimatur dominus atque concidat, usu compertum est, herum non deserere ne mortuum quidem, sed eum ad multos dies per famis & coeli injuriae patientiam peramanter observare, & homicidam, si occasio dabitur, interficere, aut saltem prodere vel latratu, vel ira, vel hostili insultu, quasi mortem heri ulturum. Hujus rei exemplo fuit nostra memoria canis cujusdam viatoris, qui Londino recta Kingstonum, octo regum coronatione percelebre oppidum, profecturus, cum bonam itineris partem confecisset, latronum insidiis in Comparco, valli amplo & spatioso, nemoribus obsito, & latrociniis infami loco, occubuit. Canis item ille Britannus genere, quem Blondus sua memoria scribit, non longe Parisiis hero à rivali interempto, & homicidam prodidisse, & ni canis ultionem homicida deprecatus esset, jugulaturum fuisse. In incendiis quoque in conticinio seu intempesta nocte incidentibus, eo usque latrant annosi canes, etiam prohibiti, dum à domesticis excitatis percipiatur focus: & tum sua sponte cessant à latratu: quod usu compertum est in Britannia. Nec minor erat fides in eo cane qui domino profundam foveam per venatum incidenti nunquam absuit, dum sui unius indicio sublatus is per funem fuit: in quem, cum oris cavernae proximus esset, insiliebat canis, tanquam ulnis amplexurus revertentem herum, impatiens longioris morae.

Canum amor & fides. *Kingstone.*

Sunt qui focum non patiuntur dissipari, sed prunas in focum pede removent, prius cogitabundi aspicientes qua ratione id possit à se fieri. Quod si pruna ardentior fuerit, cinere obruunt, ac dein nare in locum promovent. Sunt quoque qui noctu villici officium praestant. Cum enim lectum petit herus, & omnia centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri robora, nec custos absistit limine Janus (ut scribit Vergilius) tum si prodire jubeat herus canem, is per fundos omnes oberrat, quovis villico diligentior, & si alienum quid invenerit sive hominem, sive bestiam, abigit, domesticis relictis animalibus atque servis. Sed quanta in his fidelitas, tanta varietas in ingeniis. Nam sunt qui ore infreno latrent tantum nullo morsu. Verum hi minus tremendi, quod timidiores sunt. Canes enim timidi vehementius latrant, ut est in proverbio. Sunt qui latrent atque mordeant. Ab his cavendum quidem, quia admonent futurae injuriae, sed non lacessendum, quoniam ita concitantur ad dentem, ipsi etiam natura acerbiores. Sunt qui sine voce prosiliunt, impetu involant, jugulum petunt, & crudelius lacerant. Hos formidato, quia animosiores sunt, & incautos opprimunt. Istis notis ignavum genus à strenuo, audax à timido discernunt nostri. Etenim ex malo genere, ne catulum quidem habendum existimant, quod nullum necessariis usibus humanis commodiorem canem isto putent. Nam si quis commemoratos eorum usus ad summas velit revocare, quis hominum clarius aut tanta vociferatione bestiam vel furem praedicat, quam iste latratu? quis domitor ferarum potentior? quis famulus amantior domini? qui fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor vigilantior? quis ultor aut vindex constantior? quis nuncius expeditior? quis aquarius laboriosior? quis denique fartor aerarius gestandis farcinis tolerantior? Atque haec quidem de canibus Britannicis generosis atque rusticis, qui genus suum servant, diximus.

Canum ingenia. *Notae ignaviae aut audaciae.*

De degeneribus, & ex horum diverso genere mixtis, quod nullam insignem veri generis qualitatem formamque referant, non est quod velim plura scribere, sed ut inutiles ablegare: nisi quod vel advenas latratu excipiant, etiam luce, & eorum adventus domesticos commonefaciant, unde canes admonitores appellamus: vel quod in officio culinario, cum assandum est, inserviant, & rota minore gradiendo, verua circumagunt, pondereque suo aequabiliter versent, ut ne calo aut lixa quidem artificiosius: quos hinc canes versatores, seu veruversatores nostrum vulgus nominat: postremos omnium generum, quae primo memoravimus. Sunt etiam canes nostri degeneres & ad tympanum saltare, & ad lyrae modos se movere docti, multaque alia erecti pronique facere, quae à vagis quaestuosisque heris exequi didicerunt. Lycifcum nullum istic in Anglia habemus nativum, ut nec lupum quidem, ut est ante comprehensum: nec aliud genus ullum praeter Lacaenam & Urcanum: illum ex cane & vulpe (quam multam habet Anglia, & domi inter canes vel animi vel morbi causa saepe alit) hunc ex urso & cane catenario: quos licet inimicos, pruriens tamen libido saepe ita hic conjungit, ut alibi solet. Nam cum tigride Hircanos, cum leone Arcadios, cum lupo Gallicos commiscuisse legimus. In hominibus quoque quibus ratio est, inimicos animos conci-

Ex degeneribus. *Admonitor.* *Versator.* *Tympanista.* *Lycifcus.* *Lacaena.* *Urcanus.*

ciliat stulta illa res & naturalis, ut Moria loquitur. Est hic Urcanus, saeva bestia, & intractabilis irae (ut Gratii Poëtae verbis utar) caeteros canes nostros omnes feroci crudelitate superans, vel aspectus torvitate terribilis, in pugna acris & vehemens, tantaque mordacitate, ut citius discrepas quàm dissolvas: nec lupum nec taurum, ursum aut leonem reformidat: vel cum cane illo Alexandri Indico certe conferendus. Sed de his hactenus ut de Britannicis verba fecimus. Externos aliquos & eos majusculos, *Externi*
Islandicos dico & Lithuanicos, usus dudum recepit: quibus toto corpore hirtis, ob pro- *canis.*
missum longumque pilum, nec vultus est, nec figura corporis. Multis tamen quod *Externa*
peregrini sunt, & grati sunt, & in Melitaeorum locum assumpti sunt: usque adeo de- *praelata.*
ditum est humanum genus etiam sine ratione novitatibus. ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρορῶμεν συγγενῶν. miramur aliena, nostra non diligimus. Neque hoc in canibus solum, sed in artificibus quoque usu venit. Nostros enim licet doctos & peritos fastidimus, belluam e longinqua barbarie alienoque solo profectam tanquam asinum Cumani, aut hominem Thalem nostri suspiciunt. Id quod Hippocrates sub initio libri sui περὶ ἀέρων recte sua aetate observavit, & nos libello nostro, seu consilio de Ephemera Britannica ad populum Britannicum copiosius explicuimus. Atque in hoe genere quo quisque indoctior, audacior, incogitantior, hoc pluris fit apud nostros, atque etiam apud torquatos istos principes atque proceres. Caeterum de externis canibus nihil dico, quod de Britannicis tantum voto tuo satisfaecere studeo, Conrade vir doctissime. Inter ea
tamen quae alias ad te dedi de cane Getulo seorsum scripsi, quod rara species ejus vi- *Canis Ge-*
debatur. De caetero genere, ipse plenissime scribis. Verum cum longius jam produ- *tulus.*
ximus hunc libellum quam priorem ad te, brevius tamen quam pro natura rei, quod habuimus rationem studiorum tuorum, memoriae causa quae de canibus Britannis diximus, in diagramma reducemus. Et quia vulgaribus nominibus delectatis, ut ex literis tuis didici, ea quoque Latinis apponemus, & singulorum rationes exponemus, quo nihil tibi sit incognitum aut desideratum.

NOMINA.

				Latina.	Anglica.
Canes ergo Britannici, aut sunt,	Generosi.	Venatici.	Sagax.	Terrarius.	*Terrierhound.*
				Leverarius.	*Harrierhound.*
				Sanguinarius.	*Bloodhound.*
				Agasaeus.	*Gazehound.*
				Leporarius.	*Greyhound.*
				Levinarius, seu Lorarius.	*Leviner, or Lyemmer.*
				Vertagus.	*Tumbler.*
		Aucupatorii.		Hispaniolus.	*Spaniel.*
				Index.	*Setter.*
				Aquaticus, seu Inquisitor.	*Waterspaniel, or Finder.*
		Delicati.		Melitaeus, seu Fotor.	*Spanielgentle, or Lapdog.*
	Rustici			Pastoralis.	*Shepherd's Dog.*
				Villaticus, seu Catenarius.	*Mastive, or Bandog.*
	Degeneres.			Admonitor.	*Wap.*
				Versator.	*Turnspit.*
				Saltator.	*Dancer.*

Ista

Ista vocabula nostratia cum nihil apud te, hominem peregrinum, loquantur sine interpretatione, ut Latinorum vocabulorum rationem prius reddidimus, ita Anglicorum jam reddemus, quo tibi pateant universa, eo etiam quo prius observato ordine.

Heund igitur (quem inter venaticos sagacem diximus) à verbo nostro *hunt*, quod apud nostros venari significat, unica tantum immutata litera derivata appellatione, nomen habet. Quod si à vocabulo vestrati *Hound*, (quod canem in universum apud vos significat) propter vocum similitudinem appellari credas (mi Gesnere) ut non magnopere repugnabo, cum adhuc retinemus multa Germanica vocabula à Saxonibus cum Angliam occuparunt, nobis relicta, ita illud admonebo, commune quidem nomen canis apud nos, *Dog* esse, venatici vero canis, *Heund*. *Sagax.*

Similiter à verbo nostrati, *Gaze*, (quod fixius rem aliquam & attentius contueri est) *Gazehound* appellatur nostris, quem ante Agasaeum nominari diximus. Neque enim odoratu, sed prospectu attento & diligenti feram persequitur iste canis, ut jam ante memoravimus, etsi non sum nescius etiam apud Latinos Agasaei vocabulum inter canum nomina reperiri. *Agasaeus.*

A *Grey* quoque, *Greyhound* apud nostros invenit nomen, quod praecipui gradus inter canes sit, & primae generositatis. *Grey* enim apud nostros gradum denotat. Hunc latinè Leporarium dicebamus. *Leporarius.*

A levitate, *Leviner*, à loro *Lyemmer* appellatur is quem Levinarium & Lorarium latinè nominavimus. Nam *Lyemme* nostra lingua, Lorum significat. Quod autem à levitate *Leviner*, hoc est à Latina voce Britannicam, deducimus: cur in libris nostris sparsim à Graecis dictionibus & Latinis, Italicis & Germanicis, Gallicis & Hispanicis nostratia multa derivamus, unde ortum eadem multa habuerunt: & quemadmodum ab origine sua etiam multa per corruptionem jam declinarunt, libello nostro de symphonia, seu consonantia vocum Britannicarum fusius explicabimus. *Levinarius.* *Lib. de symphonia.*

Postremus inter venaticos, Vertagus est: quem *Tumbler* vocitamus: quod *Tumble* apud nos vertere est Latinis, & *Tumbiere* Gallis, unde ortum habet id nomen *Tumbler*, mutata vocali in liquidam nostro more: contra quam in lingua Gallica & Italica, in quibus liquida ante vocalem, magna ex parte in aliam vocalem vertitur, ut impiere & piano, pro implere & plano, quae exempli gratia adduco, cum infinita sint. *Vertagus.*

Post Venaticos, sequuntur Aucupatorii: inter quos primus est Hispaniolus, quem ab Hispania voce nomen accepisse prius diximus. Nostri omissa aspiratione & prima vocali, *Spainel* & *Spaniel* expediti sermonis causa proferunt. *Aucupatorii.*

Secundus, Index, quem nostri à *Setter* nominare solent, à verbo *set*, quod locum designare nostris Britannis significat. *Index.*

Post hunc subsequitur Aquaticus, hoc est à *Water-spaniel*, à vocibus *Water* & *Spain* (hoc est aqua & Hispania) deducto nomine. Nam aqua, in qua se exercet canis iste, *Water*: & Hispania (unde primum genus hoc tractum ex nomine creditur) *Spain* apud nostros vocitatur. Non quod isti canes non sint etiam nativi in Britannia, sed quod generale & commune nomen canum, qui ex Hispania primo profecti putantur, istae canum species (ut & caeteri Aucupatorii) adhuc vulgo referunt, etsi in Britannia oriantur, & peculiari aliqua vocis nota, aut qualitatis indicio secernantur apud nos: ut est ista species, vocis *Water*, hoc est aquae, appositione. Alio etiam nomine *a Finder* canis iste appellatur, quod quaerendo invenit res deperditas, quae res nostris, *find*, hoc est invenire, dicitur. Nos tamen ab inquirendo Latinum nomen huic fecimus, quod praecipua pars inventionis in inquirendo est. *Aquaticus.* *Inquisitor.*

A venaticis & aucupatoriis, transitus est ad Delicatos, Rusticos, & Degeneres. Delicatum, Melitaeum & *Spaniel-gentle*, hoc est, Hispaniolum generosum, nominavimus, à generositatis nomine data appellatione, quod inter nobiles viros atque foeminas versari, & iis in deliciis atque ad lusus esse consuevit: ut erat illud Gorgonis *κυνίδιον* apud Theocritum in Syracusiis, quod discedens, servae diligentiae pari cura cum infante commiserat, ut catellum quidem illa intro revocaret: puerum vero vagientem placaret. Ad alia omnia inutilis canis iste est, nisi ad ea quae ante jam diximus, nisi ad fovendum stomachum debilitatum frigore, nisi ad prodendum adulterium, quod fecisse hujus generis catellum quendam Siculum refert Aelianus, libro septimo, capite *Delicati.*


vicefimo quinto animalium.

Rustici. Rufticos, *Shepherds Dogs*, *Maftives*, & *Bandogs* nominavimus: illorum quidem deducto nomine à paftore, qui *Shepherd* apud nos dicitur, quod cuftodit oves, quae noftris, *Sheep*, appellantur: iftorum à ligamento, quod *Band*, & Sagina, quod *mafty*, villicis noftris hominibus dicitur. Eft enim craffum genus canum, & bene faginatum Catenarium hoc. Etfi non fum nefcius Auguftinum Niphum, Maftinum (maftivum noftri dicunt) pecuarium exiftimare: & Albertum Lycifcum, ex cane & lupo genitum effe fcribere: quamvis idem pro Moloffo magna ex parte vertat.

Verfator. Ad poftremum, degeneres, *Wap* & *Turnfpit* nominari dicebamus: hunc à verbo noftrati *turn*, quod eft verto, & *fpit*, feu *fpeed* ad imitationem Italorum, quod veru dicitur: illum à naturali canis voce *Wau*, quam in latratu edit admonendo. Unde, originaliter *Waup* dicendum fuit. Sed euphoniae bonaeque confonantiae gratia, vocali in confonantem mutata, *Wap* à noftris vocitatur. Etfi non me fugit Nonium, à voce naturali *Bau*, formare fuum baubari, non à *Wau*, quemadmodum & Graeci à fuo βαΰζειν.

Saltator. Jam vero quod *Dancer* noftris, faltare fit Latinis, fi didiceris, non eft de canis faltatoris noftrati nomine, amplius quod ipfe expetas.

Ita habes (mi Gefnere) non folum canum noftratium genera, fed & nomina quoque Latina atque Anglica, officia atque ufus, differentias atque mores, naturas & ingenia, ut non fit quod defideres in hoc argumento amplius. Et quanquam forfan omni ex parte non fatisfecerim tibi in edendo (cui in defideriis omnis feftinatio in mora effe videatur) quod inhibuerim editionem rudioris illius libelli, quem ad te tanquam ad privatum amicum, non ad editionem publicam ante annos quinque dederim, tamen in hoc fpero me fatisfeciffe tibi, quod mora fecit aliquanto meliorem, & δεύτεραι φροντίδες lectu commodiorem.



RO-

ROBERTI TITII,

Omissa suis quaeque locis reponenda.

PAucula haec, quae post operis impressionem in aliis meis schedis seorsim notata reperi, addi velim suis quaeque locis. Nemes. Ecloga 1. vs. 76. nostro adde. vel *vestitus freto*, hoc est fluctibus intectus: jam quod hic vs. 75. excudi curavimus *nascentur*, alicubi spectabatur *pascentur*. Quomodo loquitus est Virgilius. Eclog 2. vs. 1. & hic Astacus dicitur etiam Idas, ut apparet, nam quidam pastores duplici nomine interdum vocabantur, sicuti alicubi admonet Janus Parrhasius, ni fallor: nisi si *Astacus* in Idas convertatur, quo sane pacto difficultas omnis auferetur. Natus fortasse error ex consimili initio secundae Eclogae Calphurnii. sic Nemes. Ecl. 2. vs. 50. reponas. Plinius: *Humor, & cortici arborum est, qui sanguis earum intelligi debet.* Ac deinceps: *Atque in totum corpore arborum, ut reliquorum animalium, cutis, sanguis, caro, nervi, venae, ossa, medullae.* Calpurn. Ecl. 5. vs. 7. Consule Janum Parrhasium ad illud Claudiani ex libro 1. de Raptu Proserpinae: *Arcano defensa gelu.* Calpurn. Ecl. 2. vs. 56. quamquam *Crocale* non *Crotale* in eis spectetur. Ecl. 4. *circa med.* Appianus quoque in fine propemodum libri Bellorum Parthicorum idem prodit. Ecl. 4. vs. 128. Terentianus de jambo loquens: *ipse sex enim locis manet: Et inde nomen inditum est senario; sed ter feritur. hinc trimetrus dicitur, scandendo binos quod pedes conjungimus.* Ecl. 4. vs. 141. Martialis: *Esse velis (ore) ferus conviva tonantis.* Mitto aliorum plura testimonia in hanc sententiam. Ecl. 4. vs. 145. Tibullus: *Romulus aeternae nondum fundaverat urbis Moenia.* Ovid. *jam modo, quae fuerant silvae, pecorumque recessus, urbs erat, Aeternae cum pater urbis ait.* Ausonius: *Ignota aeternae ne sint tibi tempora Romae.* &: *Urbis ab aeternae deductam rege Quirino.* Ecl. 5. vs. 71. jam *fuscis* dictum est pro nigris. Cornelius Fronto: *Fuscum & nigrum: fuscum albo opponitur, nigro candidum.* Ecl. 6. vs. 91. Arbiter autem sic Bacchus apud Aristophanem in Ranis:

Ἄνδρες φίλοι, κἀγὼ μὲν αὐτοὺς οὐ κρινῶ·
Οὐ γὰρ δι' ἔχθρας οὐδετέρῳ γενήσομαι.

IN-

INDEX AUCTORUM,

Quorum loca emendantur, notantur, explicantur.

Lit. *a.* priorem Columnam, *b.* poſteriorem ſignificat.

Mar-

INDEX RERUM
LOCUTIONUM ET VERBORUM
quae in Poëtis hisce & Commentariis ad eosdem occurrunt.

Lit. a. *priorem Commentarii Columnam*, b. *posteriorem*, *significat*, *quae ubi non adest*, *ipse Textus innuitur.*

A.

Agi-

INDEX RERUM LOCUTIONUM ET VERBORUM.

INDEX RERUM

D.

Deus

E.

Ex

Ferre

G.

Ff ff. Gem-

Inbi-

K.

L.

INDEX RERUM

Luna

N.

Nocti-

Pago

Q.

R.

Relin-

S.

Spa-

T.

Vilia

F I N I S.

DIOMEDIS GUIDALOTTI
BONONIENSIS
COMMENTARII IN ECLOGAS
NEMESIANI
ET
CALPURNII.

A

MAGNIFICO CHRISTOPHORO POGIO SECRETARIO ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS JOANNIS BENTIVOLI SECUNDI DIGNISSIMO DIOMEDES GUIDALOTTUS BONONIENSIS.

SOLEO ITA Mecum semper agere observandissime patrone, ut si quid in nobis noverim ingratitudinis, me ipso nunquam absolvar judice. Quo fit ut impensius gratitudini studeam, ne si aliquando incautius erravero, me ipsum quasi Terentianus senex excruciem, unus tu tamen ut succumbam facis & subinde clam arguis ingratitudinis. Cujus tanta sunt erga me merita ut, etsi vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar illorum assecutus:quod si non deterreor haec quam parva ingenti cumulo tuorum opponere beneficiorum, quid posse velim magis, quam quid valeam ostentare contendo: Ut perspicuum sit pro viribus adniti ingenium ne remunerationi non inservisse arguatur: Quamobrem Commentaria, Secundi nostri fructus in Nemesianum jampridem tibi debita, nunc tandem absoluta Domui dicamus tuae. Futura (ni fallor) propensi erga te amoris documentum sempiternum, & erga me vestri: Cui enim potius haec consecrarim quam tibi? qui etsi nullo me devinxeris beneficio, his optimo jure jamdiu manum injeceras. Tum quod & quodam necessitudinis vinculo tecum detineor: Tum quod optimus litteratorum omnium fautor, acerrimus defensor, & semper ad virtutem incitator extitisti. Nec me fallit ut pro te judicem immensi calcar amoris. Nam hoc idem princeps ausit asseverare noster JOANNES BENTIVOLUS SECUNDUS. Qui adeo te magnifacit una cum uxore prudentissima sua GINEVERA, ut nihil sine te cogitet condat atque destinet. Qui tum denique hylarissimus videtur cum tecum loquitur. Aut si quando in praedio tuo ejus remittitur animus amaenis jocis & recitationibus intentus, hoc novere similiter praestantissimi ejus filii. Hannibal, Antonius Galeaz, Alexander & Hermes quorum non minus accommodaris voluntati quam eorum parentis: Vive diu foelix, tibi quicquid postules offerat fortuna, necnon uxori tuae omnium foeminarum praestantissimae, ut ita diu Musas tueri possitis & fautores esse virtutum, utque Joannem filium admirabilis ingenii puerum, seu lyram pulset, seu carmina recitet, ad illud celebritatis culmen perducatis ad quod evadere solent qui quam maxime: Me ipsum, Meaque tibi commendare supervacuum videtur: cum hoc satis judicem, si tuum hoc sit munus, & tuae partes, quas: quamquam Malivolentia & livore impediuntur: Vestrum erit a detrectatoribus defendere & liberas reddere. Ne dum exeunt invidos Morsus reformident, & latibula magis quam lucem desiderare videantur. Vale & me (quod soles) Redama.

 VI-

VITA NEMESIANI.

VITAE NEMESIANI UT Diximus etiam in Calpurnio nisi ex conjectura quaedam dicantur certi nihil inveni: habuit Principis Augusti a Calpurnio celebrati aurem mirum in modum facilem, unde dixit Calpurnius aegloga prima:

Forsitan Augustas feret haec Meliboeus ad aures.

Et hic est Nemesianus ille, cui opusculum suum dicavit Calpurnius quasi Moecenati altero: & fautori suo, huic quantum ille placuerit ex hoc apparet quod cum imitari omni nixu conatus est. Quare & saepius integrum illius carmen inserit suis: de morte & gestis ejus divinare potius esset quam veri quicquam adducere, ideo haec relinquimus quibus fortasse notiora fuerunt, neque enim nos tanti facimus ut omnia soli novisse arbitremur.

JOANNES BAPTISTA PLAUTIUS.

SI quis Iantheos hac possidet urbe liquores:
Atque Medusaeos combibit ore lacus:
Si quis fatidici decantat grande Maronis
Carmen: & argutos spargit ad astra sonos:
Si quis Pimpleis sua pectora nutrit in antris:
Atque suis aptat laurea serta comis:
Si quis aves suavi demulcet carmine: si quis
Numen habet posita Gorgone Palladium.
Si quis & antiqui cautus penetralia vatis
Intrat: & amissum dat sibi habere decus:
Si quis & audacem constanti pectore vulgum
Spernit: sordidulas grammaticique manus:
Dispeream si non meus est Guidalottus: honorem
Nunc merito Phoebus quem putat esse suum.

DIO-

DIOMEDIS GUIDALOTTI
BONONIENSIS
COMMENTARIA IN ECLOGAS
AURELII NEMESIANI
CARTHAGINENSIS.

Vers. 1. **D**UM FISCELLA TIBI.] Cum in exemplaribus antiquis discretae reperiantur Calpurnii & Nemesiani aeglogae, non ausim ego discretas conjungere & uni ascribere Calpurnio; Etsi sciam a multis & doctissimis viris citari carmina non Nemesiani, quae illi ascribantur sed Calpurnii. Neque enitar ut magis hujus quam illius esse probem, ne si haec inquiram scrupulosius, Delphos potius quam Apollinem consuluisse videar; hoc est divinare magis quam explanare: hoc tantum nostri erit asseverare cujuslibet sint eleganter, graphice, & stilo juncudissimo procedere. quod si quaedam difficiliora, ut a doctissimo prolata invenientur, pro viribus conitar ut quam facilia & plana lectoribus appareant: opus igitur aggredientibus nobis, non inutile fore arbitror si (ut consuevimus) argumentum aeglogae anteponamus: quod tale est. Timetas superveniens Tityro fiscelam texenti, petit ut carmina recitet, & cum ille senectam excusationi sibi praedicet, Timetamque ipsum potius ad cantilenam provocet, incipit Tityrus & orditur carmina, quibus pastorem mortuum quendam usque ad sidera tollit, quemadmodum Daphnim Virg. quem autem intelligat ambiguum est nisi aut Calpur. aut Augustum seu quemvis alium, non enim haec nos affirmamus: ne sint qui subito huic sese applicent Antae Vituperatores.

FISCELA.] *Instrumentum rusticum est a ferendo dicta*, ut scr. Varro, cujus primitivum est *fiscina* Calp.

Sed mihi nec gracili sine te fiscela salicto Texitur:

Fisci etiam fiscinae & fiscelae, ut docet Asconius, spartea sunt utensilia ad majoris summae pecunias capiendas. Hinc est jocus Ciceronis ex quinto Verrinarum, *in cistam transferam ex fisco*, quod significat ad meam utilitatem privatam, cum fiscus sit proprie publicus.

2. TEXITUR.] Committitur & intextu conficitur: contexi crimen dicitur etiam per quandam similitudinem. Cicero pro rege Deiotaro. *At quam festive crimen contexitur.* Apud Vir. *detexere* pro valde texere dicitur.

Melli detexere junco:

Retexere vero quanquam aperire & dissolvere, interdum iterum significat texere. Cicero in secunda Phil. *Itaque jam retexo orationem meam.* Idem in quinto Verri. *Ut totam suam praeturam retexere videretur.*

RESONANT.] Obstrepunt & sonum reddunt,

- - - Resonantque acanthida dumi.

RAUCIS CICADIS.] Epitheton est perpetuum cicadarum: quae canunt vocantur *Achetae*, hoc est querulae, & quae minores ex his sunt, *tettigoniae*, quin ex cicada genitae Mares in utroque genere cantant (ut auctor est Plinius in undecimo) foeminae silent. Ex genere cicadarum est *surcularia*, quae grandior a surculis quibus adhaeret dicta, *frumentariaque* quod cum frumentis are scentibus appareat, alio nomine *avenaria* etiam dicta. Cicadis vesci gentes ad orientem & Parthos auctor est Pli. Ser. Pln. in Syllae vita, senatu sedente in templo Bellonae, passerem inspectantibus cunctis involasse ore cicadam gerentem, cujus ejectam partem reliquit, partem etiam tenens abscessit. Unde augures seditionem & agrestium adversus urbanam & forensem turbam dimicationem conjectavere.

4. SUB GRACILI ARUNDINE.] Stilum pastorium significat, qui gracilis est, unde apud Virg.

- - - Gracili modulatus avena.

Gracilis, enim tenuis dicitur, unde *graciles Indi* quod tenues & a sole exusti sunt appellati.

4. COMPOSITUM.] Dictum.

INFLARE.] Flatum & spiritum dando incinere, Virg. in Buc.

Tu calamos inflare leves ego dicere versus,

Gel. libr. pr. Noc. Atticarum *ad manum cum eburnea solitus habere fistula, qui flaret post ipsum occulte quum concionaretur, peritum hominem qui inflaret celeriter eum sonum qui illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret.* Scribit Plu. Tibias sprevisse Alcibiadem quod & colloquia tollerentur & hominis os deformarent dum inflarentur, quare & Pallas fregisse illas dicitur, cum os tumidum animadverteret in Tritonia palude.

LABELLUM.] Diminutivum est a labro quod significat oris partem superiorem & inferiorem unde *labeones* & *brones* dicti auc. Pli. sed jam plura diximus in Calp. Non omittendum est tamen, labrum aliquando pro vase balneario accipi, ut apud Ciceronem ita scribentem, *cura ut labra in balneis sint*, & apud Papinium.

- - - Argento foelix propellitur unda,
Argentoque cadit labrisque nitentibus instat,
Delectas mirata suas.

5. BONUS APOLLO.] Seu doctus, ut, *boni quoniam convenimus ambo:* seu propicius & innocuus ut *sisque bonus foelixque tuis.*

6. SALICES HAEDI.] Haedi Caprarum sunt foetus sicut agni ovium, amantque *salices* unde dixit Virg.

- - - Non me pascente capellae,
Florentem cythisum salices carpetis amaras.

7. DETONDENT.] Excerpunt: sic Virg. 3. Aenei.

- - - Equos in gramine vidi,
Tondentes campum late candore nivali.

I. e. Pascentes, nam dum pascuntur herbas tondent & praecidunt.

PERMITTERE CAMPO.] Docuimus in Calp. comm. ex auctoritate Virg. & Colu. qua hora pascantur pecudes primo seu mane & cum sol ad occasum vergere incoeperit, nam mane torulenta illa herba pecori est gratissima, unde dixit Cal.

- - - Humida dulces,
Efficit aura cibos quoties fugientibus euris,
Frigida nocturno tinguntur pascua Rore:

Eandem diligenciam habendam esse vaccis & jumentis praecipit Virg. & maxime gravidis, ne solem sentiant cum mediis fervoribus acrior instat, quare ita suadet.

- - - Armentaque pasces,
Sole recens orto aut noctem ducentibus astris.

8. CLEMENTIA SOLIS.] I. e. Ortus solaris. tunc enim clemens est & mitis cum oritur, ut qui nondum vires actintes collegerit quibus pollet cum coeli medium obtinet. Nam tunc inclementia vocatur ardor ille nimius & torrida radiatio.

SUADET.] Permittit quasi quadam suasione. *Suadere* est suavi alloquio quempiam in opinionem tuam inducere, cujus contrarium est *dissuadere* quod significat opinionem super aliqua re facienda tollere, a *suadeo* fit *suasio* & *suasor* & *suadela* pro suasione. Et, *suada* illa dea quae & eadem Pitho appellatur, a *suadendo* dicta, quam in primoribus labris Periclis habitasse ferunt, qui in animis auditorum quasi aculeos quosdam relinquere videbatur quoties perorasset. auctores sunt Valerius in Octavo, & in ejus vita Plu.

9. HOS ANNOS.] Excusatio legitima, & legas interrogative, id est, me senem canere jubes, cum officium hoc sit robustioris aetatis.

CANAM SENECTAM.] Canam hoc est albis capillis inspersam. Vir. in. I. Aeneidos,

Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

Pro eo quod est capilli albebant indicia senectutis.

10. TU JUVENIS] Ex multis est causis excusatio. Quod sit senex, quod a Juvene invitetur, & quod provocetur a docto. Tu Juvenis, cui. s. joci cantus & blandimenta conveniunt.

CARUS DEIS.] Vel generaliter omnibus deis. Ut, *cara deum soboles.* Vel Apollini & Baccho, qui fautores & dii sunt poëtarum, qui ideo semper juventam retinere existimantur, quod semper florent, carmina & nunquam intermoriuntur. hincque cecinit Tib. in primo

Solis aeterna est Baccho Phoeboque juventas,
Nam decet intonsus crinis utrunque deum.

Quamvis in impressis exemplaribus totus sit corruptus versus.

11. VIXIMUS.] Aliqua habent exemplaria *diximus* pro eo quod est cantavimus. Nam *dicere* quandoque pro canere accipitur, ut,

Dicite Pierides non omnia possumus omnes.

Respectat autem proverbium antiquum & priscum morem, nam ut scribit Plut. *in Lycurgo. Tres erant chori pro tribus aetatibus in celebritatibus constituti, unusque senectutis incipiens canebat nos olim robusti fuimus juvenes. Adultae vero aetatis alter subsequens inquiebat. Nos autem sumus quod si velis periculum facito. At pueritiae tertius nos erimus multum profecto meliores:* Ad hunc itaque morem allusit Catullus, cum dixit:

Sed haec prius fuere,
Nunc recondita senet quiete.

Et Virg. illo carmine

Vixi & quem dederat cursum fortuna peregi:

Et alibi

Fuimus Troes: fuit Ilion & ingens,
Gloria Teucrorum.

12. SECURA AETAS] Juvenilis, quae nulli est obnoxia tristitiae, & a curis seposita, unde Ovi. in 3. tristium cecinit

Intergee & lete letus Juvenilia scripsi.

LUDEBAT.] Scribebat. ludere enim aliquando scribere significat ut apud Virgi.

Ludere quae vellem calamo permisit agresti.

HYLARES AMORES.] Festivos & lascivientes, *Hylaris* autem laetus dicitur & gaudibundus unde *Hylarare* quod significat laetum facere & *Hylarari* jucundari. M. T. de finibus bonorum & malorum libro secundo. *Verum hoc loco sumo verbis his eandem certe vim voluptatis Epicurum non posse quam caeteros, omnes enim jucundum motum quo sensus hylaretur graece ἡδονὴν latine voluptatem volunt.*

13. ALBUM CAPUT.] Hoc est canum & albis capillis inspersum.

ET VENERES TEPUERE SUB ANNIS.] hoc est calor ille juventae quo vigebat Venus cecidit.

Nam fugit retro levis juventas & decor arida,
Pellente lascivos amores canitie.

Ut inquit Horatius lib sec. carminum, senectus enim calorem extinguit, ut inquit Plutarchus de Mario, & juxta sententiam Ciceronianam de Amicitia, viriditatem aufert. *Veneres* imo plurali dixit numero, quanquam plures veneres & cupidines credidit antiquitas, unde dixit Catullus

Lugete o Veneres Cupidinesque:

Scribit Lactantius in prim. Divinarum Institutionum Venerem primam in Cypro artem meretriciam instituisse inventricemque fuisse ut mulieres vulgo corporum quaestum facerent, quod iccirco imperasse videtur ne sola praeter alias mulieres inpudica & virorum appetens crederetur.

TEPUERE.] Vehementiam caloris amisere, unde *tepidi* dicuntur mediocriter inflammati. Ovid.

Saepe tepent alii juvenes ego semper amavi.

Sed

Sophocles confectus senio jactare solebat, beneficio senectutis se a venereis cupiditatibus tanquam a domino agresti & furioso liberatum. Quod recensuit Philostratus in primo.

SUA ANNIS] Hoc est sub senectute quae ex annis contingit. Tunc enim homo gravatus senio a cupiditate venerea liberatur. quare ita conqueritur Ovid. in libris amorum.

Quae mihi ventura est siquidem est ventura senectus?
Cum desit numeris ipsa juventa suis.

Hinc carpit Juvenalis sermonem impudicum in vetula quae ex aetate ab his aculeis debet semmoveri. Ita enim inquit sat. VI.

Tunc etiam quam sextus & octogesimus annus
Pulsat, adhuc graece, non est hic sermo pudicus
In vetula quoties lascivum intervenit illud
ζωὴ καὶ ψυχὴ modo sub lodice relictis.

14. JAM MEA RURICOLAE.] Mos fuit antiquorum ut qui rude donarentur & essent emeriti arma templis affigerent seu alicui dono darent deo, ut ita indicarent se usum nullum amplius in illis habere, & in hanc sententiam prolatum est illud ab Ausonio.

Lais Anus Veneri speculum dico. dignum habeat se
Eterna eternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus, quia cernere talem
Qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

Ad id etiam respexit Ovid. ita canens in IIII. Tristium

Miles ut emeritis non est satis utilis armis
Ponit ad antiquos quae tulit arma lares.

Inde est illud Horatii ex. 3. Carminum

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

Et illud ex. 1. Epistolarum

Non eadem aetas, non mens, Vejanius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro:

Pueritiae itaque similiter exuentes indumenta, laribus insignia appendebant, ut bullas, significantes usum in illis non esse viris, ob quod dixit Persius

Bullaque succinctis laribus donata pependit,

Id & virgines quoque observasse traduntur Veneri puppas offerentes, quod & Persius tetigit illo versu

Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine puppae,

Hunc itaque modum respiciens poëta noster dixit, Silvano pendere fistulam, nam similiter Pastores fistulas suas dicare solebant, unde dixit Virg.

Hic arguta sacra pendebit fistula pinu,

Et Tibullus lib. II.

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra deo.

RURICOLAE FAUNO.] Ruris curam habenti. sed de Fauno plura in 1. Calpurnii Aegloga videto.

15. ET NUNC RURA SONANT.] In omnibus fere exemplaribus hunc versum cum sequentibus usque ad illum & *parere decet* Timetas inducitur proferre. quod (meo quidem judicio) nullo potest procedere modo, nam manifestum est Timetam Moelibei laudes canere, quod probatur in fine aeglogae dicente Tytiro

Perge puer coeptumque tibi ne desere carmen.

Et ex excusatione

Tu juvenis carusque deis in carmina cogis.

Neque enim verisimile est judicem se praebuisse seniori Tityro Timetam juvenem quanquam ut plerumque annosi judices inducuntur: Ideo sequentia carmina Tityro tribuenda sunt tali ordine & sensu; cum mea dependat Fauno fistula, sitque senior aetas a carmine semmota, excusari debeo. sed tu cujus novum certamen cum Mopso celebratur, cum me judice & Meliboeo illum devicisti habuisti, & non sine laude apud Meliboeum fuisti, qui nunc e vita discessit, dic age dic aliquid. Et nunc etiam nunc.

16. DISSONA FLAMINA.] Hoc est inaequales sonos & spiritus quibus inflantur calami. *Dissonum.* enim discors dicimus, cujus contrarium est *consonum* quod significat simul respondens. nihil autem est pejus in musica quam si discordet concentus. cujus tantum apud antiquos studium fuisse scribit Quintilianus ut iidem musici & vates & sapientes judicarentur, quare proverbium usque graecorum celebratum est indoctos a musis atque gratiis abesse, unde cum mos esset in conviviis post coenam lyram circumferre Themistocles habitus est indoctior, qui ejus artis se imperitum confessus est, author Cicero in Tusculanis questionibus. Caeterum cum nulli dubium sit hanc ad omnia pene, adhiberi solitum, ut quam oratori commodissimam Quintilianus etiam existimavit, remitto plura avventes ad Quintilianum Gellium & caeteros. etenim commentantis officium est flosculos tantum attingere ne nauseam afferat legentibus.

17. MECUM MOELIBAEUS.] Cum ipse & ego Tytirus nos vobis judices exhiberemus.

UTRUMQUE.] Te & Mopsum.

18. FEREBAT.] Extollebat, ut

Daphnimque tuum feremus ad astra.

SUBLIME.] i. e. Ad altum *sublimis* namque altus dicitur. invenitur & *sublima.* Salustius historiarum lib. 3. *Nam terra nunc erat & sublima nebula celum obscurabat.*

19. PERMENSUM TEMPORA.] hoc est defunctum, Metaphora sumpta a Geometris, qui omnia mensurare solent unde *mensores* dicti. Horati.

Te maris & terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent Archita.

Ovidius,

Communemque prius ceu lumina solis & auras
Cautus humum longo signavit limite mensor.

19. EMERITAE VITAE.] Exactae & finitae. emeriti enim dicuntur milites qui a militia vacationem habent & rude donati sunt. Luc. in. 1.

Quae sedes erit emeritis.

Quintilianus *emeritis hac bello stipendiis*, hi *rudiarii* a rude etiam qua donabantur sunt appellati. rude enim hoc est baculo ita denominato a militia liberabantur Ovid. in libris amorum,

Tutaque sed posito poscitur ense rudis.

Hic *emeritam vitam* intelligimus absolutionem curarum,

rum, a quibus tamquam rudiarii liberamur cum adventat mors.

PARS SECRETI ORBIS.] I. e. campi Elysii qui iidem *piorum campi* nuncupantur. Flaccus in I. Argonauti.

- - - Nec jam merito tibi Typhi quietum
Ulla pareas velet Elysium manesque piorum.

De his Virg. in vi.

Devenere locos laetos & amoena vireta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior hic campos aether & lumine vestit
Purpureo solemque suum sua sydera norunt.

20. SECRETI ORBIS.] Campi Elysii qui sunt in insulis Fortunatis, si credimus Lucano. Atlanticas autem insulas quae duae sunt parvo inter se divisae mari beatas vocant authore Plutarcho, qui decem milibus stadiorum a Libya distare scribit in vita Sertorii de Elysiis campis, animam cum in corpus emittitur per tres elementorum ordines trina morte ad corpus usque descendere author est Macro. in I. de somno Scipionis.

MUNDUS PIORUM.] Legendum est *piorum* ibi enim sedem piae habent animae. Hinc dixit Horatius

Tu pias letis animas reponis sedibus.

Cum campos intelligeret beatorum ubi a Mercurio piorum animae collocantur.

21. GRATIA.] Benivolentia hic.

VIVIT.] In te adhuc permanet. Nam vivit tunc gratia si amici memorem prestat amicum.

22. HONORATOS.] Manes vel propter Inferias dixit illi datas, quae in honorem fiunt defuncti; unde apud Virg. est in I. Aene.

Ergo agite & cuncti laetum celebremus honorem.

Vel propter id quod deus effectus sit Meliboeus, ut apud Virg.

Jamque dies (nisi fallor) adest quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo.

Ubi *honoratum* exponit Servius *quod deus effectus sit.*

23. ET PARERE DECET.] Hic loquitur Timetas, duplicique de causa ut canat adduci aignit, & quia parere decet seniori & longaevo, quam aetatem tanto honore prosecuta est antiquitas ut crederent hoc

Grande nephas & morte piandum
Si juvenis vetulo non assurexerat & si
Barbato cuicumque puer.

Ut inquit Juvenalis juxta quam sententiam prolatum est illud a Marone Bucuolicis,

Tu major tibi me est aequum parere Menalcha.

Et quia grata sunt quae jubentur in laudem Meliboei.

23. JUSSIS.] Jussionibus & mandatis ut apud Virg.

- - - Accipe jussis,
Carmina caepta tuis.

24. DIGNUS.] Dignitate sua merens, unde est verbum dignari quod significat dignum existimare Virg. I. Aene.

Haud equidem tali me dignor honore.

Et in Buccolicis,

Nec Deus hunc mensa dea nec dignata cubili est.

PHOEBUS CARMINE.] Quum ipse carminis est deus Claudianus,

Carmina saepe loquor sic me meus implet Apollo.

Ausonius,

Phoebe potens numeris.

25. PAN CALAMIS.] Cuique tribuit quod suum est siquidem Pan primus calamos jungere instituit.

25. FIGRAUI LINUS.] Linus celeberrimus fuit poëta, Mercurii ex Musa Urania filius, ut placet Hermodoro Platonico, ut Virg. Appollinis, qui ita in Pollione cecinit,

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit
Orphi Calliopea Lino formosus Apollo.

Hunc cytharam invenisse sunt qui testentur, aliqui Orpheum, authore Plinio in septimo. Eundem mundi generationem scripsisse Hermodorus tradidit solisque & lunae cursus ac fructuum & animalium generationes.

25. FIDIBUS.] Allusit ad inventionem cytharae. *Fides* dicitur cytharae. namque chorda, ut voluit Festus, genus est cytharae dicta quod tantum inter se chordae ejus quantum inter homines fides concordet. diminutivum est *fidicula* quae & quoque pro genere tormenti accipitur ut apud Suc. in Tyberio. *Excogitaverat autem inter genera cruciatus etiam ut larga meri potione per fallaciam oneratos repente veretris ligatis fidicularum simul urinaeque tormento distenderet.*

25. ORPHEUS.] Thrax fuit genere, unde & *Threicius vates* appellatur ab Ovid. filius Oeagri doctrina melodia atque poësi, omnes excedens quorum remanserit memoria, etenim poëma edidit mirandum & suavitate cantus feras ad se audiendum attraxit ut scribit Diodorus hic sacri liberi patris primus induxit in Graeciam primusque celebravit in monte Boetiae Thebis, ubi Liber natus est, proximo. qui cum frequenter cytharae cantu personaret cythereum appellatus auctore Lactantio in I. Divinarum Institutionum, hunc amoris puerilis inventorem etiam fuisse tradunt unde cecinit Ovid. in x. Met.

Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares, citraque Juventam
Aetatis breve ver & primos carpere flores.

MODULATIBUS.] Mensura & ratione carminis. Virg.

Modulans alterna notavi.

Quintil. in I. *Namque & voce & modulatione grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter canit.*

26. CONCINERENT.] Simul canerent.

27. SED QUIA TU NOSTRAE.] Deliberativum est.

MUSAM.] Carmen, nam *carmina dant musae* Virg. in Buc.

Pastorum musam dicemus & Alphesibei.

SUPER HAEC.] s. Meliboei quae loquimur.

28. CERASUS.] Ita Calp. in cortice cerasi carmina facit notari cum inquit,

Dic age nam cerasi tua cortice verba notabo,
Et decisa feram rutilanti carmina libro.

Cum enim rutilanti sit cortice cerasus & laevigato, melius inea inciduntur carmina dilucidiusque inspiciuntur incisa. diximus vero superius consuevisse antiquos in corti-

tibus scribere arborum, cum adhuc non esset charta-rum usus, de qua re videto diffusius in commentariis Calp.

29. INCISO LIBRO.] Cerasi cortice notato, est enim liber interior pars corticis ut inquit Ser.

30. DIC AGE.] Hic loquitur Tityrus & commonet ut commodiorem tecitationi locum eligat, ne pinus illi strepitus noceat a vento perstractae.

PINUS GARRULA.] Propter ventum a quo sonora sit unde Catul.

- - - Jam Cytheria in juge,
Loquente saepe sibilum edit coma.

Garrulum verbosum appellamus. Tibul. in primo.

- - - Consuescet amantis,
Garrulus in dominae ludere verna sinu.

Garrulum tamen cordatum significare auc. est Mat. ut apud Var. *in hac tamen civitate regnabit Dyonisius homo garrulus & acer. Garrulae aves* dicuntur canorae & hilares Virg.

Garrula quae tignis nidum suspendit hirundo.

ULMOS.] Arbor est olmus vitibus accommodatissima, cujus semen *samaram* appellatur quod colligitur circa Mar. Kal. cum flavescere incipit teste Pli. *Ulmaria ulmis pluribus consita loca appellata sunt.* Sed de ulmo plura in Calp. diximus commentariis, hoc adde olmum maritam dici quae vitibus apta quoniam illis maritatur de qua Pli. *maritas ulmos serere utilius quia carent semine nam hae e plantis seruntur.*

FAGOS.] Glandifera est arbor ἀπὸ τοῦ φαγεῖν. I. e. commedere dicta fagus, de qua & plura in Calpurnium videto.

31. NIO CANTABA LIBAT.] Loquitur hic Timetas.

SUGGERIT.] Subministrat ut apud Ovid. in xv. Met.

Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit.

Aliquibus tamen in exemplaribus legitur *subjicit* hoc est sopponit.

33. MOLLIS AGER.] Vel delicatus vel uliginosus.

34. APRICA UT ACER.] Quietiorem sibi promittit locum qood taori a longe pascantur, qui aliquando vicini mugitu suo seu incursione invicem circumstantes perturbare solent.

34. OMNIPARENS AETHER.] Orditur hic Timetas in laudem Meliboeci carmina. *Omniparens aether*, Diximus in commentariis Calp. aethera pro Jove accipi qui omnia parit. Jovem enim aetherem, i. e. ignem intelligi volunt Physici & ob hoc eum omnipatentem appellant, quamquam res nulla ita fovet omnia quemadmodum calor, inde dictum est ab Ovid. in primo Met.

Quippe ubi temperiem sumpsere humorque calorque,
Concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus.

Aether autem est supremum elementum, post hunc aër, exinde aqua extremaque omnium terra ut Zenoni placuit, qui voluit in aethere hoc est igne astrorum immobilium orbem primum esse natum, deinde errantium ut auctor est Laërtius: partem aetherem itaque appellavit Lucretius, in primo.

Postremo pereunt hymbres ubi eos pater aether,
In gremium matris terras praecipitavit.

RERUM CAUSA LIQUORES.] I. e. Aquae & pluviae quae omnes alunt foetus dum terrae commiscentur ut inquit Maro, Zenoni placuit pluviam conversionem ex nubibus in aquam esse, cum sive ex terra sive ex mari vi solis sursum elatus humor effectu caruerit. hinc certe (ut inquit Lucre.)

- - - Alitur porro nostrum genus atque ferarum.
Hinc laetas urbes pueris florere videmus,
Frondiferasque novis avibus canere undique silvas.

Anaxagoras omnia ex igne procreati dixit cujus sententiam secutus est Virg. cum cecinit in Sileno,

Et liquidi simul ignis ut his exordia primis
Omnia:

Thales vero ex humore gigni voluit, quare ita refellitur a Lucre.

- - - Humorem quicunque putarunt,
Fingere res ipsas per se, terramve creare
Omnia & in rerum naturas vertier omnis,
Magnopere a vera longeque errasse videntur.

36 CORPORIS ET GENITRIX TELLUS.] Eo dixit qood corpora generet non per se ipsam quidem nam

Convenit & memori mandatum mente tenere,
Nil esse in promptu, quorum natura videtur,
Quod genere ex uno consistat principiorum,
Nec quicquam quod non permixto semine constet.

Ut inquit Lucre. in. II. *Juno* vero pro terra accipitur secundum Empedoclem, quae inde ex humore & pluvia omnia gignit, in quam sententiam protulit Maro,

- - - Et omnes,
Magnus alit, magno commixtus corpore foetus.

Zenoni quidem placuit, elementum esse, ex quo primo prodeant quae fiunt & in qood extremum solvuntur: & esse quatuor elementa, infectam simul atque impolitam substantia materiam, ex quibus ignis calidus, aqua humida, aer frigidus, terraque arida quae pars & in aëre consistat hancque in medio omnium esse sitam, quae (ut inquit in secundo Lucre.)

- - - Habet in se corpora prima,
Tum porro nitidas fruges arbustaque laeta,
Gentibus humanis habens unde extollere possit,
Unde etiam fluvios frondes, & pabula laeta,
Montivago generi possit praebere ferarum.

Corporis genitricem dixit, quoniam secundum Philosophos quae tangi possunt omnia corpus habent, quod & his Lucretianis versibus ex primo declaratur,

Cui si tactus erit quamvis levis exiguusque,
Corporis augebit numerum summamque sequetur,
Tangere enim & tangi nisi corpus nulla potest res.

Unde *incorporeum* appellamus quod intactile est. i. e. sine tactu, *vacuum* quod inane dicimus. quod id esse Zeno voluit, qood a corporibus contineri queat, non autem contineatur, quare hic corporis genitricem terram vocavit poeta, quam optimam matrem appellat Ovid. non tantum corporis humani, sed omnium rerum corporalium, ut frugis, uvae, pabulorum & satorum omnium.

Quare magna deum mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix haec dicta est corporis una.

Ut inquit Lucre.

Vt-

VITALIS AER.] Eo quod per aërem vivimus, ita Plin. in secundo, vitalem aerem his appellavit verbis, *vitalem hunc nobis suadit spiritum per quem vivimus, & cum tamen tot animalium haustus spiritum e sublimi trahat, ille contra nititur*: est etiam opinio quorundam aëream esse animam quod sensit Virgilius cum dixit,

- - - Atque in ventos vita recessit.

Ut si libeat appellare vitalem aërem animam non absonum sit lectoribus ea diversitate animorum ad varias opiniones declinantibus.

37. ACCIPITE HOS CALAMOS.] Hoc est sonum calamorum excipite.

38. MITTITE.] Transmittite, nam cum coelum colat Meliboeus, ex aëris verberatu sonum sentire poterit in lunari circulo, ubi campos Elysios quidam esse dixerunt idque tetigit Lucanus in nono,

- - - Sequitur convexa tonantis,
Qua niger astriferis connectitur axibus aer,
Quodque patet terras inter lunaeque meatus,
Semidei manes habitant quos ignea virtus,
Innocuos vitae patientes aetheris imi,
Fecit & aeternos animam collegit in orbes.

SI SENTIRE DATUR.] Hoc dixit quoniam quorundam erat opinio una cum corpore interire animam, cui adheret Epicurus mortem ad nos nihil attinere ita argumentando, bonum omne ac malum in sensu est, sensus autem privatio mors est, qui timet ergo mortem nihil timet, quoniam mors nihil ad nos: Zeno animam sensibilem esse voluit eamque nobis insitum & ingenitum spiritum, ideo corpus esse ac durare post mortem obnoxiam corruptioni. tamen Dicearchus etiam contra immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit qui Lesbiaci vocantur, quod Mytilenis sermo habetur, in quibus vult efficere, animos esse mortales, ut auctor est Cic. hae tamen auctoritatibus multorum refelluntur opiniones. Etenim quis timor nobis ingenitus, si nihil post mortem sentimus, quos Rhadamantas, Plutones, Cerberos, Eacosve fingimus. immortalis est nempe anima, cui pro meritis, parantur sedes a corpore disjunctae. quare deridet Juvenalis haec aspernantes & ut inquit ipse quoties hinc talis ad illos umbra venit cuperent lustrari, si qua darentur sulphura cum Taedis aut si foret humida laurus.

QUIETIS.] Respexit ad divinitatem quamquam pacem summa tenent aguntque longissima quies.

39. SUBLIMES ANIMAE.] Quae in circulo sc. Lunari sunt collocatae.

CELESTIA TEMPLA.] *Templum* dicitur ut scribit Var. natura, in coelo, ab auspiciis in terra, ab similitudine sub terra hic accipiuntur pro divinis nam & augurum *templa* dicuntur quaa constituta sunt & suis finibus designata, hoc est, arboribus & intra eas regiones quae oculi conspicere possunt.

40. SYDE.] Sc. Syderibus exornatas.

MUNDO FRUUNTUR.] Quando cum oculis habent subjectum qui in coelo sunt. inde Virg.

- - - Urbesne invisere Caesar
Terrarumque velis curam.

Et Lucanus in nono,

- - - Vidit sub quanta nocte jaceret
Nostra dies risitque sui ludibria trunci.

41. ADVERTE.] Audi excipe.

MODOS.] Cantilenam nam modus dicitur in sono concentus cujus diminutivum est *modulus* unde verbum *modulare* & *modulamina*.

FOVISTI.] Hoc spectat ad illud superius,

Laudesque tuas sublime ferebat.

Et est Metaphora ab avibus sumpta & nutricibus quae prolem pectore solent fovere, exponasque fovisti educastique ad aetatem grandiorem incitationibus laudum tuarum, nam ut inquit Ovid.

Excitat auditor studium laudataque virtus,
Crescit & immensum gloria calcar habet.

PROBASTI.] Probos judicasti. probatum & spectatum vis esse majoris scribit Marcellus. Lucilius in XI. *Tuum probatam mihi & spectatam adolescentiam.*

43. LONGA TIBI CUNCTIS.] Ordo est: & senectus & foelices anni & circulus novissimus innocuae vitae clauserunt tempora tuae, hoc est tibi mortem attulerunt.

SPECTATA SENECTUS.] I. e. probata ut

- - - Rebus spectata Juventus.

44. FELICES.] Anni nullo polluti scelere aut flagitio: nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum facti crimen habet ut inquit Juvenalis; talesque anni infelices sunt appellandi potius quam felices, quare dixit epigrammatarius poeta, hoc est vivere bis vita posse priore frui.

45. CIRCULUS VITAE NOVISSIMUS.] Seu climactericus. quem scalarium appellant (ut scribit Gellius) hoc est annus sexagesimus tertius in quo semper aliquae clades vel periculum senioribus accidere solet: seu centesimus quem raro a mortalibus praeteriri creditur, quoniam (inquit Pli. in. XI.) *cor a quinquagesimo anno ad quem semper crevit ultimum decrementum tunc habere existimatur. Circulus*, a circumeundo dictus est. nam menses semper circumeunt & anni qui cursum complent aetatis, unde annullum quasi annuum dici voluere ut author est Servius in explicatione ejus Virgiliani in. V. Aene.

Annuus exactis completur mensibus orbis
Circulus.

Itaque vitae revolutionem intellige.

NOVISSIMUS [Extremus: Gellius libro. X. Noctium Atticarum *quod extremum inquit dicebatur est dici novissimum coeptum vulgo idemque mea memoria, ut Laelius. sic Senes alii quod nimirum novum uerbum vitabant cujus origo est a vetere vetustius & veterrimum. Sic a novo declinatum novius & novissimum.*

46. INNOCUAE VITAE.] Simplicis & fallere nesciae. *innocuum* appellamus quod non noceat, Ovid.

Intactas fuetatis aves solatia ruris.
Assuetum silvis innocuumque genus.

47. NEC MINUS.] Sensus est, non minus fuit nobis doloris mors tua tarda quam si immaturus periisses nam naturaliter minus dolent nobis qui senes quam qui juvenes rapiuntur & ut inquit Pli. Cecilius in I. Epistolarum *luctuossimum genus mortis est quae non ex natura nec fatalis videtur*, inde Ruffi Bononiensis mortem magis deflet Marti. quod immaturus perierit, cum inquit

Heu qualis pietas heu quam brevis occidit aetas,
Viderat Alphei praemia quinque modo.

Gr-

Gemitus] Dolentis est clamor & vox, unde gemere dicitur turtur quod vocem lugubrem & moestam emittat luctui quasi similem. gemitum Horati. stridorem appellavit antemnarum ex funibus in. 1. carminum his

Et malus celeri saucius aphrico
Antennaeque gemant.

47. Mors invida.] Quoniam omnia nostra rapit bona, unde ita conqueritur Catullus,

At vobis male sit malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis.

Pelleret.] Expelleret & abrumperet.

Florentes annos.] I. e. Juveniles nam ea viridis & florens dicitur aetas. Boëti. de consolatione,

Gloria foelicis olim viridisque juventae.

48. Nec tenuit tales.] Sensus est non dissimulaverunt omnes causam communem quin tales emitterent querelas.

Communis causa.] Quanquam jactura fuit publica in Meliboeo.

49. Jacet.] Verbum est mortuorum. Marti. in xi.

Hoc sub marmore Glaucias humatus,
Junctо Flaminеae jacet sepulchro:

Virg. in II. Aene.

Jacet ingens littore truncus:

Et ita hic accipitur. alias enim *jacere* pro demisse orare invenitur ut apud Ovidium in Epistolis.

Et jacet ante tuos Graecia moesta pedes:

Sronis.] Quasi sine igne quo elemento maxime excitamur. hoc vero carent mortui.

Letali frigore.] *Laetali* ideo dixit quoniam est aliquando non lactalis ut in febri & timore.

50. Lege hominum.] Qua omnes ad mortem destinamur, unde canit Orpheus ita apud Ovidium in 2. Met. ad inferos,

Omnia debentur vobis paulumque morati,
Serius aut citus sedem properamus ad unam,
Tendimus huc omnes haec est domus ultima. vosque
Humani generis longissima regna tenetis.

Horatius,

Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via laeti.

Coelo dignus.] Ad cujus concilium revocatus fuisti.

Canente senecta.] Hoc est albicante, nam ut inquit Boë. de consolatione,

Intempestivi funduntur vertice cani,
Et tremit effoeto corpore lassa cutis.

51. Concilio deum] Id est conventioni: Scribit Donatus omnem conventionem conciliationem dici, unde conciliatus emptus, quoniam conveniunes fiunt: In aliquibus exemplaribus legitur *consilio* quod convenit prudentiae & senectuti Meliboei.

Ponderis aequi.] Id est justiciae qua rectum & justum ponderatur. Persius Saty. quinta.

Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis librae, rectum discernis ubi inter
Curva subit vel cum fallit pede regula Varo.

52. Ruricolum discernere lites.] Declaratio est justus, nam lites de medio tollere consueverat agricolarum.

53. Assueras.] Pro consueveras.

Patiens.] Patienter audiens astantium querelas.

Discernere.] Discriminare, aperire.

Mulcendo.] Mitigando. mulcere enim est mitigare ut apud Virg.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet:

Papinius in Secundo silvarum,

- - - Tu pectora mulce,
Tu prohibe manare genas.

54 Ruris amor.] Vel ruricolarum invicem concordantium vel desiderium colendi agros nam olim fuit precipua laus si quis bonus colonus appellaretur,

55. Terminus.] Meta dividens agros vicinales, unde terminalia quae in honorem dei termini fiebant: Ovid. in secundo Fastorum,

Tu populos urbesque & regna ingentia finis,
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est nullo corrumperis auro,
Legitima servas credita rura fide:

Terminus quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nephas esse putarent terminum intra tectum consistere: statuit Numa ut auctor est Pompe. eum qui Terminum exarasset & ipsum & boves sacros esse.

Ambiguos.] Dubios, qui cujus essent non bene dignoscebantur. *Ambiguus* enim ut in commentariis Calp. diximus est cujus nulla est certitudo. unde *Ambiguum Proteum* dixere quod in varias se vertere formas consuesset: & *Ambiguus lupus* ab Ovidio appellatur propter transformationem quam putant aliqui hominum in lupos.

56. Blanda vultus gravitas.] Ab utraque parte laudatur, nam gravitatem retinebat quae venerandum facit: Sed ne ad severitatem videretur vergere blanditiis quibusdam erat illita quae ad amorem invitabant: Scribit Plin in. xi. frontem in homine esse indicem tristitiae hilaritatis clementiae & severitatis in. ejus assensu.

57. Mite supercilium.] Do supercilio Pli. in. xi. *extremum ambitum genae superioris antiqui cilium vocavere unde & supercilia.* Saty. II.

Atque supercilio brevior coma.

Supercilia homini & pariter & alterne mobilia & in his pax homini. negamus, annuimus, haec maxime indicant fastus, superbia. alibi conceptaculum sed hic sedem habent, inde saepius pro severitate accipitur ut in obsceno carmine,

Conveniens Latio pone supercilium.

Sed pectus mitius ore.] Hic talis est sensus cum mitissima essent tua verba ab ore provenientia mitius etiam pectus erat. hoc est non aliud in ore, aliud in pectore versabatur ut consuetudo est multorum qui manu altera la-

pidem ferunt panem ostentant altera, ut inquit Plau. in Auluiaria.

58. LABRIS.] *Labra* sunt proprie superiora, & labia inferiora, & labia asinurum dicuntur ut docet Donatus. Unde jocus extat rodentis asini carduos *similem havent labra lattucam.*

59. FALLERE] Decipere & ad hylaritatem traducere est enim lenimen cantus & sonus curarum & laborum unde Hora. ad Lyram

O decus Phoebi & dapibus supremi,
Grata testudo Jovis, ò laborum
Dulce lenimen.

Itaque conqueritur Ovid. in III. Tristium

Non domus apta satis non hic cibus utilis aegro,
Nullus Apollinea qui levet arte malum est.

DURAS.] Asperas cura enim est quasi cor urens dicta. *vitiosa cura* appellatur ab Horatio quoniam viciat & corrumpit animi serenitatem.

60. NEC SEGNEM PASSUS.] Sic Virg.

Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

SEGNEM JUVENTAM.] Id est, Inertem, nam

Languor & immodici sub nullo judice somni,
Aleaque & multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animo sine vulnere vires.

Ut inquit Ovid. de Re. Amo.

MARCERE.] Marcidam fieri & putrefieri onde *Marcor* putredo, & *marcions* putridus dictus.

61. DARAS PRAEMIA.] Ut incitares. Sc. ad virtutem animos, nam

In steriles campos nolunt juga ferre juvenci.

Ut inquit Martialis & juxta illud Satyrographi poëtae.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Praemia si tollas:
Scribentem juvat ipse favor minuitque laborem,
Cumque suo crescens pectore fervet opus.

Ut inquit Ovidius in Tertio de Ponto.

MERITAE MUSAE.] Cantilenae cujuslibet meriti praemia.

63. DIXISTI.] Cecinisti ut *dic age dic coryden.*

PHOEBEA AVENA.] Dulci mellita & Apollini non dissona.

64. MELIBOEE VALE.] Vox est a mortuis discedentium vale, & ut scribit Varro in logistoricis *synonima sunt salve & vale unde his & in salutationibus & execrationibus utimur. haec autem dicimus mortuis non quod eis optemus salutem in quibus nulla esse potest. sed ut significemus ita nos digredi ut ostendamus illos nunquam in nostram communionem esse venturos.*

ODORAE FRONDIS LAURUS.] Lauri esse plura genera docet Plinius in. xv. scribens eam solam satarum receptarum in domus, fulmine non percuti, & ob eam causam honorem his habitum in triumphis, potiusque quia suffimentum sit caedis hostium & purgatio, ut tradit Massurius. adeo enim in prophanis usibus polluni laurum & oleam fas non est ut ne propiciandis quidem numinibus accendi ex his altaria araeve debeant: exemplum autem est Tiberii principis lauro coronare se soliti coorta fulminum Metus,

ODORAE.] Odorem reddentis ut *odoram caeram* appellavit Calpurnius.

65. RURALIS APOLLO] Id est, Rura colens, expressit cognomentum Graecum. Νόμιος enim dicitur, invocatur & ipse ab agricolis ut Liber, quoniam triplicem potestatem habere dicitur de qua re plura si libet. in commentariis nostris in Calpurnium videto.

66 RACEMIS DE VITE.] Bene inducit Faunos rustica offerre dona quoniam & ipsi agrestes sunt dii.

67. CULMOS.] Culmi dicuntur paleae (ut scribit Ser.) e messibus, unde & culmi postea dictum quod his tecta sternerent Var. in. II. de re Ru. *In segetibus autem frumentum quo culmus extulit spicam.*

EX ARBORE FRUGES.] Scribunt jureconsulti titulo de verborum & rerum significatione frugem pro reddun appellari, non solum pro frumentis aut leguminibus, verumetiam, quod ex vino vel ex silvis ceduis, cretifodinis lapidicinis capitur: Negavit tamen Julianus fruges omnes esse quibus homo vescatur. non enim carnes aut aves ferative aut poma fruges dici scribit & primo Gallum recte deffinisse frumentum id esse quod in se arista contineat Frux frugis (ut docet Pom.) antiqui fructam & fructum dixerunt eodemque auctore frugamenta a frugibus sunt appellata.

68. GRANDEVA PALES.] Grandevi dicuntur seniores & majoris aetatis. Vir.

Et qua vectus Abas & qua Grandevus Alethes,
Vicit Hyems.

Estque dignitatis majoris ut apud poëtam in Geor. *Grandevus Nereus:* Grandaevitas etiam & granditas aetas illa major appellata est auct. Mar.

69. CIMBIA.] Vasa dicuntur & pocula in modum Cimbae (ut scribit Ser.) Vir.

Inferimus tepido spumantia Cimbia lacte.

LACTE.] Quoniam ita placatur ipsa Pales vel quia dea est pabulorum unde proventus lactis. Lacte consueverunt etiam mortuis sacrificare unde dixit Tib. in primo.

Jam jubet aspersas lacte referre pedem.

Cum mortuos anum revocare intelligeret: Imo & ipse Aene. lac & sanguinem patri fundere a Marone inducitur in I. Aene.

68 MELLA FERUNT NYMPHAE.] Hamadryadas intelligit, quae cum arboribus una nascuntur & moriuntur, in quarum cum sint cava arbores in quibus foetificant apes decenter mellis dona offerre finguntur.

PICTAS FLORE CORONAS.] Hic Napeas intellige herbarum ac florum Nymphas. νάπη enim est recessus intra montes ubi flores & herbae virescunt.

PICTAS.] Variegatas versicoloribus Floribus. primum Crassum divitem argento auroque folia imitatum ludis suis coronas dedisse auctor est Pli. coronae nimius fuit usus. adhibere rosam unde & rosea corona de qua Mar.

Pulchrior ut numero videatur corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo:

Serta haec eadem dicta sunt eo quod simul jungerentur flores Tib.

Ao-

Annua constructo serta dabit tumulo.

Sertique ideo flores ab Apu. in quarto de asi. an. hoc est in coronas juncti appellantur: coronam Grae. στέφανον vocat: diminutive sunt corollae dictae ex lamina tenui aenea inaurata aut argento illita ob gracilitatem suam. Lemnisci vero ex coronis dependentes fasceolae quin lanisci de quibus Virg. illo versiculo intellexit.

Puniceis ibant evinctis tempora tenis:

Sue. *ingestarque aves ac lemnisci.*

70. SUPREMUS HONOS] Id est ultimus, fuit autem consuetudo ut in funere crocum & costum spargerent & alios flores, unde cecinit Papinius in secundo silvarum:

- - - Quid ego exequias & prodiga flammis,
Dona loquar moestoque ardentia funera luxu,
Quod tibi purpureo tristis rogus aggere crevit.
Quid Cilicum flores quid munera graminis Indi,
Quosque Arabes Phariique palam est (vidi ipse) liquores
Arsuram lavere comam.

MANIBUS.] *Manes* dii ab auguribus vocantur quod per eos omnia manare credebant illosque deos superos & inferos dicebant, auctor est Pompejus: *a mano autem manes appellari quidam volunt hoc est bonos. antiqui enim manum bonum & prosperum dicebant, inde immanes non boni ut saepe vocantur:* Scrib Servius in III. Aenei. Manes animas dici e corporibus egressas, & quae nondum alia intraverint corpora: *Summanum* itaque antiquitas Plutonem quasi summum manium appellavit. Ovidius in Sexto Fastorum.

Reddita quisquis is est Summano templa feruntur,
Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

DANT CARMINA MUSAE.] Nam eorum est peculiare carmen: Musae dictae sunt ex auctoritate Platonica a μάω, verbo quod significat inquirere sentit tamen Cassiodorus *Musas* quasi *omensas* dici eo quod simul sint: hae novem numero esse traduntur Mnemosines & Jovis filiae teste Heliodo. qui in Theogognia earum nomina his tribus versibus complexus est.

Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε Θάλειά τε Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνιά τ' Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη τ', ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

Latine sic vertuntur,

Clioque Euterpeque juvans & docta Thalia,
Melpomene laetis & Therpsichorea choraeis,
Hic subeunt Erato memorique Polymnia mente.
Addimus Uraniem & quae manet ultima quamquam,
Calliope cunctas superemiuet unica Musas.

harum nomina singula singulis suis historiarum libris inscripsit Herodotus. scribit Fulgentius in primo Mythologicon ideo novem Musis decimum addi Apollinem propterea quod humanae vocis decem sint modulamina, unde cum decacorda ipse cythara Apollo pingitur.

71. NOS TA MODULAMUR.] Cum quisque pro viribus munera exequiis tuis offerat nos quoque carmina damus quamvis tenuia. per avenam enim humilem significat stilum.

72. SILVESTRIS PLATANUS.] Scribit Pli. in XII. Platanum per mare Ionium in Diomedis insulam ejusdem tumuli gratia primum invectam fuisse, unde in Siciliam transgressam interque primas Italiae donatam etiam ad Morinos usque provectam, ubi pro umbra gentes vectigal pendant. compertum postea ut mero infuso nutriantur quoniam maxime radicibus earum prodesse creditum: In Lycia tantae magnitudinis platanum fuisse idem affirmat, ut Licinius Mutianus ejusdem provinciae legatus prodiderit intra eam se duodevicesimo comite epulatum large ipsa toros praebente fronde: hic autem per silvestrem platanum intelligit Chame Platanum coactae brevitatis, quam ipsa excogitavit Italia, ut non inter arbores etiam pumilionibus locus suus non deesset sicuti inquit Pli.

72. SILVESTRES.] Steriles quoniam minus generant Silvestria. Virgilius,

Et steriles platani malos gessere valentes.

Vel ideo silvestres intelligas quoniam ex peregrinis & silvestribus locis in Italiam allatae fuerunt & factae domesticae: est autem major laus Meliboei cui non tantum domestica dolent sed etiam silvestria & fera. unde & silvestres dixit ad differentiam domesticarum.

73. PRIMIS REBOAT.] Scribendum est *pinus*: est enim arbor in vertice ramosa, maxime navigiis apta, ut in Calpurnii diximus commentariis, silvestrisque dicitur pinaster.

REBOAT.] Resonat, resultat, ut apud Virgilium in Georgicis

- - - Reboant silvaeque & magnus Olympus,

Ubi *resultant* & *remugiunt* exponit Servius autumatque verbum id esse Graecum. Apulejus in septimo de Asino Aureo *boare* dixit pro eo quod est boatu quodam inclamare.

TE QUICQUID CARMINIS ECHO.] Ordo est: quicquid carminis respondet echo te respondet & quicquid silvae respondent te respondent: hoc est nulla sine te celebratur cantilena.

74. ARMENTA SEQUUNTUR.] Vel ad sacrificia peragenda tibi vel mugitu prosequuntur & qua portione doloris valent discessum tuum quaeruntur. sic Virgilius in Daphni:

Daphni tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque ferae silvaeque loquuntur.

75. NAM PRIUS IN SICCIS.] Sensus, omnia prius per contrariam naturam sui evenient quam laudes ego tuas tacere possim.

PHOCAE.] Vituli Marini, qui a voce inde nomen traxere: est autem eorum genitura in terra (ut scribit Plinius) nec ante. XII. diem in mare deducit foetum ex eo assuefaciens: de his Calpurnius aegloga ultima,

- - - Aequoreos ego cum certantibus ursis,
Spectavi vitulos:

Sed objiciet fortasse aliquis quomodo per contrariam naturam rerum si in terra nascuntur & generantur, cui respondeo in huda quidem terra & in littore prope aquas generari non autem in terreno sicco, unde dixit poeta noster *in arvis siccis.*

76. VASTITUSQUE LEO.] Hoc est jubatus & pilis decoratus, in codicibus tamen antiquis legitur *hirsutus*, id est pilosus & villo duriore. hirsutum dicimus asperum & durum, Calpurnius

- - - Et hirsuta spinosior hystrice barba.

FRETO.] Mari. cum leonum fit in terra vivere, fretum autem dictum est a similitudine ferventis aquae quod in fretum saepe concutiat aestus atque effervescat, ut scribit Varro in tertio de Lingua latina & nos superius documus in Calpurnii commentariis.

77. TAXI SUDABUNT MELLA.] Ut

Durae quercus sudabunt roscida mella:

Est autem taxus arbor minus virens gracilisque & tristis ac dura nullo succo, ex omnibus sola baccifera undeque taxica venena appellata feruntur quae nunc toxica dicimus. repertum est tamen innoxiam fieri taxum si in ipsam arborem clavus aereus adigatur. *Confusis* legibus, commixtis & ordine rerum verso ut apud Lucanum,

- - - Totaque discors,
Machina divulsi turbabit foedera mundi.

78 TRISTIA HYEMS.] Deformis ob pluvias nives & glaciem.

ESTAS TRACTABIT OLIVAS.] Ordine converso nam autumnali tempore legitur olea & mense Septembris vel Octubris Dum adhuc vindemia est ea quae paulea vocatur contunditur ut docet Columella libro XII.

TRACTARIT.] Nam ex praecepto Columellae sereno caelo eas manu distringere convenit lectasque cribrare & secernere quaecumque maculosae viciosae minorisve incrementi fuerint, *tractare* enim est exercere. Tibullus in primo.

Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse juvat.

Olivitas ab antiquis tempus illud oleae legendae fuit appellatum, Columella in XII. Media est olivitas plerumque initium mensis Decembris nam ante hoc tempus acerbum oleum conficitur quod vocatur aestivum, & oliveta dicta sunt loca ubi multa est oliva. quomodo oleam legas diligenter lege Varronem in primo de re Rustica. olivas virides servare ut quovis tempore oleum facias docet Apicius in primo de re coquinaria.

79. FLORES AUTUMNUS.] Cum sint veris, nam

Omnia tunc florent, Florumque coloribus almus
Ludit ager.

Ut inquit Ovidius.

UVAS.] Quas vindemiae facit aptas autumnus, ergo omnia versa vice prius confundentur quam ego tuas laudes taceam.

81. PERGE PUER.] Hortatur Timetam Tityrus ut coeptam pergere semitam non desistat, nec remittat carmen quo ad urbem Romanam deducitur.

82. PLACATUS APOLLO.] Quietus & sine detractione. quae enim invidia & livore impediuntur minus sunt quieta: hanc ipsum tamen processu temporis vicisse dicit. quo suus ex merito quemque tuetur honor.

84 PRAESENS FAMA.]Ex certamine cum Mopso habito vel ex carminibus de Meliboeo compositis quem cum omnes diligerent aventi animo tua desiderabunt.

85. STRAVIT.] Expeditum fecit & placavit lenivitque. in quem significatum illud quoque Virgilianum ex Buccolicis,

Accipe & omne tibi stratum silet aequor.

Id est, Quietum & placatum.

BENIGNUM ITER.] Mite & facillimum.

RUMPENS.] prosternens. est autem proprie invidiae & livoris rumpi, ut apud Ovidium de Remedio Amoris libro primo,

Rumpere livor edax.

Et apud Propertium,

Hic erit, hic jurata manet rumpantur iniqui.

LIVORIS.] *Livor* pro invidentia accipitur, quae invidos quasi tabe quadam consumit & exest; aliquando dicitur pro nota illa collo infixa amantium labris. Ovidius in primo Amorum.

Aptius impressis fuerat livere labellis,
Et collum blandi dentis habere notam.

86. SED JAM SOL DEMITTIT.] Significat occidere solem qua hora pastorum est casas repetere.

DEMITTIT,] Declinat & deorsum mittit.

DE CULMINE MUNDI.] De summitate coeli quam obtinet super terras.

87. FULMINEOS.] Legendum est *flumineos* occidente enim sole ex praecepto poëtae & Columellae ad

- - - Fontes solent deducere gregem,
Pastores, tenues dare rursus aquas & pascere rursus.

IN

IN ECLOGAM II.

Vers. 1. FORMOSAM DONACEN.] Haec egloga tota amatoria est & querimoniis referta. ubi pueri duo Astacus & Alcon Rivales in puellam Donacem inducuntur tota ruere mente, qui cum aliquando amoris fructum illa incustodita aetate carpsissent mox clausa puella & spe voti decepta instituunt canto dolorem lenire & per totam fere conqueruntur aeglogam.

2. ARDEBANT] Impatienter diligebant ut apud Virgilium,

- - - Corydon ardebat Alexim.

Ibi enim exponit Servius *impatienter diligebat.*

RUDIBUS ANNIS.] Puerilibus qua aetate propensiores in venerem sunt mortalium animi. tunc enim caremus consilio nec satis bene a venereis nos cupiditatibus abducere possumus, semel devincti. unde lena illa Cleæra apud Plautum ita inducitur loqui in Asinaria.

Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.

Remigio veloque quantum poteris festina & fuge, quam magis te in altum capessis tam aestus te in portum refert: pueros autem qui minores essent annis septemdecim esse existimavit Servius Tullius ut auctor est Gellius in decimo.

3. RUEBANT.] Vehementia & impetu amoris quadam quasi ruina ferebantur. ita enim significat *ruere* Virgilius in primo Aenei.

Una eurusque notusque ruunt:

Lucanus,

In se magna ruunt.

IN VENEREM.] In coitum cum enim *Venus* dea amoris fingatur. aliquando pro coitu accipitur ut hic & apud Virgilium in tertio Georgicon,

Solve mares mitte in venerem pecuaria primus.

Et apud Persium Satyra Quinta,

Hic campe indulges hunc alea decoquit: illa

In Venerem putris.

Id est coitum: aliquando vero pro venustate accipitur & oblectamento ut apud Horatium in Arte Poëtica,

Tabula nullius veneris sine pondere & arte,
Valdius oblectat populum.

DONACES.] Genitivus est Graecus & declinatur *Donaces donaces*: Fictum fortasse nomen a verbo Graeco *δονέω* quod significat moveo verto & agito: hic enim amantes pueros agitare fingitur, apud Graecos etiam *δόναξ δόνακος* dicitur fistola calamus piscatorius arundo & tibia, & *δονακώδης* arundinosus & *δονάκιον* arundinetum.

MENTE FURIATA.] Incensa & furiis exagitata cupidinis ut apud Virgilium,

- - - furiata mente Choroebus.

4. HANC CUM VICINI.] Ordo est: cum ipsa puella flores carperet in vallibus vicini horti & compleret gremium achantho hanc simul ipsi invasere pueri.

5. COMPLERET.] Aggeraret & impleret, ut apud Virgilium in secundo Aeneidos,

- - - Et late loca milite complent.

MOLLI ACHANTO.] Epitheton est achanthi. Sic Virgilius,

- - - Et molli circum est ansas amplexus achantho.

Est vero achanthus topiaria & urbana herba elato longoque folio, crepidines marginum, adsurgentiumque pulvinorum toros vestiens, ut scribit Plinius in XXII. ejus duo sunt genera aculeatum & crispum quod brevius est. Alterum lene, quod aliqui *Paederoton* vocant, alii *Melamphyllum.* hujus radices ustis luxatisque mire prosunt, item ruptis convulsis physimque metuentibus.

6. VENERIQUE IMBUTUS UTERQUE] Est sensus: tamen ipsi primum initiati amorem degustabant & praelibabant amoris gaudia: *imbuere* enim est proprie, inchoare & initiari ut scribit Servius. Cicero in primo de Officiis. *Plerique autem parentum praeceptis imbuti ad eorum consuetudinem moresque deducimur:* ergo hic *imbutus* initiatus & primordiis cupidineis ordinatus dicetur: *Initiatus* namque ille appellatur qui divinis mysteriis ordinatus est, & *initiare* est sacris imbuere ac religioni prout ajunt ecclesiastici consecratos ordinare. Julius Firmicus in sexto Matheseos, *quos initiabant, in primo vestibulo adiunius jusjurandi necessitatem & cum terribili authoritate religionis exegit, ne prophanis auribus inventas ac compositas religiones proderentur:* ubi *initiabat* pro ordinabat intellige, & ad sacra instituebat, inde enim & *initia* sacrificia dicta sunt sed de hoc verbo & superius diximus.

VENERI.] Declarat cui deorum fuerint initiati.

7. CARPEBANT.] Sumebant. sic Persius

- - - Carpamus dulcia, nostrum est
Quod vivimus:

Et sumptum est a capris & ovibus quae herbas dum pascuntur carpere solent. Virgilius

- - - Pabulis oderò in mollibus herbam,
Carpere oves:

Alias *carpere* significat reprehendere, ut apud Ovidium de Arte Amandi libro primo

Nuper enim nostros quidam carpsere libellos.

GAUDIA.] Hic pro coitu & re venerea dicuntur ut apud Ovidium in secundo de Arte Amandi,

Gaudia ne dominae pleno si corpore sumes,
Te capiant, ineas quamlibet ante velim.

Ubi *Gaudia* concubitus intelligi necesse est.

DULCI FURTO.] Gaudio furtim decerpto, *furta* ut plerumque amatoria gaudia dicuntur, eo quod secreta esse desiderant, ut

- - - Celari vult sua furta Venus.

Sic apud Ovidium in primo de Arte Amandi invenies.

Nos venerem tutam concessaque furta canemus.

8. VOTA NON PUERILIA.] Quoniam opus est juvenile coitus. Ut apud Ovidium de Remedio Amoris libro secundo,

Ergo ubi concubitus & opus juvenile petetur.

VOTA.] Desideria, ut apud Ovidium libro primo Fastorum.

- - - Tacito velamine vota,
Ad sua felices coeperat ire via.

9. QUIS.] Positum est pro *quibus*.

TER QUINQUE HYEMES.]. Id est quindecim anni, quo tempore hirquitalli fiunt, ut superius in Calpurnium docuimus, solent autem ut plurimum per hyemes & estates describi tempora & anni ut apud Virgilium.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Et apud Juvenalem Satyra tertia,

Sic multas hyemes & octogesima vidit
Solstitia.

CURA JUVENTAE.] Dicimus quem habere curam juventae cum illi est proximus & curat quae juventas, quam post decimum septimum annum esse censuit Tullius Romanorum rex authore Gellio.

10. SED POSTQUAM DURI.] Sensus: Sed postquam Donace fuit a parentibus clausa: & illis erat pudori amasiae domum frequentare, ut ardorem mitigarent, parabant querulum carmen ad dolorem leniendum.

DURI PARENTES.] Molesti & puellae & amantibus: Ita *durum* claudentem dominam virum appellavit Ovidius in Tertio Amorum.

Dure vir imposito tenerae custode puellae,
Nil agis.

CLAUSARE] Occlusam tenuere & inclusere, ut apud Tibullum.

Clauditur & dura janua firma sera.

Unde *clausus* dicitur: Virgilius

Aut intus clausos satur ad praesepia servat,

Itaque & *claustra* a *claudendo* dicta.

11. TAM TENUI FILO.] Cum vox crassior fieret & non tam acutum sonum vocis redderent quemadmodum prius consueverant pueri. Nam ut inquit Aristoteles in problematis, vox tunc gravis de acuta efficitur, & unda quae ante fuerunt hirta redduntur. Super qua re & Alexandri sententiam superius commemoratam hic etiam referemus. Explicatur quoque ipsis universum corpus veluti morborum mutationes indicant & solutiones circa decimum & quartum annum progenitae, nec non vocis asperitas quae raucitas appellatur, hircire facit, ea hircis ita vocem efferentibus sumpta translatione.

IMPROBA CERVIX] Vel non proba, vel turpis *improbum* enim (ut notat Marcellus) & non probum & saevum & turpe significat, posuit autem pro humeris cervicem quibus applicatur, scribit. enim Alexander idem pubescentibus foeminis hubera augeri propter lactis coitionem ita & circa coxendices loca propter foetus expectationem. maribus vero thoraca & humeros propter impositorum corporum portationem.

IMPROBA.] Expone nondum absoluta & nondum perfecta, nam post pubertatis annos puerorum cessat hyrcisatio asperaque omnis faniam se explicat arteria, propter cujus inaequalitatem vox aspera proveniebat, ut possis etiam si placet pro cervice intelligere collum, cujus arteriae explicatae vocem crassiorem reddunt, nondum tamen absolutae.

SOLLICITUM ONUS.] Propter difficultatem vocis quae ex inaequalitate arteriae conficitur in *epiglottide*. ita enim appellatur arteria ad pulmonem atque cor pertinens, quam operit in epulando quae minor lingua dicitur, spiritu ac voce illac meante, ne si potus cibusve in alienum deerraverit tramitem, torqueat ut author est Plin. in XI. constat autem ea cartilagine & carne arteria cum gula nervo & carne, nullique cervix esse potest, nisi quibus utraque haec ut idem scribit Pli.

SOLLICITUM] Anxium quod eos in voce reddenda sollicitaret, *sollicitudo* namque pro anxietate aliquando ponitur & districtione. Pli. Caecilius in Epistolis. *Superest ut promissis deus adnuat tandemque me hac sollicitudine exolvat.*

LINGUIS.] Quibus in exprimendo verba asperitas illa onerosa est. homini ita saepe venis constricta est lingua ut intercidi eas necesse sit, Metellumque pontificem adeo inexplanatae linguae fuisse memoriae proditum est ut multis mensibus tortus credatur cum meditaretur in dedicanda aede Opiferae dicere, authore Plinio. Lingua generaliter fere anno septimo sermonem homini exprimit, multisque tanta ejus ars contigit ut avium & animalium vocis indiscretae reddatur imitatio.

13. SUFFUSUSQUE RUBOR.] Hoc est sparsus frequens. Pli. Cecilius in Epistolis: *est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa*: Scribit Alexander Aphrodiseus in problematis: pudibundos ideo rubescere quod natura per sese instructa alicujus rei conscia quo honoris dignitatem non amittat veriva sit, sicut ingenua pupilla mediocriter subtrahitur introrsum & in corporis se recipit intestina, remoto igitur atque permisso sanguine sanguinis colore cutem infici ipsaoque tanquam tegendi causam perfundi quidam volunt, nam ita manum quoque natura dictante opponunt Faciei pudibundi. sursum depudescimus namque ad faciem fertur rubor, & cum primum pubescimus conscii voluntatis rubore suffundimur, quod ita non fit in puero simplici qui mentem nulla ex re tali habet infectam, cur rubor ex pudore in facie fit demonstrat etiam Macro. lib. VII. Saturnalium his verbis. *Quae facit causa ut rubor corpori ex animi pudore nascatur? & ille: natura inquit cum quid ei occurrit honesto pudore dignum imum petendo penetrat sanguinem quo commoto atque diffuso cutis tingitur & inde nascitur rubor. dicunt etiam physici quod natura pudore tacta ita sanguinem ante se pro velamento tendit, ut videmus quemque erubescentem manum sibi ante faciem frequenter opponere nec dubitare de his poterit cum nihil aliud sit rubor nisi color sanguinis.*

VENAE TUMENTES.] Quod accidit ex abundantia sanguinis. etenim sanguinis rivi *venae* appellantur a Plin. XI. *Tumentes* dixit, quoniam ut (inquit Aristo. in problematis) neque concumbere neque evomere nec sternuere neque flatum emittere oportet, nisi res turgente corpore urgeat. Ergo *tumentes* expone turgentes, videturque allusio (honor sit auribus) ad penem, quem ex desiderio tumescere manifestum est. Ovidius in II. Fastorum.

Et tumidum cornu durius inguen erat.

15. CARMINIBUS RELEVARE.] Quoniam *strangulat* in-

inclusus dolor ut inquit Ovid. inde fingitur apud Plautum Cleostrata *fortunas suas ire questum ad vicinas.*

Dulci quarela.] Non jurgiosa sed flebili animum commovente Amasiae. Ovid.

- - - Exclusus flebile cantet amans.

Relevare.] Minuere exinanire : *levare* enim auctore Mar. aliquando significat minuere. Virg. in Buc.

- - - Ego hoc te fasce levabo.

Et in Georg.

- - - Omne levandum,
Perdimus.

Ambo aevo cantuque pares.] Imitatio est. Virg. sic enim ipse in Thyrsi,

Ambo florentes aetatibus Arcades ambo.
Et cantare pares, & respondere parati.

Non dispare forma.] Non dissimili.

17. Ambo genas leves.] Id est habentes genas imberbes & ob hoc leves. *Genae* autem pro malis accipiuntur. nam auc. Plinio *infra oculos malae homini sunt tantum, quas prisci genas vocabant.*

Intonsis crinibus.] Decorati insigni coma. intonsos enim promissa coma appellamus, unde *intonsos Celticas* appellavit Tibul. Plin. in 11. *in Capite cunctorum animalium homini plurimus pilus jam quidem promiscue maribus & foeminis apud intonsas utique gentes, atque etiam nomina ex eo capillatis Alpinum incolis Galliae Comatae: Quidam sunt populi Myconii cognominati, qui capillo carent: & Salamandrae sanie, quae lactea ejus ore vomitur, quacunque corporis parte contacta toti defluunt capilli*, scribit Pli. in 2. unde dictum est ab epigrammatario poëta in Lalagen curam comatum habentem.

Hoc Salamandra notet vel saeva novacula nudet,
Ut digna speculo fiat imago tua:

Cum illi clavitium imprecaretur.

18. Sub hac platano] Demonstrantis est. locum electum cantilenae de platano superius ut si libeat tamen & hoc audias. in Creta insula Gortynae juxta fontem platanum unam insignem fuisse (ut scr. Pli.) utriusque linguae monumentis, nunquam folia dimittentem ex quo fabulositas superfluit Graeciae, Jovem sub ea cum Europa concubisse.

Solatia.] Consolationes. *solari* enim verbum est quod significat consolari &

Solabar fatis contraria fata rependens.

Annotaverunt Grammatici hanc inter *solatium* & *consolationem* esse differentiam, ut solatium re fieri dicant consolationem verbis.

19. Alternant.] Id est vicem permutant canendi & inflandi calamos, debimus enim intelligere Ida canente Alconem inflasse calamos & postea Idam canente Alcone.

20 Quae colitis.] Incipit hic Idas, nam superius quasi argumentum recitavit poëta rogatque silvestria numina ut quo sit Donace illi luce renuncient.

Dryades.] Silvarum deae, sicuti Nereides sunt maris, Oreades montium, Naiades fontium, Napeae florum ac herbarum; Hamadryades, quae cum arboribus nascantur, moriantur, de quibus & superius diximus scimus tamen reiterata magis prodesse novitiis, quibus scribimus.

21. Secatis.] Permeatis & est proprie ferrae, *secare* aliquando navium quae inter eundum maris secant spumas, unde Virg. in 1. Aen.

- - - Fluctusque atros aquilone secabat.

Uda littora.] Madefacta ex undis aquarum. *udum* enim madidum vocamus. Ovid. in primo de Arte Amandi,

Si lachrymae, neque enim veniunt in tempore semper,
Deficiunt, uda lumina tange manu.

Hudum sunt qui ab *humore* deflectant, cum aspirationeque legendum censeant, alii potius sine aspiratione scribi voluere, a *sudando* deflectentes quasi *sudum* dicas.

Marmoreo pede.] Vel frigido sicuti est marmor, seu candido. Allusitque ad mare quod *marmor* aliquando apud poëtas dicitur ut a Valerio Flacco in primo Argonauticon,

- - - Hi celso cornua malo,
Expediunt, alii tonsas in marmore summo
Praetentant.

22. Purpureos flores alitis] Diximus superius ex irrigatione aquarum provenire flores ac herbas. itaque in Alexi Virg. debere intelligi Najades Nymphas quas puero florum calathos portare congratulatur, propterea quod ex aquis quarum sunt ipsae dominae nascuntur, ideoque dixit Colu. in hortulo suo,

Et tunc ne Corydonis opes despernat Alexis,
Formosa Nais puero formosior ipsa,
Fer Calathis violam & nigro permixta ligustro
Balsama cum casia nectens croceosque Corymbos
Sparge mero Bacchi.

Alitis.] Nutritis, unde superius,

- - - Et rerum causa liquores.

24. Stringentem.] Decerpentem. Hic *stringere* enim aliquando significat decerpere ut apud Virg. in primo Georgi.

Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,
Et lauri Baccas.

Author est Marcellus.

Roseis manibus.] Id est pulchris. ita exponit super eo Virgiliano, Servius

- - - Rosea cervice refulsit.

Id est pulchra, *roseum* enim venustate rosarum praeditum nuncupamus: Rosa dicata est Veneri ex cujus ajunt illam natam sanguine.

25. Trini soles.] Id est dies. soles enim pro diebus posuit sicuti & diem pro sole Calpurnius.

Sed fugit ecce dies revocatque crepuscula vesper.

Petierunt.] Me mihi refulserunt.

26. Sua antro consueto.] Ubi scilicet gaudia sumere consuevimus.

27. Interea.] Isto spatio trium dierum.

Tanquam.] Ordo est interea meae vaccae trinis luciferis nulla tetigere gramina, tanquam hoc foret solamen

lamen nostri amoris, aut posset mediciare furores rabidos., id est, in rabiem vergentes.

28. RABIDUS] Dicitur rabie percitus unde & *rabere* verbum ut scribit Marcellus. Varro *quid est quod lacerat? quod rabit? quid tibi vis?* a *rabie rabulam* quoque dici idem author est, quem nunc advocatum vel causarum patronum dicimus. Cicero in Oratore *non enim declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro sed doctissimum aut perfectissimum quaerimus*: apud Pli.[1] invenies remedia ad canis rabidi morsus ex cujus authoritate maxime caniculae exortu in rabiem aguntur canes qui ideo aestate potius rabidi fieri existimantur vel ex Alexandri Aphrodisei sententia quod cum natura sicci sint aestate fiant sicciores.

29. NON TETIGERUNT.] Plus est quam si dixisset *non carpserunt*.

30. TRINIS LUCIFERIS] Diebus tribus. Lucifer autem stella est lucem ferens quae eadem a Calpurnio noctifer appellatur ubi plura jam diximus

NULLO BIBERUNT.] Quidam codices habent *lamberunt amne*, ego tamen *biberunt* malim legere, quoniam sequitur:

- - - *Lambentes hubera matrum.*

31 FERARUM.] Legendum *foetarum* nam *Foetae* dicuntur vaccae quae jam peperere. Calpurnius,

Parce tamen foetis nec sint compendia tanti,
Destruat ut niveos venalis caseus agnos.

Ab eodem itaque *foetura* pariendi tempus appellatur.

LAMBENTES] Lingentes, & est proprie linguae *lambere*. Virgilius.

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

SICCA UBERA.] Mammas flaccidas & nullo lacte refertas.

32. STANT.] Vel horrent, ut

- - - *Stant lumina flamma.*

Vel consistunt: Scribit Marcellus omnium consensu *stare* dici consistere, ut apud Vir.

Stare loco nescit.

Et apud Plautum in Amphytryone. *Ista statim stant signa omnia. Stare* etiam significat horrere, ut apud Virgilium in XII. Aene.

- - - *Jam pulvere coelum Stare videt.*

Alias significat erigere, fidem habere, valere & plenum esse.

COMPLET AERA MUGITIBUS.] Scilicet quos teneros appellat quamquam magis sunt acuti vitulorum: *Mugitus* autem proprie dicitur bovis & Tauri. Ovi. in Philomela,

- - - *Ast taurus mugit & celer hinnit equus.*

Vir. in Buc.

Praetides implerunt falsis mugitibus agros:

Mugire verbum est etiam, quod significat mugitum edere. apud Statium tamen positum pro strepere cum inquit in I. Silvarum.

Ut sensit mugire forum movet horrida sancta
Ora situ.

33. VIMINE LENTO.] *Vimen* a vinciendo dictum quin *vinciatur*, unde *lentus* appellatur hoc est flexibilis, Colu. *nec refert cujus generis vimen feras dum sit lentissimum. a vimine* collem *viminalem* dictum ferunt quod ibi vimina nata sint ut auc. est Varro in I. de lingua Latina.

34. CALATHOS.] I. e. quasillos. *calathus* namque Graecum est.

COGENDI LACTIS IN USUS.] Vel ad caseum faciendum vel ad deducendum serum quod excludunt & deducunt ut pondus augeatur authore Palladio, *usus* ab utendo est, unde usurpare dictum est obtinere. posuit quoque vetustas, *usu perire* hoc est non utendo aliquid perdere. Plautus in Amphytryone *cave sis ne tu te usu perduis. Usuraria* quoque dicta foemina ex cujus corpore usus sumitur, unde Alcumena *Usuraria* apud Plautum.

35. QUID TIBI.] Sensus est quid opus est divitias tibi recensere meas quae optime nosti quam dives sim & armenti & lactis.

36. MEA MULCTRA.] Hic mulctra pro vasculis in quibus mulgetur necesse est intelligi, & declinabitur *hoc mulctrum*, nam *mulctram* tempus esse mulgendi docuit Servius.

VACARE.] Ocium habere hic. Alias significat operam dare, jungiturque cum dativo, ut *vaco litteris studiis*. Ovidius in Epistolis.

At tibi Colchorum memini regina vacavi,
Ars mea cum peteres ut tibi ferret opem.

37. IDAS ILLE EGO SUM.] Imitatio est Calpurnii. sic enim ipse,

Ille ego sum Lycidas, quo tu cantante solebas,
Dicere foelicem, cui dulcia saepe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus.

39. ERRANTIA LABRA.] Quod accidit ut distorqueantur in sono calamorum. Calpurnius.

Atque inter calamos errantia labra petisti.

40 NULLA TE TANGIT.] Pro eo quod est nullam mei habes curam. dicitur enim quis *tangi* alicujus cura, quotiens illum animo retinet & de eo cogitat, Lucretius,

Nec bene promeritis capitur nec tangitur ira.

Tangere (ut notat Marcellus) significat ferire & commovere, ut apud Virg. in XI.

- - - *Nec solos tangit Atridas*
Iste dolor.

M. T. in Verrinis, *nunquam tua me cura tuarum fortunarum cogitatioque tanget*: alias significat inspicere, circumvenire, contingere.

41 PALLIDIOR BUXO.] Documentum est Ovidianum ut amans palleat, arguat & macies vultum. nam

Ut vere possare tuo miserabilis esse.
Ut qui te videat dicere possit amas.

Hinc sumitur argumentum ab Ida ut ex pallore singulisque rebus amorem nimium puellae imprimat, eamque ad misericordiam impingat. *Buxus* arbor est topiaria, ut in Calpurnium diximus repeteremusque, duricia ac pallore commendabilis, cujus tria genera a Plinio traduntur, haec Pyreneis ac Cythero montibus plurima, unde

unde *Cytherus Buxifer* a Catullo dictus & a Virgilio.

Et juvat undantem buxo spectare Cytherum.

Aliquando *buxus* pro tibia accipitur, quoniam ex buxo fiebant tibiae. itaque apud Valerium Flaccum invenies in primo Argonauticon

Obiuit Idaeam quantum tuba martia buxum.

Id est, tibiam.

VIOLAE ATRAE.] Id est nigrae, cum enim plura sint genera (ut scribit Plinius) in XXI. inter has & nigrae numerantur, unde dixit poeta in Gallo,

Et nigrae violae sunt & vaccinia nigra.

42. CIBOS HORREO.] Pertimesco escam.

POCULA BACCHI.] Hoc est vinum, sunt enim Baccho dicata vina, unde & ipse *Bacchus* saepe pro vino invenitur, & aliquando pro uvis, apud Virgilium in Georgicis,

- - - Denique apertos
Bacchus amat colles.

43. PLACIDO SOMNO.] Quieto, nam curas omnes aufert somnus. unde *placidam* dixere quietem. Virgilius in primo Aeneidos,

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat.

43. CONCEDERE.] Dare locum.

44. TE SINE.] Hic versus totus est Calpurnii ex aegloga tertia.

45. PALLENTES ROSAE.] Cum per sui naturam sint candidae & purpureae.

DULCE RUBENS HYACINTHUS.] Ad imitationem Virgilianam, sic enim ille,

- - - Et suave rubens hyacinthus.

Ubi Servius scribit Hyacinthum puerum fuisse ab Apolline & Borea adamatum, quem cum in Phoebum proniorem vidisset Boreas, illum ludentem disco retorto in caput ejus exanimavit, in floremque ejusdem nominis conversus est ab Apolline: provenit optime Hyacinthus in Gallia (scribit Plinius in XXI.) cujus radix vino dulci illita pubertatem cohercet & non patitur erumpere. Hyacinthum aeris colorem significare scribit Josephus in Sexto de bello Judaico. sicuti, *coccum imitatur ignem, purpura mare designat, Byssum vero terram.*

46. NEC MYRTHUS NEC LAURUS.] Commixtione earum suaves excitantur odores. Virgilius in Alexi

Et, vos ô lauri carpam & te proxima Myrthe.
Sic positae quoniam suaves miscetis odores.

Myrthus arbor est in Europa tetriore Coelo, quod a Ceraunis montibus incipit, proveniens, praecipuam admirationem in succi natura habet. quando ex una omnium oleo vinique bina genera fiunt, ut inquit Plin. in XV. Item Myrthidanum quoddam etiam generosi obsonii. nomine inde tracto, quod Myrtatum vocant, ara vetus Veneri Myrteae fuit, quam Murtiam vocant, ut idem est author. de qua videtur intelligere Livius cum inquit in primo ab urbe condita, *tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis, quibus ut jungeretur Palatio Aventinum ad Murtiae datae sedes.* De hac eadem & Apulejus intelligit in sexto de Asino aureo, cum inquit, *si quis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium praedicatorum, accepturus indicii nomine ab ipsa Venere septem savia suavia & unum blandientis adpulsum linguae mellitum.* Myrtho autem praeesse Venerem deam vel eo patet Virgiliano in Bucolicis,

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae Myrthus Veneri.

Hinc est quod doctissimus undecumque vir Franciscus Petrarcha in triumpho amoris Silvam Myrtheam ab amantibus teneri descripsit cum haec arbor ut diximus Veneri dicetur.

SPIRAT.] Exhalat ut apud Virgilium

Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere.

47. AT TU SI VENIAS.] Et hic versus ex Tertia Calpurnii aegloga translatus est.

48. TUM DULCE.] Legendum est & *dulce* ex integro codice.

50. NAM DUM PALLAS.] Sensus est, dum suo ordine coepta pergent nunquam te Amare desistam, hoc est Amor meus erit sempiternus.

TURGENTES BACCAS.] Id est oleas, est enim Palladi gratissima arbor oliva, quoniam ejus inventrix fuisse dicitur, unde est apud Virgilium.

- - - Oleaeque Minerva
Inventrix.

Plinius in. XII. Naturalia Historiae, *arborum genera numinibus suis dicata perpetuo servantur, ut Jovi Esculus, Apollini laurus, Minervae olea.* *Baccae* dicuntur arborum minutiores fructus. Plinius in XIII. *in mari vero rubro baccas vivere, maxime laurum & olivam ferentem baccas.* Idem scribit in decimoquinto quoddam esse lauri genus quam *baccaliam* fertilitate nuncupent *baccarum*. *Baccar* vero est radicis tantum odoratae frutex, a quibusdam *nardum rusticum* appellatum, de quo Virgilius in Bucolicis,

Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

SANGUINE.] Id est succo, nam in fructibus humor obtinet vim sanguinis, ideoque *sanguinem* pro succo dixit.

51. SATA.] Seminata: *Sata*, ut scribit Marcellus, pro *semine est positivum.* *Actius Telepho*,

Profectum quamquam est hortus mediocri sata.

Quomodo autem poma ferantur docet Palladius in III. rei rusticae. *Pomum* dicitur a *potu* quasi *potumum*, & ut scribit Varro in I. de re rustica quod potu indigeant poma sunt dicta: a pomis *pomarium* appellamus locum pomis refertum. Ovidius,

Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas
Moenibus.

Et *Pomona* pomorum dea sicuti *Bubona* bovum & *Mellona* mellis. sed de ea diximus plura in Calpurnium super eo versiculo

Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.

52. PASCUA LETA.] Id est pinguia Nam pabulorum est dea Pales.

TE UNAM.] Ne illi possit esse rivalitas suspicioni quam intoleranter ferre solent amantes.

53. HAEC IDAS CALAMIS.] Imitatio Virgiliana, sic enim ille in Pharmaceutria,

Ha e Damon, vos quae responderit Alphesiboeus Dicite Pierides.

54. AUREA CARMINA.] Id est pulchra & divina.

55. MONTANA PALES.] Id est colens montes. *Montanus* enim a *monte* derivatur, Juvenalis

Montanum positis audiret vulgus aratris.

Unde & *montivagus* per montes vagus appellatur.

56. SILVANUS.] Silvarum deus de quo in Calpurnium plura require aegloga secunda super eo loco,

Me Silvanus amat.

POTENS NEMORUM.] Hoc est valens in nemoribus. Ita *potens numeris* Phoebus ab Ausonio dicitur quod carmine valeat.

DIONE.] Id est Venus & diclinatur *Dione Diones.* scribit Cicero de Natura Deorum Jovis & Diones filiam fuisse Venerem inde *Dioneus Caesar* a poëta dicitur in Bucolicis propter originem Veneris, & ita *Dionea* appellatur puella formosa quasi Venerea.

57. JUGA TENES ERICIS.] Erix mons est Siciliae, unde Ericini accolae dicti, qui commemorantur a Plinio in tertio. Inde *Ericina Venus* dicta quoniam in eo monte Erix filius illi templum construxit. Papinius.

- - - Ericinaque templa subiret,

Cum Veneris intelligeret quod in monte habebat Ericis, unde & Ovidius cecinit,

Sum dea nec patitur sic ad sua munera cogi,
Colle sub umbroso quam tenet altus Erix.

Quare & *Erycina concha* dicitur a Propertio quasi Venerea.

CUI CURA JUGALES.] Hoc ideo dixit quoniam per Venerem,

- - - Genus omne animantum
Concipitur.

Ut scribit Lucretius in primo, unde Ovidius in quarto Fastorum de Venere cecinit.

Juraque dat caelo, terrae, & natalibus undis,
Perque suos initus continet omne genus.

Jugales concubitus dicuntur a *jungendo* unde & *juga* Juno cujus ara fuit in vico Jugario dicta (ut putat Pompejus) quod matrimonia jungere putaretur.

58. CONNECTERE.] Copulare & commiscere.

TOTIS SAECLIS.] Quoniam numquam deficit genus sed alia ex alia semper reparatur soboles.

59. QUID MERUI.] Magis dolendum est, cum non veniat ex merito poena; nam

Leviter ex merito quicquid patiare ferendum est,

Ut inquit Ovid.

60. MUNERA NAMQUE DEDI.] Justior causa lamentationis, quo ei magis inservisse arguit.

NOSTER IDAS.] Vel rivalis noster, vel ex nostro vico.

61. VOCALEM LONGOS.] Hic versus totus corruptus est, ita corrigendus, ex nostra quidem lima: nam cum *Aedona* prima longa legeretur, quod secus apud poëtam & alios invenies, ita legendum esse censui.

Vocalem longes quae ducit Aedona cantus.

Aliter enim versus claudicaret, nec imputandus est ipsi poëtae error, qui potius impressoribus tribuendus, multa saepius perperam provulgantibus ex incuria & ignorantia: imitatus autem est Calpurnium ita aegloga sexta scribentem,

Astile credibile est ut vincat acanthida cornix,
Vocalem superet si dirus aedona bubo.

Ubi diximus lusciniam significari, quae ab ipsis Graecis appellatur *Aedon.*

62. QUAE LICET INTERDUM.] Lusciniam laudat a cantu & mansuetudine, quod libera & extra caveam posita non fugiat.

CONTEXTO VIMINE.] Id est cavea ex vimine facta. scribit Pl. in x. visum esse jam saepe luscinias jussas canere cepisse & cum symphonia alternasse, unde nil mirum si illis fervorum erant praeoia: olim dono Agrippinae Claudii principis conjugi luscinia candida data fuit quod est pene inusitatum sed vocis inconditae, ut idem author est Plinius.

63. PATUERE.] Apertae fuerunt.

FORES.] Aditus caveae. Sic Papinius de cavea psitaci.

Et querulae jam sponte fores.

Forulae a foribus per diminutionem dicuntur & *Forculus* deus appellabatur, qui praeerat foribus, sicut *Cardinea* dea quae cardinum praeerat custodiae. *fores* vero in genere masculino spatia in navibus apertioria dicta sunt. authore est Marcellus, sicuti *fora* in neutro judiciorum & litium sedes.

64. VOLITARE.] Frequenter volare, ut

Victorque virum volitare per ora.

INTER AGRESTES.] Unde magis mirum est illam non efferari, cum consuetudo nescio quam vim in suam sententiam habeat traducendi, cumque, ut inquit Epictetus Stoicus, necesse sit qui cum inquinato conflictetur & ipsum inquinari. in quam sententiam est illud Juvenalis:

- - - Grex totus in agris,
Unius scabie cadit & prurigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.

65. TECTUM.] Viminis caveam, quae instar est avibus tecti, solent autem rustici eam habere vimineam, cum ut plurimum ferrea utantur urbani.

SUBIRE.] Ingredi & intrare. alias *subire* subsequi significat, ut apud Vir. in III Aene.

Pone subit conjunx.

66 PRAEPONERE.] Anteponere & malle carcerem potius quam Silvarum libertatem. ita enim significat *praeponere*, ut apud Juve. Sat. III.

- - - Ego vel Prochytam praepono Suburrae.

67. PRAETEREA.] Et ultra lusciniam.

TENERUM LEPOREM.] A matre subductum & ut apud Calpurnium.

- - - Decepta matre paventem.

GEMINAS PALUMBES.] Id est binas & unum par pa-

palumbinm, funt autem palumbes Silvestres Columbae, *fabarias* bodie vulgua appellat, a fabis deducto nomine, quas maxime appetere tolent Has ad trigesimum annum vivere tradit Aristoteles. Pariunt post sol stitium, ut author est Plinius in x a palumbis per diminutionem *palumbulos* dixit Apulejus in octavo de Asino Aureo. palumbum quo pacto condias docet Apitius: libro. v. rei coquinariae.

68. Nupar quar potui.] Misi haa inquit quod si majora potuissem lubentius fecissem. sic Virgilius in Bucolicis,

Quod potui puero silvestri ex arbore lecta,
Aurea mala decem misi eras altera mittam.

Praemia silvarum.] Quae praemia nobis dant silvae, quasi arguat non dari a silvis majora. oidificant enim in arburibus plerumque otnis, qua nominata sub tecto nidos eas relinquere tradit Nigidius.

69. Contemnis.] Spernis. scribit Marcellus *contemnere* & *despicere* eo distare quod contemnere, minua sit quam despicere. M. T. in Verr:m, *quemque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit.*

70. Inhonorum duces me] Dedignaris. indignus est enim qui dignus non babetur ad aliquam rem obeundam.

71. Boves in pascua ducam.] Respondet tacitae objectioni si damnetur quod sit agricola.

72 Formosus apollo.] Scilicet pavit greges cum Admeri armenta habuit io custodia, ejus filiae amore captus, unde dixit Ovid. in II. Meta.

Illud erat tempus quo te pastoria pellis
Texit, onusque fuit baculus silvestris olivae.

Ad id scilicet alludens.

73. Vates.] Legendum est separatim *Fauni: vates*: in terris enim sunt semidei plurimum ocio & umbra gaudentes, unde cecinit Ovid. in vi. Fastorum,

Fas mihi praecipue vultus vidisse deorum,
Vel quia sum vates vel quia sacra cane.

Et alibi,

Est deus in nobis agitante calescimus illo.

Ab bis amantur silvae, quoniam animum excitant, vel precipue solitudines, io quibus libera est & intentior eorum cogitatio. unde dixit Juve. Sat. vii. de bono loquens poëta,

- - - Cupidus silvarum aptusque bibendis
Fontibus Aonidum.

pulcher Adonis.] Sic Vir. in Gallo.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis,

Fuit vero Adonis Myrrae & Cinarae ejus patris filius, ut docet Ovid. in x. Meta. quare & *Cynreius* ab ipso appellatur, qui vehementissime a Venere dilectus fuit dicente Ovid.

Abstinet & coelo, coelo praefertur Adonis.

Hunc itaque intelligit in Epistolis cum canit,

- - - Venerem Cinyraque creatum,
Sustinuit positos quaelibet herba duos.

Hic dum venaretur ab apro percussus exanimatus est, & in florem sui nominis purpurei coloris conversus, unde sunt, qui fabulentur Martem propter Zelotypiam Veneris in aprum conversum occidisse puerum, de qua re Aphthonii ex progymnasmatia rhetoricia verba subnectam: *qui rosae pulchritudinem demiratur is plagam Veneris consideres. Amabat Adonim dea, Mars ipsam. quod dea foret Adonidi, Veneri Mars erat, deus deam amabat deaque hominem sequebatur, par Cupido, tametsi genus dispar. Perimere Adonim Mars Zelotypus tendebat, finem putans amoris Adonidis necem, ferit Adonim Mars, accurrit auxilio Venus festinant in rosas incidit ac se spinis implicuit, ita pedem prosoratur, qui vulnere manaverat cruor de se rosam coloravit, sic rosa quae prius candida quod nunc cernitur facta*: ex his verbis & illud Claudiani declaratum & explanatum quoque relinquitur in secundo de Raptu Proserpinae,

- - - Sic fata cruoris,
Carpit signa sui.

Quamvis in codicibus fere omnibus *doloris* legatur corrupto textu.

74. Speculo fontis.] Ex inspectione aquarum quae vicem praebent speculi, Calpurnius,

Fontibus in liquidis quoties me conspicor esse,
Admiror toties.

Mane] Tempore matutino. *Mane* a manibus diis dixerunt, nam *mana* bona dicitur, unde mater matuta & poma matura author est Pompejus. a *mane*, *manium* qui matutino tempore genitus foret quidam appellari voluerunt. alii a *manibus*: manium Aricinae Dianae lucum consecrasse invenimus, a quo multi praeclarissimi originem habuere, adeo ut vulgatum sit proverbium *multi manii Ariciae*. Ad id autem allusisse Persium, videtur, cum inquit Satira Ultima,

- - - Praesto est mihi Manius heres,
Progenies terrae.

Quod tamen alii ante nos promulgavere: *Maniam* larvarum matrem aviamve putant ut author est Festus *Manias* quoque dicunt ficta quaedam ex farina in hominum figuras, quia turpea faciant quas alii vocant *manielas*.

75. Nundum purpureos.] Vel quamquam diligentior est inspectio ex vicinitate solis fontem illuminante: vel quia cum in altum se substulit sol ex repercussu radiorum tremulo non bene redditur imago.

Purpureos orbes.] In antiquis codicibus legitur *ortus*, tunc enim purpurae colorem videtur imitari. purpura inter conchilia ennumeratur, & ut scribit Plin. in ix. Nat. Hist. *septenis annis plurimum vivunt purpurae latentque sicut murices circa canis ortum. Purpurae autem florem illum tingendis vestibus expetitum in mediis habent faucibus, & hic liquoris est minimus, in candida vena, unde preciosus ille bibitur nigricantis rosae colore, sublucens, reliquum corpus sterile. vivas capere contendunt quia cum vita sua succum illum evomunt, & majoribus quidem purpuris detracta concha auferunt, minores cum trapetis frangunt*: a purpura *purpurare* dixerunt hoc est colorem imitari purpurae. Apulejus lib. vi. de Asino Aureo, *Horae rosis & caeteris floribus purpurabant omnia, grat ae spargebant balsama. purpurascit* quoque apud Cice positum pro eo quod est purpureum fit. ita enim inquit in II. Academicorum, *quid Mare nonne caeruleum aut ejus unda cum est pulsa remis purpurascit?* inde purpurei flores purpureique amethisti ab Ovid. dicuntur in III. de Arte Amandi.

TOLLERET.] Elevatet, ut

- - - Fluctusque ad Sydera tollit.

76. SPLENDERET TREMULUM.] Sic Vir. in vis. Aene. de lumine Phoebes:

Aspirant aurae in noctem, nec candida cursum,
Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.

77. MALAS.] Id est genas, ita appellantibus priscis. Ovid. in I.I. Meta.

- - - Impubesque genas & eburnea colla.

Alibi vero ita malas appellavit.

Pulcher & octavis iterum natalibus actis,
Signarat teneras dubia lanugine malas

Lanugo autem, ut diximus etiam in Calpurnium illud ennarrantes,

- - - Gracilis digitos lanugine fallo.

dicitur prima illa barba quam idem Calpurnius *florem juventae* appellavit.

78. PASCIMUS ET CRIMEN.] Legendum est *pascimus & crinem*, quod significat nutrimus & producimus comam, ita enim dicimus quem *pascere barbam* quod eam nutriat: Scribit Pompejus in sacrificiis, *pascere linguam* significare coercero contineio & tacero: *Crines* (ut scribit Pompejus) a discretione dicti sunt quam Graeci *διάκρισιν* appellant, nam idem eos *κομήτας* vocant, a crine *crinitum* dicimus, unde apud Virgilium *crinitus Iopas*. Gellius libro nono Noctium Atticarum. *Ad Herodem Atticum, consularem virum, ingenioque amoeno & Graeca facundia celebrem, adiit nobis praesentibus palliatus quispiam & crinitus, barbaque prope ad pubem usque porrecta.*

FORMOSIOR SOA.] Require verbum cardinale in sequenti versu *dicer*, & lege disjunctum *pascimus crinem*: & *dicer formosior Ida.*

79. ET HOC IPSUM.] Comprobat suum dictum amaliae testimonio, quam idem retolisse ait, sic Calpurnius,

Quem sequeris? quem Phylli fugis? formosior ille,
Decor & hoc ipsum mihi tu narrare solebas.

80. PURPUREAS GENAS.] Rubore suffusas quem

- - - Niveo mixtum candore ruborem

appellavit Ovidius.

LACTEA COLLA.] Nivea & ut inquit Naso *eburnea.*

81. HYLARES OCULOS.] Festivos & ad illiciendum efficaces oculi, ut putat Varro dicti sunt quod ciliorum tegminibus occulantur, prominentes hebetiores sunt conditique clarissime cernunt, ut tradit Plinius. in amore autem duces esse oculos nulli nesciunt unde dictum sit a Propertio.

Si nescit, oculi sunt in amore duces.

Sed in Calpurnium de oculis plura retulimus.

FORMAM.] Hic staturam.

PUBERIS AEVI.] Id est aetatis grandiusculae, *puberes* enim jureconsulti appellant majores quatuordecim annis ut notatur in Institutionibus titulo quibus modis tutela finiatur, cum ante illam decisionem non solum ex annis sed etiam ex habitu corporis in masculis existimari vellent, pubertas itaque finis pueritiae dicta, nam *pubescere* est lanuginem emittere barbae, *pubes* autem ut quidam voluere deducta est a verbo Graeco quasi *ἐφηβεῖν*, unde *ephebus* dictus. Et *ephebia* prima aetas adolescentiae, ut docet Donatus super eo Terentiano in Andria.

Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas.

82. NEC SUMUS INDOCTI.] Auget sibi favorem & gratiam ex disciplina cantilenae, nam inquit Virgilius,

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus
Adjuvat.

CALAMIS CANTAMUS.] Ordo est nec sumus indocti nam calamis cantamus, appositive avens, hoc est stilo humiliori & pastorali, qua scilicet avena & divi prius cecinere.

84. TITYRUS.] Virgilius qui sub persona Tityri in Bucolicis ipsius celebratur. Sic Calpurnius

Tum mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem
Tityron e silvis dominam perduxit ad urbem.

85. NOS QUOQUE] Sensus est, & nos sicuti Tityrus, propter cantilenas quas de te composuimus, cognitum deducemur Romam, cui cantabimus si fas est parva magnis aequiparare.

86. URBANA.] Legendum est *viburna*, est autem *viburnum* Virgultum multitudine virgarum pullulantium nec alte ascendentium. Talis est & illa Virgiliana comparatio in Bucolicis,

- - - Tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

87. CUPRESSOS CONIFERAS.] Id est conos imitantes, ita autem est proprie cupressi figura unde Ovidius similiter dixit.

- - - Coniferas cyparissi,

Et ipsa foemina cupressus *conoides* appellatur quod in fastigium convolvatur. conos figurae est rotundae sine lateribus & proprie conum Graeci appellant nucem pineam. conum quoque in casside dixerunt quod cogitur in acumen versus. ut docet M. Varro in primo de Lingua Latina.

CUPRESSUS] Arbor est Diti sacta ut scribit Plinius, ideo funebri signo ante aedes ponitur, quam rem declarat his Pompejus, *Cypressi mortuorum domibus ponebantur ideo quia hujus generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil jam est sperandum, quam & ob causam in tutela Ditis patris esse putatur.* Ovidius in tertio Tristium:

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso
Conveniet:

Phocion olim Leostheni inania jactanti, *sermones* inquit *tui cupresso sunt plane similes nam magni sunt & nullos fructus ferunt*, ut auctor est Plutarchus in Phocionis vita: *Cypariſsiae*, ut scribit Pompejus, *appellantur acies quaedam igneae quae noctu apparere solent ad similitudinem cupressi.* in hanc arborem diximus in Commentariis Calpurnii conversum fuisse Cyparissum puerum a Silvano adamatum.

CORYLUM.] Corylus frutex est apud nos passim nascens, non ubique fructifer, quibusdam enim in locis sepium loco habetur: corylorum plura sunt genera, quaedam orbiculatos habent fructus ut fere magnitudine

jn:

juglandes provocent, quaedam oblongos & cacuminatos exiliores, his ad usum libidinis quidam hodie utuntur. Avellanas appellant seu ponticas quod ex Ponto allatae sint Plinius in xv. *caeteris quicquid est solidum est ut in avellanis & ipso nucum genere quas ante abellinas patrio nomine vocabant. in Asiam Graeciamque e Ponto venere & ideo Ponticae nuces vocantur:* a corylo *colurna* hastilia dici affirmat Pompejus.

87. Inter pinos.] Pinus arbor est alte crescens, ejus folium pertenue est capillamenti modo longumque & mucrone aculeatum. silvestris pinaster appellatur ut scribit Plinius in xvi.

Frondescere.] Frondes emittere.

88. Sic fuere.] Hic loquitur poëta.

Toto sub sole.] Expone tota die ut superius,

- - - Tres petierunt ordine soles.

89. Frigidus hesperus.] Stella Vesperum ducens, Virgilius in Gallo.

Ite domum pastae venit hesperus ite capellae.

Hesperon Graeci appellant, & id tempus *hespera.* Latini *vesperuginem* & *vespera* ut author est M. Varro de Lingua Latina, libro secundo.

Frigidus.] Quoniam nox ipsa frigida est unde & Calpurnius frigidum *noctigerum* appellavit, Virgilius in Pharmaceutria,

Frigida vix coelo noctis decesserat umbra.

Descendere.] Abire.

90. Inducere.] Introducere. Virgilius.

- - - Inducite fontibus umbras.

Tauros.] Accipe pro bubus vel pro toto generaliter armento.

IN ECLOGAM III.

Vers. 1. NYCTILOS ATQUE MYCON.] Haec Ecloga ad imitationem est Sileni Virgiliani, ubi tres pueri dormientis Panos inducuntur invadere fistulam, cujus strepitu expergefactus Pan deus carmina pueris cantat in honorem Bacchi, ejusque dei circa laudes tantummodo versatur.

Nyctilos.] De hoc nomine videto Calpurnii commentaria Ecloga sexta ne omnia saepius repetamus.

Necnon.] Duas affirmare negationes non est dubium, ut hic; aliquando tamen onius tantummodo particulae vim retinent, secundum ritum & consuetudinem priscae locutionis. M. Varro *non modo ignorasse me clamat sed summo omnes heroas negat nescisse.*

2. Torrentem.] Ardentem. Calpurnius,

Torrida cur solo defendimus ora galero.

Fessus.] Fatigatus, ut apud Virgilium

- - - Hic fessas non vincula naves,
Ulla tenent:

Inde *defessus* dicitur valde fatigatus. Virgilius in primo Aenei.

Defessi Aeneadae quae proxima littora cursu
Contendunt petere.

3. Recubare.] resupine jacere, ut

- - - Recubans sub tegmine fagi.

4. Vires somno.] Quoniam maxima sunt corporis suffragia somnia, utpote cujus auxilio convalescat animi vis, est videre insomnes male se habere. Quare & ad remedia aegritudinis medici non segni cura vigilantibus somnia conciliare solent, profundissima somnia putat Aristoteles nihil somniare, quod sensus & intelligentia hominis tunc suo fungitur officio, cum animus tranquillatur & quiescit, ratio enim sciendi requie maxime constare videtur, quare ex agitatione nimia pueri amentes ac ebrii sunt. finxere poëtae binas esse somniorum portas, corneam alteram, alteram esse eburneam dixere, ex hacque scilicet eburnea falsa exire somnia, ex illa scilicet cornea vera, unde poëta in vi. Aeneidos,

Sunt geminae somni portae, quarum altera fertur
Cornea qua veris facilis datur exitus umbris,
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Sed falsa ad caelum mittunt insomnia manes.

Somniorum plures sunt species, nam aut est ὄνειρος secundum Graecos quod Latini somnium vocant, ut inquit Macrobius in primo de somnio Scipionis, unde *oniro*critès dictus somniorum interpres seu somniator. Ita enim quoque appellatur & conjector, aut ὅραμα quod recte appellatur *visio* aut χρηματισμὸς, quod *oraculum* nuncupatur, aut est ἐνύπνιον, quod *insomnium* dicitur, aut φάντασμα, quod Cicero, quoties opus hoc nomine fuit, *visum* vocavit. Ovi. vero deos Tres in tribus somnii partibus figuravit, Morpheum scilicet, Icelon & Phantason de quibus videto in xi. Metamorphoseon,

Lassatus vires.] Quidam habent textus *lassatas.*

5. Tereti ramo.] Longo & rotundo unde & *teres* oliva a poëta in Buc. nuncupatur.

6. Tamquam pignoram.] Hic talis est sensus: cum pueri desiderarent dei Panos carmina quem somnolentum invenerant sumunt fistulam pro pignore, certi nisi caneret eam non reddere, quia fortasse illos aliquando delusisset ut inquit de Sileno Vir.

- - - Nam saepe senex spe carminis ambos
Luserat.

Tractare.] Frequenter tangere, unde *attrecto* & *contrecto.*

8. Invadunt.] Aggrediuntur, quasi vi & ex improviso, ut apud Vir.

Invadant urbem somno vinoque sepultam,

Salustius, *priusquam hostes invaderet*, aliquando *invadere* significat incipere, ut apud Virgilium,

Tuque invade viam.

Et alibi

Aut pugnam aut aliquid jam dudum invadere magnum,

FURTO.] *Furtum* est contractio rei fraudulosa, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere, & dicitur a *furvo* i. e. nigro quod clam & obscure plerumque fit, ut notatur in Institutionibus, titulo de obligationibus quae ex delicto nascuntur.

9. CANORUM FISTULA QUAM FURAT.] Legendum est ex antiquo exemplari *canorem fistula quem furvit* tali sensu, non modulate & musice reddebat sonas, ut consueverat inflante deo.

CANOREM] Dulcedinem & consonantiam, Quintilianus in primo de Institutione Oratoria, *vocis rationem Aristoxenus musicus dividit ῥυθμὸν καὶ μέλος emmetron quorum alter in modulatione est alterum canore ac sonis constat.* *Canorae* inde aves appellantur quarum vox dulcedinem cum consonantia effundere sentitur. Ovid. in III. Fastorum,

- - - Umbrosae salices volucresque canorae.

Papinius de Psitaco,

- - - At nunc aeterna silentia lethes,
Ille canorus habet:

Ita *canorum* guttur appellavit quoque Silius libro quinto.

Occubuere femur Fontanus, Butta canorum
Transfixi guttur.

CONTEXERE.] Componere & conjungere, Metaphora sumpta a telis & viminibus quae contexuntur, & adverte hic carmen significare concentum calamorum alias enim & incantationem, ut

Ducite ab urbe domum mea carmina ducite Daphnim.

10. MALA SIBILA.] Stridorem acutum qualem serpentes reddere solent cum sibila sint serpentium, Papinius in II. Silvarum.

Hyblaeis immixta favis cui sibila serpens
Poneret.

Sibilos crispantes avium cantus appellavit Fulgentius in I. Mythologicon.

DISSONA.] Discordantia.

11. EXCUSSUS SOMNO.] Expergefactus, & significat quasi per vim, ut apud Vir.

Excutior somno.

Et Juvenalem.

Excuterent somnos urso vitulisque marinis.

STRIDENTIS.] Ob dissonantiam, Calpurnius,

- - - Et acerbae stridor avenae.

12. PUERI AD CARMINA.] Hic deus Pan loquitur, nam carmina superius a poeta dicuntur tamquam rei argumentum.

13. IPSE CANAM.] Diversis verbis imitatur. Vir. ille enim sic in Sileno.

Carmina quae vultis cognoscite.

INFLARE CICUTAS.] Flatu calamos impellere ad sonum.

14. MAENALIIS SUB ANTRIS.] Id est Arcadicis. Maenalus mons est Arcadiae, ut scribit Plin. in III. tantae altitudinis ut caput astris inserere videatur, unde dixit Statius,

Et in mediis frondentem Maenalon astris.

A *Maenala* deflectitur *Maenalius*, ut

Incipe Maenalios mecum mea tibia versus.

Maenalus autem maxime a Pane frequentatur unde Vir.

Pan ovium custos tua si tibi Maenala curae,
Adsis ô Tegeee favens,

17. HAEC FATUS,] Versus hic est poëtae, sequentia vero dei Panos.

MONTIVAGUS.] Per montes vagans.

PAN.] In Calpurnium de Pane plura diximus, hic subnectemus ex Plutarchi authoritate, Pindari & ejus carminum amatorem fuisse Pana, *Paniscumque* quasi per diminutionem quandam ab Apulejo dici parvum Pana, sicuti & *Satyriscus* parvus dicitur Satyrus. Suetonius in Tiberio, *ex utriusque sexus pube paniscorum & nympharum habitu.*

HEDERATA FRONTE.] Hederis cincta, hederam enim gratissimam esse Baccho nulli nesciunt, unde & poëtae hedera coronantur, quasi Libero sacri.

19. PLICAS.] Nectis, est enim *plicare* nectere, & veluti rugas facere, tractum a Graeco verbo πλέκειν, quod significat *nectere*. *Explicare* vero est extendere & diffundere, ut apud Epigrammatarium Poetam.

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras:

Calp.

- - - Latus explicuere genesta.

SERTA VITEA.] Coronas ex vitibus, a *vite* enim *viteum* deducitur.

PALMITE.] Sarmento. palmites enim vitium *sarmenta* appellantur, quod in modum palmarum humanarum virgulas quasi digitos edant ut auctor est Pompejus Columella libro quinto rei rusticae, *nam si id vere fecerimus quo gemmare palmites incipiunt, matris alimentis subito destituta languescit.* Virgilius

- - - Turgent in palmite gemmae.

QUI QUANDO.] Ordo est te cano, qui aliquando serta plicas vitea, & ducis Tygres palmite, habens perfusa colla odorato capillo: & est *quando* pro *aliquando*, ut apud Calpurnium

- - - Si quando laudat Alexin:

vel ita construe. Qui *quando*, pro si *quidem*, qui vera es Jovis proles, ducis Tygres: vel ita, qui quando plicas serta vitea, & ducis Tygres, tunc vera es Jovis proles.

TYGRES.] Quoniam Bacchi currum finguntur ducere, unde cecinit Ovidius in Epistolia,

Illa nec invideo fruitur meliore marito
Inque capistratis Tygribus alta sedet.

Tygribus autem insidere Bacchus ideo dicitur, ut scribit Ful-

Fulgentius libro secundo Mythologicon, quod omnia vinolentia fesirati semper insistat. seu quia vino efferatae mentes mulceantur. est autem Tygris animal maxime paratum theatris, unde dixit Petronius Arbiter,

- - - Premit advena classes,
Tygris, & aurata gradiens vectatur in aula
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem:

Tygrim velocissimum esse animal traduot, quam Hircani & Indi ferunt, ut scribit Pli. in Octavo, unde *incafsa Tygre* appellatur a Silio in quinto, quoniam Indiae mons est Caucasus. Tygris foetum numerosum esse prodidere, qui ab insidiante rapitur equo quam maxime pernici, quoniam ipsa pernicissimo fabitur cursu, cum proiem fenlit raptam, nam (ut inquit Solinus) *Nihil tam longum est quod non vieus penetrent, nihil a se antecedit quod non illico assequantur, ac maxime potentia earum prolectur cum maternis curis incitantur, cum catulorum insidiant raptoribus, succedant sibi equites licet & astu quantalibet fuga emolita praedam velint, nisi in praesidio maris fuerint frustra est animo omne quemquam de universo foetu vix unus queat subtrahi.* Nam (ut scribit Plinius) *raptor illam appropinquare sentiens, unum ex catulis abjicit quo asportato illa regreditur majore velocitate donec ille ad naves confugium habet, sunt vero qui putent abjici speculum cujus imagine tetardata raptori fugam praebeat.*

20. Capillo oorato.] Propter Armenios Indos & quas vicit gentes, unde onguenta asportasse dicitur victoriae insignia, quare cecinit ita Ovidius in tertio Fastorum,

Te memorant Gange totoque Oriente subacto
Primitias magno supposuisse Jovis.

fuit autem mollis & corpore ipsa delicaro, ut possis ad mollitatem referre odoratum capillum.

Vera Jovis proles] Hoc dictum poto, quoniam ipse fulmini supervixit & eo exploratus ita a Jove ortum habuisse credi potest, cujus est tractate fulmina. nam sicuti aquila pullos suos explorare solet lumini solis eorum oculos opponendo, quem si sustinere non valent, dejicit & abjicit, ut scribunt Plinius in x. & Claudianus in III. Honotii Consulatu, qui *exploratores ignes* ob id solis radius appellat, quod his verus exploretur a matribus partus, ita exploratus ad fulmina quo periit mater Bacchus vera Jovis proles merito dici potest.

Jam tunc post sydera coeli.] Fabula talis est. cum Semele, Harmonies & Cadmi filia suspecta esset Junoni ob adulterium cum Jove perpetratum, in formam nutricis ejus conversa Juno, domum Semeles adiit, cumque sermo super Jove incideret, illam monuit ut quo certior de deo fieret, illum rogaret adventare sibi talem qualem Venerea solet excipere Juno, quo imperato ipse ex promissione fulmine armatus illi adsistit, cum vero mortale corpus non pateretur tumultus aethereos, jugalibus arsit donis, & Bacchus cum adhuc immaturus esset geniturae, a Jove ereptus & femori insutus, complevit materna tempora, hanc fabulam narrat Ovidius in tertio Metamorphoseos. & tetigit hic Claudianus in Laudem Stiliconis,

-.. Auratet radiis umbret nascente Minerva,
Induisse Jovem perhibent, Baccheque paternum
Jam pulsante femur mutatus palluit Hermus,
In precium:

Et Papinius in primo Thebaidos,

Unde graves irae cognata in moenia Baccho?
Quod saevae Junonis opus?

Sensus est: Sola Semele vidit Juvem in forma sua existentem, post tamen sydera coeli quae ejus fruuntur obtutu.

21. Provious.] Circumspectus, nam ooscens tempora esse partus imperfecta, ipse complevit.

Protulit.] Distulit. ita ootat Marcel. Lucilius nono

- - - Amplius ad justum hoc protolleret annum.

Pronuxit.] Longius duxit, id enim significat *producere*, ot apud Vir.

Abnegat excisa vitam producere Troia.

Producere quoque foras ducere signat, ot author est Marcellus. Terentius in Heautun. *Produxi ac vendidi.* quare potes dicere *foras duxit ex femore*, justu tempore.

Partus.] Bacchom femori insutum. Ovid.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener, si credere dignum est,
Insuitur femori, maternaque tempora complet:

Scribit Diodo. in III. locum montanum in quo exercitum a peste tutatus est Dionysius *femur* appellasse. unde & Graecos tradidisse de deo posteris, in Jovis femore Dionysium esse nutritum.

Justo Tempora.] Decimo mense ot voluit antiquitas. quem decimestrem partum appellari authur est Censorinus de die natali, & esse majorem. alterum enim minorem septimestrem dixere. Sed de hac re videto apud ipsum Censorinum diffusius: Ovid. dixit justum esse tempus pariendi decimum mensem cum cecinit in 1. Fastorum.

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Scribit Plin. in VII. *Hominem incerto gigni spacio. alius enim VII. mense alius octavo, & usque ad initia decimi undecimique. quare Masurius author est. L. Papyrium praetorem secundo herede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum XIII. mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur.*

25 Satyri procaces.] Id est libidinosi. *procaces* proprie dicuntur meretrices, a *procando* vel *poscendo* unde & *procacitas*. Marcellus, *procacitas a procando vel poscendo unde proci dicti sunt matrimoniorum appetitores.* M. Tullius de Republica lib. IV. *A procando i. e. poscendo procacitas nominata est: procat* enim, ut docet Pompejus, dicebant antiqui pro *poscit*. Catullo in Epithalamio *procacem* Fescenninam locutionem itaque appellavit.

- - - Ite concinite in modum,
Ne diu taceat procax fescennina locutio.

26. Antro Nysae.] Nysus orbs fuit Aegypti Foelici Arabiae proxima quam dixit Homerus in monte excelso ac florenti esse sitam longe a Phoenicia, ac Aegypto conterminam, onde & ipse Bacchus *Nysaeus* dicitur, quamvis alinode deflectant aliqui, Juvenalis,

- - - Dominis Cyrrhae Nysaeque feruntur,

Scribit Diodo. in V. infantem Bacchum dedisse Mercurio Jovem ad antrum Nysae, quod inter Phoeniciam Nilumque est, deferendum, a Nymphisque omni cura & studio

studio educandum, unde ab Jove Nisaque Dionysium etiam dictum.

27. SILENUS.] Bacchi hic fuit Paedagogus, quo usus praeceptore Liber plurimum ad res bellicas & gloriam comparandam profecit, ut scribit Diodorus in quinto: putat Fulgentius, Maroni Dionysium nutriendum fuisse datum quasi Meroni: A Sileno Bacchi nutritore Virgilius Silenum eclogam ex suis unam denominavit, de Sileno Ovidius in primo de Arte Amandi.

Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet & pressas continet arte jubas.

28. FOVAT.] Id est sublevat, ita exponit Servius super eo Virgiliano.

Et fotum gremio dea tollit in altos,]
Idaliae lucos.

RESUPINUS.] Vel ipse jacens resupine, vel lege *resupinis ulnis*. Est enim mos nutritorum: ferre pueros ulnis sublevatos.

29. ET VOCAT AD RISUM DIGITO.] Tangit morem atticum, quae ita labellis infantum digitos admovere solent, ut ad risum eos incitent: Zoroastrem eodem die quo genitus est solum risisse auctor est Pli. in septimo: at e contrario Crassum, avum Crassi in Parthis perempti, nunquam risisse memoriae proditum, quare & *Agelastos* appellatus, id est *sine risu*.

MOTOQUE QUIETEM ALLICIT.] Id est somnum illis inducit, frequenter brachia movendo in modum cunae. vel in ipsa cuna, qua utuntur ad sedandos pueros & illis inducendum somnum, hodie Bononienses & ipsi *cunam* vocantes, non longe a Latina voce. Nam saepius *ab incunabulis*, pro a pueritia inde accipi invenies. Ovidius *cunas* nidos appellavit hirundinum, ita scribens in Tertio Tristium.

Utque malae crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas parvaque tecta facit.

30. QUASSAT.] Movet frequenter, ut apud Virgili. in VI. Aen.

- - - Et lampada quassans
Per Grajum populos:

Plautus in Milite *qui suam pendentem chlamydem quassando fecit*: alias *quassum* convulsum & mutilatum appellamus, ut apud Virgilium in quarto Aen.

Quassataeque rates.

CREPITACULA.] Sistra intelligi puto, quae a crepitu nomen traxere, etenim *crepare* signat sonare, ut apud Plautum in Menaechmis.

Dic mihi an unquam intestina crepant quod sentias:
Verum ubi saturus sum nulla crepant quando esurio
tunc increpant:

Erant autem ad fletum sedandum in deliciis puerorum crepitacula, Quintilianus, *ne sonum reddant pene pueritium crepitaculorum*: Martialis in distichis,

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Haec quatiat tenera garrula sistra manu.

Unde apparet idem esse *crepitacula* & *sistra*.

TREMULIS PALMIS.] Vel propter senectutem tremebundis, vel ita poscente sistro ad hoc ut sonum reddat.

31. SETAS HORRENTES.] Hirsutas, hispidas & duras: dicunturque proprie *setae* duriores pili, ut in equo, *pili* vero tenuiores, ut in homine; unde Persius,

- - - Rerum prudentia velox,*
Ante pilos venit.

32. VELLICAT.] Vellendo abducit. Persius

Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Juppiter

Et alibi

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

32. ASTRINGERE.] Legendum est ex antiquo codice *astringit*, hoc est apprehendit stringendo.

ACUTAS AURES.] In acutum tendentes, ita appellavit eas Hora. in II. carminum.

Et aures capripedum Satyrorum acutas.

33. APPLAUDIT.] Manibus collatis plausum reddit, quod in favorem theatralis spectaculi habebatur. Martialis,

Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro,

Inde, *cui applaudere*, significat sono laeto & commendabili excipere hominem: unde & *plausibiliter* dicitur honorificentissime: hic *applaudit*, id est plausu excipit.

MUTILUM CAPUT.] Vel decapillatum; nam senioribus decidunt capilli, unde *deflocati* senes. appellantur a Plauto: vel intelligas sine cornibus, quod signum est ebriosi, rupisse cornua per ebrietatem. Placet tamen ut propter calvicium intelligas mutilum caput, nam ut scribit Macrobius in VII. Saturnalium, *qui fiunt crebro ebrii cito senescunt*. Alii ante tempus competentis aetatis vel calvicio, vel canicie insigniuntur, quae non nisi caloris inopia proveniunt: putavit Aristoteles mulieres raro in ebrietatem cadere, crebro vero senes.

LEVE MENTUM.] Id est non asperum. quod intelligi potest propter ebrietatem, quae refrigerat, unde & ebriosi tremunt, eoque magis quo largius merum hauserint, ut inquit Aristoteles, quare & solis calore maxime gaudere solent, quoniam concoctionem desiderant, atque etiam quod refrigerati admodum sunt, ex quo attoniti, stupidique more fieri solent a potu, ut idem refert in problematis: pilus autem quoniam frigus compescit & astringit exire non potest, unde & foeminae glabrae sunt quoniam frigidae, & densa corporis habent spiramenta, itaque non habent pili accessum ad exeundum, ut docet Alexander Aphrodisieus in proble. Ebrietas vero maxime caput invadit, ut inquit Aristoteles: quare nil obstat ut *leve mentum* propter ebrietatem intelligamus, nam etsi in eo sint pili, tenues & molles sentiuntur ex frigiditate duplici, senectutis scilicet & ebrietatis: scribit Euse. Silenum spiritalis motus esse Symbolum, cujus candor fulgens coelestes motus notet.

34. COLLIDIT.] Simul premit, est enim elidere premere & suffocare Virgilius,

- - - Geminosque premens eliserit angues:

Alias *excludere* significat, ut

Elisos oculos & siccum cum sanguine guttur.

POLLICE.] Digito in manu primo, quo praecipue cum proximiori utimur ad quid leviter apprehendendum.

SUMMAS NARES.] Extremitates nasi eminentiores, quae *nullis animalium eminent praeter hominem*, ut inquit Pli-

Pli. in xi. siquidem avibus serpentibus piscibus foramina tantum ad olfactus sine naribus : sunt autem cartilaginosae sine osse ut constringi possint, inter quas medium illud dividens Isthmon appellavere : Nasus irrisioni dicatus est unde & cognomina simorum & silenum auc. Pli. Marti.

Et pueri nasum rhinocerotis habent.

35. INTEREA.] Dum joci agitantur.

FLORESCIT.] Crescit.

JUVENTA.] Aetas viridior. dicitur enim *Juventas*, & *Juventa*, & *Juventus*.

36. FLAVA TEMPORA.] Capillo flavo decorata, quo insignitur Bacchus. sunt autem tempora supra malas: Vir. in v. Aene.

Sic fatus velat materna tempora myrtho :

TUMUERUNT.] Ex eruptione cornium. scribit Diodorus in v. propter ingenii acumen primum Bacchum boves ad jugum junxisse, qua ex re illum cum cornibus finxere.

37. TUM PRIMUM LENES.] Legendum est *laetae*.

PAMPINUS.] Surculus novus a vite exiens a quo *Pampinare* verbum.

DONA LYCEI.] In antiquis exemplaribus legitur *poma Lyei* i. e. uvas, siquidem *Lyeus* dictus est Bacchus ἀπὸ τοῦ λύειν, quod est *solvere*, nam ut inquit Horatius.

Dissipat curas Euchyus edaces :

Lyeum dictum putat Fulgentius, *quod vino efferatae mentes mulceantur, quasi lenitatem praestante.*

CARPITE.] Auferte & decerpite carpere ut nutat Marcellus significat auferre & decerpere, Virgilius in Bucolicis,

Insere Daphni pyros carpent tua poma nepotes.

Lucanus in Quarto.

- - - Juvatque novos decerpere flores,

Alias est attenuare, ut apud Virgilium in primo Georgicon

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae.

40. CALCATE.] Premite, unde *calcator :* Calpurnius

Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas.

IGNOTOS RACEMOS.] Non prius cognitos, ipse enim vini fuit Bacchus inventor.

41. PROPERANT.] Accelerant. *properum* itaque velocem appellamus.

42. CELERI PLANTA.] Cito pede, *planta* enim dicitur pars illa sub pede qua terimus terram, scribit Gellius in I. Pythagoram Herculis mensuram cognovisse ex planta, comprehensa mensura Herculani pedis suam naturalem membrorum omnium inter se competentiam modificatum.

43. VINDEMIA.] Ita namque appellatur *vindemia* non *vitidemia* ut scribit Varro.

FERVET.] Cum celeritate agitatur, ut apud Vir.

Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.

Ubi exponit Ser. *fervet concelebratur, contra friget cum cessat dicimus.*

44. IN SUMMIS COLLIBUS.] Quoniam vina optima in collibus nascuntur, juxta illud Maronis

- - - Denique apertos
Bacchus amat colles.

RUMPITUR UVA.] In mustum redigitur.

45. PURPUREO MUSTO.] Purpuram assimilanti.

SPARGUNTUR.] Inundantur & madefiunt. Tibullus,

Oblitus & musto feriat pede rusticus uvas
Dolia dum magni deficiantque lacus.

46. COHORS.] Hic pro multitudine in similitudinem cohortis ponitur, est namque cohors numerus mille centum peditum quinque continens, quae *militaria* appellatur, caput totius legionis & ex decem cohortibus completur legio, distributis nominibus quibusque, de qua re vide Vegetium in II. de Re militari.

POCULA.] Obvia vasa vinaria quae cuique occurrebant.

CORRIPUIT.] Legendum est *corripiunt*, ut

Pars in frusta secant.

QUOD SORS.] Sensus est quod cuique vas occurrebat, ut vino impleri posset, eo quisque utebatur.

CAPIT USUS.] Recipit usum poculi.

48. CANTHARON RETINET.] Cantharus est poculi genus quod Baccho proprium assignant, ut author est Macrobius in quinto Saturnalium, Virgilius tamen Sileno dedit, quasi Bacchico homini: poculorum plura traduntur genera. est enim *carchesium*, *cymbium*, *cantharus*, *scyphus*, *patera*, *calix*, quae omnia celebrantur a Virgilio, ut scribit Macrobius, *dolium* vero vas grande dixere, quo vina reponuntur, auctore Mar.

CORNU ADUNCO.] Buccina obtorta, quodque ad usum musices erat ad vina verterunt.

49. CONVOCAT ILLE MANUS.] Legendum est *concavat* tali sensu; alter deficiente poculo palma manus in modum calicis excavata pro poculo utitur. *Concavare* enim significat manum complicare ut in media palma concavitas fiat: exemplum est Diogenis memoria dignum, qui cum puerum concava bibentem manu vidisset, cotylam peram abjecit inquiens me puer utilitate superavit, & eodem pacto catinum, cum alterum puerum fracto vasculo lenticulam pane concavo suscipere perspexisset: cum olim Artoxerxes in itinere esset, aliis alia ad eum munera ferentibus, homo rusticus, cum pro tempore nihil nactus esset quod regi elargiri posset, percurrit atque ad flumen & haustam ex eo aquam manibus illi obtulisset, laetatus Artaxerxes phiala aurea & mille daricis hominem donavit, ut auc. est Plu. Antiquitus pro poculis itaque manibus utebantur, unde extat illud Ovidianum.

Nectar erat manibus hausta duobus aqua :

Et consimile Propertianum illud,

Et cava suscepto flumine palma sat est.

VERTIT IN POCULA PALMAS.] Id est manibus concavatis pro poculo utitur.

50. PRONUS.] Declivis & inclinatus unde & *pronis lepores*, quod pars anterior aliquantulum sit inclinata.

ſtudio educandum, unde ab Jove Niſaque Dionyſium etiam dictum.

27. SILENUS.] Bacchi hic fuit Paedagogus, quo uſus praeceptore Liber plurimum ad res bellicas & gloriam comparandam profecit, ut ſcribit Diodorus in quinto: putat Fulgentius, Maroni Dionyſium nutriendum fuiſſe datum quaſi Meroni: A Sileno Bacchi nutritore Virgilius Silenum eclogam ex ſuis unam denominavit, de Sileno Ovidius in primo de Arte Amandi.

Ebrius ecce ſenex pando Silenus aſello
Vix ſedet & preſſas continet arte jubas.

28. FOVET.] Id eſt ſublevat, ita exponit Servius ſuper eo Virgiliano.

Et fotum gremio dea tollit in altos,]
Idaliae lucos.

RESUPINUS.] Vel ipſe jacens reſupine, vel lege *reſupinus ulnis.* Eſt enim mos nutritorum: ferre pueros ulnis ſublevatos.

29. ET VOCAT AD RISUM DIGITO.] Tangit morem altricum, quae ita labellis infantum digitos admovere ſolent, ut ad riſum eos incitent: Zoroaſtrem eodem die quo genitus eſt ſolum riſiſſe auctor eſt Pli. in ſeptimo: at e contrario Craſſum, avum Craſſi in Parthis perempti, nunquam riſiſſe memoriae proditum, quare & *Agelaſtos* appellatus, id eſt *ſine riſu.*

MOTUQUE QUIETEM ALLICIT.] Id eſt ſomnum illi inducit, frequenter brachia movendo in modum cunae. vel in ipſa cuna, qua utuntur ad ſedandos pueros & illis inducendum ſomnum, hodie Bononienſes & ipſi *cunam* vocantes, non longe a Latina voce. Nam ſaepius *ab incunabulis*, pro a pueritia inde accipi invenies. Ovidius *cunas* nidos appellavit hirundinum, ita ſcribens in Tertio Triſtium.

Utque malae crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas parvaque tecta facit.

30. QUASSAT.] Movet frequenter, ut apud Virgili. in VI. Aen.

-- - Et lampada quaſſans
Per Grajum populos:

Plautus in Milite *qui ſuam undantem chlamydem quaſſando fecit*: alias *quaſſum* convulſum & mutilatum appellamus, ut apud Virgilium in quarto Aen.

Quaſſataeque rates.

CREPITACULA.] Siſtra intelligi puto, quae a crepitu nomen trahere, etenim *crepare* ſignat ſonare, ut apud Plautum in Menaechmis.

Dic mihi an unquam inteſtina crepant quod ſentias?
Verum ubi ſaturus ſum nulla crepant quando eſurio
tunc increpant:

Erant autem ad fletum ſedandum in deliciis puerorum crepitacula, Quintilianus, *ne ſonum reddant pene puerilium crepitaculorum*: Martialis in diſtichis,

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Haec quatiat tenera garrula ſiſtra manu.

Unde apparet idem eſſe *crepitacula* & *ſiſtra.*

TREMULA PALMA.] Vel propter ſenectutem tremebundis, vel ita poſcente ſiſtro ad hoc ut ſonum reddat.

31. SETAS HORRENTES.] Hirſutas, hiſpidas & duras: dicunturque proprie *ſetae* duriores pili, ut in ſue equo, *pili* vero tenuiores, ut in homine; unde Perſius,

- - - Rerum prudentia velox,*
Ante pilos venit.

32. VELLICAT.] Vellendo abducit. Perſius

Ideirco ſtolidam praebet tibi vellere barbam
Juppiter

Et alibi

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

32. ASTRINGERE.] Legendum eſt ex antiquo codice *aſtringit*, hoc eſt apprehendit ſtringendo.

ACUTAS AUREA.] In acutum tendentes, ita appellavit eas Hora. in II. carminum.

Et aures capripedum Satyrorum acutas.

33. APPLAUDIT.] Manibus collatis plauſum reddit, quod in favorem theatralis ſpectaculi habebatur. Martialis,

Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro,

Inde, *cui applaudere*, ſignificat ſono laeto & commendabili excipere hominem: unde & *plauſibiliter* dicitur honorificentiſſime: hic *applaudit*, id eſt plauſu excipit.

MUTILUM CAPUT.] Vel decapillatum; nam ſenioribus decidunt capilli, unde *deflocati* ſenes appellantur a Plauto: vel intelligas ſine cornibus, quod ſignum eſt ebrioſi, rupiſſe cornua per ebrietatem. Placet tamen ut propter calvicium intelligas mutilum caput, nam ut ſcribit Macrobius in VII. Saturnalium, *qui fiunt crebro ebrii cito ſeneſcunt.* Alii ante tempus competentis aetatis vel calvicio, vel canicie inſigniuntur, quae non niſi caloris inopia proveniunt: putavit Ariſtoteles mulieres raro in ebrietatem cadere, crebro vero ſenes.

LEVE MENTUM.] Id eſt non aſperum. quod intelligi poteſt propter ebrietatem, quae refrigerat, unde & ebrioſi tremunt, eoque magis quo largius merum hauſerint, ut inquit Ariſtoteles, quare & ſolis calore maxime gaudere ſolent, quoniam concoctionem deſiderant, atque etiam quod refrigerati admodum ſunt, ex quo attoniti, ſtupidique more fieri ſolent a potu, ut idem refert in problematis: pilus autem quoniam frigus compeſcit & aſtringit exire non poteſt, unde & foeminae glabrae ſunt quoniam frigidae, & denſa corporis habent ſpiramenta, itaque non habent pili acceſſum ad exeundum, ut docet Alexander Aphrodiſeus in proble. Ebrietas vero maxime caput invadit, ut inquit Ariſtoteles: quare nil obſtat ut *leve mentum* propter ebrietatem intelligamus, nam etſi in eo ſint pili, tenues & molles ſentiuntur ex frigiditate duplici, ſenectutis ſcilicet & ebrietatis: ſcribit Euſe. Silenum ſpiritalis motus eſſe Symbolum, cujus candor fulgens coeleſtes motus notet.

34. COLLIDIT.] Simul premit, eſt enim elidere premere & ſuffocare. Virgilius,

- - - Geminoſque premens eliſerit angues:

Alias *excludere* ſignificat, ut

Eliſos oculos & ſiccum cum ſanguine guttur.

POLLICE.] Digito in manu primo, quo praecipue cum proximiori utimur ad quid leviter apprehendendum.

SUMMAS NARES.] Extremitates naſi eminentiores, quae *nulli animalium eminent praeter hominem*, ut inquit Pli-

Pli. in xi. *siquidem avibus serpentibus piscibus foramina tantum ad olfactus sine naribus*: sunt autem cartilaginosae sine osse ut constringi possint, inter quas medium illud dividens Isthmon appellavere: Nasus irrisioni dicatus est unde & cognomina *simorum* & *silonum* auc. Pli. Matti.

Et pueri nasum rhinocerotis habent.

35. INTEREA.] Dum joci agitantur.

FLORESECIT.] Crescit.

JUVENTA.] Aetas viridior. dicitur enim *Juventas*, & *Juventa*, & *Juventas*.

36. FLAVA TEMPORA.] Capillo flavo decorata, quo insignitur Bacchus. sunt autem tempora supra malas: Vir. in v. Aene.

Sic fatus velat materna tempora myrtho:

TUMUERUNT.] Ex eruptione cornium. scribit Diodorus in v. propter ingenii acumen primum Bacchum boves ad jugum junxisse, qua ex re illum cum cornibus fingere.

37. TUM PRIMUM LENES.] Legendum est *laetae*.

PAMPINUS.] Surculus novus a vite exiens a quo *Pampinare* verbum.

DONA LYCEI.] In antiquis exemplaribus legitur *poma Lyei* i. e. uvas, siquidem *Lyeus* dictus est Bacchus ἀπὸ τοῦ λύειν, quod est *solvere*, nam ut inquit Horatius.

Dissipat curas Euchyus edaces:

Lyeum dictum putat Fulgentius, *quod aino efferatae mentes mulceantur, quasi lenitatem praestante.*

CARPITE.] Auferte & decerpite carpere ut notat Marcellus significat auferre & decerpere, Virgilius in Bucolicis,

Insere Daphni pyros carpent tua poma nepotes.

Lucanus in Quarto.

- - - Juvatque novos decerpere flores,

Alias est attenuare, ut apud Virgilium in primo Georgicon

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae.

40. CALCATE.] Premite, unde *calcator*: Calpurnius

Ut nudus raptas saliat calcator in uvas.

IGNOTOS EACENOS.] Non prius cognitos, ipse enim vini fuit Bacchus inventor.

41. PROPERANT.] Accelerant. *properum* itaque velocem appellamus.

42. CELERI PLANTA.] Cito pede, *planta* enim dicitur pars illa sub pede qua terimus terram, scribit Gellius in I. Pythagoram Herculis mensuram cognovisse ex planta, comprehensa mensura Herculani pedis suam naturalem membrorum omnium inter se competentiam modificatum.

43. VINDEMIA.] Ita namque appellatur *vinidemia* aut *vitidemia* ut scribit Varro.

FERVET.] Cum celeritate agitatur, ut apud Vir.

Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.

Ubi exponit Ser. *fervet concelebratur*, *contra friget cum cessat decimus.*

44. IN SUMMIS COLLIBUS.] Quoniam vina optima in collibus nascuntur, juxta illud Maronis

- - - Denique apertos
Bacchus amat colles.

RUMPITUR UVA.] In mustum redigitur.

45. PURPUREO MUSTO.] Purpuram assimilanti.

SPUMANTUR.] Inundantur & madedefiunt. Tibullus,

Oblitus & musto feriat pede rusticus uvas
Dolia dum magna deficientque lacus.

46. COHORS.] Hic pro multitudine in similitudinem cohortis ponitur, est namque cohors numerus mille centum peditum quinque continens, quae *miliaria* appellatur, caput totius legionis & ex decem cohortibus completur legio, distributis nominibus quibusque, de qua re vide Vegetium in II. de Re militari.

POCULA.] Obvia vasa vinaria quae cuique occurrebant.

CORRIPUIT.] Legendum est *corripiant*, ut

Pars in frusta secant.

QUOD SORS.] Sensus est quod cuique vas occurrebat, ut vino impleri posset, eo quisque utebatur.

CAPIT usus.] Recipit usum poculi.

48. CANTHARON RETINET.] Cantharus est poculi genus quod Baccho proprium assignant, ut author est Macrobius in quinto Saturnalium. Virgilius tamen Sileno dedit, quasi Bacchico homini: poculorum plura traduntur genera. est enim *carchesium*, *cymbium*, *cantharus*, *scyphus*, *patera*, *calix*, quae omnia celebrantur a Virgilio, ut scribit Macrobius, *dolium* vero vas grande dixere, quo vina reponuntur, auctore Mar.

CORNU ADUNCO.] Buccina obtorta, quodque ad usum musices erat ad vina verterunt.

49. CONVOCAT ILLE MANUS.] Legendum est *concavat* tali sensu; alter deficiente poculo palma manus in modum calicis excavata pro poculo utitur. *Concavare* enim significat manum complicare ut in media palma concavitas fiat: exemplum est Diogenis memoria dignum, qui cum puerum concava bibentem manu vidisset, cotylam peram abjecit inquiens me puer utilitate superavit, & eodem pacto catinum, cum alterum perfracto vasculo lenticulam pane concavo suscipere perspexisset: cum olim Artoxerxes in itinere esset, aliis alia ad eum munera ferentibus, homo rusticus, cum pro tempore nihil nactus esset quod regi elargiri posset, percurritque ad flumen & haustam ex eo aquam manibus illi obtulisset, laetatus Artaxerxes phiala aurea & mille daricis hominem donavit, ut auc. est Plu. Antiquitus pro poculis itaque manibus utebantur, unde exiit illud Ovidianum.

Nectar erat manibus hausta duobus aqua.

Et consimile Propertianum illud,

Et cava suscepto flumine palma sat est.

VERTIT IN POCULA PALMAS.] Id est manibus concavatis pro poculo utitur.

50. PRONUS.] Declivis & inclinatus unde & *prominentes*, quod pars anterior aliquantulum sit inclinata.

G 2 LA-

LACUM.] Lacus vas est vinarium ubi calcatur uva. Tibullus,

Dolia dum magni deficientque lacus.

& alibi

Praebeat & pleno pinguia musta lacu.

Itaque hic accipitur. alias enim *lacus* lacuna dicitur ubi aqua contineri potest, ut docet M. Varro in primo de Lingua Latina.

HAURIT.] Avide & propere sumit, ut apud Virgilium,

- - - Ille impiger hausit
Spumantem pateram & pleno se proluit auro.

Haurire significat modo exhaurire, modo implere, aliasque defatigare, ut apud Vir. in III. Gent.

- - - Exultantiaque haurit
Corda pavor.

LABRIS CREPITANTIBUS.] Hoc est crepitum facientibus, quod ex nimia aviditate provenire innuit: crepitus enim dicitur strepitus & crepitare est strepere ut apud Juve.

Quaeque salutato crepitat concordia nido.

VOCALIA CYMBIA.] Cymbia pocula procera sunt, ac navibus similia. dicta diminutive a *cymba*, quod & apud Graecos, & apud nos ab illis trahentes navigii genus est, scribit Macrobius in quinto Saturnalium: Virg.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Sed hic sunt qui legant *venalia cymbia*. id est vendibilia: alii vero *vocalia cymbala*. Cymbalum enim est instrumentum musicum, quod in Matris Deum sacris adhiberi solet, quoniam cum sonitu clypeorum & galearum Juppiter in Creta servatus est, quare consuetudo cymbala & tympana substituit. Ovidius in IV. Fastorum.

Cymbala pro galeis pro scutis tympana pulsant:

A *cymbalo cymbalistria* dicitur cymbalum quatiens, sicuti a *tympano tympanistria*.

MERGIT.] Inundat.

52. ATQUE ALIUS LATICES.] Sensus est, alius resupinans corpora, exprimit ab uvis vinum excipit oreque.

52. PRESSUS LATICES.] Id est cum presserit uvas, *latices* enim pro uvis hic est intelligere, ut apud Virg. pro vino,

- - - Laticum libavit honorem.

alias enim aqua *latex* dicitur, quod in venis terrae lateat.

53. SALIENS LIQUOR.] Scilicet vini emicans quasi ex fonte rivus.

54. RESULTAT.] Superabundat.

55. OMNIA LUDUS HABET.] Vini exprimit effectum, quo exhilarantur omnia. Horatius in Tertio Carminum.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, tu sapientium
Curas & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo.

Ovidius in primo de Arte Amandi:

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero,
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curas rugaque frontis abit.

In quem significatum protulit Virgilius in Buc.

Hylarans convivia Baccho.

Etenim Ebrietatis comes est oblivio, ut inquit Macro. in quinto Saturna:

CHOROS.] Coetus, est autem chorus conventus in modum coronae dispositus, unde *coronam* dici putat Pompejus. quamvis *corona* sine aspiratione, *Chorus* vero aspirate legatur, *choragium* inde instrumentum scenicum nuncupatum putavit quoque Pompejus.

56 ET VENEREM JAM VINA MOVENT.] Proverbium velut Terentianum est *sine Cerere & Baccho friget Venus*, quod significat cibo & potu ad Venerem parari animus. Scribit Aristo. enim in problematis, cibum omnem concoqui, quo satiati ad Venerem plane incitamur. Unde Catullus

Nam pransus jaceo & satur supinus,
Pertundo tunicamque palliumque.

Vina namque, ut inquit Ovid. *faciunt caloribus aptos*. Putat tamen Aristo. vinolentos non posse concumbere, quamquam necesse est quandam partem corporis magis calere quam reliquum corpus, quod in his fieri non potest ob nimium totius corporis fervorem.

RAPTANTUR.] Ordo est. amantes Satyri raptantur jungere, hoc est ut jungant Nymphas fugientes concubitu: sunt enim libidinosissimi Satyri, qui nunquam Nymphas quiescere sinant, unde ita conqueritur apud Papinium Diana,

- - - Nunquam ne avidis arcebo rapinis,
Hoc petulans foedumque pecus, semperque pudici
Decrescet mihi turba chori.

JAM JAMQUE ELAPSAS.] Sensus est: Jam ipsi fugientes Nymphas retinent vel veste vel capillo e manibus paulo ante elapsas, hoc est quas pridem coeperant, sed iterum fugerant.

59. TUM PRIMUS.] Ordo est, tum Silenus primus hausit avide cymbia plena roseo musto i. e. pulchro.

60. NON AEQUIS VERSIBUS.] Non vi pari ad poculum elevandum, vel non valente stomacho ad concoctionem tanti ponderis.

AVIDE] Cupide. Scribit Marcellus *avarum* & *avidum* ita discerni, quod *avarum* semper in reprehensione est, *avidum* autem ab *avendo*, quod est etiam honeste cupiendo, ut apud Vir.

- - - Pascuntur aves avidaeque juvencae.

Salu. in Catilinario. *Laudis avidi pecuniae liberales erant.*

EX ILLO VENAS.] Sumptum est ex Sileno Virgiliano,

Inflatum hesterno venas ut semper Iaccho:

Iacchus autem nomen est Bacchi a clamore & sonitu deductum Vir.

Et Lapithas bello perdis Iacche gravi.

de

De variis Bacchi nominibus vide apud Diodorum in v.

Nectara dulci.] Vino ad instar nectaris precioso. *Nectar* ut scribit Pompejus Graece potionem deorum significat, Horatius

Quae Venus quinta parte sui nectaris imbuit.

Macrobius in primo de Somno Scipionis, *sed altissima & purissima pars ejus qua vel sustentantur divina vel constant, nectar vocatur & creditur esse potus deorum.*

62. Ridetur.] Deluditur.

Gravis.] Id est oneratus. problema est Aristotelicum cur vinum alios tardos, alios superbos reddat atque insanibundos, ubi ex authoritate Cheremonis asserit, vinum sese pro moribus viventium applicare, & contraria] seddere non quae eadem sed quae sunt dissimilia, ut ignis alia exsiccat alia humefacit, sed non eadem; glaciem enim liquefacit, salem vero indurat.

Hesterno:] Prioris diei, Propertius,

Hesterna mea lux cum potus nocte vagarer.

Terentius, *jure hesterno panem atrum vorent.*

63. Natus.] In antiquis exemplaribus legitur, *profatur.* Id est progenitus, procreatus & propagatus.

64. Premit.] Calcat, *premere* (ut notat Marc.) signat ioniti cum pondere. Vir. Geor. lib. iv.

- - - Et spumantia cogere pressis
Mella favis.

De vitibus hastas.] Thyrsos intelligit, i.e. hastas quas bacchantes pampinis convolutas inchoreis ferebant, ut scribit Diodorus in v. De his Valerius in ii. Argo. sensit illo versu

Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam.

Thyrsum autem fert ipse Bacchus, quo concitat bacchantes, unde dixit Ovid.

Foeminees thyrso concitat ille choros.

Hora. in ii. carminum

Parce gravi metuende thyrso:

A *thyrso thyrsiger* ipse appellatur, Seneca in Medea

Candida Thyrsigeri proles.

65. Inserit.] Jacit.

Lyncs bibenti,] Nam hoc animal Baccho dicatum est, unde Vir. in iii. Geos.

Quid lynces Bacchi variae & genus acre luporum.

Lyncas vulgo frequentes in Aethiopia gigni author est Pli. quarum humor redditus glaciatur arescitque in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes, *lyncurium* vocatas, hoc est lyncum urinam, quod etiam ipsas lynces persentiscere hoc documento ut scribit Solinus probatur, quod egestum liquorem illico harenarum cumulis quantum valent contegunt, invidia scilicet ne talis egeries transeat in nostrum usum, ut Theophrastus perhibet: Lyncas & cervarios distare manifestum est, quod Pli. diverso capite de ipsis tractavit, distinxitque. scribit Ov. in v. Meta. Lyncem, Scytharum regem, cum Triptolemo, a Cerere misso ad fruges propagandas, vim inferre vellet, ab ipsa dea in lynca feram conversum fuisse.

Cratera.] Alludit ad cratera celeste Liberi patris, de quo Macrobius in i. de somno Scipionis, *Arcani hujus indicium crater Liberi patris ille sydereus in regione quae inter cancrum est & leonem locatus, ebrietatem illic primum descensuris animis evenire silva influente significans.* Crateris autem fabulam videto apud Hyginum de signis celestibus.

Bibenti.] Quoniam & jumenta vinum bibere cogimus: annotatu dignum est vinum mulis datum, si calcitrosae sint a vitio liberari.

66. Docebat.] Instruebat.

67. Donec.] Quo usque. ut apud Vir.

Cogere donec oves stabulis.

Conducere sparsas.] Copulare simul:

68. Nox suadens siccare fluorem.] Mulsuram intelligit nocturnam, sed require in Calpurnii commentariis, ubi de mulsura & diurna & nocturna Egloga Quinta diximus.

Siccare.] Mulgere.

Fluorem.] Lac fluidum a fluendo. aliqui codices habent *liquorem* eodem significatu: est autem ordo: Pan haec docebat pueros in Menalia valle, donec nox *jubet* pro jubebat, oves sparsas campo in unum conducere. & subintelligendum iterum, nox suadens siccare fluorem seu liquorem lactis uberibus ovium.

69. Cogere] Premere.

Astrictum.] Compressum & conculcatum.

In niveas glebas.] In formulas casei, quas per quandam similitudinem *glebas* appellat: *Gleba* autem proprie terra dicitur simul constricta & conglobata. Vir. in i. Geor.

Multum adeo rastris glebas quum frangit inertes.

Cic. de Lege Agraria, *si ostendo non modo non adimi cuiquam glebam de Sillanis agris:* Plin. lib. xxiii. Nat. Hist. *Indici differentia glebis extrinsecus nigris intus russis, cum fregeris ette nigrescentibus:* ubi glebas tamen non terrae sed medicamenti lycii appellavit, ut inde appareat, sem omnem in globositatem constrictam *glebam* posse appellari. a *gleba* dicitur *glebosum* solum, quod glebis refertum est. quibus minus foecundum minusque fertile redditur.

IN ECLOGAM IV.

Verf. 1. POPULEA LYCIDAS.] inducuntur Lycidas & Mopsus amantes, quorum alter puellam Meroem ardens, alter puerum Iolam, carmine querulo jurgia lenite amatoria finguntur, sicuti in Damone Virgiliano Dametae dicitur cura Galathea, Menalcae vero puer Amyntas: circaque disparem sexum versatur cantilena.

POPULEA IN UMBRA.] sub arbore populo Herculi dicata, ut inquit Pli. in XIII. unde est apud Virg. in Buc.

Populus Alcidae gratissima :

Populi tria sunt genera est enim alba, & nigra, & quae Lybica appellatur minima folio ac nigerrima fungisque enascentibus laudatissima, a *populo* fit *populeum* & *populneum*, unde *populnea frons* apud Colu.

3. NON TRIVIALE.] Non semidoctum, quale in triviis celebrari solet, unde & *triviales magistros* dici superius annotavimus.

PROPRIOS AMORES :] Uniuscuiusque peculiares. Mopso enim proprius amor erat Meroe i.e. muliebris: Lycidae vero puerilis i. e. Amintas: scribit Marcellus, *proprium* dici suum uniuscujusque Virg. in Buc.

Si proprium hoc fuerit, laevi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Etenim VII. Aene.

Hunc mihi da proprium virgo :

Ordo est: Mopsus & Lycidas Pastores in ombra populea, uterque doctus versu & calamis nec sonans triviale, cantabat propios amores: Nam Mopso declarat cur proprios dixerit.

4. MEROE] Nomen puellae, a colore atro ita denominatae: Ausonius

Et tu sic Meroe, non quod sis atra colore,
Ut quae Niliaca nascitur in Meroe :

IGNIS ERAT.] I. e. amata quae vice ignis est amanti.

CRINITUS.] Pulchre comatus, a coma enim longa dicitur, ut superius annotavimus. unde *crinitus Apollo*.

5. PARILIS FUROR.] Aequalis insania, parilis enim a *pari* deducitur sicuti *parilitas*.

DE DISPARE SEXU. [De viro & foemina.

6. COGEBAT.] Angebat.

TREPIDOS.] Timentes. est enim timor amoris comes, quoniam semper veretur amator, & eo magis quo semel est elusus, ut hi, quibus verba saepius dederant & puer & puella.

INQUE VICEM.] hic versus abolendus est, nam sequitur post versum illum inferius,

Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis.

7. LUSERE.] Delusere & derisere.

FURENTES.] Nimio amore delirantes. Vir. de Didone,

- - - fama furenti
Detulit armari classem.

8. CONDICTAS.] Ab utraque parte promissas: *condicere* enim *arbores*, significat convenire ut sub tali arbore jungamur: Nam & *dicere diem reo*, est diem denunciare quo ad causam audiendam sit praesto: Seu. in Caesare, *Subornavit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem diceret:* condictum ut scribit Pom. est quod communi est dictum Cicero Epistolarum lib. 1. *Nam cum mihi condixisset cenavit apud me in mei generi Crassipedis hortis e condictas* ergo intellige ab utraque parte promissas, sub quibus convenire deberent: sic Ovid. io IV. Meta.

- - - Adopertaque vultum,
Pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit.

9. FAGOS PLACIDAS.] Vel remotas ab omni strepitu & turba virorum, vel respexit ad aetatem primam cui cibus fuit glans fagina.

FALLUNT ANTRA.] Pro decipiunt amantes sub antris expectantes promissis.

10. ALLUDERE.] Lusu attingere.

11. IONIS LUSUS.] Id est amor utriusque & Mopsi & Lycidae.

EDERAT.] Legendum est *ad derat*, hoc est corroserat: & consumpserat: est enim amanti lactio flammae additio, unde cecinit Ovid. in XIII. Meta.

Uror enim, laesusque exaestuat acrior ignis.

12. NUDARUNT.] Manifestaverunt. *nudare* enim hic manifestare significat, alias spoliare.

DESERTIS SILVIS.] Ut apud Vir.

Montibus & silvis studio jactabat inanes

13. INQUE VICEM.] I. e. alterna subtexendo carmina.

DULCES QUERELAS.] Non jurgiosas sed demulctorias & placidas: quas exequitur.

IMMITIS MEROE.] Incipit amatorie: ita apud poetam Dido arguit crudelitatis Aeneam,

Et mediis properas aquilonibus ire per altum
Crudelis.

Et in Buc. Corydon.

O crudelis Alexi.

14. IMMITIS.] Dicitur ferus & impius, ut in Calpur. annotavimus. Tibul.

Quam juvat immites ventos audire cubantem.

FUGACIOR EURIS.] Pro omni vento posuit, eurus ventus est ab oriente flans brumali, vulturnus a Latinis appellatus, *eurus* a Graecis, ut docent Plinius & Gel.

15. VITAS.] Devias, fugis vitabundus, *pro vitans* inventor apud Salus. eunc. Marce. in III. Histo.

QUEMVE FUGIS.] Quasi dicat opulentum & formosum.

Me

ME VICTO.] Vel decepto: vel superato: *vincere*, ut notat Mar. significat superare, aliquando exprimere, ut apud Vir.

Nec sum animi dubius verbis ea vincere magnum,
Quam sit:

Alias vero compotem animi fieri.

QUIN VULTU MENTEM.] Legendum est *quid vultum venienti premis* ex antiquo exemplari, & inest huic lectioni duplex intellectus, ut sit *premis vultum*, sc. meum quando advenis paululum turbata fronte, amantis est enim ab amasia sumere vultum. quare monet Ovid. in II. de Arte Aman.

Riserit & ride, si flevit flere memento,
Imponat leges vultibus illa tuis.

Vel *premis vultum* i. e. quae bona ex vultu hylari tribuis, frustraris.

18. TANDEM DURA NEGAS.] *Tandem* signat tamen ut scribit Mar. *Tityrus, in gemina symphonia. Odiosum tandem ut moribus place.* I. e. vito. Plautus *tandem tandem odiosus es mihi.* Alias *tandem* etiam vix significat, ut apud Cic. *tandem aliquando Quirites*: & apud Virg. in III. Aene.

- - - *Erga insperata tandem tellure potiti.*

NEGAS.] Subintellige concubitum solent enim per circumlocutionem id petere amantes. Mar.

Ita non dat non tamen illa negat,

Auso.

Patri negavi jam tuo.

NON POSSUM NON VALLE.] Delendum est enim superius, ut ita intelligas, *possum non velle negantem.* id est possum desinere ab amore tuo, si spernas me, est autem italicentis amantis, ut apud Teren. in Eunucho,

Egone illam, quae illum, quae me.

19. CANTAT AMAT QUOD QUISQUE.] Sensus est: qui pueros amat, puerorum cantet amores, qui vero foeminas, de foeminis & puellis frequentet cantilenam: & isto versus est hic intercalatis Sicuti apud Virg.

Incipe Menalios mecum mea tibia versus.

Apud Ovid. in libris Amorum,

Tempora noctis eunt, excute poscis cam.

LAVANT CARMINA CURAS.] Sicuti apud Hora.

- - - *Minuentur atrae*
Carmine curae:

LEVANT.] Tollunt & absumunt:

20 RESPICE ME TANDEM.] Alternat cantilenam Lycidas, cujus erat ardor puerilis.

NON SEMPER HOC ERIS.] Silicet ut es formosus, nam pereunt dies & pede cito labitur aetas, quantumque accedit ad annos, formositas minuitur.

GRAMINA.] Pro quibuscunque herbis posuit flores emittentibus.

22. PERDIT ROSAS.] Quod documentum est naturae cuncta bona in se quaedam latibula retinere mali. Ovid. in v. Fastorum,

Et monet aetatis specie dum floreat uti.
Contemnunt spinam cum cecidere rosae.

Et de Arte Amandi,

Et riget amissa spina relicta rosa.

Virg.

Collige virgo rosas dum flos novus & nova pubes,
Et memor esto aevum sic properare tuum.

CANDENT.] Candorem & albedinem retinent, dicitur etiam *candere* ferrum ignitum:

NEC LONGUM.] Non perpetuum. apud Tibul. *longa dies.* i. e perpetua.

23. UVA.] Pro vite *uvam* dixit i. e. contentum pro continenti.

COMAS.] Id est frondes, ita etiam appellantur a Virg. in Hortulo,

Prohibentque densi fervidum solem comis:

Comis etiam placidus dicitur. ut apud Ovidium in secundo Tristium.

Majestas adeo comis ubique tua est.

POPULUS UMBRAS.] Id est frondes, ex quibus umbra conficitur. Ita Calpur. pro frondibus *umbras* posuit.

Dum viret & tremulas non excutit Africus umbras:

24. DONUM FORMA BREVE EST.] Sic Ovid. in II. de Arte Amandi,

Forma bonum fragile est quantumque accedit ad annos,
Fit minor & spatio carpitur illa suo.

NON SE TIBI COMMODAT ANNIS.] Sensus est, non illa succrescente annorum numero se tibi commodam praestat, sed annis deficit.

Et veniunt rugae quae tibi corpus arent.

26. CERVA MAREM SEQUITUR.] Hic loquitur Mopsus & arguit naturaliter cum marem in animalium omnium sequatur foemina, & ita debere virum mulierem sequi.

MAREM.] Id est masculum. Sic Ovid. in secundo de Arte Amandi.

Cerva parem sequitur, serpens serpente tenetur,
Haeret adultero cum cane nexa canis.
Laeta salitur ovis, Tauro quoque laeta juvenca est.
Sustinet immundum sima capella marem.
In furias agitantur equae, spatioque remoto,
Per loca dividuos amne sequuntur equos:

FORMOSA JUVENCA.] Arguit contra superbiam, quae ex formositate provenit. Nam ut inquit Ovid.

- - - *Forma quota quaeque superbit.*

& alibi,

- - - *Sequiturque superbia formam.*

Non solum enim juvenca sequitur taurum, sed & formosa, quasi dicat sic tu non debes ea formositate superbiam concipere.

VENEREM SENSERE LUPAE.] Id est in furorem Veneris agitantur, non enim mas foeminam sequitur ambitve, sed ab illa expetitur & ultro poscitur.

LUPAE.] Animalia ſunt nocturna, quae toto anno non amplius XII. diebus coëunt, ut ſcribit Pli. in octavo. *Lupae* etiam dicuntur ſcorta, id eſt meretrices, unde & *lupanaria* loca in quibus habitant, & *lupi* quoque dicti ſcortatores.

28. GENUS AEREUM.] Quamquam in aëre eſt vita vulucrum ſicuti quadrupedum in terris, piſcium in aquis, Calpur.

Et quaecunque vagis altum ferit aëra pennis.

Aëriae palumbes a Vir. appellantur coloris aërei in Bucolicis illo verſu

Ipſe locum aeriae quo congeſſere palumbes.

SQUAMMEA TURBA.] Genus ſerpentum ſquamigerum. Nam ut inquit Ovid. in III. Faſt.

Cum pare quaeque ſuo coëant volucreſque feraeque,
Atque aliquam de quo procreet anguis habet.

Ex ſquama autem conſtare ſerpentes vel ex his patet Vir. verſibus, ex tertio Georgicon.

Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squammea convolvens ſublato pectore terga.

Poſſumus tamen hic etiam piſcium comprehendere genus, quod ſquammeum eſt, unde *ſquamigeros* ita eos appellavit Lucretius in 1.

Cedere ſquammigeris latices nitentibus autem,
Et liquidas aperire vias.

Tu piſces intellige.

29. ET MONTES SILVAEQUE.] Repetendum eſt, habent ſuos amores ex quibus propagentur, unde Ovidius in quarto Faſtorum de Venere loquens,

Illa deos omnes longum eſt numerare creavit,
Illa ſatis cauſas arboribusque dedit.

Annotaverunt namque eruditi utrumque genus arboribus ineſſe, notabiliusque in palmis: Plinius libro XIII. *Arboribus immo potius omnibus quae terra gignit herbisque etiam utrumque ſexum eſſe diligentiſſimi naturae tradunt*: inde eſt illud Claudiani de Nuptiis Honorii,

Vivunt in Venerem frondes, omnisque viciſſim
Foelix arbor amat, nutant & mutua palmae
Foedera, populeo ſuſpirat populus ictu,
Et Platani platanus alnoque aſſibilat alnus.

30. UNA.] id eſt ſola, alias ſimul ſignificat, ut

Una eurus notuſque ruunt.

PERDSS.] Enecas. de hoc verbo diximus plura ſuperius.

32. OMNIA TEMPUS ALIT.] Loquitur Lycidas admonetque puerum, ut reſpectu fugientis temporis aetatem exerceat, nam, ut alit omnia tempus, ita deſtruit omnia. unde dixit Franciſcus Petrarcha noſter, de tempore ſcribens, *glaciem ſoro ſe vidiſſe vicinam*, cum temporis velocitatem non melius demonſtrare poſſet: ex hac velocitate finxerunt Saturnum, qui pro tempore accipitur, filios comeſſe ſuos, quod omne tempus quodcunque gignit conſumit, ut ſcribit Fulgentius in primo Mythologicon, unde & illi quoque ob hanc falcem dedere cauſam, quod omne tempus in ſe vergat ut curvamina falcium, a filio itaque eum ideo pulſum dixerunt, quoniam tempora ſeneſcentia ab his quae poſt ſunt nata depelluntur, ut docet Macrobius libro primo Saturnalium, qui idem refert, cum chaos eſſet, tempora non fuiſſe. ſi quidem tempus eſt certa dimenſio, quae ex coeli converſione colligitur, tempus coepit inde. quare ab ipſo natus putatur, id eſt χρόνος.

USUS.] Scilicet temporis.

IN ARCTO EST.] Id eſt brevi durat ſpatio: *Arctum* appellamus ſtrictum & breve, ut *arctam viam*, quare uſum temporis arctum, ita intelligimus, ad breve ſpatium vitae redactum.

33. VER ERAT.] Quod cum pulcherrimum & praeteritum, ita poteſt formoſitatem admonere pueris non fore divinam. Subminiſtrat autem florum omnium ver genera, unde exiſtit major ipſius formoſitas. Ovidius.

Poma dat autumnus, formoſa eſt meſſibus aeſtas.
Ver praebet flores, igne levatur hyems.

Et quoniam tempus hoc veris maxime partui aptum eſt, inde *vernas* domi natos appellavere.

VITULOS PARVULOS.] *Vitulari* ut docet Macrobius in tertio Saturnalium, verbum eſt quod ſignificat *voce laetari*. Quare Varro in libro quintodecimo Rerum Divinarum ita refert, *Quod pontifex in ſacris quibuſdam vitulari* ſoleat *quod Graeci παιανίζειν vocant. Id docta Maronis ita expreſſit elegantia,*

Laetumque choro paeana canentes.

Vitulam deam vocari laetitiae quae praeſt, Titius putavit, Piſo vero Victoriam dixit nominari. de qua re plura in libro praedicto apud Macrobium videto.

34. COIERE IN CORNUA TAURI.] Facti ſunt cornibus coactis, quod ſignum eſt aetatis virilis. dicuntur enim *coire* cornua in tauro quando in ſe reflectuntur.

PRO NIVEA VACCA.] Ad prolem ſcilicet reparandam & generationi apti.

35. TUMIDAE NARES.] Diximus ſuperius ex auctoritate Alexandri Aphrodiſei, pubeſcentibus membra omnia augeri. ſicut morborum mutationes indicant & ſolutiones circa dicimum & quartum annum, progenitae poſt ter ſeptenos autem annos genas flore veſtit juventa, ut ſcribit Macrobius in primo de ſomno Scipionis. Idem annus finem in longum creſcendi facit & quarta annorum hebdomas impleta in latum quoque creſcere ultra jam prohibet.

FORTIA COLLA.] Propter auctionem humerorum & membrorum caeterorum. Metaphora autem a bobus ſumpta, qui collo praevalere incipiunt creſcentes, unde Hor. Metaphorice quoque de puella nondum viro matura dixit.

Nondum ſubacta ferre jugum valet cervice.

36. BIS DENIS MESSIBUS.] Id eſt vigini annis: numerantur enim per meſſes & hyemes, ut diximus, anni.

AESTUS.] Calor a quo *AEſtas* dicitur ut ſcribit Var. in 1. de Lingua Latina ab *aeſtu* eſt verbum *aeſtuare*, quod ſignificat nimio premi calore. Juvenalis. *Sed Julius ardet.*

39. PECUDES SUBIERE NEMUS.] Sic Perſius,

- - - Et patula pecus omne ſub ulmo eſt.

Solent enim medio aeſtu umbras pecudibus paſtores inquirere.

40. AVIS NULLA.] Secretiſſimam eſſe ſilvam dicit, ubi ne quidem avis cantilenam interpellet: *Avis* ut qui-

quidam voluere ab *adventu* dicta, quod quolibet anuo aves adveniant, vel quasi *fine via*. nam qoa advenient viam oemo intelligit: ab *ave avicula* diminutione fit. & *aviarium*, qui locus appellatur domesticus ubi aves educantur.

Gutturu canoro.] Dulcisona lingua, unde & ipsae *canorae* appellantur, Vir.

Aves canorae garrulae fundunt sonos.

41. Squammea serpens.] Squammis obducta, u *squamma squamosus* fit. Id est squammis plenus, unde & verbum *desquamare* quod significat squammas detrahere. Plautus in Aulularia. *Desquama pisces.*

Sionat.] Dum sepit vel in pulvere vel in loco humido.

Torto tractu.] Semita reflexa & obtorta. Nam serpentum gradus tortuosus est & circumfluxus.

Solus cano.] Sine aliquo arbitro, ne coetum timeas pastorum.

Sonat.] Resonat.

42. Austivis cantu concero cicadis.] Sensus est: adeo vehemens est cantus meus, ut ne quidem cedam obstreperis cicadis. Io aliquibus exemplasibus legitur pro *sanis*, *tantum*, quod tu ita iotellige, ego solus canto, oec hoc unum quidem facio, ut cedam cicadis obstrepentibus.

Aestivis.] Quoniam aestate tantummodo apparent cicadae.

44. Tu quoque saevu puer.] Saevus hic crudelis dictus, & durus, ut

Saevae memorem Junonis ob iram.

Alias enim *saevum* potentem dicimus, ut apud Virgilium.

Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.

Niveum colorem.] Quoniam fucantur qui sub sole morantur. Undo remedium galerum adhibere mos fuit. Calpurnius,

Torrida cur solo defendimus ora galero.

Vreru.] Colorate, unde Indi & Seres *colorati* appellantur, Ovid. in primo Amorum,

Vela colorati qualia Seres habent.

Lucuntis malas.] Genas nitidas & fulgentes.

46. Umbra pampinea.] Ex pampinis & vitibus conserta.

47. Fons murmurat.] Aquarum est proprie *murmur*, Papinius in primo Silvarum,

- - - Hic tumidam rabiem spumosaque ponit,
Murmura.

Cum de aquis loquitur: *mussare* & *murmurare*, ut authos est Marcellus, ita discernuntur, quod *mussare* hominum sit occulte quid & pressa voce loquentium quod celatum velint, apud Virgilium in z.

Quod fortuna ferat populi, sed dicere mussant:

Murmurare autem est majoris sonitus ad tumultum, ut in primo Georgicorum,

- - - Nemorum increbescere murmur.

Murmillum etiam per diminurionem dixere. Plautus in Rudente: *Nolo ego murmurillum neque susurrum fieri.* Inde etiam est verbum *murmurillare*, ut apud eundem Plautum, *quid murmurillas tecum & tecis & cruciat.*

48. Purpureae uvae.] Id est coloratae & certi coloris, quem maturae repraesentant uvae.

Foutis vitiuus.] Id est pleois. *foetum* enim aliquando plenum dicimus, ut apud Vir.

- - - Loca foeta furentibus austris.

I.e. plena.

50. Qui tulerit imerora fastidia.] Conumerat omnia dura Mopius & aspera, quibus similem esse dicit amasiam.

Fastidia.] Contemptiones dicuntur *Fastidia* quasi cum fastu. Vir. in Alexi,

Atque superba pati fastidia.

Ubi ait Servius *ex fastidio provenire omnem superbiam. Fastiliter* antiqui pro fastidiose dixere ut author est Marcellus.

51. Scythonias nives.] Frigus Scythiae, quae regio est septentrionalis a fluvio Tanai divisa quam u Scytha Herculis filio denominatam putat Herodotus, Scythas oniversos Persae Sacas appellavere a proxima gente, antiqui Atamenos, ut docet Plin. lib. v. Natu. Hist. de Scythis videto apud Herodotum plura libro sv. historiarum. *Scythonias nives* intelligere potes etiam Ripheas, nam Riphei moutes sunt Scythiae, ut docet Ser. Vir. in 1. Geor.

Mundus ut ad Scythiam Ripheas arduus arces
Consurgit.

Riphei autem dicti sunt authore Ser. a perpetuo ventorum flatu, oam ῥιπὴ Graece impetus dicitur: de Scythicis gentibus Maro. in III. Georgicorum.

At non quam Scythiae gentes Maeoticaque unda,
Turbidus & torquens flaventes Ister arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem,
Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
Aut herbae campo apparent aut arbore frondes.
Sed jacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu late septemque assurgit in ulnas,
Semper hyems, semper spirantes frigora cauri.

Lybicos calores.] Exustionem Lybiae quae

- - - Tertia pars rerum est si credere famae
Cuncta velis

A qua

Temperies vitalis abest & nulla sub illa
Cura Jovis terra, & natura deside torpet
Orbis, & immotis annum non sentit arenis.

Ut scribit Lucanus in nooo: Regio Aphricae est Libya quae ab Atlante Monte Mauritaniae incipit, & Canopum usque Nili hostium panditur: est & quae Mareotis Libya appellatur AEgypto conterminos de qua Pli. in v. Nat. Hist.

52. Nutines potabit aquas.] Maris salsi ferre potum valebit. Injucundum est namque natura salsum mare, quare in exemplis habemus Dionysio Siciliae Tyranno cum pulsus est ea potentus, accidisse prodi-

ginm ut uno die in portu dulcesceret mare.

NERINES] Id est Galatheae Nerei filiae qoi deus est mare antiquissimus omnium deorum, ut scribit Orpheus in Argonautica: hoc autem a Virgilio sumptum est, qui in Bucolicis tali est usus patronymico,

Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblae.

Ubi haec Servius. *Nerine Graecum patronymicum femininum, quod desinit aut in as, ut Pelias, aut in eis, ut Atreis, aut in ne ut Nerine, Acrisione.* ergo expone *Nerines*, id est Galatheae Nerei filiae, Nymphae marinae, haec Acim ardentissime amavit, quem mole montis interemptum a Polyphemo rivali in amnem ejusdem nominis fuisse conversum scribit Ovid.

TAXI NOCENTIS.] Superius docuimos Taxum arborem esse minus vireotem, gracilem tristem ac diram, nullo succo quippe ex anthoritate Pliniana, lactale baccis in Hispania praecipue venenum inest.

53. SARDORUM GRAMINA VINCET.] Scribit Ser. in Sardinia herbam sardoam nasci, apiastri similem, quae ora hominum in rictus dolore contrahat, ut veluti ridentes moriantur, de hac meminit & Solin. in Polyhistore, Vir. qui in Buc. ita,

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis

Est autem Sardinia cujus habitatores Sardi nuncupantur, ab oriente patens CLXXXVIII. M passuum, ab occidente. CLXX. M. a meridie. LXXIV. M. a septentrione. CXXII. M. circuitu. d. LXI. M. Sardiniam ipsam Timeus Sandaliotin appellavit, ab effigie soleae, Myrsilus Ichnusam a similitudine vestigii ut auctor est Plinius in III. Nat. Hist. quidam habent textus *salebrosa ut sit*.

VINCET.] Pro superabit salebras montium & saltuum: *Salebras* enim ut scribit Marce. a *saltu* dixerunt, quae difficultates locorum significant inaequilitates & asperitates, quae quasi nisi saltu praeteriri non possunt. Cic. de Ora. *Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluxit*,

56. MARMARICOS LEONES.] Marmaridae populi sunt Aphrorum Aegypto contermini, qui usque ad majores syrtes protenduntur, ut scribit Pli. Virg. Natur. v. de his silvis intelligit ita scribens,

Non ego Marmaridum timeam penetrare phalangem.

Cum vero auct. Plin. in VIII. praestantiores viribus leones sint qui in Aphrica aut Syria gignuntur, potes Marmaricos exponere Africanos, quia ex Aphris sunt Marmaridae, de his videtur intelligere Clau. in consulatum Honorii ita scribens,

Legerat eximios Phoebi germana leones,
Hesperidas, quo saepe fugant ventoque citatis
Terrificant Atlanta jubis, armentaque longe
Vastant AEthiopum.

Leones primum Romae ad currum junxisse. M.A. civili quidem bello cum dimicatum esset in Pharnasalicis campis non sine ostento quodam tempore illo generosos spiritus jugum subire prodigio significante auc. est Pli. in VIII.

58. QUISQUIS AMAT PUEROS.] Ex documento Ovidiano durandum esse ait, quoniam ut ipse ait Penelopem ipsam perstes modo tempore vinces Tibu. itaque monet in I.

Tu puero quodcunque tuo tentare licebit,
Cedas, obsequio plurima vincit amor.

Scribit Firmicus in VI. Mercurium & Martem, in Horoscopo constitutos pariter puerorum amatores efficere.

DURET.] Firmet & solidet, ut

Durate & vosmet rebus servate secundis.

58. NIHIL PROPERET.] Nolit primo impetu omnibus potiri, quoniam (ut inquit Ovid.)

Per numeros veniunt ista gradusque suos,

Tibullus,

Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
Taedia, paulatim sub juga colla dabit.

AMARE PATIENTER.] Tolerando scilicet jurgia ut praecipit noster preceptor amoris.

Nec male dicta puta nec verbera ferre puellae,
Turpe nec ad teneros oscula ferre pedes.

58. PRUDENTAS ANIMOS.] Quod ille plusquam aetas porrigat sentire videatur.

59. PARFARAT FASTUS.] Toleret superbiam, ut est illud

Perfer & obdura post modo compos eris.

OLIM.] In futurum.

60. ALIQUIS DEUS. [Vel mortalia curantium seu ex amotum coetu.

AUDIT.] Exaudit.

AMANTES.] Solicitos, anxios, & semper de re amata cogitantes: *Sollicitus* enim dicitur inquietus & curis plenus, & *sollicitudo* pro cura saepius accipitur, est & *sollicitare* verbum quod significat sulicitum reddere, & inquietare. Martialis in primo,

Turba gravis paci placidaeque inimica quieti,
Quae semper miseras sollicitabat opes.

62. QUID PRODEST.] Pharmaceutriam Maronis paucis colligit, ille enim mulierem se ab amore liberare volentem talia facere inducit.

PAGANI.] A *pagis paganos* dici superioribus docuimus, & *pagos* a fontibus.

63. TER VITTIS.] Ternarium numerum magnam vim habere in rebus peragendis existimavere, de quo vide apud Macrobium in primo de Somno Scipionis, unde Virgilius dixit in Bucolicis,

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo:

& Tibullus

Ter cane, Ter dictis despue carminibus:

Vittas autem dicimus quibus coronantur victimae, & infulas sacerdotales, unde *vittatus* & *vittata*: Virgilius in Pharmaceutria:

Effer aquam & molli cinge haec altaria vitta.

TER FRONDE SACRA.] Per sacram frondem verbenas intelligit, quas & Virg. excantationi adhibet, cum inquit

Verbenas adole pingues:

Magnam verbenae authoritatem tribuere ideo quod eam purificationibus sacerdotes adhibent: de verbena haec

Plin.

Plin. libro xxii. Nat. *Se quidem auctores imperii Romani conditoresque immensum quiddam & hinc sumpsere quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuere & in sacris legationibus: quam verbenae, certe utroque nomine idem significatur hoc est gramen ex arce cum sua terra evulsum: hac semper & legati cum ad hostes clarigatum mittebantur, id est res raptas claro repetitum, unus utique verbenarius vocabatur.*

THURE VAPERO.] Hoc est vaporato & accenso.

64. LUSTRAVIT.] Me circumdedit. ita quoque significat apud Tibullum,

Et me lustravit taedis.

Id est circumdedit.

CINERES AVERSA.] Sumptum a Poeta. ille enim sic

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti
Transque caput jace, ne respexeris.

65. CREPITANTES LAUROS.] Qui dum incenduntur crepitum faciunt.

VIVO SULPHURE.] De sulphure videro in commentariis Calpurnii plura super illis versibus.

- - - Viventia sulphura tecum
Et scyllae caput atque intacta bitumina porta.

Ne saepius omnia repetere videamur & fugere finem nobis nimium placentes.

66. IN MERoEN ARSI.] In amorem Meroes.

TOTIS IGNIBUS.] Omni flamma qua possibile sit mortalem corripi.

68. HAEC EADEM NOBIS.] Sensus est: eadem mater Amyntae nos quoque instravit versicoloribus filis, & multis aliis herbis, quas illi subministravit Mychale.

VERSICOLORIA FILA.] Licia diversi coloris: ut apud Vir.

Terna tibi haec primum triplici diversa colore.

Nam ut licia stamen implicant ita adolescentis mentem implicare contendunt sagae, ut scribit Ser.

MYCHALE.] Hic nomen est ministrae, adjutricem se praebentis ut apud Vir. Amaryllis: apud Juve. Concubinae

Sed tua nec Mychale pariet.

Fuit quoque Mychale teste Herodoto in I. Hist. Civitas prope Ioniam ubi est Panionium: Mychale deduci posset nomen à verbo Graec. *μυκάω* quod significat *trahe*, tamquam ista mentes hominum ad se ex arte traheret.

69. IGNOTAS ARTES.] Legendum est *herbas* ex antiquo textu.

IGNOTAS.] Vel mihi, vel quod a paucis cognoscerentur. his herbis Thessalam terram abundare ex auctoritate Lucani apparet ita in sexto scribentis:

Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit.

Quare hanc designare terram videtur Ovidius, cum dicit in VII. Metamor.

Quaeque magos tellus pollentibus instruit herbis:

Praestatque Pontus non pauca. unde Virgilius,

- - - Has e Ponto lecta venena,
Ipsa dedit Moeris. nascuntur plurima Ponto.

Inde est quod in primo Georgicon *virosaque pontus* dixit non *virosa castorum* ut arbitrantur multi.

70. CANTAVIT QUOD LUNA TIMET.] Tantam inesse carminibus efficaciam magicis antiqui existimavere, ut crederent per ea lunam cogi ad terram descendere. unde est illud Virgilii,

Carmina vel coelo possunt deducere lunam.

Huicque aera pulsa auxilio esse credidere: unde Lucanus dixit in sexto Pharsaliae,

- - - Illic & sydera primum
Praecipiti deducta polo, Phoebeque serena,
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit & nigris terrenisque ignibus arsit,
Quam si fraterna prohiberet imagine tellus:
Insereretque suas flammis coelestibus umbras:

Tibullus de saga,

Hanc ego de coelo ducentem sydera vidi,
Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.

RUMPITUR ANGUIS.] Sic Virgilius

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ovidius in VII. Meta.

Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,

Lucanus

Humanoque cadit serpens afflata veneno.

71. CURRUNT SCOPULI.] Per mare eunt currentes, cum alias sint immoti. vel inter se concurrunt quasi dimicaturi.

MIGRANT SATA.] Messes ex loco ad locum traducuntur, ut

Atque satas alio vidi traducere messes:

VELLITUR ARBOS.] Excavatur & vi carminum supra terram extrahitur. Ovidius de Medea

- - - Convulsaque robora terra
Et silvas moveo:

De vi herbarum magicarum autem si plura videre placeat, legito Plinium in xxvi.

71. Plus est formosus Iolas.] Sensus est: quamvis carmina vim maximam in praedictis habeant, attamen amori nihil profuere meo. ut scilicet ex mente excidat Iolas meus: sed ipse mihi semper formosior apparet, unde & magis uror. nullis amor est enim medicabilis herbis, quare Tibullus magica spernens dixit,

Non facit hoc herbis, facie teneris que lacertis
Devovet, & flavis nostra puella comis.

Et haec sint satis ad explanationem Nemesiani; cui an fidus interpres fuerim judicent candidi.



DIO-

DIOMEDIS GUIDALOTTI

BONONIENSIS

COMMENTARII IN ECLOGAS

CALPURNII.

K

INCLYTO PRINCIPI ALEXANDRO BENTIVO-LO ILLUSTRISSIMI JOANNIS BENTIVOLI SE-CUNDI FILIO DIOMEDES GUIDALOTTUS BONONIENSIS CLIENS.

QUod ego imprimis optavi optandumque duxi Colende Domine nostris evenire votis, ut in aliqua parte mortalibus subvenire possem, nunc temporis (si voti sim compos) accidisse gaudeo, quo, strepitu armorum, clangore tubarum, dejectione imperii tota concutitur Italia. Tum, quod molibus molestiarum & turbulentissimarum tempestatum, dum hoc studiis litterarum tempus impertiti sumus, imposui: Tum quod haec ea in lucem damus aetate, qua tinnientes ex quottidiana rerum innovatione, a continuo quo obsurduerant aures fuerant fragore relevandae: Etenim judicavi ut quorum animis simplici praeditus candore tenuioribus his nostrae fructibus applicaretur arbusculae, etsi parum inde utilitatis reportaretur (quod ab animo nostro penitus remotum volui) fore, ut saltem cognosceret non nobis nos tantum, quam aliis proficere voluisse, evidentissimo etiam signo, pro aliena ingenio elaborante palma: quod ut me tibi totum explicem, ex illo tempore quo avus me meus Antonius Cattaneus ad studia litterarum veluti detrectantem applicuit, impensius hac mihi in harena desudandum censui, ut aliquid exiguis pro viribus, quanquam nisi tyronibus prodessem, quo, & ipsum suae erga me pietatis non poeniteret, & ejus in me merita, hoc exaggerata cumulo quod animum excolere non praetermiserit, in quantum possem frustrata non essent: Videbam non paucos omni adolescentes nixu: partim ad Leges, partim ad Philosophiam, ad Dialecticen alios ingenue contendere, quorum me exemplo castigabam desidiaeque arguebam, Ignavum, non excitari, segnique torpere veterno: his aculeis nebulam (ut sentio) abstersi, arctioremque somnum, qui me complexus fuerat, aliquantisper evasi: cujus indicium rei commentariola nostra, quae nuper in Calpurnium rudia veluti exciderunt, futura censui, quanquam plurimos admiraturos sciam, a silvis nos & carmine auspicari pastorio, dicturosque: Quid mihi cum Calpurnio? Extabant alia difficilioraque & interpretatione indigentia, cum quibus & asciscendae laudis gratia, & mortalibus proficiendi decore magis elaborandum fuerat: Atqui institutum potius hoc fuit animi ut per vestigia praeclarissimorum semper, antiquissimorumque potissime ingrederer: Succurebat & ipsum poëtarum Achillem non arma subito, sed Silvas aggressum, ut qui tenui exordio ad maximum celebritatis culmen evadere voluerit. Sed nec quisquam est illustrium, ut inquit ille (P. Papinius Statius in praefat. libri I. Sylvar.) poëtarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit. Quod fuit in causa, ut nos quoque humiliori principio, mox fortasse grandiora praeveniremus: Insuper menti obversabatur primam aetatem illam ve-

tustissimorum pastoriam fuisse, & quemque de antiquissimis, nobilissimisque degisse pastorem, ut si inde, humana unde vita primordium habuit, auspicaremur, non indecens fore arbitrarer: haec fuit ad Bucolicum carmen ordiendum impulsio. Et quoniam imprimis Calpurnii lectione (post Virgilium quidem) non tam oblectabamur quam tenebamur, in re nostra, adulescentulorumque rudium judicavimus, haec qualiacumque sint, *anno vigesimo secundo nostrae aetatis elucubrata* in vulgus emittere: quae observantiae erga te indicium nostrae, & fidi pignus amoris tibi consecravimus: utpote cui omnia obnoxia mea mecum ab ineunte aetate voluerim. Nullum enim me scias ab te vestigium abscessurum, meaque praecipue (si modo ulla erunt) tropaea, tibi esse constituta: hoc me tua praeclara in Musicis virtus, ingenium versatile, animi robur, candor ingenuus, ornamentum sine despectu dignitatis, & decor, & mores tibi debere voluerunt: haec eadem te adeo universo Bononiensium coetui commendavere, ut omnium in te convertas oculos praeoccurrentium, & ut dicitur, de solari herba tecum circumflectas: Macte fortuna esto. Diique tibi cuncta universaeque domui Bentivoleae, quâ jam coeperunt aurâ secundent: ut si quando quae tuo ductu commentariola edimus, in detrectatores inciderint, te patrono adversarios oblocutoresque amoliantur. Qui tuo summoti clypeo in sua miseros convertant morsus viscera, discantque tandem capellas errare nostras non sine custode vigilantissimo.

VALE.

EJUS-

EJUSDEM DIOMEDIS ELEGIACUM CARMEN.

Vernum tempus erat, cum nox evanida miscet
Et tenebras luci, cum tenebrisque diem.
Sydera venturis, coelo dispersa sereno,
Praebebant cursus abdita syderibus.
Et croceus duris spumabat forte lupatis
Aethon, quem frenat diva pudoricolor.
Morphea tum varias (ut fama est) mille figuras
Ludere, & incessus, plurima vera loqui,
Sensimus irriguo perfundere lumina somno:.
Nam me sic campos traxit ad Elisios;
Omnia tum bibula quae haerebant dicta priorum
Auribus: intento lumina nostra dabant,
Et dulces cantus: variantia prata choreis,
Et plausus tenues percutiente pede.
Florida silva viget per laetos myrtea campos,
Purpuream vestit non paliurus humum,
Sed violae, lasso pullantque papavera collo,
Narcissus, Casiae, Lilia, Tymbra, Rosae.
Dulcia tinnitus fundunt examina circum,
Nec minus interea garrula cantat avis.
Hic genus antiquum Bacchi, lectissima proles,
Carmina Threiciae personat apta lyrae.
Hic semper viridi cum laude insignis Homerus,
Cujus ad exemplar Graecia tota canit.
Hic sua perpetuo qui carmina digna cothurno
Solvit, cum terris obtulit arma, virum.
Ponticus & Battus, numerosus Horatius odis,
Et junctus Naso docte Catulle tibi.
Proximus his aderas blando pater ore Properti,
Et quos non modicus sit numerare labor:
Ast alii proceres, qui Phoebo digna locuti,
Circumstant: vittis excoluere caput.
Quisque pium vatem novit dum carmina cantat,
Interpres fidus, subsequiturque suum.
Vendicat Andini hunc sublimis Musa Maronis,
Hunc qui fraternos struxit in arma rogos.
Nec te solivagum passus peragrare Terenti,
Exposuit vafrum qui tua scripta Getam.
At sacer innumeros Domiti lustrare solebas
Cui dederat juveni plurima palma decus.

Aureus absentem tantum quaerebat Asellus,
Et qui Romanos luserat arte sales,
Hos simul aspiciens divino afflatus honore
Optavi meritis talia dona meis.
Et quoniam praesens aderam, sic intimus arsi,
Affari ut possem numina sic propius.
Si placet & fas sit mortalem poscere tantum,
Irrita non veniant nunc mea vota precor.
Scilicet huic turbae postremum jungere curet
Me quis: si sua quis scripta notanda putat.
Despectus fueram, sensi, deductaque ad aures
Vox ignota quidem est, non mihi vana tamen.
Quod cupis, O teneris non sic concedimus annis,
Est nimis haec humero sarcina magna tuo.
Id fortasse dabit paulo mox fortior aetas,
Firmanda est stabili nunc tua cymba pice.
His tristis gressus flexi per opaca viarum,
Obvius ostendit nam locus ipse viam.
Nec mora flectentem non me aspernabilis umbra
Detinuit tunicis, arripuitque manum.
Et bene quod tentas, nobis jam perfice dixit,
Non tu mi cura destituendus eris.
Jam pridem silvas cecini, non ultimus inter
Sicelidas Musas, Castalidumque decus.
Quod me ne fugias, quis sit Calpurnius, illos,
Qui te despiciunt, numina sancta roga.
Dixit & interea porrexerat usque libellos.
Susciperem: somno diffugiente levi,
Omnia cum somno prostravit lucifer albus;
Non frustra, at libros strinxerat ipsa manus.
Obstupui, & dixi: non haec sine numine Divum
Eveniunt: casus scribere sic monuit.
Dii faciant possim talis modo gentibus ire,
Sint frugi ut cunctis somnia nostra bonis.

JOANNIS BAPTISTAE PLAUTII.

Tydides quondam Danaum fortissimus heros
Non Venerem timuit ense ferire deam.
At tu Romanae cultor celebrande Minervae
Invida mordaci pectora figis acu.

In-

Invida doctiloquo premis & molimina cantu,
Erigis & patriae tertia signa tuae.
Dum sacer arcano promis de pectore vatum
Pallada. ut immites de nemore Ida feras.
Dum tibi Parnasus credit sua culmina: & alto
Doctus Pierios suscipis ore lacus.
Dum exponis lepidum vatem: dum robora: quercus.
Et narras dumos, pascua: rura: boves.
Nec non pastorum teneros describis amores,
Qui Veneris saevas saepe tulere faces.
Perge igitur: veteresque alios a morte poëtas
Vendica: & aeternum tandem age profer opus.
Quo tua eat totum celeberrima fama per orbem,
Quae sit atris penitus mors truculenta viris.

JACOBI PHASANINI.

Pastorum mores gracili Calpurnius arte
Edocet: huic studeas lector: & invigiles.
Si modo Calpurni ritus dignoscere tentes:
Haec Diomedea sume notata manu:
Namque adeo effectus monstravit & acta Poëtae
Diceret ut vivens nil voluisse secus:
Arma hic nempe, sibi quae jam dedit aurea Glaucus,
Dat graviore tibi digna supercilio.

AUGUSTINI TENCHARII.

Absit livor edax: Dentis rabiesque canini,
Candidus es quisquis candida scripta legas.
Non corvis haec sunt, niveis sed oloribus apta.
Quae bonus interpres lucidiora facit.

JOANNES BAPTISTA PIUS.

Bacchus & Ceres Jovem Adeunt, Rogantes Pacem, Et Pastoralem, Florente Ut Prius Terra, Quietem.

Dum quatit Ausoniam Mavors: dum vexat Erimnis,
Cornipedique ruit Italia tota pede.
Alma Ceres Almusque Jovem Dionysus adire
Non timuit: donis anxius usque suis.

 Me-

Me novus, ipsa Ceres, Phaethon, nova fata minatur,
Clamat: & aetherio nata tonante feror?
Hinc rogat & precibus gemitum Semeleius Evan
Confundit, calvi secla Neronis amans:
Et dextram Lycurge tuam. sic undique turbant
Barbaricae Bromii vitea culta manus,
Risit: & arrisu totum permulsit Olympum
Juppiter, & laeto numine spondet opem.
Arva ruit miles: pecuaria disjicit: instat
Pastorum dirimens ocia Martis amor.
Promitto vobis, Saturnia secula. cycnus
Aurea Pierio surget in astra sono:
Qui sacra Calpurni vestigia semper adorans
Pastores suavi ducet ad arva lyra:
Ismara quos juvet: & magnum vestire Falernum
Vitibus: & Cereri spicea serta dare.
Dixit & egressus Musae praedulcis alumnus:
Qui Diomedaeo pectore nomen habet:
Nectareamque lyram tetigit. comitantur Apollo,
Pan capripes, spicis tempora cincta Ceres.

LODOVICUS GHISILARDUS DIOMEDI S. D.

HOminem te durum vel crudelem an potius invidum: qui pulcherrimum opus & exactissimum tam diu tenes & intra claustra coherces. Quousque nobis invidebis & blattis indulgebis? Sine per ora virum feratur; & iisdem, quibus lingua Romana spaciis pervagetur. maximam tibi laudem paratum iri non ambigo & a mortalitate daturum vindicias. Dices ut soles, si palam proferetur multos fore: qui vitiligent. quod si hoc idem veteres factitassent, nos nepotes tanquam ranae Seriphiae muti essemus. At illi posterorum utilitati consulere maluerunt, quam subducti supercilii vituperonum garrulitatem subterfugere: quam his verbis Varro repercussit. eorum ego omnes sino praeterfluere, quia verae laudis expertes sunt, & tu ego securus incumbe remis, da vela ventis, & cum epigrammatario sine rumpatur quisquis rumpitur invidia. Vale.

DE

DE BUCOLICO CARMINE:

Calpurnii poëtae expofituri Bucolicum carmen operae precium facturi videbimur fi quaedam veluti praelusoria de Bucolico carmine dixerimus. Et quoniam primordia femper avidè rerum perquirere folemus, Bucolici carminis originem ordiemur, quae cum varia fit, recenfendum eft, quod ab antiquiffimis quibufque fuper hac re explicatum fuerit. Originem Bucolici carminis (ut fcribit Donatus,) funt qui a Lacedaemoniis paftoribus emanaffe dicant, a quibus Dianae primum carmen hoc redditum affirmant, cum eidem deae propter bellum quod toti Graeciae illo tempore Perfae inferebant, exhiberi per virgines de more facra non poffent. Alii ab Orefte circa Siciliam vago id genus carminis Dianae redditum loquuntur, per ipfum & paftores, quo tempore de Scythia cum Pylade fugerat fubrepto numinis fimulacro & lato in fafce lignorum unde Fafcelidem Dianam prohibent nuncupatam. apud cujus aras Oreftes per facerdotem ejufdem numinis Iphigeniam fororem fuam a parricidio fuerat expiatus. Alii Apollini Nomio, paftorali fcilicet deo, qui tempeftate Admeti paverat boves. Alii Libero Nympharum fcilicet & Satyrorum & idem genus numinum principi. Alii Mercurio Daphnidis patri paftorum omnium principi. Alii in honore Panos fcribi putant peculiariter Paftoralis dei, item Sileni, Silvani atque Faunorum. Illud tamen probatiffimum eft ex Donati fententia, Bucolicum carmen originem ducere a prifcis temporibus quibus vita paftoralis exercita erat: Bucolica autem (ut docet Diomedes) dicuntur poëmata carmine Paftorali compofita. a quo & talis Bucolici carminis narratur origo: fcribit enim opinionem effe circum pagos & oppida folitos fuiffe paftores compofito carmine precari pecorum & frugum omnium proventum, atque inde in hunc diem manere nomen & ritum Bucolicorum. Dicta vero Bucolica funt, ut docet Servius, a cuftodia bovum, ἀπὸ τῶν βουκόλων quoniam praecipua apud rufticos animalia funt boves. Nam cum tria fint paftorum genera auth. Donato quae dignitatem in Buc. habent, quorum qui minimi funt αἰπόλοι dicuntur a Graecis; iidem a nobis caprarii; paulo honoratiores qui ποιμένες, id eft opiliones dicuntur. honeftiffimi & maximi βουκόλοι quos bubulcos dicimus; unde magis decuit paftororali carmini nomen imponi quam ab eo gradu qui apud paftores excellentiffimus invenitur? Hoc metri genus, ut fcribit Diomedes, funt qui primum Daphnin compofuiffe dicant, in quo floruit Theocritus in fuo genere admirabilis, ut inquit Quintilianus, quem imitatus eft Virgilius: unde cecinit.

Prima Syracufio dignata eft ludere verfu:

Virgilium autem poëta nofter fecutus eft, ut pluribus in locis demonftrabimus: apud Latinos excellentiorem. Non praetereundum Bucolicum carmen effe tenue & ufque adeo ab heroico diftare, ut verfus quoque hujus carminis fuas quafdam caefuras habeant & fuis diftinguantur legibus; nam cum tribus probetur metrum, caefura, fcanfione, modificatione, non erit Bucolicus verfus, ut inquit Donatus, nifi in quo & pes primus partem orationis abfolverit & tertius trochaeus fuerit, etiam caefura & quartus pes Dactilus magisque fpondeus partem

tem orationis terminaverit, quintus & sextus pes ex integris dictionibus fuerit, quod a Theocrito servatum testatur ipse, a Virgilio minus: His explicatis intentionem poëtae videamus: Intentio poëtae est ut principem laudet Augustum, quem in prima, quarta & ultima praecipue celebravit ecloga, cujus rei diligentiam explicando in quantum potero enitar recensere. Bonum modo Boni consulant.

DE VITA CALPURNII.

DE poëtae vita nulla certa proferri possunt, aliqua tamen ex conjectura magis quam quod authorem habeant certum ex ipsius scriptis indicabimus. Siculus fuit ut ex titulo operis est judicare; hoc est ex insula Sicilia in confinio Italiae posita, ex qua & Theocritus Syracusius. unde apud Virgilium Sicelides Musae; quare ad imitationem Theocriti fortasse Bucolica scripsit Latine sicut ille Graece scripserat, in quo genere dicendi quantum potuerit vel doctiores judicare possunt, mihi quidem & ipsum dicendi genus superare visus est: Modicis fuit parentibus nec minus facultatibus, unde ipse de se dixit, ecloga ultima,

Nudaque paupertas & adunco fibula morsu
Obsuerant.

Apud Nemesianum, alterum & Moecenatem, favorabilis admodum, ut per ipsum mendicitatem sese exuisse testetur, cum inquit ecloga Quarta:

- - - Certe ne fraga rubosque,
Colligerem viridique famem solarer hibisco,
Tu facis & tua nos alit indulgentia farre:

Fratrem habuit minorem natu quem ad musas secum attraxit, qui sub Amyntae persona ecloga predicta alterne canens cum ipso inducitur poëta. unde dixit

Haec eandem nobis meditatus frater Amyntas,
Quem vicina meis natalibus admovet aetas.

Sed cum multi ambigant *Calpurnius* an *Calphurnius* legendum sit & scribendum, assero ex authoritate Pompeji *Calpurnium* scribi debere sine aflatu, ejus enim sunt verba, *Calpurnii a Calpo Numae regis filio sunt oriundi*, ex quo apparet aspirationem addi non debere. & haec sunt quae pauca de ejus vita colligere potui.

DIO-

DIOMEDIS GUIDALOTTI

BONONIENSIS

COMMENTARIA IN ECLOGAS

T. CALPURNII SICULI.

IN ECLOGAM. I.

Vers. I. NONDUM SOLIS EQUOS.] Inducuntur pastores duo vaccas in unum compulisse, & solis ardentis vitare calores: ex quibus unum sub persona ipsius auctoris debemus accipere: qui sub Ornyti persona Augustum celebrare gestiens, laudes ejus a socio communitus in cortice scriptas legere fingit: Mos enim pastorius est, ut amores, deliciasque suas in corticibus arborum falce denotent, seu aliquo instrumento ferreo; vel testimonio Paridis, de quo Oenone apud Ovidium, objiciens illi quondam se gratissimam fuisse:

Incisae servant a te mea nomina fagi.
Et legor Oenone falce notata tua:

Virgilius in Gallo,

Certum est me in silvis inter spelaea ferarum,
Malle pati tenerisque meos incidere amores
Arboribus.

Ornitus nomen fortasse ab *ornis* deductum: inter quas vitam rustici ducere consueverunt: sive ab aviariis potius, ὀρνιθῶνες, enim Graeci *aviaria* vocant: hoc est loca in quibus aves commorantur: ipsaque avis *ornis* appellatur. Virg. in secundo Georgicon.

Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis:

Ubi haec Servius *Aviaria, secreta nemora quae aves frequentant*: de ornithis hoc est aviariis, fit mentio apud M. Varron. in secundo de Re Rustica his verbis: *Nec putant se habere villam: si non multis vocabulis retineant Graecis, quin vocent particulatim loca, procaetonam, palestram apodyterion, peristylon, ornithona, peristereon, apothecam* e de his etiam Columella libro nono Rei Rusticae: *in villa est quod Graeci appellant ornithones, peristereones, ichthyotrophia atque etiam cum datur liquoris facultas ichthyotrophia sedula cura exercentur.* Ea sunt omnia (ut Latine potius loquamur) Sicut avium cohortalium stabula, nec minus earum quae conclavibus septae saginantur, vel aquatilium animalium receptacula: ornithia etiam (ut quidam annotaverunt) appellatur tempus quod est septuagesimo die post brumam, ab adventu avium, advenientibus tunc hirundinibus, ciconiis, coturnicibus, & ceteris advenis: Sicut halcionii dies ab avibus halcioniis nomen traxere: ab *aviariis* etiam *Aviarius* nuncupatur: in cujus sunt cura aviaria: Columella Libro nono de Re Rustica, *Idque quo diligentius faciat ima pars ovorum notanda est atramento, quod signum habebit aviarius an a gallina conversa sint*: & alibi *sic tamen ut illustria sint loca, quo commodius habitet Aviarius.* Scribit Plutarchus in vita Thesei Ioxum Menalippi filium Ornitum socium fuisse in Cariam deducendae coloniae: celebratur etiam nomen hoc a Statio in IX. The. his

Squallidus ecce genas & inani vulnere pallens
Ornitus.

Corydon, ut scribit Ser. in Alexi Virgiliano: fictum nomen a *corydali* avicula videtur, quoniam dulce canit: ad quod alludens Virgilius in Thyrsi cecinit.

Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis:

Intelligens tunc vere nomen illi Corydonis inditum fuisse ex argumento dulcitudinis: celebratur etiam a Theocrito in Aegone his:

Sic tibi contingat Corydon carissime quicquid,
Exoptas, votisque tuis sic Juppiter adsit.

NONDUM SOLIS EQUOS.] Character est dramaticus: Nam cum tres sint dicendi characteres, exegematicus, in quo tantum poeta loquitur, ut Virgilius in tribus libris Georgicorum: alius mixtus, ubi & Poeta aliquando loquitur, & alios item loquentes inducit. dramatico usus est Poëta, in quo nusquam ipse loquitur, Sed personae introductae totum actum perficiunt: Pastor Ornitus, sive Armentarius (Sic enim armenti custos appellatur: cum proprie pastor dicatur ovium: Sicut & Opilio ut apud M. Varronem in secundo Rei Rusticae *alius enim opilio & alius arator, Nec si possunt in agro pasci Armentarius non aliud ac bubulcus.*) admiratur adversus Corydonem declinante & vergente jam aestate ad autumnum, quod adeo invalescant solis radii, ut vix aestum ipsi sufferre queant.

DECLIVIS AESTAS.] Dicitur vergens ad autumnum, qui Temperies est quaedam inter Juvenem & senem,

 ut

ut cecinit Ovidius Libro decimo quinto Metamorphos. bis.

Excipit autumnus posito fervore Juventae
Maturus mitisque, inter juvenemque senemque
Temperie medius:

Sensus est, quamvis aestas sit declivis & prope finem, non tamen fervor solaris nec calor immoderatus deletur, ut ad autumnum vergere videatur, immo torrentior est, nec solitam prae se fert temperiem.

MITIGAT.] Placat, permulcet, & frangit. *Mitigare* est enim leniorem reddere: Plinius Libro XII. Nat. Hist. *Arbores postea grandioribus fruge succis hominem mitigavere:* *Mites* placidus & benignus dicitur: & e contrario *immitis* crudelis, implacabilis, & *immite* edictum, ab Ovidio austerum & inhumanum.

SOLIS EQUOS.] Scribunt Poëtae currui Phoebeo adjunctos esse equos quatuor, quorum nomina legimus apud Ovidium in secundo Met.

Interea volucres Pyrois Eous & Aethon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent: pedibusque repagula pulsant:

Claudianus vero in Consulatum Honorii Aethonem Aurorae nuncium his versibus esse scribit:

Quin etiam velox Aurorae nuncius Aethon,
Qui fugat hinnitu stellas: roseque domatur
Lucifero, quoties equitem te cernit ab astris,
Invidet: inque tuis mavult spumare lupatis:

Quod cum in tertio Tristium legas,

Hos utinam nitidi solis praenuncius ortus,
Adferat admisso Lucifer albus equo.

Intelligas Aethona praenuncium Aurorae, de quo diximus: *Sol* ut scribit Fulgentius in primo Mythologicon. & Macrobius in primo Saturnalium, dicitur aut ex eo quod *solus* sit, aut quod *solito* per dies surgat, & occidat, cui quadrigam ob illam causam ascribunt, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite diei metiatur spacium: equis tamen ipse solaribus diversa ab Ovidio nomina assignat: quae ibi commodius avens lector animadvertere poterit: hunc Graeci Οὔλιον Ἀπόλλωνα vocant id est sanitatis auctorem, quem Athenienses ἀλεξίκακον. id est, *mala repellentem* appellant: ut & obiter Macrobium emacules depravatum in primo Saturnalium, ubi *appellantem mala*, *Apollinem* passim legitur cum *repellentem* legendum sit: existimavit Zeno solem purissimum esse ignem: ac terrae molem magnitudine sua vincere, Empedocles ignis ingentem massam lunaque majorem ut refert Diogenes: Solem autem oculum mundi, ac mundi mentem opinantur auctores, quo temperato morborum omnium fuga est: hinc ei attributam medendi fuisse potestatem existimaverunt: auctor Macrobius in primo Saturnalium: a *Sole* fit *insolare* verbum, quod significat *ad solem explicare*, & *solem excipere*: & *insolatio*. Plinius de cera: *candidissima vero fit post insolationem etiamnum excocta*, a *sole* etiam nomen est *solifugae* animali, quoniam solem fugiat.

2. INCUMBANT PRAELA] Insistant. *Incumbere*, est alicui rei totis viribus insistere. Vir.

- - - Validisque incumbite remis:

Sed dicimus hominem proprie & significanter *incumbere studiis*, & *litteris*: Cicero in primo de Oratore, *Quamobrem pergite ut facitis adolescentes, atque in studium in quo estis incumbite: & vobis honori & reipublicae emolumento esse possitis.*

PRAELA.] Vasa dicuntur, unde uvae *premi* consueverunt: ut auctor est Acron, in explanatione carminis Horatiani libro primo,

Cecubum & praelo domitam Caleno,
Tu bibes uvam.

Virgilius in secundo Georgicon.

- - - Tu spisso vimine qualos,
Colaque praelorum fumosis deripe tectis:

Ibi haec Servius: *Praela trabes sunt quibus uva jam calcata premitur*, de praelis fit mentio ab Epigrammatario in primo.

Non haec Pelignis agitur vindemia praelis,
Uva nec in Tuscis nascitur ista jugis:

Plinius in XIII. de chartis loquens, *transversa postea crates peragitur, premuntur deinde praelis & siccantur sole.* M. Varro libro primo Rei Rusticae, praelum longum vigintiquinque pedes fieri docet: ad hoc opus Torcularia etiam adhibebantur, quae & in usu apud nos remanserunt, de his fit mentio a Plinio libro XVIII. Nat. Hist. *intra XXII. hos annos inventum parvis praelis & minore Torculari, aedificio breviore, & malo in medio decreto, Tympana imposita vinaceis superne tota pondere urgere, & super praela construere congeriem.*

RACEMIS MADIDIS.] Uvis jam disruptis, & in mustum redactis. *Racemus*, dicitur ea pars vitis, unde uvae dependent: Virgilius in Daphnim.

Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

Pli. libro XV. Naturalis Historiae, *dependent alia pediculis ut pyra, alia racemis, ut uvae, palmae, alia pediculis & racemis, ut hederae, Sambuci:* Servius super eo loco Virgiliano in secundo Georg.

Et turpes avibus praedam fert uva racemos:

Ait racemum esse botrionis partem, cum, *βότρυς* a Graecis, *Racemus* a nostris dicatur: divus Cyprianus ad Magnum scribens, „ quando Dominus sanguinem suum vinum appellat, de Botribus, atque acinis plurimis expressum, atque in unum coactum: gregem item nostrum significat commixtionem adunatae multitudinis copulatum. „ Virgilius

- - - Tumidis Bumaste racemis.

3. ET SPUMENT RAUCO.] *Spumare* dicuntur musta & fervere, hoc est bullire, cum post vindemiam statim in vase intermixta racemis reponuntur. Plinius libro XIV. Nat. Hist. *Ratio autem condiendi musta in primo fervore, qui novem diebus cum plurimum peragitur aspersu picis ut odor vino contingat & saporis quaedam acumina, vehementius id fieri arbitrantur crudo flore resinae, excitarique lenitatem: e diverso vapulam compesci & feritatem nimiam, frangique vires.*

FERVENTIA MOSTA.] Fervore agitata: fervet enim res concita vel igne aliquo subjecto vel flagris. Plautus in Amphitryone

Quem pol ego isthaec ob dicta faciam ferventem flagris.

Et animus *fervere* dicitur ita commotus: Persius Satyra Quinta.

Ergo

Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidae fecisse silentia turbae,
Majestate Manus:

Hinc *fervor* & *februare* deductum quidam existimant, quod significat purgare & lustrare, quoniam hoc adolendo & flammis ferventibus fieri solebat, similiterque *fervidus* & *ferventer* adverbium. *Fretumque* inde dictum existimat Varro mare, a similitudine ferventis aquae, quod in fretum saepe concurrat aestus, atque effervescat.

Rauco susurro.] Sono ex fervore emisso, raucum respondente: videmus enim musta dum bulliunt, raucas quodammodo murmurationes emittere. Virgilius in Tityro *susurrum* appellavit murmur quod ad provocandum somnum praevalet: Juvenalis vero accusationes insimulationesque tacitas, cum inquit Satyra quarta.

Pompejus tenui jugulos aperire susurro:

Persius Satyra tertia.

Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros,
Tollere de templis, & aperto vivere voto?

Deprecationes hominum tacitas ac latenter extra labella emissas scilicet intelligens: unde magicum susurramen ab Apulejo intelligunt summissum & clam pronunciatum, quale magici, ne a prophanis exaudiantur, emittere solent, ejus sunt verba in primo de Asino Aureo, *nae inquit istud mendacium tam verum est, quam si quis velit dicere magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes expirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri:*

4. Cernis ut ecce pater.] Corydon exemplo armenti sub umbra cubantis commonet ac invitat antra petere Ornitum. Est autem paradigma quod est exempli hortantis vel deterrentis enarratio, ut notat Donatus.

Ecce.] Demonstrantis est, ut scribit idem Donatus: Virg. in Moeri.

Ecce Dionei processit Caesaris astrum:

Et in secundo Aenei.

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta:

Sensus est: cur & nos non petimus umbras, sicuti vaccae, quas tradidit pater, sub genesta cubant:

5. Explicuere. [Praeteritum est primae conjugationis: quae cum in *as* ut scribit Priscianus in Octavo: addita *vi* terminentur, excipiuntur haec quae in *ui* divisas faciunt praeteritum, subtracta *as*, ut *domo domas domui, plico plicas plicui, vel plicavi, quod maximis ex compositis cognoscitur, nam cum praepositione magis per ui divisas, cum nomine vero compositum per avi terminat praeteritum perfectum, ut implico implicui, duplico vero duplicavi facit:* est autem ex secunda forma praeteriti perfecti primae conjugationis: *quae licentia antiquitatis vel consuetudinis, a licentius vitat & in i litteram desinit*, ut Diomedes scribit.

Explicuere.] Expansere. Martialis in Xeniis.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc saevo tradere dure coquo:

Notat Gellius libro xv. veteres enunciasse *expassum* & *passum*, a *pando*, non *expansum*, & *pansum*: cujus haec sunt verba: *Ab eo quod est pando, passum veteres dixerunt, non pansum, & cum praepositione expassum, non expansum, & passis manibus, & velis passis dicimus, quod significat deductis atque distentis:* Itaque Plautus in Milite Glorioso a littera in e mutata per compositi vocabuli morem *dispessis* dixit pro eo quod est *dispassis*: alias *explicare* significat ostendere, & explanare. Marcus Tullius in Verrem, *vitam alterius totam explicare.* Et in Tertio Officiorum. *Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas quae sit in eas species forma notioque viri boni:* ubi *explicare*, trutinare, examinare & perpendere potius significare videtur, quam quod ait Nonius Marcellus *exercere:* Judicent tamen doctiores, non enim quod nobis videtur caeteris omnibus probandum erit.

Genesta.] Arbor quam tingendis vestibus aptam nascere scribit Plinius libro xvi. Nat. Hist. sponte sua veniunt ut cecinit Maro libro secundo Georgicon:

- - - Camposque & flumina late
Curva tenet, ut molle Siler, lentaeque genistae:

Invenio apud Columellam Libro Quinto Rei Rusticae genistam perarida postulare loca: Seri autem semine: quod cum est natum, vel deseritur viviradix, vel relicta, cum id tempus excessit, omnibus annis more segetis, juxta terram demeti potest: cujus cum sit firmum rum etiam lentissimum est vinculum: unde *lentae genistae:* appellantur a Theocrito illo versu in Bucolico ludicro.

His sedes apium frutices lentaeque genistae:

Quas *humeles* nuncupavit Maro in secundo Georgicon. propterea quod non multum excrescunt: Serendi tempus circa Calendas Martias salici & genistae esse scribit Plinius: eamque in siccis locis semine seri oportere.

Hirsuta.] Aspera, & foliis rigentibus, sic Virgilius de Castaneis,

Stant & Juniperi, & Castaneae hirsutae:

Et in Damone appellavit *hirsutum* supercilium asperum, ac rigidum: *hirsutus* aliquando pro severo accipitur: Ovidius in secundo Tristium.

Sumpserit annales, nihil est hirsutius illis.
Facta sit unde parens Ilia nempe leget:

Et in primo de Arte Amandi hirsutas comas arborum dixit duras, & rigentes, cum cecinit,

In gradibus sedit populus de cespite factis
Qualibet, hirsutas fronde tegente comas.

Ita quoque cecinit in Tertio Fastorum.

Corda micant regis totoque e corpore sanguis
Fugit & hirsutae deriguere comae:

Juvenalis vero hispida membra hirsuta & dura appellavit Satyra Secunda his versibus

Hispida membra quidem: & durae per brachia setae
Promittunt atrocem animum: sed podice laevi
Caeduntur tumidae medico ridente mariscae:

6. Umbra.] Umbram ἀπὸ τοῦ ὄμβρου, hoc est, *hymbro* quidam appellari putant, propterea quod omnis umbra humiditatem habet: ab *umbra*, *umbrosus* lucus appellatur umbris refertus, & *umbratilis*, vita otiosa,

& plena desidiae. Et *umbraticus homo* vilis & abjectus: Plautus in Curculione,

- - - Quid refert me fecisse regibus,
Ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit:

Et *umbracula* dicta sunt velamina, quibus ingentes calores amovere consuevit vetustas: Claudianus in consulatum Honorii.

Non pluviis cedas, nec defensura calorem,
Aurea summoveant rapidos umbracula soles:

Ovidius in secundo Fastorum,

Aurea pellebant tepidos umbracula soles:

De his meminit & Tibullus in Secundo,

Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Juncta, coronatus stabit & ipse calix:

Umbracula tamen umbras Silvarum seu arborum appellavit Virgilius, cum cecinit in Hortulo,

Opaca praebent arbores umbracula:

Macrobius in sexto Saturnalium super illo Virgiliano,

- - - Hic candida populus antro,
Imminet, & lentae texunt umbracula vites.

Haec reliquit: *Sunt qui existiment hoc verbum umbracula, Virgilio auctore compositum, cum Varro Rerum Divinarum libro decimo dixerit, nonnullis magistratibus in oppido id genus umbraculi concessum:* & Cicero in Quinto de legibus: *visne igitur quoniam sol paululum a meridie jam devexus videtur, neque dum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendatur ad Lirim, eamque quae restant in illis alnorum umbraculis persequamur?*

7. TORRIDA CUR SOLO.] Sensus est: cur solo pileo defendimus ora a solis fervore cum vicinae umbrae nos melius tueri possint. *Torridum* appellamus exustum, & valde exsiccatum: Virgilius,

Et torrere parant flammis.

Et *torris* fax dicitur: unde & verbum *Torridare*, quod comburere significat: Actius in Meleagro *cum suae vitae finem, ac fati internecionem fore Meleagro, ubi Torris esset interfectus flammeus:* Ovidius libro Octavo Metamorphoseon,

- - - Dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes:

Fulgentius ita *torridos obtutus* solis appellavit his verbis in primo Mythologicon: *Diverteo arboreo beneficium umbraculi praesumens, quo me errantes solitarios tutarentur Phoebi a torridis defensarent obtutibus.*

GALERO.] Galerum appellamus Tegumentum capitis, ad aestus evitandos & imbres: Virgilius,

- - - fulvosque lupi de pelle galeros:

Statius in primo Thebaidos,

Obnubitque comas, & temperat astra galero:

Suetonius in Nerone, *post crepusculum statim arrepto pileo, vel galero popinas inibat:* hinc *galeritus* dicitur galero ornatus, & *galerita* avis a similitudine galeae quondam vocabatur, quae postea vocabulo gallico *Alauda* nuncupari coepta est: & qui galeis utebantur *Alaudae* nuncupati. Cicero in prima Philippica, *Adde etiam judices manipulares ex legione Alaudarum*, Suetonius in Dictatore, *unam etiam ex transalpinis conscriptam vocabulo quoque gallico, Alauda enim appellabatur, quam disciplina cultuque Romano institutam & ornatam postea universam civitate donavit.* Plinius libro undecimo Naturalis Historiae. *Atque ab illo galerita appellata quondam, postea vocabulo gallico etiam legioni nomen dederat:* ubi ab illo scilicet *galero* nuncupatam *galeritam*, intelligi voluit Plinius, non a *paro* sive *para* ut quidam existimaverunt: hinc conjecerunt aliqui hanc esse *corydalum* illam, de qua superius. propterea quod apud Graecos *κόρυς galea* dicitur: Martialis in Apophoretis donat *causiam* contra calorem: quamvis in omnibus ferme codicibus lemma inscriptum sit, non *causia*, sed *Gausapa*, foedissimo errore:

In Pompejano tectus spectabo Theatro.
Nam ventus populo vela negare solet:

Pileus vero similiter Tegumentum capitis, apud Romanos insigne fuit libertatis, nam dictum est a Plauto in Amphitryone,

- - - Quod ille faciat Juppiter,
Ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum:

Cujus rei causa disertissime refertur a columine aetatis nostrae Joanne Baptista Pio, praeceptore nostro, de quo merito illud dici potest, quod a Claudiano de Theodoro scribitur:

Quicquid Socratico manavit ab ordine: quicquid
Docta Cleantheae sonuerunt atria turbae
Inventum quodcumque tuo Chrysippe recessu
Quicquid Democritus risit: Dixitque tacenda
Pythagoras: uno se pectore cuncta vetustas
Condidit: & major collectis viribus exit.

Quem ob hoc parcius laudo, quoniam vehementius diligo, Tum quia solis irradiatio nullae stat indiga lucis.

8. NEMUS.] Dictum ab hoc verbo *νέμω*, hoc est *pasco* quoniam in his greges & caetera animalia pascuntur. *Nemora* autem, ut scribit Pompejus, significant silvas amoenas. Varro in primo de Lingua Latina, *Quos agros non colebant propter silvas, aut id genus ubi pecus possit pasci, & possidebant; ab usu suo saltus, nominarunt*, haec etiam Graeci *νομὰς*. nostri *nemora* vocant: a *nemore*, *nemoralis* dicitur, quod est *nemoris*, & *nemorensis*: unde *nemorensis rex* Sacerdos ille nemoris Dianae sacri, de quo ita refertur Historia a Servio libro Sexto Aeneid. *Orestes postquam Thoantem Regem in Taurica regione occiderat, cum Iphigenia sorore, & simulacro Dianae aufugit, idque non procul ab Aricia collocavit: in hoc templo post mutatum ritum sacrorum fuit arbor de qua ramum infringere non licebat, dabatur autem fugitivo, ut si quis ex eo arbore ramum effringere potuisset cum fugitivo ejus templi sacerdote monomachia, hoc est singulari certamine contenderet: nam fugitivus ille erat sacerdos, ad pristinae fugae imaginem: dimicandi vero dabatur facultas, quasi ad pristini sacrificii reparationem:* hoc longioribus verbis explicavi, ut plenam Historiam, & originem illam dimicandi intelligeres, cum apud Suetonium in Caligula fiat mentio Regis Nemorensis his verbis. *Nemorensi regi quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit:* de translatione hac sacrorum meminit Flaccus in secundo Argonauticon.

- - - Mora nec terris tibi longa cruentis
Jam nemus Egeriae, jam te ciet altus ab Alba
Jupiter: & soli non mitis Aricia regi.

De-

De his regibus ab Ovidio fit mentio libro tertio Fastorum.

Regna tenent fortes manibus, pedibusque fugaces,
Et perit exemplo post modo quisque suo.

Obiter restituendus est iure consulti codex titulo de verborum significatione ubi ita legimus. *Novalis est terra praecisa quae anno cessat, quam Graeci* (tu vera testitae:) *νέομα vocant, quoniam inde sylva tollatur.* ut scribit Servius in Bucolicis.

9. ISTA PETAMUS ANTRA.] Antrum dicitur excavata spelunca: Virgilius in Tityro.

Non ego vos postbac viridi projectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Ovidius in decimo tertio Metamorphoseon de Polyphemo.

- - - Nostrique cupidine captus
Uritur, oblitus pecorum, antrorumque suorum.

Juvenalis Satyra prima.

- - - Et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani.

Antrum enim est sine aspiratione scribendum. *Anthropon* Graeci hominem appellant unde *Anthropophagi* populi humanis viventes carnibus ἀπὸ τοῦ φαγεῖν τοὺς ἀνθρώπους, hoc est *ab hominibus edendis*. Hos in quibusdam solitudinibus habitare Scythiae, haud quanquam Scythicam nationem arbitratus est Herodotus libro IV. Histo. qui super hos vasta proculdubio omnia sineque gentibus esse existimavit. de his fit mentio a Plinio libro sexto Naturalis Historiae his verbis, *deinde fabulosa ad occidentem versus nigrae, quorum rex unum oculum habeat in fronte, agriophagi. pantherarum & leonum carnibus maxime viventes, pamphagi omnia mandentes, anthropophagi humana carne vescentes.*

FAUNI.] Dicti sunt dii silvestres, & ruricolae: Marcus Varro Faunos deos esse putat Latinorum, quos quia in silvestribus locis traditum est solitos *fari*, *faunos* dictos putat: Ovidius in tertio Fastorum.

- - - Sic quatiens cornua Faunus ait:
Dii sumus agrestes, qui cum dominemur in altis
Montibus, arbitrium est in sua tecta Jovi.

Fauna vero dea dicta Ops a *favendo*, quod omnibus animantibus faveret. terra enim communis mater est: Scribit Lactantius libro primo Divinarum Institutionum, Faunum in Latio qui & Saturno nefaria sacra constituit & Picum patrem inter deos honoravit, sororem suam, Sentam Faunam eandemque conjugem consecrasse: quam C. Bassus *Fatuam* nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consuevisset ut Faunos viris: eandem Varro author est tantae pudicitiae fuisse ut nemo eam: quo ad vixerit: praeter virum suum mas viderit, nec nomen ejus audierit, & ideirco illi mulieres in operto sacrificant, & Bonam Deam nominant: hinc conqueritur Juvenal. Satyra sexta, nota esse quae in sacrificiis Bonae Deae peraguntur, cum operta & secreta peragi debeant.

Nota bonae secreta Deae cum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae, crinemque rotant ululante Priapo
Maenades.

De Faunis Statius libro secundo Silvarum.

- - - Vos dicite causas
Najades: & faciles, satis est, date carmina
Fauni.

Pinea silva: pinus arbor est hortis maxime conveniens, Virgilius in Thyrside.

Fraxinus in silvis, pulcherrima, pinus in hortis.

Folium habet capillamenti modo pertenue, longumque & in mucrone aculeatum, ut scribit Plin. libro decimo sexto Naturalis Historiae, silvestrium pinastrum appellari scribit idem Plinius mira altitudine, & a medio ramosam, quae copiosiorem fundit resinam: est autem resina, ut hoc obiter enarremus nihil aliud quam humor ex arboribus fluens, in iisdemque residens: pinus utile dat lignum navigiis ut scribit Maro libro secundo Georgicon.

Dant alios aliae foetus, dant utile lignum
Navigiis pinus:

Unde saepius pro navi accipitur a poëtis. Ovidius libro II. de Arte Amandi.

Quid properas juvenis: mediis tua pinus in undis
Navigat:

Et in primo Tristium,

Pinea texta sonant pulsi stridore rudentes.

Idem in primo Fastorum,

Et jam Dardanidae tangent haec littora pinus.

Hinc cecinit Vir. in Bucolicis,

- - - Et nautica pinus,
Mutabit merces.

Ab Ovidio libro XIV. Met. *pinea tecta* naves appellantur;

- - - Fert ecce avidas in pinea Turnus
Tecta faces:

Pineta autem dicuntur loca pinis referta: *pinus* & ipsa a Graecis *Pythus* vocatur, unde Scynis *Pytiocampta* a Plutarcho dictus in Thesei vita, quoniam incurvatis pinis homines miserabiliter necabat. ad quod alludens Claudianus libro I. contra Ruffinum cecinit,

Vel Scinis Isthmiaca pinu vel rupe profunda
Sciron.

Scribit Plinius libro XXIII. Nat. Historiae nucleos nucis pineae sitim sedare, acrimoniam stomachi, rosionesque & contrarios humores consistentes ibi, & infirmitatem virium roborare.

DENSAT.] Spissat, opacat. & densum reddit. densum (ut conjicere possum significat partem illam telae absolutam, hoc est, densatam, quae pectine a textore feritur, dum opus perficere festinat, ex his Varronianis verbis in primo de Lingua Latina, *densum a dentibus* pectinis, quibus feritur. *densare* autem significat cogere & spissare, sicut densum spissum & constrictum. Virgilius in Bucolicis.

Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit.

Idem in tertio Aeneidos.

Et densis hastilibus horrida myrtus.

Sensus est, cur non enim petimus haec antra ex densitate pinorum opacata potius, quarum oppositione nulla erit vis solis ad nos penetrare valens.

10. LEVAT CAPUT.] Hoc est, intercludit omnem viam Phoebo & aditum. Hic *caput* accipitur pro ingressu & primo aditu. quo occluso, nullus est locus Phoebeis radiis. Sic accipitur apud Plautum in Asinaria: cum loquitur Leonidas, *ego caput huic argento fui hodie reperiundo*. & sequitur Libanus, *ego pes fui*, Respondet Argirippus, *quin nec caput, nec pes sermonis apparet*, hoc est neque principium neque finis: ergo hic *levat caput*, hoc est principium aditus:

11. BOLLANTES AQUAS.] Hoc est bullas facientes: *Bulla* dicitur in aquis Tumor repente nascens, atque parvo inde momento evanescens: quae Jove ut plurimum pluvio fieri solet, quae cum quodam subitario impetu exoriatur, ac cito effluat, merito hominibus comparatur: unde proverbium est illud Varronianum libro primo de re rustica, *homo bulla est*, & eo magis senex: a *bulla* fit *bullare*, ut apud Cornelium Celsum. *Si urina bullat*: *Bullantes aquae* ita appellantur a Plinio libro nono Naturalis Historiae. praeterea bullantium aquarum afflatio, lunaeque effectu concharum quoque corpora augescentia: Aristoteles in problematis reddit rationem cur bullae specie hemisphaerii exurgere soleant: quod scilicet tamquam de centro in aëra sursum aequaliter circum undique admittitur quomodo hemisphaerium exergere necesse est, portio autem sphaerae inferior aquae planitie abscinditur, in qua scilicet centrum situm est: *Bulla* etiam erat insigne puerorum nobilium, ut scribit Macrobius libro primo Saturnalium, unde *bullatus* dicitur bulla insignitus, Scipio in Oratione contra legem Judiciariam, *plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentos, in his unum, quod me reip. puerum miseritum est, puerum Bullatum petitoris filium non minorem annis duodecim cum crotalis saltare*: a *bulla* fit etiam *ebullare* quod significat more bullae evanescere. Persius Satyra Tertia.

- - - *Sub lingua immurmurat, o si*
Ebullet patrui praeclarum funus:

Olim cum Cinna, criminatus quod Pompejum interfecisset; deprachensus esset ab insidiatore, & bullam quam precii magni habebat illi obtulisset, non inquit ille vero fidejussionem obsignaturus, sed de scelerato tyranno vindicaturus, auctor Plutarchus in Pompeji vita:

Fagus.] Arbor est glandifera ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, dicta, id est *comedere*, ut scribit Servius in Bucolicis: prisco enim seculo homines glandibus vescebantur, Virgilius in invocatione primi Georgicon.

Liber & alma Ceres, vestro si munine tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit Arista:

Boëtius in Secundo de Consolatione,

- - - *Facili quae sera solebat*
Jejunia solvere glande.

Cum de aetate prisca loqueretur: a *fago faginus* deducitur, ut

Ioris pampineas penetur faginus ulmos.

Id est fagineus & ex fago factus: Scribit Plinius libro XVI. Naturalis Historiae faginam glandem gratissimam esse muribus, glires saginare Turdisque capeti: ideo autem bullantes aquas sub radicibus fagi posuit, quoniam in vorticibus sive gurgitibus, ut nos appellamus, aquae retentae bullare solent, similiterque si objice saxi, sive arboris impediantur ne cursum peragant suum:

11. PROTEGIT.] Cooperit. Virgilius in secundo Aeneidos,

- - - *Clipeos ac tela sinistris*
Protecti objiciunt.

IMPLICAT RAMIS ERRANTIBUS.] Implicando connectit: & simul constringit umbrosum locum efficiens: *implicare* hic significat ramos connectere & quodam intexu ordinare, metaphora a vestibus sumpta, quae in plicas deduci solent. quam vocem nunc etiam Bononienses retinent. apud Virgilium significat impedire libro secundo Aeneidos illo versu,

Implicat & miseros morsu depascitur artus:

Alias positum pro ornare, ut scribit Marcellus, Afranius in Brundusio, *in parte inferiore hoc implicabitur caput, latent*.

13 QUO ME CONQUE VOCAS SEQUOR.] Sensus est: potes me quocunque lubet vocare, etiam si sacrificandum sit & templa sint adeunda: quoniam puros & mundus a mulieris contagio non prohibeor ad sacra accedere: designat autem morem sacrificantium, & divina celebrantium, qui nisi purgati a concubitu vel alia pollutione, sacra attingere metuebant: hinc prolatum est illud a Persio indignanter quidem Satyra tertia.

Haec sancte ut poscas Tyberino in flumine mergis
Mane caput bis terque & noctem flumine purgas?

Jubet enim Dominus in Levitico, *homo in quo fuerit vitium, & macula, non accedat offerre dona Deo*: & in Exodo, *sacerdotes qui accedunt ad dominum deum sanctificentur, ne forte derelinquat eos Dominus*: solebant autem polluti vel caede, vel stupro se aqua purgare quoniam aqua circumfert & lustrat, ut scribit Plutarchus in Problematis, unde dictum est a Virgilio in Secundo Aeneidos.

Me bello e tanto digressum & caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Scribit Marcus Tullius libro primo de Legibus, *aspersione aquae labem corpoream tolli, & castimoniam corporis praestari*: Flaccus in secundo Argonauticon,

- - - *Linque o mihi caede madentem.*
Bacche domum, sine foedatum te funere pontus
Expiet, & referam lotos in templa dracones:

Expiationem hanc aquaticam intelligens: scribit Macrobius libro tertio Saturnalium, diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari, cum vero inferis litandum est, satis actum videri, si aspersio sola contingat. Quod observavit Virgilius in quarto Aeneidos. cum sacra diis inferis instituit Dido sic inquiens:

Annam chara mihi nutrix huc siste sororem,
Dic corpus properet fluviali spargere lympha:

Putat idem Macrobius, non tam apud Virgilium conqueri Junonem Aeneam contigisse & contra suum velle pervenire in Italiam, quam quod optato potiretur Tybridis alveo, quia sciret eum hoc amne purificatum posse sacra sibi rite perficere, nam ne supplicari quidem sibi ab eo vellet. Apud nos usus est in sacerdotio aqua labem purgandi, cum antequam assumat sacerdos panem azymum id est infermentatum (ita appellantibus Canonistis sacram hostiam) manus aqua prius abluere mos sit, hinc exiit illud Psalmistae *Asperges me domine hysopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor.* Divus Cyprianus ad Magnum scribens

bent, siquidem una est ecclesia, quae a Christo diligitur. & lavacro ejus sola purgatur, quomodo qui in ecclesia non est aut diligi a Christo aut ablui & purgari lavacro ejus non potest: de purgatione aquae Juve. Satyra sexta:

Ter matutino Tyberi mergetur, & ipsis
Verticibus tumidum caput abluet.

Tu tamen ibi lege *timidum*, id est superstitione incussum:

MEA LEUCA.] Mea amasia, & puella mihi dilecta. *Leuce* nomen puellae conveniens. *Leucos* enim albus dicitur. unde & a Plinio dictum *leucargillon* vocari candidam Argillam XVII. Naturalis Historiae. idem libro decimo sexto. *Huc lignum praeminum medullae est in abiete, Graeci leucon vocavere.* Tu ibi album intellige, ita Graecis appellantibus. ergo *Leuce* a candore dicta & declinabitur *Leuce Leuces*, sicut *Daphne Daphnes*? Plinius libro XX Author, *Silvestre capum in arvis maxime nasci fruticosum, semine candido, duplo majore quam papaveris, quo ad albicandam cutem in facie, reliquo corpore utuntur, mixto mina pari mensura:* putat idem custodiri lacte asinino candorem: ob quod prolatum est illud a Satyrico Poëta Satyra sexta,

- - - Atque illo tunc lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas.

NOCTURNA GAUDIA.] Dicuntur concubitus, & joci amatorum, quoniam noctu plerumque interveniunt: Plautus in Asinaria,

Tot noctes reddat spurcas, quot putat habuerit:

Ovidius in secundo de Remedio amoris,

Dixerit, ut venias; pacta tibi nocte venito:

Idem,

Est data nox, dubita, nocte venire data,

Ubi per *noctes* concubitus pacti significantur.

15. CORNIGERI FAUNI.] Id est cornua gerentis, finguntur enim cornuti Fauni. Ovidius in Tertio Fastorum.

- - - Sic quatiens cornua Faunus ait.

Quo insigni Juppiter Ammon etiam colebatur arietina scilicet facie: ut auctor est Herodotus libro Historiarum secundo: & quarto:

PERVIA SACRARIA.] Accessibilia, *pervium* enim dicitur per quod iri potest, sicut *invium*, sine via, Quod inaccessibile: *Sacraria* autem (ut docet Servius super eo loco Virgilii in XII. Aeneï. & *dies sacraria Ditis*) loca dicuntur in templo, in quibus sacra reponuntur, sicut *donaria* ubi dona reponuntur oblata, & *lectisternia*, ubi in templo homines sedere consueverunt: Suetonius in Augusto, *Natus est Augustus M. Tullio Cicerone & Antonio consulibus. IX. Kal. Octobris paulo ante solis ortum, regione palatii ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habet, aliquanto postquam excessit constitutum:* Notandum est aliud esse *sacrum locum* aliud *sacrarium*. *sacer locus* est locus consecratus. *Sacrarium*, in quo sacra reponuntur, ut notat Ulpianus Titulo de Rerum divisione: hic *Sacraria*, Sacella intellige Fauni, id est Parvum locum cum ara Sacratum, ita significante Sacello, quod ex sacro diminutivum est ut scribit Gellius libro sexto Noctium Atticarum: *Sanctaria* vero, sive *sanctuaria* (ut quidam legendum esse existimant ex lectione antiqua Pliniana libro XXIII. *in sanctuariis Mithridatis maximi regis devictis*) dicuntur loca arcana, et secretiora, quae a Graecis *ἄδυτα* appellantur, unde dictum putatim a Vir. libro secundo Aeneidos. *Adytis penetralibus*, id est secretioribus, ubi sancta reponuntur.

16. PROME IGITUR CALAMOS.] Omitus inter eundum provocat Corydonem ad cantilenam, cui fistulam promittit a Lygdone sibi compactam. *Promere*, significat reposita proferre, unde *promum* ille apud Plautum qui res in penu reconditas profert, se dicit appellari atque *condum*, quod similiter condat, ita loquens in Pseudulo *condus, promus sum: procurator peni*: Plinius Cecilius libro primo Epistolarum, affirmat etiam esse hanc Philosophiae & quidem pulcherrimam partem, agere negocium publicum, cognoscere, judicare, *promere*, & exercere justiciam.

CALAMOS.] Est proprie calamus harundo gracilior, quam pastores ad cantilenas adhibent: ex his enim fistulas faciunt, quibus concertare consueverunt: Vir. in Alexi.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit:

Et in Daphni

Nec calamis solum aequiperas, sed voce magistrum

Plinius libro Sextodecimo Nat. Hist. Calamum concavum syringam nuncupatum utilissimum esse fistulis docet, orchomenium vero de quo interius dicemus, tibiis utiliorem, vincit in hoc Italia quod nullus sagittis aptior sit calamus quam in Rheno amne nostro Bononiensi: aliquando *calamus* pro stilo accipitur, in quam significationem prolatum est illud a Virg. in Tityro,

Scribere quae vellem calamo permisit agresti:

Apulejus in primo de Asino Aureo, *modo si papyrum Aegyptiam argutia Niloticí calami inscriptam non spreveris inspicere: Theca calamaria* ab epigrammatario (hoc est, calamorum repositorium) ita describitur in apophoretis:

Sortitus thecam calamis armare memento,
Caetera nos dedimus, tu leviora para:

17. FISTULA.] Oblectamentum pastorum, qua amores suos invicem decantare solent. Vir. in Palemone.

- - - Haud unquam tibi fistula cera
Juncta fuit:

Sidonius in Panegyrico,

Postque chelim placuit fistula rauca Jovi.

Lemma est apud epigrammatarium in Apophoretis *fistula* inscriptum:

Quid me compactam ceris & arundine rides,
Quae primum structa est fistula talis erat.

Scribit Plinius in VII. Nat. Historiae Pana inventorem fuisse tibiae, monauli Mercurium: obliquae tibiae Midam in Phrygia, geminarum vero tibiarum Marsyam. describitur ab Ovi. Polyphemi fistula centum compacta arundinibus libro XIII. Met. Statius in Tertio Silvarum,

- - - Famulantis fistula Phoebi,

O Cum

Cum Phoebum more pastorum aliquando cecinisse decoraret.

18. Lycidon.] Nomen pastoris hic. λύγδος, ut scribit Suidas auctor Graecus, species est marmoris, eodemque auctore accepimus λύγδινον cicutam appellari corroboratque, opinionem suam hoc carmine Graeco ex epigrammatis. γλύψας ὀπὴν λ. λύγδινον τις ἐργασίας: potest autem videri allusisse ut est opinio quorundam ad Lydiam fistulam, quoniam in Lydia optimi fistulatores fuerunt: unde legimus apud Herodotum in Historiis, Halyatem, regem Lydiae, quum bellum Milesiis faceret, concinentes habuisse fistulatores & fidicines, atque foeminas etiam tibicinas in exercitu. antiquitus enim tubae ita non fuerunt in usu, &, ut scribit Thucydides, Lacedaemonii in praeliis Tibiarum modulis uti consueverunt: de qua re luculentum est caput apud Gellium, libro primo Noctium Atticarum.

18. Captatas umbras.] Electae & nobis praeceptae. *capto*. sunt qui negent hoc verbum frequentiam significare: Sed blanditiis quibusdam venari seu gratiam seu hereditatem velint, ut apud Mart. in sexto,

Scis te captari: scis hunc qui captat, avarum:
Et scis qui captat quid Maurane velit.

Et alibi,

Capto tuam: pudet heu: Sed capto maxime coenam:
Tu captas aliam. jam sumus ergo pares.

Hinc *capatatores* dicti coenarum & hereditatum Aucupes: Cicero, *captator ille popularis aurae*: Juvenalis *captatorem macellum* appellavit Satyra Sexta. quoniam captare solent hereditates heredite petae munera ex macello empta subinde mittentes. an apud Vir. tamen frequentativum sit omnes possunt judicare in Alexi,

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.

Hor. in arte Poetica,

Aut, dum vitat humum, nubes & inania captet:

Ingeniorum capturae deceptiones appellantur a Plinio libro XXIV. Naturalis Historiae, cujus verba subjeci haec. *Sola naturae placuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia, ac sine impendio, ex quibus vivimus, postea fraudes hominum & ingeniorum capturae officinas invenere istas.*

Successimus.] Ingressi sumus, & significat cum felicitate: unde *successus* pro felici eventu accipitur: Ovidius in Epistolis,

- - - Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

20. Sed quaenam sacra.] Ornitus tollens oculos ad fagum propinquam, exclamat admirabundus, cum carmina incisa in arbore animadvertit, quae jussus mox propius leget.

Properanti falce.] Ut dicitur *currenti calamo*: falce enim opiliones incidere solent in corticibus oblectamenta sua. Talis usus fuit apud antiquos, cum adhuc non esset chartarum ministerium ut in corticibus & in cera scriberent. Plautus in Aulularia, *ne ulla sit cera ubi facere possit litteras*: quo vero instrumento cera notabatur, hoc est, in notas redigebatur *graphium* est dictum. Ovidius in secundo Amorum,

Quid digitos opus est graphium lassare tenendo,
Hoc habeat scriptum tota tabella, veni:

Et *graphiarium*, repositorium graphii: Martialis in Apophoretis,

Haec tibi erunt armata suo graphiaria ferro.

I.e. graphio intus incluso. tale apud nos est *calamarium* ubi calami reponuntur: quamvis hanc pauci hodie observent dictionem.

Notavit.] Notis incidit. Notae enim litterae dicuntur singulares ex quibus verba conficiuntur, Suetonius in Dictatore, *extant & ad Ciceronem, item ad Familiares domesticis de rebus, in quibus si qua occultius perferenda erant, per* notas *scripsit, id est sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset* notas primum commentum fuisse Tyronem Tullium, Ciceronis libertum auctor est Eusebius: a nota fit *notare* quod significat notis inscribere, Quintilianus in Primo, *alterum pluribus sane diebus quantum notando consequi potuerant*: Notariique similiter a *notis* nuncupati, qui notis quibusdam, verbum semper significantibus, cum Catonis luculentam in senatu orationem quandoque collegissent, hinc originem traxisse feruntur: est etiam *notare* legale verbum, unde titulus est apud jureconsultos de his qui *notantur infamia*: apud Epigrammatarium poëtam in Apophoretis de notario distichon est tale,

Currant verba licet manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Ausonius de notario, cui multa fandi copia punctis peracta, singulis ut una vox absolvitur.

22. Apicis ut viriors.] Ut demonstret novas esse notas Corydon, ait eas nondum aperto cortice aperiri, ut consueverunt succo abeunte per longum spatium incisae diffindi, & laxari.

23. Arenti hiatu.] Exucco & languido, humor namque fugit loca & partes corticis incisas. Hiatus, proprie oris dicitur, ab hio quod significat discindor, similiterque terrae scissio quam Graeci χάσμα vocant: Plinius libro secundo Naturalis Historiae, *Neque aliud est in terra tremor quam in nube tonitruum, nec hiatus aliud quam cum fulmen erumpit incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente*: hinc *hiulcus* dicitur fissus & rimosus locus. Vir. in secundo Georgicon.

Hoc ubi hiulca siti findit canis aestifer arva:

Ab *hio* compositum est *inhio*, quod significat vehementer appeto, Plautus in Aulularia,

Nunc petit cum pollicetur, Inhiat aurum, ut devoret:

Vir. in secundo Georgicon.

Nec varios inhiant pulchra testudine postes:

Hiscere vero (ut notat Marcellus) est proprie alloqui. Actius in armorum Judicio,

Hem vereor plusquam fas est captivum hiscere:

24. Tu potes alto.] Sensus est: cum tu sis altioris staturae Ornite, potes melius quam ego possim altiores versus ad longitudinem tui corporis accommodatos transcurrere.

Pro-

PROPIUS.] Vicinius & magis prope. Martialis in primo,

Hic ubi syderemi propius videt astra colonus.

Et *prodius* quoque dictum est, auctore Marcello, qood significat internus longius, a *prodeundo*, quasi porro eundo, Varro in Virgula Divioa, *primum venit in urbem atque intra muros, deinde accedit prodius, atque intrat domum.*

ALTO CORTICE.] Ubi inscriptae sunt notae: cortex enim est etiam ad extremitatem arboris quem & quisque pumilio animadvertere posset.

PERCURRERE.] Cursim legere: nos dicimus hodie *transcurrere*, si quod opus aliquando festinanter legimus.

26. NAM TIBI LONGA SATIS.] Adducit rationem cur ipse melius possit carmina perlegere, quae altiora sunt: cum enim inquit semine largo a patre sis procreatus tuo, internodiis oblongis, & corpore staturoso, hoc est magnae staturae (ita enim significat *staturosus*) commodius ob altitudinem ad quam oculi mei non perveniunt tu leges, ego audiam.

LONGA INTERNODIA.] Membra procera ac longa: *Internodium* dicitur inter nodos spatium. Plin. libro XVI. Natur. Historiae de cannis loquens, *navigiorum etiam vicem praestant (si credimus) singula internodia*: item alibi, *plura autem genera, alia spissior densiorque geniculis brevibus internodiis*: Scribit Aristoteles in Problematis, hominum variam staturam ex duplici provenire causa, vel ob locum angustum, vel ob exiguitatem cibi, quod etiam partu jam edito nonnulli efficere conantur: ut qui catellos in caveolis conclusos teneant: hic Calpurnius *internodia* intelligit spatium ossis quod est solidi a junctura ad juncturam: ita accipitur a Plinio de aranei loquente in XI. *omnibus internodia terna in cruribus*: & de Scorpionibus item: *constat & septena caudae internodia saeviora esse.*

26. LARGUS PATER.] Vel in emittendo semine liberalis: vel immensus & magnus: ut apud Virgilium in primo Georgicon.

Certatim largos humeris infundere rores:

Et in primo Aeneidos,

Multa gemens largoque humectat flumine vultum:

Plautus in Milite, *largiloquam linguam* appellat verbosam, & nugis plenam: potes etiam ad hoc referre, quod ex sententia Aristotelica ad nostram derivo: scribit enim ipse in Problematis, prolem caeterorum animantium magis quam hominum esse similem, quoniam homo in coitu vario vagoque sit animo: ut largum intelligas patrem qui se totum tibi in coëundo tradiderit, ut mos est rusticorum, quorum mens minus abstracta est, quam eruditorum: quibus saepissime filii insulsissimi procreantur.: Scribit Julius Firmicus in tertio. *Si Venus domina geniturae fuerit effecta, corpus sub se nascentium futurum longum & candidum*: Sed quoniam putavit Anaxagoras liberos ejus parentis faciem referre qui seminis amplius contulisset, ut scribit Censorinus de Die Natali, intelligamus largum, ut superius scripsimus, in semine dando: plures tamen adduximus opiniones, quia non idem omnibus placere potest ob variam hominum appetentiam.

27. PROCERUM CORPUS.] Longum, & staturosum. Plinius Caecilius libro primo Epistolarum. *Ad haec proceritas corporis, decora facies: demissus capillus*: Scribit Macrobius in primo de Somno Scipionis; caducorum haec duo esse propria, sentire, vel crescere, atque *esthetecen*. i.e. sentiendi naturam de sole, *phytecon* autem i.e. crescendi naturam, de lunari ad nos globositate provenire: sic utriusque luminis beneficio hanc nobis constare vitam, qua fruimur, quam praecipue duo haec moderantur.

NON INVIDA MATER.] Quae tuae magnitudini minime invidiosa fuit, sed locutus est rustice & vulgariter: *Invidum* appellamus alterius bono invidentem, & *invidiam* crimen ipsum, quo nullum perniciosius humanis est mentibus ingenitum. Nam sicut rubigo ferrum ita invidia animum hominis, ubi insita est consumit, ut scribit Basilius in oratione illa, quam de invidia composuit: *Invida aetas* appellatur ab Horatio in primo Carminum, quod nos fugiat, & veluti nostra nobis bona eripere conetur:

- - - Dum loquimur fugerit Invida
Aetas. Carpe diem quam minimum credula postero.

28. NON PASTOR.] Ornitus orsus carmina exclamat, non esse illos versus triviales, vulgares, sed divinos & ab ipso deo Fauno cortici incisos.

TRIVIALI MORE.] Vulgari, & plebejo, ut in triviis esse consuevit. *Trivium* appellamus locum, in quem tres viae confluant: ad quod rustici convenire saepissime solent. Virg. in Palemone,

- - - Nonne tu in triviis indocte solebas,
Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Tibullus in primo.

Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Scribit Servius consuetudinem fuisse, ut per trivia & quadrivia ulularent & flebile canerent in honorem Dianae, ad reddendam Cereris imitationem: quae Proserpinam in triviis clamore requirebat; eadem enim est Diana ac Proserpina: ut

Nocturnis Hecate triviis ululata per urbes:

Unde & Trivia ipsa Diana appellatur, quoniam in triviis ponitur apud oppida Graeca, vel quia luna dicitur in coelo tribus viis moveri, in altitudinem, latitudinem & longitudinem, ut docet Varro libro tertio de Lingua Latina: hinc dictum est a Catullo eleganter & doctissime in laudem Dianae:

Tu potens Trivia & notho es
Dicta lumine Luna:

Et ab Ennio, ut ibi

Titanis Trivia dederit stirpem liberum.

A *trivio* fit *trivialis*, & *triviale*: qood significat vulgare, & plebejum: Suetonius in Augusto, *aut etiam triviales ex circo ludos interponebat*: Quintiliano Magistri *trivialis scientiae* dicuntur: hoc est vulgaris & omnibus expositae.

29. DEUS IPSE.] Faunus.

NIHIL ARMENTALE.] Non sapit rusticitatem, & pastorium stilum: *Armentum*, ut scribit Varro in primo de Lingua Latina, *dictum quod boves ideo maxime parabantur, ut inde eligerent ad arandum, inde arimenta dicta, postea tertia littera extrita.* & *armentarius* dictus

est custos armenti. Apulejus in septimo de Asino Aureo. *Ergo igitur evocato statim armentario equi siue, magna cum praefatione deducendus assignor:* Annotaverunt grammatici hanc esse inter *armentum* & *gregem* differentiam, ut pro *grege* proprie minora pecora intelligamus pro *armento* vero majora: Graece *Armentum* ἀγέλη dicitur: nec pertinet hoc vocabulum ad boves & equos tantum; Nam & Virgilius in primo Aeneidos *armentum cervorum* ita nuncupavit:

- - - Hos tota armenta sequuntur,
A tergo: & longum per valles pascitur agmen:

Armentum, ut inquit Varro libro secundo de Re Rustica, *id quod in agro natum est non erat, sed dentibus tollit: At causa fit ut commodius nascatur frumentum in segete & pabulum in novali bos domitus:* ab *armento* inde deductum *armentale*: quod significat rusticanum & triviale: est autem haec Graeca figura *armentale resultat*, ut scribit Servius super eo loco Virgilii in primo Aeneidos.

- - - Nec vox hominem sonat.

39 Non montana.] Scribo *nec montana* ex sincero codice.

Jubila.] Dicuntur proprie rusticorum. *Jubilare* auctore Pompejo est rustica voce inclamare: Scribit Varro libro secundo de Lingua Latina, *Jubilare* esse rusticorum, ut *quiritare* est urbanorum, quod significat fidem Quiritium clamando implorare. Apricius:

Io Bacche quis me jubilat vicinus tuus antiquus.

Apulejus libro octavo de Asino Aureo, *jubilationibus solitis & hujuscemodi vocibus: nobis inhortantur:* Silius in decimo quarto,

Et laetus scopulis audivit jubila Cyclops.

31. Rumpe moras.] Dissolve tarditatem: *Rumpere moras*, significat festinare, & moram frangere. Ovidius in Epistolis.

Tolle moras tantum: properataque foedera junge.

Oculo sequaci.] Litteras sequente legendo: *sequax* natura appellatur a Plinio qua ad inflexionem quocunque lubet possit deduci: cujus sunt verba in decimo Naturalis Historiae, *adeo sequax natura est ut ipsis viventium corporibus ferventi aqua flectantur:* idem libro XIV. *Villas, & domos ambiri singularum palmitibus, ac sequacibus loro memoria quoque dignum inter prima Valerius quoque Cornelius existimavit:* *Hederae sequaces* a Persio appellantur, quae sequendi retinent naturam in muris, statuis, atque arboribus, & a Seneca *sequaces Aristippi* dicuntur ejusdem sequentes doctrinam & disciplinam: quam vocem hodie quoque retinent Bononienses: ut *sequaces* appellent alicujus clientes amicos & stipatores.

31. Quam primum.] *Quam* subito perlege. Accurate lege, ita enim significat *perlegere*: sicut *perspicere*, ad plenum videre, ut scribit Donatus in Andria Terentii, Ovi.

Perlege quodcunque est, quid Epistola lecta nocebit?

31. Qui juga.] Carmina sequentia inscripta cortici, leguntur ab Ornito.

Juga.] Dicuntur montium arduitates: Virgi.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit.

Et *jugosus* proclivis: Ovid.

Tu modo duritiem silvis depone jugosis.

Tueor.] Defendo hic, alias aspicio: Papinius in Silvis,

- - - Juvat ora tueri,
Mixta notis belli placidamque gerentia pacem.

Virg.

Excipiunt plausu pavidos gaudentque tuentes
Dardanidae.

Satus aethere Faunus.] Hoc dixit quoniam aether omnia progignere dicitur, unde a Nemesiano appellatur *omnipotens aether:* Scribit Servius in secundo Georgicon, super eo loco Virgiliano.

Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether.

Jovem pro aethere accipi cui attribuuntur aer, & aether, quae duo mixta terrae, & humori, universa procreant. Locutus autem videtur secundum Anaximenis opinionem qui aera principium omnium rerum esse autumavit, ut scribit Laer. in secundo de vita & disciplina Philosophorum: de qua re variae sunt opiniones: a Thalete enim aqua principium assumitur, ab Heraclito ignis: ab Epicharmo & Physicis, principia quattuor elementa proponuntur: & sic principia varia traduntur. Cicero libro quinto Tuscu. quaestionum, *Inde est indagatio nata initiorum tamquam seminum, unde essent omnia orta generata, concreta, quaeque cujusque generis, vel inanimi, vel animati, vel muti, vel loquentis origo.*

Faunus.] Deus.

- - - Sunt rustica numina Fauni.

ut inquit Ovidius libro primo Meta. & poëtarum custodes, unde dictum est ab Horatio in tertio Carminum:

Nisi Faunus ictum dextra levasset,
Mercurialium custos virorum.

Iidem ab Ausonio *paganica numina*, his appellantur.

Inter Oreadas Panope fluvialis amicas,
Fugit lascivos paganica numina Faunos.

Faunus autem idem est quod Pan, ut demonstrat Ovidius libro II. Fasto: his versibus,

Tertia post idus nudos aurora lupercos,
Aspicit & Fauni sacra bicornis eunt.

Quae mox sequuntur. Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur Arcadia.

- - - Arcadiis plurimus ille jugis.

Et paulo post,

Transtulit Evander silvestria numina secum,
Hic ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat.

35. Laeta carmina] Jucunda & laetitiae plena, ut

Vela dabant laeti,

Laetum etiam significat pingue, ut apud Virg. in primo Georg.

Quid faciat laetas segetes:

alias *laethum* cum aspiratione: quod pro morte sumitur, ab oblivione dictum: quam Graeci λήθην appellant auctore Pompejo.

Patefactis fagis.] Id est demonstrato fago, ubi sunt descripta, vel in loco patenti.

36. Voa

36. VOS POPULI GAUDETE MAT.] Sensus est: exultate nunc coloni, & gaudete, quoniam armentis, & pecudibus impune errare licebit, absque metu abigei, & luporum, omniaque placida quiete tranquillaa supervenient.

37. SECURO PASTORE.] Cui opus non erit timere insidias praedonum, aut luporum: firmae enim pastorum legendae sunt firmae ac veloces, mobiles, expeditis membris, qui non solum pecus sequi possint, sed etiam a bestiis, ac praedonibus defendere: ut docet Varro libro secundo Rei Rusticae: quibus vacationem permittit Faunus.

PECUS.] *Pecus*, ut scribit Servius super eo loco Virgiliano in primo Aeneidos,

Ignavum fucos pecus a presepibus arcent:

Omne animal est quod humana lingua, & effigie caret: in cujus suffragium est illud Horatii libro primo carminum.

Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes:

Ibi enim *pecus* de piscibus intelligere necesse est: Marcellus Jureconsultus ait *pecoribus* legatis quadrupedes contineri quae gregatim pascuntur a *pecu* autem *pecuniam* dici & peculium asserit his verbis Colu. in septimo de Re Rustica, *itaque sicut veteres Romani praeceperunt, ipse quoque censeo, tam pecorum, quam agrorum cultum pernoscere, nam in rusticatione, vel antiquissima est ratio pascendi, eadem quaestuosissima proprie quod nomina quoque peculii tracta videntur a pecore quod non solum veteres possederunt, sed adhuc apud quasdam gentes, unum hoc usurpatur divitiarum genus:* Scribit Plutarchus in Problematis, veteres usos nummo ovem bovemque insignitum habente, ut esset in primis documento substantiam antiquorum in gregibus fuisse, collocatam, quo fit, ut multi apud veteres, Bubulci, Porcii appellati sint ut auctor est Fenestella:

CLAUDERE.]. Circumdate & sepire: Vir. in Buco.

Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

39. PRAESEPIA.] Dicuntur loca ad quae boves religantur ut nocte ibi cibum capiant. Columella libro secundo Rei Rusticae. *Sed ante ad praesepia boves religare non expedit quam sudare atque anhelare desierint:* Juvenalis cum vellet notare Damasippum, seu alium quem intelligat, est enim hoc divinare de nominibus & personis: censum & patrimonium impendisse equis alendis dixit,

Qui bona donavit praesepibus,

Praesepia equorum intelligens non scortorum cubilia, ut putavit quidam citans illud Ciceronianum, *verum audis in praesepibus audis in stupris:* nam si apud Ciceronem & alios scriptores in tali significatione invenitur, ad sensum satyrographi quadrare non potest ex sequentibus talis interpretatio. nam sequitur,

- - - Et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flamineam puer Automedon, nam lora tenebat,
Ipse lacernatae cum se jactaret amicae.

Haec enim carmina sunt ad declarationem quomodo donavit bona praesepibus: translative a Plauto usurpatur in Curculione, cum inquit Palinurus Servus,

Tormento retineri non potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad praesepe suum.

Prasepe appellans Phedromi domum, ubi tamquam ad praesepe solitus fuerat parasitus cibum capere.

CRATE FRAXINEA.] Fraxineo contextu in modum cratis quibus praesepia parantur. Apuleius libro IV. de Asino Aureo, *cuncta firma oledis cratibus ovili stabulationi commoda crates. Baccarum* a Palladio dicuntur in X. quae apud nos hodie *craticiae*, quibus fructus soli expansos exsiccare consuevimus: a *crate craticium* parietem dixerunt quo munire & sepire instructuram rustici aedificii mos fuit villicorum: *cratis* etiam ordo appellatur & structura. Vir.

- - - Et cratem pectoris ense
Transadiit.

Ov. in XII. Met.

Fraxineam misit mentis quoque viribus hastam.
Quae laterum cratem perrupit:

Est etiam *cratis* supplicii genus de quo intellexit Plautus in Poenulo ita loquente Milphio.

Sub cratim ut jubeas sese supponi itaque eo
Lapides impone multos ut sese enecet:

Ad quod allusisse videtur Lucretius in tertio, cum inquit,

Urgerive superne obrutum pondere cratis.

Ubi ad hanc rem pertinentia multa a Pio nostro copiosissime disseruntur. Fraxinus arbor est in silvis pulcherrima, ut inquit Maro in Bucolicis, cujus materies ad plurima utilis est. Haec arbor multum Homeri praeconio, & Achillis hasta nobilitatur, ut scribit Plinius libro XVI. Naturalis Historiae: unde saepius *fraxinum* pro hasta invenimus apud poetas: Ovidius in XII. Meta.

- - - Ferrataque collo,
Fraxinus: ut casu jacuit resupinus, adacta est:

Ab eodem *fraxinea hasta* appellatur, utpote ex nobiliori ligno: scribit Plin. fraxinum quae sit in Ida Troadis, in tantum citro esse similem, ut ementes fallat cortice ablato: illud mirum, tantam esse vim ejus contra serpentes, ut si fronde ea gyro claudatur ignis, & serpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugiat serpens: invenio apud eundem Plinium *bumeliam* in Macedonia vocari fraxinum amplissimam, lentissimamque, ideo quoniam a Graecis *μελία fraxinus* dicitur & *μελινὸς fraxineus* & quia *bu* Graeci magnis & amplis rebus praeponere consueverunt a magnitudine scilicet bovis, unde & *bulimam* magnam famem nuncupant, ita *bumelia* amplissima fraxinus dicitur, ab excelsitudine, quod omnes supereminat: corruptus est Pompei codex in hac dictione, ubi *mare scansicum* pro *mariscam ficum* passim legitur: illius sunt verba: *Bulimam Graeci magnam famem dicunt, assuete magnis & amplis rebus praeponere bu, a magnitudine scilicet bovis, hinc est, quod grandes pueros bupedas appellant, & mare scansicum busicon*, tu ibi lege & *mariscam bussicon*: est enim marisca ex ficis magnitudine enormi, sed insulsus plenius de ficorum generibus diximus: scribit Plinius libro vigesimo quarto Naturalis Historiae. Semen quod inest foliis fraxini mederi jecineris & lateris doloribus in vino, & aquam quae subit cutem extrahere cum foliis scilicet, corpusque obesum levari onere ad maciem sensim.

40. PRAE-

40. Praedator.] Dicitur ille qui praeda & rapina vivit. Graece λῃστὴς *praedo* appellatur, & ut scribit Jureconsultus de verborum & rerum significatione, *hostes sunt qui nobis, aut quibus publice nos bellum decrevimus, caeteri latrones, aut praedones sunt: praeda* ut scribit Varro libro primo de Lingua Latina, dicta est ab hostibus capta quod manu parta, ut *parida praeda: praeminuque a praeda* dici voluit: Templum *Jovis praedatoris* fuisse legimus, quod aliquid ei ex praeda capta deberetur, ut mos fuit apud Romanos partem praedae devovendae: ad quod alludere videtur Cicero libro quinto Verrinarum ita inquiens, *quibus ex hostium spoliis, de qua victoria, qua ex praeda, aut manubiis haec ab se donatio constituta est:* Est autem differentia maxima inter *praedonem, & peculatorem:* nam *peculator* dicitur qui facit furtum pecuniae publicae, ut docet Asconius Pedianus *praedo* autem ex quacunque praeda: Cicero libro secundo Verrinarum, accusationum *Depeculatorem aerarii, venatorem Asiae atque Pamphyliae: praedonem juris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae.*

Ovilia.] Dicuntur stabula ovium: Virg. in Tityro,

- - - Illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus:

Graece ποίμνη, *Ovile* dicitur: Scribit Colu. libro octavo Rei Rusticae, *stabula frequenter esse averrenda, & purganda, humoremque omnem urinae deverrendum esse, qui commodissime siccatur, perforatis tabulis quibus ovilia consternuntur, ut quex superembet:* fuit etiam *Ovile* locus in Campo Martio prope aedem Isidis ut docent Strabo Livius & caeteri scriptores, Juvenalis Satyra sexta,

- - - Calidaque petitas
A Meroe potabit aquas, ut spargat in aede
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.

Abigei.] *Abigere* est armenta ex pascuis subtrahere & depraedari, ut notatur digestis de abigeis, libro XLVII. lege prima cujus haec sunt verba: *Abigei autem proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel armentis subtrahunt & quodam modo depraedantur & abigendi studium quasi artem exercent, equos de armentis vel oves de gregibus abducentes. ceterum si quis ovem oberrantem vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus sed fur potius. sed & qui porcum vel capram vel oryggem* (ita enim legendum est non *herbicem*,) *abduxerint, non tam graviter quam qui majora animalia abigunt, plecti debent: Abigei, cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent.* Quam poenam ut lucidius intelligas, scito nihil aliud esse ad *gladium damnari* quam parari ad gladiaturam, ad quam sontes & damnati destinabantur, ut inde Romani spectatores in praelia ituri minus gladios & arma timerent, assueti spectaculis, ut docent qui de institutione gladiatorum tradiderunt. *Ad gladium* tamen *parati* sunt, qui ad poenam capitalem interpretentur a quibus non ego dissentio. *Abacti boves* dicuntur subtracti & abducti: Ausonius,

- - - Pretiumque imponit abactis
Bobus, & in partem scelerum de judice transit:

Cicero in oratione contra Pisonem, *vectigalia nostra perturbarunt, urbes ceperunt, vastarunt agros, socios nostros in servitutem abduxerunt, familias arripuerunt, pecus abegerunt:* Idem in Tertio Verrinarum, *Praeterea greges equarum ejus abigendos curasse: abactores* iidem appellantur qui *abigei*. Apulejus libro septimo de Asinu Aureo, *abactorem indubitatum, cruentumque percussorem criminantes, ad casas interim suas vinctum producunt:* crimen ipsum *abigeatus* dicitur: scribit Firmicus, *Martem & lunam in aquosis propere signis constitutos, pecorum abactores efficere.*

41. Jumenta.] Quae a juvando dicta sunt, ut scribit Columella libro septimo, cujus verba supposui: *nec tamen ulla regio est, in qua modo frumenta gignantur, quae non ut ovium, ita armentorum adjumento juvetur: unde etiam jumenta nomen a re traxere, quod nostrum laborem, vel onera subvectando, vel arando juvarent:* scribit tamen Jureconsultus de legatis tertio *jumentis legatis* boves non contineri, & de verborum significatione ait Pomponius, *armentorum* nomine magis boves contineri, *quam jumentorum:* Graece *jumentum* κτῆνος dicitur.

Laxis capistris.] Vel dissolutis, vel ob longitudinem lentis, ut possint deduci: a capistro sit capistratos: Ovidius.

Inque capistratis tygribus alta sedet:

Et verbum *capistrare*, Plinius, *si inter arbores vitesque aratur, fiscellis capistrari, ne germinum tenera praecerpantur*, ubi *capistrari*, pro implicari, & impediri positum.

41. Aurea aetas] Adventat inquit aetas illa: quae jam regnante Saturno altrix placida mortalium fuit, omniaque dira & scelerata abeunt: *aurea aetas*, dicta est illa, quae sub rege Saturno pomis & fructibus homines aluit: Ovidius in XV. Met.

At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Foetibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit:

Hesiodus in primo Georg.

- - - Aurea primum
Saecula dii superi totum sparsere per orbem,
Tempore quo caeli imperium Saturnus habebat,
Proxima successit rerum argentea proles,
Auro deterior, fulvoque & moribus impar.

(Ut idem est auctor.)

Tertia post illam successit aenea proles:
Quarta fuit soboles melior, cui plurima toto
Justitiae herebant animo praecepta verendae,
Divinum genus heroum, primumque vocati
Semidei immensos illi potuere per orbes:

Quinta aetas ferrea fuit tempore ipsius Hesiodi ut idem asserit.

Ferrea nunc aetas, quam curae mille, labores,
Nocte dieque premunt:

Huic successura erat plumbea moxque terrea quam ultimam omnium existimaverunt: & hoc ut distinctionem aetatum, quam prisci fecerunt, intelligas.

Secura pace.] Quae homines securos facit: sicut *pallida mors*, pallentes morbi & tristis senectus, quod homines pallidos, & tristes faciant: ab Ovidio pax *candida* dicitur.

Candida pax homines: trux decet ira feras:

Pax

Pacis autem templum fuisse Romae notum est, vel hoc satyrographi carmine,

--- Nullos nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax atque fides.

Hoc confectum Flavii Vespasiani impensa, & opere: auctores sunt Suetonius in vita Flavii, & Josephus de Bello Judaico.

RENASCITUR.] Quoniam ante fuerat, sed postea deierat; sic Virgilius in Pollione,

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies caelo demittitur alto.

43. ET REDIT AD TERRAS.] Quoniam abierat cum filiabus.

SQUALLORE SITUQUE ALMA THEMIS POSITO.] Signa sunt maestitiae, squallor & situs, unde *squallidi* proprie appellantur: Quintilianus libro sexto: *non solum autem dicendo sed etiam faciendo quaedam lachrymas movemus, unde & producere ipsos qui periclitentur squallidos atque deformes & liberos eorum, ac parentes institutum:* Gellius libro secundo Noctium Atticarum, *quicquid igitur nimis inculcatum, obsitumque aliqua re erat ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id squallere dicebatur, sic in corporibus incultis squammosisque alta congeries sordium squallor appellabatur, cujus significationis multo assiduoque usu totum id verbum ita contaminatum est, ut jam squallor de re alia nulla quam de solis inquinamentis dici coeperit:* Fulgentius libro primo Mythologicon, *squallebat viduus sulcis ager & herbidis sentibus olivifero vertice minabatur.*

44. THEMIS.] Dea fuit in maximo honore apud Romanos, in cujus tutela fas depositum esse putabant, immo eam id esse existimabant quod fas est, ut auctor est Pompejus: hanc deam futurorum praescientia Jovi antistare caeteros auctor est Lucianus, cujus oraculi sedes fuit in monte Parnasso; unde dictum est ab Ovidio libro quarto Met.

--- Themis hanc dederat Parnasia sortem,

Quoniam ibi frequentabatur: Hesiodus in Theogonia scribit Themin Jovis conjugem fuisse, ex qua natae sunt justicia, lex & pax. hujus etiam fit mentio a Lactantio libro primo Divinarum Institutionum his verbis: *abstinuit se tamen una Thetide quod responsum fuit majorem patre suo futurum quisquis ex illo natus esset, & primum in eo prudentia non dei, cui nisi Themis futura dixisset, ipse nesciret.*

ALMA.] Autem ab *Alendo* dicta, quod fas & justicia omnia alant: ita *alma Ceres* a Virgilio dicta quod homines alat, & *almus dies* a Nasone: *alma Venus* a Lucretio quod omnibus alimoniam rebus praestet: & ab Apulejo in quarto de Asino Aureo quoniam principium omnium rerum existimetur.

46. MATERNIS CAUSAM QUI LUSIT IULIS.] Germanicum intelligit cui dicavit Ovidius Fastos suos quos *cum causis* inscripsit, ut patet in principio sui operis,

Tempora cum causis Latium digesta per orbem,
Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.
Excipe pacato Caesar Germanice vultu
Hoc opus, & timidae dirige navis iter:

Fuit autem Germanicus hic C. Caligulae pater Drusi & junioris Antoniae filius, Tiberio patruo adoptatus, ut refert Suetonius in vita Cai Caligulae; vir adeo Romano Populo gratus, ut cum Piso aegrum illum propter venenum subministratum gravissimis verborum, ac rerum acerbitatibus nullo adhibito modo affecisset, pene in reditu a Populo Romano discerptus sit, capitisque damnatus: de benivolentia erga illum populi Romani vel ex his Suetonii satis constat: *sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, prae turba occurrentium, prosequentiumve, nonnumquam cum discrimen vitae adiisse:* E Germania vero post compressam seditionem revertenti praetorianas cohortes universas prodiisse obviam, quamvis pronunciatum esset, ut duae tantummodo exirent, populi autem Romani sexum, aetatem, ordinem omnem, usque ad vigesimum lapidem effudisse se: Germanici dicti plures sunt imperatores: a Germania devicta: unde legimus Domitianum Germanici nomen assumpsisse, Septembremque mensem & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque transnominasse, auctores sunt Suetonius Domitiano, & Macrobius in primo Saturnalium, hoc nomen a Trajano etiam sumptum est, ut testatur Plinius in Panegyrico.

MATERNIS IULIS.] Alludit ad stirpem maternam ipsius Germanici, cujus mater fuit Antonia Octaviae Augusti sororis ex Antonio filia & ex Julia Caesar. prosapia: & potes intelligere, quam *lusit causam maternis Iulis* hoc est familiae Juliorum in cujus honorem Fasti descripti fuere: seu ad Ovi. seu ad suos proprios Germanici alludat; fuit enim ingenio poëtico praeditus, ut scribit Suetonius, ut qui causas oravit etiam triumphales atque inter cetera studiorum monumenta reliquit & comoedias Graecas: cui subscribit Ovidius libro primo Fastorum.

Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis:
Scimus & ad nostras quum se tulit impetus artes
Ingenii currant flumina quanta tui.

Julum autem & *Julos* appellamus lanuginem illam qua primum genae vestiuntur, unde & *Julios* denominatos volunt; Servius super eo Virgiliano in primo Aeneidos.

--- Cui nunc cognomen Iulo
Additur:

Scribit victo Mezentio Ascanium esse ceptum Julum vocari a prima barbae lanugine quae victoriae tempore illi nascebatur: cum Ascanius ab Ascanio Phrygiae fluvio antea cognominaretur: *Juli* a Plinio lib. xvi. Naturalis Historiae vocantur coryli fructus compactiles, ut *paniculae* breves in quibus est semen inclusum. illius sunt verba: *Ferunt & avellanae Julos compactiles nullo ad nihil utiles. Maternis Julis* quoniam multa in fastis in laudem Juliorum recensentur. Ovidius in quarto Fastorum.

Venimus ad felix aliquando nomen Iuli,
Unde domus Teucros Julia tangit avos:

Julius mensis qui antea Quintilis vocabatur in honorem Julii Caesaris, dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio consule Julius appellatus est, quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis Julius procreatus sit: ut scribit Macrobius libro primo Saturnalium: & Suetonius in Dictatore:

46. DUM POPULOS DEUS REGIT.] Sensus est, dum Augustus princeps imperabit terris bella quiescent: & dea Bellona morsus contra semet convertet: non ulterius contra populos, omniaque ad pacem & tranquillitatem redigentur: *Deus ipse*, princeps Augustus.

47 IMPIA BELLONA.] Quae bella minime pia exercet: est autem Bellona dea quae bellis praeest eadem-

denque Pallas, ut patet ex his Ovidianis versibus libro secundo Meta.

Vertit ad hanc torvi dea bellica luminis orbem,
Et tanto penitus traxit suspiria motu,
Ut pariter pectus positamque in pectore forti
Aegida concuteret :

Luca. in septimo ,

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans si verbere saevo
Palladia stimulet turbatos aegide currus :

De hac meminit Petronius Arbiter:

At contra sedes herebi qua rupta dehiscit
Emergit late Ditis chorus: horrida Erynnis,
Et Bellona minax, facibusque armata Megera,

Silius in quinto,

Ipsa facem quatiens ac flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona peterrat.

Bellona a *bello* dicta est nunc quae *duellona* a *duello* : ut scribit Varro libro primo Linguae Latinae , Antiqui enim *duellum* bellum dixerunt , quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur, inde & *perduellio* qui pertinaciter retinet bellum , *perduelles* quoque hostes vocitarunt : Plautus in Amphitryone,

Perduelles penetrant se in fugam, ibi nostris animus additus est,
Vertentibus Telebois.

Crimen *perduellionis* apud jure consultos est idem quod lesae majestatis : ut si quis ad hostes confugerit , vel hostes quoquo modo juverit: Sed sicuti haec dea multis praeest rebus, ut armis, lanificio, ingenio, ita urbium praesidium putatur, unde a Graecis *πολιοῦχος* appellatur propter quod protulit Catullus ,

Qualecumque quod o patrona virgo
Plus uno maneat perenne saeclo,

Ubi *patronam virginem* , non musam non Melpomenem intelligit poeta sed Palladem Ingenio faventem sicuti urbibus praesidentem, Graece enim *Ἀθηναία*, idest patrona appellatur quoniam civitatibus patrocinatur : unde dictum est a Marone in Alexi

--- *Pallas quas condidit arces*
Ipsa colat :

Scribit Macrobius libro primo Saturnalium Minervam esse virtutem solis quae humanis mentibus prudentiam subministret , ideoque hanc deam Jovis capite prognatam memorari, quoniam de summa aetheris parte orta sit. unde origo solis est : Fulgentius libro secundo Mythologicon , *de vertice Jovis natam putat dici, quoniam ingenium in cerebro positum sit : ideo armatam , quod munita sit : ideo huic Gorgonam in pectore addi , quasi terroris imaginem , ut vir sapiens terrorem contra adversarios gestet in pectore : ideo cristatam & galeatam ponit ut sapientis cerebrum & armatum sit : & nec non. longa hasta ideo praeditam quod sapientia longo verbo percutiat :*

Junctas Manus] Lego *vinctas* a vinciendo. Sic Virgilius in primo Aeneidos,

--- *Et centum vinctus ahenis*
Post tergum nodis fremit horridus ore cruento :

Videtur autem alludere ad fores templi Jani quas Romani tempore belli aperiebant pacis vero claudabant : unde *Clausius* & *Patulcius* Janus ipse dictus est a clausis & patentibus portis : Ovidius libro primo Fastorum :

Nomina ridebis modo namque Patulcius idem
Et modo sacrifico Clausius ore vocor :
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices :

Aperiendi autem vel claudendi templum ratio haec fuit. Romulo contra Sabinos pugnante cum jam vincerentur Romani calidam aquam ex eo loco scaturisse dicunt a qua Sabini fugati sunt. hinc ergo mos deductus ut pugnaturi templum aperirent in eo loco constitutum ad spem pristini auxilii. Alii dicunt Romulum & Tatium hoc templum icto jam foedere aedificasse propterea que Janum duas habere facies quasi ostendat duorum regum coitionem. auctor Servius & Macrobius Scribit idem Macrobius in primo Saturnalium , Mythicos referre Jano regnante omnium domos religione ac sanctitate fuisse munitas idcircoque ei divinos honores esse decretos & ob merita introitus & exitus aedium eidem consecratos. Janum quidam solem demonstrari volunt , & ideo geminum , quasi utriusque Januae coelestis potentem , qui exoriens aperiat diem , occidens claudat : portae Jani clausae sunt regnante Augusto cum pax esset facta cum Parthis & bella toto orbe cessarent, auctor Paulus Orosius in primo. scribit Suetonius , Janum Quirinum ab Augusto ter clausum fuisse , quod docet Philippus Beroaldus praeceptor meus *ter* legendum esse , non *tertio* , a quo velut fonte perenni multa emanarunt , emanantque quotidie doctrinarum condimenta , sed de ipso pauca , ne illum ingenium suum divino dono auctum , meis obolis ditare contendam , ut inquit Augustinus , scribens ad Hieronymum :

Spoliata telis.] Quae illi de manibus eripientur cessante discordia :

48. Torquebit.] In semet rediget , & convertet.

Suos morsus.] Morsu se lacerans, quoniam armis privata erit.

Vesanos.] Stultos , & male sanos : Pompejus , *vaegrande* significat male grande , & *vecors* mali cordis: *vesanus* , male sanus : Gellius libro quinto Noctium Atticarum *Vejovem appellaverunt dempta atque detracta juvandi facultate : ve enim particula quae in aliis atque aliis vocabulis variatim per has duas litteras, cum a autem littera media immissa dicitur, duplicem significatum eundemque inter se diversum capit : nam & augendae rei , & minuendae valet , sicuti aliae particulae , propter quod accidit ut quaedam vocabula, quibus particula ista praeponitur ambigua sint: & utroqueversum dicantur : vescum, vehemens , & vegrande, de quibus alio in loco uberiore tractatu admonuimus : vesanos autem & vecordes ex una tantum parte dici quae privativa est ; quam graeci κατὰ στέρησιν propter idest privativam particulam dicunt.*

In sua viscera.] In interiora corporis: *viscera* ut scribit Servius , super eo loco Virgilii in primo Aeneidos,

Tergora diripiunt costis & viscera nudant e

Non intestina tantum sed omnis caro sub tergore est : unde in Albano Latinis visceratio dabatur idest caro : nominativus est hoc viscus.

49. Et modo quae toto.] Sensus est : bella civilia quae dispalavit pridem per totum orbem secum geret cessante furore civili : *dispulit* dilatavit , & propa-

pagavit: *differre* modo significat spacium temporis dare: ut apud Virgilium in texto.

Distulit in seram commissa piacula mortem:

Modo diffamare, & divulgare, ut apud Lucilium libro XXIX.

Gaudes cum de me ista foris sermonibus differs:

Et apud Varronem de Vita Patrum libro tertio, *Si modo civilis concordia exequi rationem praeter cumeret sermo differant, licebit nos quoque tarpant:* auctor Marcellus.

Toto orbe.] Quia pugnante Caesare, & Pompejo pene totus mundus conflixit, hinc & illinc Pompejo vel Caesari devoti, unde cecinit Lucanus in Septimo.

--- Segnis pavidusque vocatur,
Ac nimium patiens soceri Pompejus, & orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
Juris habere sui vellet pacemque timeret,

Apud quem ita conqueritur Pompejus:

--- Quantum scelerum, quantumque malorum
In populos lux ista feret:

Silius in tertio decimo de Caesare & Pompejo loquens.

--- Quantae moles cum sede reclusa
Hae tandem erumpent terraque marique movebunt,
Heu miseri quotiens toto pugnabitur orbe:

Ad quod respiciens Petronius Arbiter, ita cecinit.

Alta petit gradiens juga nobilis Appennini
Unde omnes terras atque omnia littora posset
Aspicere: & toto fluitantes orbe catervas:

50. Nullos deflebit Roma Ph.] Sensus est: nulla erunt bella civilia in Philippitis campis sicuti antea fuerunt, ut ob cladem, & ingentem Romanorum stragem dolenda sint orbis parentibus: Philippi civitas est Thessaliae, in qua primo Caesar & Pompejus postea Augustus & Brutus cum Cassio dimicaverunt: Virgilius in primo Georgicon.

Ergo inter sese paribus concurrere telis:
Romanas acies iterum videre Philippi:

Petronius Arbiter.

Cerno equidem gemino jam stratos marte Philippos

Et Luca. in fine septimi de Philippis meminit his.

Hesperiae clades & flebilis unda Pachini,
Et Mutina & Leucas puros fecere Philippos:

A Philippo autem Macedonum rege, & ejus conditore Philippi dicti sunt & ab his Philippense bellum quod in his gestum: Suetonius in Augusto, *bella civilia quinque gessit: Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum.*

51. Deflebit.] Valde flebit quoniam innumeri cives illa clade peribunt; dictum est a Lucano,

Quae seges infecta surget non decolor herba,
Quo non Romanos violabis vomere manes.

Ducet captiva triumphos.] Idest nulli captivi Romani ducentur in triumphum Romam, sicuti tempore victoriae Caesaris, a quo Scipio & Pompei filii devicti in triumphum deducti fuere, cum de cive Romano nephas esset triumphare: & hic fuit novissimus ipsius Caesaris, ut auctor est Suetonius, qui Hispaniensis dictus est, quoniam in Hispania Pompeji filii devicti fuere, ut scribit Plutarchus in vita Caesaris, *Hoc ultimum a Caesare gestum bellum de quo cum triumphum ageret, dolore permaximo Romanum affixit populum: non enim exteros ab eo duces aut barbaros in eo debellatos reges, at quum optimi viri, & certe Romanorum praestantissimi, filios, ac stirpem, per quosdam fortunae successus funditus delesset, inter patriae miserias pompas ac triumphum adstaret quibus in rebus exultare iniquissimum erat:* Captiva pro ipsis captis, dicitur autem *Roma captiva* quoties de suis triumphatur civibus: horum magnam turbam a Caesare interfectam author est Plutarchus: captivi dicuntur qui in bello capiuntur: unde *Captivi* Plautina inscribitur fabula ex duobus illis captivis in praelio interceptis. Virgilius in secundo Aeneidos.

Quidve ferat memoret, quae sit fiducia capto:

52. Subigentur.] Domabuntur, & vincentur: *Subigere* enim significat superare & sub ditione habere ut apud Virgilium in primo Aeneidos.

Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

Itaque hic accipitur: alias *subigere* acuere, ut apud Virgilium in. XII. Aeneidos.

--- Subiguntque in cote secures,

Modo exercere, & mollire, ut apud Ciceronem libro secundo de Oratore, *Subacto mihi ingenio opus ut agro non semel arato, sed novato,* author Marcellus: *Subigere* aliquando in obscenum significatum accipitur: unde jocus est sutoris cujusdam interrogati a Planco, quo se artificio tueretur: *Gallam Subigo*, quod non infacete in adulterii exprobrationem convertit, cum sutorium instrumentum intelligeres, auctor Ma. lib. 10. Satur.

Tartareo carcere.] Inferna profunditate: sunt enim Tartara ut inquit Ser. super eo Vir:

--- Bis nigra videre
Tartara:

Loca inferorum profundissima: Plato in. IIII. de fluminibus *apud inferos quod sint. in his unum tartarum appellat:* a tartaro fit *tartarinum*, ut,

Corpore tartarino prognata palude virago.

Et *tartarius* ut apud Valerium Flaccum,

Tartareo tum facta Jovi:

Tartari autem origo Graeca est auctore Marco Varrone li. ter. de Lingua Latina, hoc plurimi carcerem inferorum appellaverunt: unde dictum est a Tertulliano in Apologetico, *in imum tartarum demerserit, quem carcerem poenarum infernarum cum multis affirmatis:* de tartaro fit mentio ab Apulejo li. sexto de Asino Aureo, his verbis: *nam si spiritus corpore tuo semel fuerit sejugatus, ibis quidem profecto ad imum tartarum, sed inde nullo pacto redire poteris:* *Bella* a *beluis* dicta sunt quia belluarum sit perniciosa dissensio, antiqui *duellatores* dixerunt, & bellatores *duellatores*. Plautus in Captivis.

Valete judices justissimi domi belloque duellatores optimi.

Bellum aliquando dicitur elegans & prudens auctore Marcello: a *bello* fit *bellicosus*: quem *bellosum* antiqui dixerunt. Cecilius, *tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus.* & *bellator* & *bellatrix*, Claudianus de nuptiis Honorii.

Stent bellatrices aquilae saevique dracones:

53. Immergant,] Ingurgitabunt sese, *Mergere* enim est sub aquis se immittere, unde *mergi* aves quod

se mergant sunt appellati, in aquaque captent escam, auctore Varrone: *immergere* significat intus mergere, sicuti *immittere* intus mittere.

LOCEMQUE TIMEAUNT.] Non audebunt ante ora mortalium proferre se, sed tenebris obducta latebunt.

54. CANDIDA PAX ADERIT.] Sensus est.] depressis bellis, ac longe fugatis omnia quieta, cuncta pacis erunt candore referta, non simulata pace, quemadmodum ante expugnato hoste extero civilia exerceverunt bella: sed candida & pura, nullove maculata livore: *Candida pax* vel sincera & pura vel albo colore culta, & veste candida: nam ut inquit Plutarchus in Problematis, *solum album sincerum ac purum & minime inquinatum est*: fidem quoque cultam manu albo panno involuta refert Servius, ut ostendat fidem esse debere secretam, ad hoc alludens Juvenalis, videlicet quod uno eodemque modo coleretur eas conjunxit ita scribens Satyra prima,

Ut colitur Pax atque Fides: Victoria, Virtus:

Olim Paci arae publice sunt factae ab Atticis, eique deae pulvinar institutum, cum Lacedaemonii ab Atheniensibus pacem reposcerent & in mari duces essent: Author Aemilius Probus in Timothei vita. Templum Pacis foro proximum fuit ut scribit Suetonius, de quo ait Martialis,

Limina post Pacis Palladiumque forum.

Ad Pacem alludens Petronius Arbiter, quod niveo colatur panno, & manibus alba veste indutis ita reliquit,

Pax prima ante alias niveos pulsata lacertos
Abscondit galea victum caput, atque relicto
Orbe fugax, Ditis petit implacabile regnum.

LIBERA MARTE PROFUSO.] Soluta a bellis exteris, unde occasio data civilibus plerumque: quia enim cives saepe ad discordiam excitamnt. quod nunquam apparuit Romanis cum exteris bella gerentibus, quandoque etiam inter se discordes Romani hoste interveniente aliquo inter se reconciliati sunt, ut legimus apud Livium, Plutarchum & caeteros scriptores. Hinc Carthaginis diruptionem avertebat Scipio, sciens, donec foris essent hostes nullam intus dissensionem inventuram: Juvenesque ita exercitatos futuris hostibus timori fore. nam ut scribit Vegetius libro secundo de Re Militari, II. *tumultum praecipue movere solent, qui in sedibus otiose, delicateque vixerunt, nam asperitate insolitis laboris offensi, quem in expeditione sustinere necesse est, praeterea metuentes praelium, qui armorum exercitia declinant, ad hujusmodi praecipitantur audaciam?*

57. DIFFUDIT.] Valde fudit, hoc est sparsit, & dilatavit, & est praeteritum a *fundo*, n. enim ante *do* habentia *o.* in *i*, mutant in praeterito perfecto & si ante *n. u.* vel. *i.* habuerint, amittunt *n.* ut *fundo fudi*, & *scindo scide*: Auctor Priscianus libro decimo.

PUBLICA DISCORDIA] Odia civilia: & est accusativus pluralis, sicuti apud Virgilium in secundo Aeneidos.

- - Atque ora sono discordia signant.

Catholica sententia est illa Salustiana, *Concordia parvas res crescere, discordia maximas dilabi*, quod repetitum est ab Orosio, libro secundo his verbis, *Verum tamen sapientissimi omnium Athenienses, etiam suis malis satis docti concordia minimas res crescere, discordia maximas labi, cunctaque vel bona, vel etiam mala, quae foris geruntur, internis esse radicata & emissa principiis, domi abstersere odia, & foris bella protulerunt*: hinc dictum est a Petronio Arbitro,

Factum est in terris quicquid discordia jussit:

Apud eundem poëtam talis est Discordiae descriptio:

- - - Hujus in ora
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant,
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens: obsessa draconibus ora:

Antiqui *discorditatem* pro discordia dixerunt auctore Marcel. Pacuvius in Hermiona,

Quantamque ex discorditate cladem importem familiae.

Graece. Διχόνοιαν *discordiam* appellant Διχόνουν *discordem*:

TACITO FERRO.] Paulisper quiescenti, sed mox evaginando, id est, quia tacite serpit discordia.

OMNE SIMUL VITIUM.] Sensus est: ipse Aug. simulatam pacem longe discedere jussit & omnia conciliata reddidit: dixit autem *vitium simulatae pacis*, quia quotiens res aliqua bona deteriori additur, & cum ea miscetur dicitur *vitiari*, ut unguenta & caetera quae adulterantur ex falsis & surdis unguentis: sic & pax commista cum simulatione, cum non sit pura, candida & ex natura sui, dicitur *vitiata*: Persius Satyra tertia,

Haec Calabrum texit vitiato murice vellus.

Vitiare aliquando est stuprare & pudicitiam imminuere, ut apud Plautum in Aulularia, Liconides istius *vitiat filiam*. Terentius in Eunucho,

Virginem, quam herae dederat dono miles, vitiavit.

59. INSANOS ENSES.] Pro ipsis insanis, qui fratri nato, parentive non pepercere: unde dictum est a Lucano libro tertio Pharsaliae,

Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.

Scribit Appianus libro secundo, in praelio Pharsalico illo quod gestum est inter Pompejum & Caesarem, cives simul cognatos, amicos, nonnullosque fratres concertasse. in illaque pugna, ex parte Caesariana equestris ordinis ad quadraginta ex illustrioribus, & ex reliquo exercitu quinque supra viginti millia cecidisse, ex parte Pompejana, sex millia solum interiisse.

CLEMENTIA.] Legendum est *dementia* ex antiquis codicibus.

60. NULLA CATENATI,] Ut fuit Mario Romam repetente, qui nulli pepercit, nam ut scribit Plutarchus in ejus vita, *signum dederat uti omnes occurrentes, quos ipse non salutabat & omnes quorum saluti non responderet, in vias necarent*. de qua re Lucanus in secundo,

Ne-

Nobilitas cum plebe ruit, lateque vagatur
Ensis, & a nullo revocatum est pectore ferrum:

Idem paulo post,

Saeva tribunitio maduerunt robora tabo:

Vel referas ad Syllae facinus, nam, ut scribit Appianus in primo de Bellis Civilibus, *senatores omnes qui cum Mario Praeneste bella gesserunt, partim interfecti sunt, partim in vincula conjecti, quos Sylla adveniens interfecit ad unum:* potes & ad hoc referre quod scribit Suetonius in Augusto, *quare caeteri & in his M. Favonius, ille Catonis aemulus, quum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, hunc foedissimo convicio coram prosciderunt*, quod accidit Philippense post bellum, quod gestum est contra Brutum & Cassium.

SENATUS CATENATI.] Id est catenis vincti, *catenati labores* appellantur ab Epigrammatario quadam serie connexi, & continui, ut catena illo versu in primo,

Expectant curaeque catenatique labores.

FERALIS POMPA.] Lugubris & dira: & dicitur proprie funeralis hoc est quae corpori humano exhibetur: unde & *feralia festa* quae fiebant in honorem mortuorum, sicut apud nos die quotannis illis dedicato. de feralibus Ovidius libro secundo Fastorum:

Hanc quia justa ferunt dixere feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa dies.

Feralem pompam funeralem itaque appellavit L. Apulejus libro octavo de Asino Aureo his verbis, *funus vero toto feralem pompam prosequente populo deducitur ad sepulturam*, ab eodem *feralia officia* nuncupantur exequialia libro nono, ob hoc ita *ferales cupressos* dixit Virgilius in VI. quoniam exequiis sunt dicatae ut suo dicemus loco.

61. CARNIFICUM OPUS.] Carnifices appellantur hominum tortores & occisores: quos lingua vernacula *boias* vocant, a bois fortasse innectendis: Suetonius in Nerone, *viginti uno die abjecti tractique, inter eos pueri, & feminae, immaturae puellae, quia more tradito nephas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae. carnifex* a Graecis δήμιος dicitur, *carnificina* vero, est locus ubi trucidantur homines: Suetonius in Tiberio, *carnificinae ejus ostenditur locus Capreis, unde damnatos per longa & exquisita tormenta praecipitari coram se in mare jubebat: carnificinam facere* significat officium carnificis exercere: Plautus *vel carnificinam hunc facere possum perpeti:* apud eundem putat amator in Cistellaria, primum amorem carnificinam commentum apud mortales fuisse: *carnifices epulae* dicuntur a Claudiano, quae velut carnifex hominem excruciare solent veneno illis commixto, ita enim inquit in Gildonem:

Finis quisque tero tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumspicit enses:

LASSABIT.] Lassum reddet. Juvenalis Satyra sexta.

Et sedit donec lassis sedentibus axe
Intonat horrendum.

Lassum enim appellamus, fessum, & nimio labore depressum: Statius in primo Silvarum,

- - - Lassum Steropem Brontemque reliquit:

Delassatus etiam dicitur valde fatigatus: Plautus in Asinaria,

Ibi labore delassatum noctem totam stertere:

Et *lassitudo* ipsa defatigatio: Plautus in Captivis,

- - - Quanta callo calamitas,
Quanta lanius lassitudo quanta porcinariis.

CARCERE PLENO.] *Carcer* ut scribit Livius libro primo, in media urbe imminens foro fuit, ab Anco Martio Romanorum rege aedificatus, ubi cives inclusi detinebantur, & ut plurimum necabantur, ex robore praecipitati, qui locus est in carcere, ex quo sontes detrudebantur ad necem: unde dictum est a Plauto in Curculione loquente Cappadoce lenone,

Ego vos ambo in robusto carcere ut pereatis,

Minitante supplicium illud carceris inde est illud Apulejanum, *ô mirum commentum ô scelus dignum carcere & robore.* Et apud Lucretium fit mentio *roboris* istius cum inquit,

- - - Robur, pix, lamina, taedae.

Ad quod vergit illud Satyrographi poëtae ex secunda satyra.

Horrida quale facit residens in codice pellex.

Quae tamen ante nos recognovere Philippus Beroaldus & Joannes Baptista Pius, patriae soles, praeceptoresque nostri.

62. INFELIX CURIA.] Quae sine patribus nulla videtur: *curia* a *curando* dicta, curiae duorum generum fuere ut docet Varro libro primo de Lingua Latina. nam curiae veteres, ubi curarent sacerdotes res divinas & ubi senatus humanas. curia Hostilia ab Hostilio rege aedificata a *Curiis* dicti sunt *Curiones*, qui creabantur, ut in his sacra celebrarent: unde & *curionia sacra*, quae ab his fiebant: *curiosus* a Apuleio appellatur qui plurima curet scire, cujus subjecta verba ex libro primo de Asino Aureo, *non quidem curiosum, sed qui velim scire vel cuncta, vel certe plurima:* Agnus *curio* dicitur a Plauto, qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet ut ipse inquit in Aulularia.

RARUS PATRES.] Quoniam partim caesi, partim expulsi fuerant bellis civilibus. unde cecinit Petronius Arbiter,

Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites,
Rumoris sonitu moerentia tecta relinquunt.

Et Lucanus in primo,

Tu tantum audito bellorum nomine Roma
Desereris: nox una tuis non credita muris:

Scribit Plutarchus Sertorium quondam Senatorios ex urbe expulsos solitum nuncupare *senatum*, ducesque & quaestores ex eis deligere, & patriis legibus cuncta administare.

PATRES.] Scribit Plutarchus in Romuli vita ex

opti-

optimatibus Romulum centum creasse senatores. quorum collegium ex aetate senatum vocavit illosque patres dictos, vel quod hi sulum qui patres fuerunt creati possent, vel a patrocinio, quod existimarent Patronum quendam fuisse ex his qui Evandrum consecuti sunt, qui imbecillorum curam gessisset eisque praesidio fuisset, & ab eo huic rei ejusmodi appellationem mansisse vel quod ipsi probabilius, quia primores & potentes oporteret paterno officio & indulgentia humiliorum causam in fidem suam curamque suscipere: his itaque posterioribus diebus ascriptis in eum ordinem pluribus patres conscripti vocati sunt: scribit Livius in primo ab urbe condita, a L. Tarquinio centum patres fuisse creatos, non tam ad rem publicam augendam quam ad regnum suum firmandum & corroborandum, qui deinde Minorum Gentium (ut ipse ait) sunt appellati, factio haud dubia regis cujus beneficio in curiam venerant.

Plena quies.] Quae ad plenum cuncta quieta faciat.

64. Nescia stricti ferri.] Quae evaginatum ensem non agnoscat: *strictum ferrum* appellamus nudum & evaginatum: Suetonius in Dictatore: *utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit*: Marti. in primo.

Pectore nec nudo strictos occurrit in enses:

Virgilius in undecimo Aeneidos.

Strictum rotat acer Leucagus ensem:

Aliquando *stringere* pro vulnerare leviter accipitur, ut apud Virgilium in octavo Aeneidos.

--- Hunc primum levis hasta Themillae
Strinxerat:

Perstringere vero significat visum fallere & decipere, Cicero pro Rabirio Posthumo, *nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis*, Plan. *perstringam oculorum aciem in acie hostibus*: hinc *praestigiatores* dicti qui aciem oculorum *perstringant*, quos designavit Hora. ita scribens in primo Carminum.

Callidum quicquid placuit joco∫o
Condere furto:

Praestigiae inde dicuntur deceptiones & dolosae machinationes, divus Cyprianus scribens ad Cornelium, *namque ii, quibus in praeteritum praestigia obtendebantur & dabantur verba fallacia, qui simul ad ecclesiam regressuri dicerentur, postaquam viderunt illis pseudoepiscopum factum, frustratos & deceptos se esse didicerunt.*

64. Latialia regna.] Latium ut scribit Servius in enarratione ejus loci Virgiliani in primo Aeneidos, *Inferretque deos Latio*, duplex est: unum a Tiberi Fundos usque, alterum usque ad Vulturnum fluvium, dictum quod in eo Saturnus fugiens Jovem latuerit: scribit autem Solinus auctoritatem Plinianam in omnibus secutus, Latium antiquum antea a Tyberinis hostiis adusque Lyrim amnem pertinuisse: Semptonius autem, qui author vetustissimus ad manus nostras nuper pervenit, a Lyri usque ad Tyberim Saturnum cum priscis Aboriginibus fuisse originem, & montem Capitolinum aureo seculo a Saturno habitatum: ubi & nunc aurea Roma terrarum caput: Fabius vero Pictor haec scribit libro primo, *Etruriam a Janiculo Janus, Latium a Saturno Saturnus cognominavit, ad radices enim Capitolii Saturnum condiderat, ut Janus Janiculum.*

65. Altera regna Numae.] Numa Pompilius Romuli in Romano regno successor fuit. de quo haec Livius in primo ab urbe condita, *Inclyta justitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat: Curibus Sabinis habitabat, consultissimus vir ut in illa quisquam aetate esse poterat, omnis divini atque humani juris: hic ascitum Romam post obitum Romuli regnum adeptus est: ad unum omnibus Numae Pompilio regnum deferentibus*: ut scribit idem Livius. Numam Pomponii viri spectati filium e quatuor fratribus minimum fuisse scribit Plutarchus, cumque sorte divina quadam die natum qua Romulus urbem condiderat: huic praecepta Samium Pythagoram quidam dedisse existimaverunt, quod tetigit Ovidius in tertio Fastorum.

Sive erat a Samio doctus:

Quos tamen reprobat Livius, asserens suopte ingenio illi temperatum fuisse virtutibus animum, instructumque non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica & tristi veterum Sabinorum, quo genere quondam nullum incorruptius fuit: Numa in monte Quirinali primum, deinde propter aedem Vestae in regia quae adhuc ita appellatur habitavit, ut scribit Solinus: & cum regnasset annis tribus & quadraginta diem obiit, non celeri neque repentino obitu, sed senio ac leni deficiens morbo: ut scripsit Piso, non longe major octogenario, sepultus sub Janiculo ut recensuit Solinus.

Ovantia caede nomina.] Exultantia propter Romulum qui cum Ceninensibus, Antennatibus, Crustuminis, mox cum Sabinis, Fidenatibus, & Vejis bellum gesserat, ut meminerunt Plutarchus in ejus vita & Livius in primo ab urbe condita: unde dictum est ab Ovidio libro primo Fastorum.

Scilicet arma magis quam sydera Romule noras:
Curaque finitimos vincere major erat:

Ovare minus est quam *triumphare*, nam ut scribit Gellius in quinto, *Ovalis corona myrtea est qua utebantur imperatores, qui Ovantes introibant urbem*: Ovandi autem ac non triumphandi causa est, cum aut bella non recte indicta neque cum justo hoste gesta sunt, aut hostium nomen humile & non idoneum est, ut servorum piratarumque, aut deditione repente facta sine pulvere (ut dici solet) incruentaque victoria obvenit, cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Veneris quidam triumphus foret: Scribit Pompejus, *Ovantes* dici jactatores, ab eo clamore quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites geminata *o.* littera: existimavit Servius ovationem ab *ove* dictam quod ovantes uno equo uterentur & a plebeis sive equitibus Romanis ad Capitolium ducti de ovibus sacra facerent cum in triumpho bos immolaretur: scribit Plinius libro decimoquinto Naturalis Historiae, primum Posthumium libertum cum de Sabinis triumpharet ovantem ingressum urbem fuisse, quoniam leviter rem sine cruore gesserat eumque myrto Veneris victricis coronatum incessisse: quia postea haec ovantium fuit corona, excepto Marco Crasso qui de fugitivis & Spartaco laurea coronatus incessit, *ovatum aurum* appellavit Persius Satyra tertia, quasi precibus victum & a diis expugnatum, translatione decentissima, ob quod ovatio consequatur: putavit Joannes Baptista Plautius juvenis non minus doctrina quam moribus ornatus mihique singulari adjunctus fide, in Commentariis suis quae nuper in Persium edidit, *ovatum* ab *ove* de-

fe-

flecti, quod ovi albo aera & marmora argenti & auri laminis decoranda illinebantur.

66. ARDENTIA.] Inflammata ; nam ut inquit Lucanus in primo Pharsaliae.

--- Nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Et Claudianus in secundo contra Ruffinum

- - - Pollutaeque negant arescere fauces :

Primus quia Romulo successit, ut diximus.

INTER SACRA TUBAS.] Docet Livius quemadmodum clauso Jani templo Numa cum omnium finitimorum circa societate ac foederibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarent ocio animi quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat: imperitam multitudinem & illis saeculis rudem ad religionem deorum attrahere conatus sit hoc commento: simulat sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse, ejus se monitu quae acceptissima diis essent sacra instruere, Sacerdotes suos cuique deorum praeficere. unde ipsam Egeriam Numae conjugem appellavit Ovidius in tertio Fastorum, quod tamen multi fictum & fabulosum existimavere putavit Plutarchus esse possibile, quoniam caritas deo insit cum homine: & mixtum cui misceatur communionem vicissim aequalem reddere.

68. NON INTER BELLA SONARE.] Sensus est: sicuti Romulus adhibuerat ad praelia tubae signum: ipse Numa ad sacra convertit, quibus convenire putaverunt harmonicam rationem, nam ut scribit Livius, *Ita duo Reges, alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxere.*

Tuba.] Signum est militare quo excitantur milites ad pugnam obeundam, de qua intellexit Virgilius in VI. Aeneidos de Miseno loquens.

Aere ciere viros martemque accendere cantu.

Petronius Arbiter.

Armorum strepitu coelum furit, & Tuba mortem
Sideribus tenus acta ciet:

Quanquam in codicibus corruptis *armis* pro *tenus* legatur. Scribit Vegetius in Tertio Semivocalia esse signa, quae per cornua aut tubam aut buccinam dantur: Tubam quae directa est appellari, buccinam quae in semetipsam aereo circulo flectitur: cornu quod ex uris agrestibus argento nexum, temperatum arte, & spiritu quem canentis flatus emittit auditur. nam indubitatis per haec sonis agnoscit exercitus utrum stare vel progredi an certe regredi oporteat: utrum longe prosequi fugientes, an receptui canere. Olim inter Athenienses & Lacedaemonios induciis annuis factis illud decantatum est, *lateat utinam hasta mea quam diutissime:* & illud: *eos qui in pace somnum capiunt non tubarum strepitus sed gallorum excitat cantus:* auctor Plutarchus in Nicia: est & tuba exequialis, de qua Persius Satyra Tertia.

Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
Compositus lecto:

Et Propertius in secundo.

Ah mea tum qualis caneret tibi Cynthia somnus
Tibia funesta tristior illa tuba,

Ad hanc alludere videtur etiam Virgilius in Quinto cum inquit.

Et tuba commissos medio canit aggere ludos:

De funebribus enim loquitur ludis: a *tuba tubicines* dicuntur, sicut *a lituo liticines: siticines* autem appellatos fuisse scribit Gellius libro vigesimo Noctium Atticarum illos qui apud *sitos* canere soliti essent, hoc est vita functos, & finitos, ac sepultos, eusque habuisse proprium genus tubae, qua canerent a caeterorum tubicinum proprietate differens, quos *sicinnistas* vocant n. littera duplicata qui rectius locuti sunt: *Siticinnium* enim genus veteris saltationis fuit: Calpurnius vero hic tubam sacris accommodam intelligit, quam divinis rebus adhibere mos fuit antiquorum: refert Plutarchus in problematis, Numam Pompilium magnos honores tibicinibus contribuisse propter sanctitatem & cultum deorum, quod cum ipsi illis spoliatos se postea viderent ex urbe Tibur omnes contulerunt; Sed postmodum per libertum Romam reportati ac magistratibus reconciliati: Institutum est eo die quo Romam, idest Idibus Januariis, redierant, eodem habitu ornati per urbem incederent: quod autem tibicen in sacris adhiberetur declarat Censorinus de die Natali his verbis, de musica loquens. *nam nisi grata esset immortalibus diis, quae ex anima constant divina, profecto ludi scenici placandorum deorum causa instituti non essent, nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris aedibus adhiberetur; non cum tibicine triumphus ageretur Marti, non Apollini cythara, non Musis tibiae, caeteraque id genus essent attributa: non Tibicinibus per quos numina placantur esset permissum aut ludos publice facere, aut vesci in Capitolio, aut quinquatribus minusculis id est idibus Juniis urbes vestitu quo vellent personatis temulentisque pervagari:* ex quibus verbis Plutarchi locus supra memoratus corrigendus est, ubi praecipiti errore legitur *idibus Januariis* cum legendum sit *Juniis*: Festa enim haec Junio mense celebrabantur ut docet Ovidius in sexto Fastorum. quae ideo *quinquatrus minores* appellantur ad differentiam majorum quae erant post diem quintum idus Martii, ut scribit Marcus Varro Libro Secundo de Lingua Latina: *Lituus* aliquando ad similitudinem litui augurum retortus pro tuba accipitur ut apud Virgilium in VI.

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta:

His addere libet, quae carmina ad ejus statum temporis allusisse scribit Plutarchus in ejus vita, ad hanc quidem rem facientia.

Hic callentis opus humor dominatur Arachnes e
Enses ancipites hastaque longior,
Aerea jam nusquam superest tuba: Ducere somnus
Non ipsi placidos palpebrae tollitur.

Nam ut idem refert, neque bellum, neque seditio, neque tumultus rege Numa in re publica traditur.

69. JAM NEC ADUMBRATI.] Sensus est: Jam non inquirent corruptelis & muneribus candidati consulatum & honores ut antea fecerunt, sed ordo & lex erit consulatus recta & incorrupta; ut sola ambiat virtus, scribit Suetonius in Dictatore, Caesarem Lurium Luceium ex competitoribus sibi adjunxisse, pactum, ut ille, quoniam inferior gratia esset pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine pronunciaret; solebant enim sibi pecunia suffragatores conciliare: refert Plutarchus in Caesare, populum epulo corruptum solitum cum funda in campum venire ut largitori suffragaretur, unde cecinit Petronius Arbiter.

Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad praedam strepitumque lucri suffragia vertunt:
Venalis populus, venalis curia patrum,
Est favor in precio, senibus quoque libera virtus
Exciderat: sparsisque opibus conversa potestas.
Ipsaque potestas auro corrupta jacebat:

Adumbratum honorem appellamus fucatum ac umbra sola non re vera existentem. nam sicuti umbra locum ubi sit fuscum & tenebrosum reddit, ita honorem offuscat quisquis non recto tramite ad honorem pervenire contendit. adumbrare apud Ciceronem significat decoramentis quibusdam exornare, ut mos est pictorum qui figuris suis umbras pro extrema exornatione adhibere consueverunt, hujus sunt verba in secundo de Oratore: *Quare nolito existimare me ipsum qui non heroum veteres casus fictosque luctus velim imitari atque adumbrare dicendo, neque actor sim alienae personae sed auctor meae, cum mihi Marcus Aquilius in civitate retinendus esset. quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse:*

Mercatus.] Data mercede & stipendio, nam *adumbratus* honor appellatur quoniam verus honor non est, qui ex suffragio pecuniarum provenit, virtute enim ambire oportet non fautoribus, ut inquit Plautus in Amphitryone. *Mercari* significat emere in hoc loco, sicut apud Virgilium in primo Aeneidos.

Mercatique solum facti de nomine Byrsam:

Unde *mercator* qui mercaturam exercet, & *Mercatura* exercitatio ipsa emendi & vendendi: Cicero libro quinto Tusculanarum Quaestionum, *nam ut quaestuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omnes tempestatis calamitate semper vacet, sed si multo majori ex parte extat in utraque felicitas, sic vita non solum si undique referta bonis est, sed si multo majore & graviore ex parte bona propendunt, beata recte dici potest. Mercimonium* a Plauto in Amphitryone dicitur contrectatio mercium cui rei praesulem Mercurium esse voluerunt, quem Mercurium quasi mercium curam dicere, ut auctor est Fulgentius libro primo Mythologicon, etsi aliter sciamus illa interpretari ab Augustino in septimo de Civitate Dei, *Ob hocque illi virgam serpentibus nexam adjiciunt, quod mercatoribus det aliquando regnum ut sceptrum, & vulnus ut serpentium, est dare ita ipsius aliquando lucrum quandoque dominium*, haec tamen ultima verba in codicibus impressis desiderantur.

70. Tacitus consul.] A nullo declaratus magistratu ut mos fuit: scribit Appianus in secundo, Caesare Romam reverso, adhuc trepidante populo, illum Dictaturam usurpasse, cui per 11. tantum dies praefuit, Consulem vero se in futurum designavit, Pompejumque Isauricum collegam assumpsit.

Vacuos.] Sine consulibus, quibus erat succedendum: primi consules post exactum Tarquinium Superbum comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus, auctore Livio libro primo ab urbe condita.

Inane Tribunal.] Vel vacuum, nam adventante Caesare consules effugerunt ex urbe ut auctor est Plutarchus in Pompejo, vel sine justitia inane quodammodo: *Tribunal* dicitur locus excelsus, in quo qui tribubus jus reddunt considere solent: Plinius libro decimosexto Naturalis Historiae, *illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi aestus: Suggestus* vero dicebatur unde concionabundi imperatores milites alloqui consueverant: Cicero in quinto Tusculanarum Quaestionum, *idemque cum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat:* Scribit Plutarchus, Catonem concionantem e suggestu a ministro quodam arreptum fuisse, cum Pompejo & Crasso adversaretur: Tribunal cespititium a Flavio Vopisco appellatur ex cespite factum: hic tamen pro tribunali magistratuum accipitur ut diximus.

Fasces] Ne hoc caecutientibus oculis praetereamus, dicebantur a fascibus lictorum, qui ante consules cum virgarum fascibus securibus adalligatis anteibant: Suetonius in Caesare Dictatore, *Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet accensus ante eum iret*, Claudianus in consulatum Honorii,

Tertia Romulei sumant exordia fasces:

Ubi *fasces* pro consulatu intelliguntur, qui magistratus annuus fuit ut docet Livius in secundo, *cautumque erat ne si ambo fasces haberent duplicatus terror videretur, ut unus tantum fascibus esset insignitus:* Brutus prior, concedente collega, fasces habuit ut idem est auctor, qui non acrior judex libertatis fuerat, quam deinde custos libertatis: Scribit Plutarchus in Proble. morem fuisse adalligandi virgas securibus, ut virgarum dissolutio mora & tarditate iram frangeret & moderaretur, & quum malicia partim medicabilis est, partim curari non potest, virgae quod mutari posset corrigerent, Secures autem quod emendari non posset abscinderent: lego apud Valerium in secundo, institutum fuisse a majoribus, nequis se inter consulem & proximum lictorem quamvis officii causa una progrederetur interponeret, filio dumtaxat, & ei puero, ante patrem consulem ambulandi jus erat, qui mos adeo pertinaciter retentus est, ut Q. Fabius Maximus, quinquies consul, vir etiam pridem summae auctoritatis & tunc ultimae senectutis, a filio consule invitatus, ut inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitium turba, ad quorum colloquia descendebat, elideretur: id facere noluerit.

72. Jus aderit.] Praesens erit, Jocus est apud Gellium lib. primo Noctium Atticarum Praetoris cujusdam, cui cum advocatus quidam assisteret postularetque ut quam causam diceret remque quae agebatur non attingeret, & praetor ei cui res erat dixisset advocatum eum non habere, quumque is qui verba faciebat reclamasset, *ego illi vir clarissime supersum*. Respondisse praetorem festiviter refert: *Tu plane superes non ades*, cum *superesse* supervacare significet, *Adesse* vero se advocatum alicui praebere: Plinius Caecilius in Tertio epist. *Aderam inquit Bettio meumque Licinus Avinus:* aliquando vero significat praesentiam sui praebere, ut apud Virgilium in primo Aenei.

--- Coram quem quaeritis adsum
Troius Aeneas:

Et apud Ovidium in tertio Fastorum.

Mars ades: & nitidas cassida solve comas.

Vultum priorem.] Reformatis & reductis legibus ad suam primam faciem.

73. Melior deus.] Augustus.

Auferet.] Abolebit. *Auferre* significat tollere & asportare: Terentius in Andria.

Vel

Vos isthaec intro auferte.

Scribit Donatus *auferri* ea proprie quae cum fastidio cernuntur. *Ferri* ea quae cum honore tractantur: Mendum est apud Plau. in Amphitryone; ubi *auferre* passim legitur cum legendum sit *efferre* quod est mortuorum proprie: verba ejus supposui ut errorem evidentius recognoscas:

Faciam ego hodie te superbum nisi hinc abis: Sosia: quonam modo?

Cui respondet Mercu.

Auferere, non abibis si ego fustem sumpsero:

Tu vero lege *efferere*.

AEVUM.] Afflictum, aetatem multis calamitatibus affectam.

74. EXULTET QUAECUNQUE NOTUM.] Quattuor mundi partes describit, hoc est cardines habitationum, orientem scilicet, occidentem, septemtrionem, & meridiem: quorum unam partem colere dicuntur qui Incolae, alteram qui circumcolae, tertiam qui Anticolae, Quartam qui antipodes vocari sunt, ut scribit Cleomedes de contemplatione orbium excelsorum: super his cardinibus est & longa apud Macrobium disputatio libro secundo de Somno Scipionis. Scribit Livius in primo ab urbe condita Numam, sicut Romulus urbem augurato condiderat, regnum adipisci voluisse, in arcemque deductum ad meridiem versus consedisse, ubi augur ad laevam ejus capite velato sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quo Regiones finivit ab oriente ad occasum, dexteras Meridiem partes, laevas ad Septemtrionem definiens. cum totum mundum mente concipere vellet qui his quatuor partibus continetur: hos itaque cardines ita descripsit Cicero in Libro de Re Pu. *vides habitari raris & angustis in locis & in ipsis quasi maculis ubi habitatur vastas solitudines interjectas, hosque qui incolunt terram non modo interruptos ita esse ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis, a quibus expectare gloriam certe nullam poteris.* Sed ut lucidius intelligas poëtae sensum, scito per Notum depressum significari meridem, quoniam meridionalis ventus est Notus, Auster a nostris appellatus: per Boream erectum Septentrionales partes quae altae sunt ac plurimum ab orizonte sublatae, sicut australes humiles & ad orizontem depressae ut scribit Cleomedes de Contemplatione Orbium: quod refert & Higynus de mundi & sphaerae declaratione his verbis, polus is qui Boreus apellatur pervideri potest semper, Notus autem ratione dissimili semper est a conspectu semotus: hae duae partes a Graecis Mensuranium & Eurogeon appellantur sicut ortus & occasus Anatole & Clisis: ut auctor est Julius Firmicus libro primo Matheseos.

75. NOTUM JACENTEM.] Meridionalem plagam depressam quam ita describit Lucanus in nono Pharsaliae,

Jamque iter omne latet nec sunt discrimina terrae
Ulla: nisi aetherae medio velut aequore flammae,
Syderibus novere viae, nec Sydera tota
Ostendit Libycae finitor circulus orae:

ERECTUM BOREAM] Septentrionalem plagam unde venit boreas. *Ortus* qui a dextera parte est, sicut *occasus* a sinistra: naturalis enim mundi statio in boreo polo finita est. ut omnia a dextria partibus exoriri in sinistris occidere videantur: *exortus* ut docet Higynus est subita quaedam species objecta nostro conspectui: occasus vero pari de causa est ut erepta ab oculis visa: Sed quoniam in partes & mundi cardines incidimus qui per ventos plerumque denotari consueverunt, non erit absonum, si quae de ventis cardinalibus a Plinio & Gellio mutuati sumus exponere. sunt ergo cardinales venti quatuor, Eurus sive Vulturnus: ita enim a Latinis appellatur ex autoritate Pliniana a Graecis Eurus: Auster sive Noctus, Africus sive Libs: Favonius sive Zephyrus: quos ita describit Virgilius in primo Aeneidos,

Unaque Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.

Paulo post Aquilonem quartum illis adjungens. Notus ut scribit Gellius in secundo, meridionalis est ventus is Latine Auster, Graece Notis nominatur, quoniam est nebulosus atque humectus. *νοτὶ* enim Graecee humor nominatur, Auster, ut notat Macrobius in secundo de somno Scipionis, ita in origine sua gelidus est ut apud nos comendabilis est blando rigore. Septentrio Aparctias dictus, sed quia per flammam torridae Zonae ad nos commeat admixtus igni calescit, & qui incipit frigidus calidus pervenit. Boreas vero ab aestiva & solstitiali orientis meta venit, Latine Aquilo Graece Boreas dicitur, eumque propterea *αἰθρηγενέτην* serenitatem facientem appellatum volunt: hinc dictum a Propertio,

Et nobis Aquilo Cynthia ventus erit:

Hoc est Serenitas & jocundior vita. ita Plinius libro decimoseptimo Naturalis Historiae hyemem Aquiloniam, hoc est, aquilone regnante serenam appellavit his verbis: *Hyemem quidem aquiloniam esse omnibus satis utilissimum*: quod & sensit Lucanus scribens in nono Pharsaliae,

- - - Arctos raris Aquilonibus imbres,

Accipis, & nostros reficis sua tura serenis:

Ideoque sudificus a Virgilio dicitur id est sudum & serenum faciens. ab Homero,

Καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Id est,

Sudificusque altos aquilo rotat impete fluctus.

Scribit Herodotus libro septimo Historiarum Athenienses Boreae templum ad Illisium amnem extruxisse, quod contra barbaros (ut ipsi existimabant) extitisset. Aquilones prodromi a Plinio appellantur id est praecursorii, qui caniculae exortum diebus octo ferme antecedunt: iidem post biduum exortus constantius diebus quadraginta proflantes etesiaeqnos latine anniversarios dicimus: hunc aquilonem ventorum saluberrimum omnium existimat idem Plinius, Noxium Austrum & magis siccum: hos situ tamen mutare naturam certum est, siquidem Auster Africae serenus est, Aquilo vero nubilus: hic Ismaricus a Dionysio de situ orbis vocatur, quod Ismara colat & hyperboreos montes: unde & *erectum* appellat eum poëta quoniam ad montes elevatur: Priscianus in interpretatione Dionysii,

Post hunc est geminum mare vastum fluctibus atris,
Fundit quas Ismarius Boreas quod tunditur atris:

 76. MI-

76. MEDIO SUB AETHERE.] Hic non intelligas meridionalem plagam de qua superius, sed aequinoctialem circulum hysmerion a Graecis appellatum, ad cujus orbem cum pervenit Sol aequinoctium conficit, hunc mediam Zonam perustam secare putat Macrobius: onde ambiguum est eam partem habitabilem esse.

77. CERNITIS UT PURO.] Ex augurio quod eventurum est praedicit, ut apud Virgilium Venus,

Aspice bissenos laetantes agmine cygnos.

78. NOX FULGET.] Splendore & luce & stellarum, quod tamen nisi sereno caelo contingere non potest & in aëre purificato.

79. PLACIDUM RADIANTI LUCE COMETEM.] Scribit Plinius in secundo Naturalis Historiae cometas quos Graeci ita vocant, nostri *crinitas* horrentes crine sanguineo & comarum modo in vertice hispidos esse, quorum cum multae tradantur species videndum est & indagandum quem intelligat Calpurnius pro *placido*: Terrificum enim magna ex parte est sydus, ac non leviter piatum: adducor autem ex authoritate Pliniana ut candidum cometem a poëta nostro intelligi asserere ausim, quoniam nullum est sydus hac luce radianti praeditum, sed aut in mucronem sunt fastigiati nullo splendore, aut jaculi modo aut coronas speciem habentes, aut ardentes veluti faces: fit autem candidus cometes (ut verbis utar Plinianis) argenteo crine ita refulgens ut vix contueri liceat, specieque humana dei effigiem in se ostendens: notat Servius, grammaticorum Homerus, Cometas esse bonos, si facti sint ex Venere vel Jove: opinio est regni permutationem portendere cometem, unde dictum est a Lucano,

- - - Mutantem Regna cometem,

Et a Juv. Sat. VI.

Instantem regi Armenie Parthoque cometem.

Observatum est quoquam in occasura coeli parte cometem videri: hinc manifestus percipitur error illorum qui stellam quae in ortu Redemptoris nostri apparuit putant fuisse Cometem: quae ab oriente ad meridiem versus occasum movebatur, quod non facit cometes, ut retulit Chrysostomus.

RADIANTI LUCE.] Id est argentea qui color liquidus est & purus unde sequitur liquidum Sydus.

79. PROFERAT.] Demonstret.

NUTAT.] Resplendeat: ontste enim videntur radii & in quodam persistere motu: est autem proprie capitis *nutare*: ut notat Marcellus. de quo verbo plura inferius:

SINE VULNERE.] *Refert*, inquit Plinius, *in quas partes sese jaculetur aut cujus stellae vires recipiat, quasque similitudines reddat & in quibus locis emicat*: tu intellige a quo nullum bellum seu vulnus portendatur.

80. NUNQUID UTRUNQUE.] Scribendum est: *non per utrumque polum*. ex integro codice: & est sensus talis: non currit lampas multo igne per utrunque polum portendens futura bella quae his plerumque signis deprehendi consueverunt, sed candidus & solam denuntians quietem: *Lampas*, ut inquit Plinius, *ardentes imitatur faces, sicut pogoniae inferiore ex parte in speciem barbae longe promittitur juba, Acontiae jaculi modo vibrantur: Xiphiae gladii mucrone fastigiatae, Chryseus aureae: Pitheos doliares sunt, Hippeus equinis jubis, Tryphon Ignea specie a rege accepto nomine*. Legendumque *Tryphon* est apud Plinium non *Typhon* ut passim invenitur: Lampas describitur a Virgilio in secundo Aeneidos his versibus,

- - - De caelo lapsa per auras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit,
Illam summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idea claram se condere Sylva,
Signantemque vias, tum longo limite sulcus,
Dat lucem & late circum loca sulphure fumant.

Talis fax Germanico Caesare gladiatorum spectaculum edente, praeter ora populi meridiano transcurrit: ut author est Plinius: harum duo traduntur genera, Lampades de quibus diximus: & Alterum genus *Bolides* appellatae, quae perpetuo ardentes longiorem trahunt limitem.

81. AT QUONDAM NON TALIS ERAT.] Rapto Caesare legimus stellam crinitam edente ludos Augusto per septem dies continuos fulsisse: quo signo significati credidit vulgus Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam: ad quod allusit Maro in Bucolicis,

- - - Dionei processit Caesaris Astrum:

Sed ego nullo pacto de hac intelligendum esse censeo, cum salutare terris id fuerit ut auctor est Plinius, verum de bolide Poëtam intellexisse contenderim (excepto tamen meliori semper majorum judicio quibus digitum ierare consuevi) auctoritate suffultus Pliniana, clarius equidem enarranda, ita enim scribit in secundo: duo genera earum lampades vocant plane faces, alterum, bolidas, quale Mutinensibus malis visum est: ubi Mutinense malum intellige bellum, quod Augusti tempore adversus Antonium Hirtio & Pansa consulibus intumuit, Historiam refert Plutarchus in vita Antonii, & Suetonius in Augusto: Potes etiam referre ad signa quae post Caesaris mortem apparuisse constat: de quibus Vir. in primo Georg. de sole loquens,

Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit:

Et paulo post,

Non alias caelo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometae:

Ad quae allusit Tibul. in secundo cum inquit,

Haec fore dixerunt belli mala signa cometem,
Multus ut in terras depluerit que lapis:

Sed & illud post mortem Caesaris contigisse nulli est dubium: scribit Appianus in quarto lupos per forum discurrisse: bovem humanam emisisse vocem: infantem ut subito genitus est elocutum: Simulachra quaedam sudorem, quaedam sanguinem emisisse: Imbres pluisse lapideos continuaque fulmina in templis & statuis decidisse: quod significavit Horatius in primo carminum his

Jam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater & rubente
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem:

Retu-

Retulit & Eusebius tres Romae soles visos in eundem orbem coiisse, quod signum fuit conjurationis futurae inter Octavium Augustum, Antonium, & Lepidum.

83. FATALIA ARMA.] Ad quae fato impellebantur: fatum enim inevitabile est, &, ut inquit Juvenalis,

Fata regunt hominem,

Itaque conqueritur Ceres apud Claudianum,

- - - Sic Numina fatis
Volvimur & Lachesis nullo discrimine saevit:

Immo fato *stat Juppiter ipse*, ut inquit Tertullianus in Apologetico, *Fata*, ut scribit Seneca, *nos ducunt, & olim constitutum est quid gaudeas quid fleas.*

MISERIS CIVIBUS.] Propter Brutum & Cassium & proscriptiones Triumvirales.

84. SCILICET.] Semper cum Ironia ponitur ut notat Donatus ita apud Terentium in Andria, *id populus curat scilicet?*

IPSE DEUS.] Princeps Augustus.

EXCIPIET.] Suscipiet: *excipere* ut notat Marcellus est suscipere, Virgilius in tertio Aeneidos,

Heus quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit.

Cicero in Verrem, *filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret:* alias significat sejungere: excusare, opprimere, & manere: quandoque captare: Cicero libro Tertio de Oratore, *quaedam dari ex hac vita ad pertractandos animos hominum, & ad excipiendas eorum voluntates.*

ROMANAE PONDERA MOLIS.] Onus Reipu. Romanae ut pote primariae in orbe civitatis, de qua ita Juppiter apud Valerium Flaccum in primo Argonauticon:

Arbiter ipse locor terrenaque summa movendo
Experiar, quarnam populis longissima cunctis
Regna velim, linquamque datas ubi certus habenas.

MOLES.] Dicitur magnitudo alicujus rei, ut apud Virgilium in primo Aeneidos, *molemque & montes*, id est, montis molem & magnitudinem, itaque exposuit Servius Virgilianus interpres: *Moliri* (ut notat Marcellus) significat extruere. dictum a molibus: Virgilius,

Molirique arcem & manibus subvolvere saxa,

Unde *demoliri* dictum est destruere: Cassius Hemina de Censoribus libro Secundo, *etiam aurea in Capitolio signa quae erant demoliuntur.* Marcus Tullius libro tertio Officiorum, *demoliri ea quorum altitudo officeret auspiciis:* multa sunt quae ab impressoribus ita saepe mutantur ut auctoribus quandoque indignas inurant maculas, ut hic in codicibus Marcelli omnibus legitur *Demoliri dictum est construere:* fulciturque auctoritatibus supra dictis. quae contra sententiam suam resultare videntur: sed quoniam auctori hujusmodi verbi significationem ignotam fuisse non est credendum, puto legendum esse, non *construere*, sed *destruere:* ita significante *demoliri* notissimo pene apud omnes significatu.

FORTIBUS LACERTIS.] Perstat in metaphora, nam moles lacertis sustinetur. *Lacerti*, pro brachiis plerumque accipiuntur, Tibullus in primo,

Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos.

Ita hic, alias enim est animal: cujus diminutivum est *lacertulus*, quo usus est Apuleius in libris de Asino Aureo: a *lacerto* fit *lacertosus* qui dicitur lacertis magnis & fortibus praeditus: lacertis polluit Milo Crotoniensis. qui cum cuneis arborem adactam revellere tentaret, reseratis in fissuram manibus, tandem palmarum suarum quas olim ceperat victoriam feris tradidit, auctore Valerio in nono capite de morte non vulgari.

86. UT NEQUE TRANSLATE.] Sensus est: adeo omnia stabiliet ut Roma non sit occatura & imperium Romanum, nisi natura rerum deficiente.

FRAGOR.] Dicitur sonitus, eo quod frangit aëra: Papinius in laudem Domitiani:

- - - Continuus septem per culmina montis
It fragor, & magnae fingit vaga murmura Romae:

Silius in primo,

Hic subitus scisso densa inter nubila caelo,
Erupit terram quatiens fragor:

Plinius in secundo *nec sine fragore turbinem vocant:* & alibi, *vortex autem hic meando distat a turbine quo stridor a fragore*, ex quibus verbis percipimus *stridorem* differre a *fragore*.

TRANSLATI ORBIS,] Romae eversae, quae caput est totius orbis terrarum.

87. NEC PRIUS EX MERITIS.] Scribendum est *ex meritis* tali sensu: nec Roma desolatum prius regnum ex meritis suis videbit, quam occasus orientem respexerit, quod accidere non potest.

EX MERITIS.] Scilicet hominum flagitiosorum ob quorum merita saepius urbes praecipitantur: ut legimus de Sodomo & Gomoro, ubi sinum de caelo tactum humum nigram & in cinerem solutam testari scribit Solinus non longe ab Hierosolimis remotum: & haec in laudem principis Augusti cujus sub umbra cuncta bona emergent. Verissimum est enim illud tales fore rectos quales habuerint rectorem, docet divus Cyprianus, scribens contra haeresiarchas, primum foelicitatis gradum esse non delinquere: Secundum delicta cognoscere, quod illic currit innocentia integra, quae servet, hic succedat medela quae sanet.

DEFUNCTOS PENATES.] Desolatos & eversos: sunt vero Penates dii domestici & proprie Romanorum ut docet Macro. libro tertio Saturnalium: Varro humanarum libro secundo Dardanum refert deos penates ex Samothrace in Phrygiam & Aeneam ex Phrygia in Italiam detulisse: *Penates* dictos fuisse putant, per quos *penitus spiramus:* per quos habemus corpus per quosque rationem animi possidemus: hos ab Higyno patrios nuncupatos esse idem docet Macro. Quod observavit Virgi. in secundo Aeneidos, cum inquit.

Dii patrii servate domum parvumque nepotem:

& alibi

- - - Patriique penates.

Penates (ut docet Pompejus) *alii volunt ut habeant nominativum singularem penas, alii penatis*: *Penetralia*, eodem authore dicuntur penatium deorum sacraria: quae *penitus* intra sunt, unde dictum est a Virgilio in secundo Aeneidos.

Apparent Priami & veterum penetralia regum:

Cum secretiora domus patefacta fuisse describeret: hinc penetrare penitus intrare dicimus authore Donato: Virgilius in primo Aenei.

Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum.

88. RESPEXERIT.] Videre potuerit: constat enim terram ob globositatem qua elevatur inter occasum & ortum, impedire, ut qui ad partes occidentales positi sunt, orientales aspicere non valeant, propter impedimentum globositatis, qua figura esse terram testantur Cleomedes, Higynus, Plinius & caeteri: veluti si e regione duo oppida ponantur in planicie, & ab aliquo monte medio separentur, opposita erunt quidem sed propter elevationem montis invicem se accolae videre non poterunt: libet subscribere Macrobii authoritatem ex libro primo de somno Scipionis: Et quia globositas terrae habitationes omnium aequales sibi esse non patitur, non eadem pars caeli omnium verticem despicit & ideo unus omnibus meridianus esse non poterit, sed singulis super verticem suum proprius meridianus efficitur. Plinius libro decimo octavo Naturalis Historiae, *super omnia est mundi convexitas terrarumque globi differentia, eodem sydere alio tempore aliis aperiente se gentibus*: hanc terrae globositatem describit Virg. in primo Georg. his versibus:

Mundus ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces
Consurgit: premitur Lybiae devexus in austros,
Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.

89. NUMINE PLENUS.] Afflatus divino quodam spiritu veluti Phebades, quibus *pectus anhelum,*

Et rabie fera corda tument majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore dei.

Ut inquit Lucanus in primo Pharsaliae: tunc enim mentes intrant superum si credimus Silio ita scribenti,

Ast ubi quaesitas artis de more vetustae
Intrarunt mentes superum sic deinde profatur:

Itaque describitur apud Virgilium in VI. Sacerdos numine plena,

At Phoebi nondum patiens immanis, in antro
Bacchatur vates: magnum si pectore possit
Excussisse deum. Tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans fingitque premendo,

Tales *enthei* vocantur id est deo pleni, unde *enthei poëtae*, *Enthea tempora* appellavit Papinius divina lib. primo Sylvarum ita scribens,

Hic Thyrsos hic plectra ferunt hic enthea lauro
Tempora: Minoa crinem premit ille corona.

90. MIXTUS INTER GAUDIA TERROR.] Terror quantum ad deum qui fit ex subita & quadam insolita visione, unde est apud poëtam in quarto,

Anna soror quae me suspensam insomnia terrent:

Gaudia: propter bona bonis eventura: cum ratione animus movetur placide atque constanter tum illud *gaudium* dicitur, ut docet Cicero libro quarto Tusculanarum Quaestionum, *quod si inaniter & effuse animus exultat, tum illa laetitia gestiens, vel nimia dici potest*: scribit Plinius in septimo gaudio Chilonem, Sophoclem, & Dionysium Siciliae Tyrannum obiisse, Matremque illam viso filio quem in pugna Cannensi falso cecidisse nuncio perceperat: id accidit quod vis vitalis ac agnata caliditas immoderate in oblectationem effusa differtur, ut docet Alexander Aphrodiseas in Problematis.

91. BONA NUMINA.] Amica & pia, ut,

Sis bonus o felixque tuis,

Boni appellantur omnibus virtutibus ornati & instructi ut docet Marcus Tullius libro quinto Tusculanarum Quaestionum, *tantumque boni nomen efficaciam habet, ut Jovem non plus posse quam virum bonum autument*: unde dictum est a Satyrographo poëta.

Rari quippe boni, numero vix totidem quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili:

A *bono bellus* diminutive dicitur: hinc jocus est Epigrammatistae in primo,

Bellus homo & magnus vis idem Cotta videri.
Sed qui bellus homo est Cotta pusillus homo est.

FOECUNDE FAUNI.] Foecunditatem promittentis: foecundum appellamus abundantem & fertilem unde foecundus ager, & foecunda foemina filiis abundans dicitur: Juvenalis Satyra secunda,

- - - Foecundam Julia vulvam
Solveret.

92 OBTULIT.] Commostravit & ostendit. Ita Virgilius in sexto,

- - - Strictamque aciem venientibus offert:

DICAMUS.] Recitemus, ut,

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.

TERETE AVENA.] Oblonga & rotunda, est enim epitheton proprium.

94. MELIBOEUS.] Sub nomine Meliboei amicum suum intelligit apud principem favorabilem, de quo & in Ecloga quarta dicemus. *Meliboeus* dicitur ὅτι μέλει τῶν βοῶν, id est quod curam gerit bovum Authore Servio.

AD AUGUSTAS AURES] Id est principis Augusti: & haec sufficiant pro hac Ecloga prima Lucidius quantum possibile fuit supra nobis ennarrata.

IN ECLOGAM II.

Versu I. INTACTAM CROTALEM.] Haec secunda Ecloga tota amatoria est, ubi Asthacus & Idas amnte puellae Crotales incensi de more pastorio convenientes certant sub judice Thyrso deposito prius pignore: deinde legibus a judice acceptis: tandem pares abscedunt: talis est Ecloga apud Maronem quae inscribitur Palaemon, ubi neuter victor, neuter abit superatus. *Intactam Crotalem.* nondum imminutam. *intactas* enim virgines appellamus & nullo adhuc pollutas concubitu, ita intellige apud Maronem in primo Aeneidos,

Cui pater intactam dederat.

Id est Virginem & illibatam. *Crotale* dici potest resonans: *κρότον*, enim *plausum* Graeci appellant & strepitum unde *crotala* instrumenta dicuntur orbibus parvulis sonum reddentia: de quibus fit mentio ad M. T. in oratione illa quam contra Pisonem inscripsit his ferme verbis, *quod mihi igitur certamen esset ejusmodi cum C. Mario scilicet: aut cum aliquo pari: an cum altero barbaro Epicureo: cum altero Catilinae lanternario? quos neque hercule ego supercilium tuum neque collegae tui cimbala & crotala fugi:* Apulejus quoque libro octavo de Asino Aureo ita scribens: *qui per plateas & oppida cimbalis & crotalis personantes deamque Syriam circumferentes mendicare compellunt.*

ASTHACUS.] Dici potest urbicus, Graeci enim *ἀστυκὸν*, urbicum dicunt, & *ἄστυ* ab ipsis urbs appellatur, unde *astycusa Pallas:* scribit Plinius libro quinto Naturalis Historiae *Asthacum* fuisse oppidum a quo *Asthacenus* idem sinus appellaretur:

2. LANIGERI GREGIS.] Lanigeri dixit ut de ovibus intelligeremus quoniam (ut superius diximus) etiam sues appellatione gregis continentur, ut notant Jureconsulti, quia gregatim pascuntur.

3. DILEXERE DIU.] Ob quod magis inflammantur amantes. ideo bene monet Ovidius in primo de Remedio Amoris, *Sed*

Propterea nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodie cras minus aptus erit:

Etenim

- - - Tacitae serpunt in viscera flammae,
Et mala radices altius arbor agit.

FORMOSUS UTERQUE.] Notat Gellius libro quarto Noctium Atticarum haec verba, *in osus exeuntia copiam quandam significare, ut vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus, designat copiam rei immodicam super qua dicitur. quocirca religiosus is appellatur, qui nimia & superstitiosa religione sese alligavit, eaque res vitio assignatur: atque inquit esse quaedam quae quamquam incrementum sui nimium demonstrent, nunquam in culpam sed in laudem dicantur. in superioribus enim ut vinoso mulieroso quidam adhibendus est modus necessarius, nam & gratia si nimia quidem atque immodica & mores si multi atque varii, & verba si perpetua atque infinita obundantia sint atque laudabilia, neque utilia fient: ingenium autem & officium & forma & disciplina & consilium & victoria & facundia sicut ipsae virtutum amplitudines nullis finibus cohibentur, sed quanto majora auctioraque sunt & jam tanto laudati ora sunt.*

SED IMPAR VOCE SONANS.] Non intelligit disparem vocem alterius esse ab altero, sed alludit ad vocem inaequalem & asperam, quam emittere hirquitalli consueverunt: scribit enim Alexander Aphrodiseus, in Problematis, pueris circa decimum & quartum annum totum explicari corpus, veluti morborum mutationibus judicari & salutationibus circa illud tempus progenitis: hos vocis asperitas quae raucitas appellatur hircire facit ex hircis ita vocem efferentibus translatione sumpta, inter explicandum enim asperam a principio arteriam a cidit alia quidem eis magis, alia vero minus diduci, quippe quod inaequale ipsis corpus juxta interiorem superficiem existit faucium tenus: spiritus autem per has exiens partes tamquam praecisis propter viae inaequalitatem vocem etiam efficit inaequalem & asperam & raucam: putat Censorinus in secunda hebdomade vel incipiente tertia vocem crassiorem & inaequabilem fieri, quod Aristoteles appellat *τραγίζειν* Antiqui nostri *hirquitallire* & inde ipsos putant *hirquitallos* appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat,

4. TERRAS.] Hic ordo est, hi conveniunt ad gelidos fontes & sub easdem ulmos forte cum gravis aestas ureret terras.

GRAVIS AESTAS.] Ab effectu quod homines & omnia vi solis immoderata gravet: exanimat enim & perimit animantes cum pestem in tempore caloris immitrit (ut inquit Euripides in Phaethonte) unde aliqui Apollinem cognominatum putant *ὡς ἀπόλλυντα τὰ ζῶα.* ut scribit Macrobius libro primo Saturnalium.

5. AD GELIDOS FONTES.] Epitheton est fontium, ut apud Virgilium in Gallo.

Hic gelidi fontes & mollia prata Lycori.

Sic & *frigida* flumina dicimus, ut Virgilius in Daphnide,

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida Daphni boves ad flumina,

Refert in secundo Plinius fontes aestate gelidiores esse quam hyeme, rationem alii reservamus loco ne eadem saepius repetere cogamur.

FORTE.] A casu ut,

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis:

Sub easdem ulmos accusative protulit quoniam ad locum convenire significat.

ULMUS ut docet Plinius libro decimosexto Naturalis Historiae, arbor est amicitia vitibus conjuncta, ob quod dictum est a Satyrographo poeta Satyra octava,

Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos:

Ulmorum genera quattuor esse traduntur a Plinio: Columella vero libro Sexto, ulmorum duo esse genera convenit Gallicum & vernaculum, illud *atinia* hoc *nostras* dicitur l ab *ulmo ulmaria* dicantur loca ulmis consita:

sita : decentissime Catullus virginem intactam viribus existentibus sine ulmo marito comparavit his versibus:

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam:
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Hanc nulli agricolae nulli coluere juvenci :
Sic virgo dum intacta manet dum inculta senescit.
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito:
Jam jam contingit summum radice flagellum,
Multi illam agricolae: multi accoluere juvenci :

6. CONVENIUNT.] Simul ad eundem locum veniunt, ita enim significat *convenire*, Virgilius in Daphnide.

Cur non Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus :

Idem in primo Aeneidos.

Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat,

Convenae inde dicuntur ad unum & eundem locum ex diversis regionibus convenientes. Cicero libro quinto Tusculanarum Quaestionum, *& quibusdam convenis & feris barbaris corporis custodiam committebat* : *conventa* a Plinio dicuntur loca ad quae ut jura acciperent solebant convenire circum accolae.

7. PIGNORI AUSQUE.] Deposito pignore, quo mulctetur victus: pignus res apud aliquem deposita vel pro debito, vel pro cautione dicitur. scribit jure consultus digestis de pignoratitia actione proprie pignus dici, quod ad creditorem transit. idem de verborum significatione: *pignus* appellatum esse a *pignore*, quia quae res pignori dantur manu traduntur, unde etiam videri pot est verum esse quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui : pignora alias filios appellamus: Apu. libro III. de Asino Aureo : *sed anus illa quae fletibus cuncta turbaverat. prius inquit optimi cives quam latronem istum miserorum pignorum meorum peremptorem cruciandum affigatis, permittite corpora necatorum revelari*: hic *pignus* accipe pro deposito. sic Vir. in Buco.

- - - Tu dic mecum quo pignore certes.

Pignus deponere significat sequestro deponere, ut inquit Pedia. in II. Verri.

VELLERA SEPTEM] Synecdoche est : *vellera* enim pro ovibus dixit: ita Vir.

- - - Puppesque tuae pubesque tuorum :

VELLUS.] Dictum a *vellendo*: Var. lib de Re Rust. secundo, *cum sole calidiore tonsa & sudore ejus lana sit mollior & ponderosior & colore meliore quam demptam & conglobatam alii vellera alii velumina appellant, ex quorum vocabulo animadverti tum prius lanae vulsuram inventam, quam tonsuram : qui etiam nunc vellunt ante triduo jejunas habent, quod languidae minus aegre radices lanae retinent* : Pli. lib. VIII. Natu. Histo. *oves non ubique tondentur : durat quibusdam in locis mos vellendi* : *vellus* appellavit Propert. in homine belluino pecuniam, illo versu decentissime.

Et stolidum pleno vellere carpe pecus.

Nimirum alludens ad illam Dioge. sententiam qua hominem divitem similem dicebat arieti vellera habenti inaurata : *vellere* autem dicimus pilos extirpare : Per.

Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant.

Unde *volsellae* forcipes depilatoriae : de quibus intellexit Persius illo versu:

Elixasque nates labefactent forcipe adunca.

Unde *volsi* dicti depilati, Auso. Gal.

Irritant volsas laevia membra lupas.

Vellere apud Ovidium significat digitis leviter ferire illo versu lib. primo de arte amandi.

Velle latus digitis & pede tange pedem,

Vellus proprie de ovibus dicitur Vir. in Pale.

- - - Ipse aries etiam nunc vellera siccat.

Persius.

Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus.

8. NE VENDICET.] Ne vendicare possit, *vendicare* enim est rem aliquam sibi facere propriam. Quintilianus, *orator sibi totum vindicat* : *vendicare* etiam ut docet Marcellus significat liberare, ut apud Virgilium in quarto Aeneidos.

- - - Grajumque ideo bis vendicat armis :

Cicero de Senectute, *& senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vendicare* : ergo *ne vendicet*, hoc est, ne liberare possit messem oppigneratam :

MESSEM.] Olera, & caeteros fructus : a *metendo Messis* ut scribit Varro libro primo de Re Rustica proprio nomine dicitur in his quae metuntur : maxime in frumento : a *meto* autem ipse *Messem* dictam putat, cujus verba subjeci : *tertio modo metitur, ut sub urbe Roma & locis plerisque, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistra summum prachendunt, a quo medio, messim dictam puto* : *Messes* de re ipso translative dixit Tibullus in primo.

Ac tibi parce Venus, semper tibi debita servio
Mens mea : quid messes urit acerba tuas?

ET MAGNUM CERTAMEN.] Sic Virgilius in Thyrside.

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum :

SUB JUDICE THYRSO.] Judex dicitur quasi jus reddens, hic tamen intelligit de judice compromissario, hoc est in quo sit factum compromissum : *judicium* & *arbitrium* differunt : *judicium* est pecuniae certae, *Arbitrium* incertae, ut docet Cicero in Oratione illa quam pro Roscio Comoedo habuit : & ad *judicium* venimus ut totam litem aut obtineamus aut amittamus: ad *arbitrium* hoc animo adimus, ut neque nihil neque tantum quantum postulavimus obtineamus : judex *edititius* vero dicitur quem una tantum pars elegit, ut apud Virgilium in Bucolicis.

- - - Vel qui venit ecce Palemon,

Ubi edititium judicem, hoc est ab una tantum parte electum significare voluit : Sicuti Cicero pro Plantio, *neque enim quicquam aliud in hac lege nisi edititios judices es secutus* : sed *arbitrarius* quem penes est arbitrium partium ut hic Thirsis :

10. OMNE GENUS PECUDUM.] Bene *Genus* quoniam in species dividitur postea, ut in greges & armenta. genus enim nunquam excludit sui speciem, lege prima pandectarum de adoptionibus.

Gr-

GENUS OMNE FERARUM.] Sic Virgilius.

Tum vero in numerum Faunos, ferasque videres
Ludere: tum rigidas motare cacumina quercus:

Ferarum ad differentiam *pecudum*, quae mansuetae sunt & domesticae: aliquando *pecudes* pro ovibus aliquando pro omni genere humana effigie carentium ponuntur: *pecuariam facere* apud Varronem significat exercere se in alendis pecudibus, de qua re ipsius subjeci verba ex libro secundo de Re Rustica: *est scientia pecoris parandi ac pascendi, ut fructus quam maximi possint capiantur ex ea, a quibus ipsa pecuaria nominata est, nam omnis pecuariae primi est fundamentum, ea partes habet discretas novem ter ternas, ut sit una de minoribus pecudibus cujus genera tria ovis, capra, sus: altera de majori pecore, in quo sunt item ad tres species natura discreta, boves, asini, equi, tertia pars est in pecuaria quae non paratur ut ex his capiatur fructus: sed propter eam aut ex ea sint sicut muli canes, pastores:* Suetonius in Dictatore, *neve ii qui pecuariam rem facerent minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.*

11. ALITUM FERIT.] Lego *altum* id est aëra, sublime. ita in textu fidelius invenitur, Subintelligit aves quae dum pervolant aëra pennis feriunt.

12. CONVENIT.] Conjungitur *quisque*. scilicet pastor:

SUA ILICE PASCIT.] Quoniam aestu umbrosa captant loca ut Ecloga quinta.

- - - Sive protegat illos
Interea veteres quae porrigit aesculus umbras:

Ilex ut scribit Plinius libro decimo sexto Naturalis Historiae, arbor est glandifera, cujus duo sunt genera, ex his in Italia folio non multum ab oleis distant milaces a quibusdam Graecis dictae, in provinciis *Aquifoliae*: ilicis glans utriusque brevior & gracilior quam Homerus *aculon* appellat, eoque nomine a glande distinguit. iligna glans dicitur ilicis sicut quercina quercus, & fagina fagi. corona primum civica iligna fuit postea magis placuit ex esculo fieri auctore Plinio. Dixit autem *ilicem* pro omni arbore umbrosa, vel quod umbras perquam amoenas solet ilex reddere: unde dictum est ab Ovidio,

Saepe sub ilicibus Venerem Cinaraque creatum
Sustinuit positos quaelibet herba duos:

Cum amoenissimam umbram significare vellet, qualis est ilicis: Ilex in alio significatu dicitur sine lege vivens & exlex, ut notat Marcellus: Plautus, in Persa, *Impure inhoneste vivit illex.*

LENTAS.] Oves: quoniam, ut inquit Varro libro secundo de Re Rustica, maxime quietae sunt & placiditate quadam pasci solent inter armenta admirabili: ad placiditatem allusit Ovidius libro primo Fastorum illo versu.

Quid bos, quid placidae commeruistis oves?

13. SATYRIQUE BIDENTES.] Satyri sunt dei salaces, & in libidinem proni, facie admodum grata, gesticulatis motibus, inquieti, ut scribit Solinus: ascribuntur generi Simiarum. horum naturam esse mitissimam tradit Pli. li. ix. Na. Hi. ab his sunt qui saltationem dictam fuisse existiment, quamquam in Saltatione ridiculae res pudendaeque dicuntur. quae velut a satyris proferuntur & fiunt, ut inquit Diomedes Grammaticus non trivialis, doctrinaque illa praeditus Romana, nec non utramque callens mirifice linguam: ab his inventae tres praecipue saltationum species traduntur, quae in theatra transmissa sunt, *cordacha* scilicet, *sicinnim* atque *emmelian* quas appellant: ad quas allusit Ovidius illo versu.

Quid non & Satyri, saltatibus acta juventus,
Fecere:

Et Virgilius in Bucolicis.

Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus:

Scribit Plinius libro. xxvi. Naturalis Historiae *Satyrion* esse herbam concitatricem vim habentem, cujus duo traduntur esse genera, una est enim longioribus foliis quam oleae caule quatuor digitorum, flore purpureo, radice gemina, ad formam hominis testium, alternis annis intumescente ac residente: Altera Satyrion *orchis* cognominatur, & foemina esse creditur, quod mirum, cum testium formam retineat, unde *orchis* dicta, nisi legatur *aorchis*: *Satyrium* etiam accipitur pro tentigine & desiderio libidinis, in quem significatum ita puto legendum esse apud Plautum in Truculento, in hoc & cum praeceptore consentiens meo, *corrumpor Satyrio miser cubando in lecto.* ubi prius legebatur *si tu ita*, nullo pene sensu, cum non sic ambiguum Plautina verba *satyrion* morbum, quem recentiores medici *priapismum* vocant, appellare.

14. DRYADES.] Sylvarum sunt deae Δρῦς enim *quercus* Graecis dicitur, Δρύινος *quernus* & Δρυμὼν *quercetum*: unde *chamedrys* herba quae latine *trixago* dicitur appellata a colore & divisura quercus, auctore Plinio libro. xxiv. Naturalis Historiae: de his intellexit Ovidius in primo Fastorum illo versu,

Quaeque colunt amnes solaque rura deae.

Cum Najades & Dryades significare vellet: *Dryopemque* idem nympham apud Valerium Flaccum libro tertio Argonauticon dictam censeo, a *quercu* mutuato nomine; nam Dryades ipsum Hylam rapuisse existimantur; unde cecinit Propertius:

Cujus ut accensae Dryades candore puellae
Miratae solitos destituere choros.
Prolapsum leviter facili traxere liquore,
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Ibi tamen poëtice Dryades appellavit fontium deas quas Najades appellare consuevimus, ut Virgilius in Gallo, Najades pro Dryadum numine, his versibus.

Quae nemora aut qui vos saltus habuere puellae
Najades, indigno cum Gallus amore periret.

NAJADES UDO.] Quoniam deae sunt aquaticae & propriae fontium, nam maris nymphae *Nereides* dictae sunt, sicut montium *Oreades*: & silvarum *Hamadryades* eo quod quercus ament & cum arboribus crescere & decrescere tradantur, auctore Probo & Servio: Propertius in primo.

Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryas in:

15. ET TENUERE SUOS.] Sumptum ex Virgilii Pharmaceutria,

Et mutata suos tenuerunt flumina cursus.

PROPERANTIA.] Festinantia: *properare* enim est accelerare. Ovidius de Arte Amandi.

Qui properant nova musta bibant, mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merum:

Unde *properanter* & *properatim* pro festinanter: Caecilius,

Properatim in tenebris istuc confectum est opus:

16. Eori.] Venti ab oriente spirantes brumali, a quibus *Euronotus* ventus inter ipsum eurum & notum spirans denominatur, auctore Plinio: hic enim pro ventis turbantibus agros accipiuntur, nam cum

Eurique Zephyrique tonat domus, omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit.

Ut inquit poëta libro primo Georgicon.

17. Desiatonr.] Cessant: desistere enim est ab incepto cessare: Propert.

Nec cito desisto nec temere incipio:

Incurrere.] Impetu & vi quadam: *incursim* pro celeriter positum apud Caecilium auctore Marcello.

Nullus sum nisi meam rem jam omnium incursim propero perdere.

Tremulis foliis.] Quae venti incussione tremulae fiunt, *tremulam* rem enim dubiam & nutantem appellamus, unde alibi Calpurnius:

- - - Tremebunda coagula lactis.

17. Alta silentia.] i. e. profunda: Juvenalis Satyra prima,

- - - Privatus ut altum
Dormiret:

Martialis libro primo epigrammaton.

Non rumpet altum pallidus somnum reus.

i. e. profundum.

18. Omnia cassabant.] Ab opere desistebant incepto.

Cantantibus.] Alternatim canentibus: expungendi sunt autem versus hi duo subdititi & suppositi.

Omnia cessabant neglectaque pascua tauri
Calcabant,

Quam & sententiam implicant & in codicibus fidelioribus nulli inveniuntur.

19. Daedala apis.] i. e. Varia quam variando ex floribus excerpere solent, ita Lucretius *Daedalam tellurem* appellavit a varietate rerum in primo his versibus:

- - - Tibi suaves Daedala tellus
Summittit flores: tibi rident aequora ponti
Placatumque nitet diffuso numine caelum:

Pompejus *Daedalam* a varietate rerum artificiorumque dictam esse apud Lucretium terram: apud Ennium Minervam: apud Virgilium Circen facile est intelligere, cum Graece Δαιδάλλειν significet *variare*: fuit apud Minoëm regem Daedalus ille architectus Atheniensis, celeberrimus in architectura, qui tanta arte vaccam illam ligneam, in qua latuit Pasiphaë, fabricavit, ut illam posset pro vera taurus inire: ad quam allusit Ausonius his,

Quid me taure paras specie deceptus inire,
Non sum ego Minoae machina Pasiphaae:

De hoc Virgilius in sexto Aeneidos.

Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,
Praepetibus pennis ausus se credere caelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos:

Hunc intellexit Juvenalis Satyra prima, illo versu:

Et mare percussum puero fabrumque volantem,

Graecum verbum exprimens, *Daedalus* enim *faber* & *ingeniosus* apud Graecos dicitur de hoc & Tibullus in quarto.

- - - Phoebo gratissima dona
Cres tulit.

Et Ausonius in Monosyllabis.

Praepetibus pennis super aera vectus homo Cres.

Quod ante nos tamen annotavit Beroaldus noster: Scribit Diodorus in tertio, Daedalo propter artis praestantiam deorum honores accolas, Aegyptios contribuisse: illique templum in quadam insula Memphis aedificatum extare.

Intermittere.] Hic significat paulisper cessare, ut apud Plinium Caecilium libro tertio Epistolarum, *provisum hoc legibus intermissum tamen & post longam intercapedinem tunc reductum*: & apud Ciceronem libro septimo Epistolarum: *Sed mehercule jam intermiseram, ne viderer liberalissimi hominis meique amantissimi voluntati erga me diffidere*: cum haec particula *inter* totum aliquando significet ut apud Plautum in Aulularia.

Quae mihi interbibere sola si vino scateat
Corynthyrusem fontem & Pyreneum potest,

Idest totum bibere: in aliquibus exemplaribus legitur *intervisere*, quod significabit, quadam cum intermissione visere.

20. Thyrsos medius.] Id est inter Asiacum & Idam positus.

21. Irrita.] Vana. Virgilius in Pollione.

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solveat formidine terras.

Et in quinto Aeneidos.

- - - Et variis assultibus irritus urget.

Lucanus in decimo Pharsaliae,

Votaque thuriferos non irrita fudit in ignes:

Inde *irrita ova* dicta quae vana sint & nihil gignant ἄϐρτον Graeci appellant *irritum*. *irrita testamenta* esse scribit Imperator in Institutionibus, quae jure valere non possunt. qua dictione frequens est titulo quibus modis testamentum infirmetur. *Irritare* verbum, significat provocare, tractum a canibus qui cum provocentur irruunt. Virgilius in. x. Aen.

Irritatque virum telis & voce lacessit.

Plautus in Amphitryone, *irritabis crabrones.*

O Pueri.] Verba sunt Thyrsidis ad pueros.

Mercedis.] Praemii apud Vir. *merces* pro stupro accipitur in Sileno.

- - - Carmina vobis
Huic aliud mercedis erit.

23. Opprobria.] Derisiones & convitia. *opprobrare*, ut scribit Pompejus, est probrum objicere *probrum* vero significat convitium & contumeliam. alias adulterium, ut apud Suetonium in Caesare Dictatore, *diremit nuptias praetoris viri quam diversam a marito post biduum statim duxerat, quamvis sine probri suspitione.* & apud Plautum in Amphitryone,

Durare nequeo in aedibus, ita me probri,
Stupri, dedecoris a viro argutam meo.

26. Ter quisque manus.] Jam eos hortatur ut ia-

ctu digitorum discernant, quis prior incipere possit, & describit lusum puerilem quem & Bononienses pueri hodie quoque retinent, ut si quando inter eos discordia oriatur de primis partibus, hoc est de priori loco obtinendo in cursu vel aliquo ludo, jactantes manus, qui numerum invocatum habuerit, hoc est par vel impar, ille sit victor & voti compos: hoc ludi genus describitur ab Horatio libro Sermonum secundo Satyra tertia,

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Qui solent esse puerorum ludi: est etiam aliud ludi genus huic non absimile, *mantam* vocant, quod fortasse Maurorum sit peculiare.

DISTINGUERE.] Discernere.

ALTERNOS CANTUS.] Alternatim dictos. alterne enim dicuntur cantare pastores quando vicissim carmina reddunt & altero tacente cantat alter. Virgilius in Palaemone.

Alternis dicetis, amant alterna Camenae.

JACTATE.] Jactu proferte. alias *jactare* est frustra & inaniter loqui. Virgilius in primo Aene.

Talia jactanti stridens aquilone procella
Velum adversa ferit:

Et alibi:

- - - Voces dum jactat inanes:

Item significat gloriari ut apud Juve. Saty. prim.

Ipse lacernatae cum se jactaret amicae.

MANUS MICANTES.] Alludit ad jactum digitorum. scribit Marcellus, *Micare* esse digitis sortiri. cujus auctoritatem secutus interpretabor Sortientes. quod tamen ipse pace & cum venia tanti viri dixerim: Illud Ciceronianum ex libro tertio Officiorum in hanc trahere sententiam conetur, quandoque comprobare dubitavimus *dignum esse qui cum in tenebris mices* in hunc significatum accipi posse asserentes apud M. Tullium: est enim hoc vetus proverbium ut ait ipse Cicero, utque ipsius utar verbis *vetustate contritum*, cum enim fidem alicujus bonitatemque laudent, *dignum esse* dicunt *qui cum in tenebris mices* quod nos ita exponebamus, significari ipsum luce dignum: quoniam quae recte aguntur in lucem sunt digna proferri quae vero male tenebras desiderant: ergo in tenebris mices intelligebamus dignum luce perpetua & nullis tenebris; quoniam a flagitiosis tenebrae expetuntur hominibus, unde inquit indignanter Satyrographus poëta, fient ista palam cupient & in acta referri, cum crimina potius debeant celari quam palam proferri: quod tamen vetustissimi scriptoris sententiam nullo pacto reprobandam esse sentio: utque Marcelli locum intelligas scias ipsum sentire dignum qui cum in tenebris mices, hoc est cum quo etiam in obscuro loco manus jactare possis nullo deceptionis timore. & haec melior sententia.

27. DIGITUS.] In antiquis & sinceris codicibus legitur *discernunt digitis*, quod significat sortiuntur, quis primus incipere debeat: digiti ut scribit Plinius in xi. Naturalis Historiae, qui sint hominis ternos habent articulos, pollex vero duos, sunt generaliter quinque sex vero quibusdam. a quo numero *sedigitum* Vulcatium illustrem in poëtica appellatum accepimus, & Caji Oratii ex patritia gente filias duas, ob id *sedigitas* nuncupatas, quod idem refert Plinius: Nos quoque hac tempestate sedigitum puerum vidisse meminimus Bononiensem, & digitos pariter moventem & ad quodlibet si opus accommodantem, commonstrante Lodovico Ghisilardo ex patritio ordine Juvene, non minus moribus quam virtutibus exornato, arctiorque nobis amicitiae quam affinitatis: qua & simul tenemur vinculis adligato.

PRIOR INCIPIT IDAS] Huic sortem contigisse & invocatum numerum adfuisse intelligas.

28. ME SYLVANUS AMAT.] Hoc est principium cantilenae ad quam fautores deos solemus invocare. ut Virg. in Palaemone.

Et me Phoebus amat.

Incipiens, ergo Idas sylvarum deos invocat, ut sibi sint tutores. quos Bacchum & Dianam quidam esse existimaverunt, unde error apparet Sipontini, viri alioqui de litteris bene sentientis qui Sylvanum esse putavit, quem Graeci Pana appellant: huic deo porcum caedebant, & quoniam inimicus foeturae credunt, poterit pro supra dictis accipi, de hoc intellexit Juvenalis Satyra sexta, illo verso.

Caedere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Arguens foeminas se a foetura abdicantes illi sacrificare, ut demonstrarent curam deponere muliebrem. qui locus sicuti a nullo prius percipiebatur, ita a praeceptore meo Joanne Baptista Pio in Commentariis Plautinis disertissime enarratur: quod autem non sit idem Sylvanus qui Pan, declaratur in invocatione Georgicorum Virg. a quo cum ita prius invocetur,

Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycei
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
Adsis o Tegee favens.

Statim subjungitur.

- - - Oleaeque Minerva
Inventrix uncique puer monstrator aratri,
Et teneram ab radice ferens Sylvane cupressum

Ubi haec Servius: *Sylvanus, Sylvarum deus est, qui Cyparissum amavit, & cum cervam puer mansuetam Sylvani nesciens interemisset puer dolore extinctus est, Sylvanus autem in arborem sui nominis convertit & pro solatio secum fert.* Hanc tamen fabulam aliter Ovidius libro decimo Metamorphoseon enarrat, ab Apolline Cyparissum puerum adamatum scribens: dividuntur & in Gallo his:

Venit & agresti capitis Sylvanus honore,
Florentes ferulas & grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae venit quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

DUCTILES AVENAS.] Quae sonum reddere docentur.

29. CIRCUNDAT.] Coronat & cingit ut,

- - - Musco circundat amarae
Corticis.

TEMPORA.] Partes capitis, quae solent corona cingi. Papinius in primo Sylvarum:

- - - Hic euboea laure
Tempora, Minoa crinem premit ille corona:

Scribit Plinius in. xi. *quibus juxta tempora infleza sint supercilia eos fere derisores.*

FRONDENTI TAEDA.] I. e. cupresso, *taeda* enim poëtice

tice accipitur pro omni arbore ferente resinam: Plinius libro xx. Naturalis historiae, *itaque laborant & fame & cruditate, quae fiunt humoris quantitate, aliquae vero & obesitate ut omnia quae ferunt resinam nimia pinguedine in taedam mutantur*: idem refert libro xvi. tantam esse similitudinem harum arborum ut nec facile discernantur in fronde a peritis, tanta natalium est mixtura. Columella *pineam taedam* appellavit in Sexto his verbis: *fissuram cuneo taedae pineae adigito.* Ubi taedam tamen ramusculum aptum taedis accipito. nam *taeda* accipitur etiam pro face & ligno facibus apto Juvenalis,

- - - Taeda lucebit in illa,
Qua stantes ardent fixo qui gutture fumant:

Et pro face nuptiali ut plurimum, sicut apud Virgilium in quarto Aeneidos,

Si non pertaesum Thalami tedaeque fuisset,
Huic uni forsan potui succumbere culpae.

Et Claudianum de nuptiis Honorii

Cessent litui saevumque procul,
Martem foelix taeda releget:

Unde & Papinius cecinit in Sylvis,

- - - Dat Juno verenda,
Vincula & insigni geminat concordia taeda.

Silius in quinto,

Sidonia tumidus sponsa, vanoque superbus
Foedere, promissae post Dardana praelia taedae.

30. Parvo mihi.] Id est puero. aemulatio est Virgiliana, ille enim sic in Alexi.

Et dixit, moriens, te nunc habet ista secundum.

Non leve carmen.] Non parvi ponderis.

31. Jam Levis.] Hoc est carmen quod sibi dictum perhibet a Sylvano.

Levis canna.] Epitheton est cannarum & calamorum, quoniam sunt foratiles & ob id leviores.

Obliqua.] Obtorta. Juvenalis Satyra secunda,

Ille supercilium madida fuligine tinctum,
Obliqua producit acu:

Hoc versu Sylvanum se bonum fistolatorem futurum promisisse ait: Scribit Julius Firmicus in quinto Matheseon, *si in M. C. Venerem constitutam trigonica Jupiter radiatione respiciat, vel si cum ea fuerit inventus & Venus ab omnibus malivolarum fuerit radiationibus separata, foeminarum praesidio ex ista conjunctione maxima felicitatis insignia conferet, aut ex aliquo foeminco opere omnium felicitatis accipi, eosdemque facit musici carminis modos dulciter flectere aut citharam lyramque percutere, aut certo molli corporis flexu cum grata venustate saltare.*

32. Et mihi Flora comat.] Invocat Astacus Floram & Pomonam hortuli deas, sicuti apud Virg in Palaemone Dametas Jovem, & Menalcas Apollinem, & apud Theocritum, Comatas Thespiades & Lacon Phoebum, quem locum mutuatus est Vir. sicut & alia multa. *Flora* autem, dicta est florum dea & *Floralia* festa quae in ipsius honorem fiebant, in quibus meretrices discurrere solebant. Ad quod respectans illud protulit Juvenalis Satyra sexta,

- - - Dignissima prorsus,
Florale matrona tuba.

De *Floralibus* meminit Persius Satyra sexta,

- - - Nostra ut Floralia possint,
Aprici meminisse senes:

De Flora Ovidius libro Quinto Fastorum,

Chloris eram quae Flora vocor, corrupta Latino
Nominis est nostri littera Graeca sono.

Et paulo post,

Vere fruor semper semper nitidissimus annus.
Arbor habet frondes pabula semper humus,
Est mihi foecundus dotalibus hortus in agris
Aura favet, liquidae fonte rigantur aquae.
Hunc meus implevit generoso flore maritus,
Atque ait arbitrium tu dea Floris habe.

Fingitur autem Zephyrus Florae maritus ab Ovidio, quoniam spirante Zephyro prata & hortuli omniaque florescunt. hinc a Lucretio dicitur,

- - - Genitabilis aura favoni.

Est enim Favonius idem qui Zephyrus, a Graecis ita appellatus quod vitam ferat. scribit Plutarchus in Problematis Floram eandem esse quam Bonam Deam nominant, cui omni Florum genere templum exornantes mulieres myrtos tantummodo excludunt, propterea quod myrtus tanquam Veneri sacra reputatur omneque quodcunque masculum creditur excludi solet in sacris illius; docet Lactantius libro primo Divinarum Institutionum, *quemadmodum Flora cum magnas opes ex arte meretricia quaesisset Populum Romanum scripsit heredem, & certam pecuniam reliquit cujus ex annuo foenore natalis dies celebratur editione ludorum quos appellant Floralia: quod, quia senatui flagitiosum videbatur. ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendae rei quaedam dignitas adderetur, deam finxerunt esse quae floribus praesit, eamque oportere placari ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prosperèque florescerent.*

Spargit comas.] Id est inundat & significat eam procreare flores & herbas ad coronas quibus comae vinciantur.

Gramine.] Pro quacunque herba posuit, cum *gramen* sit proprie herba omnibus notissima, propter equorum pabulum, quibus apud nos praecipue datur. *gramineam coronam* nisi in summa desperatione Populum Romanum dedisse auctor est: Plinius lib. xxii. Naturalis Historiae. haec erat eadem quae & obsidionalis & dabatur liberatis obsidione abominandoque exitio totis castris.

33. Et matura mihi Pomona.] Pomona est pomorum dea, sicut florum Flora Plinius libro xxiii. Naturalis Historiae *non cessit his Pomona partesque medicas pendentibus quoque dedit. non contenta protegere arborumque alere umbra quas diximus.* praeest autem tam uvis & ceteris fructibus quam pomis. unde ita loquitur ipsa libro praedicto capite primo, *plurimum hominis voluptatis ex me est, ego succum vini liquorem olei gigno, ego palmas & poma totque varietates*: de hac fit mentio a M. Varrone libro iii. Linguae Latinae, ubi Pomo-

monam *pomorum patrem* legimus, ibi tamen *matrem* supponendum censeo. hic Pomona pro ipsis pomis ponitur: *sub arbore* pro sub arboribus. celebrantur Alcinoi pomaria regis Phaeacum, cujus maturis fructibus alia succedere nova praedicaverunt scriptores & praecipue Homerus in Odyssea, de quo Papinius libro Sylvarum primo,

> *Quid bifera Alcinoi laudem pomaria,*

cum ad illam fructuum duplicationem alluderet. scribit Dio. in iv. Aethiopes qui Cynaei dicuntur, arbores timore ferarum incolere, & ipsis pro domibus uti.

34. ACCIPE FONTEM.] Lego *fontoie*, plithynticus ut in sinceris codicibus: *mutare hortos*, hoc est transferre in alium locum si sterilis erit ubi fuerit hortus: refert Dionysius de situ Orbis, virentes semper Indos possidere hortulos, & arva perpulchra & laeta, quae universum semper per annum vireant: antiquitas ut docet Plinius libro xix nihil prius mirata quam Hesperidum hortos, ac regum Adonis & Alcinoi, quosque pensiles sive Semiramis sive Assyriae rex Cyrus fecerat: tutelam hortorum antiqui ligneum Priapum fecerunt quem per Satyrica signa intelligit Plinius: Veneris tutelae hortos assignavit Plautus, quod fortasse dea ingenuitae, at primus Epicurus hortorum magister eos Athenis instituit, unde dictum est a Papinio

> *- - - Luxuque carentes,*
> *Delitiae: quas ipse suis digressus Athenis,*
> *Mallet deserto senior Gargettius horto.*

Ubi *Gargettium seniorem* Epicurum ex Gargetio pago natum intelligit. solebant Antiqui ex hortis judicare num quae esset in domo materfamilias, etenim haec cura dicebatur foeminarum ubi indiligens esset hortus: Luculliani horti inter ornatos sumptuosissimosque regum dinumerantur; in primis, ut refert Plutarchus in Lucullo: & Demetrii a liberto Pompeji ita cognominati celebrantur & Antonii Castoris cujus summam fuisse auctoritatem in herbis alendis refert Plinius libro vigesimoquinto Naturalis Historiae.

35. IRRIGUIS CANALIBUS.] Quibus ad irrigandos hortos utimur. *Irrigare* enim, ut annotat Servius super eo Virgilii loco,

> *- - - Rivos deducere, nulla*
> *Religio vetuit.*

significat aquas inducere. Poëta *ilignas canales* appellavit in tertio Georgicon ex ilice factas, quales nunc describit Calpurnius,

> *Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto,*
> *Currentem ilignis potare canalibus undam.*

Scribit Plinius libro decimosexto *pinum, piceam, alnum ad aquarum ductus in tubos cavari.* Ubi *tubos* sive *tubes* utroque enim modo dicitur, appellavit ductus ligneos aquarum de quibus hic poeta noster: notat Servius *canalem* melius faeminino genere proferri quam masculino: de his intelligit Ovidius in primo de Remedio Amoris,

> *Ipse potes rivos ducere lenis aquae.*

Et Tibullus libro elegiarum secundo hoc carmine,

> *Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.*

Hos quondam ductus aquarum] plumbeos fecere Romani, quod significat Papinius his versibus in primo Sylvarum.

> *Teque per obliquum penitus quae laberis amnem,*
> *Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo:*

De fluminum derivatione vide Julium Frontinum lib. iii. Strategematon.

36. ME DOCET IPSA PALES.] Narrat Idas, pecodum curam, & quicquid diligentissimus pastor observare debeat: *Pales* autem, est dea pabulorum de qua Virgilius in Daphnide,

> *Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.*

Pompejus, *Pales dicta est dea pastorum, cujus festa Palelia dicebantur, vel ut alii volunt, dicta Parilia, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant*, & nos plura alibi dicemus.

CULTUM ORNGIS.] Observationem ovium in cibo potu & foetura stabulisque faciendis.

UT NIGER ALBAE.] Ordo est, docet me Pales quemadmodum niger maritus mutet terga albae ovis in agna nascenti. hoc est quemadmodum nascantur agni unicolores & patrem referentes. nam, ut scribit Columella libro octavo Rei Rusticae, agni & partus retinent patris colorem. cujus verba subjecimus: *nam cum in municipium Gaditanum ex vicino Africae miri coloris Silvestres ac feri arietes sicut aliae bestiae muneratiis deportarentur. M. Columella patruus meus, acris vir ingenii atque illustris agricola, quosdam mercatus in agros transtulit & mansuefactos tectis ovibus admisit, hae primum hirtos sed paterni coloris agnos ediderunt, qui deinde & ipsi Tarentinis ovibus impositi, tenuioris velleris arietes progeneraverunt, ex his rursus quicquid conceptum est, maternam mollitiem, paternum & avitum retinuit colorem:* nonnunquam ut idem scribit ex albo fusci progignuntur, si palatus aut lingua non fuerit lanae concolor, unde cecinit poeta in tertio Georgicon.

> *Illum autem quamvis aries sit candidus ipse*
> *Nigra subest udo tantum cui lingua palato,*
> *Rejice, Ne maculis infuscet vellera pullis*
> *Nascentum.*

Idem monet Varro de Re Rustica secundo, *animadvertenda quoque lingua ne nigra aut varia sit, quod fere qui eam habent nigros aut varios procreant agnos:* Plinius libro octavo Naturalis Historiae, *atque in eo genere arietum maxime spectant ora, quia cujus coloris sub lingua habuere venae ejus & lanicium est in foetu.* Idem putat aquilonis flatu mares concipi austri vero foeminas.

38. DIVERSI PARENTIS.] Ob diversitatem sexus masculini & foeminini & coloris varii, non fit utriusque indicium quicquid nascetur, sed patrem tantummodo referat.

SERVARE.] Retinere.

SPECIAM.] Scilicet nigri & albi, est enim species, ut niger, albus, & est terminus significativus plurium differentium numero, & continetur sub Genere species. nam genus nunquam excludit sui speciem ut habetur lege prima. ff. de adoptionibus.

39. TESTETUR.] Demonstret & referat.

Am-

Ambiguo colore.] Qui non sit candidus neque fuscus sed mixtus, ut

Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo.

Ambiguam enim appellamus ancipitem & dubiam quamque qualis sit difficulter cognoscitur, ab Ovidio *ambigui lupi* appellatur lib VII. Met. his versibus.

Inque virum soliti vultus mutare ferinos,
Ambigui prosecta lupi.

Allusione quadam ad volgarem illam opinionem homines in lupos mutari arbitrantium: quod annotavit Plinius libro octavo Nat. Hist. qui refert ex gente Antei cujusdam sorte familiam electum ad stagnum quoddam regionis ejus duci; vestituque in quercu suspenso tranare atque abire in deserta transfigurarique in lupum, & cum ceteris ejusdem generis congregari per annos novem. ad hoc allusit Propertius in IV. eleg. his

Audax cantatae leges imponere Lunae.
Et sua nocturno fallere terga lupo.

Ambiguam & versipellem intelligens; versipellis enim Plaut. in Amphitr. dicitur Jupiter qui in quamlibet formam se mutare consuevit. ita versipellem se facit quando lubet: proverbium est *lupum auribus tenere*, quod in dubiis rebus usurpari solet. Sicuti & aliud *inter sacrum & saxum*, usurpatum in Captivis a Tindaro Plautino.

- - - Nunc ego omnino occidi,
Nunc ego inter sacrum saxumque sto nec quid faciam scio.

Gellius in XI. quosdam Philosophos notat semper ambigentes & nihil umquam verum esse affirmantes sed semper dubios a Graecis *Scepticos* fuisse appellatos, quos Latini ab auctore *Pyrrhone Pyrrhonios* vocitarunt: iidem *Aporetici* nuncupantur, quod semper addubitent, ut inquit Laërtius. apud nos vero non adeo haec invaluit ut *Pyrrhonios* omnes addubitantes salutemus, & peculiariter amicum quendam nostrum academicum.

40. Arte mea.] Quae ad curam spectat agelli & hortuli, nam ut scribit Plinius libro XIX. in XII. *tabulis nusquam nominatur villa, sed semper in significatione ea hortus, ut etiam pro horto agellum intelligere possis.*

Mutabilis] Arbos, quae mutatur insitione, ut nux persico invenio apud Columellam in sexto, tria insitionum genera, ex quibus se tertii inventorem fuisse gloriatur, hoc est emplastrationis. scribit Plinius libro XVII. Naturalis Historiae, insitionem casu hoc pacto inventam fuisse: *agricola sedulus casam sepis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limen subdidit ex hedera, at illae vivaci morsu apprehensae suam ex alieno fecere vitam, apparuitque truncum esse pro terra*: sed ut quoque verbis Plinianis insitionem doceam, *inseritur ferra aequaliter superficies, levigatur falce truncus, ratio postea duplex est: prima inter corticem lignumque inserendi, mox & medullae inserendi.* de hac insitione Virgilius in secundo Georgicon,

Aut rursum enodes trunci resecantur: & alte
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantae immittuntur: nec longum tempus & ingens
Exiit ad coelum ramis felicibus arbos:

Docet Servius insitionem fieri cum infisso trunco surculus foecundae arboris sterili inseritur, aut oculorum impositio, cum inciso cortice libro alienae arboris germen inserimus. sed ut de inoculatione nonnihil sit dictum, scias esse inoculationem, cum fistula sutoriae simili oculum in arbore aperimus cortice exciso, semenque includimus eadem fistula sublatum ex alia, de hac intelligit Maro in tertio Georgicon quamvis ipse *in nodo sinum quaerat*, ut inquit Plinius,

Nec modus inserere atque oculos imponere simplex,
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmae,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus, huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro:

Refert Plinius, arborem se tiliam juxta Tyburtes omni genere pomorum onustam vidisse, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis malorumque generibus, sed huic vitam fuisse brevem.

Induit.] Vestit & adoptat, ut apud Ovidium de Remedio Amoris libro primo.

Venerit insitio fac ramum ramus adoptet,
Stetque peregrinis arbor operta comis.

In hunc accipe significatum & illud Tibulli ex secundo elegiarum,

Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,

Ubi *consita pomus* pro insitione dicitur.

41. Non gentilia poma.] Non propria arboris, sed peregrina, sic Virgilius,

Miraturque novas frondes & non sua poma.

Gentiles enim dicuntur qui ex eadem sint familia, cum autem insitio ex arbore fiat diversa, non erit gentilicium pomum. *Gentiles* apud ecclesiasticos invenies pro idolorum cultoribus accipi Habet tamen antiqua lectio *non genitalia poma*, quod significabit poma non ex propria arbore genita sed insitione.

42. Malo pyra temperat.] Sic Virgilius,

Et saepe alterius ramos impune videmus,
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pyrum & prunus lapidosa rubescere corna.

Docet Palladius in tertio, quemadmodum agresti malo pyrus inseratur, amygdaloque & spinae. Virgilius in Bucolicis,

Insere nunc, Meliboee pyros pone ordine vites.

Invenies autem apud Plinium lib. XV. *alia cognomine superba, parva, & ocissima, alia crustumia, cunctis gratissima, alia falerna a potu quoniam tanta vis succi abundat, & ab auctoribus, quae Decumana, Dolabelliana, Pompejana, Liceriana, Severianaque cognominantur.* Apud Horatium in primo Epistolarum talis est, de pyris jocus.

Tu me fecisti locupletem, vescere sodes,
Jam satis est: at tu quantum vis tolle benigne,
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono quam si dimittar onustus.
Ut libet haec porcis hodie comedenda relinques.

Quem subscripsi ut quod apud nos frequens in usu proverbium celebratur ab antiquis emanasse, recognoscatur.

42. Tem-

42. TEMPERAT.] Miscet vel acerbitatem tollit. Consueverunt enim consitores pyrum sylvestre acerbum & acidum insitione mollioris temperare pomi, monet tamen Columella in sexto, ut quam generosissimis pyris pomaria conseramus: *pyrorum omnium cibus etiam valentibus onerosus est, aegris quoque vini modo negatur*, ut auctor est Plinius libro XXIII. Naturalis Historiae.

43. INSITA PERSICA.] Poma ex Perside advecta, unde nomen hujus arboris. quatuor traduntur a Plinio genera, sed Persicorum palmam Duracinis dant quas & nos peculiares habemus, inhaeret enim ossibus caro, ut nisi difficulter evellatur.

SUBREPERE.] Tacite insurgere: est autem *repere* animalium pedibus carentium. unde & ipsa *reptilia* appellata: infantem tamen *reptare* dicimus, quoniam pedibus uti nondum valet: Claudi. in Ruffi.

> *- - - Prima meo de matre cadentem*
> *Suscepi gremio, parvus reptavit in ipso*
> *Saepe sinu:*

PRAECOQUIBUS PRUNIS.] Cito maturescentibus, *praecoquum* enim & *praecox* appellamus maturescens, non tarde pomum. unde est illud, *odi praecocis ingenii puerum*. & *praecox risus* appellatur a Plinio in septimo qui ante legitimum tempus accidat: Plinius in decimo de persicis, *post autumnum maturescunt, aestate praecocia, intra triginta annos reperta*: scribit Marcellus *praecox*, & *praecocia* idem esse, quod immatura, ut apud Ennium Annalium libro octavo, *praecox pugna est* & apud Naevium, *huic puellae praecoquis libido inest*: Pruni autem genera sunt undecim, & prunorum turba versicolor (ut docet Plinius) ex hisque insitiones variae, nam in nucibus *Nuciprune*, in malis *insitomala*, in amygdalis *amygdalina* appellata sunt: pruna sylvestria ubique nascuntur, in hisque insitiones fiunt persicorum, sunt & *cerea Pruna* a colore dicta, de quibus Virgilius in Bucolicis,

> *Addam cerea pruna & honos erit huic quoque pomo:*

De prunis Palladius:

> *Pruna suis addunt felicia germina membris,*
> *Donaque cognato corpore laeta ferunt.*
> *Exarmat foetus, sed brachia robore armat*
> *Castaneae prunus jussa tenere larem.*

44. ME TENERAS SALICES.] Sunt salices expetibiles capris, unde Maro in Bucolicis.

> *- - - Non me pascente capellae*
> *Florentem cythisum, salices carpetis amaras:*

Amant loca humida ut docet Plinius libro. XVII. Naturalis Historiae, quoque propiores terrae foecundiores. Tradit Columella in quinto, salicis tria genera, *Graecae, Galicae*, & *Sabinae*, quam plurimi *amerinam* vocant, *Graeca* flavi coloris, & *galica* obsoleti purpurei & tenuissimi viminis: *Amerina* salix gracilem virgam & rutilam gerit, salicis octo genera traduntur a Plinio: a salice *salictum* dicitur, & *Saltectum* locus multa salice consitus. hoc nomine villam possident Bononienses, quod fortasse quondam multis fuerit conferta salicibus: est etiam *salictum* virgulti genus quod cito salit, ut docet Servius in Bucolicis super illo Virgiliano,

> *- - - Florem depasta salicti:*

OLEASTRA.] Silvestrem oleam, Sicut *pinaster* silvestris pinus dicitur: ita *oleaster* silvestris olea: Scribit Plinius in duodecimo Olivam Indiae sterilem inesse praeterquam oleastri fructu; de oleastro Palladius.

> *Foecundat sterilis pingues oleaster olivas,*
> *Et quae non novit munera ferre docet:*

Virgilius in secundo Georgicon.

> *Infelix superat foliis oleaster amaris:*

45. GREGIBUS PORTARE.] Teneris scilicet agnis, qui nondum stare valent, ut ita addiscant in pratis pascere.

46. PRIMO MORSU.] Tenero & nondum herbis assuefacto, quoniam cum desinunt lactari herbis eos assuefacimus.

GRAMINA.] Herbas, & accipitur hic pro omni herbarum genere ut

> *Quale sopor fessis in gramine:*

47. FOETURA.] Genitura, & ipsi agni. dicitur autem *foetura* proprie actus pariendi, hic pro partu accipitur: Plinius, *Optima foetura est post veinum aequinoctium*: *Foetus* vero dicitur partus sive terrae sive animalium, Virgilius,

> *Magnus alit magno commixtus corpore foetus:*

Lucretius in primo,

> *Huc accedit uti sine certis imbribus anni*
> *Laetificos nequeat foetus submittere tellus:*

Foetum aliquando *plenum* dicimus, ut apud Virgilium in primo Aeneidos.

> *- - - Loca foeta furentibus austris.*

Ubi haec Servius: *sciendum est autem dici foetam, & gravidam & partu liberatam*, docet Palladius in duodecimo ut agnos donec firmentur inter stabulum furfuribus, vel medica herba, vel (si est copia) farina ordeo ingesta cibari, donec conceptum paulisper robur aetatis pascuum matribus possint habere commune:

DEPULSA.] A lacte remota, *depellere* enim est agnos a lacte removere, ut docet Servius: Virgilius in Bucolicis,

> *- - - Romam Meliboee putavi*
> *Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus*
> *Pastores ovium teneros depellere foetus:*

In quam significantiam est & illud in Alexi,

> *Haedorumque gregem viridi compellere hibisco,*

Id est a lacte removere, ad ubiscumque ducere:

VAGOS PARENTES.] Huc & illuc vagantes, *Vagari* enim est errare, & discurrere nullo ordine; unde *Vaga luna* dicitur a poetis, & *vagi planetae*, veluti errones dicas, & erraticos. & haec omnia spectant ad curam gregis quae diligens pastor non omittet: libet subscribere ad hanc rem Apollonii Tyanei verba facientia, quem solitum dicere refert Philostratus in primo: *Anaxagoram Clazomenium ovibus & camelorum armen-*

tis nutriendis intentum, pecorum gratia magis, quam hominum philosopharum fuisse?

48. Et mihi cum fulvis.] Sensus est cum ob nimium aestum fit chasma, & aperitur terra, soleo irrigare aream, ne plantaria translata ex terra & solo uliginoso pinguique, desiderent quem habuerunt succum in priori ubi fuerunt loco:

Fulvis radicibus.] Epitheton est radicum, nam ut plurimum herbarum radices fulvae visuntur, fulvum autem colorem appellamus de russo atque viridi mixtum, ut docet Gellius libro secundo Noctium Atticarum, cujus verba subscripsi: *Fulvus autem videtur de russo atque viridi mixtus, in aliis plus viridis, in aliis plus russi habere*, Sic poëta verborum diligentissimus *fulvam aquilam* dicit, & *jaspidem, fulvos galeros & fulvum aurum*, & *arenam fulvam*, & *fulvum leonem*, Sic Q. Ennius in Annalibus, *fulvo aere* dixit. Flavus contra videtur ex viridi & russo, & albo concretus: Sic *flaventes comae*, & quod mirari quosdam video, *frondes olearum* a Virgilio dicuntur *flavae*, sic multo ante Pacuvius *aquam flavam* dixit, & *flavum pulverem*, cujus versus (quoniam sunt jucundissimi) libens commenini:

Cede tamen pedem lymphis flavis,
Flavum pulverem manibus iisdem,
Quibus Ulyxi saepe permulsi, abluam:
Lassitudinemque nimiam manuum mulitudine:

Tu vero & hoc amplius adjice *flavam Cererem* a poeta nuncupari in primo Georgicon, a calore maturarum Segetum, quem & rufum & subalbidum ex viridi tenere solent.

49. Area.] Aliquando pro loco lato accipitur, & spacioso, ut apud Ovidium in Epistolis.

Et patet in curas area lata meas,

Alias *area* dicitur locus qui ad trituram paratur, quam quomodo sternas docet Marcus Varro libro primo Rei Rusticae, & Palladios in septimo. Virgilius in primo Georgicon,

Area cum primum ingenti est aequanda cylindro,
Et vertenda manu & creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbae neu pulvere victa fatiscat:

Ita docet Palladius: *Tunc premenda est rotundo lapide vel columnae quocunque fragmento, cujus volutatio possit ejus spacia solidare.* ubi lapidem rotundum cylindrum intellige. est enim *cylindrus* lapis teres in modum columnae, qui a volubilitate nomen accipit ut docet Ser. hinc cylindros gemmas hac figura insignitas appellavere, Ju. sat. II,

Tu nube atque tace, donant arcana cylindros.

Hic *area* accipitur pro loco ubi plantae seruntur, ut apud Plinium libro decimo sexto Na. Hist *Deferendae ex arearum venis post annum in ulmaria.* & alibi, *solum apricum & quam amplissimum in seminario sive in vinea bidente pastinari debet, ternos pedes bipalio alto in area rejici quaternorum pedum fermento:*

Irriguo fonte.] Hoc est deducto per canaliculos ad herbas irrigandas: *Rigui horti*, appellantur qui possunt aqua irrigari: Ovidius in primo de Remedio Amoris,

Ipse potes riguis plantam defigere in hortis:

Sed non sunt tamen omnes horae dierum irrigationi aptae, nam rigandi matutina atque vespera, ne infervescat aqua sole: horae sunt utilissimae, ut docet Plinius libro decimo nono Naturalis Historiae:

50. Satiatur aqua.] Bibit usque ad satietatem:

Succos priores.] Quos habuit in priori loco onde translata fuerunt plantaria, omnia enim translata meliora, grandioraque fiunt, maxime porri napique ut inquit Plinius:

51. Languida plantaria.] Languescentia propter aestam, & succi inopiam: *Languidum* enim appellamus infirmum, & debilem atque lassum, in quem significatum est illud Plinii in tertio Epistolarum, *ne si longius esset extracta cognitio satietate, & taedio quodam, justiora cognoscentium severitasque languesceret*, hoc est, debilitaretur & flaccesceret: *plantaria* vero quoniam a *plantis* differunt ut docet Ser. super eo loco Virgiliano in II. Geor.

Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis:

dicuntur quae ex seminibus nata cum radicibus & terra propria transferuntur, cum plantae sint de arboribus raptae:

Plantaria.] Decenti translatione dicuntur a Persio in naribus pili nascentes qui tamquam plantaria a molli & cynedo evelluntur.

Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,

Quem secutus Ausonius ita reliquit,

Sed quod & elixo plantaria podice vellis
Et teris inclusas pumice clazomenas,
Causa latet, bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit, & tergo foemina pube vir es:

52. O si quis Crotalem.] Optat sibi amasiam deferri vovetque cuicunque deo qui illam obtulerit omnia consecrare:

Regnare sineretque.] Sensus est, si quis deorum Crotalem mihi afferat, dicam eum solum esse deum & caeteris regnare diis, & dixit *solum*, quoniam multos sibi deos instituit antiquitas, ut docet Augustinus de Civitate Dei, & Lactantius in primo Divinarum Institutionum, unde dictum est a Plinio libro secundo Naturalis Historiae, *majorem caelitum populum quam hominum intelligi posse.* Sed quoniam ut ipse refert idem Plinius, *deus est mortali juvare mortalem*, ita amator Idas putabit, existimabitque illum vere deum, a quo suppetiae sibi latae fuerint, etenim omnia praestat amanti, qui copiam ei faciat amasiae, unde apud Plautum in Curculione ait Amans Phedromus,

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites:
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi praelia,
Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeant
quod suum est:

Verissimum est quippe & illud Catullianum,

- - - Amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt:

Solum regnare.] Sine participatione. ille enim sum-

summus erit Jupiter, omnia regens, & solus omnia gubernans.

SYDERIBUS.] Pro toto positum coelo, *Sydus* Graeci *astron* appellant, est autem astron signum stellis coactum. facit differentiam Macrobius inter *Sydus* & *Stellam*, ita scribens in primo de Somno Scipionis, *Sed sunt stellae quidem singulares, ut erraticae quinque, & ceterae quae non admixtae aliis sole feruntur*, ita enim legendum est non *feruntur*: Sydera vero quae in aliquod Signum stellarum plurium compositione formantur, ut Aries, Taurus, ut Andromeda, Perseus vel Corona, & quaecunque variarum genera formarum in coelum recepta creduntur. Sic & apud Graec. *ἀστὴρ* & *ἄστρον* diversa significant, etenim aster stella una est & astron signum stellis coactum. *Asteris* apud Papinium nomen a stella deductum est,

Asterie & vatis totam cantata per urbem,
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu.

54. DICAM NEMUS.] Idest dicabo nemus, *dicere* enim ut notat Marcellus, aliquando significat dicare, ut apud Virgilium in sexto Aeneidos,

Junoni infernae dictus Sacer,

Id est dicatus:

NEMUS.] Quoniam inest quaedam nemoribus religio ut ait Servius super eo Virgiliano loco

Lucus in urbe fuit media:

Et quotiens loquitur de luco poëta, ait sequi consecrationem.

DICAMQUE.] Hoc est secundum ritum consecrantium: opus enim erat ut dicerent consecraturi: hic habitabit talis deus, quem ut opus erat nominabant unde legimus apud Pli. XXVIII. Nat. Histo. Olenum Calenum, Etruriae celeberrimum vatem, missis a populo Romano legatis cum in Tarpejo fodientes delubro fundamenta caput humanum invenissent, fortunatum id interrogatione in suam gentem transferre tentasse: scipioneque prius determinata templi imagine, in solo ante se, ita id machinatum fuisse, *hoc ergo dicitis Romani, hic templum Jovis Optimi Maximi futurum est: hic caput invenimus*, frustratum tamen responsione Romanorum, *non plane hic, sed Romae inventum caput dicimus*: haec vero Calpurnii verba ad consecrationem, illa ad evocationem fuere.

HOC NUMEN.] Cui consecratum vult esse nemus.

SUB ARBORE.] sc. nemoris, enicos dixit, hoc est singulariter pro sub arboribus.

55. ITE PROCUL.] Haec sunt verba, quae se dicturum promittit, ut prophanos propellat a religioso nemore.

PROCUL.] A longe dicitur, Virgilius in Bucolicis.

Dumosa pendere procul de rupe videbo.

SACER EST LOCUS.] I. e. consecratus, & deo dicatus, Sic Persius.

Pinge duos angues, sacer est pueri locus, extra
Mejite, discedo:

Scribit Servius in quinto Aeneidos super eo Virgiliano,

Septem ingens gyros septena volumina traxit,

Nullum esse locum qui genio careat, qui per anguem plerumque ostenditur, ob idque dictum a Persio,

Pinge duos angues.

Sacrosanctum vero dictum quod jurejurando interposito erat institutum, ut si quis violasset morte poenas penderet, & leges *sacratae*, quibus sanciebant, ut si quis adversum eas fecisset, Sacer alicui deorum esset cum familia, pecuniaque. *Sacer* autem homo est, qui ob aliquod delictum obnoxius est immolationi: unde proverbium est, *inter sacrum & saxum*, de quo supra meminimus:

PROFANI.] Inquinati dicuntur & irreligiosi, unde *prophana mens* quae nulla tenetur religione: Apulejus in undecimo de Asino Aureo, *id sacrum nec sollicita nec prophana mente debebas aperire*: Scribit Pompejus *prophanum* id dici, quod fani religione non tenetur: unde *prophanare* verbum, quod significat omnia commaculare, & inquinare: plerumque pro non initiatis accipiuntur, ut apud Virgilium,

- - - procul o procul este prophani,

auctore Servio, in quem significatum & illud Satyrographi accipiendum;

- - - Ite prophanae,
Clamatur, unico gemit hic tibicina cornu:

Cyprianus, *Quare qui cum domino sumus, & unitatem domini tenemus, & secundum ejus dignationem sacerdotium ejus in ecclesia administramus, quaecunque adversarii ejus Antichristi faciunt, repudiare & rejicere & pro prophanis habere debemus:*

56. URIMUR IN CROTALEM: Pulcher loquendi modus, pro vehementer Crotalem amo, *Uri* enim dicuntur amantes qui excruciantur, & affliguntur immenso desiderio puellae potiundae: Ovidius in Epistolis.

Uror, ut indomitis ignem exercentibus euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager:

Horatius in tertio Carminum,

Persanum vigui rege beatior,
Donec non alia magis arsisti.

VOTA.] Desideria, *vota* aliquando pro concubitu accipiuntur, ut apud Ovidium libro primo Fastorum:

Gaudet, & a pedibus tracto velamine Vota
Ad sua felix coepetat ire via:

Vovere, est alicui deorum rem aliquam promittere, & *devovere* pro voto spondere. Tibullus.

Non tibi sed juveni cuidam vult bella videri,
Devoveat pro quo remque domumque tuam:

Alias addictum reddere significat apud eundem poetam.

Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
Devovet, & flavis nostra puella comis.

Ovidius in Ibin,

Illum ego devoveo quem mens intelligit Ibin,
Qui scit se factis hoc meruisse preces.

Ubi *devovere* exectabilibus verbis hominem sacrum reddere significat:

57. ADOTAT.] Quoniam Epicurei deum nihil curare existimaverunt, Cicero in primo de Natura Deorum, *Quod si ita est, vera exposita illa sententia est ab Epicuro, quod aeternum beatumque sit id nec habere ipsum negotii quidquam nec exhibere alteri, itaque neque gratia teneri*: in quam sententiam est illud Claudiani,

Humanae superos nunquam tetigere querelae,
Nec vaga securum penetrant convitia coelum.

Ibi enim secundum Epicureos locutus est, sicuti Lucretius in primo,

Omnis enim per se divum natura necesse est
Immortali aevo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus sejunctaque longe.

Contra est illud Virgilianum.

Nec curare deum credis mortalia quemquam?

Ubi Stoice locutus:

HUIC SIMILIS.] Legendum est *soli* ex veteri codice, & talis est ordo: si quis deorum vota audiet mea, illi solus ponetur faginus inter pampineas ulmos, qua scilicet parte fons gemmeus ducit aquas virides, & percurrit lilia tremulo rivo: applaudo tamen priori lectioni, ut similem appellet faginum deo sibi pro desiderio respondenti: consimile est illud Satyrographi poetae,

Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit,

Hoc est statuam Pittaco similem:

GEMMEUS FONS.] Perspicuus lucidus & gemmae concolor, ita *Gemmeos florum honores* appellavit Virg. in Hortulo, & *balnea gemmantia* Papinius in primo Silvarum: *gemmam* appellat Columella in vitibus oculos quosdam, in folia erumpentes: ita Virgilius,

- - - Jam laeto turgent in palmite gemmae.

Itaque Naso in tertio de Arte Amandi,

Quod nova terra parit flores cum vere tepente
Vitis agit gemmas, pigraque fugit hyems.

58. AGIT.] Ducit, ut,

- - - En ipse capellas
Protinus aeger ago.

i. e. duco: Martialis in primo,

Si res & causas desint, agit Attale mulas.

UNDAS VIRIDES.] Id est muscosas, dicuntur enim *muscosi* fontes lanugine quadam viridi conspersi: videtur alludere ad smaragdos, qui cum virides sint tamen perlucidi sunt, his tertiam inter lapides dignitatem Theophrastus tribuit, *praecipuus est honor Scythicis* (ut inquit Solinus) *nihilque his jucundius, nihil utilius vident oculi, imprimis virent ultra aquaticum gramen, ultraque amnicas herbas, deinde obtutus fatigatos coloris reficiunt levitate, nam visus, quos alterius gemmae fulgor retuderit, smaragdi recreant*: hos Plinius libro XXXVII. Naturalis Historiae refert, si sint extensi, corporis eadem, qua specula ratione, imagines rerum reddere.

PERCURRIT.] Irrigat: Virg. in Hortulo,

Non desit hortis & voluptas maxima
Multisque commixta modis jucunditas.
Aquae strepentis vitreus ambit liquor
Sulcoque ductus irrigat rivus sata.

LILIA.] Est lilium rosae nobilitate proximum, cujus excelsitas omnes alios flores vincit, candor ejus eximius foliis foris striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie calathi resupinis per ambitum labris, tenuique filo & semine stantibus in medio crocis, auctor Plinius libro XXI. Naturalis Historiae: oleum liliaceum ita fieri docet Palladius in. VI. *per olei libras singulas dena lilia curabis infundere, & vas vitreum xl. diebus locare sub divo.*

TREMULO RIVO.] Salienti propter aquae decursum: Virg. in Bucolicis.

- - - Quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

59. FAGINUS.] Ex fago fabrefactus. Solent enim rustici deos suos ex ligno dedolare, & in effigiem divinam deducere, unde apud Horatium in primo Sermonum ita loquitur Priapus, hortorum deus,

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum.

Ita Tibullus in primo,

Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus:

Hos itaque in compitis & triviis ponebant ex stipite factos, quare inquit idem Tibullus elegeia prima:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

De ligneis deis intelligens: unde ita cecinit alibi,

Nec pudeat prisco vos esse e stipite factos
Sic veteris sedes incoluistis avi:

De ligneis deis fit mentio a Cicerone in sexto Verrinarum his ferme verbis, *Nullum unquam horum reliquit, neque enim aliud ullum tum praeter unum vetus ligneum Bonam Fortunam* (ut opinor) *eam iste domi suae habere voluit*: *Faginum* autem dixit quasi rem maximam ut exponit etiam Servius super eo loco in Bucolicis Poetae:

Quoniam tibi pocula ponam
Fagina,

Ita Tibullus,

Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.

ULMOS PAMPINEAS.] i. e. vitiferas, *materiae enim vitiumque amicitia accipitur ulmus*, ut scribit Plinius in XVI. nosque jam supra retulimus.

60. NEC CONTEMNE CASAS.] Imitatio est Virgiliana, sic ipse in Alexi:

O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas, & figere cervos:

Sunt enim proprie casae humilium & rusticorum, Tibullus in primo.

Quis potius laudandus is est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa?

Et in secundo.

Et

Et stabant humiles in Jovis arce casae.

Statius in XII. Thebaidos,

- - - Tellumque aggesta propinquae
Pastorale casae, reficit spiramina fessi
Ignis.

61. RUSTICUS EST FATEOR.] Inquit se habitatorem ruris esse quidem, non attamen barbarum, hoc est barbariae amatorem: *Rusticus* hic accipitur pro agrorum cultore, non sicuti apud Virgilium in Bucolicis,

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis.

Ibi enim *rusticus* pro fatuo & stulto debet intelligi: At apud Ovidium pro ineleganti in secundo de arte amandi,

Quid facinus? vir abest, & adest non rusticus hospes.

Id est non inelegans: alibi *Rusticam* pro difficili dixit, atque duram:

Nec Venus oranti? nec enim dea mollior ulla est,
Rustica Gradivo difficilisque fuit.

Rusticus sermo, ut annotavit Gellius libro decimo tertio Noctium Atticarum: *ex P. Nigidii auctoritate fit*, perperam aspires.

NON BARBARUS.] Non incultus, *barbaros* antiquitas gentes omnes praeter Graecos appellavit, *nosque Graeci*, ut inquit Cato, *habent barbaros*: *Barbarus* hic sumitur pro immundo, & insipido aspereque loquenti. Unde *barbara verba* & dictio insipida & Romanam non illam callens facundiam dicitur, hincque *barbarismus*, quamvis non purae integraeque vocis esse putet Gellius.

62. SAEPE VAPORATA.] Morem exprimit sacrificantium, qui aras vaporatas ad victimam e consumendam, hoc est holocaustum faciendum, construunt: Virg.

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Hunc morem designavit Persius Satyra tertia,

- - - Quo pessime pacto,
Tot tibi cum in flammas Junicum omenta liquescant.

PALPITAT.] Tremit, & frequenter movetur: est autem *palpitare* proprie morientis victimae & cultro perfossae: sic Lucanus, cum morientis linguam excisam describeret.

Avulsae cecidere manus, exsectaque lingua,
Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu:

Statius in nono Thebaidos,

- - - His ardens ignis
Palpitat, & gemitus tandem irrupere paterni.

Ubi *palpitat*, idest movetur, exponit Lactantius: Plinius in undecimo de cerebro, *uni hominum in infantia palpitat, nec roboratur ante primum sermonis exordium.*

VAPORATO CESPITE.] Ara flammis circundata, *vaporem* enim flammam dicimus: Ovidius in secundo Tristium,

Omnia nunc credo cum tu non stultus ab alto,
Tecta vapor dederit Ausoniamque patat.

A *vapore vaporarium*, quod est in balneis, denominatum fuit.

CESPES.] Ut notat Pompejus, terra est in modum lateris caesa, cum herba sive frutex recisus & truncatus, Horatius.

Hic mihi vivum cespitem, hic verbenas pueri ponite.

Lucanus in decimo,

Erexit subitas congestu cespitis aras.

62. CADIT.] Mactatur. sic Tibullus.

Agna cadet vobis.

FESTIS PALILIBUS.] *Palilia* festa sunt Pali deae dicata, de quibus Ovidius libro quarto Fastorum.

Nox abiit oriturque aurora, Palilia poscor,
Non poscor frustra si favet alma Pales.

Scribit Probus appellari *Parilia* littera transposita, quae quoniam pro partu corporis celebrantur dicta esse existimavere quidam: Persius

- - - Et fumosa Parilia foeno.

Putat] M. Varro libro Linguae Latinae secundo, *Palilia dicta a Pale, quod feriae ei deae fiunt, ut Cerealia a Cerere, Vinalia a vino*: scribit Plutarchus in Romulo ad XII. Kal. Maji urbem condi esse coeptam, illumque diem Romanos festum agere, quem *Palilia* nuncupaverunt: unde Propertius in Quarto Elegiarum ita cecinit,

Urbi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus coepit moenibus esse dies.

Hinc *Palilicium sydus* dictum existimat Plinius libro XVIII. Naturalis Historiae ita scribens, *Assyrias autem XII. calendas. hoc est vulgo appellatum sidus Palicium, quoniam XI. Cal. Maji urbis Romae natalis, quo fere serenitas redditur*: *Palici* autem dii (ut & hoc inseramus) non parum multis coudacibiles, vel his praecipue qui Virgilianum illud legerint.]

- - - Pinguis ubi & placabilis ara Palici,

Appellati sunt ἀπὸ τῦ πάλιν ἱκέσθαι. quoniam prius in terram mersi denuo inde regressi sunt, hi Dei in Sicilia coluntur, quorum ara *pinguis* vocitata est, ab ubertate illa frugum, quam in eorum aram Siculi congesserunt a sterilitate relevati: Historiam plenam apud unicum Macrobium quod quidem meminerim inter Latinos libro quinto Saturnalium invenies.

63. NOS QUOQUE POMIFERI.] Sic Tibullus,

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum Agricolae ponitur ante deum.

Scribit Plutarchus in Problematis, copiosos, & locupletes antiquitus Herculi decimam reddere solitos, ut molestas, nimiasque divitias comminuentes, aliquid bonae corporis habitudini ad summum provectae detraherent, eumque ita delectati existimasse luxuriam coërcere, & comprimere, quod ipse paucis contentus, tenuiter continenterque vixisset.

64. PRIMITIAE.] Dicuntur hic fructus qui primi in agro nati Deo offeruntur.

POMIFERI.] Ferentis poma, *pomosum* appellavit Tibullus in primo,

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.

A pomis *pomaria* dicuntur loca pomis consita, *pomaria in loco frigido, ac sicco contabulari* praecipit Plinius.

LARIBUS.] Deis familiaribus, *Larem* eundem esse existimavit quem & genium dicimus Censorinus in libro de Die Natali, cujus verba subscripsi: *Genius est Deus cujus in tutela ut quisque natus est vivit, sive quod ut generemur curat, sive quod gignitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipiat ac tueatur, certe a gignendo genius appellatur. eundem esse genium & larem multi veteres memoriae prodiderunt, in quis etiam Cajus Flaccus in libro quem ad Caesarem de indigitamentis reliquit scriptum.* De his Tibullus,

Sed patrii servate lares, aluistis & idem,
Cursarem vestros cum puer ante pedes.

Ovidius in secundo Fastorum,

Et vigilant nostra semper in urbe lares:

Lar familiaris Deus a Plauto in Aulularia inducitur destossum thesaurum sub sua concreditum tutela tueri: a *Lare lararium* dixerunt, locum lari dicatum: Sunt vero *lares* ex minuta deorum turba, & *patellarii* (ut inquit Plautus in Cistellaria) unde Ovidius in Ibin,

Vos quoque plebs superum Fauni, Satyrique Laresque.

65. FINGERE.] Legendum est *Fundere*, ut

Funde merum genio.

Fundere ut notat Marcellus, dare significat, Virgilius in Bucolicis,

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Cicero in quinto Tusculanarum Quaestionum, *ut aut flores aut fundant baccas.*

LIBA.] Libum placentae genus est (ut scribit Servius) super eo Virgiliano in Bucolicis,

Sinum lactis & haec tibi liba Priape quotannis,
Expectare sat est.

Ovidius in tertio Tristium,

Libaque dem pro te genitale notantia tempus,

Et in quarto.

Lucifer amborum natalibus adfuit idem,
Una celebrata est per duo liba dies:

Fiebat autem ex farre & melle oleoque, ex milio autem in Palilibus. Ovidius in quarto Fastorum.

Libaque de milio, milium fiscella sequatur,
Rustica praecipue est hoc dea laeta cibo.

Cato hoc pacto libum fieri docet in libris Rei Rusticae. *Libum hoc modo facito, casei pondo II. in mortario bene disterat, ubi bene distriverit, farinae siligineae libram, aut si voles tenerius esse, selibram similaginis solum indito, permiscetoque cum caseo bene, ovum unum addito, & una bene permisceto, inde panem facito, folia subdito, in foco calido sub testu coquito leniter:* Liba dicta sunt a *libando*, eo quod *libentur* antea quam comesta sint.

66. RORANTES FAGOS.] Roscidos, hoc est rore aspersos, vel melius melle rorantes, Apes enim ut inquit Virgilius in quarto Georgicon.

Saepe etiam effossis (si vera est fama) latebris,
Sub terra fodere larem, penitusque repertae
Pumicibusque cavis, exesaeque arboris antro.

Dixitque *fagos*, quoniam saepius in fago inveniuntur quam alia arbore: Claudianus de Raptu Proserpinae,

- - - Credas examina fundi,
Hyblaeum raptura Thymum, cum cerea reges
Castra movent, fagique cavo demissus ab alvo,
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.

LIQUENTIA.] Defaecata & pura ut exponit Servius, super eo Virgiliano in primo Aeneidos,

- - - Aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

quod & ipse in quarto Georgicon ita exposuit,

- - - Atque purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.

67 NEC FORE GRATA MINUS.] Sensus est: haec quamquam sint parva, non minus suam, quam si caprum sacrificarem: nam, ut inquit Plinius, *mola tantum salsa litant, qui non habent thura, nec ulli fuit vitio deos colere quoquo modo posset*, in quam sententiam est illud Persianum.

Haec cedo admoveam Templis & farre litabo.

Gratissima esse diis mella ostendit Marcus Varro in secundo de Re Rustica his verbis, *mel deis & hominibus acceptum. quod favus venit in altaria. & mel ad principia convivii, & in secundam mensam administratur.*

CAPER.] Est proprie castratus, nam hircus est gregis vir, quamvis a Virgilio in Bucolicis dictum sit

Vir gregis ipse caper.

Ibi enim pro hirco caprum posuit: Martialis.

Cum jugulas hircum factus es ipse caper.

Dicti autem sunt & *caper* & *caprae* a *carpendo*, ut docet Varro. Immolatur Caper Baccho, quoniam vites rodit quae in Bacchi sunt tutela, Ovidius in primo Fastorum:

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit erit:

Quem locum vir undecunque doctus Angelus Policianus ab Eveno poeta Graeco translatitium fuisse patefecit: prius q: e recognovit in libris Miscellaneorum suorum:

IMBUAT.] Imbuere est inchoare & initiare. Virgilius in Bucolicis,

Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus:

Ubi haec Servius, *imbuere, est proprie inchoare & initiare, cur ergo eandem rem saepe inchoat, quia saepe pascua mutant pastores, unde toties aras imbuunt, quoties pascua mutant, sed etiam apud majores Imbuere est perfundere, & madefacere ergo possumus dicere absolute saepe perfundet:* Existimat Marcellus, *imbuere* esse proprie ma-

maculare, vel polluere, vel inficere amplius, Salustius in Catilinarin, *quasi veneno malo corpus animumque virilem effeminat.* Virgil. in Sexto Aenei.

Quae sors prima dedit sanguis novus imbuit arma.

67. MILLE SUB VUBERIBUS.] *Mille* pro infinito positum numero, sicut apud Virgilium in Bucolicis,

Mille meae Siculis errant in montibus agnae:

Et in primo Aeneidos,

- - - O terque quaterque beati.

Ero saepius & infinite: At melius Ovidius libro decimo tertio Metamorphoseos, qui Polyphemum ita loquentem inducit.

Hoc pecus omne meum est, multae quoque vallibus errant,
Multas sylva tegit, multae stabulantur in antris,
Nec si forte roges, possim tibi dicere quot sunt,
Pauperis est numerare pecus.

68. PASCIMUS.] Nutrimus, ut,

- - - Quicunque sub illice lentas
Pascit oves.

BALANTES AGNAS.] Vel propter desiderium natorum vocem emittentes; vel *palantes* lege, ut in antiquis codicibus legitur: *Balatus*, est proprie vox ovium, Ovidius de vocibus animalium.

- - - Et pia balat ovis,

Vir. in tertio Geor.

Balatu pecorum & crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripae, collesque supini:

Plautus translative dixit in Bacchidibus,

Pastor harum dormit cum eunt sic a pecu balitantes.

De foeminis loquens: libet subnectere Varronis ex lib. Rei Ru. secundo verba: *ergo quam dixi, & dignitas quam dicam; de antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Graeca, & Latina Lingua, & veteres poetae, qui alios vocant Polydamas, alios Polymelas, alios Polybutas, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles prodiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur, & in Colchide Oeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae, ut in Lybia ad Hesperides, unde aurea mala. i. e. secundum antiquam consuetudinem capras & oves, quas Hercules ex Africa in Graeciam exportavit: ea enim sua voce Graeci appellaverunt mala: nec multo secus nostri ab eadem voce, sed alia littera, vox enim earum non me. sed be. sonare videtur: oves vocem efferentes, a quo post balare dicunt, extrita littera, ut in multis:* Sed & ut *palantes* (si ita legas) intelligas quid significet: exponim *palantes* i. e. errantes, & vagas, atque segregatas. ita *palatos* apud Livium invenies pro dispersis, nec legionariis agentibus: illius sunt verba ex primo ab urbe condita, *dum ea ibi Romani gerunt, Antemnatium exercitus per occasionem ac solitudinem hostiliter in fines Romanos incursionem facit, raptim ad hos Romana legio deducta, palatos oppressit:* Ovi. li. xv. Met.

Palantesque homines passim ac rationis egentes
Despectare procul:

TARENTINAE MATRES.] Ut nobiliores expressit, nam *Tarentinum pecudum genus ex omnibus mollissimum est*, ut scribit Col. li. VIII. Rei Ru. *quod tamen nullam domini, aut magistrorum ineptiam sustinet, multoque minus avaritiam, nec aestus, nec rigoris patiens, raro foris plerumque domi alitur:* Scti. Pli. in VIII. Nat. Hi lanam laudatissimam esse Apulam, & quae in Italia Graeci pecoris appellatur, quod tu intellige Tarentini ex verbis Col. ita scribentis, *Graecum pecus quod plerique Tarentinum vocant, nisi cum domini praesentia est, vix expedit habere, si quidem & curam & cibum majorem desiderat*, idem Pli. *Circa Canusium Tarentumque summam nobilitatem habent:* de hoc tenui mollique vellere Tarentino sc. intellexit Per. sat. II. illo car.

Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,

Est enim Tarentum breve Calabriae oppidum quod Taras Neptuni filius fabricaverat: ut docet Ser. super eo Vir. in III. Aenei.

Hinc sinus Herculei (Si vera est fama) Tarenti Cernitur:

Ponitur a Pli. id oppidum in II. Europae sinu: sed ne te vocum decipiat similitudo, scias *Tarentum* aliud esse quam *Terentum*, est enim *Terentus* locus Romae in Campo Martio dictus quod eo loco ara Ditis patris in terra occultaretur, ut Auctor est Pompejus: de hoc meminit Papinius libro primo Sylvarum, hoc versu,

Aut instaurati peccaverit ara Terenti.

PRAESTANT VELLERA.] Ad usum vestium, & quoniam agnas dixerat, postea *matres* addidit, ut fecundam sobolem sit intelligere:

69. PER TOTUM NIVEUS.] Sic Vir. in Alexi,

Lac mihi non aestate novum non frigore defit:

Ovidius libro decimo tertio Metamorphoseos.

Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda
Servatur: partem liquefacta coagula durant:

NIVEUS.] Alludit ad recentem caseum, nam in dies postea colorem mutat inveterascens:

70. TOTUS MIHI SERVIET ANNUS.] Legendum est *hornus* ex integra lectione, tali sensu: cum omnia haec supradicta munera pro votis obveniant, te adveniente inserviet caseus per totum annum, hoc est casei nobis nunquam deficiet copia, *hornum* enim appellamus unius anni, sic *horna frux* ab Horatio in tertio Carminum appellatur annua his,

Si thure placaris & horna
Fruge lares avidaque porca:

Ita *hornotinae nuces* apud Catonem intellige annuas: & *hornotinas plantas* apud Columellam: Cicero libro quinto Verrinarum, *hoc quantum est ex Sicilia frumenti hornotini exaraverunt:* Petronius Arbiter, *spumabat pateris hornus liquor*, idest annuus: *hornus* ergo *caseus* id est annuus, qui per totum durat annum, *mihi serviet*, sive intelligas totus annus mihi serviet, hoc est omnia mihi succedent pro votis. sive in toto anno te adveniente.

71. QUI NUMERARE VELIT.] Citius inquit numerabuntur in campis quot sint aristae: quam pomorum nostrorum numerus recenseri possit:

72. LEGAM.] Colligam: ut apud Virgilium in Alexi.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala:

Et in Pharmaceutria,

Sepibus in nostris parvam te roscida mala:
Dux ego vester eram vidi cum matre legentem:

Legere est proprie pomorum & rerum quae manu colliguntur, unde *legumina* vel (ut Gallicani appellant) *legassa* dicta, utraque a *legendo*, quod ea non secantur, sed vellendo, leguntur, teste Varrone: hincque *legulous* nuncupatus, qui legit vel poma vel uvae botryones sive hujusmodi caetera: Calpurnius.

- - - Extremas legulus cum sustulit uvas:

Aristas.] Spicas frumenti. quod esset difficillimum: vel melius summitatem illam & cornua quae sunt in spica supereminentia intelligas, *Arista* enim ut docet Varro libro de Re Rustica primo, dicta est *quod arescit prima granum gerendo, id enim ut gerat spica fertur frumentum, non ut glumam, hoc est folliculum* (ita enim *gluma* significat apud Varronem) *aut aristam gerat, ut vitis feritur, non ut pampinum ferat sed uvam:* *spica* autem ejusdem auctoritate a *spe* denominata fuit, cum enim quod sperant fore serunt, hinc dictum est a Tibullo libro secundo Elegiarum,

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno foenere reddat ager,

Non simpliciter ut aliqui putant: in Codice antiquo invenimus *arenas*, notissimo significatu, difficulter enim arenae minutias quisquam numerabit.

73. Semper olus metimus.] Olus dicitur omnis hortensis herba pauperum, peculiare itaque ut plerumque accipitur sicuti hoc in loco, oleri & cauli principatum tribuit Plinius, qui tradit idem libro vigesimo Naturalis Historiae, Syriam in hortis operosissimam fuisse, indeque esse Graecis proverbium *multa Syrorum olera*: scribit Palladius in quarto, blitum olus cum semel natum fuerit ipsum se per multa secula seminis sui dejectione reparare, ut etiam si velis, vix possit aboleri: olusatrum vero quod a colore subnigro foliorum vocari putant, asserentibus quibusdam herbam illam esse quam a semine spinoso spinacium appellant, e lachryma caudicis sui nascitur, seminique & radice: a Graecis hipposelinum ab aliisque smirnium nuncupatur, sapore murrhae ut asserunt qui ejus succum colligunt auctore Plinio libro decimo Naturalis Historiae. est & olus molle de quo fit mentio ab Apicio in Cepurico suo: uoico tamen ut dixi olerum verbo hortensia cuncta comprehenduntur: *olus* a Persio pro re parca tenuique ponitur leges satyra sexta.

- - - Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum:

Hinc est illud Aristippi celeberrimum, quem cum praetereuntem Diogenes olera abluens objurgaret, inquiens: *ista tu si tibi parare didicisses tyrannorum aulas non adeo foedus assentator adires*, ita ad illum conversus respondit. *si tu cum hominibus versari scires, olera profecto non lavisses.* auctor Laër. hoc ita decenter tetigit Hor. li. primo Epistolarum,

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus: si sciret regibus uti,
Fastidiret olus:

Scribit Philostratus in primo, Appollonium Tyaneum solitum oleribus vesci, quoniam pura esse existimabat quaecunque a terra hominibus darentur, unde est illud Pythagorae apud Ovidium Libro vigesimo Metamorphoseos.

Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine caede & sanguine praebet:

Nec bruma.] *Brumam* pro hyeme posuit, est enim *bruma* a brevitate dicta dierum, ut notat Macrobius, nam tempus quo angusta lux est, cum velut abrasis incrementis angustaque manente extantia ad minimum diei sol pervenit spatium, veteres appellavere brumale solstitium. unde apud Aegyptios, cum Osirim simulachro solis indicare volunt, raso capite figuravere, brevitati dierum alludentes: a *Bruma* ut scribit Plinius libro XVIII. Naturalis Historiae, *incrementa lucis angescunt, & aequantur noctibus verno aequinoctio in diebus XC. tribus horis: deinde superant noctes ad solstitium diebus nonaginta tribus horis. XII. inde decrescit lux usque ad aequinoctium autumni, diebus uno & nonaginta: horis duodecim & cum aequata die procedit ex eo ad brumam diebus. LXXXIX. horis tribus:* quem locum in omnibus fere exemplaribus depravatum restituit beneficio Codri, viri temporibus nostris eruditissimi, cujus obitu multum & Graecae & Latinae amiserunt litterae, qui restituendum codicem primus nos docuit: *Bruma*, ut plerumque, a poëtis pro hyeme ponitur, ita *horrida bruma* a Vir. dicitur propter immodicum frigus: Luc. in. 1. Phar.

Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Astringit Scythicum glaciali frigore pontum,

Papi. in Syl.

- - - Cedant quae te jam Solibus arctis
Avia nimbosa revocabunt littora bruma:

Per.

Admovit te bruma foco jam Basse Sabino:

Apud quos omnes hyemem pro bruma est intelligere: *Bruma tunc intelligitur cum brevissimi sunt dies, & bruma lux augetur sole in octava parte capricorni existente*, ut docet Pli. in. II.

Impedit.] Implicat, & hic prohibet: *impedire* est proprie verbum ad implicationem pertinens pedum: itaque *impeditus* dicitur quasi pedes alligatus. Nonius. Marcellus: *impedire est implicare, involvere*, Virg. li. v. Aene.

Haud aliter tenerum nate vestigia cursum
Impediunt:

Alias, *impedire* est sordidare & ad probrum ducere, ut apud Pla. in Amphi.

Immo ego hunc Thebani cives qui domi uxorem meam
Impudicitia impediunt:

Et sunt *pedicas* impedimenta pedum, sicut *manicas* manuum: Plau. in Asi.

- - - Ulmorum virtute freti
Qui adversum stimulos: laminas, crucesque, compedes:
Nervos: catenas: carceres numellas pedicas bojas.

Bojae enim ut & hoc obiter enarremus sunt ad vinciendos pedes vincula ferrea vel lignea, unde talis est jocus apud Plau. in Capti.

- - Si

- - - Si cujus nunc est : hujus Sojam terit
Liberorum quaerendorum causa ei credo nunc data est,

Cum ad pedicas & pedum vincula alluderet :

74. Totus tibi serviet hor.] Tu sola hortuli nostri eris domina, illeque servitio tantum dicabitur tuo :

75. Quamvis siccus ager.] Objicit illi continuum ex pecude foetum & fructum, nec impedit ferventi aestate qua Astaci languescit hortus : *Siccus ager.* aridus & propter aestatem timosus fitiensque.

Excoquat.] Valde coquat. Per. Sat. IV.

- - - Insana canicula messes
Jam dudum coquit

Ubi tamen verbum hoc pro maturat positum, sicuti apud Pli. *aegrescunt sinageuis diebus siti, maxime antequam fice coquantur autumno* : est & verbum *concoquere*, quod ad digestionem pertinet : Mar. in I.

Bene concoquit Carinus & tamen pallet.

In quam significantiam est illud Per.

Stertimus indomitum quod despumare falernum
Sufficiat :

Ubi *despumare* pro decoquere dictum : *concoctores qui* bene concoquunt appellantur, ut e contra qui male, cruди, monet Corne Celsus in primo, *si quis imbecillis stomachi mane non concoxisse sentiat, ex toto conquiescere debet, ac neque labori se neque exercitationi neque negotio credere* :

76. Sinu.] Accipio ut apud Virgil. in Bucolicis.

At tu sume pedum,

Id est accipe :

Calathi coactos.] Id est plenos, vel coagulatos, pro ipso lacte coagulato :

Mutanti.] Legendum est *nutanti*, hoc est tremulo, & ambiguo, in quam se moveat partem. est vero calathus vasculi genus a Graecis *calathus*, nostris *quasillus* appellatus, ut docet Pompejus : Virgilius in Alexi,

Huc ades o formose puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphae calathis.

Cicero in Philippicis, *At vero inter quasilla pendatur aurum.*

77. Vellera tunc dabimus.] Tempus intelligit aptum tonsurae, quod observatur cum ver ad aestatem vergit, de qua re Columellae subnectam verba ex libro Rei Rusticae octavo : *Tonsurae certum tempus anni per omnes regiones servari non potest, cum nec ubique tarde nec celeriter aestas ingruit, & est modus optimus considerare tempestates quibus ovis neque frigus, si lanam detraxeris, neque aestum si nondum detonderis, sentiat.*

Tempus apricum.] Ver intellige. *Apricum* teste Pompejo appellamus locum a sole apertum, a Graeco vocabulo quasi *ἄνευ φρίκης* id est sine *horrore* videlicet *frigoris*, unde etiam putatur *Africa* appellari. ab *aprico* *aprici* dicuntur senes a Persio, quia apricis locis delectantur. unde est illud Ausonii poetae.

Tempus erit cum pro fluctus terobilis hora
Mulcentem curas seniaque aprica senectam
Materiae commendet caves :

A Vir. *apricatio* dicuntur solem undique admittentes : exemplum est Diogenis memoratissimum, quem cum apricantem Alexander rogaret ut si quid sibi opus esset diceret, ut paululum a sole abesset, petiit, auctor Cicero in quinto Tusculanarum & Laertius. hinc extat illud Satyrographi poetae :

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic qui
Nil cuperet quam qui totum sibi posceret orbem :

78. Tepidis Kalendis.] Aprilis intelligo : namquia ver aperit tunc omnia, densaque cedit frigoris asperitas : foetaque terra patet, *Aprilem* memorant ab aperto tempore dictum.

Quem Venus injecta vendicat alma manu.

ut, cecinit Ovidius libro quarto Fastorum. *Aprilem* quasi *aphrilem* dictam a *spuma* quam Graeci *ἀφρὸν* vocant, docet Macrobius libro primo Saturnalium, unde orta Venus creditur, quamvis in libro de Fastis (ut idem refert) imperite quosdam Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse opinari existimet, cum nullus dies festus nullumque insigne sacrificium per hunc mensem Veneri a majoribus institutum sit, cui consentit Varro: ab *aperiendoque* dictum volunt : *Anthesterion* apud Athenienses est *Aprilis* : *Tepidum* vocamus medium inter aestum & frigus : unde *tepere* verbum. Persius Satyra septima,

- - - Mihi nunc Ligus ora
Intepet.

Kalendae autem primi mensium dies nominati ab eo quod his diebus kalentur ejus menses ut scribit Varro de Lingua Latina secundo : *χαλῶ*, enim est *voco*, unde *calatores* dicebantur servi *ἀπὸ τοῦ καλεῖν* quod est *vocare*, quia semper vocari possent ob necessitatem servitutis. Auctore Pompejo. Scribit Macrobius in primo Saturnalium, verbum hoc *Kalo* Graecum esse, & hunc diem qui ex his diebus qui *calarentur* primus esset placuisse *Kalendas* vocari. Retulit enim in historia Juba, Magistratus kalendis populum vocare & in quartum diem nonos indicere solitus fuisse ut auctor est Plutarchus in Problematis, non est praetereundum Kalendas omnes Junoni tributas fuisse, sicuti idus omnes Jovi, quod & Varronis & pontificalis confirmat auctoritas. *quod etiam Laurentes* (ut inquit Macrobius) *patriis servant religionibus, qui cognomen deae ex ceremoniis addiderunt, Kalendarem Junonem vocantes.*

Tonsura.] a *Tondendo* unde & *Tonsores* dicti quod & capillum & barbam & ungues tondeant, Plautus in Aulularia,

Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat,
Collegit, omnia abstulit praesegmina.

79. Praetorrida aestas.] Valde torrens & exusta, *retorridum* valde ustum appellat Plinius & quod nos *assiratum* dicimus.

Munerat.] Munere suo afficit : Scribit Gellius libro decimo nono Atticarum Noctium, verba patiendi pro agentibus in omnibus ferme veterum scriptis haec inveniri : *muneror te*, pro *munero*, *significor* pro *significo* : *sacrificor* pro *sacrifico* : *assentior* pro *assentio*,

foe-

fecurrer pro *fecuero*, & *pigeror* pro *pignero*.

80. MILLE RENITENTI.] Legendum est *renidenti*, hoc est fulgenti. ita enim *renidere* significat. Horatius libro secundo Carminum,

Non ebur neque aureum,
Mea renidet in domo lacunar.

Ubi *renidet* fulget significat, ut docet Porphyrio.

CHIAS.] Ficus intellige, de quibus Martialis in distichis,

Chia seni similis Baccho quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat & ipsa salem.

ad cujus naturam respexit versiculus iste,

Haec mihi quae novit pungere Chia sapit,

De hac Macrobius in III. Sat. *Chia, alba nigra: encubitina:* in quibusdam codicibus inveni tamen non *chias* sed *thylas* legi, quod & genus fici memoratur a Macr. inquit enim *tellanam praecocem esse atram*. Plin. quoque lib. XV. Nat. Hist. inter genera ficorum, *Tellanae* aitas commemorat longo pediculo. itaque *tylas* pro *tellianas* intellige, sed *telas* potius legendum puto quod si *tylas* et in *Upsilon* convertitur: ex duplici lectione poterit Lector quod magis ad stomachum faciet eligere, non enim alterum oos magis alterio probamus: & quoniam genera si numerare velimus momentum est (ut inquit Palladius) sufficiat hoc commemorasse, ficum olim excidii Carthaginiensium fuisse causam, cum enim Cato quadam die praecocem ex ea provincia ficum in curiam attulisset, ostendens patribus, *interrogo vos, inquit, quanam hoc primum demptum putatis ex arbore*, cum inter omnes recens esse constaret, *atqui tertium inquit ante diem scitote decerptum Carthagine, tantum prope a muris habemus hostem. statimque sumptum est Punicum tertium bellum quo Carthago deleta* est auctor. Pli. & Plut.

81. CASTANEASQUE NUCES.] Macro. lib III. Satur. *Sunt de agricultura scriptores qui nuces & mala sic dividunt, ut nuces dicant omne pomum quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est: Malum vero, quod foris habeat quod est esui, & durum intus includat.* *castaneas nuces*: intellige quas nos simpliciter *castaneas* vocamus, de quibus Vir. in Buc.

Castaneasque nuces mea quas Amaryllis amabat.

Et notandum est castaneas nuces appellasse adhuc in cortice stantes, nam cum dixit in Tityro,

Castaneae molles.

Tone cortice denudatas intellexit: *heracleotica* etiam haec vocatur ut docet Macr. nam *vir doctus Oppius* (ut ipse refert) *in libro quem fecit de Sylvestribus Arboribus sic ait. Heracleotica haec nux quam quidam castaneam nominant*: existimat Plin. lib. XV. Nat. Hist. accomodatiores esse castaneas glandium generi. *Seritur castanea & plantis quae sponte nascuntur & semine*: ut docet Pal. delectatusque clivis & opacis regionibus ac maxime in septentrionalem versis. *castanetum* locum multis consitum castaneis vocant quod novum circumfodi assidue debet ex Palladii documento.

83. ECHINI VIRIDES.] Hirsutior cortex: *echinum* enim appellamus calicem illum spinosum quo integitur castanea. Pli. *armatum bis echinato cortice vallum*: Pal.

Castaneamque nucem desiluisse coget echinis,
Mirari fructus laevia poma sui.

RUMPUNTUR.] Hiare incipient & aperientur.

SOLE NOVEMBRI.] Quo mense maturescunt, November mensis dictus auct. Macr. quod novus esset ex ordine mensium.

84. NUM PRAECOR INFORMIS.] imitatio Vir. est ille enim sic,

Nec sum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.

NUM ORAVIS.] Vel propter annos vel propter pigriciem, maxime enim agilitas juvenem decet, unde est illud Epigrammatici poetae,

Laudat Achilleos & sine fine pedes;

hoc est agiles & veloces quales Achillis praedicantus: potest & ad anhelitum otis grave oleotem referri, quem graveolentiam dicimus, unde apud Pli. medicamentum est quod graveolentiam tollit oris.

AN DECIPIORQUA.] Sensus est an me fallunt quas tango genas dum eas quadam praeditas mollitate credo.

85. DECIPIORQUA.] Deludor, fallor; in antiquis tamen co. legi *decrepitus* qua me fugias causa: *Decrepitus* dicitur qui senectutem jam superavit, Cen. in lib. de Die Natali, *ex aucto. Marci Varronis, quinque aetatis gradus tantummodo ennumerat, puerorum scilicet, adulescentulorum, juvenum, seniorum, & senum. Aulus Gellius quoque lib. 8. Noc. At. scriptum reliquit ex Hist. Tub. quid super aetibus recensendum esset: Decrepitus* ut docet Pompejus, est *desperatus, crepera autem vita ut crepusculum extremum dies peterit*, sive *decrepitus dictus quia propter senectutem nec movere se nec ullum facere potest crepitum*, quem tamen locum in omnibus fere codicibus depravatum invenies, ubi *allamvit* pro *autem vita* passim legitur.

L MANU PRA.] Tenuia & sine rigiditate barbae.

86. PRIMIQUE.] Primae lanuginis, *lanugo* enim appellatus mollities illa tanta primae barbae quam dubiam appellat Mar. quoniam incipiens apparere ob tenuitatem fallit oculos. unde cecinit Tibul. in primo,

Carior est ante juvenis cui laevia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.]

87. GRACILI.] Tenui.

FALLO DIGITOS.] Pro decipior ne ego: dicitur enim quis fallere digitos quotiens quod tangit esse aliud existimat quam quod in rei sit veritate.

88. FONTIBUS IN LIQUIDIS.] Effugere fortasse hic voluit Calpurnius quod in Virgilium notari scribit Servius super eo loco,

- - - Nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.

Ait enim negari hoc effici potuisse per rerum naturam, cum nobis non reddat imaginem mare quod non stat: cum tamen publice disputaremus aliquando, & talis incidisset quaestio, niemini quosdam inter primi philosophos tituli hoc etiam in aquis marinis fieri diffe-
russe:

misse: itaque Virgilium posse ego defendi existimo, quod addidit,

Cum placidum ventis staret mare,

Qui enim hoc taxant, adducunt maris mobilitatem quo impedimento imaginem reddi non posse existimant, sed noone hoc poetam animadvertisse apparet, cum dicat *placidum ventis staret mare:* praeterea apud Lucretium ita legimus in quarto,

Sunt igitur tenues formarum dissimilesque
Effigies, singulatim quas cernere nemo
Cum possit, tamen assiduo crebroque repulsu
Rejectatae eduno speculorum ex aequore visum.

Fontes liquidos dicimus puros limpidos & argenteos ex quibus tanquam ex speculo repercutitur imago: Ovi. in XII. Met.

Certe ego me novi, liquidaeque in imagine vidi
Nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti.

90. UT IN ARBORE SAEPE NOTAVI.] Sic Epigrammatarius poeta in decimo,

Celantur simili ventura cydonia lana,
Pollice virgineo quae spoliata nitent.

91. CYDONIA POMA.] Sunt grandiuscula coloris caerei quas auctore Palladio lib. III. circa orbem mense Februario inchoante Martio vel in Italis radicatas in pastinato solo tenuisse adeo foeliciter compertum est ut saepe sequentis anni fruge gauderent, si positis majoris status fuissent. de his Ovi. lib. III. de Ar. Aman.

Quaeque suos curvant matura Cydonia ramos.

Scribit Plut. in Prob. sponsam malo Cydonio degustato thalamum ingredi solitam, ut primus complexus nihil triste aut injucundum haberet. docet Col. lib. III. Cydonia post mediam hyemem usque in idus ferè Februarii, sed vide apud Plin. plura lib. X. Nat. Hist. qui in XXIII. *Lanugine cydoniorum carbunculos sanari putavit: cydonia a Graecis appellantur a nostris cotonea.*

LUCERE.] Splendere.

SUB TENUI LANA.] Sub lanugine molli lanam repraesentante.

92. CARMINA POSCIT AMOR.] Nam *levant carmina curas* ut in Neme. sensus est, versus amor postulat nec quod sis lassa aut rauca cedit amori fistula, hoc est sufficiunt etiam vires ad cantilenam, sed cum nobis vesper interpellet pastores admonet domum greges ut conducant.

NON CEDIT FISTULA.] Non vincitur: cedit enim qui locum quem possidet alii consentit, in aliquibus codicibus legitur *fistit*, quod idem ferme significat & erit sistit, hoc est cessat & deficit: *sistere* etiam est praesentiam corporis exhibere, unde apud Jureconsultos titulus est de judicio sisti.

93. FUGIT DIES.] Honesta digressus occasio, & diem dicit pro sole, ut etiam pro diebus soles invicem ponuntur: Virgilius in Bucolicis,

- - - Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

Persius Satyra sexta,

Tecum etenim longos memini consumere soles.

Hoc est dies.

VESPER.] Stella est Veneris de qua Plinius in secundo. *Infra solem ambit ingens sydus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus aemulum solis & lunae: praeveniens quippe & ante matutinum exoriens Luciferi nomen accepit, ut sol alter diemque maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur vesper, ut prorogans lucem: viceque lunae reddens:* haec stella a Plauto in Amphitryone *vesperugo* appellatur: Varro libro secundo de Lingua Latina, ait *hesperon* a Graecis vocari, quae a nostris *vesperugo*, & id tempus quo oritur hespera, Latine *vesper:* idem scribit in tertio ab ea stella *vesper* serotinam illam horam nuncupari: Vir. in Sileno,

- - - Et invito processit vesper olympo.

Et in primo Aeneidos,

Ante diem clauso componet vesper olympo.

CREPUSCULA.] Tenebras. crepusculum a crepero Sabinos sumpsisse docet Varro. *crepusculum* significat dubium & tempus illud ante noctem & antelucanum quo dies sit an nox, est dubium: Apuleius libro secundo de Asino Aureo *animum meum permulcebam cantationibus: cum ecce crepusculum & nox provecta. ab eo res crepitae* dictae sunt dubiae, & *creperum* bellum quod bellorum dubii sint eventus, ut apud Lucre.

- - - Crepere certamina belli.

Crepusci hinc dicti sunt qui hoc tempore in lucem editi fuissent, sicut *manii* qui matutino.

REVOCAT.] Reducit.

DAPHNI.] Casus vocativus monetque Daphnim servum oves cogere cum Alphesiboeo.

94. HINC.] Ex hac parte.

ILLINC.] Ex illa, ita videtur infinitum pecudum significare numerum.

95. JAM RESONANT FRONDES.] Per variam descriptionem crepusculum significat.

RESONANT.] Sonitum reddunt. Virgilius in Tityro,

Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.

Hoc est sonum Amaryllidos reddere, cuius nomen ex ius percipiunt cantilena: Intelligo autem avium cantum qui tunc maxime crepusculascente hora (ut Apollinaris verbo utar) vigere solet. unde est illud Poetae ex libro Georgicon tertio,

- - - Quum frigidus aera vesper
Temperat & saltus reficit jam roscida luna,
Littoraque alcyonem resonant & acanthida dumi.

OBSTREPIT.] Strepitum reddit, *strepere* & *obstrepere* significat sonitum edere & strepitum facere. *strepitus* ita vulgo sonitus dicitur: Tibullus,

Quae strepitum passu non faciente venit.

ARBOS.] Pro arbore, ita loquebantur antiqui Quintilianus in primo, *nam ut Valesios & Fusios in Valerios Furiosque veno-*

venerunt, ita arbos, labos, vapos, etiam & clamos, aetatis fuerunt antiquae ex lusa r. littera.

96. O DORIOA.] Vocativus est ut, *ô Palla*, Virgilius.

Teque juvat Palla.

Doris mater esse Nympharum dicitur, de qua Hesiodus in Theogonia,

Porro coma laudata nimis pulcherrima Doris.
Edidit hanc pater Oceanus sub finibus orbis,
Virgo senis nupsit Nerei, totius aequoris unda,
Gratus in hoc; Nymphae natae dicuntur aquosae.

Hanc intelligit Juvenalis cum ita scribit Satyra tertia,

Uxorem comoedus agat vel Dorida nullo
Cultam palliolo.

Hoc est, cum personam induit Doridos Nymphae maritimae: aliquando pro ipsa aqua ponitur. ut apud Virgilium in Gallo,

Sic tibi cum fluctus subter labere Sicanos
Doris amara suam non intermisceat undam,

Id est aqua maritima quae amari saporis existit, & hoc conveniens nomen est Rusticae aquas fluminis curanti.

PRIMUM CANALEM] Intellige unde aquas derivare solemus, quae postea per iligneos canaliculos fluunt ad hortum irrigandum. docet Palladius in decimo, quemadmodum plumbeis fistulis aut ligneis canalibus fiant aquarum ductus nosque supra plura retulimus.

97. IRRIORT.] Irroret. ita se hortum indicat habere speciosissimum, nihil est enim riguo formosius horto. ut inquit Ovidius:

Oblectat hortus: avocat, pascit, tenet,
Animoque moesto demit langores graves.

Ut docet Virgilius in Hortulo.

SITIENTES HORTOS.] Siccos & succum ob aestum nimium desiderantes.

98. VIX EA FINIERANT.] Idas scilicet & Alsacus, quae supra alterne dixerunt.

SENIOR.] Pro senex comparativus pro positivo.

99 ESTE PARES.] Judicium Thyrsis, ut nemo superet nemore vincatur. Sic Palaemon apud Vir.

Et vitula tu dignus & hic, & quisquis amores,
Aut metuet dulces aut experietur amaros.

ET OB HOC.] Quoniam pares estis, mutuo ametis & amemini. nam *pares cum paribus facillime congregantur*, ut inquit Cicero.

CONCORDES.] Corde foederato, concordes enim appellantur quorum est unum velle & nolle, sicut discordes qui in sententia discrepant. Concordes & simul consentientes sub signo fiunt geminorum. unde Persius Satyra sexta,

- - - Seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum.

Scribit Firmicus in septimo, *quicunque habuerit horoscopum in quarta parte geminorum: fore ut regibus corporis pulchritudine commendetur, & in amorem eorum desideria regis semper aestuent.*

100. SOCIAVIT.] Copulavit, ut apud Ovidium

Nulla Mycenaeum sociasse cubilia mecum.

DECOR.] Hic pro venustate accipitur: & pulchritudine, apud Ausonium,

Ut videare aliis foeda, decora mihi.

Id est, pulchra & formosa.

IN

IN ECLOGAM III.

Versu 1. NUNQUID IN HAC.] Lycidas Amator in valle quiescens (si modo quiescunt amatores) interrogatur ab Jola amico pastore, de juvenca amissa, quam non vidisse respondet: quaesitum vaccam mittitur Tityrus: expectante Jola: cui amores suos infoelices narrat primo: dein illi quam exarabit epistolam amasiae deferendam dat, qua irata mitigetur puella.

NUNQUID.] Interrogativa particula est, ut apud Juvenalem Satyra secunda,

Nunquid nos agimus causas:

FORTE.] Casu:

JUVENCAM.] Juniorem vaccam: Scribit Varro Juvencum esse qui juvare ad agrum colendum possit. juvencus est proprie qui nondum cornua emisit. Seneca in Hercule Furente.

Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte juvencus,

Junices a Persio dicuntur junioris aetatis boves

Tot tibi cum in flamma junicum omenta liquescant,

2. IN HAC VALLE.] Vallis est concavitas inter montes sita, veluti vallata & circumstipata: Pompejus, *Convallis est planities ex omni parte comprehensa montibus collibusve: Vallis duobus lateribus inclusa planities: vallis* diminutivum est *vallicula:*

SOLET ILLA TUIS.] Causa cur apud ipsum illam quaerat: nam solet tuis tauris occurrere, i. e. contra currere & venire. Idem significat verbum illud Horatianum *curtis Judaeis oppedere*, Id est pedem pedi opponere libro primo Sermonum: *occurrere*, ut docet Marcellus, dicitur obvium fieri, Virgilius libro sexto Aeneidos.

Hic illi occurrit Tydeus:

Juvenalis Satyra prima,

Occurrit matrona potens:

TAURIS.] Sunt tauri ad venerem habiles & non castrati ut boves, Ausonius,

Sic me taurus init sic proxima bucula mugit:

Solitauralia inde immolatio dicebatur ex tribus diversi generis hostiis, hoc est tauri, arietis; verris: quod omnes solidi integrique sunt corporis, *solum* enim lingua Oscorum totum significat & solidum. auctor Pompejus.

3. ET JAM FERE DUAS.] Sensus est, dum eam quaero dedit mihi dispendium duarum horarum:

EXIMIT.] Adimit:

PERDITA CRURA.] Hoc est perdenda & mihi vulneranda penitusque amittenda, *perdere* enim significat occidere. Plautus in Captivis.

Perdidit me Aristophontes hic qui venit modo intro,

Idest occidit & peremit. *perditus* homo dicitur flagitiosus, & qui vitiis periit. Cicero: *saevum crudelitate, perditum luxuria, vitiis omnibus contaminatum:* Ait Cajus jureconsultus *deperditum* esse, quod in rerum natura permanere desiit: *Crus* autem pars illa dicitur inter genu & pedem tereti deducta sura. scribit Suetonius Germanici formae minus congruam fuisse crurum gracilitatem. a *crure* diminutivum *crusculum* fecit Martialis,

Pectus cicadae crusculumque formicae,

Apulejus libro nono de Asino Aureo, *crurumfragium* appellavit fracturam crurum his verbis, *Tunc uxor egregia, diras devotiones in eum deprecata: & crurum ejus fragium abominata, exangues formidine trepidantem adulterum alveo ligneo, quo frumenta confusa purgari consueverant, temere propter jacenti, suppositum abscondit.*

4. DURIS RUSCIS.] *Ruscus* (ut scribit Servius super eo Virgiliano in secundo Georgicon,

- - - Nec non etiam aspera rusci
Vimina per sylvam & ripis fluvialis arundo
Creditur.

Est virgulti genus, unde ligentur vites. Castor *oxymirsinem*, hoc est myrtum sylvestrem myrti foliis acutis ex qua fiunt rusti scopae *ruscum* vocavit, ex autoritate Plinii sua. ipse tamen inter herbas sponte nascentes posuit decoctamque rusci radicem bibendam alternis diebus dedit in calculorum valitudine libro vigesimoprimo.

DURIS.] Asperis, horridis. Virgilius in Bucolicis.

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco projecta vilior alga.

RUBETIS. Rubus frutex spinosus est mora ferens. de quo Virgilius in Palaemone,

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.

Plinius libro XVI. Naturalis Historiae, *Rubi mora ferunt & alio genere similitudinem rosae qui vocatur cynosbatos, tertium genus Idaeum vocant Graeci a loco, Tenuior est quam caetera minoribusque spinis & minus aduncis. Rubetis*, hic intellige loca rubo plena. nam alias *rubetas* appellamus ranas, ad veneficia, quod in rubis vivere soleant, de quibus Satyrographus poeta,

- - - Molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam,

Hanc etiam Satyra tertia signavit Umbritius ita loquens,

- - - Ranarum viscera nunquam
Inspexi, ferre ad nuptam quae mittit adulter.

Mittebant enim has adulteri nuptis ut ita maritos de medio tollerent veneno praesentaneo.

6. SCINDERE.] Aperire & vulnerare.

NEC QUICQUAM EGI.] Nihil profeci post tantam sanguinis profusionem.

7. NON SATIS ATTENDI.] Amatoria responsio & ad aliud occupati, postpositis omnibus enim de amasia cogitat amator circa illam curiosus tantum.

NEQUE ENIM VACAT,] Non est ocium: ut apud Juvenalem,

Si vacat & placidi rationem admittitis edam,

& Vir.

Si vacet annales nostrorum audire laborum:

Hinc scholam dictam putant a verbo Graeco σχολάζω, quod significat *vaco*, unde cecinit Ausonius,

Et cessare licet, grato schola nomine dicta est.
Justa laboriferis tribuantur ut ocia Musis,

Hoc est vacationes: in hunc significatum est & illud Propertii ex secundo Elegiarum,

Et vetus in templo bellica parma vacat.

8. UROR IMMODICE.] Superlatio non tantum inquit amo, sed etiam valde & ultra modum.

LYCIDAM RELIQUIT.] Causam ardentioris flammae cum difficilem se praestet amasia, oam

Pinguis amor nimiumque patens in taedia nobis
Vertitur, & stomacho dulcis ut esca nocet.

Juxtaque sententiam Ausonianam,

Vincere vult animos non satiare Venus.

Quare hoc praeceptum foemiois datur ab amorum doctore,

Ne securus amet nullo rivale caveto,
Non bene si tollas praelia durat amor.

PHILIS.] Nomen mulieris amorabundae. φιλέω, *amo*, dicitur unde *Philenium* apud Plautum, *Pamphilus* apud Terentium quasi *totus amans*.

AMAT MOPSUM.] Pro desormi & turpi hic ponitur, ut apud Virgilium in Pharmaceutria,

Mopso Nysa datur, quid non speremus amantes.

POST MEA MUNERA.] Dona totiens illi missa, in codicibus antiquis legitur *vulnera*, sunt enim excruciamenta amatoria tamquam vulnera, Ovi. in Epistolis,

Urimur & caecum pectora vulnus habent.

Papinius itaque amorem inducit loquentem in primo Sylvarum

- - - Haud ulli vehementior unquam
Incubui genitrix iterataque vulnera fixi.

10. MOBILIOR VENTIS O FOEMINA.] Exclamatio est iolae levitatem admirantis foeminarum, mens quarum nunquam in eodem permanet stato: unde Hesio. libro primo de Agricultura:

Heu quam damnosum est mulieri fidere cuiquam.

Vir. libro quarto Aeneidos,

- - Varium & mutabile semper
Foemina.

SIC TUA PHILIS.] Scilicet te reliquit.

11. QUAE SIBI.] Ordo est: quae jurabat etiam mella sibi amara videri si aliquando sine ipsa abesses.

NAM MEMINI.] Parenthesis est, hoc est interposita formatio diversae sententiae: ut apud Virgilium Aeneas,

- - - (Neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves praemittit Achatem.

Auctor Donatus.

MELLA AMARA.] Contra naturam, tanquam sine te illi nihil esset jucundum, mel enim ex sui natura dulce est, quamvis & ab ipsis apibus quibusdam in locis venenata gignantur, tantum refert pabulum: herba est egoletron vexatin. praecipue capratum unde nomen, cujus flore concipiunt noxium virus apes, aquoso vere marcescente, hincque mella venenata gignunt, quod docet Plinius libro vigesimo primo Naturalis Historiae.

13. ALTIUS ISTA QUAERAS,] Id est profundius, altum enim profundum dicimus, Marti. in I.

- - - Enim rumpet altum pallidus somnum reus,

Id est profundum. Juve.

Et nos consilium dedimus Syllae, privatus ut altum
Dormiret.

QUANDO VACABIS.] In aliquibus codicibus legitur *si forte vacabit*, eodem sensu, id est quando non eris occupatus.

LAEVAS FLECTE SUA ULMOS] Demonstrat locum ubi sit consuetus rumioare taurus. *Laevas* legitur & *lacvis*, hoc est in levam & sinistram partem conversus: *laevum* enim appellamus quod a parte sinistra sit: *laeva fulmina* prospera esse credit Plinius in secundo, quoniam a laeva parte ortus est mundi: ratum augurium & prosperum facit corvus a dextra, e contra a sinistra aliqoid comminatur mali, hinc est illud Plautinum ex Aolularia ita Euclione loquente:

Non temere est quod corvus cantat mihi nunc ab laeva manu:

A sinistra autem facit ratum cornix, unde est illud Virgilianum.

Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.

quod tamen irridet Cicero libro primo de Divinatione:

15. CUM PRATA CALENT.] Cum sole suffervefacta sunt: dicitur autem *pratum* quod paratum sit ad fructum percipiendum, ut docet Varro li. I. de Re Rustica, & notat Ulpianus iurecosultus titulo de verborum & rerum significatione.

NOSTER TAURUS.] Bos ferus. caprificus tauros quamlibet feroces collo eorum circundata in tantum mirabili natura compescit: quod docet Plin. lib. XXIII. ut immobiles praestet.

Ga.

GELIDA IN UMBRA.] Diximus superius aecloga prima omnem umbram esse gelidam.

SPATIATUS.] Vagatus, Ovi. de Arte Amandi.

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra:

17 REVOCAT PALEARIBUS HERBAS.] Tu uno expone verbo ruminat: Vir. in Sileno,

Ille latus niveum molli fultus hyacintho
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas;

Ubi haec Ser. *Ruminat, evomit & iterum consumit*: dicta est dictio a *ruma* eminente gutturis parte, per quam admissus cibus certis revocatur animalibus: Plin. *ruminationem* reiterationem frigoris appellavit, per istam similitudinem revocati cibi, his verbis in XVII. *Si fametas recenti medicina mordeat quaedam hyemis ruminatio, certum est gemmas earum frigore hebetari*, id est *frigoris reiteratione. palearia* hic pro *ruma* accipi debent, cum proprie *palearia* sint pelles dependentes ex gutture, Virgilius in ter. Georgicon,

Et crurum tenus a mento palearia pendent:

Remandere autem proprie significat ruminare. Plinius in undecimo. *Ruminant praeter jam dicta silvestrium cervi, cum a nobis aluntur, omnia autem jacentia potius quam stantia, & hyeme magis quam aestate, septenis fere mensibus: Pontici quoque mures simili modo remandunt.*

REVOCAT.] Revomit, *Herbas matutinas.* mane pastas quas reducendo consumit iterum: *revocare* aliquando pro repetere invenitur ut hic. Juvenalis *humentem revocantem* appellavit vestes revocatas hoc est post tergus missas recipientem.

18. NON EQUIDEM LYCIDA.] Illectus Jolas audiendi cupidine, famulum Tityrum mittit, qui juvencam seducat.

19. TITYRE.] Apostropha ad servum, hoc est conversus sermo.

PETE SOLUS.] Sine me. vel legas *laetus*, ut antiqua habent exemplaria, hoc est hilaris & jocundus, tamquam pro comperto habeat ibi fore juvencam.

V 20. DEPRENSAM] Sensus est: si illam invenies, ad me multis cum verberibus illam ducito.

21. FRACTUM HASTILE.] Hastam ruptam: *hastile* est bubulcorum instrumentum ad boves excitandos. ita hodie rustici *hastulam* appellant: *hastilia* tamen etiam pro gracilioribus perticis dicuntur, ut apud Virgilium libro tertio Aeneidos.

- - - Densis hastilibus horrida myrtus.

Et tertia.

- - - Sed postquam majore hastilia nixu
Aggredior:

Tibullus hastilis hujus centron & aculeum *stimulum* appellavit in primo.

Aut stimulo tardos increpuisse boves.

Est enim. stimulus aculeus ille ferreus qui in suprema parte hastulae figitur: *hastula* a Plinio pro virga in similitudinem hastae dicitur, ita enim scribit libro decimo sexto Naturalis Historiae, *Aperitur picea e parte solari non plaga. sed vulnere ablato corticis, cum plurimum bipedali hiatu, ut a terra cubito cum minimum absit, nec corpori ipsi parcitur, ut in ceteris, quoniam hastula in fructu est*: & alibi: *Aut crudas resinas cum multa hastula tenui breviaque avulsas concidunt ad cribrum minuta*: Cicero pro C. Rabirio, *Manibus & membris omnibus captus ac debilis, hastula nixus.*

NUNC AGE.] Discedente Iolas Tityro interrogat super Phyllide Lycidam.

QUAE JURGIA?] *Jurgia* pro litibus amatoriis. *Jurgare*, ut scribit Varro libro secundo de Lingua Latina, dictum est a *jure quod quis jure litigaret, a quo objurgatur si quis id juste facit*: & Pompejus ait *jurgationem* dici juris actionem.

TULERE.] Disturbavere, *ferre* enim, ut notat Marcellus, quandoque significat disturbare, ut apud Virgilium in Secundo Aeneidos,

- - - Alii rapiunt incensa feruntque
Pergama.

Id est disturbant.

QUIS DEUS.] Stoice loquitur, illi enim omnia intermissione deorum fieri putant, ut superius docuimus.

24. PHYLLIDE CONTENTUS.] Nullam aliam curans.

25. CALYRICEN SPREVI.] *Calyrice* dici potest effabilis mulier.

TU SOLUS TESTIS.] Fortior causae comprobatio quod testem adducit & ipsum Iolam, apud quem nunc conqueritur.

QUAMVIS CUM DOTE.] Exaggerat. nam Calyricen non tantum sprevisse, sed & cum dote dicit: dos enim & cornices potest nubiles facere, nam ut inquit Satyrographus poeta.

- - - Veniunt a dote sagittae,

Pauci enim Plautinum illud animadvertunt.

Dummodo morata recte venias dotata est satis:

Sed illud saepe accidit ut dote cassam habeas inlocabilem: Solon ille memoratissimus apud Athenienses quondam dotes sustulisse memoratur, instituisseque ut tres tantum vestes & quaedam parvi empta vasa secum nupta portaret, cupiens viri ac uxoris consortium per precium ac mercedem minime, sed liberorum procreandorum causa copulari. Auctor Plutarchus: *Dos*, ut inquit Varro libro primo de Lingua Latina, *dicitur, si nuptiarum causa data sit. dotiva a Graecis nuncupatur* & appellatur *profectitia* cum a patre vel aliquo praedecessore, avo proavo vel atavo profecta est. *Adventitiaque* cum ab aliquo extraneo proficiscitur, quod invenies apud jureconsultos ff. de Jure dotium.

26. CALAMOS INTEXERE.] Calamos conjungere. est enim *texere* textricis proprium, Ovidius in sexto Met. de certamine Palladis & Arachnes:

Illic & Tyrium quae purpura sensit ahenum
Texitur.

COMITATA.] Sociata, ut,

- - - Fido comitatus Achate.

28 INTIMUS ARSI.] Sic intus ira subministrante incalui ut ulterius tolerare non possem. auctore enim Aristotele incalescunt qui irascuntur, quoniam ira ab igne proficiscitur & cum intus copiam ignis retinemus concalescimus, hinc est illud Juvenalis ex satyra prima.

Quid referam quanta siccum jecur ardeat ira.

Quoniam irascentes accenduntur: Remedium his putat esse Aristoteles in Problematis, si larga aqua frigida perfundantur.

INTIMUS.] Ex parte interiori: Pompejus, *extimum extremum significat, ita ut intimo sit contrarium*: hine *intimus* pro *intime*.

AMBAS TUNICAS.] Et interiorem & exteriorem: *Tunica a tuendo* corpore dicta, ut *induca* auctore Varrone.

30. RESCIDI.] Laceravi, & intelligit pectus puellae Phyllidis: unde inferius.

A te ceperunt tua jurgia.

33. PENES ALCIPEM MOVET.] Legendum est, *manet*, hoc est residet. *Penes*, apud significat, Ovidius libro secundo Amorum,

Quem penes est dominam servandi cura Bagoe.

NE VAGETUR.] Ne ab illa discedat.

VEREOR.] Timeo, est autem *vereri* liberorum, *metuere* servorum, ut docet Donatus super eo loco Terentiano.

Edixin tibi, interminatus sum ne faceres: num veritus es?

34. NEC TAM NOBIS.] Sensus est: non tam cupio mihi Phyllida reddi quam Mopsum expelli rivalem meum: rivales enim difficulter perpetiuntur amantes; unde inquit Propertius,

Rivalem possim non ego ferre Jovem,

Nam ut inquit Ovidius.

Non bene cum sociis regna Venusque manent.

35. MORBO ANHELO.] Vel propter aestum anhelanti & exaestuanti. id est, ob amorem vel propter asthmum: apud Tibullum,

Et dare anhelatim pugnantibus humida linguis
Oscula,

Significat suspirioso anhelitu oscula infigere: apud Silium vero *anhelans* dicitur difficulter & cum anhelitu tollens, ita enim cecinit in quinto,

Tum, quod humo haud unquam valuisset vellere saxum,
Ni vires trux ira daret, torquebat anhelans.

Potes hic intelligere *anhelum* propter laborem, tanquam ei objiciat paupertatem ut nisi laboriosus sit deficiat illi victus. solent namque anhelare qui nimio sub pondere fatigantur & exercentur. Papinius in primo silvarum,

- - - Insistat quod pondere tanto
Subter anhelat humus.

Quod si placeat intelligere suspiriosum: ita enim tali morbo anhelationis laborantes nuncupamus: nihil obstat: dicuntur autem suspiriosi qui a recentioribus asthmatici medicis appellantur, hoc est qui difficulter spirant. anhelatores etiam eosdem dici puto, Plinius libro XXII. *anhelatoribus & in tussi vetusta cum porro ex aceto datur laser e silphio profluens:* de hoc morbo Celsus libro quarto, *est etiam circa fauces malum quod apud Graecos aliud atque aliud nomen habet, prout se intendit, Omne id difficultate spirandi consistit, Sed haec, dum modica est, neque ex toto strangulat, dyspnoea appellatur, cum vehementior est ut spirare aeger sine sono & anhelatione non possit asthma, cum accessit id quoque ne nisi recta cervice spiritus trahatur, orthopnoea*: ex vario & multiplici sensu eligat lector quod potius placet, condimenta enim facimus varia pro vario hominum gustu.

36. A TE CEPERUNT TUA JURGIA.] Exhortatur Lycidam ut puellam placet junctis manibus & illam exoret propter injuriam quam illi fecit cum tunicam rescidit.

JURGIA.] Amatoriae lites (ut diximus superius) & leves laesiones: nam ut docet Asconius in primo Verrinarum, *laedi aliquis juste potest, injuria vero semper est injusta.*

37. JUNCTAS.] Ligatas, ut,

- - - Manus interea juvenem post terga revinctum:

Vel simul copulatas & conjunctas quales describit Virgilius in primo Aeneidos.

Et duplices tendens ad sydera palmas.

INDULGERE.] Permittere, ut apud Persium.

- - - Rides ait & nimis uncis
Naribus indulges.

VEL CUM PRIMA NOCET.] Praecipue cum tu illam irritaveris.

VEL.] Particula haec praecipue significat Plinio frequentissima, ut est, *populorum ejus oppidorumque nomina vel maxime sunt inaestimabilia.*

39. SEDULUS.] Diligens, Tibullus in secundo Elegiarum.

Nec quisquam flammae sedulus addat aquam,

Itaque *sedulitas* pro diligentia accipitur, ut aecloga quinta apud poëtam nostrum.

Gnavaque sedulitas venit & pastoria virtus.

40. MEDITOR.] Fingo, exerceo. ut apud Virgilium in Tityro,

Silvestrem tenui musam meditaris avena,

Quod enim *melete* dicunt Graeci per antistichon hoc est per litterae mutationem, *meditor* dixerunt Latini *l.* enim & *d.* interdum sibi invicem cedunt, unde & *sella* per *seda* dicitur a *sedendo* auctore Servio. Itaque per antistichon prolatum est illud a poëta quoque in primo Aeneidos.

Miratur molem Aeneas magalia quondam.

Cum *magaria* dicere debuisset.

PLA-

PLACTM.] Mitigem. placamus proprie quos iratos habuimus. *placabilis* est qui cito placatur. Ovidius in tertio Tristium,

Quo quisque est major magis est placabilis irae,
Et faciles motus mens generosa capit.

MITISCERE.] Dulcescere, & mitigari, nam,

Flectitur iratus voce rogante deus.

Ut inquit Ovidius de Arte Amandi, cui suffragatur Tibullus ita scribens in primo.

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa, querelis
Supplicibus miseris, flentibus illa favet.

SOLET FERRE.] Extollere laudando, Ita Virgilius in Bucolicis.

Nos tamen haec quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus: Daphnimque tuum tollemus ad astra.

42. CAMOENAS.] Pro carminibus posuit, *Camenas*, ut scribit Pompejus, *Musae a carmine sunt dictae vel quod canunt antiquorum laudes, vel quod sint castae mentis praesides.* nam ut inquit Catullus *castum esse decet pium poetam ipsum.* existimavit Macrobius in secundo de Somnio Scipionis: *camoenas* quasi *Canenas* a *canendo* dictas, Musasque ipsas esse mundi cantum: has,

- - - Mnemosyne peperit pulcherrima nixu
Laeta puellas fetus, nam carmina Musae
Semper agunt variamque gerunt formidine mentem:
Mentem quae niveo multum non distat olympo.

Ut inquit Hesiodus in Theogonia.

43. DIC AGE.] Hortantis est, sic Papinius,

Nunc age fama prior.

NOTABO.] Incidam: & in notas ducam.

43. CORTICE CERASI.] Scribit Plinius in decimotertio Naturalis Hist. chartam repertam fuisse Alexandri Magni victoria, ex M. Varronis authoritate, cum antea usus non esset chartarum, nam palmarum foliis scriptitatum, deinde quarundam arborum libris, usque ad aetatem Homeri vero pugillaribus: usus apud priscos cartarum papyraceus fuit ex papyro in palustribus Aegypti nascente. unde *papyrum Aegyptiam* appellavit Apulejus in primo de Asino Aureo: *Melonis* vero paginam Aosonins hoc est Niloticam. & saepius apud poëtas *papyrum* pro chartis invenies. Martialis,

Perdite Niliacas Musae, mea damna, papyros:

Papyrus (ut scribit Plinius libro XIII. Nat. Hist.) *Nascitur in palustribus Aegypti aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatae stagnant duo cubita non excedente altitudine gurgitum:* chartis Legatis Papyrum ad chartas paratum non continetur ut notant jureconsulti ff. de legatis tertio.

CERASUS.] Arbor est prima fere arborum fructus reddens. cerasos primus in Italiam e Ponto vexit Lucullus anno urbis sexcentesimo octogesimo, cum ante victoriam Mithridaticam in Italia non essent: harum genera octo tradit Plinius, cum principatum obtineant Duracina quae Campania Pliniana appellat:

Inseritur lauro cerasus partumque coacte
Tingit adoptivus virginis ora pudor:

Ut inquit Palladius.

44. LIBRO RUTILANTI,] Lucido & resplendenti. *Rutilare* ut docet Varro libro III. de Lingua Latina aurora dicitur ante solis ortum ab eo quod ab igne solis tum aureo aër aurescit: aurei enim rutuli, & inde etiam mulieres valde ruffae *rutulae* dictae: *liber* autem significat corticis partem interiorem. Virgilius in II. Georgicon.

- - - Aliena ex arbore germen
Includunt: hudoque docent inolescere libro.

45. HAS VERI PHYLL.] Dictat carmina Lycidas quae ab Jola cortici inscribantur: ad amasiamque deferantur.

PALLIDUS.] Exanguis, & est amantium proprie *pallere*, hinc monet Ovidius in libris de Arte Amandi.

Palleat omnis amans color est hic aptus amanti.

Et Propertius in quarto.

Diceris & macie vultum tenuasse: sed optu
E desiderio sit color iste meo:

Pallida mors appellatur a poëtis quae pallidos facit. cuminum bibentibus omnem gignere pallorem author est Plinius libro XX. Nat. Hist.

PRECES.] Supplicationes. multum enim in amore preces & benefacta valent.

46. NOCTE AMARA.] Nox enim est multis amanti malis evigilanda minimeque in lecto dormitur amatorio. nam *si media nox est* (ut inquit Plautinus adolescens in Curculione) *sive est prima vespera, si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum quo imperat ingratis amor.*

MODULATUR.] Rythmice componit ita Ovidius de Remedio Amoris.

Pastor inaequali modulatur arundine carmen.

47. DISPERGIT.] *Dis* & *di* particulae separativae sunt ut docet Priscianus in XIV. ut *divido: diduco: distraho: discurro*: quod apud Graecos *διὰ* praepositio facit. praeponitur autem solummodo *dis* cum sequitur c. vel. *f*. vel. *p*. vel. *s*. vel. *t*. vel. *i*. loco consonantis ut *dis* cum *discutio: differo: diffido: diffundo*. in quibus *s*. in *f*. convertitur euphoniae causa, *displiceo: disputo: disperdo: disjicio: distraho: disturbo: distorqueo: disjectus: disjungo*: hic tamen *dis* pro auctione positum, ut sit *dispergit* valde spargit, sicuti *dispalescit* pro valde palescit: & *distabescit* pro valde tabescit apud Plautum.

EXCUSSO SOMNO] Rejecto & quasi per vim: sic Virgilius in secundo Aeneidos.

Excutior somno:

Ubi ait Servius, *terroris esse non facietatis: excuti* proprie ab equo dicimur, ut alibi docuimus.

48. NON SIC DESTRUCTA.] In aliquibus exemplaribus legitur *districta*. i. e. perticis decussa, nam *stringere* est ferire: & est sensus, non adeo macrescunt turdi, cum olea legitur: extremus pene anni fructus. quam

ego sine te: aluntur enim & baccis oleastri turdi & hederaceis, ut in nono docet Columella.

Turdus.] Avis est inter ganeas laudatissima, de qua Martialis:

Inter aves turdus, si quis me judice certet. Inter quadrupedes mattea prima lepus.

Colorem circa collum aestate varium hyeme concolorem haber: scribit Plinius in x. Agrippinam Claudii Caesaris conjugem turdum habuisse (quod non ante) hominum sermones imitantem: fertur Pompejum adversa captum valitudine ita in Lucullum clare dixisse: nam cum medicus eum turdos comesse juberet: & minifiri, quia aestas esset, alibi quam apud Lucullum domi nutritos inveniri posse negarent, vetuit inde sumi & ad medicum conversus, si Lucullus, inquit, delicatus non esset ego non viverem? auctor Plutarchus in Luculli & Pompeji vita. Sed & Curtius, eques Romanus, delitiis diffluens, cum macrum turdum sumpsisset in convivio Caesaris, interrogavit an mittere liceret: Responderat princeps, quidni liceat, ille statim per fenestram misit; auctor Macrobius lib. secundo Saturnalium.

Oliva.] Arbor est frugifera plurimumque vitae conducens. hujus tria facit genera Virgilius, orchites radios & posias vocat. optima aetas ad decerpendum: authore Plinio inter copiam bonitatemque incipiente bacca nigrescere: nostri *drupas* vocant. Graeci *drypetas* oleo palmam dedere Venefrano de quo Martialis,

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri Unguentum, quoties sumis & illud olet.

Non omittendum *olivantes* vectigal olei facientes appellari: quod ex his Plinianis verbis ex quinto decimo percepimus. *Olivantibus lex antiquissima fuit oleam ne stringito neve verberato:* qui providentes ex vectigalibus ne quid detrimenti paterentur pro anno futuro nolebant oleas decuti, quoniam (ut inquit Plinius) cum sequentis anni damno decutiuntur.

49. Lepus.] Leporum plura sunt genera, de quibus infra dicemus Ecloga septima: *lepus omnium praedae nascens, solus praeter dasypodem superfoetat*, ut inquit Plinius. de lepore pulcherrimum est apud Ausonium Epigramma tale:

Trinacrii quondam currentem in littoris ora,
Ante canes leporem caeruleus rapuit.
At lepus: in me omnis terrae pelagique rapina est,
Forsitan & coeli, si canis astra tenet.

Legulus.] Vindemitor a legendo: unde & *legumina* ut superius docuimus.

Extremas uvas.] Ego intelligo racemos, quos post vindemiam relictos legere solent vindemitores.

50. Domina.] Nam sibi fingunt qui amant dominam amicam: Tibullus

Sic mihi servitium video dominamque paratam.

Turdidus.] In sinceriori codice legitur *tabidus*, hoc est tabe consumptus: *tabes* enim dicitur sanguis cum humore putrefactus: Lucanus in primo Pharsaliae cecinit.

Tabo jecur madidum.

Tabescere significat tabe consumi. Plautus in Captivis.

Macesco & consenesco & tabesco miser.

Divus Cyprianus ad plebem Assuritanorum scribens, *accessit hic tabescenti animo nostro dolor.*

51. Misero mihi.] Lego in antiquo codice *te sine vae domina.*

Lilia nigra.] Per contrariam lilii naturam, cum sit album.

52. Nec sapiunt fontes.] Nullo potu: nullo cibo oblector: nam anima est amica amanti: si abest nullus est nisi adest reapse nullus est: ut inquit Plautus in Bacchidibus.

Nec dulcia vina bibenti.] Supple *sunt*, in quibusdam *acescunt* legitur, pro acida videntur & aceti saporem repraesentantia. acescere enim acorem contrahere significat: ut apud Plinium in xiv. *diligentiores admiscent nigram masticem: quae in Ponto bitumini similis gignitur & yris radicem oleumque: nam caeram accipientibus vasis compertum est vina acescere:* item in undecimo de melle loquens: *vel minimo contactu roris acescentia:* putat etiam ex acescente natura genera quedam gigni culicum.

53. At tu si venias.] Contrarium ad id quod superius dixit: sic Virgilius in Thyrside.

Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit.

54. Sapient fontes.] Saporem jucundum praestabunt.

Et dulcia vina.] Ob hoc melius videtur legi superius non *acescunt*, sed nec *dulcia*, quoniam omnia refert contraria per eadem verba.

Bibentur.] Legendum est *bibenti* scilicet sapient mihi.

55. Ille ego sum Lycidas.] Reperit solatia superioribus habita temporibus ut magis animum muliebre commoveat.

57. Oscula.] Hic amatoria. *Osculum*, ut grammatici annotavere est simplex & honestum etiam inter affines *Suavium*, voluptuosum & amatorium. & *basium* Catullus,

Da mihi basia mille deinde centum.

Haec tamen apud poëtas confunduntur, cum *oscula* pro amatoriis basiis ut plerumque inveniantur. Plautus in Asinaria.

Age tu interbibe ab infime: da suavium.
Art. pereas misera ut osculatur carnifex, capulo decus.

Sed quoniam in hunc incidimus locum tu corrige exemplar Plautinum in omnibus fere codicibus depravatum ubi *interibi* pro *interbibe* legitur. osculum ideo propinquos foeminis dare solitos scribit Cato ut scirent an temetum olerent, quod docet Valerius de institutis antiquis: & Plutarchus in problematis.

Rumpere cantus.] Scilicet osculis, ut apud Ovidium.

dium Saphus:

Cantabam menimi, meminerunt omnis amantes,
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.

58. ERRANTIA LABRA.] Exprimit gestum canentis, cujus labia hanc & in hanc partem errare solent. *Labra* sunt ex inferiori & superiori parte os occludentia. A quibus *Labeones* & *Brucci* sunt appellati itaque apud Plinium lege in XI. non *Brochos* sed *Bruncos* nam *Brunci* ex authoritate Marcelli appellati sunt producto ore dentibus prominentibus. Lucilius Satyrarum libro tertio.

Bruncus monit lanius dente averso eminulo. hic est rhinoceros.

Dicimus vero & *labrum* & *labium* Quintilianus in primo, *ne labra detorqueantur ut immodicus hiatus rictum distendat*: Virgilius in Bucolicis,

Nec dum illis labra admovi sed condita servo.

Terentius in Eunucho *tremulus labiis demissis gemens*: invenio & *labias* foeminineo genere ut est in antiquo versu,

Anima aegra & saucia cucurrit ad labias mihi.

Scribit Donatus in Eunuchum Terentii, *Labra* esse superiora: inferiora vero *labia*, *labrasque* proprie asinorum dici. *labellum* diminutivum a *labeo* dixere. Catullus.

Quem basiabis, cui labella mordebis?

Chilones antiqui maximis labris & enormibus insignitos appellare sunt soliti.

59. VOX TORRIDA.] Sicca & inamoena.

60. CARMEN INOPS.] Nulla suffultum inventione nulla elegantia, quod *miserum* appellatur a Virgilio.

61. STRIDOR AVENAE.] Id est fistulae, *avena* enim (ut docet Servius) pro omni culmo accipitur ex quo rustici fistulam faciunt: Virgilius,

- - - Tenui Musam meditaris avena.

62. QUEM FUGIS.] Sic Virgilius:

Quem fugis ah demens.

FORMOSIOR ILLO.] Arguit ab omni parte se Mopsum superare.

63. DIVITIOR.] Dicimus *ditior* & *divitior* a *dite* & *divite*. *ditem* enim locupletem appellamus sicut *divitem*: Tibullus in primo,

Dites despiciam despiciamque famem:

Divitare verbum antiquum est quod significat divitem facere: Attius

Nihil credo Auguribus qui aures verbis divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Turpilius *dii me divitant*,

CERTAVERIT ILLE TOT HAEDOS.] Sensus est, nedum est Mopsus valens mecum certare de tantorum numero: sed ne quidem ovium numero taurorum meos aequiparare: hoc est rem ingentem parva: Nam ut refert Plutarchus in vita Publicolae, praecium ovis erat obolorum decem: bovis vero centum: haedi sunt caprarum: agni vero ovium: Virgilius,

- - - Caper tibi salvus & haedi.

64. PASCERE. [Alere & nutrire: Virgilius,

Pierides vitulam lectori pascite vestro.

Id est alite.

NUMERANTUR.] Ita mos est pastorum, ut reddant numerum domino a pabulo redeuntes: hinc est illud Virgilianum

Cogite, donec oves stabulis numerumque referre
Jussit.

Et in Palaemone;

Bisque die numerant ambo pecus, alter & haedos.

QUAM NUMEROSA BUCCULA.] Perquam multae vaccae, singularis pro plurali. *Buccula* diminutivum a bove, Ausonius Gallus,

Buccula sum caelo genitoris facta Myronis,
Aerea, nec factam me puto sed genitam.

Virgilius,

- - - Buccula coelum
Suspiciens.

Apulejus diminutive. *Vaculam* dixit, ita scribens libro septimo de Asino Aureo: *pastores enim mei perditam sibi requirentes vaculam variasque regiones peragrantes, occurrunt nobis fortuito*: Idem in sexto *bucculam* non a bove sed *bucca* dixit, id est, oris parte: sunt enim *buccae* in homine partes oris, quae spiritu a pulmone revocato compressis labiis inflari solent: Horatius in primo Sermonum:

Quid causae est merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet.

SICCETUR.] Mulgeatur & evacuetur. Ita apud Virgilium

Bina die siccat ovis ubera,

Hoc est sugendo evacuant.

MEIS MULCTRIS.] *Mulctra* (ut scribit Servius) super eo Virgiliano,

Bis venit ad mulctram,

Tempus est mulgendi. *Mulctrale* vero vas, in quod mulgetur.

67. SUSPENDAT.] Lactet, suspensi enim sunt vituli cum sub ruma pendent.

UBERA.] Mammae ab ubertate dicta.

68. SED MIHI GRACILIS.] Dispendium narrat temporis quod ipsius causa faciat.

FISCELLA.] Diminutivum a *fiscina* quae a ferendo dicta est (ut docet Varro libro primo de Lingua Latina) *fiscina* apud Ciceronem pro crate viminea, in qua ficus ad solem arendi solent, accipitur, ita enim inquit in Oratione quam pro L. Flacco habuit: *Phryx qui arborem fici nunquam vidisset fiscinam ficorum objecisti*: scribit Asconius in secunda Verrinarum, *fiscos*: *fiscinas*: *fiscellas*: spartea esse utensilia ad majoris summae pecunias capiendas: unde

unde quia major summa sit pecuniae publicae quam privatae, ut pro censu privato. aerarium dicitur pro loculis: & archa thesauri: pro sacello *fiscus*, unde *fiscus*, pecunia publica & *confiscare* dicitur.

GRACILI SALICETO.] Tenui vimine salicis: Virgilius in primo Georgicon

Nunc facilis rubea texatur fiscina virga

Tibullus in secundo:

Tunc fiscela levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero,

Ubi *fiscelam* intellige ad lac cogendum instrumentum: Virgilius

Sunt & caseoli quos juncea fiscina siccat.

69. COAGULA.] A *cogendo*: igne admoto apud nos coagulatur.)

70. TRADIMUS ECCE MANUS.] Sic Ovidius in primo Amorum.

Adde manus in vincla meas!

Ita consueverunt amantes laesa dolere puella: unde Tibullus in secundo,

- - - Sed victor & ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.

71. TORTO VIMINE.] Ut tenacius sit vinculum.

72. LENTA VITE.] Molli & tenaci, vitis olim fuit centurionum insigne, qua puniebantur peccantes milites: unde est illud Satyrographi poëtae Satyra octava,

Nodosam post haec frangebat vertice vitem.

Inveniturque pro centurionatu. ut apud Lucanum,

- - - Latiam longo gerit ordine vitem.

De hac Macrobius in primo Saturnalium, *vitem, centurionale decus, ex manubiis in aedem dedicatis deferri jussit, divisamque in partes, sudario condi ac perinde ferri.*

73. UT MALA NOCTURNI.] *Invehitur* in Mopsum rivalem, quem furti arguit.

MALA BRACHIA.] Furatrinam exercentia.

NOCTURNI.] Furacis. fures enim noctu incedere solent: unde a *furvo*, id est, nigro *fures* appellati: ita quidam illud Satyrici poëtae exponunt,

- - - Furtivae devehat aurum
Pelliculae.

quod noctu ab Jasone subrepta sit, ut tradit Apollonius in Argonautica: apud Lacedemonios nulla erat poena rerum pertinentium ad usum edendi & bibendi, nisi fur deprehensus in furto fuisset, authore Plutarcho.

74. SUSPENDIT.] Sursum pendit. Scribit Plinius in XVIII. Capitale fuisse puberi furtim nocte pavisse frugem, suspensumque eum necari lege duodecim tabularum: significat autem Mopsum ovile invasisse ut pecudes sub raperet.

75. MERUIT MANUS UTRAQUE POENAS.] Nam utraque vestimenta rescidit: *poena a poeniendo* dicta, aut quod post peccatum sequitur, ut docet Varro libro primo de Lingua Latina: unde Ausonius ita eam loquentem facit,

Sum dea quae facti non factique exigo poenas.
Nempe ut poeniteat sic Methanea vocor:

Putavit Pompejus *poenas pendere* proprie dici qui ob delictum pecuniam solveret quia *penso* aere utebantur.

76. HIS TAMEN.] Commemorat beneficia quae a manibus ei suis provenerint ut si nunc erraverint veniam mereantur.

HIS HIS.] Repetitio decora qualis apud Virgilium.

Ah Corydon Corydon.

INQUAM MANIBUS] Legendum est *iisdem*, id est, quibus te violavi, iisdem tibi dona misi.

PALUMBOS.] Require verbum cardinale inferius tertio versu *misimus*: palumbes ex genere sunt columborum sed silvestres, de quibus Plinius in decimo & Columella in nono. ad trigesimum hos annum vivere putat Aristoteles: eorum carne supprimitur Venus & hebetantur inguina, unde est illud Epigrammatici poëtae.

Inguina Torquati tardant hebetantque palumbi,
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax:

Palumbes dici existimavit Albertus Magnus, *quod lumbis parcant*, sicuti per contrarium *columbi* dicuntur *quod lumbos colant*: mirum de his tradit Nigidius, *cum ovum incubant sub tecto nominatam palumbem nidos relinquere*, de his Virgilius

Nec tamen interea raucae tua cura palumbes,
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo:

Et in Palaemone,

- - - Namque notavi
Ipse locum aëriae quo congessere palumbes.

Scribit Servius *palumbes* non esse Latinum sed *sites* dici, attamen multorum authoritate Latinum fieri.

77. PAVIDUM LEPOREM.] Epitheton est leporis, qui & frondium sonum timere solet.

77. DISCEPTA MATRE.] Quae aberat, cum abstuli filium.

78. IN GREMIO.] Proverbium est apud Pompejum; *nec gremio nec mulieri credi oportere, quod illa levi praedita est animo: & quae gremio creduntur, oblivione quadam dum exurgimus procidere solent:* unde putatur dixisse Catullus.

Ut missum sponsi furtive munere malum
Procurrit casto virginis e gremio.
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum
Dum adventu matris prosilit excutitur.
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

79. PRIMAE ROSAE.] Quae sunt commendatiores ob raritatem nam, ut inquit Martialis,

Ra-

Rara juvant. primis sic major gratia pomis,
Hybernae precium sic meruere rosae.

De rosis autem & rosariis conserendis Palladius in tertio. Pestanis palma datur quae in Pesto nascuntur, ex his preciosissimae fiebant coronae, unde apud Martialem lemma, rosea corona:

Dat festinatas Caesar tibi bruma coronas,
Quondam veris erant: nunc tua facta rosa est:

Crassus dives primus argento auroque folia imitatus ludis suis coronas dedit, ut scribit Plinius in vigesimo primo, cum antea ex rosis praecipue essent.

CINOBARE.] Coronabaris. sic Martialis:

Et meritas prima cingere fronde comas.

81. SED FORSAN.] Occurrit tacitae objectioni si diceret ipsa, meliora promittere Mopsum.

MENDAX.] Qui mentitur: Scribit Herodotus in primo Historiarum, Persas liberos suos, a quinto eorum anno incipientes, usque ad vicesimum tribus dumtaxat instituere rebus, equitare: arcu sagittas mittere: vera loqui, apud eos enim turpissimum est mentiri: creditum non debere in flumen vel mingere vel spuere: vel manus abluere.

JACTAT.] Se extollit & cum fastu quodam laudat: ut.

- - - *Lacernatas cum se jactaret amicas:*

Jactatio (ut inquit Cicero in quarto Tusculanarum Quaestionum) *est voluptas gestiens & se efferens insolentius*: & *jactantia* est libido dominandi, si credimus Augustino: Solebat se jactare Gorgias Leontinus: cuique de quacunque re interrogaretur & in quaestionem provocaretur copiosissime responsurum, quam ob rem non tam ab eruditis omnibus quam Platonico deridetur Socrate.

83. QUI METERE.] Messis proprio nomine dicitur in his quae *metuntur*, ut superius ex Varronis authoritate docuimus.

LUPINOS.] Minimum operarum absumit, ut in secundo docet Columella, & vilissime emitur, & maxime ex his quae feruntur juvat agrum, nam vineis jam emaciatis: & arvis optimum stercus praebet, ac vel effoeto solo provenit vel repositum in granario patitur aevum: lupinum cum sole circumagi tradit Plinius: adeo terram amat ut in frutero jactus inter folia reptesque ad terram tamen radice perveniat.

TABALES.] Amaros expone. ita Virgilius *tristes* dixit pro *amaris*, illo versu in primo Georgico.

Aut tenuis foetus viciae tristisque lupini.

OCCIDUA NOCTE.] Fugientibus tenebris, luce tempestiva. tunc enim nox occidere dicitur cum dies interpellat & lux.

83. PINSERE.] Lego *Pinsere* ex authoritate Serviana, qui carmen ita Persii legi debere existimavit,

O Jane a tergo quem nulla ciconia pinsit.

Priscianus apud Persium *pinsat* legit. est autem *pinsere* frangere & comminuere. quam vocem Bononienses, Linguae Latinae retinentissimi, hodie quoque usurpant. nam littera tantum immutata *pistare* dicunt: docet Servius super eo Virgiliano in primo Aeneidos.

Et torrere parant flammis & frangere saxo:

Quemadmodum cum apud priscos molarum usus non esset, fruges ante torrebant, & eas in pilas missas pinsebant: & hoc erat genus molendi, unde *pinsores* dicti sunt qui nunc *pistores* vocantur, itaque & *pistrinum*: de quo intelligit Plautus in Asinaria ita inquiens:

Nam me illuc ducis ubi lapis lapidem terit.

i. e. ubi mola supra molam versatur: erat autem poena servorum malorum, si quid mali commisissent: unde Simo ille apud Terentium comminatur ita in Andria Davo.

Si senfero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciae conari quo fiant minus:
Aut velle tu ea te ostendere quam sis callidus,
Verberibus caesum te Dave in pistrinum dedam usque ad necem:

Scribit Plinius in XIV. pistores Romae non fuisse ad Persicum usque bellum, Quiritesque ipsos panes solitos facere: mulierumque id opus fuisse: hoc non praetereo. *Pisones* a *pinsendo* dictos fuisse, *Pilumnosque* qui *pilum pistrinis* invenerunt.

83. COCTO PINSERE LEGUMINA PANE.] Hysteron proteron. priusenim pinsitur deinde coquitur. In codicibus novis legitur *cocto pinsere legumine panem*, id est flammis admoto legumine: Siccantur enim fruges prius deinde torrentur, vel ex authoritate Virgiliana: *legumina* autem sunt ut faba, cicer, lens, pisum, cicercula: faseoli, quibus viliores utuntur pro frugibus: itaque Mopso paupertatem exprobrat Lycidas, cum eum leguminibus victitare coarguat: leguminum faba in maxima est existimatione cujus farina lomentum dicitur sed Pythagoricis damnata in cibi usum ut docent Plinius, Gellius: problema est Plutarchi, cur qui castimoniam colunt leguminibus abstineant: ubi legumina ventosa esse docet & ea gignere quae cum superflua sint multae indigeant purgationis quodque cum ventosissima sint ad res Venereas maxime incitare.

84. QUI SIBI TUM FOELIX.] Tunc fortunatus est inquit si ex hordeo panem conficere potest molendo, qui cibus peculiaris equorum esse solet, unde ille Plautinus in Asinaria extat jocus.

Demam hercle jam de hordeo tollutim ni vadizas:

Hordeum frugum omnium nobilissimum est authore Plinio: ex omnique frumento minime calamitosum, quia tollitur antequam triticum occupet rubigo. hordeum Indis sativum est: & silvestre: ex quo panis apud eos praecipuus. ab *hordeo hordearium aes*, quod pro hordeo equiti Romano dabatur dicebant, ut docet Pompejus: Indeque *hordearii gladiatores* dicti, quod hordeo victitarent: Columella *hordeum exasitchum* appellat, quod senos spicae habeat ordines, sicut *distichum* quod binos.

85. VILIA.] Respexit ad tempora sua, nam apud antiquos in maximo fuit honore

MANUALIBUS SAXIS.] Quibus manu utimur ad frangendum. opus enim manuale dicitur quod manibus fieri consuevit, unde Bononienses hodie *manuales* appellant, qui manibus subministrant incrustatoribus calcarius. Hordeum aqua multa perfundi jubet Plinius, sicut triticum, deinde sole siccatum pila tereti, hujusque sextarios. xx. spargi duobus aquae sextariis, hunc vero tanquam egentissimum non pila sed saxo frangere deridet. *manuales fasciculi* a Plinio dicuntur qui ad manum implendam sufficiant. ita enim inquit in. xix. *Tunc evulsum & in fasciculos manuales colligatum, siccatur in sole pendens conversis superne radicibus uno die:* & in xxi. *de abrotano datur bibendum manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes.*

86. QUOD SI TURPIS AMOR] Sensus est: si amor Mopsi egentis & turpis te a precibus meis alienabit, litteram statim faciam longam i.e. me suspendam ita enim significat apud Plautum in Aulularia *facere litteram longam.*

ABOMINOR.] Ab omine remotum volo. ita Virgilius in secundo Aeneidos.

- - - Quod dii prius omen in ipsum
Convertant.

87. LAQUEUM NECTEMUS.] Nos suspendemus: laqueum enim appellamus quo damnatorum gula substringitur. est & decipulum avium & ferarum, unde metaphorice pro insidiis ponuntur: ut apud Ovidium.

In laqueos quos posuere cadant:

De laqueo pulcherrimum tale est apud Ausonium epigramma.

Qui laqueum collo nectebat reperit aurum
Thesaurique loco deposuit laqueum.
Ast qui condiderat postquam non reperit aurum,
Aptavit collo quem reperit laqueum.

AB ILLA ILICE.] Arborem intelligit illam de qua superius:

- - - Et puero comitata sub ilice cantat.

Illam enim amores suos violasse existimat.

VIOLARE.] Hic pro polluere & contaminare: Tibullus in primo.

Parcite quam custodit amor violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo:

Est autem proprie *violare* virginum, cum stuprantur, quasi a *vi*. unde *violentus* dicitur qui vim facit, & *violenta*. itaque lege versum Tibullianum in primo,

Ipse bipenne suos cedit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta deam.

In omnibus enim codicibus corruptis legitur, *violata.*

89. FIGENTUR.] Incidentur. *figere* autem proprium est legum, nam *figi* leges dicuntur cum in aes inciduntur & tunc *fixae* tolli non poterant, cum promulgatae possent. Suetonius in Dictatore: *acciderat autem ut is legem de jure magistratuum ferens, eo capite quo a petitione honorum absentes summovebat, ne Caesarem quidem exciperet per oblivionem, ac mox lege jam in aes incisa & in aerarium condita, corrigeret errorem.* quod tamen contra omne jus fuit, unde Antonium castigari apud inferos poëta (vide ne Pompejum) inducit, quoniam

- - - Fixit leges pretio atque refixit:

Refigere enim est leges jam aere incisas abolere & removere: de his intelligit Ovidius ita scribens libro primo Metam.

- - - Nec verba minantia fixa
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora.

90. PASTORES.] Alludit ad proverbium: *non esse mulieri credendum*, quod superius retulimus: omni enim temporis momento varia est, & nunquam in uno persistit gradu, unde superius:

Mobilior ventis o femina:

Hinc itaque monet Ovidius in primo de Arte Amandi:

Fallite fallentes, ex magna parte profanum
Sunt genus:

Tibullus in tertio.

Ah crudele genus nec fidum foemina nomen.

91. MOPSUS AMAT.] Phyllida, id est potitur amore Phyllidis. Ita enim hic accipitur: tanquam reciprocum sit amare, hoc est quod amet & ametur, unde est apud Ausonium.

- - - Ut ameris ama.

Phyllida autem accusativus est Graecus, sicuti apud Poetam in Bucolicis.

Phyllida mitte mihi meus est natalis Jola.

& alibi.

Phyllida amo ante alias:

Fuit etiam Phyllis, puella Demophontis amore capta cujus nomine epistola scribitur ab ipso Nasone,

95. LYCIDAS HABET ULTIMA RERUM.] I.e. Mortem, quae (ut inquit Aristoteles) est ultimum terribilium. *qua nihil melius mortalibus praestitit illa rerum maxima parens: siquidem nos a malis abducit mors omnibus non a bonis*, ut inquit Cicero: memoratu dignum est Hegesiam Cyrenaicum a rege Ptolemaeo prohibitum illa in scholis dicere, quod multi his auditis mortem sibi ipsi consciscerent, ut author est Cicero in libris Tusculanarum Quaestionum. est nempe nihil aliud mors, quam brevis respiratio, ut poeta vernaculus noster Franciscus Petrarcha cecinit,

92 NUNC AGE.] Hortatur amicum carmina ad puellam perferre: quoniam ita promiserat ipse,

- - - Si quid mandare juvabit
Sedulus iratae contingam nuncius aures.

SI QUICQUAM MISERIS SUCCURRIS.] Quoniam ut inquit Ovidius libro primo Tristium.

Est etiam miseris pietas & in hoste probatur.

93. PERFER ET ORE TUO.] Corroptus est totus versus iste, ita corrigendus.

Perfer & exora modulato Phyllida cantu.

Exorare est oratum impetrare, ut apud Terentium.

Orator ad vos venio finite exorator siem.

CANTU MODULATO.] Modulis confecto & structo.

94. PROCUL.] A longe.

ACUTA CARICE TECTUS.] *Carex* herba acuta est, & durissima, & similis asparago (ut scribit Servius) & *carecta* loca dicuntur caricibus plena, sicut *spincta* quae spinis.

TECTUS.] Coopertus, a *tegendo*, unde & *tegula* & *tegmentum*, & *toga* & *teges*, quem & hodie rustici foeni *tegetem* appellant a *tegendo*, hoc est foeno cooperiendo.

96. IBIMUS.] Spatiabimur.

97. ET VENIAT.] Spem bonam concipit ex augurio.

PRAESAGIA.] Auguria: *praesagire* (ut inquit Pompejus) est praedivinare, praesipere: Plautus in Aulularia.

Praesagibat mihi animus frustra me ire quum exibam domo.

FALLUNT.] Vel quod est amantum ut sibi somnia fingant (ut in Pharmaceutria Virgilii) vel quod vana sint praesagia, ut in primo Aeneidos.

Ni frustra augurium vani docuere parentes.

97. BONUS TITYRUS.] Felix & propitius, ut

Sis bonus felixque tuis.

FACIT OMEN.] A dextra. sunt auguria quaedam quae a dextra rata sunt: Plinius libro XIV. Naturalis Historiae: *artis est cujusdam aequaliter spargere semina, manus ut cum gradu congruat, semperque cum dextro pede. fierique quorundam occulta ratione quod fert genitalis atque foecunda sit in dextera parte*: inde est illud Theocriti poetae:.

Ecce salit crebro mihi dexter ocellus: amicam
Nempe videbo meam, roseis dabo basia labris.

Omen autem dicitur quasi *osmen* quod fit *ore* augurium, & non avibus aliove modo, ut inquit Pompejus, Apud antiquos tanta fuit auguriorum observatio, ut nihil nisi auspicato conducibile esse crederent: etenim omnium observatio alias contactu religionis innexa est quoniam non fortuito motu sed divinae providentia constitoriae creditur, ut scribit Valerius in primo.

98. NON IRRITUS.] Non frustratus,.

IN ECLOGAM IV.

Versu 1. QUID TACITUS CORYDON.] Introducitur Corydon sub poëtae persona carmina in laudem principis Augusti tacite fingere, cui subveniens Meliboeus: qui pro amico ipsius poëtae apudque principem favorabili intelligi potest: eum adventante Aminta fratre ad cantilenam invitat, auditque carmina in honorem alternata principis.

QUID TACITUS.] Exprimit morem gravia meditantis & nihil humilitatis referentia, quibus cogitandis caperatur frons, hoc est in rugas contrahitur, utpote seria meditantibus.

SUBINDE.] Frequenter, cum modico intervallo, qui ita enim cogitant modo frontem exporrigunt, modo caperant, & crebro vultu sunt minaci: ordo est: quid tu tacitus & vultu subinde minaci sedes sub hac platano intecta statione, quam garrulae aquae obstrepunt.

MINACI.] Unde Papinius in primo Silvarum.

Hic premitur foecunda quies, utrinsque serenat
Fronte gravis.

2. PLATANO.] Arbor est folia habens viti similia (ut docet Plinius) sterilis tamen vel authore Virgilio in secundo Aeneidos,

Et steriles platani malos gessere valentes:

Platanus Atedii celebratur a Papinio in primo Silvarum, fueruntque Romanis in tanta existimatione, ut etiam vino irrigarentur. unde legimus Hortensium dicendae causae diem cum Cicerone permutasse, ut ei otium esset ad Platanum irrigandam vino quam in Tusculano habebat: diciturque Cymon in foro ad exornationem platanum posuisse, auctore Plutarcho: hincque dictum a Juvenali Satyra prima.

Frontonis platani convulsaque marmora clamant,

Cum Platanos tanquam rem nobiliorem pro domo tecta intelligeret: Scribit Plinius in XXIV. Platanorum corticem dentium esse remedium folia autem tenerrima albo in vino decocta oculis mederi.

GARRULUS HUMOR.] Garrulitate quadam obmurmurans: *Garrire* (ut notat Marcellus) *significat quasi in-*

epte

epte ſtrepere: Cicero in Secundo de Oratore, *nam & ſcolae multas ante gymnaſia inventa ſunt quam in his Philoſophi garrire coeperunt.* eſt autem proprie avium *garritus*. Ovidius de Philumela.

Inſuper eſt avium ſpatiis garrire diurnis,
Tu cantare ſimul nocte dieque potes:

Corrigendus eſt Marcelli codex ubi legitur *garrire* eſſe proprie canum, tu lege *gannire*. Marcus enim Varro Aſinos *rudere*: canes *gannire*: pullos *pipare* dixit, quod & ſi *garrire* legas erit propter r. literam canibus peculiarem. nonnulli humanam vocem quoque *gannitum* dixerunt, ut Afranius in Perſa

Gannire ad aurem nunquam didici:

Unde tranſlatum putarim illud Perſianum,

Stat contra ratio & ſecretam gannit in aurem.

3. Infesta statione.] Propter humoris & aquae garrulitatem, unde inferius.

. . . Et obeſt arguta glarea rivi:

Aliqui codices habent *intecta*: Statio vero appellatur locus ubi ſtabulari conſueverunt milites, unde *ſtationarii* ab Ammiano Marcellino ſunt appellati, dicitur etiam ſtatio ubi naves ad tempus ſtant, ſtationem itaque Plinius in Planetis & ſtellis appellat: *Stationes* etiam ubi ocioſi docere conſueverunt appellantur, de quibus intelligit Juvenalis ita ſcribens,

. . . Conventus, ſtationes, omne theatrum.

4. Levat.] Hic levem reddit hoc eſt amoenum & leniorem. Marcellus, *levare eſt minuere*: Actius in Meleagro.

Cave laſſitudo poplitum curſum levet.

Spiritus.] Aër, a Graecis appellatur, a noſtris *ſpiritus*: Plinius in ſecundo, *Tot animalium hauſtus ſpiritum e ſublimi trahit*: idem ſcribit nullum eſſe fluvium ſine ſpiritu, unde fontem quendam ab eo quod ſpiritu careat *Anauron* appellant, unumque eſſe omnium Nilum refert in quinto, qui nullas auras expiret.

5. Nemorale resultent.] Sicut ſuperius.

. . . Nihil armentale reſultant.

Volvimus.] Volvendo cogitamus.

6. Aurea secula.] Laudat bonam aetatem principis ex induſtria revocatam.

Saeculum.] Ut docet Cenſorinus de die Natali, ſpacium eſt vitae humanae longiſſimum partu & morte definitum, quare qui annos triginta ſeculum putarunt, multum videntur erraſſe. hoc enim tempus *genean* vocari Heraclitus auctor eſt. quia orbis aetatis in eo ſit ſpacio: orbem autem vocant aetatis dum natura humana ad ſementem revertitur, Sed *genus* tempus alii aliter definiere ut idem diffuſius auctor narrat. M. Varro ſaeculum eſſe ſpacium centum annorum autumat a ſene dictum, quod longiſſimum ſpacium feneſcendorum hominum id putaverunt. a ſaeculo ſaeculares ludi ſunt dicti qui anno centeſimo fieri ſolebant ex auctoritate Varronis ita ſcribentis libro primo de Scenicis Originibus, *cum multa portenta fierent, & murus & turris, quae ſunt inter portam Collinam & quaedam de coelo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos decemviri adiſſent: renunciaverunt ut Diti patri & Proſerpinae ludi Tarentini in campo Martio fierent tribus noctibus: & hoſtiae furvae immolarentur: utque ludi centeſimo quoque anno fierent*: Scribit Acron, Horatianus interpres, ſaeculare carmen devotionis duplicis fuiſſe, aut pro ſedanda, aut pro vetanda peſtilentia: aut pro certo & conſtituto numero annorum. centeſimo enim decimo anno in Capitolio a pueris & puellis impuberibus cantabatur: unde dictum putat Cenſorinus ab Horatio.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die clara totid inque grata
Nocte frequentes:

De origine autem ſaecularium ludorum legito Valerium libro ſecundo de inſtitutis antiquis: de his intelligit Auſonius illo verſu,

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Nam, ut ſuperius docuimus, per tres noctes celebrari ſolebant.

8. Populos, urbem.] In aliquibus codicibus legitur Pleintichos *urbes* quoniam non urbs tantum Roma a principe regitur, Sed & urbes infinitae quae Romano ſubjacent imperio.

Pacem togatam.] Quoniam in pace toga utebantur cum in bellis ſago, unde eſt illud Ciceronianum, *Cedant arma Togae*: Toga autem proprie eſt Romana (ut docet Diomedes Grammaticus) unde *togatae fabulae* dictae ſunt ſcriptae ſecundum ritus & habitus hominum togatorum, id eſt Romanorum: ſicut *Palliatae* Graecorum nuncupantur, quorum habitus eſt pallium. in Togatis autem fabulis claruit Afranius poeta, qui tamen Argumenta inquinavit, amores in pueros faſſus (ut auctor eſt Quintilianus in decimo) de his intelligit Juvenalis in primo ſatyrarum.

Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,

Et Suetonius in Nerone ita ſcribens, *inducta eſt Afranii togata, quae incendium ſcribitur. conceſſumque ut ſcenici ardentis domus ſupellectilem diriperent*: ac ſibi haberent.

9. Dulce quidem resonas.] Verum eſt inquit Meliboeus, tua pace ſe carmina quandam ferre dulcedinem; attamen res ardua, quo carmine vilia & abjecta cantari non debent.

Diversus Apollo.] Non alius quam qui ſolet favere poetis.

10. Despicit.] Spernit: eſt enim *deſpicere* pro nihilo habere. M. Tullius in Verrem actione ſecunda, *quemadmodum tenuiſſimum quemque contempſerit: deſpexerit: liberum nunquam duxerit*: Virgilius in Alexi,

Deſpectus tibi ſum nec qui ſim quaeris Alexi:

Cicero libro Officiorum ſecundo, *deſpiciunt autem eos & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant*: alias *deſpicere* eſt *deſuper aſpicere*, auctore Marcello: Virgilius in ſecundo Georgicon.

Qualem ſaepe cava montis convalle ſolemus
Deſpicere.

M. Tullius in Hortenſio, *conſolabitur eam magnitudo animi & humanarum opinionum alta quaedam deſpicio.*

MV.

MUNERA ROMAE] Munus meson est vocabulum, aliquando enim pro congiario & principis donativo accipitur, aliquando pro gladiatorio exhibitoque ab imperatore spectaculo. Suetonius in Dictatore: *munere in foro depugnavit Furius Leptinus stirpe praetoria, & Aulus Calpenus senator quondam actorque causarum.*

MAGNAE ROMAE.] Sic Virgilius.

- - - Magnae spes altera Romae.

11. OVILE MENALCAE.] Menalcam posuit pro quocunque divite Pastore, cui multae in ovili balarent pecudes.

12 QUICQUID.] Sensus, est non ego curo carmina nostra inulta esse & digna solum materia rudi & nemorali, dummodo possim si non carmine: saltem pietate & ex gratitudine probari.

ACUTIS AURIBUS.] Pro acuto ingenio: Apulejus crassas aures in primo de Asino aureo appellavit *obtusas & pingues*, hoc est ingenii pinguis & duri: Persius vero, cum aures acutas & minime pingues describere vellet, dixit

- - - Aurem mordaci lotus aceto.

Id est, purgatam & ad discutiendum veritatem aptam.

13 MEMORABILE.] Memoria dignum.

PAGO.] Villae pagi (ut scribit Pompejus.) dicti sunt a fontibus quod eadem aqua uterentur: *aquae* enim lingua Dorica appellantur πηγαί, unde *pagani* dicuntur qui in pagis habitant. & *lex pagana* dicitur a Flinto quam pagani servant: & *pila paganica* de qua Martialis io distichis,

Haec quae difficili turget paganica pluma,
Folle minus laxa est & minus arcta pila:

A *pago*, fit *pagatim*. sicuti ob *oppido oppidatim*. Livius, *templa deum quae pagatim sacra habebant diruit, atque incendi jussit.* *Paganalia* hinc dici existimat Varro alicujus pagi festos dies.

14. POLITA ARTE.] Tersa & emuncta, quo vocabulo nihil a Latinitate devio Bononienses utuntur *politam* ornatum appellantes, a πόλις deducto verbo. ita enim Graeci civitatem vocant. politica vita dicitur civilis & *politus* comptus & ornatus. Plinius libro primo Epistolarum, *audivi quasdam causas agentem acriter & ardenter, nec minus polite & ornate:* Idem, *uxorem quam virginem accepit, tam doctam, politamque reddiderit.* πολιτικῶς Graece dicitur unde comparativum. πολιτικώτερον formavit Cicero, ita scribens in secundo Epistolarum, *vide quantum tibi meo judicio tribuam, nec me hercule injuria, politicoteron enim te adhuc cognovi neminem:* ubi tu interpretare civiliorem.

15. PROBARI.] Laudari.

16. OBUMBRAT] Umbrosam reddit: & opacat: *opacare* enim obumbrare significat, & opacum facere: Cicero de Oratore, *cur non imitamur Socratem illum qui est in Phaedro Platonis, nam me haec tua platanus admonuit quae non minus ad opacandum hunc locum patulis diffusa est ramis: quam illa cujus umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquula quae describitur quam Platonis oratione crevisse.*

17. HAEC EADEM.] Subintellige carmina.

18. ADMOVET.] Proximum reddit.

MEIS NATALIBUS.] Meis annis: hoc est qui non multo post me natus est: *natalis* enim *dies* dicebatur in quo quisque natus fuerat; in maximo honore apud antiquos habitus: eadem enim die & merum fundebant Genio: & manum a caede & sanguine abstinebant, ne die qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent, ut refert Censorinus de Die Natali ex Varronis quidem sententia: unde dictum est a Persio diem natalem describenti,

Funde merum Genio.

Quem locum, ne quem juventis suis fraudemus, in memorato libro Censorinus, declaratum reliquit: solebant hoc die munera mitti amicis: & haec festa natalitia appellabantur authore Cicerone: apud Persas natalis dies maxima cum religione celebratur (ut scribit Herodotus libro Historiarum primo) De natali Virgilius in Palaemone,

Phyllida mitte mihi, meus est natalis Iola.

Ubi scribit Servius, in Solis natalis diei sacris fuisse concessum operam dare voluptati cum in caeteris castitas observaretur.

19. JAM PURROM CALAMOS.] Sensus. nunc jubes Amintam fratrem cicutis perstrepere quem pridem jurgiose vetuisti inflare calamos, cum nihil inde utilitatis provenire conquereree.

ODORAE CERAE.] Id est odorem spirantis. ossa *inodora* appellavit Persius unguento inspersa non odorato, ita enim inquit Satyra septima,

- - - Quod rem curtaveris, urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiae: nescire paratus:

Quem locum depravatum in omnibus codicibus invenies, ubi *peccent* pro *putent* legitur: de cera quemadmodumve conficiatur vide Plinium libro XXI. Naturalis Historiae, ubi optimam esse putat quae Punica vocatur, proximam quam maxime fulvam odorisque mellei puram: a *cera* dicti sunt *cerei* quos lucebant tantummodo ditiores ut inquit Festus. Martialis in distichis,

Hic tibi nocturnos praestabit cereus ignes
Subducta est puero namque lucerna tuo.

Plautus io Curculione

Tute tibi puer es lautus, luces cereum:

cum sumptus pueri intemperantes castiget: qui ita cereum absumebat ditiorum munus: & non frustra distribuendum.

20. LUDERE.] Scribere & dicere, ut

Ludere quae vellem calamo permisit agresti.

19. CICUTIS.] *Cicuta* spatium est inter cannarum

nodos,

nodos ut docet Servius super eo Virgiliano in Bucolicis.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

19. Fronte paterna.] Severa & admonitoria: Persius

- - - Non dicta repone paterna.

Introducuntur enim patres tenaces in comoediis & castigatores.

22: Notavi.] Obsignavi & animadverti.

23. Frange puer calamos.] Verba Corydonis quibus commonebat fratrem deserere Musas cum nihil inde posset sibi utilitatis evenire.

Inanes musas.] Quoniam nihil suis tribuunt cultoribus, unde ita conqueritur Satyra Septima Juvenalis,

Nos tamen hoc agimus tenuique in pulvere sulcos
Ducimus, & litus sterili versamus aratro.

Ovidius libro quarto Tristium,

Saepe pater dixit? studium quid inutile tentas,
Maeonides nullas ipse reliquit opes:

Unde Epigramaticus poëta,

- - - Gelidis quicumque lacernis
Sunt tibi, Nasones Virgiliosque vides.

24. Et potius glandes.] Tamquam ex viliori arte majus posset acquirere peculium: de glande jam superius diximus. tu adde praeter notum significatum glandem esse plumbum in modum glandis informatum, de qua Virgilius in septimo Aeneidos.

- - - Pars maxima glandes,
Liventis spargit plumbi:

Et Silius in primo,

Hic crebram fundit Baleari verbere glandem.

Salustius in Jugurtha, *pars eminus glande aut lapidibus pugnare.*

Rubicunda corna.] Fructus sunt corni arboris circa solstitia primo candidi postea sanguinei, Virgilius *lapidosa corna*, a duricie arboris appellavit, unde nomen inditum: ex eo genere foemina post autumnum fert baccas acerbas & ingustabiles ut scribit Plinius.

25. Et lac venale.] Hic mos a nostris hodie retinetur, ut mulieres rusticae urbem circumeuntes clament se lac habere venale, & si quid aliud habuerint; quam consuetudinem ita describit Persius Satyra quinta,

Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocima vernae.

26. Non tacitus.] Quoniam opus est admonere empturientes, quicquid habeas.

Quid enim tibi fistula reddet.] Ratio dissuasionis.

- - - Quis enim virtutem amplectitur ipsam
Praemia si tollas:

Ut inquit Satyrographus Poëta: unde Martialis,

In steriles campos nolunt juga ferre juvenci.

27. Quo tutere.] Legitur & *tueare* in antiquis codicibus, pro defendas, ut apud Claudianum,

Extremam defende famem.

Nam, ut inquit Juvenalis,

- - - Neque enim cantare sub antro
Pierio thyrsumve potest contingere sana
Paupertas: atque aeris inops, quo nocte dieque
Corpus eget, satis est cum dicit Horatius ohe.

Certe mea carmina.] Exemplo suo probat nullo Musas emolumento coli.

28. Ventosa echo.] Scribit Plinius in secundo, multis in locis voces reciprocas fieri propter inaequalitates locorum unde aer resultans exit: fuit autem Echo Nympha Junonis filia, ut poetae fabulantur, quae amore Narcissi capta pueri, a quo repudiabatur, attenuata vigiliis in lapidem conversa est, unde cecinit Ovidius in III. Metamorphoseon,

Vox manet: ossa ferunt lapidis traxisse figuram:
Inde latet sylvis nulloque in monte videtur,
Omnibus auditur, sonus est qui vivit in illa.

Ventosa.] Quae quia ventus aures reverberat nostras *resonabilis* inde vocatur ab Ausonio,

Commoritur Narcisse tibi resonabilis Echo
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis
Ultima nunc etiam verba loquentis amat.

Scribit Aristoteles in Problematis, Echo, id est vocis resonantiam fieri eo quod refractio est non perfractio, sic enim cum totum permanet, tum partes ab eo duae uniformes proficiscuntur: quippe cum per similem angulum refractio existere soleat: itaque vox resonandi similis primae efficitur. Invenies apud Plinium in XI. inimicam esse apibus Echo resultanti in sono qui pavidas alterno pulsat ictu.

Olim nunc.] Significat enim tria tempora *olim*, & praesens ut hic: & praeteritum ut apud Horatium,

Olim truncus eram:

Et futurum, ut apud Virgilium,

Hunc tu olim coelo spoliis orientis onustum
Accipies secura.

Non deus idem] Sc. contrarios & adversus, sunt enim quaedam numina quae ne noceant coluntur, ut docet in secundo Plinius.

31. Arridet spes.] Meliora promittit: arridet enim qui favet: Petronius Arbiter, & *quonquam mihi fortunae arriserit hora.* Persius,

Cum

Candida vicini subrisit molle puella.

Ne fraga.] Ordo est : tu facis ne fraga rubosque colligerem : & ne solarer famem viridi hibisco : *fraga* sunt mora quae in herbis nascuntur ut docet Servius, unde cecinit Maro in Palaemone,

Qui legitis flores & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Ovidius in xiii. Met.

Mollia fraga leges ipsa autumnalia corna.

Rubos.] Pro fructu fruticem posuit. *rubus* enim fruten est mora ferens ut superius jam docuimus.

Hibisco.] *Hibiscus* genus herbae gregibus aptae : Virgilius in Bucolicis :

Haedorumque gregem viridi compellere hibisco.

De hoc Plinius libro xx. Naturalis Historiae. *Pastinacae simile hibiscum quod molochen agrian vocant & aliqui plistolochiam ulceribus cartilaginis: ossibus fractis medetur.* Folia e . ex aqua pota alvum solvunt, serpentes abigunt, apum vesparum crabronum ictibus illita medentur.

Solarer.] Consolarer; est enim hoc solamen pauperum si possint cibari : unde cecinit Lucanus in iii. Pharsaliae.

- - - Namque asseruit urbes
Sola fames, emiturque metus cum segne potentes
Vulgus alunt, nescit plebes jejuna timere.

Etenim,

Dira fames tenues homini facit esse lacertos.

Ut inquit Hesiodus : *Impetuosa fames* a Claudiano dicitur, eo quod varia famelicos agere cogat.

33. Tua indulgentia.] Liberalitas : indulgentia enim aliquando pro liberalitate accipitur, ut apud Suetonium ita in Flavio Vespasiano scribentem, *post decisa quaecumque obvenissent, negotiationis, & tunc quiete vacabat, accubante aliqua pallacarum quas in defunctae locum Caenidis plurimas constituerat, ac secreto in balneum tricliniumque transibat, nec ullo tempore facilior aut indulgentior traditur, eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.*

Farre.] Pro nobiliori cibo posuit. antiqui enim *farra* in maximo habuerunt honore, utpote quibus etiam in sacrificiis uterentur : *adoreum* antiqui vocaverunt, ut scribit Plinius : nam *ador* authore Pompejo farris genus est, *edor* quondam appellatum ab *edendo* : vel quod *aduratur*, ut fiat tostum : *far* primus antiquis cibus fuit & populum Romanum farre tantum ex frumento ccc. annis usum fuisse Verrius tradidit : *Adoream* laudem sive gloriam dicebant : ut author est Pompejus : quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret. itaque *adorea* pro laude & gloria apud Plautum dicitur in Amphitryone :

Praeda atque agro adoreaque affecit populares suos :

farratam ollam appellavit Persius Satyra quarta ollam farris plenam, quamvis ipse pro re tenui modicaque posuerit. cujus subscripsi carmina,

Hunc ait : hunc dii iratis genioque sinistro,
Qui quanquam jugum pertusa ad compita figit
Seriolae veterem metuens deradere limum,
Ingemit : hoc bene sit tunicatum cum sale mordens
Cepe : & farratam pueris plaudentibus ollam.

Far dictum putat Marcus Varro, in primo de Lingua Latina, a *faciendo* eo quod in pistrino fit : Idem in primo de Re Rustica, *quod far ferrea caesum fit farrago dictum, aut quod primum in farracia segete seri septum* : *farrago* autem : ut & simul hoc addiscas : genus est tritici quadrupedum causa sati : ut docet Plinius. *Far ago ex recrementis farris praedensa seritur admixta aliquando vicia eadem aliquando in Africa fit ex hordeo, omnia haec jumentis* : ex his supradictis intelliges cur *farraginem libelli* appellaverit Juvenalis pabulum scilicet & materiam Satyrae suae : *farraginem* pro tenui pabulo intellige apud Persium ita scribentem,

Vappa lippus & in tenui farragine mendax,

34. Miseratus opis.] Improprie, dictum videtur cum non sint miserabiles opulenti & divites : Sed hic *opes* pro rebus tenuioribus dixit : quae mendico & pauperi sunt opes : sive per antiphrasim quod minimae sint divitiae pauperum.

Miseratus.] Notat Marcellus esse differentiam inter *miserari*, *flere*, & *lamentari* : *Miserari* vero misericordiam alienis casibus exhibere : olim ab Heraclidis extructa fuit Athenis Misericordiae ara ad quam alludit Claudianus ita scribens in Gildonem :

- - - Si flentibus aram,
Et proprium miseris numen statuistis Athenae.

Docilem juventam.] Quae doceri potest, commonet inde Quintilianus puerum tenellum a primis annis esse Graecis literis instruendum. nam natura tenacissimi sumus earum quae rudibus annis percipimus : ut sapor quo nova imbuas durat : nec lanarum color quibus simplex ille candor mutatus est elui potest : Horatius *cereum* Juvenem appellavit in Arte Poetica ad quodlibet facilem, illo versu.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

35. Hiberna jejunia.] Quae ut plurimum accidunt hiemali tempore, cum subinde subministret aestas novos fructus, quibus jejunia excellantur a villicis hominibus, vel : quod magis probo : lege *fago Hiberna*, id est, glande collecta & in usum servata hyemalem.

Solvere.] Sic Boëthius libro de Consolatione Secundo,

- - - Facilique sera solebat,
Jejunia solvere glande :

Hoc verbo hodie meri utuntur rustici, ut ad *solvendum* sese ire dicant cum repetunt seu prandium seu jentaculum : in aliquibus tamen exemplaribus *pellere* legitur, eodem fere significatu.

36. Querulum.] Lamentabile, unde *querulae chordae*, quod querimoniam quandam emittere videantur, solent appellari. *Querula*, a Virgilio cicada pro canora dicitur.

37. Saturi.] Cibo vinoque expleti : Plautus in Curculione.

Me dico ire quo saturi solent.

Martialis,

- - - Carne opus est, si satur esse velis.

Secura umbra.] Quod ex saturitate provenit : Catullus.

Nam pransus jaceo & satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

D 3 Ra-

Recubamus.] Quiescimus & est proprie resupinati : Virgilius,

- - - Recubans sub tegmine fagi.

38. Sylvis amaryllidos.] Id est Romae, hoc enim Romam nomine appellat Virgilius in Bucolicis,

Postquam nos Amaryllis habet Galathea reliquit.

Ultima terrarum.) Thule in ultimo est quidem orbe posita juxta illud Virgilianum.

- - - Et ultima Thule:

Sed hic intelligendum est de Hiberia, quae terrarum fere ultima est immo prima (ut scribit Plinius in Tertio Naturalis Historiae) appellavit autem terrarum illam ultimam poeta noster, quoniam metas illi mare imponit, est enim in primo Europae sinu posita oceano Calpen circumfluente Hispaniae montem extimum, haec autem ex authoritate Pliniana ulterior Hispania appellatur & Bethyca a Bethy fluvio eam mediam secante, qui in Taraconensi provincia Tygensi caorieos saltu Scipionis rogum refugit versusque in occasum oceanum Atlanticum provinciam adoptans petit, ob id dixit poeta noster eum *Occiduas impellere arenas*. Quoniam in occasum vertitur. modicus est primo ortu sed multorum fluviorum capax, quibus ipse famam aquasque aufert Bethycae, primum ab Ossiguania infusus Amano, blandus alveo crebris dextra laevaque accolitur oppidis: quod ad illud spectat quod dixit Calpurnius.

41. Liquidis cursibus.] Id est amoenis & limpidis.

42. Ultima littora.] Calpen & Gades hominum fines de quibus Silius in primo,

Atque hominum finem Gades Calpenque secutus,
Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis,
Occubuit saevo Tyrius certamine doctor.

sunt enim Hispaniae confinia.

Obnoxia mauris.] Mauros enim & inter Hispanos Oceanus funditur ab occasu solis irrumpens ut scribit Solinus, *Levo latere Europam radens, Africam dextro, scissisque Calpe & Abila montibus quos dicunt columnas Herculis*: itaque obiter Solini codicem restitue, ubi pro *Abila*, *Abinna* legitur.

Pascua geryonis.] Plinius in Quinto his verbis, *ubi fuerint Geryonis pascua*, apertissime declarat. *Erithrea* dicta est quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythraeo mari ferebantur: in hac Geryones habitasse a quibusdam existimantur quorum armenta Hercules abduxerit. Pliniomitam quoque secutus Solinus ait, in capite Betycae ubi extremus est noti orbis terminus insulam a continenti septingenis pedibus separari, quam Tyrii a rubro profecti mari Erythraeam: Poeni lingua sua *Gadir*, septem, nominaverunt: In hacque Geryonem' aevum agitavisse plurimis probari monumentis: Virgilius in VII. Aeneidos.

Geryone extincto Thyrenthius attigit arva.
Thyrenoque boves in flumine lavit Hiberos.

Ubi haec Servius, *Geryones Rex fuit Hispaniae, qui ideo trimembris fingitur quia tribus insulis praefuit quae adjacent Hispaniae, Balearicae minori, majori & Ebusae*: fingitur etiam bicipitem canem habuisse, quia & terrestri & navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, qui ideo fingitur ad eum olla aerea transvectus quod habuit navem fortem & aere munitam: de hoc Silius in primo:

- - - Namque id monstrum tris corpore dextras
Armarat, ternaque caput cervice gerebat,
Haud alium vidit tellus cui ponere finem
Non posset mors una viro, duraeque sorores
Tertia bis rupto torquerent stamina filo,

40. Truciaus.] Crudelibus: Mauri enim non inde longe remoti eos inquietant, cum Mauritania sit longe a Belone oppido Bethycae proximo trajectu XXX. millibus passuum, ut docet Plin. in quinto, ubi de Mauris haec memoriae tradidit. *Tingitanae provinciae longitudo. CLXX. millibus passuum est, & gens in ea quondam praecipua Maurorum, unde nomen provinciae, quos plerique Maurusios dixerunt, attenuata bellis ad paucas redit familias*: Mauritania duplex est teste Ptolomaeo in Tertio Cosmographiae. altera Tingitanica dicta, altera Caesariensis: Mauri ex auctoritate Strabonis pastoraliter vivunt, plurimum comas cincinnis exornantur & barba & tersura dentium & unguium cultu, raro inter se contingere videas dum ambulant ne capillorum ordo perturbetur.

42. Inormis bethys.] Ob fluvios receptos sicuti diximus: & hic fluvius Bethycae nomen imposuit ut scri. Pluta. in vita Sertorii.

Impellere.] Vi quadam & impulso pellere.

Occiduas arenas.] Quoniam ad occasum se vertit.

43. Scilicet.] Indignationem consuetam haec particula hic continet.

Vilis.] Nulli curae & abjectus.

Jaceram.] Vel recubans, more pastorum depressus paupertate, ut,

- - - Pauper ubique jacet.

Extremo orbe.] Hispano.

44. Conductus.] Tanquam mercenarius: conductus enim dicitur ille qui ad aliquid agendum mercede promovetur: & *conductor* est qui rem conducit: & conducere verbum quod significat rem aliquam pro mercede utendam accipere. Juvenalis Satyra Tertia.

Quis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver.

Et alibi,

- - - Inde reversi
Conducunt foricas.

Conducti actio competit ei qui rem aliquam a locatore mox turbatam recepit sive fundum sive praedium ut notant Jureconsulti.

Pecudes Hiberas.] Hispanicas, Iberus enim fluvius qui oritur in Cantabris, haud procul Juliobrica, quem propter universam Hispaniam Graeci *Iberiam* appellavere ut scribit Plin in tertio & Solinus in Polyhistore: unde saepius apud poetas Iberos pro Hispanicis leges. ut apud Silium in quinto,

Quosque nefas vetiti transcendere nomen Iberi,
Tangere jam Tybri.

Et in XVI.

Scipio restituit terras illaesus Iberas
Trojugenis.

Hi-

Hibernia, authore Dionysio, ab Hiberis quondam habitata quoque vocitata est, quae insula inter Britanniam & Hispaniam sita est, & longiore ab Aphrico in boream spatio porrigitur: ut scribit Orosius in primo: fit mentio a Pli li xxv. cujusdam herbae quae Iberis vocatur, quae cum aristolochia adalligata hora vel diutius si pati possit, comitante balnei usu, capitis doloti medetur: *si in trigono Martis luna & sol simul fuerint constituti, id est aut in cancro aut in scorpione aut in piscibus, & ipse Mars aut in M. C. aut in occasu fuerit inventus, assiduae peregrinationis decernuntur incommoda & in extraneis regionibus, & in peregrinis constitutos extremum complent diem vitae*: ut scrib. Julius Firmicus libro quinto matheseos.

45. Sibila irrita.] Sonos inutiles: est autem proprium serpentis sibilum *Virg. sibila* pro sibilantia dixit in 11. Aeneidos illo versu.

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora:

Hic *sibila* posuit poëta pro inamaeno fistulae sono.

Septena canna.] Fistula septem compaginata cicutis, ut apud Virgi.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Non respiceret.] Non tamen quisquam non mihi faveret sed ne respiceret quidem.

46. Inter dumeta.] Loca dumis plena: Cicero *dumeta Stoicorum* appellat tortuosum & spinosum disserendi genus potius quam subtile.

47. Non ipse deus.] Augustus scil.

Vacuam aurem.] Nobis tantummodo intentam.

48. Vota sonantia.] Pro resonantia, & vota hic pro desideriis accipe.

49. Exaudiret.] Hoc verbum, quod significat valde audire, pro eo quod est votum adimplere usurpamus.

50. Sed nisi forte tuas.] Meliboeum orat, ut carminibus suis limam adhibere velit.

Nisi forte tuas.] Justa expostulatio, si non sit alieno impeditus cantu & ad dulciorem provocatus cantilenam.

Advocat.] *Advocare* significat pro opponente postulare: & *advocatus* dicitur qui aliqua in causa patrocinium suum praestat. Advocatus vero non potest esse notarius in eadem causa, ut est invenire in lege universa Codice de decurionibus libro decimo.

51. Et nostris aliena magis.] Intelligendum est, nisi hoc ordine, & nisi magis tibi aliena placent quam nostra. hoc est nisi meam aliis postponis musam.

52. Vis aliena.] Legendum est *vis hodierna* hoc sensu: vis ne ut hodie sublimia tua ponantur carmina nostra.

Subigatur.] Supponatur ad trutinam & examen.

Pagina.] Quae a *pangendo* dicta est, quod in ea *panguntur* carmina. hic vero *pagina* pro carminibus dicitur.

Subigat vir.] Legendum est *subigatur.*

Lima.] Pro expolitione, unde verbum *limare* quo usus est divus Cyprianus ad plebem ita scribens Assuritanorum: *ea quae agenda sunt disponere pariter & limare poterimus*: Pli. Caecilius in primo Epistolarum, *& hortor eum in urbem proxime veneris illo te excolendum limandumque permittas.*

53. Nam tibi.] Causa cur hoc petat, nam judicium suum in omni re perfectissimum demonstrat: est enim rhetoricum in omni petitione observare ut possit praestari quod petitur. i. e. ut sit possibilitas & res justa, ut habeat modum petitio, & ut sequatur remuneratio: quod totum observavit poëta in primo Aeneidos cum ita cecinit.

Aeole, namque tibi divum pater atque hominum rex,
Et mulcere dedit fluctus ac tollere vento.
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor.

Deinde remunerationem promittit exposita possibilitate & justa petitionis causa:

Sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae.

53. Non solum.] Ordo est, non solum tibi tribuere dei noscere venturos nymbos & qualem ortum sol aureus ferat agricolis. sed etiam dederunt scilicet carmina.

Venturos nymbos.] Seu pluvias repentinas & praecipites, quae *nymbi* appellantur (ut notat Servius) cum pluviae sint lentae & juges: seu ventos quos pro nymbis significari quandoque notavimus, ut apud Virg. in primo Aeneidos.

Nymborum in patriam loca foeta furentibus austris.

54. Sol aureus.] Ex signis solis praecipuum est divinare & tempestates & futuras serenitates, Virg. in primo Geor.

Denique quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus auster
Sol tibi signa dabit:

Purus oriens atque non fervens serenum diem nunciat; At hibernam pallidus grandinem, si & occidit pridie serenus & oritur. tanto certior fides serenitatis, ut scribit Pli. in xviii. Naturalis Histo. ubi omnia & lunae & solis signa serenitatem vel pluviam denunciantia invenire diffusius poteris: sicuti de observatione animalium quae tamen desideratur a Clau. ita in Gildonem scribente:

Nec nimium segnes cauta qui mente notatis
Si revolant merge: graditur si littore cornix,
Ora licet maculis asperserit occiduus sol,
Lunaque conceptis livescat turbida cheris,
Et concussa vagos jaculentur sidera crines
Himbribus humescant haedi: nimbosaque taurum
Ducat hyas: totusque fretis descendat Orion,
Certa fides caeli:

55. Attribuere.] Plus est quam si *dedere* dixisset, cum attribuere sit proprium facere.

56. Munerat.] Coronat.

56. Baccheis corymbis.] Hedera ex qua coronantur poëtae cum sit in Bacchi tutela: notat Ser. in Buc. poëtas hedera, imperatores vero & triumphantes lauro coronari. unde Virgi.

- - - Atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros:

Hora. in I. carminum.

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis:

Ubi ait Acron interpres Horatianus: poëtas tantum hedera coronari solitos. *Corymbus* autem fructus est & (ut ait Ser.) hederarum uva. Virg. in Palae.

Diffusos hedera vestit pallente corymbos:

Pli. lib xvi Nat. Hist. *Etiamnum hae species dividuntur in alias, quoniam est alia fructu tantum candida, alia & folio: fructumque candidum ferentium, aliis densus acinus & grandior racemis in orbem circumvallit qui vocatur corymbus, item silenit um, cujus est minor acinus sparsior racemus similis modo in nigra: aliam & semen nigrum: aliis crocatum, cujus coronis poetae utuntur:* solent in nuptiis coronae ex hedera postibus innecti, juxta quod est illud Juve. ex Saty. Sexta.

- - - *Necte coronam*
Postibus & densos per limina necte corymbos.

57. Obumbrat.] Umbra sua obtegit. laurus enim in tutela est Apollinis. in hanc arborem versa puella, toto notissima fabula mundo.

57. Pulcher Apollo.] Epitheton est Apollinis, qui etiam cum Baccho de caesariei praestantia certare dicitur, unde exiit illud Epigrammatici poetae.

- - - *Sic denique non sunt*
Tam longae Bromio quam tibi Phoebe comae:

Eum autem ita loquentem inducit Ovi. in I. Met.

Arbor eris certe dixit mea, semper habebunt
Te coma, Te cytharae, Te nostrae Laure pharetrae,
Tu ducibus laetis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet, & longas visent capitolia pompas
Postibus augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis mediamque tuebere quercum:

Ser. Plinius li. xv. Natu. hist. *laurum proprie triumphis esse dicatam vel gratissimam domibus janitricem caesarum pontificumque: quae sola & domos exornat & ante limina excubat: Delphica victores Delphis coronantur & triumphantes Romae. ipsa pacifera & quam praetendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium, Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuncia.*

58. Faveas mihi trepido.] Quoniam excitantur vel desides & ignavi si cui sese favorabiles viderint.

Forsitan illos.] Sensus est: si coeptis meis aspirabis, forsasse bucolicon carmen quale Virg. cecinit tentare ausim.

59. Here.] Pro heri, ut apud Ju. Sa. iii.

Res hodie minor est here quam fuit:

Usus est Plau frequenter: & docet Quin. in I.

61. Conciliat.] Verba quae Iolas dixit dum illum fistula donaret. *conciliare* significat mercem hic reddere: & alibi in gratiam alicujus adducere, ut apud Virg. in I. Aeneidos.

- - - *Mihi quodcunque regni tu sceptra Jovemque*
Concilias:

Conciliatus aliquando pro empto accipitur, ut apud Teren in Eunucho, *perdis male conciliate*, pro magno empte: omnis enim conventio conciliatio appellatur ut docet Do. *Conciliamur neutri concenciliamus antiquae*, auc. Ser.

Nostro fauno.] Pastorum deo.

Tityrus habuit] Vir. intelligit qui sub nomine Tityri, in prima sua Ecloga introducitur. a quo primo Buc. carmen apud nostros emanavit, nam prior apud Graecos Theocritus scripsit, quem postea Virg. secutus est: unde ita in Sileno ipse cecinit.

Prima Syracusio dignata est ludere versu
Nostra neque erubuit silvas habitare Thalia,

Theo. citans qui Syracusanus fuerat.

Istis montibus.] Romanis scilicet. alludit ad septem montes Romanorum.

63. Hyblea avena.] Dulcisona & mellisona. Hybla enim civitas est Siciliae (ut test. Pli. in iii. Nat. Hist. & Plu. in Niciae vita: inde Hybleenses populi, de quibus fit mentio a Ci. li. v. Verri. & au. Stra. li vi. Geog Dorienses Megaram condiderunt cum prius Hybla vocaretur: at quoniam optimi mellis ibi copia sunt ideo *avenam Hybleam* dulcisonam appellavit, sicuti Vir. *Hybleas apes* dixit in Tityro.

Hybleis apibus florem depasta salicti
Saepe levi somnum suadebit inire susurro:

Et erit species pro genere.

Vates sacer.] Sacrosanctus & divinus hic: cum alias *sacer* nefarius & diis sacrandus homo dicatur quod trans alpes a Massyliis observatum fuisse dicitur, de quibus ita Pli. in vii. *Et nuperrime transalpes hominem immolari gentium earum more solitum: Sacer mons* dictus quoque trans Anienem quod Jovi consecratus esset.

Qui posset avena.] Sensus est: ille etiam charactere ludicro & bucolico adeo praevalebat ut videretur non ad avenam sed ad chelim concinere.

66 Personuisse chelim] Dixisse res grandes, quales ad lyram dicere moris fuit: *chelis* Graece dicitur testudo, cujus nervis sonantibus Apollo vel Mercurius cytharam invenisse dicitur (ut docet Lactantius interpres Statii) itaque saepe *chelis* pro cythara & lyra accipitur: Sidonius in Panegyrico.

Postque chelim placuit fistula rauca Jovi:

Statius in primo Thebaidos.

- - - *Nunc tendo chelim.*

Blandae.] Placidae tanquam alteri Orpheo canenti.

Allusisse.] Lusibus adsuere. sic Virg. in Sileno.

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.

67 Aonia quercus.] Aliunde profecta & harmoniam secuta.

69. Nais] Undarum dea, quae ideo comere frontem dicitur a Calpurnio & ornare acantho, quoniam ex irriguis aquis flores & herbae proveniunt, quibus caput exornatur in coronas redactis. Ideoque Virg. in Alexi Najadem flores & violas ferre induxit puero: Najadas autem undarum esse deas superius docuimus: & Papinii vel solo patet testimonio, qui ita reliquit in primo Silvarum.

Najadas undarum dominas regemque corusci
Ignis, adhuc fessum Siculaque incude rubentem
Elicuisse satis.

Acan-

Acanthus autem herba est in Aegypto nascens teste Servio super eo Virgiliano in Pollione.

Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho:

Duo ejus sunt genera, aculeatum & crispum quod brevius: alterum leve authore Plinio: vimen flexibile habet ut colligitur ex illo Georgicorum.

- - - Flexi vimen acanthi,

Scribit Plinius libro xxiv. Naturalis Historiae, ex spion quam Graeci acanthion vocant, foliis aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis, vestes quasdam bombicinis similes in oriente fieri, ipsiusque folia vel radices ad remedia opisthotoni bibi: id est morbi cervicem scapulis annectentis. opisthotonus enim morbus ita nuncupatur, ut obiter Cornelii Celsi codicem emacules libro quarto Medicinae, ubi *opisfeothonon* pro *opisthotonon* legitur.

Rutilo splendenti.] Unde Virgilius, *ridentem* appellavit: at eum *mollem* dixit in Palaemone,

Mollis circum est ansas amplexus acantho,

ad flexibilitatem allusit.

Comebat.] Ornabat & poliebat, in quam sententiam est illud Martiani de nuptiis Mercurii & Philologiae,

Comere vernificis florentia limina sertis,
Seu consanguineo Gratia trina dedit.

Implicitos.] Simul implicatus.

Pectine.] Instrumentum est ad comam concinnandam, unde Cappadox leno apud Plautum in Curculione per pectinem, speculum & calamistrum jurat, hoc est per arma sua: alias vero lyricum est adjuvamen, quo scilicet percussae chordae harmonium reddere consueverunt: Persius Satyra septima.

Jam ne lyra & tetrico vivunt tibi pectine chordae:

Claudianus de nuptiis Honorii.

Pectine tentavit nobiliore Lyram.

70. Est fateor deus.] Scil. Tityrus: vel *& fateor Melibaee deus*, ut subintelligas est: ita enim in antiquis codicibus reperitur.

71. Non abnuerit.] Non denegabit nobis carmina: annuere est nutu capitis confirmare, ut apud Persium.

Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur:

Abnuere vero negare, *ab* enim particula privativa est. ut in *absono* & *abortu* & *abolitione.*

Commodos.] Commodatus.

72. Scimus enim quia te.] Sunt qui velint hic loqui Corydonem, ego tamen Meliboeum censuerim, ut qui non spernat Corydonis cantum, & quoniam ille superius dixerat *nec mihi abnuerit Apollo*, respondet se scire illum apud Apollinem esse favorabilem, etiam si dixerit,

Magna petis Corydon, si Tityrus esse laboras:

Si velis loqui Corydonem, tantum sequens versus est dandus Melibaeo.

73. Sed perspice.] Sensus est: adverte, ne tam tenui sono utaris in laudando principe, quam soles ubi dum puerum Alexin & amores tuos laudare consuevisti.

74. Tinnula.] A tinniendo hoc est perstrependo, unde *tinnula dicacitas* dicitur ab Apulejo in primo de Asino Aureo: *tinnire* enim significat perstrepere. ut Ecloga quinta

- - - Cum jam tinnire volucres
Incipient.

Unde *tinnitus*: Virg. in iv. Geor.

Tinnitusque cie matris quoque cymbala circum.

Fragili buxo.] Inermi & humili sono: Buxus arbor est topiaria ad quaslibet efformandas effigies accommodatissima, granum ejus *cartogon* appellant scribit Plinius libro. xvi. Nat. Hist. ex hac arbore tibiarum usus apud nostros quoque remansit, sicuti ad pectines: apud poëtasque saepius buxum pro tibia invenies, ex qua ratione propter ejus usum plurimum dixit Virgilius in ii. Georgicorum.

- - - Aut torno rasile buxum:

In Cythoro autem monte Paphlagoniae plurimum nascitur buxus teste Plinio, hinc dictus a Catullo est *buxifer Cythorus*: Virgilius in Georgi.

Et juvat undantem buxo spectare Cythorum:

Commendatur maxime palliditate ut loquit Plinius: ex hac arbore vascula quaedam confecta pyxides appellantur. πύξος enim Graece dicitur *buxus*, πύξινος *buxeus*, & πυξεῶν *buxetum*: Juvenalis.

Turgida nec prodest condita pyxide Lyde.

Etsi versus in omnibus fere exemplaribus perperam legatur.

75. Quae resonare.] Legendum est *quam resonare* ex antiquo textu.

Laudat.] Si pro puero ab ipso laudato, *Alexim* legis, expone *laudat* pro *laudatur*, ut apud Virgilium in primo Aeneidos,

- - - Tum prora avertit & undis.

Pro *avertitur*: & alibi.

- - - Nox humida caelo
Praecipitat.

Pro *praecipitatur*: quod si active legere malis, erit alicujus mali poetae taxatio sub hoc nomine carpti vel proprio ipsius: qui cum laudes alicujus exprimere vellet humilis & enervatus habebatur: talis est illa Virgiliana taxatio in Bucolicis,

Qui Bavium non odit amet tua carmina Maevi,

In malos poëtas & Virgilio inimicos Horatioque ut scribit Servius.

76. Hos potius calamos.] Legitur & alibi *hoc potius* pro ob hoc: est autem commonitio ut relicto buxo, calamis canalibus utatur: id est postposito stilo grandiori, Bucolicum carmen canat. Si quidem buxus heroum sonus est, utpote qui tibialis excitet arma: calamis vero praeter pastores & humiles uti neminem quis ignorat? Igitur *canales, calamos*, pastorale carmen intellige quod avena & calamo fluviatili incinitur: est autem maxima differentia eorum in siccis an in locis aquaticis proveniat, ut docet Plinius libro xvi. Naturalis historiae.

77. Pro me consule.] Possumus hinc intelligere aliquando Calpurnium in Consulatum amici sui quem Melibaeum nuncupat Bucolicum carmen decantasse, tanquam panegyricum.

Dionas silvas.] Pastorales versus.

78. Incipe nec dubita.] Ad illud spectat quod superius dixerat Corydon.

Quod si tu faveas trepido mihi :

En.] Demonstrantis est.

79. Succinat.] Sub te cantet.

Alterno ore.] Carmine alternato : *alterna* enim dicuntur carmina quae altero desinente ab altero pronunciantur, Virgilius in Palaemone.

Alternis dicetis amant alterna Camenae.

80. Dicite.] Utrumque alloquitur, & Corydonem scilicet & Amintam

Reducite Carmen.] deficientem alterius cantum alter reducat, id enim est *reducere carmen.*

81. Tu prior.] Sic Virg.

Incipe Damoeta tum deinde sequere Menalca.

Proximos.] i. e. secundus.

82. Ab Jove principium.] Sumptum a Virg. sic enim ille.

Ab Jove principium Musae, Jovis omnia plena :

Sensus est : si quis vult canere caelum, sumat exordium ab Jove sub cujus est aether imperio : At ego qui terras cano, Augustum invocatum volo, sub cujus orbis exultat tutela pacificus & tranquillus. *Aether,* purior aer dicitur, & aer, crassior. Pli. in II. *ergo confinium illius est aeris terminus initiumque aetheris.* ubi perspicuum est aethera intelligi sublimiorem, aëra inferiorem.

83. Si quis Atlantiaci.] Ordo est : si quis canit aethera sumat ab Jove principium, & si quis molitur pondus Atlantiaci olimpi. scilicet ab Jove principium sumat.

Pondus.] Magnitudinem.

Olimpi Atlantiaci.] Ab Atlante sustentati, quem coelum bajulasse finxerunt. sicuti & Herculem Atlante jam fesso : ad quod alludens Ovi. in Epi.

Quod te laturum est coelum prius ipse tulisti,
Hercule supposito sydera fulsit Atlas.

Quod ut intelligas sub figmento poetico occultam latere rationem : scrib. Plini. Atlantem sphaeram invenisse ob quod & illum coelum sustinuisse existimavere, quem secutus Hercules priuto pondus lubisse dicitur.

Molitur.] Ordirur : significatque *molior* res grandes. nam *moliri* est molibus extollere. Olympus vero mons est Thessaliae altissimus ac nubes pene suo superans fastigio : unde dictum est Lucano in secundo.

- - - Nubes excessit Olympus
Lege deum.

Claudianus,

- - - Sed ut altus Olympi
Vertex qui spacio ventos hyemesque reliquit,
Perpetuum nulla temeratus nube serenum
Celsior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calcat.

Plinius libro quarto Naturalis Historiae: *in Thessalia sunt quattuor atque triginta montes, quorum nobilissimi consentur Olympus : Pierus : Ossa, cujus ex adverso Pindus & Othris Lapytharum sedes ad occasum vergentes.*

84. Qui nostras regit terras.] Scilicet Augustus.

Praesenti numine.] Nam terras habitat.

85. Juvenili robore.] Commendatio est, nam ante pilos prudentia raro velox advenit (ut inquit Persius) legitur tamen in antiquis codicibus *juvenile robore*, quum pax est robur & hominum vita : unde cecinit Tibullus in secundo Elegiarum libro.

- - - Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites : & succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum
Pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

86. Laetus.] Serenus.

Felix.] Id est propitius, ut apud Virgilium in primo Aeneidos.

Sis felix nostrumque leves quaecumque dolorem.

Arrideat.] Faveat.

Ore augusto.] Sancto, & divino, siquidem Augustum appellamus sanctum, ut superius ex authoritate Festi docuimus

87 Te quoque facundo.] Amintas, qui succinit fratris cantilenae, optat & ipse propitiam Caesaris auram pastorali carmini & bucolico Corydonis.

Caesar comitatus facundo Apolline.] Pro ipse facundus.

88 Respiciat] Libenti audiat animo.

Montes neu dedignatur.] Non spernat cantilenam pastoralem. in Eclogis enim montes interveniunt & sylvae. *Dedignari*, est spernere & non dignum putare. Virgilius in quarto Aeneidos.

Quos ego sum toties jam dedignata maritos.

89. Quos & Phoebus amat.] Scilicet montes. videtur ad fabulam alludere. olim enim & ipse Phoebus fuit pastor & vaccas dicitur pavisse Admeti, quod tetigit Ovidius in secundo de Arte Amandi cum cecinit.

Cynthius Admeti vaccas pavisse per aestus
Fertur, & in parva delituisse casa :

Vel Phoebus *amat montes*. hoc est poëtarum musa, quae plurimum umbra & oblectatur ocio, unde exiit illud,

Carmina secessum scribentis & ocia quaerunt.

Ego tamen verum esse puto de montibus septem Romanis sentire, quos ipsa intus complexa est Roma, ut scribit Pli. in III. unde cecinit Maro in primo Georg.

Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quae una sibi muro circumdedit arces :

Scribit Varro libro. II. de Lingua Latina, diem *Septimontium* nominatum fuisse ab his septem montibus in quibus est urbs sita : de quo fit mentio a Sueto. in Domi. his verbis, *congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largissimum epulum. Septimontialo sacrorum quidem die senatui equitique :* obiter corrigendus est Pompeji codex in hac dictione ubi nec ordo nec sensus ullus est in verbis depravatis. tu ita lege *septimontium appellabant diem festum, quod in septem locis faciebant sacrificium, Palatio, Velia, Fagutali, Sabina, Quirinali, Caelio Oppio montibus* ubi prius legebatur *cermalo, celapio, & cispio.*

Juppiter.] Qui in Tarpeja arce colitur, ibi a Tar-

Tarquinio extructo templo ob quod & Mons Tarpejae nomen amisit, alio translatis puellae reliquiis, ut auctor est Plutar. in Romuli vita. templum primum extructum est Romae Feretrio Jovi in Capitolio a Romulo referente opima inimicorum spolia, ut docet Livius lib. primo ab urbe condita. quod & tetigit Propert. in quarto Elegiarum. est autem allusio decentissima cum per montes & pastoralia carmina Romanum culmen intelligat. In quibus scilicet montibus. & ordo est talis: in quibus saepe visuris Augustos Triumphos laurus fructificat.

90. VISURES TRIOMPHOS.] Quoniam triumphantes Capitolium conscendere solebant, ubi & sacrificia faciebant, & id erat pompae finis. unde legimus apud Tranquillum in Dictatore, Gallici triumphi die Caesarem Velabrum praetereuntem pene e curru excussum axe diffracto, ascendisseque Capitolium ad lumina, quadraginta Elephantis dextra atque sinistra lychnos gestantibus: lege cautum est ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cecidissent, & lata est lex a Lucio Mario & Marco Catone tribuno plebis, quae poenam minatur imperatoribus qui aut hostium occisorum in praelio, aut amissorum civium falsum numerum literis senatui ausi essent referre: jubetque eos quum primum urbem intrassent apud quaestores urbanos de utroque numero jurare. author Valerius Maximus in secundo.

91. VICINA ARBOS.] Laurus scilicet, ex qua coronantur triumphantes.

92. IPSE POLOS ETIAM.] Monet ab exemplo non esse Sylvas dedignandas, nam & ipse Juppiter quandoque fulmine deposito rura colit.

POLOS.] Coelum: cum proprie sint *poli* quibus maxime sphaera nititur, quorum alter ad aquilonem spectans boreus: alter oppositus austro notius est dictus, ut docet Hyginius in primo Astronomicon. dicti *Poli* dictione Graeca quae caeli circulum significat. ut docet Varro in tertio de Lingua Latina.

IGNE.] Aestate.

GELO.] Hyeme.

93. QUO.] Inveni in antiquo codice *cui*.

PROXIMUS.] Secundus, id est cui numen secundum tu Caesar succedis.

94. POSITO FULMINE.] Quo insignitur, unde in obsceno carmine.

Fulmen habet mundi dominus:

Tuscorum litterae novem deos emittere fulmina existimant eaque esse undecim generum. Jovem enim trina jaculari: Romani duo tantum ex his servavere diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano: de fulminibus & vario fulminum genere plura legito apud Plinium libro secundo Naturalis Historiae. annotatu dignum est laeva fulmina prospera existimari, laurum fulmine vitulumque marinum & similiter aquilam non tangi, quae ob hoc hujus armiger teli dicitur.

95. CRESSIA RURA.] id est Cretensia. Creta autem ut cecinit Virgilius,

- - - Medio jacet insula ponto.

altero latere ad austrum, altero ad septentrionem inter ortum occasumque porrigitur, centum urbium clara fama. a Creta Nympha, Hesperidis filia dicta ut voluit Dosiades: ut Anaximander, a Rege Curetum. author Plinius in quarto Naturalis Historiae, in Creta autem Jovem natum & educatum fuisse non est ambiguum vel ex auctoritate Ciceronis. qui in libris de Natura Deorum ex tribus qui a Theologis nominantur, tertium Jovem Saturni filium fuisse asserit Cretensem cujus in illa insula sepulchrum ostendatur.

RECLIVIS.] Molliter inclinatus & resupinatus subtusque innixus.

96. CARMINA CURETICA.] Alumnorum suorum cantilenam: Curetes enim authore Strabone libro x. Geographiae dicti sunt quasi curatores. ii enim infantem Jovem curarunt pulsantes cymbala & tintinnabula ne patiens Rhea mater ejusque vagitus a Saturno exaudiretur: qui filios illico natos devorabat: ut scribit etiam Lactantius in primo Divinarum Institutionum ad quod allusit Virgilius libro quarto Georgicon ita scribens,

- - - Pro qua mercede canoros
Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae
Dictaeo caeli regem pavere sub antro:

De his meminit & Silius,

Cret erat aerisonis Curetum advectus ab antris.

Ad fabulam supradictam alludens scribit Diodorus in quarto, Curetas decem filios genuisse, Jovem multo gloria superiorem illis qui in Creta regnavit, de quibus fit mentio a Lactantio in primo his verbis. *Ennius in sacra historia descripsit omnibus quae in vita sua egit, ad ultimum sic ait, deinde Juppiter postquam terram quinquies circuivit, omnibusque amicis atque cognatis suis imperium divisit reliquitque hominibus leges, mores, frumentaque paravit: multaque alia bona fecit immortali gloria memoriaque affectus sempiterna monumenta suis reliquit aetate consummata, in Creta vitam commutavit, & ad deos abiit, eumque Curetes filii sui curaverunt decoraveruntque eum:* haec sunt quae ex varia scriptorum historia colligere potui a quibus Curetum fiat mentio. Curetes (ut scribit Plinius in septimo) armatam docuere saltationem.

DICTAEIS SILVIS.] I. e. Cretensibus, nam Cretae mons est Dictes, ut docet Servius in Sileno, unde *Dictae Nymphae* dictae a Virgilio.

97. ASPICIS UT VIRIDES.] Blanditur Augusto cujus ait audito nomine silvas conticescere.

98. QUAMVIS URGENTE PROCELLA.] Major effectus ut cessaret subito procella audito Caesare: procella autem est vis ventorum cum pluvia quod omnia percellat, authore Servio, Virgilius in primo Aeneidos,

- - Creberque procellis
Africus:

Plinius in secundo de repentinis flatibus, *majore vero illata pondere incursuque, si late siccam ruperint nubem procellam gignunt, quae vocatur a Graecis Ecnephias.* Inde mare *procellosum* subinde a poetis nuncupari invenies.

EUROS.] Ab oriente brumali parte spirat eurus, a nostris vulturnus, eurus a Graecis dictus ut Author est Plinius sed de ventis plura superius.

101. NEC MORA.] Sine ullo temporis momento

PHARSALIAE SONUERUNT CANNAE.] Diu me torsit ambigua puerile lectio, quaerentem quid sibi cannae vellent Pharsaliae. quive sensus occultior hoc lateret versiculo, cum nusquam Pharsalias cannas appellari memoria tenerem, occurrebatque Midae fabula, ad quam

 alu-

alludere videbatur: vulgatissimum est enim Tmoli eum montis judicium aspernatum asininis auribus fuisse dedecoratum quas cum capillo tegeret promissiore non abscondit tonsori: qui cupiditate incensus manifestandi rem scrobe facta intus decantavit Midam habere asininas aures, occlusa deinde scrobe non multo post natae sunt cannae quae aura commotae referebant,

Auriculas asini Midas habet.

Quod ita tetigit Ovidius in xi. Metamorphoseon.

Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Coepit: & ut primum pleno maturuit anno
Prodidit agricolam, lenis nam motus ab austro,
Obruta verba refert dominique coarguit aures.

Quod lusit & Persius Satyra secunda,
Men' mutire nefas nec clam? nec cum scrobe?

Sed illud in Lydia actitatum est: quare moveor ut *Pharsalias cannas* intelligam fistulam aulerico calamo compactam hac ratione Orchomenus fluvius est Thessaliae Mynius antea dictus, apud campos Pharsalicos, vel non longe distans:, invenies apud Plinium in quarto Naturalis Historiae de Thessaliae descriptione: ab hoc fluvio Orchomenius calamus est dictus continuo foramine pervius quem auleticon appellant Plinius libro xvi. Naturalis Historiae. de Orchomenii lacus arundinetis accuratius dici cogit admiratio antiqua. *characian* vocabant crassiorem firmioremque, *pleuiam* vero subtiliorem, hanc in insulis fluitantibus natare, illam in ripis expatiantis lacus. tertia arundo est tibialis calami quem *auleticon* vocant, nono hic anno nascebatur, nam & lacus incrementa hoc temporis spacio servabat prodigiosus si quando amplitudinem biennio tendisset: quod notatum apud Cheroneam infausto Atheniensium praelio. ex his Plinianis verbis adducor ut non aliud per *Pharsalias cannas* intelligi posse dicam quam Orchomenios calamos tibiis aptos, qui ex Orchomenio fluvio Thessalico profluente, a quo lacus stagnatur, non longe a Pharsalicis campis nascuntur, notum est autem pro locis a poetis usurpari quandoque, quod etiam secundum ordinem siderale concedunt: nam ut scribit Plinius libro xviii. Naturalis Historiae, cum Attica nominata fuerit simul intelligere debemus Cycladas insulas: cum Boeotia: Locridem: Phocidem: & finitimos semper tractus: cum Hellespontus, Chersonesum & continentia usque ad Athon montem: itaque exponito Pharsalias cannas aulericum calamum tibialem, sive fistulam. proverbium est in Graecis artificibus eos auloedos esse qui citharoedi fieri non potuerunt cujus meminit Cicero pro Muraena.

SONUERUNT,] Scribendum est *solverunt*, ex antiquo codice, id est, continuo Augusto applaudentes sonum dederunt.

102.] SUBITUS VIGOR.] Innatus ex numine Augusti.

EXCITAT.] Quasi sonnolentos petulcos reddat & luxuriantes. *excitare* enim significat commovere & expergefacere.

103. UBERA GRAVENTUR.] Impleantur & magis quam soleant superfuso lacte sint gravatae.

104. EXUDENT VELLERA.] Pro ipsae ut pecudes exudent pondere supervenientis lanae: cum nuper ad tonsuram venerint: Scribit Marcus Var. in secundo Rei Rusticae, tonsurae esse tempus inter aequinoctium vernum & solstitium, cum sudare oves incoeperint, a quo sudore recens lana tonsa *succida* est appellata.

TONSIS FOETIS.] Quoniam post partum tondentur, ne frigus illis noceat, quo maxime infestantur ut scribunt Vir. Varro. Col. caeteri.

105. HOC EGO JAM MEMINI.] Sensus est: non ego hoc prius quam semel factum memini, scilicet gravari lacte ubera, lanescereque tonsas oves quod accidit cum nunciatum est pastoribus Palem adventasse, cujus in adventu haec fuere miracula.

NOTAVI.] Obsignavi & memoriae mandavi.

106. VENISSE PALEM.] Magna principis laus ut diis sua acquiparentur facta.

MAGISTROS PECORIS.] Magister pecoris est qui habet tutelam totius pecoris & ceterorum pastorum. de Magistro pecoris fit mentio a Varrone libro de Re Rustica secundo, his verbis. *qui pascunt, eos cogere oportet in pastione, diem totum pascere communiter, contra pernoctare ad suum quemque gregem, esse omnes sub uno magistro pecoris, eum esse majorem natu potius quam alios & peritiorem quam reliquos, quod his qui aetate & scientia praestant animo aequiore reliqui parent: ita tamen oportet aetate praestare, ut ne propter senectutem minus sustinere possit labores, neque enim senes, neque pueri difficultatem, aut montium arduitatem, atque asperitatem facile ferunt.* de hoc pecoris magistro fit mentio, a Cicerone in septimo Verrinarum cominatus iste servum quem magistrum pecoris esse diceret, eum dicit conjurasse & alias familias concitasse.

107. OMNIS TELLUS.] Etiam non habitabilis.

GENS OMNIS.] Orientalis, occidentalis, & cujuscunque plagae.

VERENTUR.] Timent', ut apud Teren.

. . . Vereor ne quid Andria apportet mali.

Et apud Propertium in primo.

Non ego nunc tristes vereor mea Cynthia manes.

109. ARBUTA.] Hic pro arbustis, cum sit proprie *arboris* genus hoedis gratissimum. de qua Virg. in Palaemone.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hoedis.

Et in Thyrsi,

. . . Viridis tegit arbutus umbra.

Ubi scribit Ser. arbutum esse raris frondibus arborem. Docet Plin. in xxiii. Nat. hist Arbutum sive unedonem (ita enim quoque nuncupatur) fructum concoctioni ferre difficilem.

INERS TELLUS.] Inutilis & sine fructu, quasi sine arte, unde & *inertia* dicta.

110. INCALUIT.] Quoniam ex calore cuncta gignuntur, hoc est ex igneo solis vapore, quo sine neque nasci quicquam neque augeri potest, ut docet Lactantius in primo Divinarum Institutionum.

FLOREM.] Partum.

COI SILVA.] In antiquo codice legitur *qui* pro *quae*. scilicet invocato, ita Plau. in Amphitryone *qui* pro *qua* dixit,

Post

Post ob virtutem hero Amphitryoni patera donata est aurea.
Qui Pterela potare rex solitus est.

alias *qui* pro *quare* etiam accipitur, ut apud Horatium in primo Sermonum.

Qui fit Maecenas.

111. DENSAT.] Spissat:

ODORE.] Pro floribus quos parturientes arbores emittere consueverunt.

COMAS.] Frondes quae tamquam comae insunt arboribus. ita Virgi. in Moretulo,

Prohibentque densis fervidum solem comis.

REGERMINAT.] Duplicatum datura foetum, quae causa stuporem inducit: *Germen* autem appellamus primam illam eruptionem & plantae & herbae & quam arbores emittunt, unde *Germinare* verbum.

112 SENSERUNT NUMINA TERRAE.] Videtur alludere ad morem antiquum deponendi pueros, ut terram contingerent; quod infantes partu editos non prius vocem edere quam terram attigissent existimavere, ut author est Macro. in primo Satur. hinc deam Levanam coluerunt Romani, quam levandis, & sustollendis pueris praefecerunt: & hoc est quod intelligit Plin in septimo Naturalis Hist. cum *hominem tantum nudum & in nuda humo natali die abjici ad vagitus statim & ploratum* scribit: de hac dea Levana fit mentio ab Augustino in quarto de Civitate Dei.

113. UBERIOR.] Foecundior, ab *ubere*, unde & *ubertas*.

114. LUXURIARE.] Luxurie quadam pinguefieri: Sic Ovidius,

Luxuriat Phrigio sanguine pinguis humus.

Metaphora sumpta ab animalibus, quae tunc maxime laeta sunt & luxuriantia cum pinguia.

113. SUCCIS FALLENTIBUS.] Herbis succo plenis: nil tamen frugis praestantibus aliquando: sed esset aptior & magis lectio quadrans *sulcis fallentibus*: dicuntur enim tunc *fallere* sulci, cum semen receptum non bene reddunt: quod tamen asseverare non ausim, cum in omnibus codicibus legatur *succis* non *sulcis*.

114. LEGUMINA.] plenis. sensus est: adeo omnia ubertate sunt aucta, ut & siliquae impleantur vixque recondent interclusa legumina.

115. SILIQUA.] Est proprie receptaculum leguminum & folliculus: Virg.

Grandior ut foetus siliquis fallacibus esset.

Columella in secundo, *faba quae mense februario seratur, quinta parte amplius quam matura, sed exiguas paleas nec multam siliquam facit:* Plinius libro xv. *Semen in siliquis quo terra perficiuntur gallae vice.*

PRAEFOCATA MESSIS.] Avena & lolio enecata: nam ubi

- - - Steriles dominantur avenae.

Sterilescunt segetes: *suffocatum* autem appellamus faucibus obstrictis strangulatum: qua similitudine seges ab herbis infructiferis superata, adeo ut ad mensuram suam crescere non possit, praefocata dicitur.

116 MALIGNUM LOLIUM.] Inutile & infoecundum: *infelix* appellatur a poetis tali significatu: lolium autem inter frugum morbos potius quam inter ipsius terrae pestem numeratur, ut auctor est Plin. libro XVIII. Naturalis Historiae. notum est autem oculis lolium nocere, propter quod cecinit Ovid. in primo Fastorum.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri:

Itaque cum servus Sceledrus objiceret visus defectionem apud Plau. Palestrioni in Milite glorioso, ita inquit: *mirum lolio victitare te, tam vili tritico*, quem interrogans Palestrio *quid jam?* respondet, *quia luscitiosus.*

ALBET.] Alba fit: quo colore insigniuntur avenae.

INERTIBUS AVENIS.] Inutilibus & vanis sterilibusque: ita enim nuncupantur a Virgilio: Ovid. in primo Fastorum.

Nec sterilis culto surgat avena solo:

Scribit Plinius libro XVIII. Nat Hist. hordeum in avenam degenerare, sic ut ipsa frumenti sit instar, quippe cum Germaniae populi edant eam, neque alia pulte vivant: de avena Columella in secundo, *similis satio avenae. quae autumno sata partim secatur in foenum, vel pabulum, dum adhuc viret semini, partim subsistitur, albescit cum matura est, decidit que antequam possit demeti, nisi immatura recidatur.*

117. JAM NEQUE DAMNATOS.] Sensus est: Agricolae qui prius damnabant instrumenta villica propter legem qua denunciabantur inventores thesauri, qui fisco non id reddidissent, nunc demum delationem nullam metuunt.

118. FOSSOR.] A fodiendo dictus qui terram fodit: apud Ausonium obscoenum habet significatum,

- - - positus vulnere fossor.

Defossum aurum appellavit Cicero valde fossum & in imis terrae visceribus reconditum: ita scribens in secundo de Oratore: *ut aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet si signa & notas ostenderem locorum.*

117. LIGONES.] Instrumentum villicum est *ligo* dictum, quod eo propter latitudinem quod sub terra est facilius *legitur*, ut docet Varro in primo de Lingua Latina.

117. JACTARE.] Frequenter jacere ad fossionem.

118. SORS OBBIT.] Hic *sors* accipitur pro fortuna & casu, ut apud Horatium,

Seu ratio dederit, seu sors objecerit.

Sortiri inde significat sortibus in urnam injectis decernere, unde & fabula Diphili auctoris Graeci *κληρούμενοι* inscripta, id est *sortientes*, quam Plautus qui eam Latine scripsit *Casinam*, a puellae nomine nuncupavit: in hanc significantiam est illud quoque Apostoli *& super vestimenta mea miserunt sortes.*

119. NEC TIMET.] Ut nuper hoc propter legem dixit qua fisco thesaurus adjudicatur, ac inventores delati nisi denunciaverint, torquentur. Nam cum variae sint causae ex quibus nunciatio ad fiscum fieri solet, illarum haec una est, si quis Thesaurum invenisse

nisse dicatur, ut notatur in lege prima ff. de Jure fisci, quamquam non debeat fieri talis denunciatio, nisi illud inventum sit in loco publico, vel fiscali, quod si in privato, cessat denunciatio, nam Thesauros quos aliquis in loco suo invenerit, divus Hadrianus naturalem secutus aequitatem ei concessit qui eos invenerit: ut notatur in institutionibus titulo de rerum divisione: sin autem inventi sint in loco fiscali vel publico, vel civitatis dimidiam esse debet, sive fisci.

Dum verset jugera.] Dum aret: *Jugera* esse aliqui volunt quantum terrae juncti boves uno die arare possunt. Plin. in XVIII. *jugerum vocabatur quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur cum aratur, uno impetu justo, hic erat.* cxx. *pedum, duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat:* Tibullus.

Et teneat culti jugera magna soli.

Jugare est copulare, unde *juges* ejusdem jugi pares dicuntur, & *conjuges*, & *sejuges* auctore Pompejo: Et *Vicus Jugarius* Romae, quia ibi fuerat Junonis Jugae, quam putabant matrimonia jungere.

120. Ne sonet.] Scilicet thesaurus propter delatores,

- - - *Qui dispersi protinus algae*
Inquisitores agerent cum remige nudo.

Ut inquit Juvenalis. Quod vero poëta noster *sonet* dixit, Persius *crepet*, ita scribens Satyra Tertia,

- - - *ô Si*
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule,

Pro crepitum det.

Contraria massa.] Contraposita aratro: *Massa* enim dicitur immensum pondus seu moles & cumulus, Juvenalis Satyra Sexta.

Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa.

Ita hodie Bononienses acervum terrae & cujuslibet rei *massam* appellant.

120. Offenso vomere.] Quo foditur terra repercusso & rejecto.

121. Instat.] Urget aratrum & persistit in opere: sic Virgilius in primo Aeneidos,

Instant ardentes Tyrii.

Et in secundo,

Instat vi patria Pyrrhus.

122. Ille.] Augustus.

Primas aristas.] Propter primitias quae diis dantur, ut messem secundent: ut apud Tibullum: Ceres dea frugum est ea qua nascitur Proserpina. Cujus raptu frugibus diu caruisse mortales vel ex Ovidii fabula notum est satis: scribit Macrobius in primo Saturnalium, Liberum Patrem Solem esse, & Cererem Lunam: qui pariter fertilitatibus glebae & maturandis frugibus vel nocturno temperamento: vel diurno calore moderentur: quos ita Virgilius denotavit in primo Georgicon,

Liber & Alma Ceres:

Ubi *Almam* ab *alendo*, *Cererem* a *creando* dici existimat Servius: Cereris sacrificia sine vino celebrabantur, unde jocus est Plautinus in Aulularia (*cererin' Strobile hi sunt, facturi nuptias*) & interrogante Staphyla *qui?* Respondet *quia temeti nihil allatum intellige*: solebant Attici in nuptiis facem in honorem Cereris praeferre, quae ita noctivago cursu praeministrante face filiam raptam quaesierat: quod tetigit hoc versu in Tertio de Raptu Proserpinae Claudianus,

Noctivago taedas inflammatura labori.

Hinc ipsa *taedifera dea* nuncupatur: Ovidius in Epistolis.

Junonemque thorie, quae praesidet alma maritis,
Et per taediferae mystica sacra deae.

Ubi *taediferam deam* Cererem nuncupavit.

Cultor.] Agricola: a *colendo*. & est ordo: ille dat, ut cultor dare possit aristas Cereri primas &c.

123. Et intacto Bromium.] Adjungendum est superioribus: & reiterandum: *dat ut possit*.

Perfundere.] Madefacere & colere. non possunt enim sacrificia Bacchi sine vino placere.

Intacto vino.] Non adhuc ab alio praelibato. *Bromius*, nomen Bacchi ἀπὸ τοῦ βρέμω hoc est *strepitu* & *fragore* deductum. sunt autem plurima Bacchi nomina, quae his versiculis ab Ausonio recensentur:

Ogygiae me Bacchum vocant:
Osyrim Aegyptus putat,
Mystae Phanacem nominant:
Dionyson Indi existimant:
Romana sacra Liberum:
Arabica gens Adoneum:
Lucaniacus Pantheum.

124. Calcator.] A *calcando*, hoc est, premendo. πατεῖν Graeci dicunt quod nos *calco*: a *calce* autem pedis parte deductum hoc verbum, unde & *calcaria* stimuli equorum quod calcem vestiant, Ovidius,

- - - *Et immensum gloria calcar habet.*

Saliat.] Moveatur & quodam veluti saltu pedem evibret: a *saliendo* quidam Salios dictos fuisse existimavere, qui Ancylia gerentes per urbem praemia fabro solvunt nomen ejus invocantes, quod confirmat Ovidius ita scribens in Tertio Fastorum.

Jam dederat Saliis, a saltu nomina ducta,
Armaque, & ad certos verba canenda modos:

De his intelligit Juvenalis ita scribens Satyra Secunda,

Arcano qui sacra ferens nutantia loro,
Sudavit clypeis ancylibus.

Historiam refert Plutarchus in vita Numae.

Nudus.] Ne inquinentur musto vestes. Ita monet Hesiodus in secundo de Agricultura.

Nudus ara nudusque sere, & mete corpore nudo,
Si tempestivos agrorum ducere cultus,
Angerique tibi magnos successibus optas.

Uvas rustas.] Pede pressas, ad extorquendum vinum.

125. Ut quoque turba bono.] De ludis compitaliciis intelligit qui fiebant in compitis in honorem Larium qui compita servant. ut docet Ovidius in Fastis, Varro libro secundo de Lingua Latina *compitalia*, dies

dies attributus laribus. & alibi, *ideo ubi viae competunt tamen in compitis sacrificatur. quotannis is dies concipitur.* Pompejus. *Compitalia sunt festa quae in compitis peragebant:* de his ludis Compitaliciis fit mentio a Cicerone in oratione quam scripsit contra Pisonem, his verbis: *Expositus breviter consulatum meum, unde nunc e Furia de tuo dicere. cujus fuit initium ludi Compitalicii, cum primum facti post Lucium Lucullum & C. Marium consulem, contra auctoritatem hujus ordinis.* Macrobius quoque commeminit in primo Saturnalium ita scribens. *Hic Albinus Cecinnam subjecit, qualem nunc permutationem sacrificii praetextate memorasti.* invenio postea compitalibus celebratum, cum ludi per urbem in compitis agitabantur, restituti scilicet a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniae, ex responso Apollinis, quo praeceptum est, ut capitibus pro capitibus supplicaretur. Auctor est idem in sexto Saturnalium, Togatarum scriptorem Afranium unam ex Togatis *Compitalia* inscripsisse: *compita* autem, ubi viae simul competunt appellantur ut docet Varro.

Saginata.] Saginis pinguefacta; *sagina* enim dicitur pinguedo. & *saginare* verbum, significat pinguefacere. *saginarium* a Varrone dicitur locus avium saginae destinatus. Itaque *saginam* apud omnes fere scriptores pro pinguedine invenies: Cicero pro L. Flacco, *multitudinem illam non auctoritate sed sagina tenebat*, Divus Cyprianus ad Evagrium, *qualis quaestus est, qui de convivio Abrahae, Isac, & Jacob homines rapuit & male, ac perniciose in saeculo saginatos ad aeternae famis ac sitis supplicia:* Apulejus in quarto de Asino Aureo, *perditu securitate suis opulis bestiarum saginas instruentes:* notandum tamen *saginam* secunda producta pronunciari ut apud Satyrographum poetam Satyra quarta.

- - - Propera stomachum laxare Saginis.

Hic tamen corripitur, quod forte poëta noster noluit regulam servare primitivorum, a quibus saepe solent derivativa variare, quamvis Propertius hoc derivativum & longa secunda protulerit.

Plaudat.] Plausum det: est enim plausus sonus manuum congratulantium. quo peculiariter bene recitantes decorantur, cum contra male sibilo: Itaque *plaudere* significat favere, Plautus in Amphitryone.

- - - Qui sibi mandassent delegati ut plauderent.

Bono magistro.] Bene ludos digerenti.

126. Egregios ludos.] Pulcherrimos & electos.

Ad compita pervia.] Ad vias simul competentes, in quibus compitalia celebrantur.

127. Ille meis pacem.] Propter Caesarem omnia sibi evenire prospera dicit.

Meis montibus.] Vel Romanis, vel quod magis placet, Siculis: nam fuit Calpurnius Siculus. Et quoniam saepius vexatam fuisse Siciliam legimus & bellis intumescentibus & praetoribus avaris, ut Verres, quem contra extant Ciceronis accusationes, ideo pacem suis montibus tributam dicit ab Augusto: dixit autem *montibus*, quoniam in Sicilia memoratissima sunt promontoria & montes: de qua re vide Plinium in Tertio Naturalis Historiae, Thucydidem de bello Peloponnesiaco & Martianum Capellam in VI.

128. Ferire.] Id est stringere & accelerare versum spondaicum jambo, nam spondeus est tardus pes ad comparationem jambi. hinc spondeos *stabiles* appellavit Horatius in Arte Poetica, veluti tardos & segnes, & est proprium jambi ferire, quoniam versus est maledicus: unde dixit Horatius.

Archilochum proprio rabies armavit jambo.

Laeta carmina.] Scribendum est *lenta* ex vetusto codice, id est spondaica & trimetros condere, nam Jambicum carmen ut paulo tardius resonaret impatibus locis suscepit spondeum, antea namque soli jambi ponebantur: Horatius in Arte Poëtica,

Syllaba longa brevi subjecta vocatur jambus,
Pes citus, unde etiam trimetris accrescere jussit
Nomen jambeis cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi non ita pridem
Tardior, ut paulo graviorque veniret ad aures:
Spondeos stabiles in jura paterna recepit:

129. Nonnullas choreas.] Id est aliquas, & intelligit simul cum cantu Tripudium: ita significante *chorea*, nam chorus ex plurium constat vocibus, ita ut ex multis vox una reddatur & fiat ex dissonis concentus. auctores Seneca & Macrobius: olim chori comoediis intermiscebantur, postea vero sublati fuerunt, Tragoediis nunc maxime inseruntur, *choreas* ergo expone cantum cum tripudio, ut apud Virgilium intelligas in sexto Aeneidos quid sit

Pars pedibus plaudunt choreas & carmina dicunt.

Ubi tamen est intelligere corripi cum fere apud omnes producatur ut hic apud poetam nostrum, & apud Virgilium alibi.

- - - Juvat indulgere choreis.

130. Condere.] Scribere, struere.

Libro viridanti.] Cortici arboreo, & dixit *viridante* pro *viridanti*, sicuti Juvenalis *sitiente* pro *sitiente* Satyra prima.

- - - Porrectura viro miscet sitiente rubetam:

Seu legas ablative, pro in cortice arboreo.

131. Classica turbida.] *Classicum* auctore Servio in interpretatione illius Virgiliani in VII. Aeneidos.

Classica jamque sonant,

Est flexilis tuba, & tam pro ipso sono quam tuba dicitur: Tibullus in primo.

Martia cui somnos classica pulsa fugent:

Classicum ut docet Vegetius in secundo de Re Militari insigna videtur imperii, quia classicum canitur imperatore praesente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur. quia ex imperatoriis legibus fieri necesse est, apud ipsum videto libro praedicto quid inter *tubicines* & *cornicines*, & *classicum* intersit.

Non exuadant.] Non prosternunt avenae sonum quae tenuis est ad comparationem classici.

132. Numine caesareo.] Propter Caesarem sub cujus visimus umbra.

Securior lyeo.] Id est Baccho, qui liberas mentes facit & securas: unde dictum est a Virgilio.

- - - Et vino pellite curas,

Occupat enim caput vinolentia maxime ut docet Aristoteles in Problematis, hinc est quod intellectus parte occupata obliviscimur curas, Lyeus ἀπὸ τοῦ λύειν dicitur quod

quod est *solvere*, Persius *liberior Bruto* dixit, quod Calpurnius *securior Lyeo*.

133 PAN UR COLIT SILVAS.] Sensus est: Pan & dii agrestes, qui pridem expulsi e silvis fuerant, recisis nemoribus & lucis sacris, redeunt ad habitationem primam securi numine augustali.

134. PLACIDO FONTE.] A nullis infestato militibus dum sitim sedare cupiunt, & recte dixit *in fonte*, quoniam proprium est fontium numen Nais, ut jam diximus superius.

135. HUMANUM CRUOREM.] Sanguinem sparsum toties bellis tumultuantibus: *cruor* dicitur ex vulnere sparsus sanguis, Virg in III. Aene.

Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem:

Hinc *cruentatus* dicitur sanguine aspersus, itaque *cruentus pulvis* dicitur a poeta in secundo Aenei.

- - - Ut quondam, aterque cruento
Pulvere.

Incruentam itaque victoriam dicimus peractam sine sanguine.

136. SICCATO PEDE.] Sic superius ipse.

Affuerunt sicco Dryades pede, Najades udo.

OREAS.] Oreas est montium dea, ὄρος enim Graeci *montem* appellant, unde *oreos* herba in montibus nascens, de qua Plinius libro XXVII. Naturalis Historiae.

PER JUGA.] Per summa montium. Ovidius in Epistolis.

Hortari celeres per juga summa canes.

137. DII PRECOR.] Optat aevum sempiternum Augusto principi.

HUNC JUVENEM.] Augustum.

138. AB AETHERE.] Defecato elemento cujus naturam retinet divinitate praeditam.

NISI FALLOR.] Parenthesis est.

POST LONGA TEMPORA VITAE.] Postquam diu vixerit.

REDUCITE.] Scilicet ad sedes aethereas onde nobis datus est.

139. VEL POTIUS.] Mutat sententiam, ut potius terris numen concedatur, exoptans vitae perpetuitatem.

RESOLVITE.] Explicate ad perpetuam vitam & fila in stamen reducite vitae ejus subministrando.

MORTALE PENSUM.] Fila sororum quibus humanam regi autumant vitam poëtae: si quidem tres commenti sorores: ex quibus alia pensum bajulare dicitur, altera minuere, tertia truncare. qua abruptione simul & cujusque vita abrumpitur: Has Parcas appellaverunt per contrariam dictionem quod nemini parcant: unde dixit Martialis.

Nil adjicit penso Lachesis fusosque sororum,
Explicat & semper de tribus una secat.

Juvenalis satyra tertia.

Dum superest Lachesi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo,
Cedamus patria:

De his Fulgentius in primo Mythologicon, *tria etiam ipsi Plutoni destinant fata: quarum prima Clotho: secunda Lachesis: Tertia Athropos. Clotho enim Graece evocatio dicitur, Lachesis vero sors nuncupatur, Atropos quoque sine ordine dicitur, hoc videlicet sentire volentes, quod prima sit nativitatis evocatio, Secunda vitae sors quemadmodum quis vivere possit, Tertia mortis conditio quae sine lege venit*: De Parcis etiam fit mentio a Lactantio in secundo Divinarum Institutionum his,

Clotho colum bajulat, Lachesis trahit, Atropos occat.

Unde etiam tres Parcas esse voluerunt, unam quae vitam hominis ordiatur, alteram quae conferat, tertiam quae rumpat ac finiat: Noctis autem filias Parcas fuisse scribit Hesiodus in Theogonia.

140. COELESTIA FILA.] Immortalitatem.

PERPETUO METALLO] Aetati ferreae, quae regnante Augusto aurea est. de aetatibus superius diximus. caeterum cur *metallum* ferrum appellarit videbimus, seu potius aurum, tanquam auream aetatem regnare asserat eum principe Augusto: *Metallum* autem sciant tam de auro quam de ferro & aere dici, a verbo Graeco μεταλλάω quod significat *indago* & *perscrutor*. talia enim sub terra inquiruntur. & ad *metallum damnati* dicuntur, qui ad fodiendum metallum relegantur: & tales pene servi efficiuntur: ut est invenire libro primo Institutionum titulo quibus modis jus patriae potestatis solvitur: Et ut scribit Ulpianus in l. damnum. ff. de poenis, *est poena quae adimat libertatem hujusmodi, ut puta si quis in metallum vel in opus metalli damnetur*: Metalla autem multa numero sunt, & quidem provinciae habent quaedam, quaedam non habent, sed quae non habent eas in provincias mittunt quae metalla habent: ex his intelliges aperte quid sint, apud Firmicum in sexto Matheseos *damnationes metalli*.

141. SIT DEUS.] Hic in terris scil.

PENSARE.] Recompensare & permutare.

PALATIA.] Romana. scil. de palatiis Imperatorum vide Solinum in Polhystore. a Palatio regio quarta Romae *Palatina* nuncupabatur. Varro. in primo de Lingua Latina, *Quartae regionis Palatium, quod palantes cum Evandro venerunt, qui etiam Palatini & Aborigines ex agro Rheatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt*, Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt: eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam. Itaque Naevius *balatium* appellat: Palatina rupes Tyberim a fronte prospicit, a sinistris Celio a dextris Exquilio jungitur, ut author est Fabius Pictor in primo de origine urbis. Pompejus, *Palatium i. e. mons Romae appellatus est quod ibi pecus pascens balare consueverit, vel quod palare i. e. errare pecudes solerent. vel quod ibi hyperbores filia Pallanto hiemaverit, quae ex Hercule Latinum peperit, alii eundem quod ibi Pallas sepultus sit, aestimant appellari.*

TU QUOQUE MUTATA.] Sensus est, seu tu sis Juppiter sub Caesare latens: seu superum aliquis: velis nobiscum aevum degere sempiternum & capite imperare terrae.

MUTATA FIGURA JUPPITER.] Ut toties inter mortales versatus variis formis.

143. SUB FALSA IMAGINE.] Non propria: & hoc in laudem Augusti cujus famam divis acquiparat.

144. ET

144. ET ENIM HUNC DEPRECOR ORBEM.] Legendum est *vivat*, & *hunc* ex antiquo codice tali sensu: precor ut vivas & hunc orbem inconcussis sustineas lacertis, ut coepisti.

145. AETERNOS.] Fine carentes.

HOS POPULOS.] Romanos: mundi partem: ideo *precor* dixit, quod verbum minus est quam *deprecor*, ideo illo usus est ad totum respiciens orbem in praecedenti versu.

CAELI VILIS AMOR.] Ne cures caelicas sedes.

146. COEPTAM TERRAM.] Quam regere incoepisti: in aliquibus exemplaribus legitur *captam*.

147. PATER.] Nam nobiles imperatores *patres patriae* sunt appellati, id est qui ob aliquod id facinus meruissent: Primus Cicero parens patriae Romae nuncupatus est (ut scribit Pli. libro VII. Naturalis Historiae) Gratissimum fuisse inter caetera Caesari annotaverunt quod *parens patriae* appellaretur, auctore Tranquillo.

147. RUSTICA CREDEBAM.] Admiratus Corydon grandiloquum stilum. qui existimabat rusticitatem. meram eos redolere: quia dixit superius,

- - - Sed magnae munera Romae
Non ita cantari debent ut ovile Menalcae.

NEMORALES DEOS.] Nemorum numina quaa sunt Silvani, Panes, Fauni, Satyri, Nymphaeque & semidei omnes.

148. CONCESSISSE.] Dedisse, & propria fecisse.

OBESIS AURIBUS APTA.] Convenientia pingui ingenio, & crasso. *obesum* enim pingue appellamus: Virgilius in tertio Georg.

Argutumque caput, brevis alvus: obesaque terga:

Docet Gellius libro XIX. Noctium Atticarum *obesum* pro pingui atque uberi dici; etsi ab Ennio *corpore pefloreque obeso* usurpatum pro exili atque gracilento: Scribit Pli. libro XXIV. Nat. Hist. *Semen ex foliis fraxini mederi jecineris & lateris doloribus in vino, aquam quae subit cutem extrahere, & corpus obesum levare enere sensim ad maciem reducendo*, pingue ingenium vero dicimus crassum & obtusum, Cicero pro Archia poëta: *Cordubae natis poetis, pingue nescio quid sonantibus.*

149. VERUM.] Pro sed.

IMPARIBUS AVENIS.] Cicutis septem fistulis compactis.

CONCINUISTIS.] Simul cecinistis.

150. LIQUIDUM.] Purum & defaecatum.

LAMBERE.] Lingere.

NECTAR.] Dulcedinem mellis: ita appellat Poëta *liquidum nectar* in primo Aeneidos.

151. EXAMINA PELIGNA.] Apes Pelignae, *examen* enim proprie dicitur apum: Virgilius in quarto Georgicon,

- - - Incerta volant caeloque examina ludunt,

cum de apibus loqueretur: *Peligna*, quoniam in Pelignis favi caera spectabiles gignuntur, sicuti in Creta mellis copia. Pli. in XI. Nat. Hist. *alicubi enim favi caera spectabiles gignuntur, ut in Pelignis, Sicilia, alicubi mellis copia.* Idem lib. III. Pelignos in quarta regione Italiae posuit. *Peligni* (ut scribit Pompejus) *ex Illyrico orti, inde enim profecti ducta Volscorum reges, cui cognomen fuit Lucullo, partem Italiae occupant: hujus fuerunt nepotes Patinus, a quo Patinates, & Peltenus a quo Peligni.*

152. O MIHI QUAM TENERO.] Sensus est, & ordo, o quam sonabunt tum mea carmina quae nunc tenero versu decurrunt; si quando mihi contigerit habere Romae domum. petit autem sub textu pudoris domum, & villam quam fore causam grandioris promittit styli.

155. IN ISTIS MONTIBUS] Id est Romanis.

154. NOSTRA PASCUA.] Agellum nostrum.

155. VELLIT NAM SAEPIUS AUREM.] In hanc sententiam protulit Juve. Saty. III.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Et, ut inquit Ovi. In primo Tristium.

Carmina proveniunt animo deducta sereno.

Suntque

- - - Vacuae carmina mentis opus.

VELLIT.] Movet & leviter ferit, sic Virgilius in Sileno,

Cum canerem reges & praelia, Cynthius aurem
Vellit & admonuit.

AUREM.] Quoniam auris consecrata est Memoriae, sicuti frons Genio, digiti Minervae: Genua Misericordiae, ut docet Servius, hinc est quod qui antestabantur, solebant aures testium tenere & ita dicere: memento, quod tu mihi in illa causa testis eris, idque agebatur ex lege. XII. Tabularum: quare dixit Horatius in primo Sermonum.

- - - Casu venit obvius illi
Adversarius, Et quo tu turpissime? magna
Exclamat voce: Et licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam:

Et Plautus in Persa: leno ad Saturionem parasitum *aunne antestarer?* & parasitus, *tua ne ego causa carnifex cuiquam mortali libero aures atteram.*

156. INVIDA PAUPERTAS.] Quoniam invidet habentibus, quam ob rem magis excruciamur: si quidem est

Semper inops quicumque cupit: contentus honesto
Fabricius parvo spernebat munera regum.

Ut cecinit Claudianus in primo contra Ruffinum: At

Nil habet infoelix paupertas durius in se
Quam quod ridiculos homines facit.

Ut inquit Satyrographus poeta.

ET DIXIT VILLA CURA.] Admonitio paupertatis, ut superius:

Duc ad mulctra greges: Et lac venale per urbem
Non tacitus porta.

157. AT TU SI QUA.] Rogat Meliboeum, ut si videantur digna principe carmina, deferat ipse cui semper est aditus ad Augustum facilis.

NAM TIBI FAS.] Honesta petitio possibilitatis.

159. PR-

159. PENETRALIA.] Haec sunt penatium deorum Sacraria authore Festo.

159. PHOEBI PALATINI.] Excitati ab Augusto: de quo Tranquillus, *templum Apollinis in ea parte Palatinae domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo aruspices pronunciaverunt*: Plinius, *videmus certe Apollinem in Bibliotheca templi Augusti Tuscanicum quinquaginta pedum a pollice, dubium aere mirabiliorem, an pulchritudine*: de hoc & Horatius.

Scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo:

Alius fuit Apollo eboreus in foro Augusti, teste Plinio, ubi causidici judicesque versabantur. ad quem allusisse videtur Juvenalis, cum inquit satyra prima.

Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo.

Et Horatius in primo Sermonum.

- - - Sic me servavit Apollo:

Etsi me non praeterit ad Phoebum Palatinum id quam plurimos referre ex verbis Suetonii ita in Augusto scribentis, cum mentionem fecisset templi ab Augusto Phoebo consecrati, quo in loco jam senior saepe etiam senatum habuit decuriasque judicum recognovit.

160. TUM MIHI TALIA ERIS.] Remuneratio beneficii.

QUALIA QUI DULCE SONANTEM.] Mecoenatem intelligit. cui Virgilius Georgicum carmen dicavit: constat autem poetarum suae tempestatis alumnum fuisse Mecoenatem virum apud Augustum favorabilem, quamtum quisquam fuisset imperatoris olim: unde dictum sit ab Epigrammatico poeta.

Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Mecoenas Flacco, Virgilioque suo:

Et alibi.

Sint Mecoenates non deerunt Flacce Marones.

161. TITYRON.] Virgilium, qui sub persona Tityri in Bucolicis suis inducitur & est accusativus Graecus ex quarta declinatione aequisyllabicorum, quae in os facit, ut λόγος τοῦ λόγου, & in Accusat. τὸν λόγον.

E SILVIS.] Ex Bucolico carmine in quo silvae celebrantur & umbrae.

DOMINAM URBEM.] Romam: & intelligit Aeneidem, quae in honorem principis Romani & urbis Romae condita est.

162. OSTENDIT DEOS.] i. e. duces, quos ipse celebrat & Caesares.

SPRETO OVILI.] Relictis eclogis.

163. PRIUS RORA.] Georgicum carmen quod septennio Neapoli confecit reversoque ab Actiaca victoria Augusto atque reficiendarum virium causa Attellae commoranti per continuum quadriduum legit, suscipiente Mecoenate legendi vicem, quoties interpellaretur ipse vocis offensione, autore Donato.

CANTABIMUS ARMA.] i. e. Aeneidem, quae partim in Sicilia, partim in Campania XI. annis absoluta est, ita poëta praecinente.

Arma virumque cano:

Ad quod alludit nunc poëta noster.

164. RESPICIAT PORT. LABORES.] Hic loquitur Amyntas: exoptans labori & meritis erga principem suis debitum praemium. *Respiciat*, praemiet, cumulet & muneret Solet enim quos *respicit* beare Fortuna. itaque Virg. hoc verbo usus est in Bucolicis.

Libertas quae sera tamen respexit inertem
Candidior postquam tondenti barba cadebat,
Respexit tamen & longo post tempore venit.

Ubi *respexit* excitavit interpretandum est.

MERITAE JUVENTAE.] Nobis servitute & obsequio nostro id merentibus.

165. MACTABIMUS HAEDUM.] *Mactare* est ad multa verbum, alias enim significat occidere, alias honorare alias immolare atque magis augere, quia sacrificantes ita frugibus & horno sale vinoque magis augere victimas solerent. ad quam rem spectat illud Poetae ex secundo Aeneidos.

- - - mihi sacra parari,
Et salsae fruges, & circum tempora vittae.

Et illud Nasonis ex decimoquinto metamorphoseon.

Imponique suae videt inter cornua fronti
Quas coluit fruges:

Salustiusque id tetigit his verbis, *& far quod dicitur mola salsa, qua & frons victimae & foci aspergebantur & cultri*: *mactare* quoque significat malo afficere: Plautus in Amphitryone.

Et ego certe cruce, & cruciatu mactabo, exi foras
Mastigia:

Et in Curculione.

Non aedepol nunc ego te mediocri macto infortunio.

Sed eapse illa qua mactare soleo quos nihil debeo,

In Amphytrione vero ad sacrificium allusit ita loquente Mercurio, *sacrifico ego tibi* & interrogante Amphitryone *qui*, respondet Mercurius, *quia enim te macto*: hinc *macte* quoque dixerunt quasi *magis aucte & cumulate* authore Porphirione: Horatius. in I. Sermonum.

Macte virtute esto, inquit sententia dia Catonis.

Virgi.

Macte nova virtute puer.

Cicero in I. Tusculanarum Quaestionum. *macte virtute, ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim* Pli. in laudem astrologorum, *macti* ait *ingenio & celi interpretes rerumque naturae capaces.* Statius in VII. Thebaidos.

Macte animo juvenis.

HAEDUM TENERUM.] Non redolentem hircum cujus caro inter adjiciales epulas & sumptuosas ratheorum ducitur: quomodo condiatur & haedus & agnus & quam plurimis modis docet Apicius in VII.

167. ET PARITER SUBITAE.] His enim invitant ad coenam suam Meliboeum.

PERAGEMUS.] Perficiemus. *peragere* reum significat condemnare: & ut ait jureconsultos *peregisse* reum non alias quis videtur nisi & condemnaverit. *Ferculum* a ferendo dictum, & sunt proprie *fercula* cibaria varie condita, quae intervallo quodam mensae apponuntur: ut in hanc sententiam illud satyrographi poëtae intelligas.

- - - Quis

- - - Quis fercula septem,
Secrete coenavit avus.

Hoc est quis unquam antiquorum res septem modis conditas & instructas coenavit sibique apponendas curavit: quo enim multiplicius est genus cibarii hoc luxuriosius & sumptuosius.

SUBITAE COENAE.] Subito apparatae.

168. NUNC AD FLUMEN OVES.] Advesperascente hora monet perduci oves ad flumina: de qua re in sequenti Ecloga ex authoritate Virg. Columellae & caeterorum plura docebimus.

JAM FREMIT AESTAS.] Aestuat: ut dicitur mare *fremere*, sed ego puto id propter avium cantum dici ut sit consimile Virgiliano illi.

Litoraque alcyonem resonant.

Fremere est magnum sonare: qui sonus peculiariter ab avibus cum advesperascit efficitur: ut intelligas *fremit* hoc est resonat. vel ex avium cantu vel cicadarum. Marcellus *fremere & frendere hoc dissparantur. quia est fremere magnum sonare*, ut apud Virg. in VI. Aeneidos.

Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino.

Frendere alicubi cum gemitu vel iracundia misereri aut minax. Virg. in III. Aeneidos.

Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem
Dentibus infrendens gemitu:

Pacuvius in Antiopa *frendere noctes miserat.*

169. JAM SOL CONTRACTAS.] Sensus est, jam umbrae majores fiunt pedibus. nuper contractae quae fuerant, cum enim describat tempus vespertinum, & nihil aliud sit nox quam umbra terrae, ut scribit Plin. in II. intelligendum, Admonet: umbras contractas sol protrahit in longitudinemque producit. admonere enim duo significat: & commonefacere ut apud M. T. in Verrem de signis, *recte admones Polycletum esse dicebant*, & *ferire* percutereque, ut apud Virg. lib. X. Aeneidos.

Lencagus ut pronus pendeat in verbera telo,
Admonuit bijugos.

Author Marcellus. in quibusdam vero codicibus legitur *admovet*, quod significabit appropinquat, quoniam existente sole in medio cardine caeli magis umbrae contrahuntur. nemini autem dubium est umbram corpus humanum in sole semper prosequi, quod in occasum cadat oriente sole, & in ortum cum sit occiduus, medio autem die, quia sol meridiem tenet in septentrionem depellitur, in austrum vero circa nostram habitationem, impossibile est umbram cujuslibet corporis cadere, quia semper in adversam soli partem umbra jactatur, adversus autem austro apud nos sol esse non poterit. cum nunquam fines septemtrionales attingat. autor Ma. *Annotatum est in Syene oppido quod est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum* (ut scribit Plin. in II.) *solstitii die medio nullam umbram jaci, puteumque ejus experimenti gratia factum totum illuminari.* hinc dictum est a Luca.

- - - Atque umbras nusquam flectente Syene.

Constat enim vel ex auc. Mac. sole certam cancri partem ingrediente id fieri, figura umbrae teste Plin. similis est metae, & turbini inverso.

CONTRACTAS PEDIBUS.] Qui sole existente in suprema parte caeli restringebantur ad pedes. fit enim ut sine umbra nunquam corpus existat humanum. quod si malis intelligere haec esse signa aestatis incumbentis, dicta *fremit*, aestuat & magis restringit umbras pedibus.

IN ECLOGAM V.

Versu 1. FORTE MYCON SENIOR.] In hac quinta Ecloga introducitur senex Mycon Canthum alumnum admonere super pecuaria: quae scilicet habenda sit cura pecudibus & capellis, quod tempus pascendi, quod mulgendi. quaeque intra ovilia & stabula cibandi. quo pacto agni educentur teneri & lactentes, quaeve sit diligentia lanificio adhibenda: & haec omnia paucis restrinxit poëta, quae a nobis antiquorum ex auctoritate scriptorum erunt fulcienda primis quatuor versibus loquitur poëta & quasi argumentum Eclogae huic facit, deinde Myconem inducit alumno suo praecepta dare infra scripta.

SENIOR.] Pro senex ita enim utuntur poëtae ut participium ponant pro positivo: Seniores apud antiquos a XL. anno usque ad sexagesimum appellatos in quarto aetatum gradu fuisse auctor est Censorinus de Die Natali. scribit Marcellus *aetatem malam* senectutem veteres dixisse. unde & senium taedium & odium dictum. quod senes omnibus odio sint, & taedio: Caecilius in Ephestione, *tum in senectute hoc depute miserrimum, sentire ea aetate eum ipsum esse odiosum alteri.*

CANTHUS ALUMNUS.] Κάνθος dicitur a Graecis oculi angulus, unde forte nomen hoc assumptum a Calpurnio. quod hic esset tanquam oculus Myconi carus. de Cantho ita fit mentio a Silio in XV.

At Canthus rutulum, Canthus possessor harenae,
Qua celebre invicti nomen posuere Phileni.

ALUMNUS.] A Mycone educatus, & dicitur alumnus qui educat & qui educatur. quamquam sint qui alumnum tantum esse putent qui alatur, & dicitur ab alendo, aliquando tamen alumnus & ille qui nutritur appellatur. ut apud Virgilium in VII. Aeneidos.

Nec non & Tityon terrae omniparentis alumnum.

2. SOLEM TORRENTEM.] Exurentem, de qua dictione superius.

PATULA ARBORE.] Lata & patenti. unde & Plan-

tus *patulum bovem* appellavit cujus cornua diversa paterent.

3. Daturus praecepta.] Admonituras alumnum Canthum.

4. Tremulis titubantia labris.] Exprimit morem senilem, titubant enim verba senilia, titubare autem ut notat Mar. significat trepidare. M. T. Philip. lib. quarto. *titubare, haesitare, quo se vertere, nescire.* Virg. in quinto Aenei.

- - - Vestigia presso
Haud tenuit titubata solo.

Terent. in Heauto. *Ne quid illa titubet.* Apu. in vers. de Asino Aureo, *hic quoque suum nequissimum saltum in me retorsit gregariisque omnibus affirmavit me sponte vicinorum loculos transeuntem titubante gradu prolapsum.* *Titubantia* apud antiquos quoque dicta est vacillatio & est vetustissimum verbum *talipedare*, quod significat vacillasse & titubare.

Tremulis labris.] Tremunt enim senes, unde & *tremebunda senectus.* Juve. Saty. decima.

Una senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam laeve caput, madidaque infantia nasi.

Quas errare vides.] Demonstrat Cantho capellas quas illi educandas tradit monitis insequentibus.

Errare.] Pasci, ut exponit Ser. super eo Virg. in Buc.

Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere quae vellem calamo permisit agresti.

Consimile est illud in Alexi.

Mille meae Siculis errant in montibus agnae.

Et in primo Aeneidos.

- - - Tres littore cervos
Prospicit errantes.

Inter dumeta capellas.] Hoc dixit quoniam maxime dumis gaudent capellae. & ut inquit Colu. lib. vii. Rei Rust. id genus dumeta potius quam campestrem situm desiderat. unde dictum est a Virg. in iii. Geor.

Pascuntur vero silvas & summa lycaei,
Horrentisque rubos & amantes ardua dumos.

Cum de capris loqueretur.

6. Canescere.] Tondere: cana gramina i. e. canentis propter rorem, quo inspersa prata canescere videntur.

Lascivo morsu.] Quoniam ex ubertate herbae magis lasciviunt & ut inquit Co. de capro dum uberius alitur maturem stupro supervenit, & ideo ante sex annos consenescit, quod immatura Veneris cupidine primis pueritiae temporibus exhaustus est: itaque quinquennis parum idoneus habetur foeminis implendis.

7. Canthe puer.] Ordo est: quos greges ô Canthe puer a monte remotos cernis carpere gramina in campo hos ego pater senior tibi trado.

8. Aprico campo.] Soli exposito.

9. Do senior.] Juveni. *Dare* est proprie dominium transferre & rem accipientis facere ut notant Jureconsulti, Itaque significat hic ejus facere proprias: Scribit Paulus Jureconsultus de verborum & rerum significatione, dedisse etiam intelligendum esse illum qui permutavit vel compensavit.

Tuendos accipe.] Non tam intelligit defendendos contra lupos & insidiatores, quam frigus aestum & famem, quibus maxime vexantur.

10. Jam certe.] Justa causa traditionis, nam juvenis qui est robustior necessarios magis potest tolerare labores quam senex, quoniam (ut scribit Columella) *Magister hujus pecoris debet esse acer, durus, strenuus, laboris patientissimus, alacer atque audax, ut qui per rupes, per solitudines, per vepres facile vadat, & non ut alterius generis pastores sequatur.*

Insudare.] Valde sudare, provenit autem sudor ex labore maximo minusque tamen laborandum, quam cum a labore desistimus. quam causam refert Aristoteles in problematis provenire. quod cum laboramus cutis foramina retento spiritu obserantur, cum autem relaxavimus aperiuntur. quo fit etiam ut spiritu retento minus sudare possimus.

11. Gnavam juventam.] Strenuam & fortem. Navus enim celer & strenuus dicitur a navium strenuitate: ut auctor est Pompejus: hinc *navare operam* dicimus rem celeriter & strenue perficiendo, Cicero in Tertio Epistolarum. *ut quum tibi hoc satisfecerimus, istic quoque nostram benevolentiam navare possimus:* e contra vero *ignavus* dicitur piger & desidiosus. Plautus in Casina,

Senecta aetate unguentis perlitus ignave incedis.

Ignavit pro ignavum fecit dictum est ab Actio *sed saepe ingnavit fortem in spe expectatio.*

Exercere.] Fatigare. in quem significatum accipe illud Terentianum in Adelphis,

Ego te exercebo hodie ut dignus es silicernium.

Alias auctore Marcello significat agitare vel commovere. M. T. de Officiis libro primo, *exercenda est etiam facilitas & altitudo animi.* Virg. Aeneidos libro quinto,

- - - Nate Iliacis exercite fatis.

13. Asvicis ut nobis.] Incommoditates senectutis recenset, ut inde sit manifestum eum non bene curare laboriosa.

Primam.] In aliquibus codicibus invenitur *dudum*, eodem significatu.

Mille querelas.] Ex variis morbis senes invadentibus. unde cecinit Juvenalis Satyra decima.

Sed quam continuis & quantis longa senectus
Plena malis, deformem & taetrum ante omnia vultum
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas & tales aspice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca:

Aedepol etsi nihil quicquam aliud vitii apportet secum senectus cum advenerit, unum id satis est, quod diu vivendo multa quae non vult videt, atque ea quidem quae non vult: saepe etiam adolescentia incurrit. ut auctor est Cicero in Catone; Plautus in Menaechmis.

- - - Sen.

- - - Confitus sum
Senectute, enusum gero corpus, viros
Reliquere, ut aetas mala est.

BACULUM PRIMAT.] Quoniam gressus suos baculo senes dirigere consueverunt: Juvenalis Satyra tertia.

- - - Et pedibus me
Porto meis nullo dextram subeunte bacillo.

Est enim *bacillus* diminutivum a baculo. *βακτηρία* a Graecis *baculus* dicitur. *Scipio* pro baculo frequenter invenitur, a quo Scipio Cornelius, qui patrem luminibus captum pro baculo regebat, cognomen accepit. Macrobius in primo Saturnalium, *Non aliter dicti Scipiones, nisi quod Cornelius qui patrem luminibus carentem pro baculo regebat, Scipio cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit.* tu tamen corrige codicem ibi depravatum, ubi *gerebat* pro *regebat* passim legitur: horum familia Romae spectatissima fuit, & virtute & nobilitate, praecipueque in Africa invicto nomine ferebatur. unde a Caesare deductus est ad ejus expeditionem *Salutio quidam despectissimus in turba* (ut auctor est Suetonius in Dictatore:) *ad eludendas vaticinationes, quoniam ex gente Corneliorum essit, cui ad opprobrium vitae Salutione cognomen erat inditum*, a Salutione, mimo quodam infami, propter morum similitudinem: ut auctor est Plin. in septimo, non quod nemini foret saluti, ut autumant aliqui, quos etsi locus iste Plin. praeteriit, *non mirum, quoniam non possumus omnes omnia*: & ut inquit ille

Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.

Plinii verba subscripsimus. ut evidentius judicent docti ingenue nos non arroganter aliquem taxare, sed ad utilitatem spectare semper legentium & addiscere cupientium: *ejusdem familiae Scipioni post Gneum cognomen Salutio mimus dedit, sicut Spinter secundarum tertiarumque Pamphylus collegio Lentuli & Metelli consulum.*

13. INCLINATA SENECTUS.] Curva & inflexa: unde & *silicernios* senes dixerunt auctore Planciade, *incurvos*, quasi jam sepulchrorum suorum silices aspicientes: unde & Cincius Alimetus in Historia de Gorgia Leontino ita scribit. *qui dum jam silicernius suo finem temporis expectaret, si mortis non potuit, tamen infirmitatibus exultat.* Etsi sciam *silicernium* auctore Pompejo esse genus farciminis quo a fletu familia purgabatur: dictum autem silicernium quia cujus nomine ea res instituebatur, is eam silentium cerneret: unde dictum sit a Cecilio, *credidi silicernium ejus me esse esurum*: Apulejus in quarto de Asino aureo ita senio anum confectam curvatam dixit. cujus subscripsimus verba: *Ibi cum singuli strepsissent stipatis artubus, nobis ante ipsas fores iam valido destinatis, anum quandam curvatam gravi senio, cui soli salus atque tutela tot numero juvenum commissa videbatur, sic infesti compellant.*

SAN QUA LEGE.] Primum de grege captino instituit alumnum moxque ovili gubernando. & est ordo: sed percipe qua lege regas capellas amantes lustra, & agnas errantes melius in pratis mollibus.

AMANTES LUSTRA.] Hoc est dumos in quibus praecipue lustra ferae conficiunt, ut lepores.

16. PERCIPE.] Audi. ut apud Virg. in primo Aeneidos

Qua facere id possis nostram tamen accipe mentem,

Pro audi, ut exponit Servius.

VERE NOVO.] Imitatio Virgiliana, sic enim ille.

At vero Zephiris quum laeta vocantibus aestas
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet.

Hoc est, adventante vere quo flare Zephirus incipit.

INCIPIENT TINNIRE VOLUCRES.] Id est cum aves adventu laeto veris versiculos incipient edere suos.

TINNIRE.] Perstrepere, unde *tinnitus* sonitus dicitur. Ovidius in Tertio Fastorum

Ecce novae volucres coeunt transitibus altae.

Plautus in Casina

- - - Ohe jam satis uxor est, comprime te, nimium tinnis.

Plinius de apibus in XI. *gaudent plausu atque tinnitu aeris eoque convocantur*: *Tinnitus*, ut scribit Diomedes, *est materiae illusio tenui sono auditionem angens*: *Titinnire* quoque dicimus, quod auctore Marcello significat sonare, unde & *Titinnacula* sunt dicta Afranius in Vopisco,

Titinnito janitoris impedimenta audio.

Nigidius libro XVIII. *itaque ex ramis aliaribus titinnant* *Titinnare* dicuntur quoque aures, cum quendem resultantem reddunt sonum, quasi parvum continuum sibilum, in quem significatum prolatum est illud a Catullo,

Titinnant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.

putat Plinius libro XXVIII. Naturalis Hist. absentes praesentiri sermones tinnitu aurium, itaque hodie superstitione quadam quoties aures titinnant, ab aliquo absente de se verba fieri concipiunt: dat remedium Plinius in XXIII. oleum amygdalinum contra gravitatem auditus, sonos incertos & tinnitus.

17. LUTABIT.] Ex luto componet a lutei aedificii inventor fuisse dicitur Doxius Celii filius exemplo sumpto ab hirundinum nidis ut auctor est Plinius in VII. Nat. Hist.

REVERSA HIRUNDO.] Quae vere ad nos novo prodit, nec ex qua satis constat regione, propter quod ignota dicitur ab Ovidio, id est, cujus adventum ex quo sit nesciamus loco. Ita enim reliquit in primo Fastorum cum de vere loqueretur.

Tunc blandi soles ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus:

Thebarum tecta negatur subire hirundo. Quoniam urbs illa saepius capta sit: nec Bizenis in Thracia, propter scelus Terei. Auctor est Plinius in X. Cecinam Volaterranum, equestris ordinis triumphatorem, hirundines comprensas in urbem secum attulisse victoriae nuncias, & amicis mittere solitum, cum in eundem remearent nidum illito colore victoriae: Tradit & Fabius pictor in Annalibus suis, cum obsideretur praesidium Romanum a Ligustinis, hirundinem ad se cum epistola allatam ut lino ad pedem ejus alligato nodis significaret quoto die adveniente auxilio eruptio

ptio

ptio fieri deberet: hinc exiit illud Satyrographi poetae Satyra quarta.

- - - Tamquam diversis partibus orbis
Anxia praecipiti venisset Epistola penna.

17. Protinus.] Statim. notat Caper, *protenus per e. adverbium esse locale, id est porro tenus, protinus per i. adverbium esse temporale quod significat statim. Protinus*, ut exponit Servius in enarratione ejus carminis Virgiliani in quarto Georgicon.

Protinus aerii mellis coelestia dona
Exequar.

Significat deinceps & exinde.

Omne pecus.] Et caprinum & ovile.

Hiberno ovili.] Stabulo ad tolerandum frigus constructo. quod esse debet sepositum a vento & contrapositum hiberno soli, ut docet his Virgilius in III. Georgicon.

Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem, quum frigidus olim
Jam cadit extremoque irrorat aquarius anno.

18. Pullat.] Pullulat & crescit. inde pulluli dicuntur in plantis eo quod pullulent & crescant. Plinius libro XVII. Nat. Hist. *nullis vero tales pullulis proveniunt nisi quarum radices amore solis atque hymbris in summa tellure spactantur: iidem pulli appellantur. Pullum* enim dicimus aetatis novellae, & non tam *pullum* dicimus de pecude natum, ut existimavit quidam, quam de arbore & planta. Cato de Re Rustica, *propagatio pomorum aliarumque arborum, ab arbore ubi terra, pulli qui nascentur, eos in terram deprimito extollitoque primorem partem uti radicem capiat: pullare* & *pullulare* significat crescere. Plinius in XVII. *Natura & plantaria demonstravit multarum radicibus pullulare sobole densa.*

19. Vernanti gramine.] Virenti & ver designanti: nam, ut inquit Ovidius in primo Fastorum,

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos.
Prodit & in summum seminis herba solum.

Dicitur autem *vernare gramen*, cum revirescit verno ei tempore, hoc est veris, famulante: *vernare* dixit Plinius anguem, cum hiberno situ membranam corporis obductam foeniculi succo exuit.

20. Reparabilis.] Quae reparari potest vere, unde & *reparabilis Echo*, contrarium est *irreparabile*, ideoque *irreparabile tempus* dicitur a Virgilio, quod nullo modo reparari potest: hic *reparabilem sylvam* intellige quae succisa renascatur reparatique possit, hoc est ceduam: *cedua* enim *sylva* appellatur quae succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascitur, ut notat Paulus Jureconsultus de verborum & rerum significatione.

21. Tum florent silvae.] Sumptum ex Palaemone Virgiliano. sic enim ille.

Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.

22. Tum venus at calidi.] Adveniente vere sicuti aperiuntur omnia & quodam veloci succrescendi excitantur stimulo, ita inVenerem animantes proniores fiunt hincque Aprilem mensem Veneri dicarunt, de quo satis superius, Lucretius in primo,

Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura favoni,
Aëriae primum volucres te diva tuumque
Significant initum perculsae corda tua vi.

Scintillat.] Ardet, exaestuat: *Scintilla*, ut annotavere grammatici est proprie ardens, ut
- - - Silicis scintillam excudit Achates.
Favilla vero extincta ut in VI. Aeneidos,

Reliquias vino & nigram lavere favillam.

Calidi amoris.] Ab effectu, quod homines & ferae eo calescant, nam

Quid genus omne creat volucrum nisi blanda voluptas?
Nec coeant pecudes si levis absit amor.

Ut inquit Ovid. in quarto Fastorum.

23. Lascivum pecus.] Luxuriosum & in Venerem pronum, nam & agni dicuntur a Columella *subito lascivire nati*, ut sit epitheton pecudis.

Accipit.] Subit.

Salientes hircos.] Ineuntes pecudes: est enim proprie *salire* pecudum concumbentium. unde Ovidius in secundo de Arte Amandi.

Laeta salitque ovis, tauro quoque laeta Juvenca est,

Varro in secundo de Re Rustica, *neque pati oportet minores quam bimas saliri, quod neque natum ex his idoneum est, nec non ipsae etiam fiunt deteriores.*

Hircos.] Maritos caprarum sicut aries est ovium. τράγος Graece, *Hircus* Latine dicitur. Martialis ideoque foetorem alarum significans, quem hircum appellare solemus, Graece pronunciavit ita in XI. scribens,

Inde tragus celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

Sunt qui hinc *tragoediam* denominatam velint, quod olim hircus esset tragoediae & tragici carminis praemium, ad quod allusisse videtur Horatius illo versu.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

24. Sed non ante deorum.] Admonet Canthom, or, antequam educat stabulis gregem, deos placet. Sic Hesiodus in primo Georgicon.

Hostia mactetur, hymnos cane, thura ministra,
Ut tibi dii faveant, immensaque copia rerum,
Hinc tibi nascatur.

Sed placandam Palem esse censet imprimis quia ipsa est pabulorum dea & Pastorum domina. unde dixit Ovidius in quarto Fastorum.

- - - Et nos faciamus ad annum
Pastorum dominae grandia liba Pali.

Virgilius pecuariam docens cecinit.

Nunc veneranda Pales.

Hanc esse Pecori praepositam designans deam.

Greges clausos.] Qui hyeme in stabulis occlusi fuerunt.

25. Placata pales.] Quomodo placetur videto diffusius apud Ovidium in quarto Fastorum.

26. Po-

26. PONE FOCUM.] Sterne locum ubi fiat ignis. *focus* enim est proprie ubi ignis fit. itaque intellige apud Tibullum,

Et meus assidue luceat igne focus.

Id est, Locus igni deputatus: & apud Virgilium in Bucolicis.

Ante focum si frigus erit.

VIVO CESPITE TERRA.] Cum herba avulsa.

27. VOCA.] Pro *invoca*, ut

- - - Auditque vocatus Apollo,

Pro invocatus.

GENIUM LOCI.] Fuit religio antiqua, ut quemcumque locum suum habere arbitrarentur genium, & ut superius ad declarationem Persii retulimus ex authoritate Serviana, plerumque per anguem denotabatur: hinc est quod Faunos, Nymphas, Dryades, Oreades & cetera numina variis rebus praefecere: de genio etiam ex Censorino plura retulimus, quae repetere supervacaneum videtur ad finem praecipue nobis contendentibus.

FAUNUM.] Pastoralem deum.

LAREM DOMESTICUM.] Numen & cujusque peculiarem deum domus.

27. FARRE SALSO.] Molam intelligit. Quae fiebat farre & sale molito. Virgilius in Pharmaceutria.

Sparge molam & fragiles incende bitumine lauros.

Ubi exponit Servius molam, far & salem: Pompejus. *Mola vocatur etiam far tostum & sale sparsum* quod eo mollito hostiae asperguntur de farre superius. sed & hoc addito, far Campanum praecipuum esse, ut vinum Falernum: & oleum Venafranum, authore Varrone in primo de Re Rustica: de sale autem & quomodo conficiatur & genera ejus & in quibus nascatur locis docet Plinius libro XXXI. sal maxime ad usum confert humanum, oppore cum quo condiantur omnia fere. ideo res quae succum & genium habent *salsa* dicitur. Unde *Plautini sales* ab Horatio dicuntur in Arte Poëtica: e contra *insulsum* appellamus illepidum & nullius aculei: Lucretius *vescum salem* nuncupavit in primo quod eo vescamur hoc versu:

Nec mare quae impendent vesco sale saxa peresa.

Docet Cato, de Re Rustica quo pacto fiat sal candidus.

HOSTIA.] Victima, dicta ab eo, quod *hostire* est ferire, quoniam in sacrificio feriebatur, ut author est Pompejus.

TEPIDOS CULTROS.] Propter sanguinem tepidum quo cultri inficiuntur, dum percutitur hostia: cultri enim sunt ad conficiendam hostiam gladii breviores Ovidius libro XV. Metam.

- - - Percussaque sanguine cultros
Inficit in liquida praevisos forsitan unda:

Est & venatorius culter, de quo tale est distichon apud Martialem,

Si delecta gemes longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum:

De hoc fit etiam mentio a Suetonio in Claudii Caesaris vita, his verbis: *Reperti Equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro.* usus fuit apud Judeos cultris lapideis ut se circuncidere. de qua re fit mentio in Josue: *fac tibi cultros lapideos & circumcide secundum filios Israel.*

IMBOAT.] Hic inficias significat, ut apud Ciceronem Finibus Bonorum & Malorum, *accedit mors quae quasi saxum Tantalo semper impendet, tum qui est imbutus, quietus esse nunquam potest.*

DUM VIVIT.] Singultans seu palpitans.

LUSTRA.] Circumda & purga: *lustrum* enim inde spatium dictum est quinquennale quod eo tempore urbem lustrabant hoc est purgabant.

29. NEC MORA TUNC CAMPOS.] Distinguit pascua, sicut superius.

- - - Amantes lustra capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnas.

30. ORTU SOLE DABIS.] Ita praecipit Virg. in III. Georgicon.

Luciferi primo cum sydere frigida rura
Carpamus, dum mane novum dum gramina canent:

Quam legem secutus est Columella in octavo testimonium citans Virgilianum.

SIMUL.] Ut primum.

ACCEDERE.] Scandere scilicet montem, nam cum oritur sol est monte inferior quem occupat sensim dum ascendit.

31. SPACIUM PRIMAE HORAE.] Intellige primam partem diei: dividebantur enim dies in primam secundam & tertiam usque ad nonam horam, variis rebus distributi, de qua re Mar.

Prima salutantes, atque altera continet hora:
Exercet raucos tertia causidicos:
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, Septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palestris.
Imperat extructos frangere nona thoros.

Quod tetigit & Juvenalis Satyra prima.

Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum,
Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo:

Hic tamen intelligenda est diei divisio in horas pastorias non civiles.

30. HUNC MONTEM.] Δεικτικῶς est.

31. TEPEFECERIT.] Tepidum fecerit radiis immissis.

32. AT SI FORTE VACES.] Si erit ocium.

MATUTINA FRIGORA.] Quae non adhuc orto sole frigus reddere consueverunt.

RELAXAT.] Tempore suo aufert & mollit, reddit aperitque.

SPUMENT MULCTRA.] Lacte spumoso impleantur: spumare enim dicitur lac quod spumosum fit & spumam faciat: Virg. in tertio Georg.

Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Laeta magis pressis manabunt ubera mammis:

Despumare apud Persium vero concoquere significat Satyra quarta cum inquit.

Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat:

Mulctra vero hic pro mulctrariis posita, ut apud Virg.

- - - Spumaverit labere Mulctra.

Superius enim docuimus ex auctoritate Serviana *mulctrare* esse vas, in quod mulgetur, *mulctram* vero mulgendi tempus: ego tamen esse his legendum puto *spumet tibi mulctra* singulariter, hoc est mulgendi tempus, pro ipsis vasis, & tamen *mulctra* pro ipso vase accipiur ut apud Col. in VIII. *Sed mulctra cum est repleta lacte non sine tepore aliquo debet esse.*

Papillis.] Eminentiores sunt huberum partes, papillae. ex quibus lac elicitur, *capitellos*, quasi parva capita dicas, hodie Bonnonienses foeminae appellant: Suetonius in Tiberio, *atque etiam infantes firmiores, nidum tamen lacte depulsos, saguini ceu papillae admoveret.* Columella libro octavo rei Rusticae, *immejat diductum os pressis humectare papillis*: in quibusdam tamen exemplaribus legitur *capillis*.

34. Implebit quod messe fluat] Sensus est, quos caseos mane presseris reservabis aestati depromendos, ut cum messis advenerit tempus, eo reficiantur coloni & familia tua, seu vendantur: hinc conjicere possumus, melius reservari caseor ce lacte serotino pressos, quod etiam videtur demonstrare Virg. ita scribens in tertio Georg. quamvis subobscure,

Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt, quod jam tenebris & sole cadente,
Sub lucem exportant calathis, adit oppida pastor
Aut parco sale contingunt hyemique reponunt.

Et ut melius auctoris sensum percipias cum scias monere de lacte quod intra paucos dies absumi debeat: unde dicit *quod messe fluat*: quoniam leniore cura conficitus quippe fiscellis exemptus in salem muriamque dimittitur, & mox in sole paulum siccatur, ut docet Colu. in octavo.

Implebis.] Intelligit formas quibus caseus formatur, ita enim appellantur instrumenta illa ad caseum conficiendum accommodata.

35. Mulsura.] Expressio ex papillis capellarum a *mulgendo* dicta, sicut *vindemia* a vino demendo.

Horae occiduae] Serotini temporis unde durabilius lac conficitur.

36. Parce tamen foetis.] Praeceptum est Varronis, ne foetae eo tempore quo sunt agni teneriores mulgeantur. quoniam ut inquit Virg. in Palaemone.

Et succus pecori & lac subducitur agnis:

Praecipit autem Col. in octavo agnos ut editos erigamus. atque huberibus admoveamus ac ore teneriore diducto & aperto papillis maternis humectemus ut condiscant alimentum trahere: Idem mulgendi tempus esse agnis praebendum docet, ut statim mane priusquam grex procedat in pascua, deinde etiam crepusculo redeuntibus saturis ovibus admisceantur agni: quod si lactis amor magis oblectat pastorem id faciendum quod magis expedit: teneri scilicet agni lanio tradantur, donec adhuc herbae sunt expertes, & his summotis fructus lactis ex matribus non minor percipitur.

Compendia.] Expone, ne tanti fiet pretii tibi utilia ut velis agnos destruere succum illis subtrahendo: *compendium* appellamus quoddam servatum cum parsimonia, aliquando pro utilitate *compendium* observavimus, ut apud Tibullum.

Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem:

In quem significatum apud Apulejum quoque invenies libro ei. de Asino Aureo ita scribentem: *nam & illo studiorum gloriam & ipsi grande compendium sua comparare providentia.* tibi *compendium* pro utilitate est intelligere: *compendiosum* tamen & *compendiarium* aliquando & breve significat, ut apud Apulejum in VI. de Asino Aureo, *sed nos & sollicitudini tuae praebebimus & compendiosum ad eos iter monstrabimus*: hic *compendia* parvam utilitatem ad aequiparationem agnorum: *compendium* ut docet Varro in I. de Lingua Latina *dictum quod cum compenditur una sit.*

37. Venalis caseus.] Ut supra.

- - - Et lac venale per urbem
Non tacitus porta.

Destruat.] Macilentos reddat: ex defectione alimenti enim destruuntur, neque ad perfectionem suam excrescere valent: Scribit Plinius libro XXV. Nat. Hist. *lanariam* herbam nuncupari quae ovibus jejunis data abundantiam faciat lactis. est & herba *lactaris*, lactia plena, quo degustato vomitiones concitantur, ita enim in sincerioribus codicibus *lactaris* invenitur, non *lactoris*, apud Plinium.

Niveos agnos.] Albos & ob hoc cariores, unde est apud Virgilium.

Quam dives nivei pecoris:

Quomodo nascantur nivei agni ex authoritate Columellae & Varronis docuimus ecloga secunda.

38. Fotura.] Partus ovium, & actus ipse pariendi. *foetare* antiqui dixerunt, pro eo quod est foetum emittere: & *superfoetare* dicitur foemina cum gravida ex uno alterum supergenerat filium.

Praecipuo amore.] Cura praecipua. hinc enim fructus omnis redigitur eum in demortuarum locum semper novae substituuntur: *nec foetus* (ut inquit Columella) *partus incipientis pecoris custodire debet quam obstetricum more: namque hoc animal non aliter quam muliebris sexus enititur. Saepius, que etiam, quanto est omnis rationis ignarum, laborat in partu.*

Colatur. [Observetur magno cum studio & diligentia.

39. Te quoque non.] Haec esse foetus cura debet, ut resolutae partu releventur, & agni huberibus maternis admoveantur, in sinumque domum deferantur.

Serus.] Hora vespertina, qua pastores ovilibus pecudes includere solent.

40. Jacebit humi prostrata.] Ex partus dolore.

41. Humeris portare tuis.] Sic Tibullus in I.

Non agnamve sinu pigeat foetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.

Natos tremulos.] Ob recentem partum, tremuli enim noviter editi sunt agni.

Parenti sinu.] Lege *tepenti*, ut habent antiqui codices.

Stare.] Erigere se: *stare* enim significat erectum esse, ut hic & apud Plautum in Captivis, *illi qui stant*,

stant, hi stant ambo non sedent: alias significat sigere, ut apud Virgi.

Stant & juniperi:

Aliasque significat sistere: unde Stator dictus Juppiter, quod fugientes Romanos Romulo precante sistere fecit, ut refert Plutarchus in Romulo.

43. NEC TU LONGINQUAS.] Admonet ne nimiam fidem vernali Serenitati adhibeat, quoniam tunc est mutabile tempus, & saepius desperatae incurrunt pluviae, unde cecinit Vir. in III. Georgicon,

Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris.

Et alibi *imbriferum* ver appellavit quod saepius imbres vere decidant.

LONGINQUAS HERBAS.] Pascua a stabulis longe remota: ut si pluviae incurrant possis ovilia repetere stabula.

PRAESEPIBUS.] Stabulis, pars pro toto.

REMOTAE SILVAE.] Longius remotae.

45. JOVIS INCONSTANTIA.] Jovem pro aethere posuit unde decidunt hymbres, dicitur autem Inconstantia variatio & constantiae contraria virtuti: unde *constans* & *constanter* adverbium, Ci. in IV. Tusculanarum Quaestionum, *id cum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem.*

45. VERIS FINES.] Ex incertitudine serenitatis futurae.

FORTE SERENA.] Legendum est *fronte* ex fide digno exemplari.

47. ARRISIT BLANDIUS.] Rumm inducens serenum, est proverbium Graecis, *una hirundo ver non facit*, eo quod uno die unas nosci non potest.

CUM CALIGINE.] Cum obscuritate: caligo enim appellatur obscuritas quaedam quae cum nymborum aliquando exoritur tempestate, *caligantes* inde oculi appellantur tenebris quibusdam obducti: & est *caligare* verbum quod significat caecutire, & quasi per tenebras aspicere.

48. MISERAS TORRENTIBUS.] Scribendum est *tondentibus* tali sensu, adeo quandoque invalescunt tempestates turbulentae, ut agnas e manibus auferant tondentium: Quare cecinit poeta in primo Georg.

Atque haec ut certis possimus noscere signis
Aestusque pluviasque & agentes frigora ventos,
Ipse pater statuit quid menstrua luna moneret.
Quo signo caderent austri, quod saepe videntes
Agricolae propius stabulis armenta tenerent.

49. LONGA DIES.] Aestiva, sicut *longa* nox intelligitur hyemalis: constat autem solem neque sursum ultra Cancrum, neque ultra Capricornum deorsum meare, Sed cum ad tropicorum confinia pervenerit mox reverti, unde & solstitia vocantur. Et quia aestivus tropicus temperatae nostrae terminus est, ideo cum sol ad ipsum finem venerit, facit nobis aestivos calores de vicino urens sensu majore subjecta: auctor est Macrobius in secundo de Somno Scipionis. Britannis longissimam esse diem vel ex illo apparere potest.

--- Et minima contentos nocte Britannos:

Scribit Cleomedes de Contemplatione Orbium, in Meroe Aethiopiae undecim horarum esse solstitialem noctem, in Alexandria decem, in Hellesponto novem, Romae minus novem, apud Celtas octo, ad Maeotidem septem, In Britannia sex.

49. SITIENTIA AESTUS.] Qui sitim inducunt, antiqui codices habent *sitientibus*, quod si magis placuerit ita ordinabis: cum longa dies afferet aestus sitientibus, nec coelum fuerit mutabile deo variante, tunc silvis greges committito.

50. MUTABILE COELUM.] Quod subito immutatur vere sereno.

DEO VARIANTE.] Jove: quem pro aethere poni superius ex auctoritate Serviana docuimus.

51. COMMITTE.] Permitte: *committere* enim credere significat & permittere: Terentius in Eunucho, *ovem lupo commisisti*, Virgilius in IX. Aeneidos.

Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt:

Cicero de Officiis libro secundo, *Quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat*: alias Marcello significat *effigiare, conjungere, donare, facere, & imitare.*

LONGIUS.] Quoniam aestate non adeo mutabiles habemus serenitates & si quandoque interveniunt pluviae non adeo noxiae sunt, nam ut plerumque breve per spacium temporis durare consueverunt.

52. ANTE DIEM PECUS EXEAT.] Ita sentiunt Columella & Maro, quoniam pecori gratissimam esse rosulentam herbam putavere.

ANTE DIEM.] Ante solis ortum: & luciferi primo sidere.

HUMIDA AURA.] Vel aër matutinus respirans molliter, vel auram pro aurora intelligas: nam ab *aura* quae splendorem significat *auroram* dici voluere: Varro in III. de Lingua Latina, *Aurora dicitur ante solis ortum ab eo quod ab igne solis tum aureo aer aurescit, inde rutilare dicta ab eodem colore: aurei enim rutuli, & inde etiam mulieres valde suffao rutulae dictae.*

EURIS FUGIENTIBUS.] Vulturnus ventus est ab oriente brumali respirans quem Graeci *eurum* vocant, ut docet Pli. in secundo. regnat autem cum sole, unde eurus dici existimatur quasi ἐώ ῥέων. Id est ab oriente sole fluens. is alio quoque a graecis nomine ἀπηλιώτης a Romanis nauticis *subsolanus* cognominatur, ut auctor est Gellius libro secundo Noctium Atticarum: notandum est tamen apud Pli. alium esse vulturnum aliumque subsolanum, & apud Gellium vulturnum: quem Pli. eurum scribit appellari: existimari esse euronotum quod medius sit inter eurum & notum, cujus rei in mentionem incidisse sit satis, ne tales auctores nos trutina severiore perpendere videamur: *euris* ergo *fugientibus* exponito, dum occidit sol quem comitatur eurus.

54. FRIGIDA PASCUA.] Propter rorem herbas refrigerantem.

TINGUNTUR.] Asperguntur.

NOCTURNO RORE.] Epitheton est, quoniam ros tantum cadit in nocte.

55. GUTTAE MATUTINAE.] Gutta appellatur liquidae rei minima portio, ut gutta aquae, vini gutta. Plautus in Casina.

Dent me & te infelicem si ego in os meum vini guttam indidi:

Gutturnium in se vas appellari voluerunt, quod guttatim aquam stillet & emittat. hic *guttae* roris stillae intelligi debent, quibus herba matutina respersa esse consuevit: itaque pecori gratissima ut putavit Virgi.

LUCENT.] Splendent.

56. AT SIMUL ARGUTAE.] Nunc sequitur curam singularum horarum & imprimis quartae horae, cum sol invalescens fortius percutit radiis. ut scilicet fontibus admoveantur greges, & sub umbra deinde retineantur: Ita Vir. in III. Georgicon.

Inde ubi quarta sitim caeli collegerit hora,
Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae:
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam.

Cujus praecepta secutus Columella idem praecipit in octavo.

INCREPUERE.] Instrepuere: *increpare* proprie significat cum strepitu & sonora voce inculcare: unde & frequentativum increpitare: Virgilius.

- - - Quid increpitas mortemque minaris

Et alibi.

- - - Aestatem increpitans seram:

Itaque intellige in primo Aeneidos.

Tum Bitiae dedit increpitans.

Hoc est frequenter arguens accipientis segnitiem.

CICADAE ARGUTAE.] Epitheton est, i. e. sonorae & stridulae: hinc Virgilius in Bucolicis *argutam ilicem* appellavit ex sonitu cicadarum perstrepentem intelligere volens. inde est *argutor* verbum. Naevius.

- - - Quando ad ludos venit,
Alii cum tacent, totum diem argutatur quasi cicada:

RAUCAE.] Alio epitheto dicuntur Virgilio in Alexi.

At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis:

In Rhegino agro fama est omnes cicadas silere ut author est Plinius in undecimo. sicut in Seriphone, unde proverbium Graecis βάτραχος σερίφιος. id est *rana Seriphia*, quod usurpatur in obmutescentes: Sicuti & illud *taciturnior Scapha*: Refert Solinus causam his verbis. *cicadae apud Rheginos mutae nec usquam alibi: quod silentium miraculo est, nec immerito, cum vicinae quae sunt Locrensium ultra caeteras sonitent: Causas Granius tradit, cum obmurmurarent illic Hercule quiescente, deum jussisse ne streperent: Itaque ex eo coeptum silentium permanere.*

57. COMPELLE.] *Compellere* est proprie pecudum, ita Virgilius.

Haedorumque gregem viridi compellere hibisco.

NEC PROTINUS.] Scil. post potum.

58. PERMITTE.] Concede, ut statim vagentur per campos die & sole infervescente.

SINE PROTEGAT ILLOS.] Ita est praeceptum Virgilianum & Columellae: itaque Plinius monet in decimo octavo Naturalis Historiae. *cum meridiem adesse pastor sentiet, aestate contrahente se, umbra pecudem a sole in opaca cogito, cum aestate pascet, in occidentem spectans ante meridiem, post meridiem in orientem*: umbram autem eo tempore etiam pecori gratam existere vel ex illo Virgiliano in quarto Georgicon cognoscere licet,

Quum sitiunt herbae & pecori jam gratior umbra.

PROTEGAT.] Defendat ab immenso aestu: Ita Poeta in tertio Georgicon.

Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentis tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra.

59. AESCULUS.] Arbor Jovi dicata glandes ferens, at non ubique proveniens. cujus est glans quercui secunda ut scribit Plinius libro decimo sexto Naturalis Historiae: Silius in quinto.

Annosa excelsos tollebat ad aethera ramos
Aesculus umbrosum magnas super ardua silvas
Nubibus inserans altis caput:

Ab *Aesculo aesculeta* dicuntur loca multis consita aesculis. Horatius.

Quale portentum neque militaris
Daunia latis alit aesculetis.

PORRIGIT.] Extendit & explicat.

UMBRAS.] Id est ramos umbram facientes.

VETERES.] Pro ipsa vetus, ita Lucanus in primo.

Exuvias veteres populi sacrataque gestans
Dona ducum.

VERUM UBI DECLIVI.] Videbatur quibusdam horas civiles ideo posse intelligi quoniam & Romani veteres nona hora coenare solebant ut diximus superius.

Imperat instructos frangere nona toros:

Attamen pastorie dictum accipiamus. nam *merenda* cibus est ante coenam qui capitur, & rusticorum peculiaris ut pote valde laborantium & cito concoquentium: Marcellus, *Merenda dicitur cibus qui datur post meridiem: Afranius. Fratres interim merendam accurro ad nonam cum vero juvat*, satis autem constat ipsos antiquos Romanos in die semel tantum cibum justum capere solitos.

61. SERAE MERENDAE] Quae sole jam ad occasum tendere incipiente parantur ante coenam: sicut jentaculum matutino ante prandium, Martialis in Apophoretis.

Surgite jam vendit pueris jentacula pistor,
Cristataeque sonant undique lucis aves.

62. RURSUS.] Sic Virgilius.

Tum tenues dare rursus aquas & pascere rursus
Solis ad occasum.

OPACOS LUCOS.] Umbrosos & opacitatem reddentes: *opacare* enim significat inumbrare, ut apud Ciceronem de Oratore, *nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis diffusa est ramis, quam illa cujus umbram secutus est Socrates:* Plinius, *ulmorum levis etiam nutrient quaecunque opacat.*

NEC PRIUS AESTIVO.] Aliud documentum, ut non prius includat stabulis pecudes quam nidos volucres repetere incipiant.

AE-

Aestivo ovili.] Hinc deprehenditur insania quorundam, qui stabulo eodem & hyeme & aestate pecudes includunt, cum qui curam & diligentiam adhibent majorem aestivos apertos faciant & sub divo exponant.

64. Volucris.] Sive Halcyones sive acanthis de qua re superius ex auctoritate Virgiliana diximus in enarratione illius carminis.

Nunc ad flumen oves deducite, jam fremit aestas.

Levibus nidis.] Ex stipula confectis levi. sunt enim nidi parvae volucrum cunae. Virgilius in quarto Georgicon.

Garrula quem tignis nidum suspendat hirundo.

Hinc est verbum *nidulari*. Plinius de scarabaeis, *parvosque in his contra rigorem hiemis vermiculos foetus sui nidulantur.*

Tremebunda coagula lactis.] Serotinam coagulationem intelligit ex lacte diurnis horis demulcto: sunt enim duo coagulationis tempora. & matutinum ex lacte serotino. & serotinum ex diurno, ut diximus superius ex Maronis auctoritate: & intelligendum est fiunt vel sunt, succum autem fici coaguli modo lac contrahere scribit Plinius in xxiii. & Columella in octavo; *coagulum* enim dicitur apud Columellam & idoneos scriptores quod apud Vernaculos nostros *pressamen*.

66. Succida jam tereti.] Praecepta insequentia sunt de cura lanae & lanicio: ut cum tempus erit tondendi pecudes, secernat albas a nigris & lanas differentes, similemque lanam cum simili includat junceis calathis & corbibus.

Succida vellera.] Quae succum recipiunt cum colorantur: ita *chartam succidam* appellamus eam humorem admittentem: *Insuccare* est verbum quod significat succum admittere, & madefacere. Columella, *ovis Graeca saepius detergenda & refrigeranda est. ac saepius ejus lana deducenda vinoque & oleo insuccanda:* a *succo* etiam *succulentum* dicimus, quod significat succi plenum. Apulejus *succulentam proceritatem* appellavit in secundo de Asino Aureo, quasi succosam, succi plenam & habilem dicas.

66. Constringere.] Simul premere. quod fit abundantia lanae.

Tereti junco.] Canistro ex juncis facto & contexto. Plinius libro xxi. Naturalis Historiae, juncum quem mariscum appellant hoc est grandiorem ad tegendas *segetes Junio mense eximi* praecipit ante Julium medium. utilissimus autem ad usus holoschenos quia mollis & carnosus est: melanchranis vero suo nascitur semine cujus usus est ad nassas & utilium nexus elegantium, ad lucernarum lumina praecipua medullae amplitudine ut idem scribit Pli.

67. Demere.] Auferre.

Maternas lanas.] Ovium: nam teneri agni non tondentur unde ipse dixit superius.

Totque Tarentinae praestant mihi vellera matres.

Ab aequinoctio oves est lavandi tempus: & tondentur solstitii intervallo ut docet Pli. in xviii.

Hircorum jubas.] Hoc est setas, quae in usum castrorum & nautarum concinnantur. unde dixit poëta in iii. Georgicon.

Nec minus interea barbamque incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum & miseris velamina nautis.

Nam, ut inquit Varro in ii. capra pilos administrat ad usum nauticum & ad bellica tormenta.

Olentes barbas.] Foetentes & malum redolentes odorem Quo praediti sunt praecipue hirci & caprae, unde exiit illud Horatianum.

Et nimis arcta premunt olidae convivia caprae.

Ad quod alludens Ovid. in i. de Arte Amandi cecinit.

Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec laedat nares virque paterque gregis

Ab *hirco hircosum* deflecit Persius, durum, hispidum, & vestibus ex pilo hircino factis indutum appellans, nam in usum castrorum pili hircini tondebantur. diximus superius.

Barbas.] Notat Servius Virgilianus interpres, *barbas plerumque quadrupedum dici. Barbam vero essici hominum.*

69. Secerne.] Divide & separa.

Notatis ordinibus.] Scilicet quaenam sint albae & quae nigrae ut ita concolores includantur. & ad tonsuram deducantur.

70. Comas consimiles.] Lanam ejusdem non tantum coloris, sed mollitiei & longitudinis: seu intelligas hircorum jubas pro comis dici quae ad similitudinem dependent comarum, unde dixit Maro *setasque comantes.*

Nec longa minutis.] Diligentia tonsoris debet versari circa hoc ut breviora cum brevioribus longiora cum longioribus misceantur.

71. Fusca.] Subnigris & pullis. fuscus enim color dicitur subniger, Graeci *anthracinum* appellant, a carbone, quem *anthraca* vocant. hinc *fuscae vestes* pullae dicuntur. & *fuscae aves*, ab Apulejo in ii. de Asino Aureo, quae sunt mali ominis: itaque *fusca foemina* subnigri dicitur coloris: Ovid. in Epistola.

- - - Placuit Cepheia Perseo
Andromede patriae fusca colore suae.

72. Sed tibi cum vacuas.] Praecipue animadvertendum est ne dum oves tondentur laedatur cutis forfice, nam pustulae proveniunt inde non mediocre pecudibus malum.

Denudabit.] Spoliabit lanam deponendo. Divus Cyprianus ad Rogatianum, *Dominus noster sicut ovis ad victimam ductus est & sicut agnus coram tondente se sine voce sic non aperuit os suum.*

72. Costas vacuas.] Latera sine velleribus: sunt enim costae laterum crates. Vir. in ii. Aeneidos.

- - - Sectaque intexunt abiete costas.

Costae hominibus tantum octonae, suibus denae, cornigeris tredecim, serpentibus sunt triginta, author est Plin. in xi. per quandam similitudinem ita costam latus montium appellare solemus. Persius

Sic costam longe subduximus Apennino.

73. Ciacumspice.] Diligenter adverte.

74. Laesa cutis.] Vulnerata ferro & stricta Cutis dicitur pellis ipsa sensu carens maxime in capite ut inquit Plin. in xi. *cuticulam* per diminutionem appellavit Persius,

- - - *Et assiduo curata cuticula sole.*

Recutiti inde Judaei dicuntur circumcisione imminuti cutis virilis membri quam ob rem Juvenalis

- - - *Recutitaque sabbata palles.*

protulit: intercus aqua inde etiam dicitur morbus aquae sub cute latentis quo perit Neronis pater ut scribit Suetonius.

Acuta forfice] Instrumento ferreo ad tonsuram accommodato. hoc utuntur & sarcinatores ad vener conficiendas: forcipe vero fabri ferrarii ad ferrum calidum detinendum, unde quod his forva i. e. calida detineant *forcipes* dictae, & *formicales* authore Pompejo.

Pustula.] Tuberculus est sub cute nascens inflatione quadam sub qua latet putredo: de generibus pustularum variis caput est apud Cornelium Celsum libro v. Medicinae. ubi putat ipse pustulas maxime vernis temporibus oriri. quaedam enim quae a Graecis *exanthemata* vocantur circa totum corpus quasi ex contactu urticae nascentia. Aliae *helcodes*, phylacion autem paulo durior pustula est subalbida acuta ex qua ipsa quod exprimitur humidum est: pessima est quae epinyctis vocatur colore sublivida vel subnigra vel alba: quae quomodo curentur, apud eundem invenies authorem: nascuntur & pustulae in manibus de quibus Martialis in distiicis.

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

de pustula Plin. lib. xx. Nat. Hist. epynctides ita appellatur ulcus aciem hebetans & in angulo oculi perpetim humor emanans. quidam eodem nomine appellant postulas liventes ac noctibus inquietantes. Scribit Philostratus in I. aquam esse juxta Tyanam Jovi sacram, quae perjuris epota oculos pedesque ac manus invadat pustulis ac vomicis totum corpus inquinans.

75. Texerit] Occultaverit: *tego* enim in praeterito *texi* facit. Priscianus libro decimo, *terminantia praeteritum perfectum secundae & tertiae & quartae coniugationis inveniuntur. Et tunc tantum natura quoque producunt penultimam, ut rego rexi, tego texi, allicio illexi.*

Virus Occultum.] Saniem & putredinem virulentam: purulenta a Plin. dicuntur quae saniem sub cute habent, qui in xx. radicem hibisci ante solis ortum erutam & lana involutam strumis & suppuratis alligari docet.

Sub occulto vulnere.] Nam tegit inflatio vulnus quae nisi rumpatur herbis aut ferro, totum corrodit corpus: scribit Colu. Tuberculis subesse Vermiculum quem ferro quam cautissime circumsecari oportet. ne dum amputatur etiam quod infra est animal vulneremus id enim cum sauciatur venenatam saniem mittit quae repressum vulnus ita insanabile facit ut totus perampotandus sit, quare *virus occultum* intelligere potes vermiculum illum tuberculis inclusum.

76. In miserum.] Sunt qui codices antiqui habeant. *ah miserum*, dolentis interjectione, ut

Ah miseros nautas canibus lacerasse marinis.

77. Sanies.] Corruptus sanguis. Celsus in Quinto. *exitque aut pus aut sanies aut utrumque.*

Corrodet.] Macerabit ac per totum serpet corpus carnem circum rodendo: invenio apud Columellam insanabilem esse morbum *pusulam* quam pastores vocant. id est, sacrum ignem. quae nisi compescatur intra primam pecudem, quae tali malo correpta est universum gregem contagione prosternit, si quidem medicamentorum nec ferri remedia patitur. nam pene ad omnem tactum excandescit, sola tamen ea fomenta non aspernatur lactis caprini. quod infusum tantum valet: talem pecudum *pusulosam* appellat ipse.

76. Fragili rubigine.] Levi crustula super inducta: *Rubigo* dicitur proprie ferugo ferrique aerugo, a colore quem veteres rubrum robum nuncuparunt, sed & in aliis rebus dicimus *rubiginem*, ut in segete & vineis: Plin. lib. xxviii. Natu. Hist. *caeleste frugum vinearumque malum nullo minus noxium est rubigo, frequentissima haec in roscido tractu convallibusque & ac perflatum non habentibus:* a rubigine Robigalia festa dicebantur & sacrificia in honorem Rubiginis deae. & dei facta Robigi, quos colebant ut rubiginem averterent segetum auctore Pompejo, unde Ovidius.

Flamen in antiquum lucum Rubiginis ibat:

Hic *Rubigo*, pro crustula cuti superinducta accipitur.

77. Ossa putrida.] Quae putrescunt ex sanie superinducta. Scribit Plin. in xv. *hyphear*, hoc est, viscum *ad saginanda pecora utile esse. nam vitia primo purgat, dein ea pinguefacit quae suffecere purgationi.* Negatque quibus sit aliqua tabes intus ea durare.

78. Providus hoc moneo.] Vel ego propter aetatem providus haec tibi trado documenta, vel hoc moneo, ut tu providus tecum feras sulphura viventia: Monet Colu ut quando detonsa ovis fuerit tali ungatur medicamine: *Succus excocti lupini veterisque vini faex & amurca pari mensura misceantur, eoque liquamine tonsa ovis imbuatur. atque ubique per triduum delibuto tergore media sudabunt. quarto die, si est vicinia maris, ad littus deducta mergitur. Si minus est, caelestis aqua sub dio salibus in hunc usum durata paulum decoquatur, eaque grex perluatur.* Hoc modo curatum pecus toto anno scabiem fieri non posse Celsus affirmat: Idem sulphura viva cum argento docet misceri ad medicinam pustularum sicuti Matu: de sulphure Plin. libro xxxv. *Maxime natura mira est sulphuris quo plurima domantur, nascitur in insulis Aeoliis inter Siciliam & Italiam quas ardere diximus, sed nobilissimum in Melo insula. in Italia quoque invenitur in Neapolitano Campanoque agro collibus qui vocantur Leucogaei. Sed cum ejus sint genera quatuor hoc de vivo sulphure intelligendum. quod Graeci apyron vocant. nascitur hoc globosum, solidum, & eo solo ex omnibus generibus medici utuntur: caetera enim liquore constant & conficiuntur oleo incocta: vivum autem effoditur translucetque & viret.* sulphur maxime purgat unde est apud Jure.

Sulphura cum taedis.

Comminatur dominus Deus in Apocalypsi, si quis adorat bestiam & imaginem ejus, accipiet notam in fronte sua, & in manu. bibet & ipse de vino irae dei, mixto in poculo irae ejus. & punietur igne & sulphure sub oculis sanctorum angelorum & sub oculis agni.

71. Scyl-

79. Scyllae caput.] Genus herbae haec: ita tradit quoque Maro in III. Geor. documenta.

Aut tensum tersis centingunt corpus amurca
Et spumas miscent argenti & sulphura viva,
Idaeasque pices & pin ues unguine ceras,
Scyllamque helleboresque graves nigrumque bitumen.

De Scylla Pli. lib xx. *Scyllarum in medicina est quae masculina. forminae nigrae. Scylla quae candidissima fuerit, erit utilissima. Pythagoras scyllam in limine quoque suspensam maiorum medicamentorum introitum pellere tradit: caeterum bulbi ex aceto & sulphure vulneribus in facie medentur, per se verò tritis nervorum contractionem & ex vino porrigines tolitt. Succum cum melle cannum morsibus ut Erasistrato placet cum pice.*

Caput scyllae.] Expone bulbos.

Bitumina intacta.] Bitumen ex fulmine creari tradit servius in enarratione ejus Virgiliant.

- - - Et fragiles incende bitumine lauros.

Ex quo juxta Babylonam, quia frequentia cadunt fulmins, abundare. haecque ex se lacuni ita scatere, ut ex bitumine fabricasse muros Semiramis dicatur: bitumen alibi limius, alibi terra est. ut tradit Plinius in xxxv Naturalis Historiae, vis bituminis eadem quae sulphuris, sistit, discutit, attrahit, glutinat, serpentesque fugat accensum. Sunt qui naphthen bituminis generi adscribant quae in Astragenis Parthiae profluit, bituminis liquidi modo huic magna est ignium cognatio transiliuntque protinus in eam undecumque visam: ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta, quam intelligit Ovidius ita scribens in Ibin.

Ut nova Phasiaca compressa est nupta corona,
Utque pater nuptae cumque parente domus:

Plutarchus in Alexandro scribit naphtham esse bitumini perquam similem tamtamque igais habere cognationem ut priusquam flammam attingat peripium luminis splendorem medium perfaepe aerem incendat.

Intacta.] Nova & nulli prius rei accommodata.

80. Brutia.] Picem intelligit. Nam, ut inquit Plinius libro vigesimoquarto, spissarum utilissima medicinae est Brutia, quoniam pinguissima & resinosissima est. picis natura eodem authore excalfacit, explet. adversatur privatim cerastae morsibus cum polenta, item anginae cum melle, Sic & ulcera purgat, quae vero serpunt, cum pineo cortice aut sulphure.

Hulceribus.] Est hulcus proprie tecta & clausa malignitas: vulnus vero hians & patens author est Marcellus. Persius,

- - - Tenero latet hulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeja radere beta.

81. Liquido picis unguine.] Legendum est ex antiquis codicibus.

- - - Liquido simul unguine terga memento

Cui lectioni sufficit verbum *linas.*

Unguine.] Medicamento: Sic Virgilius.

- - - Pinguem unguine ceras:

Fit autem hoc pacto succus excocti lupini veterisque vini faex & amurca pari mensura miscentur, eoque liquamine tonsa ovis imbuitur.

82. Rasa.] Detonsa, & hoc est remedium contra scabiem & laesum vepribus corpus.

Vive argenti.] Quod melle commixtum maxime etiam prodest: Scribit Cornelius Celsus in quinto, hulcera ex pustulis facta etiam tolli spuma argenti cum semine foeni Graeci mixta. sic ut his invicem sola atque intubi succus adjiciatur, donec mellis crassitudo fiat: quare dixit Poeta in Georgicis.

Et spumas miscent argenti.

De argento vivo Plinius libro xxxiii. *est & lapis in hic venis cujus vomica liquoris aeterni argentum vivum appellatur, venenum omnium rerum est. exedit ac perrumpit vasa permeans tabe dira. omnia ei innatant praeter aurum, id unum ad se trahit, ideo & optime purgat. caeteras ejus sordes expuens crebro jactatu fictilibus in vasis ita vitiis abjectis e lethale* inde appellatur quod tanquam venenum sit praesentaneum. Ausonius.

Miscuit argento lethalia pondera vivo
Cogeret ut celerem vis geminata necem.

Ponderat.] Libram.

83. Lentum bitumen.] Liquidum. Sicut est Zacynthium & quod a Babylone invehitur. liquidum est quoque Apolloniaticum, pingue vero & liquoris oleacei in Sicilia gignitur, quo incolae utuntur ad lucernarum lumina olei modo. author est Plinius libro xxxv. Nat. Hist.

Aheno vase.] i. e. Aereo. in his lavabantur carnes heroicis temporibus cum adhuc non elixarentur Vir. in I. Aeneidos.

Littore ahena locant alii flammasque ministrant.

84. Impressorus.] Notaturus & inscripturus.

Tua nomina.] Vel signum familiae vel nomen tuom proprium. ita nos notare equos solemus calido ferro hoc est cauterio ferramento ignito quod vi caustica praepollet. unde dictum est Hieronymo (quoniam & ad sananda hulcera adhibetur & putridas carnes) *putridae carnes ferro curantur & cauterio:* Scribit Plutarchus in Nicia, Athenienses pro servis venditos, quibus equi character in fronte inurebant. quod signum servituris atque argumentum esse volebant: his itaque indiciis ut pecus suum agnoscat Canthus, praecipit Mycon, ut inurat sua nomina ovibus. ne si surreptae fuerint, aut commixtae cum aliis, eo quod nullum habeat indicium suarum, gregem amittat: ita esse faciendum censuit Columella oblivioso poculatori, ut pice liquida eandem notam scrofae & porcis innotaret sive per litteras sive per alias formas unumquemque foetum cum matre distingueret, nam in majore numero diversis notis opus esse existimavit ne confundatur memoria pastoris: hic vero praecipit Calpurnius ne alius vendicet tibi oves nulla inscriptas nota: de hac notandi consuetudine intelligit poeta cum inquit in III. Geor.

- - - Post partum cura in vitulos traducitur omnis
Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Nam tibi lites.] Sensus est. si nullo signo notatae fuerint pecudes cognoscantur tuo insigni: cum abductas invenies in alieno ovili magnum tibi erit cum posset-

possessore certamen, nam indicio nullo indubitato eas asserere in possessionem tuam poteris.

85. LECTUS POSSESSOR.] In cujus stabulo pecudes tuas invenies.

IN ARVO] Legendum est *ovili*, ex antiquo & sincero codice.

INGENTEIS LITES.] Pro *ingentes*, accusativus est Graecus: *lis* autem a contentione *limitis* ipsius nomen assumpsisse dicitus, unde cecinit Poeta.

Limes erat positus litem ut discerneret agri.

Hinc *litigium* & res *litigiosa*. & *litis contestatio* apud jureconsultos, quorum verba, quae secus scripta fuerant ad lites meras deduxerunt veluti non ad decidendas sed committendas lites hominibus concessa fuerint. *Possessor* potes & ita exponere (quod minus probo, Nomen possessoris ovile inscriptum, hoc est civis domum possidentis in qua habitabis, poterit tibi inferre lites ni provide caveas *possessor* autem dicitur a *possidendo*, qui habeat bonorum possessionem quam et dat praetor, & tunc loco heredum constituuntur & vocantur bonorum possessores ut notatur in institutionibus, titulo de bonorum possessione. §. quos autem. Virgilius in Bucolicis.

- - - Quod nunquam veriti sumus ut possessor agelli
Diceret: haec mea sunt: veteres migrate coloni.

86. TUNC ETIAM SICCUS AGER.] Non tantum debet pastoris cura versari circa ea quae ad pabulum spectant & potum. Sed ut avertat ovium pestem quae praesentanea est serpentium delitescentium in septis: & ut praecipit Columella, *non solum coeno aut stercore purganda sunt stabula*, *sed* exitiosis quoque serpentibus tecta liberanda. quod ut fiat his versibus docet Maro,

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros:

Quoniam ut ipse inquit,

Saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu
Vipera delituit caelumque exterrita fugit.
Aut tecto assuetus coluber succedere & umbrae.

SICCUS AGER.] Siticulosus & desiccatus: *Ager dictus est in quam terram quid agebant, & unde quidem agerant aliquid fructus causa, id Graeci dicunt ἀγρὸν, vel ager quod agi poterat*, auctor Varro in primo de Lingua Latina.

FERVIDA TELLUS.] Solis accensa fervore. Virgilius in quarto Georgicon.

- - - Cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.

87. PALUS RIMOSA.] Contrahens rimas, hoc est fissuras. Unde *rimosus* ager. & *rimari* inde est verbum quod significat diligenter & quasi per rimas quaerere. Marcellus *Rimari dicitur scrutari, quaerere*, Virgilius in XI.

- - - Et partes rimatur apertas.

Idem in Septimo.

- - - Quodcunque repertum
Rimanti telum ira facit.

MULTO LIMO.] Demonstrat majorem solis ferventiam, nam quo plus est limosa palus hoc vi solis majore opus est ut siccetur: *limus* dicitur caenulenta terra & madefacta: Virgilius in Pharmaceutria.

Limus ut hic durescit & haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni, Sic nostro Daphnis amore:

A *limo limosum* locum dicimus multo conspersum limo. Virgilius in Bucolicis.

Limosoque palus obducat pascua junco.

88. NIMIUS SOL.] Calore nimio potens.

PULVERAT] Vel in pulverem seducit & ad nihilum, exurendo. vel propter aestatem pulveream: Scribit Gellius libro decimonono Noctium Atticarum, *pulverer* apud Plau. dici non quod pulvere impleat, sed quod ipsum pulveris plenum sit. verba Plautina sunt haec.

Exitu Dave, age sparge. mundum esse hoc vestibulum volo.
Venus ventura est nostra, nolo hoc pulveret.

89. GALBANA.] Galbanum arbor est multis apta medicaminibus (ut inquit Servius) de qua Plinius libro XIII. Naturalis Historiae. *Dat & galbanum Syria in eodem Amano monte e ferula quam ejusdem nominis resinae modo stagonitim appellant, quod maxime laudant cartilaginosum, purum ad similitudinem hammoniaci minimeque lignosum, sic quoque adulteratur faba aut sagapeno: Sincerum si uratur fugat nidore serpentes:* Idem in XIV. docet ultra hoc: remedio esse ad tussim veterem, suspiriosa, rupta, convulsa, imponique ischiadicis, lateris doloribus, panis, furunculis, corporique ossibus *recedentis*. ita enim legendum est non *accedentis* apud Plinium, carnibus ab ossibus distractis.

LURIDA.] Luridum colorem habentia. Siquidem *Luridus* extra modum pallidus dicitur authore Pompejo.

SEPTIS.] Sunt septa loca in quibus sepiuntur greges includunturque: Scribit Servius in Bucolicis, *septa* loca dici in Campo Martio inclusa tabulatis in quibus populus Romanus fert suffragia & quia sunt similia ovilibus duo haec invicem poni, ut septa pro ovilibus dicantur. ut apud Virgilium.

Quamvis multa meis exiret victima septis.

Et ovilia pro septis, ut apud Lucanum.

- - - Et miserae maculavit ovilia Romae.

id est Septa. Haec tamen Servii authoritas validissimis argumentis hodie refellitur.

90 LUSTRARE.] Purgare & circumquirere ne alicubi nocens lateat vipera.

MAPALIA.] Casae sunt Punicae. in quibus quia nihil est secreti solet id vocabulum solute viventibus objici authore Pompejo. & ut plerumque pro domibus pastoralibus accipiuntur, Lucanus. libro secundo Pharsaliae:

- - - Vacuisque mapalibus actus
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthae:

Silius in secundo.

Ipsa autem gregibus per longa mapalia lectos
Ante aciem ostentabat equos:

Virgilius in III. Georgicon.

- - - Et raris habitata mapalia tectis.

CER-

CERVINO FUMO.] Adusto cervi cornu, Plinius in octavo Naturalis Historiae, de cervis & his cum serpente pugna. *Investigant cavernas nariumque spiritu extrahunt renitentes, ideo singulare abigendis serpentibus odor adusto cornu cervino.* Idem praecipuum esse remedium contra morsus serpentium putet hinuli coagulum hoc est parvi cervi in utero occisi: Columella libro octavo *vel ne illud cum periculo facere necesse sit, muliebres capillos aut cervina saepius uro cornua, quorum odor maxime non patitur stabulis praedictam pestem consistere:* Sed & adipe hienae accenso fugari tradit Plinius serpentes in xxviii. & in xxiv. Cedri scobe: plistolochiam idem supra focum suspensam in xxv. e domibus fugare tradit: & ebuli etiam fumum: Et in xxvii Amphepotin ustam nidore amovere serpentes scribit.

91. OBFUIT.] Praeteritum est pro praesenti: seu exponas ita, est factum experimentum.

ANGUIFERUS MALIS.] Ad imitationem Virgilianam qui malam tactu viperam appellavit. *Anguis*, sunt qui anguem minime venenatum esse putent. nisi dum luna instigatur hunceque ex hominis spina procreari existiment. unde dictum sit ab Ovidio in xv. Meta.

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Ab *angue* *Anguitenens* dicitur a' nostris, qui Graece Ophiuchus supra Scorpionem constitutus tenens manibus anguem medium corpus eius implicantem, cujus rei historiam videto apud Hyginum in secundo de signorum coelestium historiis: hoc in loco recenserem varia serpentium genera ni scirem vel apud Lucanum libro nono Pharsaliae omnia fere inveniri posse cum vi & eorum natura nomina.

92. SERPENTUM CECINISSE MINAS.] Cum scilicet instraveris mapalia: est & hoc documentum Virgilianum contra serpentes:

- - - Cape saxa manu cape robora pastor
Tollentemque minas & sibila colla tumentem
Dejice.

Mirabile est quarundam gentium adeo vim praepollere contra serpentes ut vel solo tactu sopiant eas & sibi placidas reddant: scribit Plinius Marsos Italiae populos a Marso Circes filio ortundos, non solum illaesos a serpentibus esse sed serpentium ipsos domitores qui incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. hacque eadem vi praeditos fuisse Psyllos quos vocamus compertum est ut author est Gellius libro decimosexto Noctium Atticarum: hodie qui ex domo divi Pauli fuere aediti hoc gloriantur insigni, quorum ferunt ex sui natura notatum esse tergus serpente.

MINAS.] Venenatas inflationes ac erectiones.

STRINGERE.] Percutere hic ut apud Virgilium in x. Aenei.

Atque animum patriae strinxit pietatis imago.

DENTES UNCOS.] Incurvatos & retortos.

93. DEBILIS.] Odore cervini cornus debilitata & enervata. inde est *debilitare* verbum, quod significat debilem reddere. & *debiliter* adverbium: *Debilo* auctore Marcello antique dicebatur pro *debilis*. Ennius libro octavo *debilo homo.*

INANI ORE.] Inutili ad offendendum, siquidem & Inanes vires dicuntur quae exerceri non possunt.

94 MARCET.] Fit lassa & putrescit: *Marcor* enim putredo appellatur, & *Marcidus* dicitur putridus. *Marcentes vulvas* appellavit Persius Satyra quarta nates putridas nimio concubitu his versibus.

Est prope te ignotus cubito qui tangat: & acre
Despuat in mores penemque arcanaque lumbi
Runcantem: populo marcentes pandere vulvas:

Apuleius in Tertio de Asino Aureo *Marcidos oculos nimia ebrietas libidine* Unde & Liber *marcidus* vino marcens dicitur a poëtis. Statius

Marcidus edomito bellum referebat ab Hemo

Liber.

EXARMATA.] Quoniam pro armis sunt viperae venena. *exarmare* est armis aliquem spoliare, unde per Metaphoram exarmari dicitur vipera quoties illi detrahitur virus ne possit nocere. sic Silius in primo.

Nec non serpentes dire exarmare veneno
Doctus Atir, tactuque graves sopire chelydros.

OBTUSO VENENO.] Hebetato & refracto: persistit autem in metaphora. nam ferrum obtusum appellamus retunsum & sine acie: Itaque ingenium tardum & minime aculeatum *obtusum*, id est crudele dicimus, Virgilius in primo Aeneidos.

Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.

95 TUNC AGE.] Superius docuit quae per aestatem facienda essent, nunc quae cum hyems sit proxima curanda sint.

CIRCUMSPICE.] Cum diligentia inspice estque ordo: cum peregeris quae superius diximus, Tunc circumspice qua ratione geras tempora brumae vicinae, hoc est hyemis advenientis: de bruma satis superius.

96. APERIT CUM VINEA SAEPES.] Tempus autumnale describit cum vindemia fervet aperiunturque saepes prius occlusae, ut sit aditus vinitori uvas ferenti domum: vel cursui admoto. *Saepes* a *sepiendo* dictae, unde *saepire* verbum, quod auctore Marcello significat tenere & impedire, unde & circumseptum dicitur. Afranius: *peris, lachrymae linguam saepiunt.*

APERIT] Relaxat, recidendo ad expeditiorem viam.

VINITOR.] Cultor vineae. Virg.

Jam canit extremos effoetus vinitor antes.

Plin. *& culpa vinitorum colentium eum praestringuntur:* *Vindemiator* dicitur quod vinum legit vel quod de vite id demit, auctore Varrone in primo de Lingua Latina.

SECURUS.] Nihil deinceps vindemiae timens factae: nam ancipiti semper detinentur animo, ne aut hymbres aut grandines uvis noceant dum pendent, vinitores.

UVAS LECTAS.] Id est collectas: acervum enim faciunt uvarum quas collegerint, deinde calcatas in vascula portant, quae ita bobus domum trahuntur plena.

98. INCIDE FALCE NEMUS.] Ita nostro in agro co-

coloni observant ut primo autumnali tempore fasciculos recisos ex arbore commodiore antequam excidant folia reponant hyemi. aluntur commodissime greges (ut inquit Colum.) repositis ulmeis vel fraxino frondibus vel autumnali foeno.

VIVAS FRONDES.] Expone virentes nam dum siccae sunt & humore carentes extinctae videntur.

FALCE.] Falces a farre littera immutata dictae sunt ut est auctor M. Varro in primo de Lingua Latina. & sunt falces instrumenta villica & amputationibus apta recurvaque unde falcones dicti quorum digiti pollices in pedibus intro sunt incurvati a falcis similitudine, auctore Pompejo. sunt autem falcium multa genera. sirpiculae enim falces a sirpando vocatae sunt: lumariae quibus lomecta secant eum in agnis serpunt spinae. quas quod a terra agricolae solvunt id est luunt lumecta: sunt & faenariae & adoreae de quibus fit mentio a Varrone in libro praedicto.

99. STRINGERE.] Rarefacere & excidere. Virgil. in Buc.

- - - Hic ubi densas
Agricolae stringunt frondes

Et in Tertio Georgicon,

- - - *Tunc stringe comas tunc brachia tonde.*

Plin. *ulmum vite dotatam habet & hujus veterinorum pabulo versa folia stringes.* *Stringes* autem deputas. significat autem leviter ferire ut superius exposuimus, hoc est ramusculos tantum & comas arborum amputare.

SUMMATIM.] Ex summa parte excerpens & leniter: alias summatim breviter dicitur.

100. SERVARE COMAS.] Declarat quod dixit summatim : *comae* enim arborum sunt frondes quae illis vicem exhibent capillaturae.

SERVARE.] Condere ut presto sint cum opus fuerit.

101. NON EXCUTIT.] Non discutit & dissipat.

AFRICUS.] Ventus ab occasu brumali spirans quem Graeci *liba* nominant (ut scribit Plinius in secundo) flatque adversus aquilonem ut testatur Gellius, hoc autem spirante vento arborum frondes prosternuntur.

TREMULAS UMBRAS.] Id est frondes quibus umbra conficitur. itaque saepe arbores pro umbris est invenire.

AST UBI CONVENIAT.] Sensus est : debes haec servare, ut quando opus erit eas domi clausas retinare possis, inde promere: ordinato vero sic : tum debes servare comas dum humor permanet, & dum Africus nondum frondes excutit. *ubi* vero *conveniet* repetendum est verbum debes promere a tepidis foenilibus.

102. TEPIDIS FOENILIBUS.] Hoc est cumulis foeno constructis. siquidem foenilia dicuntur ex foeno constructi acervi. Plinius libro decimo octavo naturalis historiae: utilissimum simul & herbae arare : deinde crati referere florem ex foenilibus atque praesepibus foeno dilapsum spargere priusquam crataniur. hoc est erate subdomentur : Virgilius in tertio Georgicon.

- - - *Nec tota claudet foenilia bruma :*

Foenisicia appellantur secandi tempora : & *foenisecae* qui foenum secant: Persius.

Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes :

Sed ut simul intelligas quo sint foeno alendae pecudes hyeme, Scias ex authoritate Columellae eas foeno chordo cibari id est serotino & autumnali : Siquidem chordum foenum serotinum appellamus ut chordas agnos autumnali tempore natos & serotino : Plinius libro decimo octavo: rutius rigari secta oportet ut secetur autumnale foenum quod vocant chordum : verba Columellae subscripsi ne semper ad authorem lectores remittantur : *Singula capita per hyemem recte pascuntur ad praesepia trebus hordei vel fresae cum suis valvulis. fabae aut cicerculae quattuor sextariis aut aridam frondem praebeat aut siccam vel viridem medicam cythisumve, tum etiam chordi foeni septena pondo aut leguminum paleas affatim.*

OLIM.] In futurum, ut apud Virgilium.

Hunc tu olim coelo.

103. EXTREMUS ANNUS.] Extrema pars anni quae apud nos est decembri mense, cum duodecimus apud antiquos esset februarius, ut author est Marcus Varro libro secundo de Lingua. imo eo mense terminalia festa celebrabantur quod is dies extremus esset anni. & haec solemnia erant de quibus fit mentio ab Ovidio libro ita Fastorum secundo :

Spargitur & caeso communis terminus agno,
Nec queritur lactans cum sibi porca datur.
Conveniunt celebrantque dapes vicinia supplex
Et cantant laudes Termine sancte tuas.

104. NITENDUM] Laborandum : *niti* (ut notat Marcellus) est conari sub onere: Virgilius in tertio Georgicon,

Post valido nitens sub pondere faginus axis
Increpat.

Cicero Tusculanarum libro quarto, *tum illud quod Sysiphus versat saxum sudans nitendo neque proficit hilum.* Alias *niti* est incumbere, ut apud Virgilium in sexto Aeneidos.

Ille vides pura juvenis qui nititur hasta.

LABOR.] Hoc in tempore noster vel cum advenit hyems in praeparatione cibi hyemalis. vel tunc est noster labor cum instat hyems ut frondes & viridantia quaedam gregibus praebeantur.

105. GNAVA SEDULITAS.] Diligentia impigra : *Sedulus* enim dicitur diligens, ut etiam superius docuimus. & *sedulitas* diligentia Cicero ad Lentulum. *cum sentiam sedulitate mihimet ipsi satisfacere non possum :* *Gnavum* autem appellamus strenuum & impigrum. Cicero in quinto Verrinarum, *permulti locupletes homines magni & graves aratores agros lates ac fertiles desererent :* Virtus dicitur ut *viri vis a virilitate, & est virtus affectio animi constans conveniensque laudabiles efficiens eos in quibus est ipsa per se, sua sponte separata etiam utilitate laudabilis*, ut inquit Cicero libro quarto Tusculanarum Quaestionum. Ita definitur ab Aristotele, *virtus est habitus electivus in mediocritate consistens :* Virtus in omnibus rebus industria appellatur. unde & virtus pastoria dici potest cura & dili-

gentia circa oves & capras. quae res illis virtus est maxima.

106. Nec pigeat.] Pudet & piget hoc distant. pudet enim verecundiae est. piget poenitentiae. Plautus in Pseudulo.

Nimis id quod pudet facilius fertur quam illud quod piget.
Non dedisse istum pudet me, quia non accepi piget.

Salustius in Jugurtha, *nam postea quae fecerit, incertum habeo pudeat an pigeat magis disserere.*

Ramos recentes.] Noviter incisos & viridantes.

Siccis.] Scilicet ramis & foliis.

108. Adhibere.] Adjungere.

Succos novos.] Viridantia folia.

Neu torrida hiemis.] Sensus est: Sed noli tunc arborum ramos flectere ut inde frondes demetas, ne postea noceat arboribus hyems, quam maxime feriunt stricti & tunc vulnerati.

Torrida hyems.] Id est adurens. nam frigus nimium ut immoderatus calor adurit. unde dixit Maro in primo Georgicon.

- - - Penetrabile frigus adurit.

108. Instet.] Immineat. ut apud Virgilium in primo Æneid.

- - - Instaret curru cristatus Achilles.

Nivibusque coactis.] Vel durantibus: nam quaedam sunt nives quae ut terram contingunt dissipantur & in liquorem rediguntur: vel *coactis*. i. e. congelatis.

109. Incurvare.] Inflectere, tunc etenim ramusculi rigiditate hyemis praedurati saepius franguntur quam inclinari possint.

Nemus.] Arbores quarum folia sunt pecudibus grata: objiciet fortasse quispiam, quomodo inveniet tunc pastor frondiferum nemus instante hyeme cum autumnale tempus arboribus folia decutiat. At Plinius libro xvi. Naturalis Histo. docet, quae arbores non amittant folia. ex quibus sunt oleae, lauri, palmae, myrthi, cupressus, pini, hederae & rhododendron: Silvestrium Abies, larix, pinaster, Juniperus, cedrus, terebinthus, buxus, ilex, aquifolium, Suber, Taxus, & tamarix: cum praetereundum non sit tantam esse locorum vim, ut circa Memphim Aegypti & in Elephantine Thebaidis nulli arbori decidant folia. ne vitibus quidem ut idem auctor est: Jubet Cato decidua a populo quernaque folia animalibus dari non perarida. Dantur namque boxus ficulnea ilignaque, & hederacea atque ex arundine & lauro.

Constringere.] Vexare & excerpere.

Nemus.] Aliqui sunt codices qui *vimen* habeant.

110. Tu tamen aut.] Haec sunt quas frondes speciis misceri jubet.

Laeves hederas.] Id est expolitas & lubricas. ita inferius.

- - - Laevique decentior ovo.

De hedera superius diximus, quod si plurima requiris legito Plinium libro xvi. Nat. Hist. ne tamen quae ad declarationem faciunt fugere videamur, scito in plura genera hederam dividi. & tria maxime insignia. ex quibus una est herbacea ac virens quae plurima est. altera candido folio. Tertia versicolor. quae Thracia vocatur: herbaceae tenniora sunt folia in ordinem digesta densioraque, de qua intelligere Calpurnium existimo. quoniam quo tenuior est hoc pecori gratior. adolescit autem haec maxime in longitudinem, herbacea, ut tradit Plinius.

Salictum.] Virgulti genus est dictum quod salit surgitque cito (ut auctor est Servius) Virgilius in Bucolicis.

Hybleis apibus florem depasta salicti.

111. Premes.] Includes hic. alias *premere* significat calcare & sub pedibus habere. Papinius in primo Silvarum.

Tuque inimica ferae volucer Tegeaeus honore
Terga premas.

Unde *pressus anguis* pedibus calcatus dicitur. Juvenalis

- - - Ut nudis pressit qui calcibus anguem.

112. Valle uberiora.] Ubi plus habent succi & virgulta & folia.

Sitis.] Δίψα a Graecis dicitur sitis, Διψάω sitio, unde *dipsades* serpentes, siti quod hominem interimant, dictae. Lucanus in Nono Pharsaliae.

Non sentit fatique genus mortemque veneni,
Sed putat esse sitim.

Cum de dipsade loqueretur.

Pensanda.] Recompensanda.

Cibo viridante: hoc est succoso & herbaceo.

112. Nihil aridus illis.] Ordo est: nihil profit aridus acervus illis quamvis sit positus ingenti strue, si desint virgea turgentia liquido succo & si desint virgea quibus inest aliquid vitale plenae medullae.

Acervus aridus] Cumulus foliorum maximus: acervus enim dicitur cumulus. onde *acervare*, quod significat accumulare, & *acervatim* adverbium.

113. Ingenti strue] Magno apparatu, *strues* dicitur lignorum coacervatio a *struendo* hoc est cumulando. nam antiqui *struere* dicebant pro augere, unde *industria*. author est Pompejus.

114. Si desint virgea.] Hoc est virgulta & ex virgarum genere teneriuscula. *Virgeum* enim deductum est a *virga*, quam a *vi* dictam putant, quod vim gerat ligando, & inde *virgulatam vestem* nuncupari quibusdam, quasi distinctam virgis.

Liquido succo.] Humore praetenui: virgultum enim a viridi id est a vi quadam humoris, quae si exaruit moritur dictum est. author est Varro libro primo de Lingua Latina.

115. Vitale aliquid] Vita in arboribus est humor & succus quo deficiente statim moriuntur, quippe & his animam inesse volunt: quam vegetativam recentiores philosophi nuncupaverunt, quae alit deficiensque interimit. animantiaque appellari ista existimat Seneca in octavo Epistolarum, non animalia. Plinius libro xii. Naturalis Historiae de arboribus. *Restant ne-*

que ipsa anima carentia quandoquidem nihil sine ea vivit terra edita : Cicero libro primo Tusculanarum Quaestionum, *nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen inane : Fenestraque & animalia & animantes appellant.* ubi per *animantia* intellige arbores : quarum animam vegetativam id est aleorem esse diximus.

PLENAE MEDULLAS.] Humoris in medio consistentia. *medulla* dicta quod in ossibus media sit. unde *medullitus* adverbium, quod significat intrinsecus & intra medullas. Varro, Cras credo hodie nihil. *atque ut igni fervido medullitus aquilonium intus servat frigedinem :* Plautus in Truculento,

Ostendisse scitam mihi medullitus infidelem nunquam
dum viv m fore.

Ennius Satyrarum libro tertio.

- - - Enni Poeta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus.

116. PRAECIPUE OSLIOUM.] Ultimum documentum quod apud Virgilium inspitiouis docetur.

- - - Dum mox frondosa reducitur aestas :
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida laedat
Molle pecus, scabiemque ferat turpesque podagras.

Monet itaque Columella, ut semper aridissimis filicibus constrata sint stabula vel culmis, quo putius & mollius supercubent foetae. & ne quis subsistat humor.

117 STERNE] Sparge : *sternere* autem proprie significat in terram extendere. inde *stratum* dicimus in terra extensum, ut apud Virg. in Bucolicis

Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma.

Sternax equus dicitur qui in terram dejicit : a *sterno* etiam *stragem* dictam esse putaverunt i. e. cladem & occidionem hominum.

RIGOR.] Frigoris rigiditas. *Rigidum* enim frigidum dicimus authore Marcello. Vir. in Geor.

Tellurem borea rigidam spirante moveri.

URAT.] Adurat : nam

Turpis oves tentat scabies ubi frigidus hymber
Altius ad vivum persedit, & horrida cano
Bruma gelu.

PENETRABILE CORPUS.] Quod faciliter penetrari potest, etenim (ut superius ex authoritate Columellae docuimus) impatientissimum frigoris est pecudum genus.

118. VASTET.] Corrodat invadendo subsiliendoque in omne pecudum vulgus : *vastare* enim hic significat inquinare & contagio scabiosas reddere sive horrentes & hispidas. *vastum* enim asperum & horrens dicitur Vir. in I. Aene.

- - - Hic vasto rex Aeolus antro.

Notum est autem contagione quam maxime pecudum vexari genus. uno docuit Vir,

- - - Continuo culpam ferro compesce priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Docetque Columella in lacinias, hoc est disgregatas dividendas esse colonis, quoniam particulatim facilius quam universus grex convalescit.

INTERNO MORBO.] Latenti & tecto.

119. PLURA QUIDEM.] Honesta digressus occasio die jam fugiente.

120. SERA DIES.] Ad occasum sol vergens.

FRIGIDUS NOCTIFER.] Vesper noctis praenuncius eo quod noctem ferat, est enim vesper stella ferens noctem quae ita ab occasu refulgens vocatur ut prorogans lucem : vicemque lunae reddens. cum ante matutinum exoriens luciferi nomen accipiat : author est Plinius in secundo. frigidus ab effectu, est enim nox frigida & humida. Virgilius in Pharmaceutria.

Frigida vix caelo noctis decesserat umbra.

IN

IN ECLOGAM VI.

Verſu 1. SERUS ADES.] Inducuntur Aſtilus & Lycidas concertantes judexque Mnaſillus. Aſtilus enim Alconis amator, formoſi quidem pueri, ſed cantu invalidi, advenienti Lycidae Nyctili partes ſuſcipienti, narrat, certamen inter eos habitum pueros. & quemadmodum ſe judice vicerit Alcon, & pignora abſtulerit, cui reclamans Lycidas cum provocat ad cantilenam Aſtilum judice Mnaſillo. Sed cum futere potius quam eos certare judex animadvertit, abit inaudita certione. itaque abeunte judice finem habet & certamen & Aegloga.

SERUS ADES.] Aſtilus advenientem Lycidam excipiens hilaribundus ait eum ſero adventare poſt certamen Alconis & Nyctili puerorum, qui paulo ante a cantilena deſierant: poſſet haec aegloga ad moralitatem deduci. Nam ut finguntur alter ſcilicet Aſtilus Alconis partem tutari nitidi quidem & formoſi pueri: ſed minus voce valentis: Alter Nyctili barbati & hiſpidi ſed dulciſone canentis: poſſemus intelligere pro formoſitate voluptates, quae cum prae ſe pulchram & decoram faciem ferre videantur, intus turpes lutulentae & inexpetibiles intelliguntur: eomque erumpit vox, hoc eſt infamia: qua nil pejus humano generi contingere poteſt: tunc qualis pater exiſtat: ex Nyctilo vero virtutem colligere poſſumus, quae cum triſti & hirſuta appareat facie, hoc eſt aſperiore & duriore in aditu via: quoniam per praeceps gluria tendit iter: tamen ſolido robore valet: Et quia virtutibus amaritudo permixta eſt. vitia vero voluptate condita ſunt, ut inquit Lactantius: Intus ſerena dulcis mellifluique liquoris & oblectationum plena eſt: hoc eſt quando quiſquam adeptus amplius planiciem viarum & eam penitus hauſit: nam ut animus humanus ad voluptates, corruptelas, caeteraque vitia delabi percepit, nec ejus imperio utimur, *facile his artibus retinetur quibus initio partum eſt imperium*, ut inquit Saluſtius in Catilinario, ideo & voluptates praeſenti virtuti anteponunt. inde dictum eſt a Satyrographo poeta ſcienter XIV. Satyra.

- - - Inde autem cum ſe matura levabit
Progenies, ſtimulante fame feſtinat ad illam
Quam primum praedam rupto guſtaverit ovo,

Sicque contempta virtute pro voluptatibus eſt talia judex, cum proclivis in vicia hominum ſit etiam natura ut inquit Lactantius, ac illis berbam praebeat, ut eſt in proverbio. At qui virtutis eſt concitatus ſtimulis, non aſpera non inquieta ad illam perducentia curat itinera. nec exteriora ſed interiora cupit. avet & rimatur, poſthabitaque voluptate pro virtutibus dimicat.

SERUS.] Dicitur tardus, a ſera, hoc eſt veſpertina hora quae tarde poſt diem advenit.

ADES.] Praeſens es, alias *ades*, pro *adſis* dicitur, ut apud Virgilium.

- - - Huc ades o formoſe puer.

LYCIDA.] Nomen paſtoris a Theocrito & Virgilio celebrati. eſtque hic vocativus ut apud Vir.

O Lycida huc vivi pervenimus, advena noſtri.

MODO.] Nuper paulo ante.

2. ALTERNO CARMINE.] Alternatim dicentes, ut.

Incipe Dameta, tu deinde ſequere Menalcha.

SUB HIS RAMIS.] Dicticos eſt. & ramos pro tota dixit arbore i. e. partem pro toto.

JUDICE ME.] Scilicet Aſtilo, nam quotieſcunque inter ſe certant paſtores judicem adhibere conſueverunt, ex cujus judicio victor laudem feret & victus opprobria. non ſine pignoris amiſſione. ita apud Theocritum Morſon judex poſt certamen judicare inducitur.

Laconem Morſon jubeo reticere: quid? ipſum
Nuncio devictum mea ſit ſententia poſcit.
Do tibi lanigerum pignus certaminis agnum,
Quem nuper docta meruiſti voce Comata.

Sic apud Virg. judex adhibetur Palemon & ſuperius Egloga Thyrſus ſecunda.

NYCTILUS HAEDOS.] Hoc eſt pignus depoſitum ex parte Nyctili: *Nictylus* autem dici poteſt ater & obſcurus ut nox. νυκτέλιος enim Bacchus dicitur, quoniam ejus ſacra nocte celebrantur. νύκτα itaque Graeci *noctem* appellant. inde quidam *nyctinam portam* putaverunt legi debere apud Plau. in Caſſina pro *maevia* quaſi nocturnam, νυκτερὸς dicitur *nocturnus* & νυκτερὶς veſpertilio quia noctu volat, itaque *noctua Nyctimene* & νυκτικόραξ *corvus nocturnus*.

4. JUNCTA MATRE.] Cum capra. & dixit *hedos*, ut foecundum genus eſſe caprae demonſtraret quoniam (ut ſcribit Columella) ſi eſt generoſa proles frequenter duos nonnunquam trigeminos parit. unde Maro in Bucolicis.

Hic inter denſas corylos modo namque gemellos
Spem gregis, ah ſilice in nuda connixa reliquit.

CATULUM DEDIT ILLE LEAENAE.] Scilicet Alcon. *Alcon* dici poteſt ſubſidium & adjutor, hoc eſt in cantu alterno adjuvans. ἀλκὴ enim *ſubſidium* dicitur & *praelium*, *fortitudoque*. ἀλκὼ autem eſt idem quod *adjuvo*. *Leaena* eſt foemina, & leonis conjunx. quae noſcitur quod inſigni juba illa caret qua decorantur mares leones. ſicut & ex pardo & leaena geniti illam non habent: Traditur haec cum pro catulis dimicat, oculos in terram defigere ne venabula expaveſcat: diciturque informes primo minimaſque carnes magnitudine muſtellarum gignere quae ſemeſtres vix ingredi poſſint. nec niſi bimeſtres moveri: Scribit Gellius libro decimo tertio Noctium Atticarum, leaenas inter omnem vitam ſemel ex authoritate Herodoti parere eoque uno partu nunquam edere plures quam unum. exiſtimavit ipſe namque Herodotus, in enitendo cum foetu pariter matricem ejici, cujus hanc rei cauſam adducit, quod cum in matrice manens moritari incipit catulus, motus

ille unguiculis praemunitus fetarum longe omnium acutissimis. matricem discerpit, tum in majus continuo augescens multo magis dilanians prodit. instante vero jam nixu prorsum relinquitur eorum integrum nihil: contra Herodoti tamen opinionem est Homerus, qui catulos leenae pluraliter protulit: existimavitque Aristoteles in sexto de Animalium Historia, delirantem esse fabulam existimantium eam partu vulvam ejici, quod confictum dixit, quoniam rarum est hujus animalis genus: protulit enim ipse, singulis annis parere & magna ex parte geminos, sed quum plurimos, sex catulos, nonnunquam etiam unum.

Catulum.] Ita appellantur dum minimi & parvi sunt. Plinius in octavo Naturalis Historiae, *hoc ergo tradit leaenam primo foetu parere quinque catulos ac per annos singulos uno minus ab uno sterilescere:* idem de pantheris loquens: *foeta erat catulis procul in foveam delapsis:* alias autem est *catulus* genus vinculi qui interdum *canis* appellatur, ut author est Pompejus: ad hunc allusit Plautus in Curculione ita scribens.

Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes
Ferreo, ego dico:

Ita illud Catulli intelligas.

Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Ubi per *ore canis ferreo* intelligit catulum vinculum, quod etsi commentatores aliter sentiant, non nostrum est aliquem taxare. Sed tantum demonstrare locum: ingenue enim quae sentimus profiteri potius est laudis quam opprobrii.

5. Jubaeque genus.] Scilicet esse leonis non pardi, ex quo geniti leopardi vocantur. juravit vero, quoniam catuli etiam leonum dum parvuli adhuc videntur insigni juba carent ut ex pardis geniti, aetate namque contigit e leone conceptis ut author est Pli. in VIII. quare ut pignus nobilius videatur, affirmavit leonis & leaenae esse foetum.

Sustulit.] Abstulit, asportavit, & suscepit: *Sublatum* enim authore Marcello dicimus susceptum. Vir. in VIII. Aene.

- - - Trojaeque labores
Sublatum erudiit

Alias significat remotum, ut apud M. T. de Officiis, *sustulit quae obstare intelligebat.*

Omnia.] Scilicet pignora deposita & est sensus: Alcon rudis hoc est novus cantilenae professor, qui vicerat in cantu Nyctilum, omnia suscepit pignora.

7. Astile crebrius est.] Astilus dici potest anhelus & anxius pro puero. *ἄσθμα* enim anhelitas dicitur & anxietas.

Vincat acanthida cornix.] Quod absonum est: canoram avem vinci strepitu cornicis: cornix avis est per longum vivens temporis spatium, ales inauspicatae garrulitatis. inauspicatissima foetus tempore hoc est post solstitium ut inquit Pli. li. x. Nat. Hist. cornix admota est Minervae templo, quoniam Coronis Coronei filia illa dilecta in avem cornicem conversa est, ut narrat Ovi. in II Met.

Acanthida.] Lusciniam sive carduelem ut exponit Ser. Vir.

Litteraque Alcionem resonant & acanthida dumi.

Joannes Tortelius depravato fortasse codice deceptus existimavit esse legendum *acalantida* manifesto errore: nam *acanthis acanthidos* avis dicitur a spinis quibus oblectatur Pli. in x. & acanthis in spinis vivit. idcirco asinos & ipsa odit flores spinae devorantes. *ἄκανθα* enim spina dicitur. *ἀκάνθινος* spineus: est autem ordo: credere jam possumus quod cornix vincat acanthida, si dirus bubo, ut est Alcon, superat aedona, id est lusciniam. hoc est Nyctilum dulcisonum.

Dirus bubo.] Funestus & ominosus: de quo intelligit Ovi. ita scribens in Epistolis

Et cecinit moestum devia carmen avis.

Virg. in quarto Aene.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri & longas in fletum ducere voces.

Ovi. in xv. Met.

Foedaque fit volucris, venturi nuncia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Pli. libro x. *Bubo funebris, & maxime abominatus publicis praecipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, noctis monstrum nec cantu aliquo vocale sed gemitu. itaque in urbibus aut omnino in luce visus dirum ostentum est.*

Vocalem aedona.] Lusciniam dulce canentem: & *a* corripitur sicut apud omnes scriptores. itaque sinceri codices habent *si dirus aedona bubo*, nam in aliquibus invenitur, *si turpior aedona*, quam lectionem penitus reprobandam censeo. dividitur enim *a*, & apud Virgilium, & Petronium Arbitrum, hinc est quod quidam ex depravato codice in syllaba peccasse Calpurnium proclamarent: quod si recentiore procederent pede non auctori sed corruptori errorem attribuissent: *ἀηδών* autem *ἀηδόνος* (ut rem ipsam declaremus) a Graecis dicitur quae a Latinis luscinia: ita Graece protulit Virgilius de cantu Syrenarum.

Quodque leves calami, quod suavis cantat Aedon,
Quod lyra, quod cytharae, quod moribundus olor.

Hanc tamen dictionem (quoniam in omnibus exemplaribus depravatam invenies) ita restitue: similiterque in Petronio Arbitro: *Testis silvester aedon atque urbana Progne* legendum, non *acidon*, ut in depravatis legebatur codicibus.

8. Te patiar crotale.] Astilus fortis pro Alcone Judex imprecatur sibi durum puellae Crotales imperium, si magis vincitur cantu Alcon quam forma, qua proculdubio Nyctilum superabat: Inferens tantum vinci Nyctilum arte calamorum quantum ab Alcone formositate spectatissimo: Ordo est, o Crotale (nam ad amicam apostrophat, cujus servitium durum perpessus fuerat) dominam te unam patiar, hoc est sub tuo servitio subsistam in perpetuum, si magis Nyctilus arte docili calamorum est illi proximus quam vultu & formositate.

Macerer.] Discrucior, distrahor. nil enim pejus amanti contingere potest severa & dira domina. Virg. in Alexi.

Nonne fuit satius tristis Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia.

Cum crudelissimum puero servitium objiceret operabilius suo. est autem illud verissimum Ovi.

Qualibet extinctos injuria suscitat ignes.
En ego confiteor, non nisi laesus amo.

Est vero *macerare*, animum affligere. unde *Maceries*, quae pro maceratione dicitur: Affranius, *si ille huc nunc jam*

tit facere illi satis vix quanta illius mors sit maceries ti-bi. auctor Marcel. *Maceries* in alio significatu pro pariete sine calce facto accipitur & solis lapidibus constructo.

10 ARTE DOCILI.] Ad docendam facili. *Docilis* dicitur qui faciliter doceri potest. & e contra *indocilis*, qui difficulter; unde dicitur ars docilis calamorum quam cito quis doceri potest.

VULTU.] Formositate. *vultus* est voluntas quae pro motu animi in facie ostenditur: facies oris species, Salustius in Catilinario, *prorsus in facie vultuque vecordia inerat.* Lucilius Saty. lib. I.

Vultus item ut facies, mors citra morbus venenum.

Auc. Marcel. a vultu fit *vultuosus*, quod significat tristem. Cicero de Oratore, *ne quid ineptum sit aut vultuosum.* *Vulta* neutro genere pronnunciavit Lucretius.

- - - Referentes vulta parentum.

11. PROXIMUS.] Secundus vel vicinus. ut superius,

- - - Quem proxima pinus obumbrat.

12. JAM NUNC DECIPIOR.] Lycidas quasi resipiscens ait, se causam intelligere judicii quod pro Alcone fuerat.

DECIPIOR.] Deludor & valde capior. in aliquibus enim *de* auget. ut in *dermane*, *despere*, aliquando etiam vim habet minuendi, ut *deesse*. & apud Statium in III. Thebaidos *detumuere*.

- - - tunc stagna lacusque sonori
Detumuere: tacent exhausti solibus amnes.

TE JUDICE.] Cum judicium incorruptum esse debeat, te judice, qui pro formosiore judicasti, decipior.

PALLIDUS ALTER.] Causa deceptionis.

PALLIDUS.] Buxei coloris. talis est color amantium & literis incumbentium: unde *pallor* in homine dicitur. Persius Saty. prima.

En pallor seniumque, o mores usque adeo ne,
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Pallor etiam pro vetustate & negligentia dicitur, auc. Mar. Luci. in XXX.

- - - Tineae pallor omnia cedunt.

Pallere inde est extenuari & colorem buxeum contrahere. Juve. Saty. VII.

Tunc par ingenio pretium. Tunc utile multis
Pallere. & vinum toto nescire Decembri.

13. VENIT.] Scilicet Nyctilus ad cantilenam. homines namque pallidos virtus efficit cum aditum laboriosum praebeat se petentibus.

SPINOSIOR.] Hirsutior, barba veluti spinis praeacuta.

HISTRICE.] Histrices generat India & Africa spina contectas ac erinaceorum genere. sed Histrici longiores aculei & cum intendit cutem missiles, nos hodie *spinosum porcum* appellamus a spinis illis quibus integitur. author est Plinius in octavo, hybernis mensibus se hi-stricem condere, quae natura multis & ante omnia ursis: de his Solinus, *histrix quoque inde loci frequentissima, erinacei similis, spinis tergum hispida, quas plerumque laxatas jaculatione emittit voluntaria, ut assiduis aculeorum nimbis canes vulneret ingruentes:* *hirsutum* autem appellamus asperum & rigidum. Virgilius in Bucolicis

Hirsutum supercilium prolixaque barba.

Sed jam de hac dictione superius.

14. CANDIDUS ALTER.] Scilicet Alcon. objicitque illi amorem praeposterum, hoc est pueri. Scribit Firmicus, lo secundo, Jovem in humanis signis sic positum ut in nocturna genitura Mars ei vel Venus vel Luna contrario se cursu monstraverint, facere libidinosos & circa amores insana cupiditate praeposteros: facientes ea quae mulieres facere consueverunt.

CANDIDUS.] Colore niveo, quae non minima est portio pulchritudinis. Virgilius in Alexi.

Quamvis ille niger quamvis tu candidus esses.

Ovidius in Epistolis.

Candida si non sum, placuit Cephea Perseo
Andromade.

Candida vestis dicitur alba, unde *candidati* dicti magistratuum petitores, quod vestibus albis procederent. cujus rei causam refert Plutarchus in Problematis, & nos alibi retulimus. Suetonius in Dictatore, *cum L. Domitius consulatus candidatus, palam minaretur, se effecturum quod praetor nequisset, ademptururnque ei exercitus, Crassum Pompejumque in urbem provinciae suae Lucam extractos compulit.*

DECENTIOR] Politior & splendidior.

LAEVI OVO.] Hoc est polito & lubrico. ova quae oblonga sint gratioris saporis putat esse Horatius Flaccus: Aquatilium avium rotunda sunt. reliqua fere fastigio cacuminata exeunt a rotundissima sui parte, dum pariuntur molli putamine, sed protinus durescente, author est Plinius in X. Ova ad expiationem adhibentur, unde dictum ab Ovidio in secundo de Arte Amandi.

Et veniat quae lustret anus, lectumque locumque
Praeferat & tremula sulphur & ova manu.

Laevi ovo cum diphthongo scribitur cum laevigationem significat & expolitionem producitur que. nam cum levitatem notat corripitur ut, *in levior foliis.*

15.] RIDANS OCULIS.] Insignis radiatione oculorum, qui semper risum prae se ferre videntur; sunt enim quorumdam oculi tali insigniti decoramento, ut hylaritate fruantur perpetua. quae non parvi res est in amore momenti, nam

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Ut inquit Propertius. Ideo ipse ita incepit librum suum:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis
Contactum nullis ante cupidinibus.

Sunt quippe oculi animae flores (ut inquit Palaemon) & ut docet Albertus Magnus in primo de animalibus, *verus est oculus animi nuncius.* putat Aristoteles mediocres oculos, hoc est inter magnos & parvos, optimos haberi, non ut quidam existimavere minimos. acie oculorum perspicacissima praeditus fuit Strabo ille, quem superspexisse per XXXV. millia passuum Varro significat, solitumque a Carthagine exeuntem classem Punicam numerumque navium manifestissime e Lilybitana specula notare. author est Soli. & Pli. in VII. Lynceum eodem polluisse visu omnibus est notissimum. unde *lynceos oculos* appellare solemus perspicacis aciei, cui fabulam cernendi fuisse unde tradit Pli. in II. quo ipsi contigit novissimam primamque lunam eadem die vel

nocte in ariete conspicere quod paucis mortalium accidit. oculi ut idem est author Pli. in xi. pars corporis sunt preciosissima & qui lucis usu vitam distinguant a morte. promioentes hebetiores sunt, sicut caprini clarissime cernunt. uni animalium homini depravantur oculi. unde cognomina, *Strabonum* & *Paetorum*. ab iisdem qui altero lumine orbi nascerentur *coclites* vocantur: quis parvi utrinque ocelli *Lucius* injuriae cognomen habuere.

Cr. q. s. a.] i.e. habens crinem auro simillimum: ita Ovidius.

Nuda pedem, croceas irreligata comas.

Vir.

Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.

Talis comae foemina auro similis: auricola dici potest: & Auricomus, auream comam habens.

Q. o. s.] Sensus est, ut omnia breviter constringam, ab omni parte est ipse laudandus puer Apollinique comparandus, dummodo a cantilena se abstineat: nam cum sit stridula dedecoratus voce cognoscitur deo dissimilis, cujus est mellifluus cantus & venustus. unde & deus colitur Poëtarum.

17 O lycida si quis.] Sensus est: si ratio tibi inesset aliqua carminis, posses & tu quem laudavimus probare Alconem, quod cum secus sit, stulte me reprehendis

Usus] Quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi ut inquit Horatius. est enim optimus usus dicendi magister, ut docet Pli. Caecilius in Epistolis.

Adesset.] Inesset, adhaereret.

18. Probare.] Affirmare prohibet laudatum Alcona esse. *laudare* est verbis efferre & extollere. Virgilius in Georgicis.

- - - Laudato ingentia rura
Exiguum colito :

Laudare etiam significat lingua prisca nominare appellareque, & sic in actionibus civilibus *laudari* id dicitur quod est nominatus: auctor est Gellius libro secundo Noctium Atticarum. Plautus in Captivis.

Id ut scias Jovem supremum testem laudo.

i. e. nomino: Inde *illaudatus* dicitur quasi non nominandus & nulla dignus memoria. de qua re luculentum est apud Gellium caput in secundo pro Virgiliana defensione.

19. Vis igitur quoniam] Imitatio Virgiliana sic enim ille in Palaemone.

Vis ergo inter nos quid possit uterque vicissim
Experiamur?

Improbe.] A probitate remote.

Non pares.] Non latas digitum ae sententiae consentis meae: Sed quid si legatur *par es* divise, hoc est nec nobis es in cantu aequalis.

20. Committere.] Ad cantilenam scilicet. *committere* est confligere & decertare, ac manus conserere: Suetonius in Augusto, *spectavit autem studiosissime pugiles & maxime Latinos non legitimos atque ordinarios modo: quos etiam committere cum Graecis solebat:* Lucanus in primo.

- - - Exiguum dominos committit asylum:

Ipse judex] Qui scilicet pro Alcone formositate corruptus pueri judicasti.

21. Conferre manus.] Persistit in metaphora, nam sicuti committere ad pugnam spectat ita conferere vel conferre manum. Virgilius in ix. Aene.

Et conferre manum,

Conferre etiam pro comparare accipitur. M. T. de Officiis libro secundo, *quae conferri cum eorum studiis potest. conserere* vero est miscere, ut apud Virgilium ii. Aeneidos.

Multaque per caecam congressi praelia noctem
Conserimus:

Dicimus autem proprie *conserere manus*, si Latine loqui velimus, *non manum*, quoniam non sola una manus conseritur in multorum commixtione: itaque hic legendum est *manus* non *manum*:

Veniat licet arbiter Alcon.] Quamvis inquit & judicem faciamus Alconem, qui tuis favet partibus, non dubito, quin tu te victum fatere.

22 Vincere tu quenquam.] Hic loquitur Astilus & indignanter exclamat, *vincere tu aliquem* subintelligendum est *audes*: cum sis expers calamorum?

23 Vel te dignetur.] Cer. quis. Id est dignum existimet ut secum certes. est enim illud verissimum Plautinum *inquinarum cum quolibet colluctari andere*, quoniam nullum potest facere dispendium. *Dignari* est aliquem dignum deputare. Virgilius in x. Aene.

Atque idem fugientem haud est dignatus Oronten
Sternere:

Et *dignatus* dicitur dignus habitus. Virgilius in Tertio Aenei.

Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,

Actius in Neoptolemo, *Sed quem mihi jungent cujus tu illo fueris dignabor dare*, auctor est Mar.

Qui vix stillantes.] Causa cur nullus Eum certamine dignetur, quoniam ut inquit Epigrammatarius poeta, nulla est gloria praeterire asellos.

Rompis] *Rumpere*, est strepitu quodam inamoeno proferre & quasi vi & nisu. verum apud poëtas saepius *rumpere silentia* significat simpliciter loqui & *rumpere moras* tarditatem relinquere.

Voces stillantes arida.] Hoc est expromentes cum difficultate verba nullius succi. *aridam* enim vocem appellamus siccam exustamque & cui nihil insit vitalis medullae. & dixit *stillantes*, quoniam stillare res dicitur, quae guttatim cadit. estque dicta stilla gutta cadens: substillum tempus ante pluvium pene & post pluvium, non persiccum, quod jam stillaret aut nondum desisset. auc. Fom. stillantes ergo exponito minutatim & singultu quasi quodammodo cadentes.

24. Expellis] Conatu profers & ejicis, non per se ubertim effluentia.

Singultantia.] Cum singultu emissa Virg. *singultantem* morientis dixit animam quasi singultu evolantem dicas & redditam difficulter, hic objicit tarditatem difficultatemque loquendi.

25. Fingas plura licet.] Lycidas plus intendens certamini quam verbis respondet ei licere ut libeat probra dicere se contra, etiam si nec plura, nec asperiora coacervare possit, nam idem illi accidisse regerit cum in eum Lycotas omni invectus est probro.

Fingas.] *Fingere* est commentari, quae vera non sint. unde fictiones & figmenta.

Licet.] Arbitrio permissum est tuo.

Ne

NEO POTIS.] Per interpositionem. quamvis loquit nec in me plura possis congerere.

26. EXPROBRARE.] Est probra objicere. & exprobratio dicitur probri objectio. Terentius in Andria.

Nam isthaec commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii:

SICUT TIBI MULTA LYCOTAS.] Scilicet exprobravit. Lycotas nomen pastoris proprium.

27. SED QUID OPUS.] Reprehendit moram certandi & quod verbis inutilibus vanaque contendant tumultuatione, quae sine pignore sit deposito.

CONSUMERE.] Perdere.

VANA LITE.] Frustratoria & nullum emolumentum recipiente.

28. ECCE VENIT MNASYLLUS.] Arbitrum editicium demonstrat, hoc est ab una jam parte editum.

MNASYLLUS.] Nomen pastoris hic Scribit vero Servius in interpretatione carminis Virgiliani in Bucolicis.

- - - Chromis & Mnasyllus in antra
Silenum pueri somno videre jacentem.

esse satyrorum nomina Chromin & Mnasyllum.

NISI FORTE RECUSES.] Per interpositionem dictum, nisi tenuis inquit Mnasylli judicium.

29. INSTA.] Urge, insiste. ut apud Virgilium.

- - - Instaret curru cristatus Achilles.

Et apud Plautum.

Ponit, instat, urget, hominem non sinet quiescere.

CREDULUS.] Nimium fidens & nimis credens verbis. *credulus* enim dicitur ad credendum facilis & *credulitas*: quae deceptionum mater est, ut inquit Fulgentius: credendi facilitas.

30. MALUERAM.] Sensus est: potius voluissem abiisse dimissa certatione: etsi sciam fore victorem, meque pignus tuum quod pro cantilena depones, tanquam habere praedam: quam tibi partem minimam vocis commisisse. *Praedam nactus.* hoc est etiamsi praedam adeptum me sciam: *Nancisci* est acquirere. aliquando pro invenire ponitur: Cicero, *cum tu hominem teneto si quem eris nactus istius martis aut exitii minis. Nanctor* pro *nactus eris* antiqui dixerunt, ut author est Pompejus.

PRAEDA.] Dicitur corpus ipsum rerum quae captae sunt. cum manubiae sint pecuniae a quaestore ex venditione praedae redactae. author Gellius li. XIII. Noctium Atticarum: Marcel. *Manubias a praeda hoc distare existimaverunt. ut sit praeda corpora ipsarum rerum quae capiuntur, manubiae vero pecuniae ex praeda vendita redactae.* & sic apud plurimos. nam ita M. T. sensisse voluit de Lege Agraria. *praedas, manubias sectiles, castra denique Gn. Pom. sedente imperatore censores* &c.

31. COMMITTERE (Ut author est Marcellus) significat conjungere praeter multas quas habet significationes, & sociare. Lucilius li. XXVIII.

Quid me fiet si quidem non justa in servo committere.

Virg. Aenei. li. III.

Delphinum caudas utero commissa luporum.

PARTEM VOCIS.] Non tantum pro viribus decertare sed ne portionculam quidem vocis commiscere.

CERTANTI.] Alterne dicenti & certare volenti.

32. IMPUNE.] Sine poena.

FERES.] Hoc quod scilicet me sis ausus provocare.

EN ASPICIS.] Illud demonstrat, cervum quem per pignore deponit.

CUBAT.] Jacet hic, alias aegrotat. in quem significatum illud accipe Suetonii in Augusto. *cessitque rei prospere, quando captus castris lectica vjus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est.*

33. CANDIDA LILIA.] Epitheton est liliorum.

CERVUM.] Cervi dicti sunt ἀπὸ τῶν κεράτων. i. e. a *cornibus*. nam & Latina nomina aliquando a Graec. sunt, ut aut. est Ser grammaticus Tragelaphus ut scribit Pli in VIII. est eadem qua cervi specie, barba tantum & armorum villo distans, non alibi quam juxta Phasim amnem nascens: & dicitur a trago. i. e. hirco & elapho qui cervus dicitur: Scirtophagi cognominantur aiunt esse speciem natura terrestribus animantibus mixtam quae cervinae appellentur, sunt enim cervi magitudine collo oblongo rotundis lateribus atque glatis capite tenui oblongoque cruribus, ac juncturis firmissimis, fisso pede.

QUAMVIS DILIGAT.] Totus corruptus est iste versus, itaque corrigendus.

Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor:

DILIGAT.] Eum commendat quod sit amasiae carus ultra pulchritudinem: hocque minus timere videtur quo magis preciosum deponit pignus. *Petale* nomen puellae: πέταλον Graeci folium appellant, unde fortasse Petale dicta quasi foliacea & tenera, ut sunt folia. ordo est: en aspicis illum cervum qui medius cubat inter candida lilia, hunc accipe victor: quamvis hunc mea amasia Petale diligat.

35. SCIT FRENOS.] Laudat a mansuetudine, ut apud Virgilium Dametas a reditu vitulam.

Bis venit ad mulctram, binos alit ubere foetus.

FRENOS.] Frenum a *ferendo* dictum quidam existimant quod equorum ora regat ac ferat quod libet. quidam a *frangendo* quod os equi sive aliorum frangat animalium: *frenum* neutrius generis est in singulari: in plurali namque & *frena* & *frenos* dicimus. a *freno infrenis* dicitur, qui cohiberi non potest. & *effrenis* ... & *frenare*, quod significat cohibere & stringere, divus Cyprianus, *quando & sexus infirmus & aetas adhuc lubrica per omnia frenari & regi debeat:* sunt & *lupata* frenorum genera, a *lupinis* dicta dentibus, de quibus Virgilius.

- - - Pressique negabunt
Vulnera saeva pati: & duris parere lupatis.

FERRE JUGUM.] Ad currus scilicet, nam antiquitus curribus utebantur: quos invenit

Primus Erichthonius currus & quattuor ausus
Jungere equos rapidisque rotis insistere victor.

Ut cecinit Poeta in tertio Georg. quem id fecisse existimaverunt ut deformitatem tegeret pedum quos habebat draconteos.

SIQUITUR VOCANTEM.] More canum qui nomina sua noscunt vocati.

36. Credulus.] Multum credens, & ob hoc mansuetissimus. nam animalia nisi sint mansueta & cicurata homini sese minime audent credere: caeterum animal simplex est cervus, & omnium rerum miraculo stupens in tantum, ut equo aut bucula accedente propius, hominem juxta venantem non cernat, aut si cernat, arcum ipsum sagittasque miretur. Auctor est Plinius octavo.

Porrigit.] Extendit & ultro offert.

Non improba ora.] Non ferina & improbanda, sed multum observantia probataris.

Mensae.] Triclinio. Tanta est inquit mansuetudo ut dum accubamus: ipse petens cibaria mordeat & cum quadam quicquid damus accipiat probitate.

Aspicis ut fruticet.] Nunc laudat a pulchritudine cervum.

Fruticat.] Frutices emittit, nam sicut arbores frutices emittentes *fruticare* dicuntur: ita per quandam similitudinem caput cervi fruticare dicitur quando cornua quae instar sunt fruticis emittit. Pli. in xxvii Nat. Hist. *Rami a radice septeni octonique fruticant:* Idem de cervis loquens in octavo: *erumpunt autem renascentibus tuberibus, primo aridas cutis similia, eadem teneris increscunt ferulis, arundineas in paniculas molli plumata lanugine:* proditum est auctoritate scriptorum cervos statuto veris tempore amittere cornua, quibus amissis velut inermes latent.

Sub ipsis cornibus.] Distinguit ornamenta corporis.

38. Redimicula.] Ornamenta sunt capitis mulierum & virorum dependentes teniae a parte mitrae posteriore, quae Phrygum mollissimorum dicuntur inventa, de his Juve. Satyra secunda:

- - - Accipient te
Paulatim qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus & toto posuere monilia collo.

Lucent.] Splendent.

Tereti collo.] Oblongo & rotundo.

39 Frons.] Hic pro capitis anteriore parte accipitur, cum & frondem aliquando significet, ut apud Varronem de Re Rustica libro primo. *quod Cato ait circa fundum ulmos populos, unde frons ovibus & bobus sit.* frontem masculino genere antiquos dixisse auctor est Pompejus.

Irretita.] Capistrata & veluti retibus impedita, nam ut irretitum piscem appellamus retibus involutum & feram irretitam, ita cervum: cujus cornua sint redimita capistro: irretitum dicemus: Ovidius in x. Metamorphoseon: de Cyparissi cervo.

Tu modo texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens huc laetus & illuc
Mollia purpureis frenabas ora capistris.

40 Cingula.] A cingendo dicta, ex licio apud nos fit, qua corpora cinguntur equorum. Ovi. in primo de Remedio Amoris.

Aspicis ut prensos urant juga prima juvencos
Ut nova velocem cingula laedat equum.

Alias pro cinctura dixit hominum, cum cecinit in iii. de Arte Amandi.

Nec brevis in rugas cingula pressa suas.

Lateralis] Quo latus cingat. lateralis dolor dicitur pleureticus cui medetur thymum, hoc est denarii pondus in Sextario aceti & mellis. ut auctor est Pli. libro xxi. Nat. Hist. de hoc fit mentio a Celso libro quarto medicinae atque huic accedere febrem & dolori tussim.

40. Circuit.] Circumdat, a summo tergi incipiens totamque alvum obvolvens.

40. Alvum.] Foeminino genere profertur alvus. Virgilius in secundo Aeneidos.

In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit.

Plautus tamen masculino protulit, quo non utimur.

Alternat.] Alterne disponit.

Vitreas bullas.] Expone splendentes, ut vitrum splendere solet: vel argenteas, ita enim appellavit Ovidius in x Met.

Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur.

Vitreum (ut inquit Marcellus) pertenue & perlucidum quicquid est authoritate veterum dici potest. *vitream* Circem appellavit Horatius, a colore aquarum, in quibus habitavit, ut quibusdam placuit, quod etsi candidam exponas non erit absonum. Papinius in primo Silvarum.

- - - Cedant vitreae juga perfida Circes:

Bulla] Dicitur a similitudine ejus bullae quae in aquis fit figura semisphaerali, hisque hodie ex aere confectis frena insigniunt: bullis antiquitus decorabantur pueri ingenui quibus ob id attributum ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, nonnulli credidere ut illam inspicientes ita demum se homines cogitarent si corde praestarent author est Macrobius in primo Saturnalium: bullam auream triumphantes pectori nectebant vasculi forma inclusis remediis quae invidiae & veneficiis omnibus praevalere putabant, idque genus remedii Graeci ἀλεξίκακον appellant eo quod mala depellat. unde etiam Alexicacos Hercules cognominatus: hic bullae significant ornamenta illa frenorum rotunda prominentia, de quibus & Apulejus in sexto de Asino Aureo *cantaque setas intorta congestas, & tortas comptas diligenter perpolibo, bullisque multis aureis inoculatum veluti stellis sidereis relucentem & gaudiis popularium pompatum ovantem sinu serico progestans nucleos, edulia mitiora, te meum sospitatorem cottidie saginabo:* a bulla fit *bullare*, de quo verbo diximus superius Aegloga prima: est autem ordo: aspicis ut lucet frons irretita niveo capistro & ut lateralis cingula quae circuit totam alvum alternat vitreas bullas.

42. Sutiles rosae.] Rosae usus nimius est in coronis. Cyrenis odoratissima nascitur amatque ruderatum solum ut docet Plinius in xxi.

Sutiles.] Exiles & tenues & hoc ad differentiam fortasse centifoliae dixit, quam Tyberius Cepio in coronis addi negavit praeterquam ad extremos velut cardines: differunt enim totae multitudine foliorum asperitate: laevore, colore, odore, constantque paucissimis foliis, quinis volunt esse exiliores & subtiliores, qualis est quae Graeca appellatur a nostris, a Graecis lichnis, violae magnitudine & odore.

Molles.] Delicatae.

43. Implicuere.] Ornavere, ita enim significat im-

implicare authore Marcello. Affranius in Brundusio.

In parte inferiori hic implicabitur caput fatuer.

42. RAMOSA TEMPORA.] Cornua quasi ramos eruttentia.

44. NOTANT.] Distinguunt. nam *nota* etiam appellatur distinctio authore Marcello. Virgilius in quinto Aene.

Caeruleae cui terga notae.

i. e. distinctiones.

MONILIA.] *Monile* dicitur ornatus mulierum & equorum, propendens a collo, ut author est Pompejus. Ovidius.

- - - Demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.

RUTILO TORQUE.] Aureo vel coloris rutili. Torquis insigne aureum est, a quo Torquatus ille dictus qui Gallo spoliato ei torquem detraxit aureum. Cicero in quarto Tusculanarum Quaestionum. *Ego, ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse:* torquati quoque appellantur milites torque insigniti, ut author est Vegetius.

CERVIX.] Scansile collum dicitur proprie. Virgilius libro Georgicon secundo.

- - - Illi ardua cervix,
Argutumque caput.

Cervicem primum Hortensium dixisse author est Varro, cum tantum pluraliter proferri a veteribus in usu esset.

EXTREMA CERVICE.] Partem illam intelligit ubi collo conjungitur pectus.

DENS PENDULUS.] Suspensus, quasi pendens. ita *pendula tela* dicitur ab Ovidio: hodie infantibus dependent argento nexi apud nos lupini dentes a collo: quibus quaedam inesse praedicant superstitiose remedia foeminae. Aprorum dentes incurvi sunt & lunati. bis ad levigandas utimur chartas.

45. SEDET.] Haeret tanta arte ut sedere videatur.

DISTINGUIT.] Discriminat.

LUNA NIVEA.] Dente in similitudinem lunae circumvoluto aper enim superiores duos dentes habet obtortos. qui lunam figurare videntur, lunulas antiquos in calceis gestasse, author est Plutarchus in Problematis qui nobilitate praestare videsentur. quae res modestiae & obedientiae disciplina quaedam erat, ut audientes dicto esse & imperium aequo animo ferre condiscerent. & quemadmodum luna meliori obsequi & solem (ut inquit Parmenides) semper intueri solet. sic homines secundum locum tenere contenti primas partes duci relinquerent, ut honore ac potestate per illum fruerentur: *lunare* est verbum quod significat incurvare in modum lunae, unde *lunare arcum*, dicimus.

46. PACISCOR.] *Pacisci* est cum donationis causa rem certam & indubitatam liberaliter remittimus, ut scrib. Ulpianus jureconsultus. *paciscor* autem a *pango* deductum volunt quidam: *pacionem* antiqui dicebant quam nunc dicimus *pactionem*, unde & *pacisco* & *pacto* adhuc in usu remansere. auc. est Pompe.

IN VALLE.] Vel ubi sumus vel ut est in valle.

PENDERE] Solvere scilicet victus, pendere; *:enas dicimus* solvere quoniam, cum aere gravi uterentur Romani, *penso* eo non numeratu debitum solvebant. unde & *pensiones* dictae auctore Festo Pompejo.

DUM SCIAT.] Dummodo inquit pignus contra ponatur dignum cervo. Sic Virgilius.

- - - Tu dic mecum quo pignore certes.

TERRERI.] Lycidas equum opponit pro pignore cervo cujus praestantiam describit & pulchritudinem.

48. TERRERI.] Pavore prosterni, *terror* enim dicitur pavor & terriculamenta nocturna quae hominibus ad pavorem objiciuntur occursacula.

ASPICE QUAM TIMEAM.] Purgat se quod minime sit timidus.

49. GENUS NON JUGALE.] Vel quibus nullum conveniat jugum quod tanta sint praestantia ut par non inveniant (nam jugale dicitur quod cum aliis conjungi & potest sub jugo teneri) vel non jugale intelligas, quibus nullus adhibeatur maritus ad sobolem procreandam: quoniam ut scribit Pli. in VIII. Nat. Hist. in *Lusitania circa Ulisipponem oppidum & Tagum amnem equas constat favonio flante obversas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, & gigni pernicissimum ita, sed triennium vitae non excedere.* de quibus Silius in III.

Hic adeo, cum ver placidum flatusque tepescit,
Concubitus servans tacitos grex perstat equarum,
Et venerem occultam genitali concipit aura:

Ergo *non jugale* si placuerit expones, quod nullo conjungitur marito.

GENUS.] Dicitur genus quod praedicatur de pluribus differentibus specie. ut notat imperator in institutionibus titulo de jure naturali gentium & civili.

50. DE SANGUINE.] De progenie. Semen enim genitale ex sanguine procreari & effluere certum est. quod an tantummodo ex patris emissione procreet partum ut senplere Diogenes & Hippon Stoici, aut etiam matris ut Anaxagorae, Alcmaeoni, Parmenidi, Empedoclique & Epicuro visum, non definite se scire Alcmaeon confessus est, ratus neminem posse prospicere. author est Censorinus in lib. de Die Natali.

PONAM.] Deponam. Sic Vir. in Palaemone.

- - - Quoniam tibi pocula ponam.

51. VELOCEM PETASON.] Nomen a Graeco deductum. *πέταμαι* enim *volare* significat, unde Petasus equus velocissimus ro cursu. *petasos* etiam accepimus vocari pileos quibus caput tegere consuevimus. itaque apud Plautum in Amphitryone accipitur cum ita loquitur Mercurius.

Ego has habebo usque in petaso pinnulas.

Ex quibus fortasse verbis existimarunt quidam talaria, esse petasum, non animadvertentes & similiter Jovi dari in Amphitryone petasum, quem manifestum est non uti talaribus: putavit Sipontinus, vir alioquin inter eruditos connumerandus, petasos esse vela in theatris tenuissima quibus uti solebant. suffultus Tranquilli authoritate ita in Augusto scribentis, *in aestate apertis cubiculi foribus ac saepe in peristylio, saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo cubabat, Solis vero ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub divo spatiabatur:* ubi tamen *petasatum* pileo indutum intelligere est: petasum itaque his a talaribus divisit verbis Hyginus. *Perseus missus a Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas a*

N 2 Mer-

Mercurio qui eum dilexisse existimatur, talare & petasum accepit.

52. LEBAVIT.] Gustavit a matre depulsus nuper.

TENERIS DENTIBUS.] Nondum firmis: dentes equis ut scribit Columella in VIII. dum bimus & sex mentium est equus medii superiores & inferiores cadunt. cum quartum agit iis qui canini appellantur dejectis alios affert. intra sextum deinde annum molares superiores cadunt. sexto anno quos primos mutavit exaequat, septimo omnes explentur aequaliter. & ex eo cavatos gerit, nec postea quot annorum sit manifesto comprehendi potest: Dentes continui sunt homini & equo ut scribit Pli. in XI. equo sunt numero quadraginta & ut idem docet Pli. *trigesimo mense primores utrimque binos amittit, sequenti anno totidem proximos: cum subeunt dicti columellares. V. anno incipiente binos amittit. qui VI. anno renascuntur: hominum dentibus quaedam inesse virus nulli est dubium, si quidem & speculi nitorem ex adverso nudati hebetant & columborum foetus implumes necant: certum est maxillares qui sunt a caninis a nullo mutari animalium: Sicuti & quibus in juventa non fuere nate decidere in senecta & mox renasci: prodidit itaque Mutianus a se visum Zanclum Samothracenum civem cui renati essent post centum & quatuor annos.*

52. ILLI PES LEVIA.] Describit bonam equi proportionem, quam ita in VII. constare scribit Columella: exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, brevibus auriculis & arrectis, cervice molli lataque nec longa, densa juba & per dextram partem profusa, lato & musculorum toris numeroso pectore, grandibus armis & rectis lateribus inflexis, ventre substricto, testibus paribus & exiguis, latis lumbis & subsidentibus, cauda longa & secta crispaque, mollibus atque altis cruribusque rectis, tereti genu parvoque nec introrsus spectanti. rotundis clunibus feminibus torosis, ac numerosis, duris ungulis & altis & concavis, rotundisque quibus coronae mediocres suppositae sunt: Talem etiam formam descripsit Vir. in III. Georg. quae pulcherrime ab illo vate, (ut inquit Pli.) absoluta est, quam & ipse in libro de jaculatione equestri collegisse dixit.

53. PES LEVIS.] Non ponderosus, quique crebro pulset terram & stare nesciat loco.

ADDUCTUM LATUS.] Restrictum ut brevis sit & collectus: adduci enim est cogi & constringi. M. T. de Senectute, *nullo lymbri, nullo frigore adduci ut capite operto sit.*

PROLIXISSIMA CERVIX.] Altissima & ardua: *excelsum* enim longum appellamus & arduum, & *excelsitudinem* excelsitatem dicimus & altitudinem. T. in III. Officiorum, *etenim magis est secundum naturam excelsitas animi & magnitudo.*

45. TEREA SEDENT.] Obesa sunt & lata quae veluti sedem praebeant. est enim plurima pars pulchritudinis equae obesitas, hoc est pinguedo, quasi ob edendum facta, ut author est Pompe.

ACRE CAPUT.] Velox & celerrimum, hoc est in hanc & illam partem quod movetur crebro. acrem enim velocem appellamus Vir. in III. Geor.

... Calidumque animis & cursibus acrem.

Idem.

Non saltu superare viam sit passus & acri
Carpere prata fuga:

Idem Aene. li. IV.

At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo.

Alias *acrem*, authore Marcello, dicimus austerum acerbum asperum. M. T. in Hortensio, *quid alterius ingenium sic austerum, sicut acetum Aegyptium, alterius sic acre ut mel Hymetium dicimus: acrem* quoque fortem appellare consuevimus Vir. in VIII. Aene.

Aut acrem dubites in praelia poscere Turnum.

MICAT.] Micare est per vices sine ordine movere. Vir. in X. Aene.

Semianimesque micant digiti ferrumque retractant.

Lucilius li. XXX.

Omnia tumiculo mucro videas fervente micare.

SINE PONDERE.] Agilitate quadam, ut ad utramlibet partem reflecti possit.

55. UNGULA TORNATA.] i. e rotunda & circumflexa ut qui torno expolita videatur. *Tornus* instrumentum est quo expoliuntur ligna & in rotunditatem rediguntur. ita a Bononiensibus hodie appellatur. Vir. in Bucolicis.

Lenta quibus torno facilis superaddita vitis.

Hinc *tornarii* dicti, qui torno ligna admovent ad politiam. *tornarios* sicut alia multa in urbem induxisse Periclem author est Plutarchus in ejus vita, i. e. Athenas, quarum rempublicam diu rexit.

UNGULA.] Sunt ex grammaticis qui inter *unguem ungulamque* hanc differentiam faciant, ut sit *unguis* eorum animalium quae digitos separatos habeant penitusque distinctos. sicuti sunt hominum simiarumque, avium; *ungula* vero digitis carentium, sic ut equorum, asinorum: Pli. in XI. *omnia digitos habentique pedes excepto elephanto, huic enim informes numero quidem quinque, sed indivisi ac leviter discreti ungulisque non unguibus similes:* est etiam *ungula* tormenti genus de qua fit mentio a Cypriano & Eusebio: *Ungulum* ut scribit Pompe. *Oscorum lingua significat annulum.* Proverbium quoque est, *a teneris unguiculis,* quod significat ab infantia & ineunte aetate: Cicero in I. Epistolarum. *Praesta te eum qui a teneris mihi (ut Graeci dicunt) unguiculis es cognitus:* est & aliud *ungue latius*, ad quod allusit Plautus, ita scribens in Aulularia. *si hercle tu ex isto loco digitum transversum aut unguem latum excessiveris aut si respexeris donec te jussero, continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.*

BREVE CORNU.] Ossea circunductione a qua & equi cornipedes appellantur: Ovi. in I. de Arte Amandi.

Feminea cornipedi semper adhinnit equo.

Flaccus in II. Argonauticon:

Jam cui candentes votivo in gramine pascit
Cornipedes genitor.

Cornipes a Claudiano appellatus Chiron in II. contra Ruffinum his.

Implet Thessaliam ferri nitor antraque dicti
Cornipedis.

Ad medium equorum alludente, unde & Sidonius hinnitum illum dedisse dixit, quae vox equi est: iidem

a

a sono cornos sonipedes dicuntur. Silius in III.

Et doctus virgae sonipes in castra redibat.

Lucanus in secundo,

- - - Levis totas accepit habenas
In campum sonipes.

Flaccus in III. Argonauticon.

- - - vadit sonipes cervice remissa.

Virg.

Stat sonipes & frena ferox spumantia mandit.

BREVI.] Non spacioso, quod tamen solidum desideratur, Virg.

- - - Et solido graviter sonat ungula cornu.

56. EXULTAVIT.] Supra modum exiluit & elatus est ut herbas non fregerit, quamvis teneras. *exultare* ut notat Marcellus, significat *supra modum exilire & efferri.* M. T. de Rep. *est igitur quaedam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exultat voluptate vel molestia frangitur.*

57. TANGERET.] Commendatio levitatis.

NON CURVARET.) Non tantum non frangeret, sed ne incurvaret quidem. consimile est illud Vir.

- - - ac per aperta volans ceu liber habenis
Aequora: vix summa vestigia ponat arena.

58. SILVESTRIA NUMINA JOVO.] Hoc est per silvestres deos Faunes, Silvanum, Saty. Faunos & caetera hujusmodi.

59. ET VACAT.] Mnasillus electus arbiter monet illos ut secedant a strepitu propinqui rivi, cujus ex fragore verba impediuntur ne exaudiri possint.

ET VACAT &c.] Scilicet audire & libenter audiam.

60.] SANE.] Pro- saniter & serio. quasi dicat se inter illos non esse judicaturum nisi sana & seria proferant. priora itaque certamina redarguit frigida & nullius momenti quae jurgiosa tamen fuerant.

ISTIC PROTINUS] Sensus est. ecce ut subito musae celebrari gestientes nobis locum sub ilice paravere.

61. SONUS AMNIS.] Fragor aquae & murmur obstrepentis ondae.

63. LINQUAMUS.] Relinquamus. ita Maro in Eucolicis

Nos patriae fines & dulcia linquimus arva.

VOLUBILIS UNDAE.] Vel celeriter currentis vel quadam se in giros flectentis revolutione.

64. RAUCUM RESPONDENT LYMPHAE.] i. e. sonum querulum: qui quidem gratus est, ut

Nec percussa juvant fluctu tam littora nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Sed hic judicem ad audiendum impedit.

EXESO PUMICE.] Impetu aquae excavato. exesum enim corrosum vel comminutum dicimus: & *adesum* authore Marcello dixere consumptum. Silenna Historiarum libro III. *iisdem temporibus Esernini duplici fossa valli qua circundati, frumento adeo quod in avenis in oppidum portatum est.* quamvis ibi legatur *esitum.* *Pumex* aridus est lapis ad laevigandi utilis corpora librosque, unde dictum est Catullo.

Arida modo pumice expolitum.

Et ab Ovidio libro primo Tristium.

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes
Hirsutus passis ut videare comis.

Martialis in octavo.

- - - nondum murice cultus
Asperoque morsu pumicis aridi politus
Artaunum properas sequi libello.

Scribit Plinius in III. in mari rubro fungos nasci cum pluat, qui sole tacti mutentur in pumicem: Sunt qui pumicem omnem lapidem fere erosum dici contendant, unde Horatius

Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare.

Aridissimus est, ut superius diximus unde dictum est a Plauto in Aulularia

Pumex non aeque aridus atque hic est senex.

Optimus est in Aeoliis insulis, ut inquit Plinius in Meloque & Scyro.

65 GLAREA.] Lapilli sunt fluviatiles, ita hodie etiam Bononiensibus dicta, Ausonius

Aut iteratarum qua glarea trita viarum
Fert militarem ad Blaviam.

Plinius: *glarea substrata inter utramque fraterniam fuerit*, idem *glareosum solum* appellat in XVII. quod olivis aptissimum in Venefrano esse scribit: Ovidius in III. Fastorum *glareosum rivum* lapidosum ita dixit

Desinit raucero lapidosus murmure rivus.

66. SI PLACET, ANTRA MAGIS] Loci descriptio est, quae si vera, topographia appellanda est, sin minus, Topothesia, qualis est apud Virgilium in primo Aeneidos.

Est in secessu longo locus.

ANTRUM.] Locus est excavatus.

SAXA.] Hic rupes intelligit & saxeum locum, alias sane inter Africam & Sardiniam appellantur A ae ab Italis, quod ibi Aphri & Romani foedus inierunt, de quibus Virgilius in primo Aeneidos.

Tris notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, mediisque in fluctibus aras.

A *saxo saxeus* dicitur durus, Ausonius.

Rhetoris haec Rufi statua est: si saxea Rufi,
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

67. MUSCUS.] Lanugo est proprie virens in loco praecipue humido proveniens: Virgilius in tertio Geor.

Saltibus in vacuis pascant & plena secundum
Flumina, muscus ubi.

Inde *muscosi* fontes dicuntur qui musco vestiri consuevetunt: censuit Cato musco intellari licniam oleam. idem putavit Plinius in XV.

STILLANTI VELLERE] Dependenti quasi stillis quibusdam musci coma.

69. DEPENDET.] Deorsum pendet, ut apud Vir. in Aene.

Dependent lychni laquearibus aureis
Incensi.

SCOPULISQUE CAVUM.] Sensus est: scopuli in arcum curvati videntur opus indicare testudineum, quale hodie in aedificiis.

70. IMMINET.] Concha supra extat & pendet, arcus figuram exhibens.

CONCHA] Concham acatii modo carinatam inflexa puppe proraque rostrata esse scribit Plinius quam ingressus Nauplius in modum navis regit ac gubernat, a

cujus similitudine concha in aedificiis appellatur. concha ad littua delatam in medio mari Venerem ortam Poetae fabulantur unde ei conchae dicatae Venereae dicuntur. hinc est illud Martialis.

Lactior e conchis Galle Cytheriacis.

Et illud Propertii.

Et venit ex Rubro concha Erycina mari.

i. e. Veneris. quaedam sunt conchae inter plurima earum genera, quibus tritonea ad buccinandum utuntur. ut inquit Pli. de his Apulejus in IV. de Asino Aureo: *jam passim maria permulcantes tritonum catervae, hic concha sonaci leviter buccinat, ille serico tegmine flagrantiae solis obsistit inimici*: Ovi. quoque in I. Meta.

Caeruleum Tritona vocat conchaque sonaci
Inspirare jubet.

Testudine exesa.] Excavato scopulo quasi in testudinis formam: Testudines autem ut scribit Marcellus sunt loca in aedificiis camerata ad similitudinem aquatilium, quae duris tergoribus sunt & incurvia. de quibus Vir. in I. Aene. intellexit illo versu.

Tum foribus divae media testudine templi.

Chersinae, ut scribit Pli. in IX. appellatae in operibus, ob id quod terrestres sint. fiunt autem in templis testudines hac ratione secundum eos qui de ratione templorum scribunt, ut caeli imago reddatur quod convexum est ut scribit Servius. Tantae magnitudinis Indicum mare testudines mittit authore Plinio ut superficie singularum casas integant. harum concha mos fuit apud veteres postes variare in laminas desecta. unde dictum est a Vir. in III. Geor.

Nec varios inhiant pulchra testudine postes.

Et a Lucano,

- - - Foribus testudinis Indae
Terga sedent, fulvo maculas distincta smaragdo.

Alludente scilicet ad Indicas testudinea, de quibus jam diximus, testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis (ut inquit Plinius) ad luxuriae instrumenta ingenii: Troglodytae cornigeras habent ut in lyra annexis cornibus latis, sed mobilibus quorum in natando remigio se adjuvant, celtinum genus id vocatur eximiae testudinis sed rarae. namque qui scopuli praeacuti Chelonophagos terrent quos populos a testudinibus vorandis ita vocatos scias. χελώνη enim a Graecis testudo dicitur, tardissimi est gradus testudo unde dictum est a Plauto in Aulularia

Si hodie hercle fustem caepero aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi grandidogradum.

i. e. tardum ut est testudinis ita enim & *tardus* Hieronimo, *gradus* appellatur, & ipsa *tardigrada* a Pacuvio, *terrigena* & *domiporta*: est & testudo militaris machina quae ad similitudinem verae testudinis ut inquit Vegetius in IV. vocabulum sumsit, quia sicut illa modo reducit modo profert caput, ita machinamentum interdum reducit trabem, interdum exerit ut fortius cedat.

Sinuantibus] Curvantibus. sinuare enim est curvare, unde & sinuatio curvatio dicitur.

Arcum.] Cavum. excavatam rupem in arcus modum.

Vantmus.] Captato loco petit Mnasillus carmina alterne proferri.

Tutabimur sonitum.] Aures a strepitu defendemus aquarum. tutari enim est defendere, unde tutor & tutela, quae ita a Servio definitur. tutela est vis atque potestas in capite libero ad tuendum eum qui propter aetatem se defendere nequit jure civili data ac permissa: & tutores sunt qui eam vim ac potestatem habent ex qua se nomen ipsi acceperunt ut notatur in institutionibus titulo de tutelia: observavimus *tutare* etiam in usu fuisse sicut *tutari*. Plautus in Mercatore *invoco vos lares diales ut me tutetis*. Nevius in Lycurgo. *tuos qui celsos terminos tutant?* Pomponius *partes non erat quod corpus tremulum famula tutaret toga*. Pacuvius in Periboea, *tum mulier cogere, ut tutent templa libere*: author Marcellus. *Tutanum* deum laborantes invocasse scribit Varro qui homines tueri putabatur. in aliquibus codicibus legitur, *sonitus ructabimus*, quod significabit ex intimo pectore expromemus. ructus enim fit cum ventriculi humor recalescens inflatur atque coquitur, unde est verbum *ructare*. Plautus in Pseudulo, *ructare mos mihi suavis*, Divus Cyprianus ad Epictetum, *quarum crapulam nuper superstitem indies cruditate ructabant*.

72. Residere.] Sedendo commorari, unde *resides* desidiosi dicuntur. Vir.

- - - Jam pridem resides animos

Dabit sedilia tophus.] Est sensus, si placet sedere, apta sedilia nobis dabit tophus. si vero jacere cubitoque fulcire caput, herba erit aptissima. *sedile* dicitur ubi sedere possumus, & hic pro loco ad sedendum apto accipitur, ut apud Vir. in I. Aene.

Intus aquae dulces vivoque sedilia saxo.

Et apud Ovi. lib. v. Met.

Factaque dum vivo pressere sedilia saxo.

Vir. in IV. Geor.

- - - Vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere.

Id est aquosis. *Tophus* autem lapis est asper in ripis fluviorum praecipue nascens. Virg.

Et tophus scaber & nigris exesa chelydris.

Pli. in XVII. Nat. Hist. *Nam tophus scaber, natura friabilis, expetitur quoque ab authoribus*. a *topho tophinus* deducitur & *tophaceus*, Suetonius in Claudio Caesare, *circo vero maximo marmoreis carceribus auratisque metis, quae utraque & tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria Senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis*. Plin. de Argilla in XVII. *Fruges alit tophacea alba*: author est idem Pli. lib. XI. in II. ventre juvencarum tophum esse nigricantis coloris rotunditate pilae, nullo pondere, quod singulare putant remedium aegie patientibus si tellurem non attigerit.

73. Ponere cubitum.] Idem est, quod manu fulcire caput, inde est locus Plautinus in Milite.

Ecce autem aedificat. columnam mento suffulcit suo.

Id est manum quae instar est columnae in aedificiis adhibitae. Martialis in v.

Et sellam cubito dexteriore premit.

73. Melior vinet herba lapillia.] Sensus est: melius ponetur cubitum in herba virenti quam lapillis cum illi sint duriusculi: *lapilli* dicuntur saxa minutiora diminutive a *lapide*, solebant antiqui albo lapillo bonos dies notare, unde dictum est a Persio.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.

Id est, albo, his enim bonos significabant dies quos albos appellabant & hoc nomen ab alba faba obvenisse testatur Plutarchus, cum Pericles diviso in octo partes exer-

exercito sorte permitteret, ut cuicunque alba faba obvenisset epulari atque in ocio esse liceret, cum caeteri pugnarent, hunc autem bonos dies & malos notandi morem sunt qui Cretensium fuisse existiment, onde dictum sit ab Horatio.

Cressa nec careat pulchra dies nota.

Erythrei lapilli dicuntur a Statio in Sylvis gemmei illo versu,

Nox & Erythreis Thetidis signanda lapillis.

74. SEPOSITA LITE.] Amota & separata jurgatione verborum.

75. MALIM,] Sensus est : Nam ego cupio potius amatoria audire quam jurgia & lites, quae nauseam magis movent quam voluptatem aliquam inducant.

VICIBUS.] Per vices, i. e. alterne.

TENEROS AMORES.] Molles & delicatos. sic Ovi. in I. de Arte Amandi.

Me Venus artificem tenero praefecit Amori.

76. ASTILA TU PETALEN.] Proponit utrique amasiam ut laudent.

77 TU MODO.] Rogat Mnasyllom Lycidas ut attente certamen audiat quemadmodum pridem Astili & Acanthidos audivisse dicebatur.

ACANTHIDA.] Vel nomen est pastoris, quem dulce canentem intelligere possumus, vel derisorie dictum, quod Astilus se Acanthidi aequiparare & conferre audeat.

79. SILVA THALEA.] A thaleis fortasse nuncupata, quae sunt frusta lignorum ex utraque parte aequabiliter caesa serendi gratia, ut *silvam taleam* intelligas a *taleis* noviter ibi positis : Cato de Re Rustica, *taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, trepidaneas facito, quas in seminario saturus eris, pedales facito, cum taleam demittes, pede taleam opprimito, si parum descendat, malleo aut matsola adigito, cavetoque ne librum scindas.* a *talea talsare* deductum significat, ut affirmat Varro, quod vulgo dicitur scindi & intaliari, caeterum cum apud Pompejum inveniam Talum fuisse Sabinorum praenomen, non videretur absurdum, si *talea* pro *Sabina* exponeremus a praenomine Sabinorum qui non longe a Roma fuere remoti, admonuit tamen praeceptor meus cum super hac re interrogaretur authoritatis Plinianae subsequentis, ut occultiorem rem includi scias, a nobis recitatae, scribit enim Pli. in xv. de lauro loquens in haec ferme verba, *sed & circa divum Augustum eventa ejus digna memoratu. namque Liviae Drusillae, quae postea Augusta matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illi Caesari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illaesam, intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis baccis, conservari alitem & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri ac rite custodire, quodque factum est in villa Caesarum fluvio Tyberi imposita, juxta nonum lapidem, Flaminia via, quae ob id vocatur Ad Gallinas, mireque silva provenit, ex ea triumphans postea Caesar laurum in manu tenuit coronamque in capite gessit, ac deinde Imperatores Caesares cuncti: traditusque mos est ramos quos tenuerunt serendi, & durant silvae nominibus suis dictae.* Quare potest ad hanc videri allusisse Calpurnius, *silvam taleam* nuncupans in honorem nominis Augustalis, cujus saepe celebrat nomen, a quo primordium ipsam habuisse docui. Sed ob hoc indagatio perquirentibus non sit ablata, an melius inveniam, cum quisque in his pro arbitrio tantum teneatur.

79. NON POSSUM TACERE.] Hic loquitur Astilus indignatus quod eum carpat Lycidas insolentiae.

PROVOCET.] Lacessat, Plinius *quamvis enim multis provocatus injuriis nunquam tamen ab amicitia recessi.*

80. RUMPOR.] Distrahor & distorqueor. Martialis

Rumpatur quisquis rumpitur invidia.

Alias in obscoenum significatum est, ut in Priapeis,

- - - Sed si tentigine rumpar.

JURGIA.] Lites, ut diximus etiam superius.

81. AUDIAT.] Scilicet me incipientem cantilenam.

AUT DICAT.] Scilicet ipse, hoc est canere incipiat.

HOC MIHI CERTE.] Sensus est, magnum erit mihi solatium Lycidam aspicere trepidum impares suas vires meis sentientem.

82. DULCE.] Jucundum.

EXPECTARE.] Dum dicat scilicet alterne. vel legas *spectare.*

TREMENTEM.] Pavidum & timentem, tremunt enim timentes, quoniam calor eorum se colligit in pectoris loco, qui corpulentior est, quam ob rem undique, cum eo ipso calore, tum sanguine frigescente efficitur, ut motu vario crebroque agitentur, ut docet Aristoteles in Problematis.

83. TE STANTE.] Te praesente.

PALLIDUS.] Ex timore. facie enim pallent qui trepidant pedibus, ita sollicitantur & palpitant, ut docet Aristoteles.

PALAM.] Aperte & te audiente.

SUA CARMINA.] *Crimina* legas, ut in aliquibus codicibus inveni vetustioribus, tanquam ipse sua crimina & peccata recensere velit & patefacere.

- - - Nam stupet auditor cui frigida mens est
Criminibus.

ut inquit Juvenalis.

ME PUTO VICINUS.] Vel principium est abruptum cantilenae, vel respondet ad illud, *sua crimina pallidus audit*, quasi occupans quod ille dicturus sit, & objicit illi amorem puerilem & praeposterum.

84. ME PUTO.] Ironice dictum, quasi dicat, potes mihi objicere quod ego tibi possum ? simulasse virilia oscula cum tenero Mopso ? consimile est illud Virgilianum in Palaemone.

Tum credo, cum me arbustum videre Miconis,
Atque mala vites incidere falce novellas.

Objicit enim illi quoddam crimen incisionis arborum & vitium : & est haec rustica & naturalis responsio, ut inquit Servius Grammaticus, nam non ante purgat objecta sed alia objicit ut irati solent.

VICINUS.] Inquilinus & prope me habitans, vel tunc vicinus cum talia videre ipse & Aegon.

85. RISERE.] Delusere risu. Democritus omnia solebat risu prosequi, quod illi ridicula viderentur mortalia cuncta, ut inquit Lucianus de Vitis Philosophorum. unde Juvenalis Sat x.

Ridebat curas nec non & gaudia vulgi.

Et Claudianus.

Quicquid Democritus risit.

86. SIMULARE OSCULA.] *Simulare* est aliud intus sentire, aliud demonstrare foras. unde *simulatio*, a qua *simultatem* dici posse existimat Pompejus, quoniam simulata ad invicem loquuntur qui discordes sunt, ita hic simulare significat simulata facere, nam cum vellet puerum Mnpium osculari, ajebat se non tanquam puerum sed virum osculari, ut removeret libidinis suspicionem, quam rem derisui habuere qui id senserunt.

OSCULA VIRILIA] Qualia viris dantur simplicia sine aliqua libidinis suspicione.

86. FORTIOR O UTINAM.] Haec Aegloga tragicum habet finem & furiis exagitatum, optatque hic Astilus valentiorem judicem qui possit eorum certameo audire valentius quam Mnasyllus, quo praesente effecturum se sit ut Lycidas fateatur se turpiorem esse nemioem.

NONDUM] Corrigendum est *judex*.

FORTIOR.] Robustior & aetate juvenili ut sufficerent vires ad omnia audienda cum senilis aetas magis amet quietem quam litigia.

87. TIBI TURPIOR.] Plus est quam si auditoribus dixisset. nam naevos nostros amare solemus: difficileque est circa sua non falli: cum fere nullus sit qui sa alius postponat, exemplo principum & ducum illorum qui contra Xerxem dimicaverant virtute maxima, nam cum in isthmum se recepissent lato ab ara suffragio se quisque primum secundum Themistoclem censuit, ob quod primas illi contigit habere partes, scientibus judicibus ro suis quemque fraudari: author est Plutarchus io Themistoclis vita.

89. QUID FURTTIA.] Mnasyllus illorum iosaniam carpens refugit litis arbitrium aliisque relinquit judicibus, illoque abscedente finem habet Aegloga.

QUAE VOS INSANIA.] Melius legeretur *quo vos insania*, hoc est dementia & stoltitia quo vos dedoxit. ut nullo ordine litigaretis: *insaniam* appellamus dementiam, nam sicuti *sanum* prudentem & rectae mentis, & *sanam* mentem sinceram & rectam, ut mens sana in corpore sano, ita *insanum* iosipientem & dementem appellamus, unde ipse Poëta *insanos enses* Aegloga I. appellavit: dicitur autem *insanitas* sicut insania, Cicero Tusculanarum li. I. *insipientia autem quasi insanitas, quae esset insania eademque dementia.* Plautus *insanum* pro *insane* dixit in Nervolaria: *insanum valde uterque deamat*, dicitur vero insania non in hominibus tantum aut animalibus sed & his quae sine anima sunt. Vir. in Buc.

Huc ades, insani feriant sine littora fluctus.

TENOERA.] Progredi extra semitam.

90. SI VICIBUS CERTARE PLACET.] Indignativae orationi semper aliquid deficit, ut hic, scilicet audiam. ita Vir.

- - - quos ego, sed motos.

Ibi enim deest puniam: & Terentius *quem quidem ego si sensero.*

SED NON EGO.] Sententiam mutat.

91. DISCERNERE.] Discutere & dividere. unde *discerniculum* acus quae capillos mulierum ante frontem dividit, a *discernendo* dictum, ut author est Marcellus.

HOC.] Scilicet jurgium vestrum.

92. ET VENIT ECCE MICON.] Honestam nactus est abscessus occasionem, alio succurrente judice.

IMPONERE FINEM.] Hic *imponere* significat, facere finem, & finem immittere: alias decipere, ut apud Satyrographum Poëtam.

- - - Facile est barbaro imponere regi.

Probus Aemilius in Eumenis vita. *simulata deditione dum de conditionibus tractat, praefectis Antigoni imposuit.* & notandum est: cum dativo quando decipere significat poni semper, ut apud omnes est authores invenire.

IN

IN ECLOGAM VII.

Versu 1. LENTUS AB URBE VENIS] Inducitur Corydon Romae commoratus occurrere Lycotae amico, a quo interrogatus quid sero veniat, in causa spectacula fuisse dicit. quorum partes singulas seriatim recenset & veluti in acta reducit. ut non tantum ea se vidisse ostendat sed iterum spectantium oculis proponere videatur, & hoc totum in principis Augusti laudem, cujus opera edita fuerant, a quibus cuncta spectacula superari & nova afferit & antiqua.

LENTUS.] Tardus. M. T. in Hortensio, *ut Crassum, qui lentus, ut scitis, dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse*, apud Virgilium in Buc. otiosum significat, ut

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.

alias *lentum* patiens dicitur & placidum. M. T. in Hortensio, *qui cum publicas injurias lente tulisset, suam non tulit*.

VIGESIMA NOX.] i.e. vigesimus dies, nox enim cum diebus computatur: sed variam observationem dierum Gellius & Macrobius recensent, ut jam supra dius.

2. CUPIUNT TE CERNERE SILVAE.] Sensus est: jam viginti praeteriere dies quod te nostrae desiderant Silvae. & haec magna hominis laus ut non tantum expectetur ab hominibus sed feris & arboribus, quae sua reficiuntur cantilena.

3. MOERENTES TAURI.] Dolentes, quibus es curae: *Moerere* enim significat dolere, ut hic & apud Vir. in IV. Aene.

Sola domo moeret vacua:

Et *moeror* dicitur tristitia & animi anxietas. alias *merere* est qood hodie dicunt *meritare*. Vir. II. X.

- - - *Qualem meruit Pallanta remitto.*

Et in IV.

Si bene quid de te merui,

Lucilius.

Publica lege ut mereas proesto est tibi quaestor.

JUBILA.] Tuas voces. nam *jubilare* est rustica voce inclamare, ut jam diximus.

4. O PIGER.] Carpit Lycotam quod malit silvas & fagos quam spectacula cernere a principe Augusto edita.

PIGER.] Tardus, quasi pede aeger. onde *pigrare* verbum qood significat detinere, & *pigritia* dicta inertia & delidiosa tarditas.

DURINE AEE.] In emendatioribus codicibus legitur *assi*. os enim dicitur duricies illa qua compaginata sunt corpora tam animalium quam hominum, & declinatur hoc *os ossis*, qood etiam hoc *ossum* antiqons protulisse scribit Priscianus in VII. *Os ossis* autem frequenter pro duricie ponitur. unde *ossea manus* pro dura dicitur a Juvenal^t Satyra. V.

- - - *Aut nigri manus ossea Mauri*,

Et a Plinio *ossea spina* in XI. non recrescunt ossa praecisa praeterquam veterinis ab ongula ad suffragina, ut idem scribit Pli.

5. VETERES FAGOS.] Quoniam spectabiliores sunt & umbram reddunt majorem.

NOVA SPECTACULA.] Quae nuper edita sunt. *Spectacula* dicuntur quod spectaculum omnibus praebeant imperatorum dona quae ad conciliationem plebis fieri sunt solita. horum assiduitate & varietate ac magnificentia omnes antecessit Augustus Caesar, ut scribit Suetonius in ejus vita. hoc Graecis *spectaculum* dicitur, θεάτρον *spectator*. θεάομαι enim est *specto*, a quo verbo *spectaculum*. Martialis in I.

Quicquid & in circo spectatur & amphitheatro
Dives Caesarea praestitit unda tibi.

JUVENIS DEUS.] Augustus.

EDIT.] Praebet: est enim *edere* spectaculis accommodatum verbum, unde *editores* dicti spectaculorum exhibitores.

PATULA HARENA.] Spatioso theatro, obi harena spargebatur. vel ne lubrici essent gladiatorum pedes, vel ut cruor necoltaretor effusus io harena, onde saepius harena per spectaculis dicitur. Juvenalis satyra prima.

Et latum media sulcum deducit harena.

Et satyra II.

Lustravitque fuga mediam gladiator harenam.

Arenam sunt qui ab *ariditate* dictam putent ideoque sine aspiratione scribunt, alii ab *haerendo* appellatam putant, iden aspirant.

7. TANTA CAUSA.] Tam magna ut te posset detinere.

MORANDI.] Tardandi: unde mora dicta alias *morer* insaniae significat, unde *mores* homines stoltos & fatuos appellaveront. Sed io hac productior significatione. Suctonius in Nerone. *nam & morari eum inter homines desiisse producta prima syllaba jocabatur.* Plautus in Trinummo.

Ita est. amor balista ut jactitur, nihil sic celere est neque volat

Atque is, mores hominum moros & morosos efficit.

8. CESSARET.] Desisteret ab incoeptis, ut superius: *Omnia cessabant.*

TACITURNIS SILVIS.] Epitheton temporarium. nam eas *taciturnas* esse ob ejus discessum scribit. *Taciturnam* autem appellamos sine strepitu rem. sicuti tacitam a tacendo. Tibullus.

Et vetet ad digiti me taciturna sonum.

9. Solus Stimicon.] Vel incomitatus, qui sine te aliquid dicere non poterat, vel qui te absente solus obtinet principatum cantilenae

Pallente corymbo.] Coronatus hederaceis foliis, quarum sunt fructus corymbi qui aliis candidi: aliis nigri aliique crocei, quibus poëtae coronantur ut scribit Plinius. nam ideo coronantur hedera poetae quasi Baccho consecrati & quia ut Bacchus insaniunt vel quoniam ut semper viret hedera sic carmina aeternitatem mereantur, author est Servius.

Pallente] Candido. est enim quaedam fructu tantum candida, hoc est corymbo (ut inquit Plinius) de qua intelligi posse videtur. est etiam occultior sensus in hoc versu, ut sit: nunc pallente canit corymbo moestitiae accommodato. quoniam pallidus color quid prae se fert doloris & cum poetae coronentur crocato, ut appareat intrinseca aegritudo, hedera illa coronatur quae pallorem consimilem Stimiconi demonstrare queat.

10. Donavimus] Dono prosequuti sumus. Virgili. in v. Aene.

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit:

Scribit Marcellus dona consuetudine haec haberi, quae aut propiciandis diis dantur, aut hominibus pro benefactis redduntur. quamvis pro allusione apud Virgilium in Bucolicis inveniatur.

Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit.

Tenero hedo] Molli & ex lacte mero.

11. Habes.] Sine dasea scribendum est, pro absens es.

Lustravit.] Purgavit: unde lustrum spatium quinquennale quo urbem lustrabant, i. e. purgabant.

12. Jussit certare juvenes.] De more & consuetudine, nam sacrificiis canere & saltare solebant, quia nullam corporis partem majores esse voluerunt (ut inquit Servius) quae religionem non sentiret, unde dixit Virgilius in Bucolicis.

Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Cantabunt mihi Dametas, & Lyctius Aegon.

Inde est proverbium *ad omnia secunda saltat senex*, nam cum iracundia Matris Deum Romani laborarent & eam nec sacris nec ludis placare possent, quidam senex statutis ludis circensibus saltavit, quae sola fuit causa placationis, author est Servius in explicatione ejus Virgiliani in XII. Aene.

Lustramurque Jovi.

Certare.] Carminibus contendere.

Arguta cicuta.] i. e. Fistula, pars est pro toto. cum cicuta sit spatium inter cannarum nodos, ut diximus superius. alias herba est venenarissima ut scribit Plinius qua periit Socrates, unde dictum est a Persio.

- - - Sorbitio tollit quem dira cicutae.

13. Invictus] A nullo superatus.

Dives auferat.] Praemia: non quod dives sit, sed praemiis ditatus. *praemia* dicuntur quae ob aliquod egregium facinus retribuuntur. ut apud Vir. in I. Aene.

Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiae & mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant.

14. Non solum.] Non tantum.

Gaudeat.] Letetur: est autem sensus, habeat praemia sui Stimicon laboris, & non tantum gaudeat pro recepto hedo, sed & tota habeat & possideat ovilia Thyrsidis, non tamen aequipatabit laetitiam meam ex spectaculis conceptam.

15. Ovilia.] Pro pecudibus inclusis. sicuti apud Virgilium.

Triste lupus stabulis.

Id est ovibus quae ovili includuntur.

16. Aequabit.] Aquipatabit. *aequare* enim est parem reddere. unde *aequum* justum appellamus eo quod nullam in partem propendeat, & lances habeat pares ex utraque parte.

Nec mihi si quis.] Ordo est: nec si quis mihi donet omnia pecuaria Lucanae silvae, erunt magis illa grata quam spectacula nuper in urbe visa.

Pecuaria.] Non tantum pecudes, sed & alia ex quibus fit pecuaria. nam, ut superius ex authoritate Marci Varronis docuimus, *facere pecuariam* intelligitur de ove, capra, sue, bove, asino, equo, mulo, cane, pastore.

17. Lucanae Silvae.] In quibus cum sint latissima pascua, conveniunt ea omni parte pastores cum pecudibus & armentis, Lucani autem sunt populi in secundo Europae sinu inter Brutios Hirpinos & Calabros (ut scribit Plinius in tertio Naturalis Historiae) apud quos oves etiam nascuntur commendatissimae. a *Lucanis Lucam bovem* quidam appellatam volunt quod Pyrrhi bello primum in Lucanis visa sit. unde est illud Ausonianum.

- - - Ut Lucas boves
Olim resumpto praeferoces praelio
Fugit juventus Romula:

Quamquam a luce potius dictas *Lucas* arbitretur Varro, quod longe inlucebant propter inauratos regios clypeos. etiamsi in omnibus ferme codicibus *inducebant* pro *inlucebant* passim legatur. Lucanos quosdam ex genere scarabeorum vocari a Nigidio author est Plinius in undecimo. qui apud nos volatiles sunt cornibus cervinis ad morsum coeuntibus unde & nomen habent, horum cornua remediis infantum ex cervice suspenduntur: ut idem scribit Plinius.

18. Grata.] Jucunda & pro desiderio. *gratificare* est gratum facere. ut apud M. T in Hortensio, *quare egredere quaeso & gratificare Reipublicae.*

Spectavimus.] Vel dum praesentes videmus, vel tempus est pro tempore *spectavimus.*

In urbe.] Scilicet Romana. *urbs* ab *orbe* & *urvo* dicta (ut scribit Varro in primo de Lingua Latina) urbes enim circunducebantur & designabantur aratro. Ideo ait Varro omnes colonias Romanas in litteris antiquis scribi *urbes*, quoniam item ut Roma conditae fuerant. hunc morem respexit Virgilius in quinto Aeneidos ita scribens.

Interea Aeneas urbem designat aratro.
Sortiturque domos.

Ubi haec Servius, quem morem Cato in Originibus fuisse

se dixit; conditores enim civitatis taurum in dextram: vaccam intrinsecus jungebant, & incincti ritu Sabino, id est togae parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent & ita sulco ducto loca murorum designabant & aratrum suspendebant circa loca portarum; unde territorium dictum est quasi teriboviurn, tritum bobus & aratro.

19. Nec despice.] Nec spernas. despiciens dicitur diligenter inquirens, ut annotat Servius.

Invidus.] Nostra invidens bono: invidus dicitur qui nulla bona aliis communicari velit, unde dictum est ab Horatio

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Hinc invidam Memphim appellavit Papinius in silvis, quod nulli caeremonias suas Memphitici sacerdotes communicatas vellent. ob quod & ipsi incommunicabiles dicti. invidiosum etiam dicimus authore Marcello quod sit vitabile ad videndum. Cicero lib. III. Tusculanarum: *Posset in misericordiam: possit in invidentiam.* Non dixit in invidiam, quae tum est cum invidetur. ab invidendo autem invidentia recte dici potest. ut fugiamus ambiguum nomen invidiae.

20. Non aliter certe.] Sensus est: non minus mihi jucundum praestiteris officium quam cum Pale aut Apolline invocatis dulcia audiuntur certamina celebrantium eorum sacra: Pales & Apollo numina rusticorum, ut apud Vir.

Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.

Scribit enim Servius triplicem esse Phoebo potestatem: apud superos solem dici, in terris Liberum patrem, apud inferos Apollinem, unde tria illius simulachro insignia sunt, lyra quae caelestem harmoniam exprimit, Gryphus quod terrenum indicat numen, Sagittae quibus nocere cum infernus deus notatur: Scribit Macrobius in primo Saturnalium νόμιον Ἀπόλλωνα cognominatum solem non ex officio pastorali, ut fabula, per quam fingitur Admeti regis pecora pavisse; Sed quia sol pascit omnia quae terra progenerat, unde non unius generis, sed omnium pecorum pastor canitur. ut apud Homerum Neptuno dicente

- - - Φοῖβε, σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες.

Non aliter loquere.] Non secus mihi loquendo dulce explicabis quam dicere solent qui in sacris canere consueverunt: Sed majorem exprimit Corydonis efficaciam, ut sit judicare quam dulciter canat qui loquendo vincat caeterorum cantum.

Solent certare.] Subintellige pastores adhibitos, non quod certent Pales & Apollo.

Quotiens vocantur.] Pro invocantur.

Ad sacra.] Seu Palilia seu alia Pastorum festa.

22. Fecunda.] Exuberans & plena, invocatur enim foecunda ut praebeat largas herbas & laeta pabula.

Vidimus in caelum.] Incipit describere Corydon spectaculi constructionem & ordinem, deinde spectacula, hoc est feras exhibitas.

24. Surgere.] Crescere, ut apud Virgilium,

- - - *Septemque assurgit in ulnas.*

Despectantia.] Desuper aspicientia. nam *despicere* est desuper aspicere, ut

Qualem saepe cava montis convalle solemus
Despicere.

Textis trabibus.] Quasi textura quadam compaginatis. *trabes* dicuntur ligna oblonga. in aedificiis tabulata sustentantia, saepiusque pro navi trabs accipitur, ut apud Persium.

- - - *ast vocat officium trabe rupta.*

id est navi.

24. Culmen Tarpejum.] Id est collem Tarpejum sive Capitolinum, ubi erat Palatium Senatorium (ut scribit Solinus, de quo nomine cum superius dictum, hic aliqua retractare non indecens sit. Arcem Tarpejam a Tarpejo custode arcis sunt qui appellatam velint, cujus filia Tarpeja (ut scribit Plutarchus) eam Sabinis prodidit, spe armillarum capta, quas Sabini magno pondere laevo brachio gerebant, quibus mox oppressa est, ibique sepulta. ita autumat etiam Varro in I. de Lingua Latina: *culmen* dicitur pars eminentior tecti, quia veteres (ut inquit Servius) aedificia de culmis tegebant i. e. messibus. Virg. in Buc.

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

25.] Immensosque gradus.] Sedilium dispositiones. nam in Theatris & spectaculis per gradus disponebantur sedendi loca, ut digniores gradu, hoc est loco sublimiori sederent ac digniori: & caeteri pro conditione disponerentur, & per gradus ordinarentur. de ordinibus sedendi fit mentio a Th. in XXXIII. quarum etiam & his tetigit Suetonius in Dictatore, *Sessum in quatuordecim. summa per orchestram transit circensibus:* Martialis, cum primi ordinis hominem denotare vellet, ita reliquit in secundo:

Russe vides illum subsellia prima terentem.

I. e. altiores & sublimiores gradus: Gradus proprie dicuntur scalarum mensus ad quos passu vadere possumus. Virg. in secundo Aenei.

Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus.

Juve. Sat. III.

- - - *nam si gradibus trepidatur ab imis*
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia.

Dicitur etiam *gradus* pro passu, Lucanus in secundo,

- - - *Quantoque gradu mors saeva cucurrit.*

Scribit Marcel. gradus esse consuetudines per quos altiora domorum & aedificiorum omnium scanduntur, ut apud Virg. Aen. primo.

Aerea cui gradibus surgebant limina.

Gradatim adverbium est quod significat per gradus. Apu. in X. *Gradatim permensis honoribus quinquennalis magistratus destinatus fuerat.*

Immensos.] In altum tendentes.

Et divos lene jacentis.] Legendum est *clivos*: dicitur enim *clivus* prona descensio. ab *inclinando*, quod descensum habeat: Multi autem fuerunt Romae clivi variis nuncupati nominibus, ut clivus Capitolinus, de quo Cicero in Oratione de reditu suo, *se nonarum Decemb. quae me consule fuissent clivi Capitolini poenas ab equitibus Romanis esse repetitum.* Clivus ad Janiculum, & clivus Aricinus, ad quem mendici conveniebant & aegrotantes. unde dictum est ab epigrammatario Poeta jocose.

Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem Zoile coena facit.

Et a Juve. Saty. quarta.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Ad pontem similiter Aemilium convenire solebant mendicantes, de quo Juve.

- - - nusquam Aemilius pons.

Et alibi.

- - - Diruaque a ponte satelles.

I. e. Aemilio. hunc designavit etiam Ovidius in Ibidem illo versu.

Quique tenent pontem qui tibi major erit.

Lene jacentes.] Descriptio est clivi molliter descendentis.

Venimus ad sedis.] Bene se dixit venisse ad sedes turbae sordidae cum ipse sordidus esset. sordes, ut inquiet inferius

Nudaque paupertas & adunco sibula morsu
Obsuerat.

Ad equestrem provenire gradum; siquidem neplias erat viliori inter nobiliores spectare. unde legimus L. Flaminium, Q. Flaminii fratrem e Senatu a Catone depulsum, ludos publicos in extrema theatri sede abjectum atque humilem spectasse, moxque populi misericordiam movisse, & in superiorem crebris clamoribus partem revocatum, quem e vestigio consulares viri sessum inter se receperunt. auctos Plutarchus in Flaminii vita.

Turba sordida.] Plebs incompta & spurca. *sordidum* enim sordibus plenum atque spurcum appellamus. unde *sordidatus* vestem sordidam indutus. sed *sordidus* ex moribus, *sordidatus* dicitur ex causa. Cicero in Pisonem, *nec minus laetabor cum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum viderem:* est etiam adverbium *sordide*, quod significat spurce. Plin. Caecilius in III. Epistolarum, *non minus violenter quam sordide gesserat.* *sordes* autem proprie dicuntur in homine accusato. Cicero pro Cluentio. *Ne forte mater hoc sibi optatissimum spectaculum hujus sordium atque luctus & tanti squalloris amitteret.* *sordidi* autem proprie dicuntur pauperes sordidas indui vestes, ut apud Juvenalem de pauperibus loquentem.

Quid quod materiam praebet causasque jocorum
Omnibus hic idem, si foeda & scissa lacerna
Si Toga sordidula est.

Sordidus aliquando pro avaro & deparco dicitur: Suetonius in Nerone, *divitiarum & pecuniae fructum non alium putabat quam profusionem. Sordidos ac deparcos esse quibus ratio impensarum constaret, praelautos vereque magnificos qui abuterentur ac perderent*, in quem accipe significatum illud Horatii ex II. Sermonum.

Sordidus a tenui victu distabit Ofello
Judice.

Etiam verbum *sordere*, ut apud Actium in Aegisto

Cui manus materno sordet sanguine sparsa.

Id est sordida est.

Pulla veste.] Colore ad nigredinem vergente. *pullus* color est quem nunc *Spanum* vel *Nativum* dicimus, unde *pulligo* color nativus dicitur, ut intelligas Plinii verba in VIII. scribentis, *fulvas Tarentum ac pulligine suae.* Vir. in III. Geor.

Ne maculis infuscent vellera pullis.

Ibi tamen nigras intelligit Servius. *a pullo pullati* dicuntur vestes, colore nativo indui, ut viliores, quibus facultas non datur precioso colore lanas tingere: *pullatae nugae* a Persio dicuntur tragicae, quoniam in tragoediis tristia tractantur, quae ut plurimum per colorem denotantur pullum. per vestem vero togam intelligas quae erat viliorum. scribit enim Asconius in III. Verrinarum, togam communem habitum fuisse morium & foeminarum sed praetextatam honestiorum togam viliorum. toga in reatu fuit ut scribit Orosius in V. pullae togae fit mentio a M. T. in Vatinium testem his: *illud scire ex te cupio: quo consilio, aut qua mente feceris ut in epulo quondam Arii familiaris nostri cum toga pulla accumberes.*

27. Inter foemineas cathedras.] Foeminas maribus mixtas spectasse in theatris vel ex authoritate Juvenalis patet ita Sat. VI. scribentis,

Porticibusne tibi monstratur foemina voto
Digna tuo, cuncti an habent spectacula totis
Quod securus ames, quodque inde excerpere possis.

Cui astipulatur Ovidius his in primo de arte amandi.

Sed tu praecipue curvis venare theatris,
Haec loca sunt voto fertiliora tuo.
Illic invenies quod ames quod ludere possis,
Quodque semel tangas quodque tenere velis.

Cathedra.] Dicitur pro sedili & ut plerumque accipitur pro spondata sede, quare hodie *cathedram* jureconsulti doctoris sedem elevatam cum sponda appellant, unde *cathedraticum* accipi volunt, quod anno quolibet episcopo a clericis solvitur sibi subditis, quia ad honorem cathedrae Episco, alis solvitur, ut habetur x. q. III. hic pro sede foeminarum ponitur, ut apud Juvenalem Satyra sexta.

Cujus apud molles minima est jactura cathedras.

Apud Epigrammatarium pro sede doctorum dicitur.

- - - At cirenm pulpita nostra
Et steriles cathedras basia sola crepant.

Subsellia, ut scribit Asconius in prima Verrinarum, proprie tribunorum triumvirorum quaestorum & hujuscemodi minora judicia exercentium sunt, qui non in sellis curulibus ac tribunalibus, sed in subsellius considebant.

28 Petent.] Legendum est *patent*, id est aperta sunt, ut apud Lucanum in II.

Jamque irae patuere deum.

Libera.] Nullis exposita umbris & umbraculis.

Aperto coelo.] Penitus admisso. *apertam* enim rem manifestam appellamus & omnibus palam, ut in obscoeno Carmine.

Fulmen habet mundi dominus, tenet illud aperte.
Nec datur aequoreo fuscina tecta deo.

Et alibi.

Nec pudere pulso flamus sub Jove coleis apertis.

Ordina autem sic: nam aut eques aut nivei tribuni densavere quaecumque loca patent libera sub aperto coelo.

29. Eques.] Dignitas erat apud Romanos equestris insignis, sed opus fuerat ad illam habendam quadringentis sestertiis ex Tiberii edicto, ut scribit Plinius: hinc est illud Juvenalis ex Satyra prima

Quadringenta parant.

Id

Id est census equestris qui continebatur quadringentis sextertiis. Martialis in secundo.

Praetorem pauper centum sextertia Gaurus
Orabat cara notus amicitia.
Dicebatque suis haec tantum deesse trecentis,
Ut posset domino plaudere justus eques.

Equites mediam inter populum senatumque tenebant dignitatem ut author est Appianus in secundo: equestres autem familiae Romae nobilissimae fuerunt. Sicut & hodie apud nostrates: Suetonius in Dictatore, *dimissa Cossutia, quae familia equestri, sed admodum dives praetextato desponsata fuerat, Corneliam duxit uxorem:* Scribit Valerius in secundo, equestris ordinis juventutem omnibus annis bis urbem spectaculo sui sub magnis authoribus celebrasse, die Lupercalium & equitum probatione: equestris statua in urbe & Italia primum inaurata autem M. Attilo Glabrioni patri in aede Pietatis posita est, ut idem scribit Valerius: equestrium origo perquam vetus est authore Plinio libro XXXIV. Naturalis Historiaa, cum foeminis etiam honore communicato, Cloeliae enim statua fuit equestris. erant autem equestres statuae, ut hoc non te candide lector praetereat, equo insidentes, sicut pedestres pedibus: primam Cloeliae & Horatii Coclitis equestrem statuam fuisse dicatam ex Pisonis testimonio tradit Plinius.

NIVEI TRIBUNI.] Albis vestibus decorati. tribuni autem ita divisi fuere: ut quidam *ruffuli* sed ex genere militarium appellarentur, qui in exercitu creabantur: alii comiciati qui comiciis designabantur ut docet Asconius: Alii *tribuni aerarii*, sic appellati quod pecuniam sibi ipsis attributam militi redderent. hic de tribunis plebis intelligo, de quibus satis multa Livius in secundo ab urbe condita & apud jureconsultos. quo pacto creati fuerint explicatur in principio Digestorum. *Ephori* apud Lacedemonios quales apud Romanos tribuni plebis fuisse memorantur.

NIVEI.] Ob vestem albam ut fidem curae significarent habere: quam albo panno, velatis manibus coli praediximus, unde saepe legimus imploratam tribunorum fidem. Alba veste magistratuum petitores similiter incessisse nulli dubium, quod ideo factitatum est ut scribit Plutarchus in Problematis, ne forte cives largiendo corrumperent argentum sinu ferentes. vel quod imperio se dignos, non genere non divitiis, nec gloria sed vulneribus ac cicatricibus indicabant, quae ut ab his quos prehensabant ambiendo viderentur, sine toga ad petendum descendebant, sive ut rogando & se omnibus submittendo, sicque corpus nudando ac se ipsos abjiciendo populum captarent. annotatum est autem primo albis vestibus usos fuisse quoniam sacrificia quasi quaedam faciebant in theatris: Tribuni dicti quod per tribus eligerentur, ut apud nos remanet consuetudo quaternos per singulas quattuor tribus eligendi.

30. QUALITER HAEC PATULUM.] Per similitudinem vallis oculis subjectae Lycidae designat theatrum quod ad tempus ligneum aedificari solitum fuit, memoriae proditur Curionem quondam in parentis funerali honore duo theatra e ligno acerno cardinum singulorum versatili suspensa libramento exaedificasse quae cornibus inter se coëuntibus faciebant amphitheatrum. est enim Amphitheatrum ut hoc quoque non ignores ex duobus constans theatris forma rotunda. de amphiteatro ligneo fit mentio a Suetonio in Nerone. Haec vallis demonstrantis est.

CONTENDIT.] Includitur spatiosa rotunditate & final tendit.

PATULUM ORBEM.] Spatiosam rotunditatem.

31. SINUATA LATUS.] Habens latus sinuatum i. e. circumflexum & incurvatum.

RESUPINI] Sursum spectantibus sunt enim ad visum superioris partis resupinatae & quasi jacentes. *supinus* dicitur proprie qui corpore ad caelum jacet elevato. Juvenalis sat. III.

- - - Cubat in faciem mox deinde supinus.

Resupinare, ut notat Marcellus, significat revocare, apud Juvenalem evertere, ut

- - - Aulam resupinat amici.

UNDIQUE.] Ex omni parte, ut

- - - Undique totis
Usque adeo turbatur agris.

32. CURVATUR.] Inflectitur, unde *curvae* animae a Persio appellantur retortae & inflexae, non recte prospicientes, sat. II. illo versu.

O curvae in terris animae celestium inanes,

Curva autem proprie dicuntur theatra, ut apud Ovidi.

- - - Curvis venare theatris.

CONCAVA.] Simul excavata intus.

INTER CURVATUR MONTES] A quibus efficitur vallis. *continuum* autem dicimus per ordinem ductum, unde *continuare* verbum, quod significat per ordinem deducere.

33. SINUS.] Cumulus & aggeratio dicitur, hic pro receptaculo accipitur incurvo arenae: diximus autem superius *harenam* pro spectaculi loco saepius nominari, quoniam harena inspargebatur terra, ne esset lubrica pedibus gladiatorum, ut apud Martialem.

Tutior in sola non est cum curris harena.

Et apud Juvenalem.

- - - Veraeque paratur harenae

Unde & *harenarii* dicti, quos nasci sub canicula autumavit Firmicus, qui idem scribit in sexto Matheseos, *si Juppiter in finibus Martis positus in quocumque signo, & Mars in finibus Jovis in cardinibus collocatus, quadrata se vel diametra radiatione respexerint, & in diurna genitura sol sit in dejectis ab horoscopo locis, luna vero in nocturna genitura, optimos nasci gladiatores.*

34. MEDIUM OVUM.] Descriptio est theatri quod binis constabat contignationibus. rustice autem formam theatri ovo comparavit. & per vallem demonstravit. quod Machinam in hemicicli i. e. semicirculi speciem constructam fuisse scribit Cassiodorus. Dictum theatrum ἀπὸ τοῦ θεάομαι. quod est *video*, quoniam eminus astans turba sine impedimento videre poterat. hujus a Graecis extat origo. nam cum feriatis agricolae diebus diversis sacrificia numinibus per lucos & vicos celebrarent, Athenienses primum agreste principium in urbanum collegere spectaculum: hinc est illud Satyrographi poetae ad vetus theatrum alludentis satyra tertia.

- - - Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas.

Medium ovum, hemicyclus theatri.

GEMINIS MOLIBUS.] Binis hemicyclis.

ALLIGAT.] Reserat, connectit, & includit hic: *al-*

SORDIDA TECTA.] Appositio est, id est deformia & sordibus plena. Sic Virgilius in Bucolicis.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas.

SOLA MAPALIA CASAE.] Poenice Mapalia appellantur, ut etiam superius ex Pompeji docuimus authoritate. scribit Servius in quarto Aeneidos, *Magalia Aphrorum casas, & mapalia* idem significare sed *magalia* primam producere, sicuti,

Ut primum alatis tetigit magalia plantis.

Mapalia vero corripere, ut,

- - - Et raris habitata mapalia tectis.

43. TAM TREMULUS.] Tam senex. consueverunt enim senes tremulis incedere membris. Juvenalis Senum describens incommoditates.

- - - Cum voce trementia membra.

Et Calpurnius superius.

Talia verba refert tremulis titubantia labris.

Quintilianus in primo, *non enim puerum quem in hoc instituimus, aut foemineae vocis exilitate frangi nolo, aut seniliter tremere.*

CANUS VERTICE.] Canicie infectus, unde *cana senectus* & *canum caput*. Tibullus in primo.

Dicere nec cano blanditias capiti.

Canitiem tantum homini & equis esse scribit Plinius in XI.

45. FACTUS IN ORBE SENEX] Qui Romae commoratus sum, & in ipsa consenui patria, ut legitur aliquorum qui a natali numquam abscessere solo, & praecipue Aglaji Sophidii. nam cum Gyges Lydiae rex divitiis armisque & regno abundantissimo inflatus sciscitaretur Apollinem Pythium, an ei quemquam praeferret, Aglajum Sophidium respondit, qui Archadum pauperrimus, sed aetate jam senior, terminos agelli sui numquam excesserat, parvulis ruris fructibus contentus. author est Valerius in septimo.

46. VILIA SUNT NOBIS.] Quaecumque inquit spectacula anteriori aetate fuerunt edita si his conferantur vilia invenientur.

47. SORDET.] Sordidum est, ut,

- - - Sordent tibi munera nostra.

48. BALTHEUS EN GEMMIS.] Nunc theatri adornatum describit mox spectacula dicturus. *Baltheus* dicitur alicujus rei cinctus. Lucanus.

Baltheus haud fluxos gemmis astrinxit amictus.

Baltheum quoque cingulum e corio habebant bullatum. *baltheum* dictum putat Varro in primo de Lingua Latina: hic baltheus pro theatri cingulo gemmeo hoc est eminenti tuberculo potest accipi. apud Plinium etenim cortex salicis in modum cinguli alligantis *baltheus* dicitur, his verbis. *Salicis statim plura genera, nam quaedam & in praecelsitatem magnam emittunt jugis nitearum perticas, pariuntque balthei cortice viminea. baltheus* aliquando pro cingulo, a quo arma dependent, dicitur. Virgilius in quinto Aeneidos.

Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Baltheus.

PORTICUS.] Deambulationes sunt umbrarum & removendarum pluviarum gratia aedificatae, quas duplices & triplices appellare consueverunt ab ordinibus columnarum duplicatis & triplicatis. Suetonius in Nerone, *vestibulum ejus fuit in quo colossus c xx. pedum staret, ipsius effigies tanta laxitas, ut porticus triplices miliarias haberet.* Scribit Vitruvius in quinto, in duplici palestrarum porticum collocanda esse complura membra. tu ibi intellige, ubi duplicatus sit ordo columnarum. *cryptoporticus* ex omni parte tecta porticus appellatur, veluti subterranea. Plinius in Epistolis, *subest cryptoporticus subterraneae similis, aestate incluso frigore riget, contentaque aere suo nec desiderat auras nec admittit.*

ILLITA.] Incrustata. *illinere* enim signat incrustare seu leviter tingere. Plinius in undecimo, *unum genus ex araneis perimunt, phalangium appellatum & in nidos suos ferunt deinde illinunt.* idem alibi, *iis primum alveum ipsum intus totum ut quodam tectorio illinunt.*

49. CERTATIM.] Adverbium est quod significat studio certationis. Virgilius in quarto Aeneidos.

Certatim socii feriunt mare & aequora verrunt.

NEC NON UBI FINIS ARENAE.] Describit quo pacto ex ebore ornata fuerit pars theatri, scenam ut puto: nam & Marcus Scaurus authore Plinio, in aedilitate sua theatrum fecit, quod fuit scenae triplicis trecentarum sexaginta columnarum. pars scenae inferior e marmore fuit, media e vitro, ut hic intelligere possimus scenae partem eboream fuisse.

50. PERAGIT.] Verbum est legale *peragere* & juridicum. *peragere* enim *reum* significat condemnare, ut scribit Paedianus. unde & *peregisse reum* alias quis non dicitur, ut scribit jureconsultus nisi eum condemnaverit: hic *peragit* significat valde agit.

MARMOREO MURO.] Ex marmore constructo.

51. STERNIT EBUR.] Humi dejicitur. *sternere* enim significat humi dejicere. Virgilius in secundo Aeneidos.

Ignarosque loci passim & formidine captos
Sternimus.

Sed de hoc jam verbo superius diximus.

EBUR ADMIRABILE.] Admiratione dignum. ebur Indicum probatur, ut patet ex Virgiliano carmine.

India mittit ebur.

Est autem ebur in elephante dens solus (ut scribit Pli. in VIII.) caeterum in his vilitas ossea, quamquam ob penuriam haec secari in laminas coeperint, ut idem affirmat: author est Polybius in extremis Aphricae partibus elephantorum dentes usum postium aedibus praebere, unde est illud Propertianum.

Et valvae, Lybici nobile dentis opus:

Admiratione dignum est elephantes pugna fessos dentes impactos arbori frangere, seque ipsos redimere praeda, ut qui sciant ob quod petantur.

TRUNCIS] Adjunctis tesserulis commissis & coamentatis. videtur autem intelligere de sectilibus pavimentis, de quibus Suetonius in Dictatore, qui scribit Caesarem, quamquam tenuem & obaeratum in expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse: dicuntur vero pavimenta quibus terram item mus ad ornatum ita appellata a verbo vetusto *pavire* quod significat terere & erant sectilia: particulis secta ut quocumque possent circumferri. pavimentorum multa recensentur genera, alia *scruftrata*, crustulis parvis coagmentata. Alia *sub talio*, quae sub divo hoc est in aperto fiebant: fuere & diversi coloris pavimenta & figurata, de quibus Papinius in primo Silvarum.

Calcabam nec opinus opes, nam splendor ab alte
Defluus, & nitidum referentes aera testae,
Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superatque novas asarota figuras.

Sunt vero asarota, ut hoc quoque in transcursu declaremus, pavimenta tessulis in varios colores tinctis compaginata, in quibus Zenodorus primus elatuit, qui asarotum Pergami stravit miro artificio, ubi erat columba bibens & umbra capitis infeans aquas, aliaque subtipiens eicam. dicta asarota quod converri non possint. Fuere & *crustata* pavimenta, cornibus praestructa, de quibus fit mentio a Plinio his verbis in undecimo: *ureum cornibus barbari septentrionales potant, urnasque binas capitis unius cornua implent, alii praefixa his pila cuspidant. apud nos in laminas secta transflucent, atque etiam lumen inclusum latius fundunt, multasque alias ad delicias confesuntur. nunc tincta nunc sublita nuncque crustrata picturae genere dicuntur:* Apud nostros hodie ubique in Italia fere lateritia fiunt pavimenta, quae a silicibus non absurde *silicata* appellantur.

TRUNCUS.] Partes truncatae: Lucanus in secundo,

- - - Truncos laceravit Fimbria Crassos.

Trunci etiam in arbore appellantur qui ramo remanent detruncato. Ovidius in Epistolis.

Et quantum trunci tantum mea nomina crescunt:

Truncare enim signat amputare & recidere, unde *truncator* & *truncatio*.

51. ET COIT IN RUTILUM.] Ordo est: & qua parte lubricus scilicet locus, vel eboris truncus, coit in rutilum aerem, excuteret ungues impositos ac falleret ne quis commissuras posset percipere.

LUBRICUS.] Eapolitus. ubi lubricare hoc est pedibus labi vel manibus sit necesse. *lubricum* enim locum dicimus ubi non bene possumus firmare pedes: & lubrica res est quae labitur dum tenetur. unde anguilla *lubrica*, *lubricus* piscis, & serpens appellantur. Virgilius de serpente.

Lubrica convolvit sublato pectore terga:

Lubrica exta a Tibullo dicuntur, & *lubrica* ossa a Plinio in undecimo.

COIT. Conjungitur.

AXEM RUTILUM.] Id est aureum. *Rutili* enim aurei dicuntur, ut author est Mar. Varro. Et *rutilare* est splendere. Axis autem est proprie circa quem aliquid agitur hoc est movetur, quem ab *agendo* aliqui denominatum volunt. est etiam *axis* fera, hinnuli pelle pluribus candidioribusque maculis Libero patri sacra, ut scribit Plinius in octavo.

52. UNGUES IMPOSITOS.] Scilicet ad explorandum & tentandum ut faciunt marmorarii qui unguibus pertentare solent an bene conveniant lapides. unde res facta ad unguem dicitur perfecta cuique nullus insit defectus. Horatius in Arte Poetica.

Perfectum decies non castigavit ad unguem.

In hanc sententiam est illud Persii.

- - - Ut per laeve severos
Effundat juncturas ungues.

SUBITA VERTIGINE.] Hinc percipimus theatrum motorium fuisse in aliqua parte & fortasse de scena intelligit ut diximus superius: hoc est versili. nam *versilis scena* dicebatur quae machinis quibusdam tota moveretur: sicuti *Ductilis* eo quod hac atque illac tractis tabulatis interior species nudaretur: scribit Plinius, C. Curionem, qui bello civili partibus Caesarianis favit, in funebri patris munere Theatra duo temporaria construxisse ex ligno acerno singulorum versatili ac pensili librameoto.

SUBITA VERTIGINE.] Celeri conversione.

53. EXCUTERET.] Ejiceret. *Excutere*, ut notat Marcellus, significat excludere, dejicere. Virgili. in quarto Aeneidos.

Excutimur cursu, & caecis erramus in undis.

Excussi proprie da equis dicimus, ut inquit Servius: excutere apud Persium significat diligenter inquirere.

Euge tuum & belle. nam belle hoc excute totum,
Quod non intus habet:

Alibi vero dejicere apud eundem:

- - - Calidumque trientem
Excutit e manibus.

Sicuti apud Virgilium in sexto Aeneidos.

Bacchatur vates magnum si pectore possit
Excussisse deum:

Apud Lucanum excludere, in primo.

- - - Tellus extendere littora nolet
Excutietque fretum.

FERAS.] Beluas impositas.

REFULGENT.] Propter aurum, quo distincta fuerant.

54. RETIA.] Illa enim in Theatro ad excipiendas feras tetenderant.

TORTA.] Quae filis aureis fuerant retorta, ut apud nos ex lino hodie fila torquentur, quoniam fortiora sunt & tenaciora.

TORQUERE.] Est filorum & funium. unde dixit Juvenalis.

- - - Levius torquetis Arachne,

Persius.

ō - Tri

- - - Tibi torta canabe fulto
Cerna fit in transtro.

Retia.] Instrumenta venatoria tam ad feras quam ad aves excipiendas. Ovi.

Retia saepe comes maculis distincta tetendi.

Retia a ratitudine dicta, ut autumat Varro in primo de Lingua Latina *Reticulum* diminutivum est, quod parvum rete significat. Juvenalis satyra secunda.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet:

Extant.] Eminent.

Totis dentibus.] Quot sunt instructa retia: funiculis enim quibusdam sustentantur decipula ferarum ut in illa impetum facientes incurrant dum pavidae & a venatoribus premuntur seu canibus: hoc genus retis hodie Bononienses *caniculas* appellant a canibus illis parvis sagaciter lustra perscrutantibus, in eaque arte quadam & mira instructione trudentibus.

55. Dentibus aequatis.] Eburneos intelligit, hoc est elephanteis: de magnitudine dentium elephantorum superius diximus. hoc tamen nunc addimus ex authoritate Theophrasti, ebur fossile, candido & nigro colore inveniri, & ossa e terra nasci quod invenimus apud Plinium in xxxvi. Naturalis Historiae: Stipitem Aethiopem *eburneam statuam* appellavit Cicero in oratione secunda de reditu suo, eo quod in Aethyopia elephantorum copia est maxima, unde legimus Troglodytas apud Plinium in octavo Aethyopiae conterminos hoc solo venatu ali.

56. Dens longior aratro.] Spectabiliores enim sunt ex magnitudine: Scribit Polybius ex elephantorum dentibus in extremis Aphricae sepes & pecorum stabulis palos fieri, authore Gulussa regulo. Aratrum instrumentum est villicum ad terram evertendum, dictum ut putat Varro in primo de Lingua Latina, quod aruit ejus terram ferrum: Aratrum ita fieri docet Maro in primo Georgicon.

Huic a stirpe pedes temo protentus in octo, - -
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.

In aratro *Vomis* sive *Vomer* est, dictum quod terram vomat. item *dens* quod eo mordetur terra: *Stiva*, quod a stando, quae ut autumat Servius, est aratri manica qua regitur, quod suffulcit Ciceronianis verbis ita scribentis. *Ab ipsa stiva mecum homines loquebantur.* unde dixit Hesiodus.

Et stivam compone, manum qua firmet arator:

Manicula etiam in aratro dicta est quod manu bubulci teneatur, qui quasi est temo inter boves: *Buris* sive *bura* est curvamentum aratri dictum quasi *βοὸς οὐρά* quod fit in similitudinem caudae bovis, unde *Buram* a bobus scribit esse dictam Varro similitudinem illam quam habere videtur. Docet Hesiodus utile esse, si Temo ex ulmo viridi vel lauro conficiatur, Stiva ex pino, dentalia vero ex quercu fiant: Inventorem aratri Triptolemum praedicant, unde *Triptolemicum* dentem appellavit Fulgentius aratrum in primo Mythologicon. Osirim fuisse scribit Servius, de quo

- - - Uncique puer monstrator Aratri.

Bovem & aratrum Brigem Atheniensem invenisse scribit Plinius in vii. seu, ut alii volunt, Triptolemum.

57. Ordine quid referam.] Nunc spectaculum varii generis commemorat ferarum.

Omne genus.] Genus continet speciem, quare etsi non specialiter omnes connumerat feras, in genere omnes comprehendit.

58. Niveos lepores.] Scribit Plinius in octavo in Alpibus lepores esse candidos, quibus hybernis mensibus pro cibatu nivem esse credunt eaque liquescente rutilescere annis singulis: de venatione autem leporum video apud Xenophontem in libro de venatione. ex genere leporum cuniculi sunt totis orgis candidi, maculisque nascentes distinctis, tanta foecunditate ut post partum statim fiant pregnantes foeminae, infestante catulos mare, saepiusque usque ad internecionem si inveniant, quare occultantur a matre ne inveniri possint non generari in domibus hi minus quam foris. ut sit mirum inter ejusdem fere generis animalia tantam esse dissimilitudinem cum lepores capti etiam teneri raro mansuescant. hi vero saepe e mano cuniculi cibatum capiant: hos Cattaneorum cum domus patritia educaret, quae me aluit, placidissimos manibus tractare consuevi, ultroneis sese obviisque offerentibus manumque lingentibus: hos ex foraminibus viverres exire cogunt caveis immissae, animalia propter venatum eorum expetibilia. Memoriae proditum est adversus proventum eorum Balearicos quondam a divo Augusto militare auxilium petiisse. cuniculi autem appellati sunt a foraminibus, quae inhabitant, qui multifores in terris sunt, ut intelligat Plinii verba ita in octavo scribentis: Magna propter venatum eorum viverris gratia est, injiciunt eas in specus qui sunt multifores in terris unde & nomen animali id est cuniculo.

Et non sine cornibus apros.] De Indicis apris intelligit de quibus Plinius in octavo. in India cubitalea dentium flexus Gemini ex rostro totidem a fronte ceu vituli cornua exeunt: caeterum suillum genus comestioni gratissimum, cui animam pro sale datam non illepide quidam dixerunt. unde dictum est a Juvenali.

- - - Animal propter convivia natum.

Constat Charidemum olim apri dentibus discerptum fuisse, cum eum damnasset Domitianus, ob quod dictum est ab Epigrammatario poëta in Mancinum.

Ponatur tibi nullus aper post talia facta,
Sed tu ponaris cui Charidemus apro.

Aprorum venationem docuit Xenophon quomodo fieret, qui idem ubi sint venatoribus his indicari signis docuit in mollibus locis vestigiis, in silvosis ramorum fragmentis, ubi arbores fuerint ramorum vulneribus.

59. Manticoram.] Manticora ut scribit Plinius in Aethiopia gignitur triplici dentium ordine pectinatim coeunti. facie & auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spicula infigente. vocis ut si misceatur fistulae & tubae fiat concentus, velocitatis magnae, humanum corpus vel precipue appetens. hanc in Aethiopia hominum vocem imitari author est Juba.

Quibus silvis vidimus.] Vel vidimus in scena silvas ex quibus progrediebantur, vel vidimus pro audivimus ex septentrione Alcem editam, scilicet ex Aethiopia Manticoram. De Alce sic scribit Pli. *septentrio fert*

& equorum greges ferorum ficut afinorum Afia & Africa, praeterea Alcen, ni proceritas aurium & cervicis diftinguat, jumento fimilem. de hac Solinus, *eft & alces mulis comparanda, adeo propenfo labro fuperiore, ut nifi recedens in pofteriora veftigia pafce non queat.*

60. Et tauros cervice levata.] Caricos intelligit, de quibus ita Pli. *Syriacis non funt palearia, fed gibber in dorfo, Carici quoque in parte Afiae foedi vifu tubere fuper armos a cervicibus eminente.* Dicuntur autem proprie tauri qui caftrati non funt ad reparandam fobolem idonei. tauri generationem implent quadrimi, & fingulis denae eodem anno traduntur vaccae, fed memoratu dignum eft fi poft coitum ad dexteram partem abeant tanti generatos effe mares, Si in laevam foeminas. his bella inter fe civilia funt. amore enim ad pugnas ducuntur victorque regit & victus fecreta petit. quod tetigit Lucanus in fecundo Pharfaliae cum cecinit.

Pulfus ut armentis primo certamine taurus,
Silvarum fecreta petit, vacuefque per agros
Exul in adverfis explorat cornua truncis.

Celeberrimus apud poëtas eft taurus puellam Europam qui duxit quamque incolumem Cretam tranfvexit, inter aftra conftitutus eft ut fcribit Euripides. eft autem ad exortum fignorum dimidia parte collocatus ut docet Hyginius, qui idem inter hujus finitionem & arietis caudam ftellas effe dicit, quas vergilias noftri Plejadas Graeci appellaverunt. Memoratiffimi quoque fuerunt aeripides illi tauri quibus aravit Jafon ad vellus aureum miffus, de quibus Ovidius in Epiftolis.

Narrat &; aeripedes Martis araffe boves.

Levata cervice.] Nam eminet a cervicibus tuber.

61. Toros.] Armus, unde *torofus* appellatur armo forti & valido infignis, & *torofa* juventus dicitur a Perfio valens & fortis, Satyra. IV.

Hos populus ridet, multumque torofa juventus
Ingeminat tremulos nafo crifpante cachinnos.

Torofam inde cervicem bovis optavit Col.

Eminent.] Superftant. ut,

- - - Gradiensque deas fupereminet omnes.

Deformis.] Turpis, quafi fine forma, fic inferius.

- - - Et equorum nomine dignum
Sed deforme pecus.

Scapulis.] *Scapulae* dicuntur partes collum contingentes. Plinius in undecimo de locuftis, *vox earum procedere ab occipitio videtur, eo loco in commiffura fcapularum habere quafi dentes exiftimantur;* Plautus, *fcapulorum confidentia, virtute ulmorum freti.* Ovidius.

Conveniunt tenues fcapulis Analetides altis.

Inde *interfcapilium* ab Hyginio fpatium dicitur inter fcapulas.

Aut quibus hirtae.] Bifontes dicit, qui jubati traduntur. Plinius, *paucifsima Scythia gignit inopia fruticum, pauca contermina illi Germania, infignia tamen boum ferarum genera, jubatos bifontes, excellentique & vi & velocitate uros.*

Hirtae.] Hirfutae & afperae. Plinius in undecimo, *pili e cute exeunt craffa hirti,* Trogus colligit *hirtos* homines libidinofiores effe. *hirto corde* gigni quofdam homines produnt, nec alios fortiores effe induftria, ficut Ariftomenem Meffenium, cui Lacedaemonii diffecto pectore hirfutum cor invenerunt.

62. Quibus aspera mento.] Bifontibus afperam barbam dependere dicit.

Aspera] Dura & ruvida, ut dicunt Bononienfes unde *afperitas.* Plinius in undecimo *leviffima afperitas, ut fcobina fabri. Afperare* verbum invenitur quoque, quod fignificat afperum & difficile reddere, Claudianus in Ruffinum.

Tum duplici foffa non exuperabile vallum
Afperat alternis fudibus.

Mento.] Proprie dictum pro parte illa inferioris malae fub qua pili innafcuntur, nam praeter hominem nulla habere mentum animalia funt qui exiftimarint.

63. Jacet.] Demittitur.

Palearia.] Pelles funt defcendentes a collo, *ruman* aliqui dicunt ut fuperius docuimus.

Rigent.] Propter hirtos pilos.

Tremulis setis.] Pro ipfis palearibus. *Setae* dicuntur duriores pili, unde *fetofus aper.* Virgilius in Bucolicis.

Setofi caput hoc apri.

Juvenalis.

- - - Et durae per brachia Setae
Promittunt atrocem animum.

Plinius de tauris, *Torva fronte, auribus fetofis.*

64. Silvestria monstra.] Id eft in filvis nafcentia.

65. Aequoreos vitulos.] Marinos intelligit, quorum vita in terra fimul & aqua eft, ut fcribit Plinius, his in mille colores tranfire oculos duplicemque effe linguam idem docet. eofdem *phocas* vocant, in terraque fpirare & dormire traduntur. ob quod dixit Maro in quarto Georgicon.

Sternunt fe fomno diverfae in littore phocae.

In fomno quod mugitum reddant vitulis fimile nomen fumpfere, authoreque Plinio in undecimo, auribus carent.

Cum ursis certantibus.] Spectaculum urfi & rhynocerotis celebratur ab Epigrammatario poëta in primo.

Quique gravem gemino cornu fic extulit urfum
Jactat ut impofitas taurus in aftra pilas;

Notatum eft Annalibus Domitium Aenobarbum aedilem

lem curulem ursos Numidicos centum, & totidem venatores Aethiopas in circo dedisse, M. Pisone. Marc. Massalla consulibus: Ursi cum coëunt, non more quadrupedum commisceri traduntur, sed ambobus cubantibus complexisque, horum partus parva informisque caro paulo muribus major, sine oculis, sine pilo, ungues tantum prominent. sed hanc lambendo paulatim figurant, traditum est Virgilium solitum mane plurimos versus dictare ac per totum diem retractando ad paucissimos reducere, quare non absurde se ursae more parere dicebat & lambendo demum effingere. Nil rarius quam parientem ursam homines vidisse scribit Plinius. invalidum est urso caput unde & saepe in harena colaphis inflictis exanimati sunt, vis maxima eorum in brachiis & lumbis, quare interdum positis pedibus insistunt, Alvearibus insidiari traduntur, nec avidius aliud quam mella captare, ut refert Solinus.

66. Et equorum nomine dignum.] Hippopotamum intelligit, hoc est Fluviatilem equum. *hippos* enim dicitur *equus*, *ποταμος fluvius*. Hippopotamo & crocodillis refertum esse Bambotum Mauritaniae flumen scribit Plinius in quinto. Idem in octavo de hippopotamo ita reliquit, *major altitudine in eodem Nilo Belua hippopotamus editur, ungulis binis, quales bubus, dorso equi, & juba & hinnitu, rostro resimo, cauda torta, & dentibus apri aduncis sed minus noxiis, tergoris ad scuta galeasque impenetrabilis.* hippopotamum & quinque crocodillos Romae aedilitatis suae ludis M. Scaurum temporario euripo ostendisse memoriae proditum est. Hippopotamum traditur phlebotomiae fuisse magistrum, quod assidua facietate obesus in littus exit recentes arundinum caesuras perspeculatus atque ubi acutissimum videt stipitem imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat. hujus magnitudinem quinque cubitis haud esse minorem scribit Diodorus in I.

Nomine equorum.] Propter similitudinem jubae dorsi & hinnitus quem equis similem reddit.

67. Deforme.] Vel magnum. vel nulla formositate ad comparationem terrestris equi.

68. Qui sata riparum.] Nilum intelligit in quo hoc animal nasci diximus. est aut Nilus Aegypti fluvius aestatis temporibus inundans terram. de quo Luca. in X.

- - - Non terras dissipet undis
Nilus adest mundo, contraque incensa leonis
Ora tumet, cancroque suam torrente Syenem
Impertatus adest, nec campos liberat undis
Donec in autumnum declinet Phoebus & umbras
Extendat Meroe.

Vir. in IIII. Geor.

Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.

Hunc incertis fontibus oriri scribit Pli. unde cecinit Luca. in XI.

Nec juvit populis parvum te Nile videre.
Amovitque sinus & gentes maluit ortus
Mirari quam nosse tuos.

Cum crescit reges aut praefectos navigare eo nephas judicatum. incrementum Nili justum est cubitorum decimo sexto, minores aquae non omnia rigant, ampliores detinent tardius recedendo. haec sementi tempora absumunt solo madente, illae non dant sitiente. author est Plinius in quinto.

68. Irrigat.] Foecundat, ut ait Virgilius,

Et viridem Aegyptum nigra foecundat harena.

Sata.] Seminata, ut

- - - Sata laeta boumque labores.

Undis venientibus.] Hoc est, crescentibus. incipit crescere luna nova quaecumque post solstitium est, sensim modiceque cancrum sole transeunte, abundantissime vero cum leonem transit. Lucanus,

Nec timet hibernus cum longe sole remoto
Officiis caret unda suis, dare jussus iniquo
Temperiem coelo, mediis aestatibus exit
Sub torrente plaga.

Residet autem in virgine iisdem quibus accrevit modis. in totum autem revocatur intra ripas in libra. ut tradit Herodotus centesimo die. quod tetigit Lucanus cum cecinit,

- - - Nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti libra sub judice Phoebum.

69. Ah trepidi.] Bene *trepidi*, quoniam ex rebus insolitis trepidi sumus, ut hic apertione subita terrae.

Trepidi.] Timentes. Vir. in II. Aenei.

- - - Trepidusque repente refugit.

Descendentis harenae.] Ordo est, ah quotiens nos trepidi vidimus in partes harenae cadentis, hoc est declinantis, emersisse feras e voragine terrae ruptae.

71. Emersisse.] Surrexisse. Juvenalis,

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Eisdem latebris.] Scilicet ferarum ubi latebant.

Croceo libro.] Id est cortice luteo, ad similitudinem croci. est enim crocum herba angusto folio in capillamenti modum in Cilicia maxime proveniens, unde dixit Vir. in I. Georg.

- - - Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur.

Quia Tmolus mons est Ciliciae, ubi crocum praecipuum nascitur. Scribit Plinius ebrietatem coronis ex croco confectis mulceri, quique crocum prius biberint crapulam non sentire. flos ejus sacro igni illinitur cum creta Cimolia. in hunc tradit conversum florem ejusdem nominis puerum Ovidius. olim sparsum crocum est Neroni incedenti per Velabrum in Palatium ut author est Suetonius in ejus vita. A croco crocotarii dicti sunt infectores vestium lutei coloris sive croci. Plautus in Aulularia.

Jam hosce absolutos censeas cum incedunt infectores
Crocotarii.

Crocota enim vestis est croceo infecta colore foemineaque, unde Nevius *mollicinam crocotam* appellavit. di-

 mi-

minutivum est *crocotula*. Crocotae fit mentio ab Apulejo in VIII. de Asino Aureo his, *oculis obunctis graphice prodeunt mitellis & crocotis & carbasinis & bombicinis injectis.*

73. O FELIX CORYDON.] Id est fortunate.

TREMEBUNDA SENECTUS.] Eo quod homines Tremebundos faciat, alias enim *Tremebundi* ex pavore dicuntur ut apud Lucretium in primo,

- - Tremebundaque ad aras
Deducta est.

74. IMPEDIT.] Implicat, vetat.

IN HAEC SECULA.] Quae ab Augusto gubernantur & reguntur.

DIMITTERE PRIMOS ANNOS.] Expone, cui contigit exuere primorum labores annorum, quod ex principis munificentia accidere innuit.

75. DEO INDULGENTE.] Augusto, *indulgere* verbum est, quod significat permittere & operam dare, ut apud Persium est

Indulge genio.

Hinc *indulgentia* quandoque pro liberalitate accipitur.

77. SORS.] Hic pro fortuna dicitur. Plinius in secundo, *adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro deo sit.* qua deus probatur incertus. est autem Epicureorum opinatio, fortuitu omnia fieri. quae si vera esset, nulla ordine suo procederent, sed cuncta temere fortuna faciat, ut scribit Cebes in tabula sua: dicitur etiam sors cum ex urna nomina multorum simul congesta extrahuntur. & ipse actus *sortitio* appellatur, de hac sortitione intellexit Maro in II. Aene. cum cecinit

Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos.

Docet vero Asconius, quomodo apud antiquos sortitio judicum fiebat, quorum nomina tabulis inscripta in urnas conjiciebant, deinde sorte educebant.

76. PROPIUS.] Vicinius.

77. REFERENS.] Ex antiquo exemplari legendum est *praesens*, id est ad ejus conspectum.

78. QUAE FORMA DEORUM.] Rustice locutus est. *forma* effigies hic, alias dicitur pro formositate. *formare* verbum est etiam quod significat effigiare, & in formam ducere. Horatius

Voce formasti catus & decorae
More palestrae.

80. MEA NUMINA.] Augustum, qui instar mihi est numinis.

PULLA PAUPERTAS.] Pullo tecta colore, vel nuda ea aliqua corporis parte, potesque etiam intelligere nudam paupertatem quae ab omnibus fugiatur, nullosque quod habeat a quibus tegatur nudum latus.

81. FIBULA.] Ornamentum est cinguli ad vestem subligandam virilem.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Et alibi.

- - - Tereti subnectit fibula gemma.

Fibula etiam fuit usui histrionum accommodata ad reprimendum coitum, de qua tale est apud Epigrammatarium Poetam Distichon.

Dic mihi simpliciter comedis & cytharedis
Fibula quid praestas? carius ut futuant.

Nam foeminis magno solvitur comedi fibula ut inquit Juvenalis, de hac intelligit Seneca in libris Naturalis Philosophiae, ita scribens: *quid ergo est quod apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere, utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit.* a *fibula diffibulare* & *refibulare* deflectuntur, quae verba significant fibulam solvere. Martialis

Cujus refibulavit turgidum faber penem.

Hic *fibula* pro unco & retorto aere accipitur quo anterior pars vestimenti vincitur, hodie Bononienses *uncinellum* appellant, diminutive ab *unco*, sicuti apud Suetonium pro puerili cinctura ita in Tiberio scribentem, *Munera, quibus a Pompeja, Sexti Pompeji sorore in Sicilia donatus, chlamys, & fibula, item bullae aureae durant.*

ADUNCO MORSU.] Retorto & in unci modum inflexo. *aduncum* enim tortum appellamus & reflexum. Plinius in undecimo, *quidam unum esse eum & quia sit aduncus resupinari.*

82. OBFUERANT.] Impedimento fuerant.

UTCUMQUE.] Quali potuimus modo.

83, VISUS ME DECEPIT.] Id est fefellit.

IN UNO.] Scilicet Augusto. scribit Plinius in undecimo, Augustum quondam gratulari solitum, si quis ad ejus conniveret aspectum.

84. MARTIS VULTUS.] Ardens & rutilans, & hoc ad aspectum bellicosum referendum est. nam Mars belli deus est, unde *bellipotens* cognominatur.

ET APOLLINIS.] Hoc ad mansuetudinem, & formositatem, disciplinamque litterarum, quibus iste deus praepositus est.

J O-

JODOCUS BADIUS ASCENSIUS MAGISTRO PETRO MEGANGO CONSANGUINEO SUO GERMANO SALUTEM DICIT.

CUm a teneris (ut Graeci dicunt) unguiculis Petre mi suavissime: te intus & in cute norim: bonitatem dico ingenii tui veramque cum ad litteras tum ad mores cultiores indolem: summamque in me cum omni observantia charitatem: non potui amplius etiam mei in te amoris nullam significationem facere. Quocirca cum C. * Calphurnii lepidissima in genere Bucolico Carmina & tersa & tuis moribus non indigna offenderim: volui quam in ea facerem lucubratiunculam tuo nomini addicere eo praesertim animo ut qui te mihi intelliges charissimum tibi tuaeque famae posthac accuratissime consulas. Tantum te admonitum volui. Vale & me (quod facis) redama. Ex officina nostra chalcographa: ad quartum Calendas Decembres. Anni MDIII.

IN C. CALPHURNII BUCOLICA CARMINA PRAENOTAMENTA.

CAji Calphurnii qui paulo post Vergilium vixisse videtur ex eo quod se Augusti temporibus fuisse indicat: Carmina Bucolica ex ipso Vergilio fere deprompta sunt: usque adeo ut Poëtae intentio videri possit fuisse: ita Vergilium imitari ut ille Theocritum imitatus est. Excedit autem ipsum uno Carmine nam undecim scripsit ut Petrarcha duodecim. Titulus autem his aptior quam Theocriti aut Vergilii Carminibus ut Bucolica nominentur. Nam fere bubulci inducuntur loqui de bobus aut amoribus suis. In Theocrito autem & Vergilio frequentius de capris & ovibus unde Aepoli seu caprii aut opiliones merito censeantur. Quocirca non immerito Aeglogae vulgo inscribuntur id est Caprini sermones seu de Capris aut Caprariis. Qualitas quoque Carminis Bucolica fere est & stilus humilis: interdum tamen ad mediocrem usque assurgit. Nonnunquam etiam sublimi proximus est: ut in primo Carmine ubi recitantur Carmina divina a Fauno edita & Phagoinscripta. Neque id vitio sed laudi dandum. Summi enim artificis est accommodare stilum rebus & personis. dico & personis. Quia res sublimes non conveniunt humilibus personis ni sint ab aliis excogitatae aut scriptae seu dictatae. Argumenta autem varia sunt. ut his nostris monostichis aperimus.

ARGUMENTA ASCENSIANA IN SEQUENTIA CARMINA.

Primo divini memorantur carmina Fauni.
Inque altro Crotales gemini recitantur amores.
In terno Lycidas canit acres Phillidis ignes.
In quarto Augustum Corydon laudat Meliboeo.
In quinto genitor dat rustica dogmata gnato.
In sexto sese rivales voce lacessunt.
Ast in septeno spectacula laudat & urbem.
Octavo extincti probitas canitur Meliboei.
In nono Donacen canit Astachus & puer Alcon.
In decimo Bacchi laudes canit: & bona vini.
Undecimo Meroës puerique canuntur amores.

* In Editione sua quatuor Eclogas *Nemesiani* post *Calpurnium* collocaverat *Badius*, quum utriusque Eclogas uni Calpurnio assignaverit.

JODOCI BADII ASCENSII
NOTAE IN
NEMESIANI.
ECLOGAM I.

Versu 1--8. DUM FISCELLA.] Facta amica cohortatione ad cantandum tandem consentiunt in laudes Meliboei defuncti canendas. Per quem Poëtae patronus sive Pollio, sive alius quispiam intelligetur. *Et ramis imitantur*] scilicet resonando & referendo cantus earum. Caetera nota sunt.

9--47. HOS ANNOS.] Modeste recusat Tityrus officium cantandi excusans senium unde Amyntae juniori concedit. *Charusque deis :* aut principibus Romanis. Aut revera deis a quibus cantandi donum susceperat. *Diximus* scilicet carmina ut est.

Dicite quandoquidem in molli consedimus herba.

Diximus ergo ore & calamis &c. *Secura*, id est securitatis cura minime tamen tuta. *Nunc album caput*, supple est. *Veneres*, operae venereae : *stupuere :* id est hebetes factae sunt. Quia ut dicit Maro :

Frigidus in venerem senior.

Dependet scilicet dicata : tanquam ab emerito. *Rura sonans* scilicet, de te aut per te. *Emeritae*. exactae. Et est paresceve, id est praeparatio ad futurum carmen. *Secreti*. quia nesciebant quo abirent : *mundusque* scilicet alius : ubi solemque suum sua sydera norunt. *Piorum*, ut in Elisiis ubi secundum Maronem sunt

Quique pii vates & Phoebo digna locuti.

Vivit, id est in precio & recordatione est. *Fidibus Linus :* praeter consuetudinem Linus producit. Nam Maro.

Orphi Calliopea : Lino formosus Apollo.

Ubi hic forsassis legit Calliope, *Omniparens* principium carminis: quod Amyntae: ut opinor: est.

48--87 NEC TENUIT QUERELAS.] Id est conquesta communis causa : communis utilitas. Erat ei si de Pollione loquitur vir consularis & bene de rep. meritus. *Lege hominem*. quia constitutum est omnibus hominibus semel mori. *Canente senecta*. aut quia canicies caelo digna. aut caelo matura. *Consilioque deus*. quia ut deus bene consuluit. *Rusticolum*. Ne a Bucolico discedat: non dicit res urbanas tractasse. *Assuetas* pro *assueveras*. *Pectus mitius ore*. Quia adhuc mitius sentiebat quam loquebatur *Oratus*. quia non nisi oratus canebat. Erat autem etiam in Poëtica peritus. Unde est

Pollio & ipse facit nova carmina.

Et apud Flaccum.

Motum ex Metello consule civicum &c.

Marcere, torpore corrumpi. *Pendebas*. persolvebas aut proponebas : *Ruralis* quia pastoralis fuit. *mala*. poma. *Flora* dea florum. *Pictas*. variis floribus ornatas: *Manibus*. scilicet tuis a nominativo manes : *Phocas*, vituli marini. *Ante debet*. Alludit illud.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi.

Laudis. mallem dicere *laudes*. *perage*, id est perfice a natura inchoatum in te munus.

IN ECLOGAM II.

Versu 1-34. FORMOSAM DONACEM.] Alludit ad illud

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Unde videtur institutum Poëtae sic voluisse imitari Vergilium ut ille Theocritum. *Rudibus*, primis quia primus amor gravissimus. *In venerem*, id est complexum. *Floris*. accusativus est more solito: cum tamen florum sint in genitivo : unde nesciam an depravatus sit subinde textus. *Achanto :* herba spinnosa & flexili. *hinc* id est ex hoc facto. *Jam nunc puerilia*. id est puerilites amandi aut jam *non puerilia* : quia non puerorum est nosse venerem. *Quos* id est quibus anni supra erant ter quinque hyemes id est xv. aut si in hyeme nati quattuordecim cum sex mensibus. *& cura juventas*. id est de juvenili aetate. *quod* id est quia Donace non sonaret voce *de tam tenui filo*. id est raucesceret. quod coitus indicium est. *Improba* id est erecta. *Relevare* id est imminuere aestus amoris. *Leves*. id est politi imberbes. hoc est habentes genas leves. *Alternant*. alternatim canunt. *Dryades*. nymphae arborum praecipue quercuum. *Napeae* florum *Najades* fluminum. *Donacen* non *Donecem* scribes. *Tanquam nostri solamen amoris*, Id Vergilianum in Gallo. *Luciferis* id est matutino tempore. *Ipse ego*. emphaticos. quod dicit ut pecudes praeteream: ipse ego non fungor officio meo. Sicut & Corydon Verg.

Quin

Quin tu aliquid potius quorum nunc indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco.

35--73. QUID TIBI.] Per occupationem fingit se nolle dicere quod maxime dicit. unde sicut Corydon Maronianus commendat se a tribus quae maxime amorem conciliare solent. a divitiis. a forma & peritia cantandi. *Mille juvencas.* Id fere in omnibus observat ut quae Maro de ovibus aut capris dixit ipse de juvencis dicat. Unde Maro

Mille meae Siculis errant in montibus agnae.

Mea mulctra vacare. Maro

Lac mihi non aestate novum non frigore desit.

Novum id est recens mulsum. Sed nove dicit *mulctra* genere neutro. Nam Maro dixit,

- - - Bis venit ad mulctram.

Dicitur autem hoc *mulctrale. Nec modice.* Quod Sappho Ovidiana graphice commemorat de se. *Violas atras.* Maro

Et violae nigrae.

Placido aliis aut alias. *Dulce.* Maro,

- - - Et suave rubens hyacintus.

Baccas scilicet oleae. *Idas.* qui & Astacus. *Uvam.* Id est vinum. sed lege *unam* id est solam Donacem. *Dione.* Mater Veneris. *Erycis.* Montis Siciliae ubi Eryx Veneris filius sepultus est & templum Veneri Erycinae extructum. *Aedona.* Iterum aviculam dicit. *Dii pecorum* Maro.

- - - Habitarunt dii quoque sylvas.

Item

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

74--90. QUIN ETIAM FONTIS SPECULO.] Alludit ad illud Maronis.

Nec sum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.

Nec tremulum. Quasi vero lumen solis officiat. *Purpureas.* rubicundulas. *Lactea.* candida & quasi eburnea. *Hilaris.* laetos. hoc est laetitiae indices. *Nec sumus indocti.* unde ille.

Canto quod solitus &c.

Tityrus propter dominam. scilicet Amarillida. ut in prima Eclog. Vergilii pater. *Cantabimur urbi.* id est in urbe vel ab urbanis quibus amores nostri noscitabuntur. *Se modo.* id est dummodo nos qui sumus quasi *viburna,* id est humilia virgulta, poterimus vivere inter cupressos. id est proceres urbis. Alludit ad illud

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Corylus autem arbor est ferens nuces minores quas avellanas vocant a loco nativo ubi praecipue nascebantur. sunt autem humiles arbores. *Frigidus o sylvis.* Id quoque ut fere alia omnia ex Marone sumptum est.

IN ECLOGAM III.

Versu 1-10. NYCTILUS.] In hac Aegloga canuntur a Pane laudes Bacchi: sumpta similitudine ex Sileno Vergilii. Nam sicut ibi Cromis & Mnasilus Silenum ad cantum induxerunt. ita hic Nyctilus: Micon & Amyntas Pana. *Torventem.* ardentem. *Ilice.* Subaudi sub, aut quasi instrumentalis est casus. *Venatu:* nomen est. id est ex venatione. *Quem super.* id est super quem: Valla tamen diceret *supra.* Nam *super* dici vult ubi contactus est. ut *super terram ambulo. Supra* ubi distantia est. ut *supra nos sunt sydera. Et tereti ramo.* id est eminenter pendebat unde ab illis visa est: quia vero deorsum ideo dependere venuste diceretur. Maro Aeneidos tertio.

Solamenque mali de collo fistula pendet.

Pro carmine. aut quia Pan illis carmen promiserat: sicut Silenus pueris Vergilianis: aut quia pueri aliquando concinuerant ut fistulam pro mercede postulent: sed malim priore modo intelligere. *Cantrem:* concentum. Unde sonuit unicuique artifici sua esse arma: deorumque non esse mortalibus contingenda: unde Misenus poenas dat Tritoni Aeneidos sexto. *Nec vult contexere.* id est contextum edere. *Male,* id est multum dissona & rauce sonantia.

11--40. TUM PAN EXCUSSUS.] Apud Maronem saepe excussio somni portendit adversitatem. ut illic, *excutimur somno.* quod permo graphice fictum est: quia si omnis est donum dei (ut Aenei. II.

Tempus erat quo prima quies mortalibus aegris
Incipit & dono divum gratissima serpit.)

Consequens est ut non sine jactura rapiatur. *Stridentis avenae.* volt Panos fistulas ex avena fuisse. *Jamque videns.* Id ut alia multa ex Sileno. *Cicuta* licenter variat. Nam non verosimile est fistulam ex avena aut cicuta e tereti ramo suspensam super caput ejus. *Cicuta* autem herba est fistulosa unde ut diat fistulas compingebant. Maro

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Succus autem cicutae usque ad necem frigidus est. quo Socrates in carcere Atheniensi extinctus est. Unde de Atheois Juvenalis.

Nil praeter gelidas ausae donare cicutas.

Maenaliis. Arcadicis ubi Menalus mons est. Alludit autem ad illud Maronianum.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

Lenaee id est o Bacche. ortus. id est nativitatem. aut potius per metonymiam o Lenaee. id est o vinum. *tuos ortus.* id est inventionem tui. quod Pani qui totum universum, id est naturam repraesentat, bene convenit. *Montivagum.* scilicet in montibus vagari solitus. *Hederata.* Id est hederis ornata: sic enim coronatus rediit ex India. *Corymbi* autem hederarum fructus sunt. *Vitea,* id est ex vitibus. *Tigres.* traxerunt enim tigres & linces currum Bacchi ut in Daphnide tangit Maro. *Perfusus colla.* id est habens colla perfusa. Est enim crinitus. Unde Propertius

Solis est Baccho Phoeboque aeterna juventa,
Et decet intonsus crinis utrumque deum.

Vera Jovis proles: Maro dicit *soboles.* Natus est autem e Semele & Jove sed *dimeter.* id est duarum matrum dicitur: quia in coxa Jovis cum ante diem enixus esset coaluit. *Semele vidit.* fraude enim Junonis petiit Semele concumbere cum Jove qualis soleat cum Junone coire: cumque id faceret in figura fulminis extincta est Semele. *Produxit justo tempore partus.* quia ut dixi recepit eum abortivum & ad partum usque fovit. *hunc. nymphae.* Musae enim & aliae nimphae: Satyri & Fauni secundum Strabonem fuerunt in comitiva Bacchi. *Silenus.* nutritor Bacchi. *Setas.* duros pilos. *Maturo cornu.* habet enim cornua Bacchus. Unde est illud

Accedant capiti cornua Bacchus erit.

Quod fingitur quia poti petulantes sunt & ita addit Bacchus cornua pauperi. *Poma Lyei.* id est uvas inventas ab Lyeo. id est Baccho, sic dicto a verbo *lyo* quod est solvo, quia curas dissolvit.

41..69. VIX HAEC AUDIERANT] Facete prosequitur narrationem de invento vino, dicens. *Vix haec.* scilicet mandata Bacchi: *audierant,* scilicet Satyri & Silenus: & sup. vel cum *decerpunt.* id est manibus detrahunt, detrahunt autem quia nondum cultros aptos habebant. & portant *calathis:* corbibus dense contextis: quibus antea ad alios quoque usus inventis usi fuerant: nam aliter non procederet. *Celeri planta.* quia torcularia non habebant: aut quia ut nunc quoque in plerisque locis Italiae non utebantur. *Fervet.* scilicet in cisternis aut vasis unde postea extrahitur. hoc est decoquitur postea: *vindemia.* id est mustum vindemiatum. aut *fervet.* id est ferventer peragitur. sicut Aenei. *1. Fervet opus* &c. *Sparguntur:* tinguntur aspergine: dum praecipitantur. quod *sors* aut potius quod *fors* id est casus *dedit,* id est ut quicquam primum in manum venit, sicut Maro de simis in seditione arreptis dicit Aenei. 1.

Jamque faces & saxa volant: furor arma ministrat.

Cantharon. Cantharos proprie Bacchi est poculum ansatum: quo & Silenus ejus nutritor apud Maronem usus dicitur in Sileno.

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Cornu adunco: oris aut bobus etiam cicuribus detracto, quali hodie quoque Frisones uti dicuntur, dum cerealia pocula mactant. *Concavat.* id est in concavitatem contrahit. *In pocula.* id est in usum pro poculis quod vulgo dicitur. facit de manibus pocula. *Pronus.* id est capite demisso. *Bibit lacu.* id est vase in quod deliquitur aut defluit mustum. *Labris crepitantibus:* ut faciunt lurcones dum suavia liguriunt. concussis enim labris crepitus ubi subito reserantur emittitur. *Venalia.* id est. quae venundare putarat: quia poculum non habuit destruit immergendo ut bibat. *Et Venerem jam vina movent.* Ideo Apostolus. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* ubi Hieronymus: *Venter mero aestuans facile despumat in libidinem.* Et Comicus

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Non aequus. quia ebrius factus est. Unde Maro.

Silenum pueri somno videre jacentem
Inflatum hesterno venas (ut semper) Iaccho.

Ille deus. nobilissimus scilicet Bacchus. *Lyncas.* quia lynces trahere dicuntur currum Bacchi. *Maenalia.* Arcadica: juxta Menalon montem. *Conducere.* Maro dicit. *Cogere donec oves. Astrictum.* coagulatum id est caseum. *Glebas.* particulas glebarum similes.

IN ECLOGAM IV.

Versu 1-31. POPULEA LYCIDAS &c.] In hoc Bucolico ut ex titulo patet Lycidas & Mopsus amores suos canunt quantum videtur citra aemulationem cum non sint rivales. Nam non eodem uruntur igne. Mopsus enim Meroën puellam deperit: Lycidas Iollam puerum. *Nec triviale.* non vulgare. *Crinitus.* capillatus, caesariem nutriens: quod Apostolo teste virum non decet. *Ignis:* amor. Maro.

- - - Meus ignis Amyntas

Puer scilicet Iollas. *modo.* id est interdum: *ulmos condictas.* id est assignatas ad quas sibi mutuo diem dixerant. *Fugiunt.* scilicet Jollas & Meroë: *placidas* scilicet amatoribus. aut est ipsis amatis: sed ut amatores decipiant fugiunt eas. *Antra promissa fallunt.* Scilicet amatores ipsos. nisi dicam: Iollas & Meroë fallunt antra promissa. id est non servant promissa de antris conveniendis. *Solitos alludere.* id est ludere *ad* id est apud solitos fontis. *Quos lusus & edit.* mallem dicere *quos lusus inedit & ignis.* Ordo tamen esse potest: quos edit & lusus. id est illusio amati & amatae: quia Nitimur in vetitum. *Vultum premit:* in signum pudoris: qui amoris conciliator maximus. *Non possum nolle negantem.* quia ut dixi nitimur in vetitum. *Cantat amat* &c. versus intercalaris ab utroque repetendus post singula cantica. *Non hoc semper erit.* Id quoque Flaccus. Ovidius. Tibullus. & caeteri amasii Poëtae attestantur. sed non ea intentione qua qui dixit. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis* &c. *Uva.* id est vitis. ora tamen si non decerperetur diutius duraret in vite quam Pampinus. id est frons ejus. *donum breve:* parum durans. *Cerva marem.* id est cervum: & est Maronianum. *Torva leaena lupum.* Et tertio Georg.

Omne adeo genus in terris &c.

Squamea turba. id est pisces.

32..63. OMNIA TEMPUS ALIT.] Id est omnia producit: *tempus rapit.* scilicet omnia. *usus.* scilicet rerum est *in arcto.* id est ad modicum durans. Probat (quia illud visum est nimis Philosophicum) per Bucolica, quia per boves. Nam qui in vere superiore vituli erant: nunc pro vacca contendunt. *Jam tibi sunt nares tumidae.* quia imbecilles. *Jam fortia colla.* quia jam tibi *bis denis.* id est viginti messibus. rustici enim per messes numerant annos. unde est illud

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Meroë. amica Mopsi. *Solus cano.* ut Corydon Vergilianus. *Me sonat.* id est resonat & refert vocem meam. *Concede cicadis.* id est non vincor a cicadis. ut ille

At mecum raucis &c.

Saeve puer. scilicet Iolla. sicut Corydon.

O crudelis Alexi.

Saevus enim & crudelis videtur qui non parcit amanti. *Notum.* id est consuetum. *formosum.* unde *lucentes.* id est splendidas habet malas. id est partes faciei in formam mali inter oculos & maxillas extantes. *Pampinea umbra.* sub vitibus. *Fons murmurat.* quae res ad delectationem facit. Maro.

Nec percussa juvant fluctu tam littora: nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Foetis. praegnantibus & gravidis. Est autem speciose dictum. *Qui tulerit.* id est perpessus sit: *longa.* id est diuturna *fastidia.* id est superbas contemptiones. Alludit ad illud.

Nonne fuit satius tristis Amarillidis iras
Atque superba pati fastidia.

Sitonias, Thracias. quia in Thracia plurimae sunt. Est enim ad Septentrionem exposita. Maro.

Sitoniasque nives hyemis subeamus aquosae.

Libicosque id est Aphricanos. In Lybia autem sunt maxime, unde siti laborant. Maro:

- - - *Sitientis ibimus Aphros.*

Nerines id est maris. quae salsae sunt. Nereus autem deus est maris. Unde *Nereides* nymphae marinae. *Nerine* autem patronymicum videtur. *Taxus* autem arbor est in Sardinia & Corsica frequens tam amari succi ut apes mellificantes mel suum corrumpant: dicuntque & umbram ejus nocere sub ea dormientibus. Maro

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.

Sardoa gramina. Maro.

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,

Marmaricos, id est Aphricanos qui jubati & majores sunt.

62--73. QUID PRODEST.] Alludit ad illud Maronianum

Quid prodest quod me ipse animo non spernis Amynta.

Vult autem superstitionem muliebrem factam puero sibi contra fascinum & insanos amores ac philtra seu amatoria carmina. *Pagani*: rustici. *Pagus* enim dicitur quod villagium vulgo appellant a *pagis.* id est fontibus. quia juxta fontem residere solent & vicos construere. *Lustravit* purgavit. *Haec eadem.* scilicet mater Amyntae: magicae artis perita. *Variaque colore.* pro varicoloria. Maro in Pharmaceutria

- - - *Triplici distincta colore.*

Et Micale: alia maga. *ignotas.* scilicet mihi. aut forsan ipsi. *Quod luna timet.* Quia

Carmina vel caelo possunt deducere lunam.

Quo rumpitur. Idem Maro.

- - - *Cantando rumpitur anguis.*

Magico. id est per artem magicam. *Plus tamen.* id est cum ea carmina sint in remedium amoris, tantum abest ut mihi despectus sit Iollas; ut etiam formosior videatur.

JODOCI BADII ASCENSII
IN
C. CALPURNII
BUCOLICA FACILIS COMMENTATIO.

IN ECLOGAM I.

Versu 1--7. NONDUM SOLIS EQUOS.] In hac prima Aeglnga colloquuntur Corydon & Ornithus pastores amici. Qui cum modulsturi in nemora Fauni secessissent : forte fortuna inciderunt in carmina descripta in fagn : manu ipsius Fauni : quibus prognostica de aureo saeculn , quod Maro futurum pauln ante cecinerat : quodque sub Augusto fuisse praedicant continebantur : eaque Ornithus Corydoni pronunciat. Sunt antem nomina personis apta Nam *ornis ornithos* dicitur ales, cujus est alta prospicere. *Corydos* quoque avicula dulciter canens unde *Corydon* dictus apud Theocritum & Maronem. *Nondum solis.* Principium habet Chronographiam id est descriptionem temporis: dicit enim autumnum esse : id tamen rustice per musti fervorem. Et tamen solis equos adhuc ardentes esse : Videtur autem hypallage in sermone. Nam potius aestas aut aestus debuit mitigari per absentiam equorum solis quam eos mitigare : aestus enim a sole producitur cum calidus non sit. Equi autem solis quattuor ab Ovidio ad principium secundi Metamor. describuntur. Fingitur enim sol vehi quadrigis. Ordo in principio est hic. *Aestas declivis* id est tendens ad autumnum : *nondum mitigat* id est temperat calore equos solis. *quamvis &c.* id est simul : *praela.* id est ligna prementia in torculari uvas : *incumbant racemis madidis.* i. e. madefactis per vini expressionem. id est quamvis premantur vinum. *& musta.* id est recentia vina : *ferventia.* id est ut dicunt bullientia : *spumient susurro.* id est cum susurro & murmure : *rauco.* id est suppresso ut est vox raucorum. *O Ornithe cernis.* id est videsne : *ut* id est qualiter. *vaccas* quas pater tradidit supra mihi custodiendas : *explicuere.* i. e. prostraverunt : *latus molle : sub genista* virgulto illo humili *hirsuta.* id est multos ramusculos habente. *& cur quoque.* id est etiam nos : non succedimus umbris vicinis? cur *defendimus.* i. e. protegimus ora nostra *torrida scilicet ardere solis : sole galero* id est *pileo rusticano* & latof

Versu 8--32. HOC POTIUS &c.] Imitatio est Vergilii in Buc.

Cur non Mopse boni &c.

Nemus est sylva voluptatis gratia comparata : Estque Graeca vox. Faunus autem Latinorum est deus : silvester quidem : de cujus genere dicitur Aenei. VII.

- - - Fauno Picus pater : isque parentem
Te Saturne refert.

Dictus autem est a *fando* : unde & *fatui* inconsiderate loquentes dicuntur. Traditum vero est Faunos in silvestribus locis fari solitos ut scribit Varro. Maro etiam Fauni vaticinia ponit in eodem VII. at in Geor. primo Faunos agrestes deos asserit dicens.

Et vos agrestum potentia numina Fauni.

Flaccus autem III. Car. dicit ad eum sic.

Faune nympharum fugientium amator &c.

Bullantis. id est in morem bullarum inflatas. Est autem peresoene id est praeparatio ad futurum eventum quod sub fagum in quam descripta erant carmina sedere placet. *fagus* autem seu potius *phagus* (nam a *phagein.* id est comedendo dicitur) est arbor glandifera. *Implicat.* id est condensat. *Quo me cumque.* Tmesis id est incisio vocis est. Nam absolutum est quocumque me vocas. *Mea Lene.* Si proprium est subauditur amica aut uxor: appellativum autem diceretur potius lena. & est lenocinio vivens. Sensus est quia Lene negavit mihi amplexus & concubitum : mundus sum a mulieribus & ita fecit mihi occasionaliter sacraria id est sacra nemora in quibus abdita & secreta Fauni sunt pervia : quasi veto pollutis id non liceat. Fauni cornigeri : putatur enim idem qui Pan. aut quia Satyro similis. *Recondita.* id est abstrusa & non vulgaria. Re tamen cum reliquis ad relaturam pertinentibus contrarium dicere solet. *Nec tibi defuerit* Quia aut dabo aut communicabo tibi eam. *Docilis.* Id est ingeniosus & peritus : aut revera doctus hoc loco. *Lydon.* Bonum nomen. Nam Lydii tubae inventores musicae studiosi fuerunt. *Arundine matura.* Laus a materia. *Compegit.* Plures connectendo : sicut Maro.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

Sed quaenam &c.] Imitatio illius

Immo haec in viridi nuper quae in cortice fagi
Carmina descripsi.

Est autem arguta & ingeniosa inventio ad describendam foelicitatem saeculi Octaviani. *Properanti falce.* Id est cultro festinanter incidenti : id autem ex opininne dicit. Nam secus erat. Nam Faunus ea inscripserat. *Etiam nunc.* Id est post tantum temporis : quod graphice indicat ex altitudine arborum ; nam sicut Maro dicit.

- - - Crescent illae crescetis amores.

Cre-

Crescentibus arboribus carmina altiora effecta sunt unde Ornithum quasi altiem seu aquilam alte volantem & acute videntem precatur ut ea inspiciat. *Pater iac gur.*] Rusticani tales. quasi dicat satis seminis dedit dum te generaret: & mater non invida: quod lubenter tantum concepit. *Procerum.*] Longum & tectum. Ornithus autem ut vidit carmina propius agnovit manu Fauni descripta. *Nihil armentale.*] Id est Bucolicum: nam Bucolici seu bubulci suos boum custodes, boves autem ad armenta pertinent. *Resultat.*] Scilicet dum modulantur unde ad numeros ea legebat. *Nec jubila montana.* id est laetae reboationes montium. *Quamprimum.*] id est citissime.

33 -62. QUI JUGA.] Principium carminis fatidici a Fauno in fago descripti. *Tutor.*] Id est defendo & protego, juga. id est montium summitates. *satus aethere.* quia a Saturno originem trahit. *Haec ventura.*] Quia tamen dum ea finxit Poeta, erant praesentia partim: partimque praeterita, sed facile est inducere divinantem futura: ubi qui inducit posterior est. *Patefactis.*] Incisa corticibus Est autem syllaba communis. Peccant autem qui *jubi um* prima brevi censent. *Colens nemorum.*] Pastores frondatores, lignatores & similes. *Licet.*] Id est licitum est: ut supple *omne pecus vagetur. custode securo*, id est exstante sine cura, quia non tamen insidias &c. Unde Flaccus quarto Car. de Augusto.

Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores &c.

Fraxinea crate.] Id est sepimento ex fraxino arbore, unde *septa* dicuntur. *Abiget.*] Unde *abiges* dicuntur fures equorum & jumentorum clam abactorum. *Themis.*] Graece dicitur fas: unde fingitur secundum Bellum dea quae hominibus praecipit id petere quod fas esset, habuitque templum in Boeotia juxta Cephisium amnem: ad cujus oraculum accessit Deucalion cum Pyrrha uxore pro recuperatione generis humani diluvio deperditi, sed postquam saxei nati sunt homines & ferrea saecula orta quibus nefas petebatur, migravit ad superos: nunc autem redire fingitur. *Juvenemque.*] Scilicet Augustum. Maro

Hic illum vidi juvenem Meliboee.

Maternis Julis. quia maternum genus ab Aenea per Juliam familiam sortitus est. Natus autem est ex Accia filia Juliae sororis Caji Cesaris: unde Caesar erat major avunculus ejus, quae eum quoque adoptaverat. Julius vero ab Julo Aeneae filio genus & nomen trahit dicente Virg. Aenei. 1.

Julius a magno demissum nomen Julo.

Deus ipse.] Maro.

Namque erit ille mihi semper deus.

Bellona.] Dea belli. Maro. Aeneid. lib. 1.

Claudentur belli portae: furor impius intus
Saevum sedens super arma &c.

In sua.] Quia seipsum transfiget & ita perpetua pax futura est quae certe sub Augusto fuit maxima. *Distulit.*] Id est diversa tulit. *Secum.*] In seipsam. *Nullos jam Roma Philippos.*] Supple videbit ad effusionem sanguinis Romani sicut bis viderat seculum sub Caesare contra Pompejum & seculum sub Augusto contra Brutum & Cassium, unde Maro Geor. 1.

Romanas acies iterum videre Philippi &c.

Insanos ensis.] Id est enses ab insanis sumptos. *Nulla cathenati.*] Ordo est. Nulla pompa feralia, id est letalis sicut tempore Syllae, Senatus cathenati, lassabit &c.

63--94. *Plena quies* &c.] Certe incomparabilis fuit sub Augusto quo tempore natus est pacis auctor Salvator noster dominus Jesus. *Ferri strictis.*] Id est nudati: *revocet.*] id est iterum vocet. *Altera regna.*] Saturni. *Latialia.*] Id est in Latium, quia seculum regnaverat tempore Jani in Italia, ut attestatur Maro Aenei. viii. dicens.

Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo
Arma Jovis fugiens & regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit: legesque dedit Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris
Aureaque ut perhibent illo sub rege fuere
Saecula: sic placida populos in pace regebat. &c.

Altera regna Numae.] Scilicet Pompilii secundi Romanorum regis qui religiosissimus est habitus, unde dicitur hic: *qui primus ovantia.* id est exultantia, *caede.* id est occisione & effusione sanguinis, *agmina*, scilicet ab Romulo instituta, *& adhuc ardentia castris Romuleis.* id est ardore belli suscepto in castris Romuli. *Inter sacra.* id est sacrificia deorum. Multa hic sunt Bucolicam venam excedentia: sed purgavit hoc dicens Fauni carmen esse, nil armentale sonans. *Jam nec.*] Ordo est. Nec consul *jam.* id est posthac. amplius. *mercatus.* scilicet a tyranno: *fasces.* id est speciem aut personam non rem, honoris *adumbrati.* id est obscuri: *accipiet tacitus:* sine consensu populi, *fasces vacuos.* id est inanes & sine honore: aut sine securibus: cum tyranni honorem sine potestate venderent: *Voltum* antiqui nunc *vultum* dicimus. *Notum.*] Id est ventum illum meridionalem humidum hoc est quicunque meridionalem plagam colunt. *Et Boream.*] Id est plagam septentrionalem erectum, scilicet ad polum arcticum. *Cernitis.*] Approbat etiam ex Indicio caeli. *Et quondam non talis erat.*] Scilicet cometes, unde Maro.

- - - Nec toties diri arsere cometae.

Verum si haec compositio sit quadrans oportet dicere carmina esse descripta non tempore illo antiquo antequam Aeneas in Italiam veneat: sed post mortem Caesaris: quod etiam praestruxit Poeta asserens recentes adhuc notas arboris: crevisse tamen arborem quod septennio poterit. *Deus.*] scilicet Augustus. *Occasus nisi quum* &c.] Quod nunquam erit. *Meliboeus.*] Maro ipse cujus tempore scripsisse quidam volunt. *Ad auris*] Acturus est.

IN ECLOGAM II.

Versu 1--31. INstantem Crotalen.] Carmen est amatorium non sine aemulatione. Nam rivales atque aemuli inter se sunt canentes pueri: utpote eandem amantes Crotalen. Longa est autem pareiceue. id est praeparatio ad carmen a Poëta introducta: describit enim pueros quantum ad aetatem, divitias & cantandi peritiam & pignora proposita. quod autem *placet his* &c. Ordo est. *Placet* id est convenit inter eos. ut *hic* scilicet Idas dominus gregis: *non vendicet.* id est non usurpet aut non attribuat seu appropriet sibi: *septem vellera* scilicet ovium non vendicet inquam victus. id est si fuerit victus & alter scilicet Astacus domnus

T't horti.

horti. ne *vendicet messem horti sui.* id est amittat herbas & flores si victus fuerit. *Et magnum certamen erat.*] Scilicet inter eos. quia tamen dictam est ad imitationem illius Maroniani.

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Putem legendum *erant*: ut sit, Idas & Astacus erant magnum certamen. *Affuit omne genus pecudum.*] Id est animalium domesticorum seu cicurum. *Affuerunt.*] More suo penultimam corripuit, ut Maro in *steterunt, tulerunt, miscuerunt. Dryades.*] Id est deae arborum & praecipue quercuum: unde *sicco pede* affuerunt. Et *Najades.* id est deae fluminum *udo.* id est homefacto pede Quia ab aquis advenerant. *Et tenuere*] Id fabulose, quod quia ex persona Poëtae dicitur vitiosum non est. Licet enim Poëtis fingere. *Euri.* id est quivis venti. *Daedala apis* ingeniosa & subtilis in contexendis favis & mellis cellulis. unde Lucretius *Daedala tellus*: & Maro *Daedala Circe* dixit. *Nectareos.*] Id est nectaris hoc est mellis plenos. Nectar enim dicitur potus deorum. *Consederat.*] Scilicet Thyrsis judex, & sup. dixit. *Irrita sint moneo.*] Certamina vestra id est sint sine praejudicio rerum vestrarum: ita ut nihil amittatis praeter laudem: quam illis caram esse ex eo constat: quod etiam ferae convenerant ad eorum cantilenas audiendas. *Jactate*] Id est sorte disquirite uter prior canet *Micare* enim est erectis cum adversario digitis divinare quot ambobus erecti sint.

32--63. ET MIHI FLORA.] Ut Idas oves ita Astacus commendat hortum. Flora autem dea est florum: fuit autem eo nomine quaedam meretrix Romae quae Floralia instituit. Sed ne id in dedecus Romanorum vergeret: adscripta sunt ea festa deae florum. *Parenti.*] Id est producenti flores. *Matuta.*] Dea matutini temporis quo ros

- - - in gelida pecori gratissimus herba est.

Per amoena] Scilicet prata. *Mutare.*] Ex aridis floridos efficere. *Pales.*] Dea pabulorum: quae pastoribus praeest ut Flora hortis. *Ut niger.*] Ex nigro ariete nasci solent nigri agni. Unde Maro.

Rejice ne maculis infuscet vellera pullis.

Et non genitalia.] Id est non genita in ea sed insita. *Malo.*] Id est pomo, quod vulgo pomum vocatur, cum *pomum* sit genus, *malum* species. *Insita praecocibus*] Rarum est penul. genitivi nominis in *ox* corripi. verum *praecox* interdum corripit ut hic: forte quod cum *praecoquo* affinitatem habet *Persica.*] Scilicet mala. *Subrepere*] Clanculum nasci. *Oleastra*] Rarum quoque est *oleastrum* neutro genere dici. Nam Maro dicit *oleaster plurimus.* Est autem oleaster olea silvestris quasi imitator oleae. unde & masculino genere dicitur. *Recidere.*] Amputare aut resecare. *Plantaria* Servius vult radices habere cum sua terra. Juxta illud Maronianum.

- - - Et viva sua plantaria terra.

Valla aliter sentit. *Sacer est locus.*] Persius hoc sic sumpsit.

*Pinge duos angues, sacer est locus: extra
Meite.*

Urimur.] Id est incendimur igne amoris. *Gemmeus.*] Pellucidus ut sunt uniones seu gemmae. *Rusticus est fateor sed non est barbarus Idas.*] *Rusticus* quia ruri ortus. Unde non omnes ruri nati barbari sunt. Barbari enim sunt immites incultis moribus & duro atque inepto sermone horrentes. Pulchre autem se commendans in tertia quasi de aliena loquitur persona. *Saepe vaporata.* Id est turis vapore perfuso: *palpitat*: adhuc trementibus pulpis dum sacrificatur: unde se religiosum & deorum cultorem innuit: quae res facit praecipue ne barbari simus.

64- 102. NOS QUOQUE.] Subsequitur pari artificio Astacus. *Priape.* deo hortorum propter foecunditatem. unde Maro.

*Sinum lactis: & haec te liba Priape quotannis
Expectare sat est: custos es pauperis horti.*

Laribus. id est diis familiaribus quibus primitias frugum dicare solebant. Unde Flaccus, significans se pro laribus a villico habitum dicit secundo sermonum.

*O noctes coenaeque deum: quibus ipse meique
Ante larem proprium vescor.*

Nec fero. id est offero. non staret *fere* pro quasi. *Imbuat.* sanguine suo tingat. *Mille.* numerus a Marone sumptus. *Pallantis.* errantes sine ordine pascentes. *Tarentinae matres* quia apud Tarentum mollissima sunt vellera unde purpuram nent. *Per totum.* Maro.

Lac mihi non aestate novum: non frigore desit.

Tenues citrus. Id quoque Maronianum unde dicit Geor.

*Est numerus: neque enim numero comprendere refert,
Quem qui scire velit Libyci velit aequoris idem
Discere, quam multae Zephyro turbentur harenae.*

Totus ortus. herbaceus Totus hortus floridus. *Sume tamen calathos nutanti lacte coactos.* Id est oppletos caseis. *Apricum.* id est sudum & clarum ut in Majo incipit tepidus Aprilis: alibi Apriles alibi Majas observant *Muneret.* id est muneribus amplificat. *Thalis.* folliculos cepe *Echinos.* Culices castanearum qui ut echinus pressis asperi. *Primi floris.* barbae aut pubis. *falle digitos* quia tangunt qui tangere nolu *Fontibus.* Id ex Corydone Maronis. *Cydonia* supple mala. *Cerea.* In colore. *Tenui lana.* id est lanugine. Maro.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

IN ECLOGAM III.

Versu 1--34. NUNQUID.] Sermo Bucolicus utpote de bobus est *Eximit* absumit mihi. *Dures ego perdita rubetis.* id est vepribus asperis. *Rubetis.* ubi rubi nascuntur. *Scindere.* secare distaptis veronibus: *Tantum sanguinis.* quantum vepres mihi extraxerunt scissa scilicet cute. *Non satis attendi.* scilicet ad vaccam: quia usu venit ut dum animus intentus etiam quae ante oculos fiunt non videamus aut vidisse ignoremus. aut non satis attendi ad interrogata tua: sed non procedit. sic enim interrogaret rursum. *Uror.* scilicet amoris igne. *& immodice.* id est vehementer. *Mopsum.* alludit ad illud *Mopse Nisa datur* &c. *Lycidam* emphaticos. quasi dicat me tam venustum pastorem. *Mobilior.* Maro.

- - - *Va-*

- - - Varium & mutabile semper Faemina.

Quae, Phillis jurabat &c. *Alt ut.* a prima origine quaerat conquerat. *Taurus noster.* quem forte vacca tua secuta est *Matutinas.* id est quas matutino tempore ingurgitavit: nunc ruminando. *Revocat palearibus.* id est ad palearia: hoc est ad fauces de quibus pendent illi palearia id est pelles laxae unde Maro.

Et crurum tenus a mente palearia pendent.

Quamvis contemnas. quia dixit: si forte vacabit. *Tityre.* alloquitur mercenarium sicut apud Maronem

Tityre coge pecus.

Pete lotus. id est celer: quia quod libenter etiam celeriter facimus. *Quas dixit.* Lycidas scilicet taurum suum tenere. *Depensam.* quasi in alieno: aut in adulterio vaccam. *Multo verbere.* Fuste aut hastili quia addit *fractum referas hastile.* id est virgam in morem hastae oblongam. *Quis deus.* scilicet invidus & malus. *Callirhoe* etiam apud Persium est meretriculae nomen. *Alcippe* apud Maronem puellae pastoralis: hic autem lenae videtur. *Nunc prior.* id est in potestate nisi sit pro apud dictum. *Anhelo.* cupio. aut cupido Mopso Nam & nomen & verbum esse potest. Caetera nota sunt.

35-69. A TE COEPERUNT.] Pastorale consilium ut amicae reconcilietur: quod amanti non tam gratum quam jucundum. *Indulgere:* morem gerere. aut ignoscere videlicet, id est etiam *quum prima nocet.* dura lex. sed legem quis dicet amanti. *Cerasi cortice.* Certe ea arbor librum aptum scripturae habet: primus autem Lucullus ex Ponto advexit cerasos. *Distincta* aut *destricta* ablatis baccis quibus pinguescit: tuncque lautissimus etiam unde Martialis.

Inter aves turdus siquis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Macrescere autem attestatur Horatius primo sermonum dicens.

Peae macros arsit dum turdos versat in igni.

Legulus. Lector uvarum derelictarum *Et post hoc.* Figurate ponitur *et.* quasi dicat & tamen aut nihilominus placuit tibi &c. *Quem aequeris* turpem & raucum Mopsum *Quem fugis.* formosum & dulcisonum Lycidam. Maro.

- - - At si me Lycida formose revisat &c.

Sum quoque ditior. regulare est a *dives.* sed in usu *ditior* a *dis.* Alludit ad illud.

Quam dives nivei pecoris.

Sed nota. quod Maro aepolos id est caprarios: & poimenes. id est opiliones fere inducit: hic autem bubulcos unde hic verus est titulus, dicit ergo se divitem tot taurorum quot Mopsea hedorum. *Fiscella.* Fiscina est vas vimineum unde per diminutionem fiscella. Maro.

Dum sedet & gracili fiscellam texit hibisco.

Salicto. virgulto saligno adhuc tenui. *Nulla coagula.* id est nulli casei. *Tremunt.* dum premerentur.

70-98. QUOD SI DURA TIMES &c.] Significat miser amans percussam Phillida ex zelotypia cum eam Mopso sociatam videret: quod ne nunc ubi gravior est culpa gravius vereatur futurum: promittit tantum absore ut eam rursus caedat: ut manus quibus eam ceciderat justo supplicio afficiat. *Dura verbera.* non dura Phillis etiam nunc sicut prius passa es: licet. Ordo est. *licet.* id est licitum est & concessum tibi: *ut illae.* scilicet impiae manus meae quae te ceciderunt domentur *vimine torto.* id est implicatis virgis: & *arte lenta:* qua solebant imperatores cives Romanos castigare in exercitu. *Scilicet* expletiva est conjunctio plus ad ornatum quam ad contextum faciens. *domentur* inquam id est premantur & caedantur ita ut *Tityrus* servus meus lotarius religavit *brachia mala.* id est perniciosa aut furacia: *Mopsi nocturni* scilicet furis aut adulteri: cum enim Phillida conventurus in septis Lycidae deprehensus esset: caesus est a Tityro jubente domino ejus: & *suspendit totum:* quem in furto manifesto deprehensum asserebat, cum vero similius sit amore puellae quam amore pecoris subvenisse. sed callide furti accusat. *Accipe ne dubita.* Id poetice. oratorie dicas *ne dubites. Merent manus.* alludit ad verba Mutii Scaevolae qui ad Porsenam dicebat manum suam meruisse quas irrogabat poenas incendii. Verum quia ut Apostolus dicit nemo unquam carnem suam odio habuit decore deprecatur poenam addens. *his tamen his inquam manibus* scilicet quibus te laesi etiam beneficium contuli: *Decepta matre.* docet modum capiendi. quia matrem ad propagationem dimisit. *Contigerant.* id est cum difficultate obvenerant tibi. *Occidua nocte.* id est occidente sole: aut potius sub lucem extrema parte noctis. *ferales.* id est mortiferos: quia amari sunt lupini. *Pensare.* id est ad pondus vendere. *Subigit* id est pinsit & frangit: *manualibus saxis* manu versatilibus molis. *Turpis amor.* scilicet Mopsi adulteri *Laqueos* ad suspendendum me *Vocavit* aut quia esset illic primum cognovit: sed amor satietate violatur. aut potius quia illic primum Mopso est cognita. *mala.* id est perniciosa mihi. *Ultima rerum* id est mortem quia mors ultima linea rerum. Et hoc quoque ultimum est carminis ad Phillida destinati *Acuta carice.* Maro.

- - - & Carice pastus acuta.

Respondet Iollas. *Ibimus.* scilicet ad Phillida. *Nam bonus.* id est opportunus & fidelis: ut ille reducit vaccam: ita ego tibi amicam.

IN ECLOGAM IV.

Versa 1-28. QUID TACITUS] In hac Aecloga inducitur Corydon Augustum laudans. unde per ipsum poeta intelligi potest: per Meliboeum autem patronus & amicus poetae: qualis erat Mecoenas Vergilio. *Subinde.* interdum per quaedam intervalla. *Garrulus humor.* id est fluvius rauca sonans aut fons per saxa defluens cum murmure. quem *adstrepit.* id est ad pro apud quam strepit. pro eo quod est resonat *Infesta.* id est molesta & nocumentum inferente *Statione.* id est loco in quo quasi stando modicum quiescas. Sicut statio in mari est ubi modico tempore stare possunt naves. *Juvat.* id est delectat.

lectat. *spiritus.* id est aura. Respondet Corydon. *Nos volvimus.* id est agitamus mente. *jamdudum.* id est jam a modico tempore: *carmina :* non quae *resultent.* id est referant *quid nemorale.* id est silvestre. Juxta illud

Silvestrem tenui musam meditaris avena.

Hoc est nihil pastorale: *sed haec.* id est talia quibus *aurea saecula* scilicet Augusti tempore renata: possunt cantari. *Deus ipse.* id est Augustus. *Nec te diversus* id est non aversus a te. hoc est benigna Irradiatione respicit te Apollo princeps Musarum qui & sol est. Unde Maro Aenei. IIII.

Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.

Id est non sumus tam hebetes. quod praemiserat.

Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.

Creditum enim est quod quibus sol praecordia irradiat foecundius habeant ingenium. Unde est illud per contrarium.

Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

Magnae munera. id est gesta Augusti. *Acutis* id est argutis & severis. *Valeat pietate.* Solet enim pius affectus laudari ubi deest facultas. *Nostro pago :* nostro vico. vulgus villagium vocat. *Frater Amyntas.* alludit ad illud.

Haec eadem ut sciret quid non faciebat Amyntas.

Meis natalibus horae nativitatis. quia non multo post natus est. *Jungere nunc cohibes.* Id est constringis & compellis. *Cicutis*, id est fistulis e cicuta quae est herba fistulosa. Maro.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

O Corydon ego *notavi* quasi dicat audivi te dicentem *non semel :* immo frequenter. *Frange puer calamos.* quia in illis nihil erat commodi: quod callide inferit ut fructum inveniat. *Non tacitus.* id est cantans, ut fit hodie quoque in Italia.

29-63. HAEC EGO CONFITEOR.] Fatetur Corydon se olim nullam spem in carminibus collocasse. Verum mutat tempora & cum temporibus animum. quandoquidem per intercessionem Meliboei gratiam Caesaris meruit abs quo beneficium sperare audet. Videtur autem Meliboeus hic Pollio esse. Nam de eo dixit

Si canimus sylvas: sylvae sint consule dignae.

& hic dicet

Per me qui dignas cecinerunt consule sylvas.

Non deus. id est divus imperator. nam verus deus unus idemque ac incommutabilis est. *Ne fraga ruborque.* id est fructus ruborum. *Hibisco.* virgulto succi pleno quo pecora vescuntur. *Tua indulgentia.* hic in bonam partem quasi dicat clementia: cum fere in malam accipiatur. unde Quintilianus *Mollis illa educatio quam indulgentiam vocamus.* *Alit nos.* geminus patronus est. quisquis est Meliboeus. *Hiberna fago.* cujus fructus in hyeme maturi. *Sylvis Amarillidos.* id est urbe Roma quam & Maro per Amarillida intelligit in Tityro. *Trucibusque obnoxia Mauris Pascua.* Mauritani sunt ultimi in occidente qui & Europam terminant. *Germani* supple pascua fuissent id est fratris mei Amyntae: *illic* supple ubi *Bractrus*, fluvius Scythiae: *ingens* id est valde magnus. dicitur impellere *liquidis cursibus.* id est fluvio puro: *hiberna occidua*, ad fundum aut occidentem tendentes. *Hiberas*, Hispanicas. *Irrita sibila.* id est sonos fistulae supervacuos: *septena canna.* id est fistula compacta ex septem cannis. Juxta illud

Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.

Ipse deus. cui canerem scilicet Augustus. *Tua lima:* Ergo Meliboeum magistrum & castigatorem sui profitetur. *Bacchei corymbis.* Fructibus hederae quae sunt in tutela Bacchi. *Hera* praeter consuetudinem primam producit. *Hibica.* id est Sicula avena. id est Bucolicum ad imitationem Theocriti. hoc est Maronis.

64-96. MAGNA PETIS.] Meliboeus reprimens aviditatem Corydonis dicit in laudem Vergilii. *Magna petis Corydon : si Tityrus.* id est Maro qui per Tityrum etiam in priora ejus Ecloga intelligitur. *Ille fuit vatis facer.* scilicet musis unde ipse in Georg.

Me vero primum dulces ante omnia Musae
Quarum sacra fero ingenti percussus amore
Accipiant.

Persónuisse chelin. id est aequiparasse lyram aut cytharam & ita aequandus Orpheo. quem factum fatetur Horatius in Arte dicens.

Silvestres homines sacer interpresque deorum
Caedibus & victu foedo deterruit Orpheus.

Advena. aliunde veniens. attribuit Maroni quod Orpheo attribui solet. Unde Maro

Orpheaque in medio posuit sylvasque sequentes.

Nais. dea fontium. Est quoque fluvius ex Tauro unde nascitur in Pontum defluens. *Amaranto*, virgulto flexibili. *comebat*, ornabat. a tertia conjugatione ubi prima syllaba producitur qui in prima corripitur. *Et fatetur.* scilicet Tityrus deus. *Respuet* crepitum dei: dum grandius quam pro captu fistulae inflare conetur. *Si quando laudat Alexin.* Videtur significare Corydoni traditos calamos Maronis. & eos diversos fuisse pro diversitate rerum, ut in Corydone humiles fuerint: in Genethliaco sublimes. Unde & Maro

Sicelides Musae paulo majora canamus
Si canimus &c.

Hos canales. id est majores fistulas. dicitur etiam *haec canalis.* *Per me.* ergo Meliboeus personam Pollionis habet: quia consul illic Pollio intelligitur. *Vicibusque.* Maro

Alterni dicetis.

Ab Jove. Maro.

Ab Jove principium &c.

Signis aethera. id est caelestia aut deum caelestem: cum his canturus sit Augustum qui in terris adhuc pro deo habitus erat. *Molitur pondus.* id est conatur difficillima dicere de coelo: sicut Atlantis pondus qui coelum fert humeris summum erat. *Augusto.* fortunato quasi augurio consecrato. aut honoribus multis aucto: unde & ipse Augustus dictus est. *Montes.* Heliconam & Parnassum. aut Palatinum Romae. *Parens.* propter maternum genus. *Cressia.* Cretensia. *Curetisa.* a Curetibus & Coribantibus Cretae populis.

97-131. ASPICIS UT VIRIDES.] Omnia dicuntur in assentationem aut saltem congratulationem & laudem Augusti. *Caesare.* scilicet Augusto, qui ab Julio Caesare avunculo majore in Caesarum familiam adoptatus erat. *Memini.* Ordo est, memini quod nemus scit requiescere subito ramis immotis: quamvis procella urgeret. Et dixi &c *Euros.* id est ventos orientales: sed est species pro genere. *Pharsaliae cannae.* Quibus Pharsalicum bellum ab Augusto & prius a Julio foeliciter gestum cani consuevit. *Palem.* deam pascuorum & ita pastorum quoque. Maro.

Te

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso.

Diligiturque deus. Scilicet Augustus : aut dies natalis Augusti. *Vix resonant.* quia filiquae plenae sunt & ita non auditur sonus: quia non concutiuntur leguminum grana cum filiquis. *Siliquae* autem sunt folliculi leguminum. *Legumina* vero quae manu leguntur, ut fabae, pisa, lupini. cirrulli, cicer &c. *Nec messis praesecata.* id est oppressa sicut prius. unde Maro.

Grandia saepe quibus mandavimus ordea sulcis
Infoelix lolium & steriles dominantur avenae.

Est autem herba nociva quam & zizaniam vocant. *Inertibus.* id est exiguis & sterilibus respectu ordei & farris ac tritici. *Damnatos.* scilicet prius conflabantur in enses. Maro.

Et curvae rigidos falces curvantur in enses.

Contraria messa. ut galea occisorum. *Ille dat.* quia prius raptorum erant non agricolarum messes. *Bromium.* i. e. Bacchum deum vini. *Psallat.* id est ad saltum canat. *Ad compita.* id est ludos compitalitios & ambarvales. *Meis montibus.* in quibus ego versor aut natus sum. *Ter pede.* Horatii est: aut alterius unde & Hora. sumpsit, dicit enim *pede ter percusso. Classica.* sonitus bellici.

132--169. NUMINE CAESAREO.] Prosequitur laudes Augusti maxime in his quae pastores concernunt: unde dicit Pana Lyceum quia in Arcadia maxima colebatur, & Faunum deum Latinorum & deas fontium ac montium nunc securiores esse: cum eorum templa & loca quae inhabitant sint numine Caesaris Augusti ab infestatione omni tuta. *Lycos* dicitur lupus. *Lyceus* autem mons Arcadiae ubi templum bicornis Fauni & Panos Lycei quem eundem esse putant. qui & illic natus dicitur. *Nais* ut dixi dea fontium. *Oreas,* hujus *oreades*. dea montium nam *oros* mons dicitur. *Dii precor.* amica precatio. etiam ex Marone sumpta. *Mortale pensum.* scilicet quod Parcae fatales neut resolvite. ut quod jam volutum est devolvant. aut resolvite *mortale pensum.* i. e. id quod in penso mortale est. Et date perpetuo &c. *Metallo.* scilicet auro. quia aurea redierunt saecula. *Pensare.* commutare. *palatia.* scilicet Romana: ubi & Apollini aedem dicaverat. *Tu quoque Caesar mutata figura.* sic & Hora. Ode. 11. & Maro in principio Geor. *Pelvina examina.* id est apes quae pelvibus ubi dispersae sunt colligi solent. nisi *Paligna* legamus. *Nectar.* id est mel. *Hei mihi.* non satisfecit sibi sicut usu venire solet cum Meliboeo satisfecerit. *Larem.* casam propriam. *Velle aurem.* id est admonet prospicere. *Sacra.* de quibus Persius

- - - *Ad sacra vatum.*

Qualis. scilicet Mecoenas.

IN ECLOGAM V.

Versu 1-35. FORTE MYCON.] In hac Ecloga dantur praecepta pastoralia fere ex III. Geor. Verg. deprompta. Mycon autem pastor. Canthus alumnus. id est filius ab eo educatus & altus. Loquitur principio poeta. *Tremulis.* senio scilicet trementibus. *Lascivo.* avido. *morsu : concidere :* tondere mordicus resecare. *Cana ,* albicantia pruina si sit autumno aut hyeme. aut floribus si in vere aut aestate. *Aprico.* soli expofito non umbroso. *Pro me.* loco mei est enim puer ad laborem aptior. *Tinnire :* submisse canere. *Reversa.* de externa regione in quam sub hyemem evolaverat. *Ovili hiberno.* quo per hyemem conclusum erat. *Pullat.* quasi pullos, id est novos foetus producit unde diminutivum *pullulat.* Maro

Pullulat ab radice aliis densissima sylva.

Aut *pullat.* id est nigrescit. nam pullae vestes nigrae sunt. aut quando densas habet frondes: unde addit & aestivas &c. *Renascitur.* unde Aprilis dictus quod annum aperit. *Tunc venus.* unde & *vernae* dicti quod vera fere geniti. *Quum fuerit placata Pales.* Pie monet religionis pastoralis: *Cespite vivo.* id est terra cum herbis adhuc virentibus evulsa construe aram. *Genium.* id est deum loci. *Faunus.* qui & Pan & pastorum eo quod in sylvis degit deus est habitus. *Lar* deus est familiaris bonus. nam malos *larvas* vocabant & *lemures*. *Hostia.* id est pecus mactanda. *Imbuat tepidos cultros.* id est tepido cruore intingat. *Salso farre.* id est mola quae fiebat ex farina & sale sine qua non faciebant sacrificium. *Lustra.* purga quibusdam sacris. *Primae horae.* scilicet diei. *Papillis.* id est uberum extremitatibus. *Quo fluat.* id est abundet *messe.* tempora messis.

36--71. *Parce tamen foetis.*] Monet non tantum mulgendum ad caseos venales ut succus pecori aut lac subducatur agnis. *Compendia.* commercia quibus aes rependitur, *Tanti.* scilicet momenti apud te. *Foetas* quae jam enixae sunt. *Foetura.* propagatio gregis: Maro.

Si foetura gregem suppleverit.

Serus. tardus. *Nec tu longinquas.* Id ex Geor. Virg.

- - - *Cum propius stabulis armenta tenerent.*

Jovis id est aëris. ut

Et jam maturis metuendus Juppiter uvis.

Inconstantia : quia in vera & autumno jam sudum & jam pluvium est tempus. quia mixta temperies. *Veris.* id est verni temporis. *fides.* id est fidelitas. Saepe enim pollicetur serenitatem & mox ingentes inducit pluvias. *Nimbos.* nubes pluviosas. *Torrentibus.* amnibus subito ortis & rapacibus. *Abstulit.* Maro.

Cum stabulis armenta tulit.

Longa dies. id est tempestas diurna: ut in aestate. *Deo* scilicet Jove domino aëris. *humida dulcis.* Maro

Cum ros in gelida pecori gratissimus herba.

Euris , ventis orientalibus: sed speciem pro genere posuit. *Matutinae guttae lucent.* speciosa roris descriptio. *Argutae :* stridulae: *increpuere.* crepitu pullavere & quasi ruptae. *Jam nona.* scilicet hora diei: cujus prima sit ab ortu solis computanda. *Sole declivi.* ad occasum tendenti. *Merendas.* scilicet sumendas. *Merenda* autem dicitur cibus post prandium & ante coenam sumi solitus. *Aestivo ovili.* cui per aestatem includitur. Nam hyeme ad stabula cogendum est. *Volucris.* avis. *Levibus nidis* quia pensilibus. *Ad tremula ve forte coagula lactis.* id est ad coenam pastoralem. *Constringito.* vellus excuciendo humorem. Hic autem locus, alioqui notus, corruptus erat.

 72-

72--122. SED TIBI CUM VACUAS.] Prosequitur docens quomodo post tonsuram curabuntur pecora. Et primo monet succurrendum ovibus ne scabiem inducant si acuta forfice laesa sit inter tondendum cutis. Est autem *forfex* ferramentum quo fila inciduntur a ferro & filo dictum. *Forceps* a *forvo.* id est calido & *capio:* quasi forvum capiens: ot quo ferrum calidum eximitur. *Forpex* vero instrumentum quo incidimus a *forvo* & *pilo.* unde quia vellera lanacea sunt: ex lana autem fila fiunt: alii *forfice* alii *forpice* legunt. *Virus* vim inflativam: pestem tabificam. *Texerit.* a *tego.* id est occuluerit. *Et Scyllae caput.* herba est unde & Maro Geor. III.

Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti. vivaque sulphura
Idaeasque pices & pingues unguine caeras,
Scyllamque helleboraque graves nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est.
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os &c.

Omnia ergo ex Marone sumpta sunt. *bullata.* forte *buxata* legendum. id est buxo: hoc est pyxide inclusa. *Nec Brutia* scilicet terra aut amurca aut brutia cura dicta a utilitate ministerii. Nam Brutiani dicuntur qui officia servilia magistratibus Romanis praestabant: qua ignominia notati sunt Brutiani eo quod hi primi sese Hannibali crediderunt. *Liquido unguine.* id est butyro. quod dicitur bovis caseus. *Lectus ovili.* id est ad quem ovile non signatorum deflexerit se. hoc est si oves tuae ad alienum possessorum declinaverit & cum sic quasi legeriot post florem. *Pulverat.* id est in pulverem resolvit. *Lucida galbana* Maro Geor. III.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

Mapalia, casas pastoralea & caulas: *fumo cervino:* ex cornu cervino. *Securus.* id est sine cura & sollicitudine: qualis esse non debet priusquam collegerit: quia ut dicit Maro.

- - - Victumque feres: & virgea laetus
Pabula: nec tota claudes foenilia bruma.

103--121. SIC ERAT.] Graphice cohortatur filium ad curam pecoris & ad virtutem pastoralem praecipua ad frondium collactionem in qua palmarium & praecipuam gloriam collocasse videtur. *Plenae medullae.* boni adhuc succi. *Fronde caduca* id est quae cecidit quia sicca. *Riget* scilicet frigorit. *urat.* quis ut dicit Maro.

- - - Et boreae penetrabile frigus adurit.

Ubi *penetrabile* active posuit. quod hic passive ponitur. quia corpus dicitur penetrabile: quod facile penetratur. & frigus quod penetrat. *Penetralia* id est interiora. *Superfunt.* id est reliqua sunt. Verum ut Aulus Gellius docet *superesse* est superfluum esse. *Noctifer hesperus:* qui mane *lucifer* dicitur.

IN ECLOGAM VI.

Versu 1--11. SILAUS ANTE LYCIDA.] In hac Ecloga habentur contentiones & aemulationes inter Hastilum & Lycidam pastores: fitque plena ad concertationem musicam patefceue. Nam & praemia deponantur & index deligitur & locus constituitur & forma canendi praescribitur: verum cum conviciandi non facient finem abiturus est judex non audita lite. Credo autem in primo verbo ubi inpressum reperi *laetas ades:* inprimendum fuisse *ferus ades:* quia jam finita lite. Alcon autem aemulus videtur & rivalis etiam Lycidae, unde aegre fert, illi sententiam cessisse. *Dedit* id est deposuit. *ille* scilicet Alcon. *juravit genus.* scilicet egregium. *sed sustulit omnia* scilicet utrumque depositum cum laude. aut haedos cum matre & catulum. *Achantida.* id est carduelem avem dulciter inter spinas canentem: unde nomen sumpsit. Maro in Geor.

Littoraque Alcyonem resonant & Achantida dumi.

Declinatur haec *Achantis* hujus *Achantidos.* *Achanta* autem spina dicitur. *Aedona.* *Aedon aedonos:* si vera est lectio volucrem canoram significat cujus non occurrit lectio. *Te potiar.* videntur Hastili verba qui postea amator Petales inducitur. sed legam *Ne potiar*, ut sit: Ne Petale quidem potiar, qua tamen *una.* id est sola *torqueor.* scilicet amore: si Nyctilus est magis *proximus* (ut sit positivi gradus: nam inde fit *proximior*) illi scilicet Alconi docili arte calamorum aut cantu, *quam voltu.* id est pro vultu id est specie. quo dicit tam vincitor forma quam cantu.

11--47. JAM NUNC DECIPIOR TE JUDICE.] Loquitur Lycidas qui vocavit Alcona bubonem turpem dicit ego decipior nunc te judice. *Alter* scilicet Alcon. *Histrix*, animal spinosum ericio simile. quod ut autor est li. IX. Pli. in *India Aethiopia & Aphrica crescit: & spinas quibus tergus hispidum habet aliquando tensa cute laxatas voluntaria jaculatione jacit, & assiduis aculeorum nimbis canes vulnerat insiquentes, & sex hibernis mensibus latet. Levis*, poliuo, imberbi. *Alter* scilicet Nyctilus. Sin haec verba Hastili sunt, dices formosum Alconn & turpem Nyctilon: sed placet contra dici. *Qui* scilicet Nyctilus potest dici Apollo: si Apollo non cantaret. quasi dicat forma quidem illi par est sed cantu longe inferior. *O Lycida.* quia Lycidas Alcona vituperat. censet eum imperitum carminis. unde oritur certaminis provocandi occasio. *Judex.* invidiose. quasi dicat qui cum ignarus sis te judicem audes jactare. *Haud nunc erit*, sicut olim pro te judicavit. unde illi vices reddidisti. *Stillantes:* guttatim defluentes voces. ut plurimum utitur accusativo tertiae in *is.* quoties genitivus in *illum* cait. *Lycontas* potest tibi exprobrare aut turpem libidinem sicut in Damera Maronis, aut furta. *Maasylus.* Nomen ex Marone sumptum in Sileno.

Silenum pueri Chromys & Mnasilus in antro &c.

Unde non legam hic Manasillus. *Non tamen hoc impune.* id est indemnis feres: quia cervum depono ut pignus tuum accipiam. *Redimicula*, collaria. *Pendere*, in poenam dare si vincar: & contrapofueris pignus.

48--56. TERRAE MNASILLE SUB &c.] Juxta praeceptum rhetoricorum prae se fert & Lycidas fiduciam.

Unde

Unde & pignus deponit. quod urbane laudat. *Non jugale.* id est non institutum ad juga more jumentorum sed ad equos belligeros propagandos. Licenter autem producit *jugale.* Nam *jugum* & *juga* primam corripiunt quam *jumentum* tamen producit. *Petason* equi est nomen: *libavit.* degustavit. *Terga sedent.* id est demissa sunt: quod & Maro laudat. *micat.* agitur more digitorum micantium. *caput acre.* id est acrimoniam indicans. Maro argutum laudat. *sine pondere.* id est gracile collum. *tornata:* polita & rotunda. *brevi cornu.* quia & pes brevis laudatur. *Tangeret ut fragiles.* Id quoque Maronianum est. *Hunc dare.* id est me statutum esse. *Thorum:* sedile ex tortis juncis aut herbis. *Raucum.* rauce. sed elegantius in his quae ad sensum pertinent voce accusativorum utimur quam adverbiorum. *Mascus* herba concreta super fontes. Maro.

Muscosi fontes &c.

Tophus. lapis scaber & levis: *Hunc & achantida.* Id est me cum achantide contendentem in cantu. *Thalia* viridante. *Fortior*, declinat tacite a judicio.

87-93. FORTIOR.] Inceperat Lycidas carminis fragmentum, in quo tacite carpit Hastilum quod Mopso oscula minime accepta obtulerat: verum in prima persona id argutius facit. Unde Hastilus rem intelligens quasi diffidat de judice, optat ut fortior sit quasi non satis sit. quod intelligens discedit Mnasilus.

IN ECLOGAM VII.

Versu 1-22. LENTUS AB URBE VENIS.] In hac Ecloga ut ex titulo patet. extolluntur spectacula ab imperatore (nisi fallor) Augusto populo Romano exhibita: non sine laudatione urbis Romae. Simile quiddam est apud Martialem in principio operis. *Vigesima nox.* ergo viginti abfuerant dies. *moerentes.* moesti: tristes. *Jubila* modulationes: cantica laetitiae. *Juvenis deus.* Augustus *Ardet.* id est ardenter aut splendide exhibet. *Lustravit.* purgavit quodam sacrificio cum cantu. *Scilicet.* indignanter fert & invide quod inferiores praemia cantilenae sustulerint: fert tamen patientius propter spectaculorum excellentiam quorum fruitionem pluris aestimat: quam praemii assecutionem. *Auferat* accepto. *non solum.* Valla diceret: *nedum.* ut sit, scilicet, id est itane justum est quod Stimicon auferat invictus. id est tanquam invictus cum nemo fuerit quicum certasset & dives auferat praemia utpote laudem: nedum id est ne dicam quod gaudeat haedo accepto abs te. Verum permitto & minus invidenter patior ut Thyrsis ferat. id est auferat *ovilia tuta.* id est mercedem ex ovilibus quae lustrat: non *tamen. Omnia Lucanae.* In Lucania enim plurima sunt pecuaria: dicitur autem *hoc pecuarium.* Persius:

Findor ut Arcadiae pecuaria rudere credas.

Dic age. Inducitur Lycotas avidissime expetere narrationem spectaculorum ut non detur vitio si exactius narrentur. Videtur autem Lycotas qui lupinas habent auriculas. nam *Lycos* est lupus. *ota* aures. ad quas alludens dicit.

- - - *Nec nostras invidus aures*
Despice.

Non aliter id est aeque dulciter. *quam certare.* id est contendere cum aliis. aut lege *quam cantare soles.* Scite laudat eum a peritia ut facilius inducat ad narrandum: simulque Augusti spectacula rebus divinis aequiparat. *Ad sacra vocatur.* invocabant enim deos ut sacris suis praesint. *Pales* pabulorum & pastorum dea: sicut & Apollo Nomius. id est pastoralis. Unde Maro.

Te quoque magna Pales &c.

23-59. VIDIMUS IN COLLUM &c.] Incipit Corydon narrare quae Romae viderat spectacula: & proprie describit podium seu fabricam spectaculorum exhibendorum quam dicit eductam in tantum ut quasi despectare, id est deorsum inspicere posset arcem Tarpejam. id est Capitolium. *Et divos jacentis leve.* id est leniter spectando scilicet deorsum. divos autem vocat magistratus & (ni fallor) aediles: aut omnes censum equestrem habentes quibus licebat in quattuordecim primis gradibus sedere. *Venimus ad sedes.* scilicet humiles: hoc est ad caveam seu coronam theatri. *Foemineas cathedras.* quas secum ferunt ad spectacula videnda. *Libera coelo.* id est quaecunque sursum sunt ad XIIII. primos ut dixi gradus. *aut eques.* scilicet auratus: aut *tribuni nivei.* id est candidati. *Qualiter.* Ordo est. Quid ergo referam tibi qualiter haec vallis, id est cavea illa seu sentina spectaculi ubi plebs sedebat: *consurgit.* id est consurgit. *in orbem patulum.* id est in coronam populi circumsedentis *Et sinuata* supple est. id est habet latus sinuatum. *sylvis.* id est ramalibus. *supinis.* id est sursum tendentibus: *undique.* id est ex omni parte. Quid inquit referam quum vix &c. *Stabam defixus.* Ita solent rustici aperto ore quasi oscitabundi spectare res urbanas. *Senior:* aliquis ex plebe. sed non constat cur se stupefactum dixerit. nisi forte quod sibi splendidior visus sit cum ex rustico factus sit urbanus. Moris enim est ut qui festive amicti sunt se aliis stupori esse putent. *Baltens* aut militum zonae: aut potius cinctura quaedam per theatrum extensa: quum floribus & herbis modo decorari solet. *Mapalia.* casae pastorales qui & *magalia* dicuntur. *Tereti qua lubricus axem.* Aut rusticana & imperfecta est narratio, aut versus deest exemplaribus quem divinare difficile sit. *Hic niveos lepores.* canescunt enim in Alpibus dum nive vescuntur neque putem hoc in pictura fuisse. ut patebit in crocodillo. *Et non sine cornibus.* id est cornutos apros. Credam rustica simplicitate speciem pro specie capere. *Nycticanam.* nocte canere solitam.

60-85. VIDIMUS &c.] Prosequitur reliqua quae exhibita sunt in harena spectacula ut tauros torosos & silvestres: forte uros aut bubalos intelligit. sed rustice omnia animalia ad eam speciem quam cognovit refert. *Et deforme pecus quod Nilo pascitur.* Crocodillon intelligit. Est autem crocodillos animal quadrupes terrestria & aquatile: crescit ex minimo ad decem & septem & amplius cubitos. *Quo sata riparum.* Magnitudine quidem sua inondare facit Nilum, sed quomodo id vidit ru-

 sticus

sticus Romae: nisi forte in picturis. sed si in picturis quomodo dicit. *Ab trepidi* &c. unde dormitasse videtur author. aut Nili quoque effigies illic erat: & animal edoctom intrare aquas & rursus exilire. *Arbuta aurea:* aureis foliolis aut pellibus tecta. *Obfuerunt.* more Vergiliano qui *tulerunt floterunt misfuerunt* penultima brevi protulit. nisi legatur *obfuerant.* *In uno* scilicet Augusto: qui ut in ejus vita attestatur Suetonius: aliquando in convivio pro Apollioe gessit. Unde finxit Maro quod illi auxilio fuit in bello Actiaco. Et Flaccus primo carminum, quod in Mercurium aut alium deorum mutetur. Martis autem vultus inerat propter peritiam belli. *Apollinis,* propter musicam.

Haec sunt quae in Caji Calphurnii Bucolica carmina adnotanda putavi: in quem, quia dilucidus & fere ex Marone notus visus est, brevis admodum fui. admonente id cui hanc operam navavimus, M. Durando Gerlerio Parrhisiensium librario jurato.
Finem autem sumpsit ad quartum Calendas Decemb. Anni M D III.

VARIAE LECTIONES
EX
EDITIONE ASCENSIANA
AD ECLOGAS NEMESIANI.

E C L O G A I.

	Edit. Vulg.	*Edit. Ascens.*
Vers. 2.	resonant tua rura	*imitantur rura*
3.	si quod	*si quid*
9.	versuque bonus	*versusque* bonus
7.	viridique gregem	viridique *greges*
13.	ac veneres	*&* veneres
15.	Te nunc v. s.	*Et* nunc v. s.
16.	flamina	*carmina*
25.	fidibusque Linus	*fidibus* Linus
27.		Versus hic abest
28.	inciso servans m. c. l.	inciso *quercus* m. c. l.
31.	fagoeve	*fagoque*
32.	suggerit herbas	*sufficit* herbas
39.	Jam si ——— templa	*Nam* si ——— templo
41.	Tu nostros	*Heu* nostros
44.	Felicesque anni	*Foelices* anni
52.	Concilioque Deûm	*Consilioque Deus*
57.	vultus	vultu
58.	aptare labris, & jungere cera	*aptare* labris *conjungere cavva*
59.	Hortatus.	*Oratus:*
69.	Mella ferunt	*Mala* ferunt
	armenta loquuntur	arm. *sequuntur.*
78. 79.		Transponuntur hi versus
81.	coeptum tibi jam	*coetumque tibi ne*

E C L O G A II.

Vers. 1.	puer Idas	puer *Astacus*
2.	rudibus	rudibusque
3.	ruebat	*rueb*[illegible]*s*

Edit Vulg.	*Edit. Ascens.*
Verf. 6 immitis uterque	imbutus uterque
12. sollicitusque foret linguae sonus,	*sollicitumque* foret *linguis* onus:
17. genae leves,	*genas* leves,
22. purpureos	purpureos*que*
25. Nam mihi jam trini	Nam *me* jam *terni*
28. rabidos	*rapidos*
29. trinis	*ternis*
32. aëra complent	*atria* complent
40. Eheu	*Heu heu*
41. simillimus erro.	simillimus *atrae.*
50. amet	*amat*
52. Idas te	Idas *quoque*
53. Tu quae	*Nunc* quae
61. quae ducit aëdona	quae *duceret aïdona*
67. geminasque palumbes.	*geminosque palumbes,*
69. Et post haec	*Tu* post haec
82. cantamus avena	Cantamus *avenae*
83.	Hic versus abest.
85. cantabimus urbi.	*cantabimur* urbi.
89. descendere	*discedere*

E C L O G A III.

Verf. 4. ex tereti	*e* tereti
7. canorum Fistula, quam fuêrat,	*canorem* Fistula *quem fuevit:*
15. Jamque ego Bacche tuos ortus	*Jamque ortus Lenee tuos*
21. post sidera coeli	post *fulmina coelo*
26. Nos etiam Nisae	*Vosque* etiam *Nymphae*
29. quietem	*quietum*
30.	Abest.
34. Et simas t. collidit pollice nares.	Et *summas* t. *subducit* p. n.
41. ediderat:	*audierant:*
51. vocalia cymbala	*venalia* cymbala
52. 53.	Permutantur invicem.
63. Jove prosatus ipso,	Jove *natus ab* ipso,

E C L O G A IV.

Verf. 11. adederat ignis,	*& edit* & ignis
12. vulnera	*vellera*
17. vultu mentem ——— serenans	*vultum veniens* ——— *serenas?*
35. tumidae nares	*timidae* nares
45. solet hic lucentes urere malas.	*sed & hac lucentis vertito malas.*
52. Nerinas	*Nerines*
57. diu patientes	*lubens* patientes

AD ECLOGAS CALPURNII.

E C L O G A I.

Verf. 4. Ornite,	*Ornithe*, & sic passim.
13. mea Leuce,	mea *Lene*,
17. mea fistula,	*nova* fistula,
18. Lygdon.	*Lydon*
30. Non montana	*Nec* montana
45. in ulnis.	*Iulis.*
46. vinctas	*victas*
51.	Abest.
52. subigentur	*subdentur*
79. mittat	*mutet*
80. igne cremato	igne *cruento*
82. At quondam	*Et* quondam
86. tralati	*translati*

ECLOGA II.

Edit. Vulg.	*Edit. Ascens.*
Versu 3. hi	*si*
8 vindicet	*vendicet*
9. Thyrii	*Thirse* & sic semper.
12. Neglectaque pascua tauri Calcabant.	Haec verba desunt.
20. intermittere	*intervisere*
21. annosa	*umbrosa*
22 23.	Permutantur inter se.
32. Et mihi	*At* mihi
33. Et matura mihi Pomona	Et *Matuta* mihi *peramoena*
34. fontem.	*fontis.*
35. nutrire canalibus	*mutare canalibus*
45. novia,	*novas,*
47. Ne depulsa	*Nec* depulsa
48. arida tellus	*altera* tellus
54. Decernamque nemus,	*Dicam namque* nemus,
60. Ne contemnas	*Nec* contemne
65. fingere liba	*fundere* liba
70 hornus.	*ornus.*
81. Mille renidenti d. t c. Chias,	Mille *renitenti* d. t. c. *thalas:*
85. Decipiorque miser,	*Decrepitusque* miser.
87. & gracili d. lanuginе f.	& *Ygracili* d. l. f. .
88. conspicor ipse,	conspicor *esse,*
92. Carmina poscit Amor,	Carmina *nec poscit*
94 illinc agat	illinc *vocat*
95. jam cantibus	jam *cratibus*
98. finierant.	*finierat.*

ECLOGA III.

Versu 5. *crura*	*cura*
7. lola.	*lolla.* & sic semper
8. Lycidam	*Lycidamque*
9. munera	*vulnera*
23. si forte vacabit	si *quando vacabis*
29. solus pete lolus.	*falices* pete *laetar*
24. solus tu	*tu solus*
30. nuda cecidi	nuda *recidi*
34 jungetur, anhelo,	jurgetur anhelo.
48. destructa	*distincta*
51. vae misero!	*vel misero*
52. & acescunt	& *dulcia*
53. quo te cantante	quo *tu* cantante
63. certaverit	*certaverat*
67. suspendat	*suspendit*
69. nullo —— lacte.	nulla —— lactis.
71. illae &c. v. t.	illae v. t. & abest.
76. palumbes	*palumbes*
83. pinsare legumine panem.	pensare legumina pane.
87. nectemus	*innectimus*
95. vicina ut saepe	*ut* abest.
98. Qui redit	Qui *venis*

ECLOGA IV.

Vers. 10. Numina	*Munera*
17. meditatur	*meditatus*
22 te non	*non te*
28. Praeter ab his scopulis	*Praeterquam his* scopulis
35. jejunia solvere	jejunia *pellere*
41. Pascua Geryonis,	Pascua *germani:*
42. Betys	*Baltrus*
50. advocet aureis.	*advocat* auris

Edit.

Edit. Vulg.	Edit. Ascens.
Verf. 52. Vis hod.	*Vix* hod.
59. here quos mihi d. l.	*hert quos* d. l.
70. fed nec	fed *nunc*
71. annuerit	*abnuerit*
72. quam te	*quia* te
75. Quam refon.	*Qua* refon.
79. fuccinet	fuccinat
84. At mihi	At *nunc*
87. Me quoque	*Te* quoque
90 Vifuraque faepe	*Vifurus* faepe
99. *Sic* nemus	*Seit* nemus
104. exundent vellera	*exundent ubera*
106. pecoris d. magiftros.	*&* pecoris *d. magiftrisi*
108. Diis?	*diis :*
110. quo filva vocato	*cui* filva *novato*
111. ftupefacta regerminat	*ftupefaftaque germinat*
113 fulcis	*fuccis.*
117. damnatos	*dentatos*
119. vertis arator,	*verfat arator*
124. faliat calcator	*pfallat* calcator
125. fignata	*faginata*
129. Carmina n. licet hic	*Gramina* n. licet *et*
138. *nifi* fallor	*non* fallor
144. & hunc p. o.	& *tunc* p. o.
149. quae paribus	quae *imparibus*
150. dulce canunt,	dulce *fonant :*
151. Quod Peligna folent	Quod *pelvina legunt*
152. O mihi	Hei mihi
157. At tu fi qua modo	Et tu fi qua *tamen*
161. e filvis	*a fylvis*

E C L O G A V.

Edit. Vulg.	Edit. Ascens.
Verf. 17. Intabit	*habitabit*
19. toto	*tota*
28. atque etiam	*ac* etiam
30. tranfcendere montem	*accedere* montem
33. fpument	*fpumant*
34. quod	*quo*
49. filentes	*fitientibus*
53. quoties	*quoniam*
57. nec protinus	*ne* protinus
58. Et campos	*Vel* campos
65. & tremuli tremebunda c. l.	*ad tremulo te ferto* c. l.
66. conftringere	*conftringito*
78. Providus (hoc moneo) v. f.	Providus *haec : moneo* v. f.
79. atque intacta	*&* *bufta*
81. Dura tibi —— terga (memento) fi fint v. l	*Cura* tibi & l. s. u terga (memento Si fint rafa) linas.
85. Auferet —— in arvo.	*Afferet* —— *evifi.*
95. Tunc age	*Nunc* age
100. cum	*dum*
103. Has tibi c. tepidas	*At* tibi c. *tepidis*
111. Sitis eft	*fatis eft*
118. pecuaria	*penetralia*

E C L O G A VI.

Edit. Vulg.	Edit. Ascens.
Verfu 9. Te p. P. q. n. c. maceror. n.	*Ne* p. P. q. n. c. *torqueor* n.
15. Et ridens	*Et viridans*
16 Qui dici poffet	Qui *poffet dici*
21. veniat licet arbiter Alcon.	*Haud nunc erit* arbiter Alcon.
35. verba. u. t. m. *Lycotas.*	*verba* u. t. m. *Lycontas.*

Edit. Vulg.	Edit. Ascens.
Vers. 35. scit ferre jugum	& ferre jugum
47. se non sine	*non se* sine
51. velocem	*velocs*
53.	Abest.
58. si vincar	si *vincas*
66. AS. Si placet,	*LY.* si placet,
70. sonitus turabimur	sonitus tuctabimus
72. herba tapetis.	herba *lapillis*.
76. nos illis	nos *ipsi*
79. AS Non &c.	*LY.* Non &c.
81. Audiat &c.	*HA.* Audiat &c.
87. nondum	*judex*
88. ne te q. t. t. e.	ne te *tibi q.* t. e.
89. Quid futitis	Quid *faetis*

E C L O G A VII.

Versu 6. edit	*ardet*
7. quae causa f. t. t. m.	quae *tanta f. r.* e. m.
11. Thirsis.	*Thyrsus.* & passim.
15. tota	*tuta*
28. Grata mihi	Grata *magis*
26. divos	*Divos*
32. 33. 34.	Desunt
36. sic undique	*In me* undique
39. Tum mihi dum senior	Tum mihi *tum* senior
40. Quid me	Quid *te*
41. *Ad* tantas	*Ac* tantas
42. tecta, calas & f. m. nosti.	tecta *vides* & f. m. *nostris*
43. tam tremulus, tam v. c.	*jam* tremulus & v. c.
51. axis	*axem*
52. 53. 54.	Desunt.
59. Manticoram	*Nycticanam*
67. quod in illo nascitur amni,	quod *Nilo pascitur* amni.
78. quae sit modo	quae sit *mihi*
80. Vidissem	*Vidisset*
81. Pullaque paupertas,	*Nudaque* paupertas,
84. esse putavi.	esse *putatur*,



I N-

IN

T. CALPURNII SICULI

Eclogas Tres Priores,

OBSERVATIONES

GERARDI KEMPHERI.

CANDIDO LECTORI

S. D.

GERARDUS KEMPHERUS.

DEMIRABERIS fortaſſe non immerito, B. L. cur, poſt Cl. Barthii, nec non aliorum Literatiſſimorum hominum in Calpurnium curas, & ego, ne quidem ad tanta nomina comparandus, quaſi, peracta jam fabula, in ſcenam prodiens, manum illi admovere in animum induxerim! Imo neç defore ſuſpicor, quibus id mirum videri praeſerrim queat, cur non integrum, ſed parte ſui quodammodo mutilatum, in lucem ediderim Poëtam; ſimulac conſpexerint, me non niſi in tres priores Bucoliaſtae noſtri Eclogas Commentarium meum terſiſſimo hoc Literarum ſeculo obtrudere auſum fuiſſe. Magnopere itaque vereor, ne & idem mihi eveniat, quod Epigeni cuidam Sicyonio poëtae obtigiſſe commemorat Suidas; cui, fabulam Bacchi nomine de more inſcriptam populo exhibenti (quum non ſatis digna Deo videretur) ilicet à Spectatoribus acclamatum eſt, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. Quibus, ut reſpondendi detur locus, inſtituti mei ratione reddere (ne arrogantiae mihi dicam ſcribant Eruditorum Centuriae) quam pauciſſimis conabor. Anni ſunt ferme quatuordecim, & quod excurrit ſpatium, quum, neſcio quô, animi fervore (ubi in Calpurnium forte incidiſſem) nonnullas in primam Ejus Eclogam Obſervationes, rudi quâdam Minervâ ac properante calamo conjecerim: eâ tamen ſpe ac voto, ut, ſi pinguius aliquanto otium nactus fuiſſem, uberiores poſtmodo in integrum hunc Poëtam, nec non Olympii Nemeſiani Bucolica, ob argumenti ſimilitudinem, Obſervationes typis deſtinarem. Eo itaque conſilio dum ad alia me transferrem, ſchedulaſque meas intra cancellos vel ultra nonum annum, membranis intus poſitis, ex Horatii praecepto, retinerem, forte fortunâ evenit, ut, ὡς ἐν καιρῷ, (quum quoſdam ex Familiaribus ſalutandi gratiâ Almeriam acceſſiſſet) Vir Celeberrimus SIGEBERTUS HAVERCAMPUS, nunc in Almâ Batavorum Academiâ Graecae Linguae, nec non Hiſtoriarum, ac Eloquentiae Profeſſor meritiſſimus, inter reliquos, & me praeſentiâ

sua dignaretur. Cui Literatissimo Viro quum easdem illas (posteaquam, ut vulgo fabula fabulam trahit, etiam Calpurnii ac Nemesiani incidisset mentio) spectandas exhibuissem schedulas; praeter spem accidit, ut specimina haec, quantumvis exigua, Doctissimo Viro non arriserint modo, verum tantopere etiam placuerint (quod praefiscine dixerim) ut pro summâ, quae Ejus ingenio inest humanitate, illud adjicere non dubitaverit, quod de Proculo suo pronunciavit Plinius Nepos; opusculum fortasse fore non contemnendum, quantum ex iis aestimare valeret; quae se praesente recitâssem, si elucubratius in lucem aliquando prodiret. His peractis (quum post aliquod jam temporis intervallum ampliorem aliquanto exponendo huic Auctori dedissem operam) sub finem Anni jam proxime elapsi à Bibliopolâ ac Typographo Lugdunensi, Viro Integerrimo, ad me deferuntur literae, quibus me certiorem fecit, non modo, se jam in eo esse, ut novam Calpurnii, ut & Nemesiani Editionem, simul cum Gratio, Rei Venaticae Scriptore jam tum Augustaeo aevo celebri (adjectis omnium, quotquot in hos Auctores, separatis exstarent Editionibus, Literatissimorum Virorum Notis) sub praelo sudantem haberet: verum etiam, nullâ usus circuitione, ex me quaesivit, si quid Notarum, quae typis describi jam possent, in Calpurnium, aut Nemesianum, ad manus haberem? (Usque adeo non omnem mei abjecisse memoriam videbatur Vir Clarissimus) Quae si ita essent, non incongruum sibi videri, ut eas, qualescunque forent, Observationes ad calcem Operis, quod cum Literato Orbe communicare jam meditaretur, adjiceret: atque ejusmodi plura ed rem facientia. Ad haec ego quum, ut res se haberet, apertissimo animi candore respondissem, me nonnullam quidem in explicando Calpurnio abhinc aliquot annos posuisse operam; verum hunc meum Ajacem (ut proverbiali utar schemate) in spongiam recubuisse hactenus: meque, aliis destrictum negotiis, nullam fere ulterius admovisse manum. Imo, neque par mihi videri, aut ullâ ex parte consentaneum, levissimam hanc meam Opellam tot tantisque Virorum, quos jam Libitina sacraverat, nominibus conjungere: Praeterea prae temporis angustiâ non integrum mihi jam esse integros in Calpurnium scribere Commentarios: hoc mihi dolere tamen, me non ante praescîsse: & quae similia his dici possunt. Quibus perquam officiose respondit Bibliopola, posse me saltem Specimen aliquod Observationum, si modo ad incudem eas revocandi dare-

re-

retur otium, in medium proferre; quas ad calcem Editionis adjicere fortasse non foret ἀπροσδιόνυσον. Quid multa? Ut in compendium redigam, persuasit, imo evicit, cum Celeberrimi Viri auctoritas, qui jam nonnullam de his praeceperat opinionem, tum amicissima Bibliopolae efflagitatio, ut delicato hôc Literarum seculo huic pelago me committerem, eâ spe atque omine, ut me tutum per Aegaeos tumultus aura ferat, geminusque Pollux. Habes, B. L. instituti mei rationem (quaeque me ad scribendum causa impulerit) quoad ejus fieri potuit, summâ fide ob oculos repositam.

Verum enimvero, ut de re ipsâ nonnihil dixerim, Uberiores fortasse me, quam par est, adjecisse Observationes, imo ultra Ὑπὲρ περιοπτὴν easdem me intulisse, quisquam dijudicet: praesertim quum exactissimi Vir judicii Janus Vlitius jam pridem censuerit, R. Titii, ac C. Barthii superfluos commentarios plus officere his scriptoribus, quam prodesse, tantâ nimirum simplicitate loquentibus, ut nihil minus quam Commentarii ubertatem ac fastum ferre posse videantur. Quod nescio quam bene censuerit Vir doctissimus. Quamvis enim lubens concessero, longe Utrumque Auctorem abesse ab illâ Virgilii majestate, ac reconditâ ejus, quae vel in ipsis Bucolicis regnat antiquitatum notitiâ; certe tamen illos ultra seculi sui barbariem (sublatâ jam nativâ illâ ac Romanâ Venere, ut ex Historiae Augustae Scriptoribus, aliisque eorum Συγχρόνοις, abunde liquet) assurgere non modo jam pridem judicârunt Viri Literatissimi: sed & illâ ipsâ, quam prae se ferunt, humilitate, atque inaffectatâ sermonis proprietate primas sibi in re Bucolicâ post Maronem illos demereri, ipse pronunciare non erubescit Vlitius. Fateor equidem, non omnes Calpurnii versus aeque castigatos, verum alios aliis felicius elaboratos esse: quocirca & Summo Viro J. Caes. Scaligero (qui nihil in Scriptoribus, nisi quod, jam Masurî rubricâ reductum in Maeci Judicis aures descenderit, in Hypercritico suo jure merito probat) non omnes aeque arrisisse Calpurnii Eclogas, in confesso est. At vero hinc non constat, omni prorsus illos lepore ac venustate destitutos esse. Certe facilitatem ac sermonis quandam volubilitatem, quamvis parum nervi in eo offendisse ait, in Calpurnio agnoscit L. Gyraldus, in Poëtarum Historiâ: imo Calpurnium Nemesiano castigatiorem esse, notat Cl. Vossius in Institutione Poëtices. Quin imo in carmine Bucolico, Eruditorum judicio, magnopere excelluisse illum, cum gratiâ

dictionis, tum elegantiâ & proprietate, auctor in Ejus Vitâ est Petrus Crinitus. Quanti illum fecerit Actius Sannazarius, Poëtarum Veterum nulli secundus, ex J. Alb. Fabricii Bibliothecâ, aliorumque testimoniis abunde liquet. Hunc itaque Calpurnium amplioribus aliquanto Notis illustrandum duxi, nimio fortasse animi favore, tum ob mirum argumentorum, in quibus versatur, varietatem, tum ob nativam quandam in adornandâ materie proprietatem. Quid enim primae illius Eclogae argumento felicius excogitari potuit? si quis vel sub ipso Augusto, vel Trajano, aurei cujusdam seculi felicitatem, poëtica quâdam adblandiendi consuetudine depingere voluisset? Duo enim introducuntur pastores, Ornitus ac Corydon (quorum altero ipsum designari Calpurnium suspicor) qui se mutuo provocantes, dum ramorum umbras appetunt, in luco quodam prope Fauni sacrarium in fagum arborem, quae vaticinium quoddam felicioris Imperii sub Caro Augusto, nec non Numeriano Caesare, in cortice descriptum haberet, forte fortunâ incidunt: ubi & Antiquitatis non contemnenda occurrunt vestigia. Quod idem fere argumentum etiam quarta, nec non quinta, ut & postrema, non sine mirandâ rerum descriptione prae se ferunt Eclogae. Quanta mox in secundâ ejusdem Eclogâ, utpote quae tota in amoribus facili quôdam dicendi genere versatur, argumenti est felicitas? quum mirifico scenae apparatu, sub judice Thyrsi, inter se de agriculturae ac vitae pastoritiae laudibus, nec non de Crotales suae, quam uterque afflictim, (ut inquit ille) deperibat, amoribus carmine amoebaeo decertantes induxit pastores, Idan & Astacum? Quanta jam Eclogae tertiae est vis emphatica? quantâ in eâ affectuum commiseratio? Quanta infelicis Amantis (quae nescio quid tragicum spiret) pathetica delineatio? dum Phyllidem suam, quam cum Mopso rivali à se deprehensam fervidissimo quôdam zelotypiae furentis aestu verberibus mulcaverat & juvenis & amans, miseris verborum lenociniis, deprecante amicorum fidissimo Iölâ, placare sibi conatur Lycidas! Hanc itaque tam operosam, ac tanto mentis acumine elaboratam Inventionis (quae non exiguam antiquae Rhetorices sibi partem vindicat) varietatem, certe illo, quo Poëta vixit, aevo summopere admirandam, si quis attentiore consideret animo; non tam exiguis Notarum punctis circumscribi atque explicari illam posse, mihi persuasum habeo.

Prolegomena quaedam de ipso Calpurnio, ejusdemque patriâ (unde

de cognomen illi Siculo) ac professione, praesertim vero de ratione illâ, cur prima ejus Ecloga DELOS inscripta sit, aliaque huic argumento inservientia, in schedulas quidem conjeceram: verum quum illa à doctissimis Viris, qui Latinorum Poëtarum Vitas atque Opera, eorumque varias Editiones, literis jam consignârunt, occupata sit materies, ne ultra praescriptum excurrat Praefatio, libens acquiesco; memor quippe illius (quod ex Pindari Nemeis non sine ratione usurpat Plutarchus) μὴ πλὺς ὁ Διὸς-Κόρινθος ἐπὶ τὸν λόγον. Unum illud adjecero tamen, non eundem esse nostrum hunc Calpurnium, cum Junio, sive Julio Calphurnio, (quod Literatis nonnullis visum fuit) qui sub Caro Imperatore ad memoriam dictabat, tanquam ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης· cujusque ad Praefectum Urbis de Imperatoris obitu ex ipsâ Perside, post fatalem illum Euphratis transitum, missa, apud Vopiscum, exstat Epistola: si quidem vel ex hoc honoris gradu apud Principem adesse semper debuisset: quod de Poëta nostro, qui ubivis fere paupertatis suae mentionem injicit, ac palam de inopiâ suâ conqueritur, nullâ ex parte sit verisimile; praesertim quum Eclogâ extrema se rusticum, & Spectaculorum magnificentia attonitium, fingit. Quod profecto non fecisset, si in ipsius Principis comitatu fuisset: imo ne quidem Olympium Nemesianum Carthaginensem, qui Numeriano Caesari in deliciis fuit, patronum sibi adsciscere, qui sub Melibaei persona ipsum tantopere Principi commendaret, necesse habuisset.

Haec erant, B. L. quae praescire te oportuit, ut candor tuus atque aequanimitas mihi adjumento simul sit atque ornamento. Id tamen quam maxime oratum te velim, ne Typothetarum quaedam errata, sensum ipsum forsitan quandoque turbantia, quae hîc, illic, vel me inscio ac invito, eo quod nonnunquam manum meam non sint assecuti typothetae, vel, prae nimio, ni fallor, festinandi studio, irrepserunt, incuriae meae quisquam impegerit. Scito enim (ne quid dissimulem) nullam mihi prorsus adornandae Correctionis fuisse copiam, tum ob exiguum temporis spatium, tum ob locorum inter se distantium intervalla; atque adeo me nunquam conspexisse paginas, nisi jam typis descriptas, ac sublata omni Correctionis spe ac voto. Ita ipso in limine offendi statim Homerum male citatum in Odyss. ubi pro lib. XXIII. reposuêre, IV. & XIII. atque ita in quibusdam aliis. Sed leviora haec. sunt nonnulla ut credo, etiam turba-

batiora: quae profecto non commissa fuissent, si quidem manum ipse admovissem: Usque adeo verum est illud Augustaei Liberti, *Dominum videre plurimum in rebus suis*. Quibus itaque Erratis si, pro candore suo, ignoscere velit Lector Benevolus, summo me dignabitur honore; ne scilicet

Incutiant aliena mihi peccata pudorem.

Sed manum de tabula. Vellit enim aurem Seneca Philosophus, non citra rationem suggerens, Non minoris esse artis scire desinere, quam dicere. Tu, Candide Lector, instituto meo, si merui fave, ac Vale.

Almeriae,
idib. Decembr.
CIↃ IↃ CCXXVII.

GE-

GERARDI KEMPHERI
OBSERVATIONES
IN
ECLOGAM I. CALPURNII.



NONDUM SOLIS EQUOS DECLIVIS MITIGAT AESTAS] *Solis equos* per *μετωνυμίαν* dixit. Significat, aestivum Solis ardorem necdum deferbuisse, quamvis jam anni temperies in Auctumnum vergat. SOLIS EQUI] notissimum Poëtis argumentum; qui vulgò quatuor dicuntur, vel ob quatuor Anni partes, vel, quòd dies in quatuor spatia aptè dividi possit. Illos, prae caeteris, copiosè & argutè describit Naso in Phaëthontis fab. Metam. II. vs. 153. & seqq. *Interea volucres Pyroeis*, &c. nominibus ex decoro adjunctis, eosque, *ambrosiae succo saturos*, ab Horis sub jugum mitti elegantissimè fingit. Quod etiam observat de Horis P. Statius, Theb. III. 410. in illorum tamen numero ac nominibus mirè variant Poëtae. Eumélus Corinthius, vetus auctor, duos mares, ac duas femellas finxit; quorum nomina Ἐῷος, Αἰθίοψ, Βρόντης, Στερόπης; quamvis, quoad posteriora, nominibus non satis appositis. Eosdem ex illo recenset J. Hyginus, fab. CLXXXIII. adjunctis etiam Horarum nominibus. Eôdem ferè modo, apud Euripidis Scholiasten, ad Phoeniss. vs. 3. recensentur, Χρόνος, Αἴθων, Ἀστραπὴ, Βροντή. Quatuor itidem (ut caeteros mittam) Planciades Fulgentius, Mytholog. I. nuncupat; Ἐρυθραῖον, quasi sub aurora rubentem, Ἀκταίωνα, mane splendentem, Λάμπον, lucentem ipso meridie, ac Φιλόγαιον, terrae amantem, & quasi declivem sub vesperâ. Satis appositè. Homerus tamen Odyss. IV. & XIII. duos tantùm nominat:

—— —— —— —— ἵππους
Ζεύγνυσθ' ὠκύποδας, φάος ἀνθρώποισι φέροντας,
Λάμπον καὶ Φαέθοντα.

Quem sequitur, quoad numerum, Martialis, lib. VIII. Epigr. 21.

Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus & Aethon
Fraena volunt.

Quamvis & simpliciter *Equos Soli* adscribunt, nullâ numeri eorum factâ mentione: inter quos etiam Noster. Ita Ennius in Scipion.

Solis equeis iter repressit ungulis sonantibus.

Pro quo dixit Catullus, *vegetis sonipedibus*. Neque aliter Callimachus, Hymn. in Delum, vs. 169. αἰθέρες ἵπποι Ἡλίου φορέουσιν. ad quem locum vide Illustr. Interpretem. At *Equas femellas* tantùm intulit Theocritus, Edyll. II. vs. 147.

—— —— —— —— Ἔτρεχον ἵπποι,
Ἀῶ τὰν ῥοδόπαχυν ἀπ' ὠκεανοῖο φέροισαι.

Ut & Euripides, Phoeniss. l. cit. Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα. Frequentior tamen *quadrigarum*, seu τετρίππου ἅρματος, est mentio: quomodo &, inter caetera cognomina, Orpheo, in Hymnis, Sol dicitur,

Μάστιγι λιγυρῇ τετράορον ἅρμα διώκων.

Quae cur ei potiùs, quàm bigae (quibus Luna invehitur) tribuantur, disces ex Isidoro, lib. XVII. Origin. quamvis (uti Censorinus de Die Natal. X.) ut diem veteres quadripartitò, ita & Noctem dividebant, praesertim in Re militari: quod ex Livio, Fl. Vegetio, III. 8. aliisque notum. Hanc inter *Lunae* ac *Solis* currum differentiam etiam tangit Heliodorus, Aethiopic. X. τῷ βωμῷ τῷ μὲν Σεληναίας παρεστήκει ταύρων ξυνωρίς· τῷ δὲ τοῦ Ἡλίου τετράορον ἵππων λευκῶν. Et apertè Manilius, Astronom. vs. 3. Quàm latè haec se Gentilium Theologia de *Solis equis* (ob celeritatem nempe ejus cursus) in Orientem, imo usque in Scythas, & Germanos diffuderit, jam dudum à summis viris demonstratum. Illud commentum verò, praeter aliòs Ecclesiae Patres, egregiè risit Prudentius contr. Symm. I. vs. 344. & seqq.

Hoc sidus currum rapidasque agitare quadrigas
Commenti; & capitis radios, & verbera dextrae,
Et fraenos, phalerasque, & equorum pectora anhela
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.

Ipse de se *Sol*, apud J. Firmicum, Error. Prof.

 Re-

Religg. *Qui paululum mihi fuerit blanditus, quadrijugi currus aurigam me esse confingit.* Noster itaque ex Mythologorum sententiâ, ut poëtam decet, loquitur.

Declivis mitigat aestas] Aestas in Auctumnum vergens Dicit, needum adveniffe Auctumnum, qui mense Sextili incipiebat Antiquis post exortas Pleiadas: de quo & Plinius, N. H. xviii. 31. unde Maro, Georg. III. *aestum* etiam Auctumno attribuit. Ita Manilius Astronom. ii. de iv. anni temporibus:

—— —— *Auctumnus Virgine furgit.*

Id temporis argutè itaque Lucretius, R. N. lib. vi. 370. definit:

Et calor extremus, primo cum Frigore mistus,
Volvitur, Auctumni quod fertur nomine tempus.

Declivis] Metaphoricè: ut *aestas fenescens, adulta*, &c. *Aestatis* enim calorem

Excipit Auctumnus, posito fervore juventae,
Temperie medius:

ut, sub personâ Pythagorae, egregiâ comparatione inquit Naso, Metam. xv. vs. 209. Nec minus concinnè id tempus descripsit Min. Felix in Octav. cap. 2. *Id temporis, post aestivum diem, in temperiem semet Auctumnitas dirigebat:* quomodo & Chrysologus, Serm. ii. *Post felites aestus aërem temperies mitigavit Auctumni*: quae phrasis, jam pridem ad hunc Minucii locum observata, proximè ad Nostrum accedit. Nec vocem *Auctumnitatis* damnaveris, cùm eâdem usus sit Cato de R. R. ut & Varro, apud Nonium Marcellum. Ad phrasin Nostri apprimè facit Fragmenti Vet. Auctor in Catalect.

Jam nunc ardentes Auctumnus fregerat umbras,
Atque hyemem tepidis Phoebus spectabat habenis.

Strictius autem Lucanus, Pharf. lib. x.

Donec in Auctumnum declinet Phoebus.

Eleganter hoc tempus etiam definit Longus, Pastoral. iv. Ἤδη δὲ θέρους ἀκμάζοντος, καὶ δὲ μετόπωρου ἐνισταμένου, &c.

Mitigat] Ergò hìc est, *temperat, relaxat.* pro quo Appulejus, Milef. vi. *Cum Solis fedaverit vaporem.* Sic propriè Livius, lib. i. *ferocem mitigare populum*, id est ardorem bellicum P. R. pacis artibus temperare. *mitigare animos*, Justinus, xiii. i. *Secreta patris mitigare*, id est temperare, Tacitus, Anal. III. 37. fed obvia haec.

2. Quamvis et madidis incumbant praela racemis] Quamvis tanta uvarum fit copia, ut torcularia ferè deficiant, & vix fint oneri ferendo. rarior hujus verbi ufus, absolutè positi. *Incumbere paries* vel *acies* dicitur, & in hanc vel illam inclinare partem id est deficere. Sic Cicero, *incumbere ad lenitatem*, id est vergere, προσκλίνειν εἰς τὴν πραότητα. Idem de Orator. *Eos, qui audiont quocunque incubuerint, impellere.* Plenius exsequitur Curtius, vi 9. *Linquente animo, in eum à quo tenebatur, incubuit*, id est defecit. De vocis hujus usu, hac notione, nihil L. Valla, Elegant. III. 44. Legi etiam posset *Quamvis & madidis incumbant pr. r.* (ut *racemis* fit casus tertius) id est *quamvis praela premant racemos.* Madidis] in lacum defluentibus, vel calcatis, ut defluant. Pulcherrimè ad sensum Nostri Anacreon, Hymn. Torcul. Od. lii.

Καὶ λῆνον ἐμβαλόντες
Μόνοι ἄρσενες πατοῦσι
Σταφυλὴν, λύοντες οἶνον. &c.

Cui conferas plenissimam vindemiae descriptionem apud Olymp. Nemesian. Eclog. III. vs. 41. & seqq. Ne *deficerent* ergo praela, quid curandum fuerit Antiquis, docet Plinius xviii. 31. ubi, cùm de Vett. inventis ac pressurâ dixisset, appositè addit: *Intra xxii. hos annos inventum, parvis praelis, & minori torculari, aedificio breviore, & malo in medio derecto, tympana imposita vinaceis superne toto pondere urgere, & super praela construere congeriem.* Vide & Varronem R. R. i. 54.

3. Et spument rauco ferventia musta susurro] *ferventia*, vel in lacum cum *fervore* defluentia: vel à studio vindemiatorum. priori convenit expositioni Manilius, Astron. lib. i.

Pinguiaque impressis despumant musta racemis.

Nec non Virgil. Georg. ii. 6.

—— —— *spumat plenis vindemia labris,*

posteriori Nemesian. loc. cit.

—— —— *vindemia fervet*
Collibus in summis, crebro pede rumpitur uva.

De Vindemiatorum ferventi studio Theocrit. Eidyll. xxv. 28.

—— —— —— —— πολλοὶ γὰρ
Ἐς ἀλωὰς ἱκνεῦνται, ἐπὴν θέρος ὥριον ἔλθῃ.

Et suavissimè Longus, Pastoral. iv. Καὶ ἅμα τὰς ἀμπέλους ἐπιτρυγῶν, τὰς βότρυς εἰς τὰς ληνοὺς κομίζοντες, τὸ γλεῦκος εἰς τὰς πίθους φέροντες, τῶν βοτρύων τοὺς ὡραιοτάτους ἐπὶ κλημάτων ἀφαιροῦντες. & *seqq.* Unde argutè Anacreon loc. cit. *mustum*, νέον ζέοντα Βάκχον, *novum effervescentem Bacchum*, vocat.

Musta] Dixit Noster poëticè: quamvis non rectè plur. num. dici contendat Servius, *licet Ovidius abusivè dixerit musta, & mustis*, ad Georg. ii. 6. Obfervat. Jof. Scaliger ad Varr. de R. R. Graecos, quicquid novellum, dixisse μόσχον: undè *mustum.* Sic *vinum mustum*, Isidoro, xii. *poma mustea*, Plinio N. H. *Caseus musteus*, pro recenti, eidem: & similia. In *musto* solam esse dulcedinem, non suavitatem, pluribus contendit Macrobius, Saturn. vii 7. Porrò quid *mustum* fuerit Antiquis, docet Cato, R. R. cxx. Plinius

xiv.

xiv. 22. alii.

SUSURRO] Impropriè addidit RAUCO: cùm *susurrus* sit Suidae ψιθυρισμὸς, φωνὴ ἄσημος, strepitus tenuis, vox per se nihil significans. Λεπτὴ φωνὴ, &c. Unde Virgilio dicitur *levis*, Eclog. I. 56. ubi Servius, *dulci murmure*. Hinc ad amantium voces transferunt Poëtae. Propert. I. El. II.

Quàm vacat alterius blandos audire susurros!

ad quem loc. doctissimus Interpres: *non potest aptius epitheton dari*. *Rauco* igitur dixit, respectu despumantis cum fervore quôdam musti: velut de rivo solent. Ad verba ergò Nostri Faustus, poeta serioris aevi:

——— *Raucumque cient nova musta susurrum.*

Cui adde lusum Incerti Auctoris, in Auctumnum, XII. variatum:

Lalra per Auctumnum musto spumantia fervent.

quae verba, Maroni olim adscripta, respexisse videtur Calpurnius.

3. CERNIS, UT, ECCE, PATER QUAS TRADIDIT, ORNITE, VACCAE, &c.] Voce usus est propriâ. Virg. Ecl. III. 3.

——— ——— *Nuper mihi tradidit Aegon*,

id est pascendum dedit. Quod ex Theocrit. Eidyll. IV. Παρέδωκε δέ μοι αὐτὰς ἐλαύνειν. Eâdem proprietate Longus, Pastoral. IV. οὐ μὴ ἐμοὶ νέμειν ἔδωκας, &c. Ex frugalitate nempe Vett. qui rarò mercenariis, sed ipsis filiisfamilias pecoris sui curam committebant, imo & filiabus. Quo respiciens Tibullus, I. El. 10.

Ipse suas sectatur oves, at filius agnos.

Neque aliter de Daphnide & Chloë Auctor jam citatus περὶ τῶν Ποιμένων. Sed exempla sunt obvia.

ORNITUS] Nomen Pastoris fictitium.

4. MOLLE SUB HIRSUTA LATUS EXPLICUERE GENISTA.] Ut solent ruminantes sub umbrâ boves. Ovid. Metam. III. 23. de hove, Cadmo praeëunte:

Procubuit, teneràque latus submisit in herbâ.

Quod plenius expressit in tauro Pasiphaës Maronis Silenus Ecl. VI. 53.

Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,

Ilice sub nigrâ pallentes ruminat herbas.

Quomodo & Lucret. lib. I. atque alii passim. Expressit Noster verba Pervigilii Veneris, vs. 80. Catullo olim adscripti:

Ecce, jam super genistas explicant agni latus.

Ubi si *subter* legas, cum Jos. Scaligero, rei ipsi, & Calpurnio magis conveniet. Ita certè Maro, Georg. II. 434.

——— ——— *Salices, humilesque genistae,*

Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbram Sufficiunt.

Genista enim est *frutex*, *sive arbuscula*, *sparto non absimilis*, *fronde minutâ*, *flore luteo*, *apibus gratissimo*; ut Plinius, XXIV. 9 sic dicta, eôdem auctore, quod, in morem genu, sit flexibilis (unde *lenta* Martiali, I. Epigr. 44.) vel quòd *genubus* medeatur dolentibus.

6. NOS QUOQUE VICINIS CUR NON SUCCEDIMUS UMBRIS.] Cur non, ad evitandos solis aestus, ùt pecus solet, umbram quaerimus. Imitatio Virgilii, Ecl. V. 6.

Sive antro potius succedimus?

Theocrit. Eidyll. XXVII. 10. Δεῦρ' ὑπὸ τὰς πτελέας &c. atque ita ferè pastores umbram appetentes inducit. Pulchrè autem id servat, Eidyll. I. 21. ubi Caprarius ad Thyrsin, quem, ut succedat umbrae, invitat:

Δεῦρ', ὑπὸ τὰν πτελέαν ἑσδώμεθα, τῶ τε Πριάπω

Καὶ τᾶν κρανιάδων κατεναντίον, ἇπερ ὁ θῶκος

Τῆνος ὁ ποιμενικὸς, καὶ ταὶ δρύες. & seqq.

Observat & id perpetuò Longus, ut sub arbore cantantes exhibeat &c. lib. II. ὑπὸ τῇ δρυὶ καθίσαντες ἐσυρίττον. Quippe, *Gratae cantantibus umbrae*: ut Bucoliastes. Epigramma Graecum in pastorem, Anthol. III. cap. 27.

——— Συρίζων, νέμεν μέλος ἄγχόθι ταύτας

Ἀρκεύθου πλατάνου.

7. TORRIDA CUR SOLO DEFENDIMUS ORA GALERO?] Cur pileo tantum caput tegimus adversus aestum? *Galerus*, pileum pastorale, seu capitis tegumen, rusticorum proprium. dicitur & pileus venatorius solem defendens, quasi à galeâ. Graecis πέτασος, à πετάω, expando: & σκιάδιον, ab umbrâ, quam capiti praebet, & Theocrito Θολία. Hinc, quod pastoribus ac venatoribus proprius fuerit, *Parrhasius* id est Arcadius, signatè Val. Flacco, Argon. IV. 138. dicitur:

——— ——— *Umbrataque vidit*

Tempora Parrhasio, patris de more, galero.

Quod etiam observat Scholiastes Apollonii Rhodii, Argon. II Thessalicum vocat etiam Heliodorus, in Aethiopicis, eò quod in Arcadiâ, nec non Thessaliâ, pastorum frequentia. De Simulo rustico Auctor Moreti; sub finem:

Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero

Sub juga parentes cogit lorata juvencos.

Plerumquè ergò è *pellibus ferinis* (quamvis è junco contextum quoque fuisse dicat Isidorus) cur & in usum castrorum: ut Virgil. Aen. VII. 688.

——— ——— *Fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti.*

Quod tangit etiam Ovid. Met. XII. 380. Hinc & Propertius, IV. Eleg. I. *galeritum* dixit:

Prima galeritus posuit tenteria Lucmo.

Quae verò hîc de Sacerdotum *galeris* (de quibus Varro in Fragm. & Gellius x. 15.) ingerit Cl. Barthius, minùs hujus loci esse videntur.

TORRIDA ORA] Vultum solis fervore adustum; qualis ferè agros colentium esse color solet. Quare etiam *turpem in agricolâ colorem candidum* esse censet Ovid. Art. Am. II. & fuscum in ruricolis colorem laudat Horatius, Epod. II. qualem nempe habet

—— Sabina, vel perusta solibus
Pernicis uxor Appuli.

Nota res est. Quam grata porrò ipsa insolatio fuerit Antiquis, (quam affectabant ad stabiliendam sibi valetudinem, & colorandam nitoris gratia cutem) docet, praeter alios, Martialis XII. Epigr. 10. ad Domitium, rus aditurum:

I precor, & totos avidâ cute combibe soles:
Quàm formosus eris, dum peregrinus eris!

Cujus & Aristoteles in Problem. Sect. XXXVI. Plinius Nepos lib. III Epist. 5. aliique meminerunt pluries: ut observat Hieron. Mercurialis, Art. Gymnast. VI 1. Unde Persius; Satyr. IV. *Et figas in cute Solem.* & Juvenal. Satyr. XI. 203.

DEFENDIMUS] Tegimus. Virg. Ecl. VII.

---- ---- Dum teneras defende à frigore myrtes.

8. HOC POTIUS, FRATER CORYDON, NEMUS, ISTA PETAMUS ANTRA] *Fratris* nomen pastoribus apud Maronem inusitatum, qui se *pueros* mutuò compellant. Posterioris aevi Scriptoribus tamen ea vox ita invaluit, ut & Graeco Epigrammati Antholog. exstet, δέμενε φράτερ. Amicitiae igitur hoc loco & purissimae simplicitatis est σύμβολον. Vulgò etiam casti amoris inter amantes fuisse vocabulum, docet Tibullus, III. Ecl. 23. ad quem locum vide doctissimum Interpretem. Quin hoc nomine mutuo sibi blandiri solebant amici. Quo sensu Appulej. Miles. 1. *Ecce . . . comes, & pater meus, & frater meus.* Terent. Adelph. IV. 5. *Si frater, aut sodalis esset . . . Hic non amandus, hiccine non gestandus in sinu est?* Nam, ut Quinctilianus Declam. CXXI. *Certè, quoties blandiri volumus, his, qui amici esse videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quàm ut fratres vocemus.* Quò respiciunt etiam Donati verba ad illud Terentii Adelph. II. 3. *ô frater, frater!* Unde Horatius inter adulationis signa agnoscit, lib. I. Epist. VI. 54.

—— —— Frater, pater, adde;
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

Quin & omnia paria Vett. dixere *fratres*, & *sorores*: quae vocabula etiam ad manum dextram laevamque lepidâ translulit figurâ Plautus, Poenul, act. I. scen. III. 9. Alioquin inter nequitiae vocabula locum habuit: ut ex Petronio plus semel apparet; ut cap. IX. *Tuus iste frater*, & seqq imò & amasias *sorores* vocabant Venerei isti pulli. Martial. II. Epigr. 4.

Fratrem te vocat, & soror vocatur.

neque aliter, lib. X. Epigr. 65. Hîc tamen castissimae est simplicitatis. De hujus vocis etymo variae sunt Variorum sententiae. *Fratris* vocabulo Latinis ansam dedisse videntur αἱ φρατρίαι, quibus contribules, sive contubernales inter se conjuncti fuerunt. Φρατρίαι praeter significationem *Curiae*, de quâ Dionys. Halicarnass. R. A II. 2. enim dicebantur Antiquis conventus quidam hominum in pagis propria sibi ac peculiaria quaedam sacra communiter habentium: de quâ voce consulendi Lexicographi. Hinc φράτηρ, *contribulis*, id est ejusdem curiae, vel tribûs, consors: & φράτριος αἲξ capra illa dicebatur, quae ab iis immolabatur. Sed vide omninò J. Fred. Gronovii notam ad ea, quae A Gellius N. A. XIII. 10. de Nigidii etymo senserit. Non itaque à φρέαρ, quòd pastores communi puteo uterentur: neque ab Hebr. ברית; foedus: ut Chr. Becm. Orig. L. L. visum fuit. Respicere ergo Noster potuit ad *Fratres Arvales*; qui, initio duodecim, Accae Laurentiae, Romuli nutricis, filii, fuere, in quorum numerum (defuncto ex his fratribus uno) se Romulus, ut duodecimum, voluit adscribi: eosque spiceâ coronâ, quam vittâ albâ alligabant, insignitos arvorum sacerdotes, qui sacra pro frugibus curarent, constituit: ut A. Gellius, VI. 7. & Plinius, XVIII. 2.

9. ANTRA PATRIS FAUNI] Nunquam ferè Pastores inducuntur sine antri aut sylvae cujusdam mentione. Unde elegantissima *antri Nympharum* descriptio apud Longum, Pastoral. lib. I. & ipsius *Panes antri*, in cujus sacrarium introeuntes Gymnosophistae responsa reddebant pastoribus apud Heliodor. Aethiopic. X. & sic passim Auctores. Nimirùm ex antiquissimâ simplicitate Veterum, de quâ Juvenalis Satyr. VI.

—— —— —— Cùm frigida parvas
Praeberet spelunca domos, ignemque, laremque,
Et pecus & dominos communi clauderet umbrâ.

PATRIS FAUNI] Vel honoris gratiâ, vel religionis; vel respectu antiqnitatis. *Faunus* enim antiquissimus vulgò dicitur Aboriginum in Italiâ rex: ùt prae aliis, Aurel. Victor, (sive quis alius) Orig. P. R. cap. IV. Illum Dionysius Halicarn. I. 3. annis fermè LX. antè bellum Trojanum, cum necdum appulisset Euander in Italiam, apud Aborigines regnum obtinuisse perhibet: eumque, ex Marte genitum, virum fuisse prudentem, unde Romanos illum & sacri-

crificiis & carminibus, ùt unum de diis patriis, honoràsse. &c. Signate *Faunum tertium Italiae regem* facit, ex Trogo Pompejo, Justinus, XLIII. 1 *qui Euandro Arcadi & agros & montem assignavit*, & seqq. Alii verò ipsum, Pico oriundum, in Italiâ regnâsse ferunt, quò tempore Orpheus Liberi patris sacrificia instituit. Vide, quae ad Aeneid. VII. 47. Servius, & Adr. Turnebus, Adverf. XXI. 22. adnotaverint. Certè meminit Polyaenus (Stratagem. VIII. 18.) ὁ Φαῦνος, ὃς ἦν, ὁ Διομήδης ἐν Ἰταλίᾳ τιλ... ἐπιτάφιον ἀγῶνα ἐποίησε. &c. Floruisse eum, ut Latinorum regem, quo tempore Pandion Athenis regnavit, illumque religionem Italis gentibus introduxisse, auctor est Lactantius, qui, de Falsâ Relig. 1. 15. *Latinis in summâ veneratione eum fuisse* ait. Verisimile videtur ergò agriculturam illum docuisse, ac proinde inter deos relatum fuisse agrestium. Sane antiquis Graecis scriptoribus incognitus fuit; eò quod Latinorum peculiare fuerit Numen: ut Ovid. Fast. III. 291. Virgil. Aen. VII. de Latino rege; & alii. Diversam verò de *Fauno* & *Pico* statuit sententiam Plutarchus, in Numâ, cap. XXVIII. qui ex Satyrorum, aut Titanum genere fuisse, & apud Graecos easdem exercuisse dicit artes (atque inter eas praesertim divinandi peritiam) quas profitebantur Dactyli Idaei, seu Telchines, Cretâ oriundi; priusquam Italiam peragrarent. Rectè ergò, ob haec beneficia, agrestibus exhibita, *Faunum patrem* vocat: quod honoris, vel certè religionis nomen & Jovi, & Marti, & Saturno, & Libero, imò etiam Jano ac Quirino, proprium. Aedes ejus in Insulâ Tiberinâ, quae dedicata fuit ex aere mulctatitio à Praetore Urbano Domitio: ut ex Livio, XXXIII. 28. & XXXIV. 52. apparet.

10. GRACILES UBI PINEA DENSAT SYLVA COMAS] *Pinea sylva*, appositè. Pinum enim *Fauno* (qui idem cum Pane Arcadico, ut inferius dicam) consecravit Antiquitas. Ridiculè causam referunt Mythologi, quòd in hanc arborem, (quae & Cybelae ob Attin propria fuit) Pitys nympha, quae Pani adamata dicitur, mutata fuerit. Quò respexit Lucianus, Dialog. Panos & Merc. ubi ipse Pan: Ἐγὼ δὲ ... τι Ἠχοῖ, καὶ τῇ Πίτυϊ συνειμι, καὶ ἁπάσαις ταῖς τοῦ Διονύσου Μαινάσι. Nec minùs arguté Antholog. I. XX. 12. ex personâ Panos:

Ἕρχεο, καὶ κατ' ἐμὰν ἵζευ πίτυν, ἃ τὸ μελιχρὸν
Πρὸς μαλακοὺς ἠχεῖ κεκλιμένα ζεφύρους.

Veni, & juxta meam conside pinum, quae suaviter
Ad molles resonat reclinata Zephyros.

Suavissimè Longus, ut solet, in Pastoral. Θεὸς ὁ Πὰν ἐρωτικός ἐστι, καὶ ἔπιστος ... ἠράσθη δὲ Πίτυος, ἠράσθη δὲ Συρίγγος. Respexit eo etiam Propertius I. El. 18.

Fagus, & Arcadio pinus amica deo

ad quem locum vide celeberr. Interpretem. Confer, si tanti sit, Coel. Rhodiginum, Lect. Antiq. XXV. 3. & Vinc. Chartarium, Deor. Imag. XVIII.

GRACILES COMAS] Dixit ex naturâ arboris. *Pinus* enim *folium habet capillamenti modo praetenue, & mucrone aculeatum*: ùt Plin. XVI. 10. Unde *acuta*, & *hirsuta* dicitur Ovidio. Ad ejus naturam alludit quoque Ausonius, Epist. XXV.

Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis.

DENSAT.] Claudian. Rapt. Proserp. I. 202.

---- ---- *Densis quam pinus obumbrat Frondibus.*

10. RAPIDOQUE LEVAT CAPUT OBVIA SOLI] Ut *comam*, ita & *caput* eleganter tribuit arbori: quo sylvae proceritatem declaret, quae sole gaudens aprico, illi non cedit, id est radios ejus non admittit. Simili ferè modo Seneca Trag. Oedip. act. III. vs. 540.

——— ——— *Phoebo obvia*
Enode Zephyris pinus opponens latus.

De Heliotropio, Ovid. Metam. IV. fab. 4.

Vertitur ad solem, quamvis radice tenetur.

RAPIDO SOLI,] Torrido, omnia fervore suo ad se rapienti. & adurenti: Virg. Georg. I. *rapidive potentia solis*. Ovid. Met. VIII. 225. *rapidi vicinia solis*. Intelligit fervidissimum solis aestum, qui eleganter μεσημβρινὸς dicitur Apollonio Rhodio Argon. II.

Ἦος μεσημβρινοῖο ... ἠελίοιο.

Longus, Ποιμ. I. de solis fervore, ἐξήλαυνε δὲ αὐτοὺς & seqq. Confer Phaedri fab. VI. lib. I. *Rapidum* vulgô explicant, percelerem.

11. BULLANTES UBI FAGUS AQUAS RADICE SUB IPSA PROTEGIT,] Novo vocabulo dixit *bullantes aquas*. *Bullare* enim & *ebullire* est effervescere, in spumas bullasque, fervente aquâ, excitari. Cato, R. R. CV. *Ubi bullaverit vinum, ignem subducito*: & Persius, Satyr. III. 33. quamvis metaphoricè:

——— ——— ——— ——— *Et, alte*
Demersus, summâ rursus non bullit in undâ.

Sanè dictae sunt *bullae*, quasi *burrae*, id est quisquiliae à πυῤῥὸς, quod à πῦρ. Impropriè ergò de frigidâ. Simili metaphorâ Noster, Eleg. II. 58.

——— *virides quà gemmeus undat Fons agit.*

Nimirùm cùm *bullae* quasi gemmas referunt (quo modo de rore loquuntur Poëtae) spumamque levi cum murmure in aquis excitant. Quò respiciens Appulej. Milef. IV. *Vibrantium fluctuum summum rorem calcabis*. Unde etiam au-

floribus *crispantes undas*, & *fontium crispantes venae*. Sic Minucius Felix, eleganti Latinitate, de mari tranquillo ad littus alludente dixit, Octav. cap. III. *Exibat ad terram crispis torosisque erroribus.* Magis propriè ad mentem Calpurnii Apulej IV. *de summo vertice fons affluens bullis saegentibus scaturibat:* quem locum notavit Barthius ut & illum ex Aristenaeto I. Ἡ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ πλατάνῳ ῥεῖ. &c. Ad Nostrum magis facit Anacreon, Od. LI. de Veneris natione;

Βρύων ὡς ὕπερθε λευκὸν
Ἁπαλόχροον γαλήνης, &c.

12. RADICE SUB IPSA] Ad ipsam radicem leniter fluentes. *Sub*, pro ad, vel prope. Virg. Aen. III.

——— ——— *sub ipsâ Antandro*,

ubi Servius: *juxta Antandrum, Phrygiae civitatem.* Idem Aen. VIII. 82.

——— ——— *Lucosque sub altâ*
Consulit Albuneâ.

Curt. VII. II. *Sub ipsis radicibus petrae.* *Sub*, ab ὑπὸ, praefixo S: ita ut fit propriè loco inferiori. Vide C. Becm. Orig. L. L.

PROTEGIT] Similis Propert. locus, lib. III. El. II. vs. 37.

Pinus & incumbens latas circumdabat undas.

Protegere, hoc loco est obumbrare. Lucanus, Phars. X. de arbore vix umbram ferente: *Truncum vix pretegit arbos.* Maro, Georg. II. 489.

——— ——— *Ingenti ramorum protegat umbrâ.*

Confer amoenissimam Petronii descriptionem, cap. CXXXI.

Et circumtonsae trepidanti vertice pinus:
Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo versabat rore lapillos.

Proprium hoc sylvis, cui perpetuò addunt fontes. Theocrit. Eid. I. alii.

13. ET RAMIS ERRANTIBUS IMPLICAT UMBRAS] Sylvestribus, ut nullo ordine se spargentibus: ùt, *errantes hederae*, Virgilio: vel, mobilibus, impellente aurâ se moventibus: unde *incertas* vocat Maro, Ecl. V. 5.

Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras.

Flaccus, Carm. I. Od. 23. per ὑπαινιγμὸν:

——— ——— *Mobilibus Veris inhorruit*
Adventus foliis.

IMPLICAT] Inter se commiscet, foliis inter se ludentibus ac implexis condensat. *Implicare* enim hic notat involvere. Graecis περιπλέκειν, συμπεριπλέκειν. Auctor Pervigilii vs. 6.

——— ——— ——— *Inter umbras arborum*
Implicat gazas virentes de flagello myrteo.

Gazas virentes id est ramos. Catullus, Nupt. Jul. & Manl. vs. 35.

——— ——— *Tenax hedera huc, & huc*
Ramos implicat errans.

Val. Flaccus, Argon. IV. 334. utramque significationem, quamvis in re aliâ, conjunxit:

——— ——— ——— ——— *Armaque Castor*
Implicat, & viridi connectit tempora lauro.

Versus hos tres rectè elegantissimos esse pronunciat Cl. Barthius, & supra genium aevi.

14. QUO ME CUNQUE VOCAS, SEQUAR, OBNITE.] Ut sub pineâ *sylvâ*, vel *fago*, cantemus. Conjungit quoque Propertius utramque arborem, lib. I. Eleg. 18. Dulcius enim, ut dixi, sub umbra cantare. Theocrit. Eidyll. V. 31.

Μὴ πτισσὲ ——— ἅδιον ᾀσῇ
Τεῖδ' ὑπὸ τὰν κότινον, κ' τἄλσεα ταῦτα καθίξας·
Ψυχρὸν ὕδωρ τηνεὶ καταλείβεται.

Quò me cunque, notissimâ tmesi dixit.

15. NAM MEA LEUCE, DUM NEGAT AMPLEXUS NOCTURNAQUE GAUDIA NOBIS.] *Leuce*, Corydonis amica, a candido colore nomen habens. sic Ovidio Met. III. *Leucon* canis, ab albedine. Hinc *Lanae Leuconicae* dictae Martiali, XI. Epigr. 57. à coloris praestantiâ: hinc & *Leucothee*, *Leuconoe*, & similia. λευκὸς, enim albus. Et *candida virgo*, Poëtis usitata phrasis. Corn. Gallus (seu Maximinianus) Eleg. IV. 7.

Virgo fuit, fecerat dederat cui candida nomen,
Candida, diversis sat benè compta comis.

Catullus Epigr. XII. *Non sine candidâ puellâ.* Persius, Sat. III. 110.

Candida vicini subrisit molle puella.

Frequens hoc in Priapaeis, Petronio, aliis, epitheton. Ita Juno, ob pulchritudinem, Homero Iliad. I. dicta θεὰ λευκώλενος Ἥρη. vox & Hesiodo usitata, Theog. vs. 913.

NOCTURNA GAUDIA] Propriè. Nox enim Veneri & amori quodammodò dedicata. Et sic vulgò Amorum Triumviri conjungunt. Propert. II Eleg. II.

Quanta ego praeteritâ collegi gaudia nocte!

Tibull. II. El I.

Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

Neque aliter Naso, Virg. Aen. XI. 737.

——— ——— *Venerem nocturnaque bella*

conjungit. Martialis signatè *noctem* Uxori suae ad haec *gaudia* commendat, lib. XI. Epigr. 105.

——— ——— *Lucretia toto*
Sis licet usque die, Laida nocte volo.

Atque ita Poëtae sexcentis locis. Fotis hinc ad Appulejum, Milef. lib. II. *Nec voluptas nostra differetur ulterius, sed primâ face cubiculum tuum adero.* Petron in Matronâ Ephesinâ, cap. CXII. *fecerunt ergò unà, non tantum illâ nocte.* &c. Unde Graecis *nox γαμοσόλος*, *nuptias apparans:* ùt de Herûs, & Leandri amoribus Musaeus:

Νὺξ

Νὺξ δ' ἦν ἤδη καὶ εἰς γαμηλίαν.

Vide & quantoperè noctem ad hanc κλεπτάζειν occupet Melite, apud Achillem Tatium, lib. v. Leucip. Unde Heliodoro, Aethiop. v. γαμήλιος παννυχίς. Ita *nox* simpliciter pro concubitu. Terent. Heaut. II. 3. 125. *Mulierem . . . ejus noctem orantem.* Plaut. Prol. Poenul. vs. 108. & sic passim Comici.

Nobis,] Mihi. Usitatissima dixit ἐνικὸν χῆμ. sing. pro plur. quae ubivis obvia.

16. Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.] Introëundi copiam mihi fecit in *antrum Fauni* (quò me provocâsti) utpote jam secubanti ab amicâ. Neque enim fanum ingredi licebat, nisi castis: ut è Tibulli loco citato vs. 15. liquet. Nota res est. Dicit ergò, *Leucen* suam (cui fortassè ex decoro hoc nomen tribuit, eò quòd in Cerealibus feminae non nisi candidis vestibus uterentur, juxta Ovidium, Met. x. 431. Fast. iv. 619. & alios) Cereri operatam fuisse, cui castè faciendum; dum amplexus negaret. Itaque patere sibi, & pervium jam esse sacrarium. Explicat Barthius, nec non Vlitius; *quasi perruperit Leuce septum, quo circumductum erat Fauni sacrarium, dum fugit amplexus. Septa* enim circa deorum templa: ùt etiam observat Heliodor. li. Aethiopic. Verùm nescio, an ea mens fuerit Calpurnio: quoniam Corydonem jam ad *antrum* vocaverat Ornitus; deinde, an puella satis ex decoro dicatur confugere *ad Fauni sacrarium*, ad effugiendam vim viri se insequentis: eùm signatè hoc nomine malè audiat *Faunus*, quod puellas ipse infestet, & sit (juxta Horatium III. Od. 18.) *Nympharum fugientum amator.*

Sacrarium] Propriè locus, in quo res sacrae reponuntur: ùt Servius ad Aen. xii. 199. Isidor. xv. Vide, prae caeteris, Suetonium Vespas. cap. v. Graecis ἱεροφυλάκιον. Differt igitur à Sacello, (de cujus etymo A. Gellius, vi. 12.) & quovis sacro loco: eò quod hic publicè consecratus sit, sacrarium verò etiam in privatis aedibus esse possit: ut definit J. Saubertus, de Sacrific. cap. xiv. Sic *sacrarium Gentis Juliae*, de quò Tacitus, Ann. II. 41. *Gentis Flaviae*, de quô Statius Sylv. v. 1. vs. 240. Quò respiciens Propertius, III. El. 23.

Mens bona . . . tua me in sacraria condo.

Intelligit ergò *antrum patris Fauni* in reconditiori atque intimo sylvae loco, quia sylvae Antiquis ferè sacrae; utpote, *in quibus Heroum animae propè fontes habitare dicuntur*: ùt ad Daphnidis Ἀποθέωσιν, vs. 34. notat Servius. Panos *sacrarium* describit Heliodorus Aethiop. x. unde responsa petebant. Οἱ δὲ εἰς τὸ ἄδυτον παρελθόντες, & seqq.

Pervium] Etiam dicitur, quò accedere quis posset, quamvis non transeat. Terent. Adelph. v. 7. *Fratri aedes fient perviae.* atque ita aliis. Sic *impervium*, inaccessum, quò adiri non possit. Vet. Fragment. in Catalect. de Britanniâ, quae ante Claudium Caes. *impervia tellus* Romanis. Porrò

Cornigerum] Dixit *Faunum*, ut Naso Epist. Oenen. 137. (cui confer Ovid. Metam. I. 699.)

Cornigerumque caput pinu praecinctus acutâ Faunus.

Vide elegantissimam *Panos Lycaei* (qui idem cum *Fauno* Latinorum) descriptionem apud Silium Italic. Punic. xiii. 331. & seqq. ad quem locum vide Interpretes:

Cingit acuta comas & opacat tempora pinus,
Ac parva erumpunt rubicundâ cornua fronte;
Stant aures, summoque cadit barba hispida mento. &c.

Videsis rationem apud Geoponic. Graecos xi. 10. plura ad Eclog. II. vs. 13. ubi Noster:

Faunusque pater, Satyrique bicornes.

Quae *cornua* ad Solem, ejusque radios, refert Macrobius, Saturn I. 22. *Panos (quem Inuum, vel Incubum, vocant) cornua barbaeque prolixa demissio Lucis ostendunt naturam, quâ Sol & ambitum coeli superioris & inferioris collustrat.* Idem exsequitur Pierius Valer. Hieroglyph. x. nec non Coel. Augustus Comm. Hierogl. fig. 2. Diversam tamen hujus picturae rationem in Pane Aegyptio deorum illi, seu regum potiùs, antiquissimo adfert Herodotus II. 44. ut nullatenus Soli convenientem. Quod autem in sylvis dominari feratur, ex eò fluxisse videtur, quod eum Arcades τὸν τῆς ὕλης κύριον, appellaverint; significantes illum non tam sylvarum, quam universae substantiae materialis dominum extitisse, quod etiam πᾶν designat: quae materies eôdem nomine, quò sylva, ὕλη vocatur. Porrò *Faunum* eundem esse cum Pane, hinc liquet, quòd illi bis quotannis, ineunte vere, Id. Febr. (cùm in Italiam redire crederetur) & Non. Decembr. (sub ejusdem abitum in Arcades) sacra fiebant in insulâ Tiberinâ: ùt idem Macrobius, & Ovid. Fast. II. testantur.

17. Prome igitur calamos, et si qua recondita servas.] *Prome* id est profer, vel expedi fistulam: quod Graeci προφέρειν dicunt. Ovid. Art. Am III. de Cupidine:

Spicula de pharetrâ promit acuta suâ.

Ita & Propert. II. El. 7. *Promere* alioquin est eloqui. Quinctilian. Instit. Orat. VIII. 1. *Eloqui hoc est, omnia quae mente conceperis, promere atque ad audientes proferre.* Sensu tamen priori hic accipiendum,

dum. Non ergò fistula, ùt mos ferè pastoribus, de collo pependit (quod Manilius Astron v. 116. de Pastore suo observat, *cui fistula collo haereat*: & Maro de pastore Polyphemo, Aen. III. 661.) sed perâ suâ deprompfisse videtur: qualis ille Daphnis apud Longum, in Pastoral lib. IV. ὁ δὲ, καθίσας αὐτὸς ὥσπερ θεατὴς, τὰς ὑπὸ τῇ φηγῷ, καὶ ἐκ τῆς πήρας τὴν σύριγγα κομίσας, πάντα μὲν ὀλίγον ἐνέπνευσε. &c. Quod mirè hîc quadrat.

Si qua recondita servas.] Sensu duplici: vel, profer in medium, si quid habes auditu dignum, (quae vetus provocandi formula apud Theocritum, & Bucoliastas) vel, pignus aliquod depone: quod ex imitatione Maronis, Ecl. III. *Et adhuc tibi condita servo*. Vide & Nostrum, Eclog. VI. & Nemesian. Eclog. I.

18. Nec tibi defuerit mea fistula.] Formula conditionem recipientis: quasi dicat, *ego partibus meis non deero*. Phrasis è Theocrito, Virgilio, aliis, nota. Manil. Astron. III. sub finem. *Nec defuit auctor*. Solebant Antiqui re divinâ Pali, Laribus, Fauno factâ, pecora sua, priusquam hybernis educerent stabulis, lustrare. (quem lustrandi morem Noster Eclog. V. Ovidius in Fastis, Tibullus, aliique habent) eâ occasione prooemium, pastoribus fistulâ inter se decertantibus, praeponere: Unde provocandi mos fluxit. Hinc Theocrit. statim ab initio Eidyll I. (ut etiam alibi) inquit:

——— ——— Μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ·

Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον, αἶγα τὺ λαψῇ.

& *seqq*. Alia Exempla suppeditat Longus, *in* τοῖς Ποιμενικοῖς.

18 Quam mihi nuper Natura docilis compegit arundine Lygdon.] *Natura docilis* id est suopte ingenio edoctus, αὐτοδίδακτος. De Naturae efficaciâ, quoad artes, & industriam, multa habet Quinctilianus, Instit. Orat. VI. 6. *Natura non docetur, arte tamen adjuvatur: adeò similis est arti plerumque natura*. Neque aliter lib. VIII c. 3. hinc Vett. Philosophorum proverbium, κατὰ φύσιν, apud Gellium, N. A. XII. 5. Consentit Cicero in Bruto, & Orat. de Inventione. *Natura* quid sit, ex Stoicorum sententiâ, docet Seneca de Benefic. IV. 6. & 7. *Insita sunt nobis omnium artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Natura, inquis, haec mihi praestat. Non intelligis, te, quum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud Natura, quàm Deus, & divina Ratio, toti mundo & partibus ejus inserta. Ergò nihil est Natura sine Deo, nec Deus sine Naturâ.* Eadem saepiùs, cum Lucilio fuo, disputat in aureis illis Epistolis. Quid de Naturâ porro Antiqui senserint, excussit Cicero lib. I. de Nat. Deor. Contra hanc saniorem Vett. sententiam, tamen *Naturam* sine Deo operari, cum Epicuro suo, statuit Lucretius, R. N. II. 1089.

——— ——— *Natura videtur*

Ipsa suâ per se sponte omnia Diis agere expers.

Similiter lib. V. 1361. Pulcherrimam potius Zenonis videamus definitionem (utpote quae ad Nostri mentem magis faciat) apud Diogen. Laërtium, lib. VII. Ἔστι δὲ φύσις ἕξις, ἐξ αὑτῆς κινουμένη κατὰ σπερματικοὺς λόγους, ἀποτελοῦσά τε ἐξ αὑτῆς ἐν ὡρισμένοις χρόνοις, καὶ τοιαῦτα δρῶσα, ἀφ' οἵων ἀπεκρίθη. Ita etiam τὴν φύσιν λογικὴν rectè conjungit Isocrates, πρὸς τὸν Νικοκλ. Orat III. *Natura* itaque *dux optima*: ùt Cicero in Cat. Majore. Egregie Claudian. Rapt. Proserp III. 32.

——— ——— *Artes pariat solertia, nutriat usus.*

Atque ita ferè Gnomologi. Unde Menandri ille Senarius:

Ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ.

Rectè ergò Publ Syrus, in Mimiamb.

Ars non ea est, quae ad effectum casu venit.

Cùm, juxta Sid. Apollinarem, *Artes ac scientiam Natura combibit*. Sed haec, pro simplicitate rusticâ, acutiora ne sint, vereor.

Compegit arundine.] Commendat fistulam ab artifice; quod ferè observant Bucoliastae. *Compegit*, propriè dixit. Corydon, Ecl II.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis

Fistula.

Quod ex Theocrito, Eidyll. IV. 27.

Σύριγγ', ἃν ποτ' ἐπάξα.

Et Eid. VIII. 21.

——— Κἠγὼ σύριγγ' ἔχω ἐννεάφωνον,

Πρᾶαν ἐν συνέπαξα.

Ubi observa fistulam novem calamis sonantem; *Fistulam* pulcherrime depingit in Pastoralibus, ùt solet, Longus, lib. VIII. eodem ferè usus verbo: nec non Achill. Tatius in Leucippe, lib. VIII. ubi de Panos fistulâ, Dianae Ephesinae sacrâ agit. Nec non breviter Tibull. II. Eleg. 5. cui dulcissimam Martialis descriptionem adde, lib. XIV. Epigr. 63.

Quid me compactam ceris & arundine rides?

Quae primùm structa est fistula, talis erat.

Quo loco ad notissimam Panos & Syringae fabulam alludit Metam. I. 705. Confer & Moschi Ἐπιτάφιον Βίωνος. VI. 52. *Fistulas*, porrò ex *arundine* affabrè factas magno apud Arcades fuisse in pretio, & pro ingenti munere vel familiaribus dono datas, vel à morientibus testamento legatas fuisse, docent Interpretes ad Virg. Ecl. II. 38. ex Theocriti Eidyll. IV. 30 Δῶρον ἐμὶν ἐν τέλει. quod Noster quoque observat, Eclog. IV. Ele-

Elegantissimus est locus in Long. Pastoral. II. Φιλητᾶς . . . τὴν σύριγγα χαρίζεται Φιλητᾶς, καὶ εὔχεται, καὶ Δάφνιν καλεῖ ἀντ' αὐτοῦ. Verum, ut non ex quovis ligno Mercurius, ita nec ex quâvis arundine fistula, quae peculiarem requirebat ac peritum artificem: unde convicia illa apud Maronem, Ecl. III. 25. & Theocrit. Eidyll. v. 5. Argutè hinc Appulej. Miles. VI de arundine: *inde de fluvio Musicae nutricula levi crepitu dulcis aurae inspirata Arundo viridis.* & *seqq.* hanc verò *Cannam deam amplexus* Pan, ab eodem inducitur. *Arundinem enim Veteres cannam dixisse*, auctor est Isidor. XVII. Porrò & sacram fuisse *Fauno* fistulam, docet Olymp. Nemesian. Ecl. I. 14. Noster, Ecl. IV. 58.

LYGDON] Quasi candidus. Ita Theocrito Λύγδων nomen est pastoris. Λύγδος enim lapidis genus, candoris eximii. Hesychius Parium esse lapidem dicit, ex quo sigilla animalium fiebant: Vide hîc Lexicographos. Sanè ad formae commendationem (quae plerumque in pastorum descriptionibus adhibetur) non parum facit hujus lapidis mentio. Hinc Anacreon ad Pictorem de Amicâ suâ, Od. XXVIII.

Τρυφεροῦ δ' ἔσω γενείου,
Περὶ λυγδίνῳ τραχήλῳ
Χάριτες πέτοιντο πᾶσαι.

Quo loco doctissimus Interpres rectè Martialem citat lib. VI. Epigr. 13. (cui adde Epigr. 42.) & elegantissimum Antholog Epigr. lib. VII. ubi *μέτωπον τὸ λύγδου λειότερον* habes.

19. ET JAM CAPTATAE PARITER SUCCESSIMUS UMBRAE] Ita, *Successimus antro*, Virg. Ecl. VII.

CAPTATAE] Desideratae, optatae. Vox propria.

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant,

idem Ecl II. Val. Flacc. Argon. I. 448.

—— —— *Ubi Ossaeae captaret frigora sylvae.*

Columella de R. R. *captare fontium amoenitatem.* *captare* enim est studiosè petere. Metaph. à Venatoribus: ut Gratius in Cyneget. Propert. II. El. 15. *Incipiam captare feras.* Maro in Georgicis: *Tum laqueis captare feras.* Eleganti formâ jungitur infinitivo. Columell. VIII. *Cura est agricolae, captantis undique voluptates acquirere.* Phaedrus, IV. fab. 7. *Quid me, stulta, captas laedere?* Naso, Metam. X 58. de Orpheo:

Brachiaque intendens prêndique & prêndere captans.

20. SED QUAENAM SACRA DESCRIPTA EST PAGINA FAGO?] *Sed*, abrupti hîc sermonis formula ex improviso quodam objecto. Plenius Senec. Trag. Herc. Fur. *Sed quid hoc?* formula Comicis praesertim usitata. Plaut. Pseud. I. I. Ps. *Mos tibi geretur. Sed, quid hoc quaeso.* C. *Quid est?* Et rectè admirationem infert Poëta, Vaticinium nempè introducturus de temporum suorum felicitate, in fagi cortice descriptum.

SACRAM ergò dicit *fagum*; vel, quòd *Fauno* patri dedicata utpote proximè illius *Sacrario*: vel, quòd vaticinium, quae res sacra, contineret: vel, ob religionem: ex *fago* enim arbore antiquis vasa sacra, docente Plinio XVI. 18. aliis: unde Tibull. I. El. II. 8. *Fagineus adstabat cùm scyphus ante dapes:* vel denique, ob antiquitatem. *Fagus* enim (notante Honoraio ad Ecl. I. I.) ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, id est *à manducando*; inde quòd antea homines glandibus vescerentur; unde βαλανοφάγοι dicti. Res nota. Quare & *fagos* (terminatione Graecâ) dixit antiquitatis observantissimus Maro, Georg. II. 17. pro *fagus* (ubi nonnulli tamen ὑπαλλαγὴν admittunt) ut sit quasi Graec. φηγὸς; quae signatè etiam ἱερὴ, *sacra*, versu Orphico, in Argon.

Ἀμφ' ἱερῆς φηγοῖο δέμας χρύσειον ἔλαμψε.

Nam *in quôdam usu sacrorum est fagi cortex*; ut Plin. XVI. 9. Plurimus ergò ejus usus ac summa veneratio penes agricolas; cur frequentissima illius mentio est in Longi Pastoral. & alibi.

PAGINA] Carmen intelligit, vaticinium continens. *Pagina* ergò hîc versus est. Martial. V. Epigr. 2. ad Lectores:

Vobis pagina nostra dedicatur.

Idem: *Lasciva est nobis pagina, vita proba est.* *Pagina*, à pago, sive pango: atque ita dicitur, quòd compacta sit, & cohaereat. Ridiculè ergò dictas esse volunt *paginas*, quod pagorum in morem distinctae sint. Hinc *carmina pangere* apud Lucretium, R. N. I. 933.

Deinde quod obscurâ de re tam lucida pango
Carmina.

Idem, lib. III. 26. Martial. III. Epigr. 38. *pangentur carmina nobis.* & XI. 4. *Pagina* Graecis dicitur Σελὶς, quasi σέλας, à splendore nomen habens: vacuum propriè spatium inter duas lineas. Dicitur & Plinio, & Vitruvio, interstitium vacuum inter duos asserculos. Quin & in proverbio Amicitiae est, praesertim in re seriâ: *Utramque paginam facit.*

20. QUAM MODO, NESCIO QUIS, PROPERANTE FALCE NOTAVIT.] *Nescio quis*, formula Vett. usitata Propert. I. Eleg. II.

An te, nescio quis, simulatis ignibus hostis
Sustulit è nostris, Cynthia, carminibus?

Et ita ferè Tibullus Ovid. in Amor. libb. in Epist. Sapphûs, vs. 109.

Quum mihi, nescio quis, fugiunt tua gaudia, dixit.

Atque ita plerumque, de Ignotis.

PROPERANTI FALCE.] Propert. II. El. 4.

—— —— *Stipes properanti falce dolatus.*

id est celeri, artifici. Et *falce*, dixit, ex deco-

 ro,

ro, à re rusticâ, cùm *falx* praecipuè in usu agricolis. tùm ob difficiliores literarum nexus, unde *properantem* scribentis *manum* elegantissimè depinxit. Vulgò ejusmodi Scribae *ταχύγραφοι* dicti Antiquis. Acutè, ùt solet, Ausonius a. Epigr. 146. de *ταχυγράφῳ*:

Et mota parcè dextera
Volat per aequor cereum. &seqq.

Martial. xiv. Epigr. 208. de Notario:

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondùm lingua suum, dextra peregit opus.

Ita & lib. x. Epigr. 62. illi est *Notarius velox.* Senec. Epist. xci. *Celeritatem linguae sequitur manus:* quae Graecis dicitur, *εἰς τάχος γράφουσα χείρ.* Quae tamen de Notariis (de quibus etiam Quinctilianus in Instit. Orat.) accipienda, per compendia literarum dictantis verba excipientibus: qui charactéres vulgò *Σίγλαι* Graecis, *Notae* Latinis, dicti. unde vox *Notarii. Triplex auctor scribendi ratio apud Antiquos: Notis, sive διὰ σημείων, literis singulis, sive siglis, & verbis integris*: ut rectè distinguit J. Nicolai, de Sigl. Vett. cap. 1. quae posterior scribendi ratio hic locum habet. Difficiliores tamen & minutas, ex decoro, inducit versus, tum ob fagi corticis spatium, cui inscriptum fingit Vaticinium, tum ob antiquitatis religionem. Literae enim minutae & contractiores laeta ferè denunciabant apud Vett. utpote accuratius scriptae unde Plaut. Bacch. iv. 9. vs. 68. *Euge! minutas literas!* de notis igitur, sive characteribus, accipiendus non hic est locus, sed Manilii Astron. iv.

Hic & scriptor erit felix, cui litera verbum est. &c.

NOTAVIT.] Vox propria. Ovid. Epist. v. 21.

Incisae servant à te mea nomina fagi,
Et legor OENONE *falce notata tuâ.*

Eodem verbo usus Maro, Ecl. v. 14. Neque aliter Daphnis pastor, Anthol. 1. cap. 68. Epigr. 2. ubi Pan alno inscripserat.

Ναὶ, ναὶ, Πὰν συρικτὰ, καὶ εἰς αὐγὰς
Σοί τι καὶ φλοιῶ γράμμα ἐκόλαψε λέγον.

21. ASPICIS, UT VIRIDES ETIAM NUNC LITERA RIMAS SERVET!] *Rimas* id est fissuras necdum arescentes, literarum ductus recentiores. *rima* enim Graecè *ῥῆξις* fissura, à *ῥήσσω* frango. Vitruvius de ligno solido ait, *illud sine rimis arescere. Virides*, à cortice virenti. Exponit Barthius, plenas succi, & recentes adhuc: ex loco Theocriti, satis cognito, *γάλα χλωρόν*. Sic *Uvas virides* vocat Caro R. R. succulentas. &c. Sed quodnam magis proprium epitheton arbori, seu cortici, quam *viridis*. Quantum ad rem, idem ferè Nemes. Ecl. 1. 28. infert, de ceraso.

32. ET ARENTI SE NONDUM LAXET HIATU.] Necdum se distendet. *Arenti*, etiam de arborum interiori. Virg. Ecl. x. 67.

——— ——— *Moriens altâ liber aret in ulmo.*

Solent enim temporis progressu literarum figurae, in cortice notatae, se relaxare. Unde apud Nasonem Epist. v. 23. Oenone:

Et quantùm rami, tantùm mea nomina crescunt.
Crescite, & in titulos surgite ritè meos!

Similiter Maro, Ecl. x. 54.

——— ——— *Crescent illae; crescetis amores.*

HIATU] Propriè de rictu ferae, vel terrâ dehiscente: priori notione Anacreon, de Leonibus, Od. II.

——— ——— *Λέουσι χάσμ' ὀδόντων.*

posteriori Propert. 1. El. 4. 149.

Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu,

Καταχρηστικῶς ergò dixit. Juvenal. Sat. III. 195.

——— ——— *Veteris rimae contexit hiatum.*

simili metaphorâ.

23. ORNITE, FER PROPIUS TUA LUMINA.] Admove propius oculos. *lumina* pro oculis, Ovid. Met. II. 22. de Phaëthonte:

——— *Neque enim propiora ferebat*
Lumina.

Sic *advertere lumina*, Idem in Tristib. sic & alibi Poëtae. Plenius aliquantò Lucretius, IV. 823. *oculorum lumina* dixit. Ennius apertè distinxit ab oculis, Annal. III.

Postquam lumina sets oculis bonus Ancu' reliquit.

lumina, id est vitam. quem versum ferè integrum carminibus suis inseruit Lucret. R.N. lib. III. 1038. qui & *lumen vitae* dixit ibid. vs. 681. Oratores, quamvis rarius, etiam *lumina* pro oculis usurpant: quod docet Quinctilianus. Certè Plinii est: *Qui altero lumine sunt orbi.* &c. Cicero de N. D. *Natura duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluit.*

25. TU POTES ALTO CORTICE DESCRIPTOS CITIUS PERCURRERE VERSUS.] Lege omnino, hic, *versus*, cum celeberr. Vlitio, non *visus*: ùt exhibent quaedam Edd. *Percurrere* hic idem est ac obiter perlegere. *μεταφορικῶς*. quo sensu *διελθεῖν* usurpat Xenophon, Cyropaed. Prooem. & Plutarchus, *διέρχεσθαι τὴν ἐπιστολήν*. Ad rem magis Horat. II. Sat. 5. 53. *Sic tamen ut limis rapias quid prima secundo Cera velit versu* & mox: *Veloci percurre oculo.* Et sic ferè Juvenal. Sat. x. 225. *Percurram citiùs* id est perlegam, aut dicam. Eâdem propè phrasi Maro in Culice, vs. 34. non minus metaphoricè:

Mollia sed tenui percurram stamina versu.

quo loco notat, *pertexere*, componere. quemadmodum Latinis etiam *percurrere* est strictim narrare. Confer, quoad legendi phrases, Plaut. Poenul. act. 1. sc. De hâc legendi celeritate egregiè Quinctilia. Inst. XI. 2. *Oculis intueri non paginas*

nat modò, *sed versus propè ipsos.* Nec minùs eleganter Plinius, II. Epist. 3. *Multa lectio in subitis multa scriptio elucet.* Unde etiam περίοδος, sententia dicitur ambitu suo jam absoluta.

26. NAM TIBI LONGA SATIS PATER INTERNODIA LARGUS, &c.] Ταυτολογία haec est, Rustico conveniens, qui dum vult urbanus videri, affectatè loquitur: ùt hìc rectè observat Cl. Barthius. *Proceritatem* enim in Ornito designat, quae rusticorum magis propria. Sane

INTERNODIA dicuntur spatium inter duos nodos: de arbore, & arundine, usurpat Plinius, VII 2. Quid in corpore sint, elegantissimis versibus depingit Naso, Met. XI. 794. de Aeaco in mergum:

——— Longa internodia crurum,
Longa manet cervix, caput est à corpore longè.

sic & *internodia digitorum.* &c. Invenitur etiam *internodius*, gen. masc. apud Columell. XXXI. Graecis ὑποκνήμιον. Varro R. R. II. 9. optimi canis formam depingens; *Sit crassis capillis, ac collo, internodiis articulorum longis.* Vetus Poëta:
Effigies animantis, & internodia membris.

LARGUS] Non parcus. sic, *corpore largo.* nota significatio: sed & locum habet in συνουσίᾳ, ac re conjugali: ùt Martial. XII. Ep. 66.
Formosa Phyllis nocte cùm mihi totâ
Se praestitisset omnibus modis largam.

Quò respexit etiam Apulej. Milef. III. *Fotis . . . . de propriâ liberalitate obtulit.* Sic verba *largiendi*, *dandi*, &c. in amoribus. Usitatiora tamen de mulieribus. Quod si τὸ *largus* hic eo sensu capias, ἐνεργείᾳ suâ non carebit.

27. PROCERUMQUE DEDIT MATER NON INVIDA CORPUS] Non parca, & in gignendo liberalis. Quippe & *matres* quoque earumque ἕξιν, ad gignendos foetus plurimùm facere, docent Medicorum Filii. Probant id abunde Aristotelis προβλήματα de Concept. ne de Recentioribus quid dixerim. Rationem reddit Hippocrates, Aphorism. Sect. V. 56. Ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τῆς ψυχρότητος, καὶ τῆς πυκνότητος τὴν κρῆσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτοκοι γίνονται. Ut & Plutarchus, de Placit. Philosoph. V. II. cur proles parentum, aut etiam matris, similitudinem referat. Ejusmodi *matrem*, robustos parientem liberos, describit Agathias, Anthol. VI. 8. Ep. 2.
Εὐγένο καὶ μητέρος τόν ἔθελε, καὶ λάχεν ἐσθλὸν
Σώφρονα, καὶ τεκέων ἄξιον ἔτικτε γόνον.

Neque aliter de Heroum *matribus* Homerus in Iliad. Hesiod. Theog. 927.
——— ἡ δ' Φιλότητι μιγεῖσα
Γείνατο, καὶ ζηλώσατο.

Quomodo ille saepiùs. Signatè tamen de *matre rusticâ*, (prout ferè agricolarum conjunges introducuntur grandes ac robustiores) qualis illa describitur apud Juvenalem, Sat. VI. 5. ut *montana uxor*, & Sat. XIV. 167. *Foeta jacebat Uxor & infantes.* & seqq. Cui (velut de pauperis Codri uxore idem Juvenal. III 203.) *lectus erat Proculâ minor.* Unde certe enascitur *Proles*, *Sabellis docta ligonibus Versare glebas*, &c.

PROCERUM CORPUS] Maximè in juvene commendatur. Hippocrates, Aphorism. Sect. II. §. 54. Μηγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλεύθερον καὶ οὐκ ἀηδές. Ita (etiam) Corn. Celsus, XVI. Proceritatem verò corporis (quam in Caecinâ laudat quoque Tacitus, Hist. II. 30.) olim maximo in honore, ac pretio fuisse apud veteres, constat. Sic apud Heliodorum Aethiop. VI. laudatur Theagnis; velut νεανίας, καλὸς τε καὶ μέγεθος διαφέρων. Observat id frequenter ferè Theocritus: quomodò Lycus illi dicitur Eidyll. XIV. 25.
Εὐμάκης χ' ἁπαλὸς, πολλοῖς δοκεῖ εἶμεν καλός.

Imò hinc *Jupiter ipse procerus*, (εὐμήκης) dicitur Appulejo Metam. VI. Neque aliter Daphnidem suum depingit Longus Pastoral. I. ùt μειράκιον μέγα καὶ καλὸν, *juvenem procerum ac formosum.* In eximiè longum, Epigr. Graecum est Anthol. II. 33. Usque adeò commendata fuit *in homine rustico proceritas.* Unde & militum delectus plerumque ex agris: ut Vegetius de Re Milit. lib. I. 3. aliique, observant.

28. NON PASTOR, NON HOC TRIVIALI MORE VIATOR, &c.] Perspecte obiter (ùt videtur) argumento hace ingent Ornitus: & non vulgatum (quales fere *in triviis* jactari solebant cantilenae) esse *carmen*, sed divino inspiratum numine, significat. Ejusmodi *trivialem cantandi morem* objicit antagonistae Menalcas Virgilianus, Ecl. III. 26. & egregiè cum Flacco, ridet Poëta Aquinas in Satyris *de plebe poëtas.* Idem Sat. VII. 55. commendat *Vatem*, *Cui non sit publica vena.*
Qui nihil expositum soleat decurrere, nec qui
Communi feriat carmen triviale monetâ.

Ad morem itaque rusticorum in triviis vulgò cantantium respexisse videtur; cujus meminit doctissimus Interpres ad locum citat. ex Virgilio: *Consuetudo*, *inquit*, *fuerat*, *ut per trivia & quadrivia ulularent*, *& flebile quoddam carmen in honorem Dianae canerent rustici.* &c. *Trivia* porrò eleganter dixit Appulejus *mendicorum stationes*, qui nempe ibidem cantando stipem à praetereuntibus solebant erogare: quo alludens poëta Venusinus, I. Epist. XVI. 64.
In triviis fixum cùm se demittit ob assem.

Trivium & *forum* sola videntur differre amplitudine: ùt docet C. Rhodiginus, Lect. Ant. XXXVIII. II. Proinde *trivii* frequens mentio in pagis. Tibullus assiduus in re Rusticâ lib. I. Eleg. I. 15.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Quocirca & sordes & reliqua aedium purgamenta (quae Graecis καθάρματα) vulgò in triviis rejecta invenias apud Vett. quod tangens Petronius, Satyr. cxxxiv. inquit: *quod purgamentum nocte calcâsti in trivio?* nec minùs lepidè Ausonius, Epigr. lxxii. de calvâ: *Abjecta in triviis*, & seqq. Cui adde Sueton. in Vespas. cap. v. Res certè vilissimas ibidem reperias. ùt Phaedrus, v. fab. 6. de pectine. Idem, lib. i. fab. 27. *sordes* & *trivium* conjungit. Sed huic jam praeiverant Graeci. Eustathius enim ad Homeri Odyss. καθαρμάτων ἐκβολαὶ εἰς τὰς τριόδους ἐγίνοντο. Testantur & Lycophron Cass. vs. 1158. Athenaeus Deipnosoph vi. alii. Benè itaque ut illud carmen non vulgari stylo compositum esse significaret, non è *trivio* esse dixit. Ita etiam malè audit apud Quinctilian. Orat. x. *trivialis scientia*: neque minùs Luciano in Νεκυομαντείᾳ.

Viator,] Signatè dixit: eò quòd tenuioris fortunae homines vulgò *viatores* dicti: quibus etiam itineris levandi gratiâ mos est per viam cantare: quò respexit Juvenalis, Sat. x. 22. Virg. Ecl. ix. 59. alii. Sanè *viatores homines miseros ac laboriosos* vocat Appulej. in Milef. plus semel. Firmicus Astrolog. viii. 29. dixit *viatores omnis laboris onere praegravatos vitam ducere miserrimam:* prout solent ferè bajuli & geruli, servilis conditionis homines. Quò facit & Aesopi Apologus xx. de Sene viatore, ὃς πολλὴν τὴν ὁδὸν ὀχλούμενος ἐβάδιζεν ἀπαγορεύων &c. Ejusmodi *viatores* & *bajuli* rudioris plerumque ingenii, (quales ferè inducunt Petronius & Appulejus, nec non Maximus Planudes in Vitâ Aesopi) cur etiam lasciviori cantu convicia & probra in praetereuntes jacere consueverant. Observat id Ausonius in Mosellâ, vs. 168. *Inde viator Probra canit.* & seqq. Notant id quoque Viri docti ad Horatii Satyr. vii. lib. i. vs. 30. quo loco Acron: *solent vindemiatores cum viatoribus falsâ fatigatione contendere.* huic similis est locus, Sat. v. 15.

——— ——— *Absentem cantat amicam*
Multâ prolutus vappâ nauta, atque viator.

Videsis & Plinium, xviii. 26. Huc ergò intendit Poëta.

29. Sed deus ipse canit.] Vel *Faunum* intelligit, (quem, ut Indigetem, *deum* vocat) in cujus fago descriptum legerat carmen. Vel *Deus*, pro Numine, quod Graecis Θεῖον. ùt crebrò usurpant Scriptores. Quin & *Deum* pro *magno aliquo Eventu* dixisse Vett. contendit Donatus. Quod huc quodammodò facit, quoniam *bonum Eventum* inter deos agrestes invocat Varro, in Prooem. R. R. i. cap. i. quem ἀγαθὸν δαίμονα & Fortunam vulgò dicebant. *Deos* enim utriusque sexus fuisse, seu ἀρσενοθήλεις, jam pridem ex Servio Grammatico ad Aen. ii. 632. & Macrobio in Saturn. notârunt Viri doctissimi. Similiter in Longi Pastoral. lib. ii. Pan absolute *Deus* dicitur: Εὐφημεῖτε τὸν θεόν. &c

Nihil armentale resultat.] Noster, Ecl. iv. 5. in re propè simili: de *Carminibus*:

——— ——— *quae non nemorale resultent.*

quasi dicat, non haec carmina alicujus pastoris, (qui *armento* praeest) aut rustici cujusdam genium redolent, sed altioris sunt indaginis. *Armentalis*, vox satis Latina: ita Maro, Aen. xi. 571. *armentalis equae* meminit. *Armentum* est quasi *aramentum*, ab arando: utpote quod genus bôum culturae agrorum primitùs inserviebat. Non igitur ab armis dicta sunt *armenta*; ùt vult Servius. Sic *armenta boum* dixit Claudianus. Boves enim & vaccae magis inter *armenta* (pro quibus etiam *armentas* gen. fem. dixit Ennius. Annal. i.) quàm jumenta, recensendi: quod vel ex Varrone, R. R. ii. 5. liquet, ubi ex professo *de armentorum grege, & emendis bubus ac vaccis* agit. Apertè distinguit *armenta* ab equis, Tibullus ii. Eleg. i. 67. ut & Naso Metam. i. 513. ubi Phoebum introducit Daphnae suae jactantem se non esse bubulcum:

Non ego sum pastor, non hîc armenta gregesque
Horridus observo.

Usurpant tamen etiam de equis, ùt supra Virgilius, Aen. xi. Imò καταχρηστικῶς de cervorum agmine dixit idem Maro, Aen. i. 189. ubi Servius: *videtur novè de cervis dixisse, cum armenta propriè boum sint.* &c.

Resultat] Resonat. ùt Virg. Georg. iv. 50.

——— ——— *Vocisque offensa resultat imago.*

quod hîc quoque observat Barthius. Idem Poëta, Aen. v. 150. *Colles clamore resultant.* Atque ita alibi. Delectantur enim Rustici cantu agresti. Tibull. ii. Eleg. i.

Agricola assiduo primùm satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede.

30. Non montana sacros distinguunt jubila versus] Appositè dixit *montana*. Montes enim pastoribus vulgo assignantur, sunt enim ὄρη θηροτρόφα. Dicitur hinc Diana *montium custos nemorumque virgo.* Sed testimoniis non eget. Hinc illud Satyrici:

Sylvestrem montana torum cum sterneret uxor.

Porrò Jubilare est voce rusticâ inclamare, vel inconditum clamorem (more periclitantium, sive exultantium, sive feras exagitantium) tollere: unde Sil. Italic. Punic. xiv. 475. Daphnidi pastori tribuit:

Et laeta è scopulis audivit jubila Cyclops.

Pro

Pro quo alii legunt *sedavit* (ùt ad ipsum Polyphemum, (qui Theocrito, Maroni, Ovidio, semper pastor introducitur) referatur. Noster Eclog. VII. 3. usurpat.

Et tua maerentes exspectant jubila tauri.

Nam, *ut Quiritare* (id est Quiritium fidem inclamare) *urbanorum, sic jubilare rusticorum est*, inquit Varro, L. L V. pro quo & *jobilare*, quasi ἰὼ, vel ἰὼ-βόημεν; quae vox jubilantium in Glossâ, explicatur, περιωγὴ ἀγροίκων, *ejulatio* vel *jubilatio*. Sic & Aristophani in Nubib. in personâ rustici, act. IV. scen. II. ἰὼ, ἰὼ, τέκνον, ἰοῦ, ἰοῦ! Hujus vocis ἐνέργειαν & usum apertè docet Appulejus Metam. VIII. *Villa illius verè, quam fortè tum praeteribamus, coloni, multitudinem nostram latrones rati, . . . canes rabidos & immanes jubilationibus solitis & cujusmodi vocibus nobis inhortantur; qui, tumultu suorum exasperati, contra nos ruunt.* Ubi inconditum agrestium clamorem canes instigantium observa. Non ergò descendit ab Hebr. יובל; neque à *Jubal*, cujus ùt musicae inventoris, in Sacris mentio, & de quo Josephus Antiq. Judaïc. lib. I. cap. 2 Ἰούβαλος δὲ μουσικὴν ἤσκησε, καὶ ψαλτήρια, καὶ κιθάρας ἐπενόησε.

DISTINGUUNT] Intermiscent. sic Cicero, *historiam distinguere*, id est varietate rerum componere: & *Oratio* dicitur *distincta* id est variè figuris ornata. Proprie enim *distinguere* est intermiscere. *sic poculum gemmis distinctum.* Ita *Oratio distincta* dicitur Quinctiliano, Inst. Orat. XI. 3.

31. MIRA REFERS. SED RUMPE MORAS.] Virg. *Quin age, rumpe moras.* & sic passim Poëtae. Admirabundus haec Corydon. Impatientiam enim ac desiderium audiendi haec verba significant. Ita etiam Poëtae vulgò in re insolitâ, *Mira cano.* quae frequentissima est formula.

32. OCULOQUE SEQUACI QUAMPRIMUM NOBIS DIVINUM PERLEGE CARMEN.] *Oculo sequaci*, eleganter. id est literarum figuras inter legendum sequenti. Usus est hoc epitheto, vel ob difficiliores, vel ob minutas admodum, literas; quocirca accuratius legendum erat. Ad rem igitur Quinctillanus Inst. Orat. I. I. *In lectione quoque non properare ad continuandam eam, vel accelerandam, fuerit utilius; nisi cùm inoffensa atque indubitata literarum inter se conjunctio suppeditare, sine ullâ cogitandi saltem morâ, poterit.* Idem illud inculcat lib. X. cap. I. *legendum esse diligenter, ac penè ad scribendi sollicitudinem.* Unde Ovid. in Epistolis saepè, & de Ponto:

Literaque est oculos nostra morata tuos.

Ut *sequi* ergò hic est perlegere, ita usurpat Comicus, in Milit. Gloriof. act IV. sc. 6. pro loqui: *Cum ipso, pol, sum secuta.* Livius Andronicus, vetus scriptor: *Insequε, Musa, virum*; pro dic. Quod Poëtarum princeps extulit Aen. I. *Dic mihi, Musa virum.* Vox *sequax* satis Latina. Val. Flaccus Argon. VII 619. *Ense sequaci.* & sic *flammae sequaces*, Virgilio.

33. QUI JUGA, QUI SYLVAS TUEOR SATUS AETHERE FAUNUS] Incipit carmen, feliciter! ut Veteri formula dixerim. Appositè *de Fauno patre*, qui τῶν ὀρῶν κύριος (ut diximus) appellatur: tum ob studium sylvarum & montium, tum, quod ejus Sacrarium in sylvâ, quasi ἱερὸς ἐν ἄλσει. Huc faciunt illae Flacci, III. Od. 18. ad Faunum preces:

Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas.

Nec non lib. I. Od. 5. potestatem enim in *agros & sylvas* habere putabatur. Unde Justinus, Hist. XL. I. dixit, *Faunum, Euandro & montem & agros benignè assignâsse.* Idem habet Aurel. Victor Orig. G. R. cap. V. *Euander, in familiaritatem Fauni benignè exceptus, non parvum agri modum ad incolendum accepit.* Verisimile itaque est, eundem illum *Fauno* honorem ab Arcadibus, (qui cum Euandro influxerant) habitum fuisse, quem *Pani Lyceo* in Arcadiâ exhibere consueverant. Hunc *Pana Romanos post Inuuum vocâsse*, ex Livio, lib. I. 5. ac Macrobio, notum est. Servius ad Aen. VI. 775. *Graecè Πὰν . . . . idem Faunus.* Mirum ergò, cur Porphyrio *Faunum pestilentem atque inferum deum* esse dixerit, nisi fortè respexcrit ad notissimos Theocriti versus Eid I. 15. Τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες· ἐστὶ γε πικρός. &c. cùm duo haec agrestium numina inter se confudisse videtur. Quantum ad phrasem, eâdem ferè Auctor Pervigilii, de Nymphis

Quaeque sylvas, quaeque lucos, quaeque montes incolunt.

Quomodo etiam Homerus vulgo de Nymphis, in Hymn. Apoll. & alibi

SATUS AETHERE] Benè hoc addidit, respectu Saturni; ad quem, itidem agriculturae apud Italos deum, originem suam referebat *Faunus*: Sic certè Maro Aeneid VII.

——— *Fauno Picus pater, isque parentem*
Te, Saturne, refert. &c.

Latè prosequitur A. Victor Orig. III. & IV. Justinus quoque lib. XLIII. cap. I. ejus ad *Saturnum* refert originem. Ad Martem tamen, non Saturnum, (ùt dixi supra) refert Dionysius Halicarn I. 3. ipsumque Romanos sacrificiis ac carminibus, ut unum ex diis patriis, honorâsse. Quid Plutarchus de eo in Numâ senserit, jam dictum ad vs. 9. Hunc itaque inducit Poëta, ut ἀγαθὸν δαίμονα &, juxta paroemiam, Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς.

HAEC POPULIS VENTURA CANO.] Aptissima

 Prae-

Praefatio, attentionem movens. *Canere* vox propriè vaticinantium: supra vs. 29. *Sed deus ipse canit.* Appositè Lucanus, Pharf. v. de Apolline:

Sive canit fatum, seu quod jubet ipse, canendo
Fit fatum.

Atque ita sexcentis locis. Aeneas ad Sibyllam vatem: *Ipsa canas, oro.* Signatè hanc *canendi* vocem ad *Faunum* refert Ennius, Ann. I.

Versibu', quos olim Fauni, Satyrique canebant.

quos versus vulgò Saturnios, non nisi simplici rhythmo constantes, dicebant. Qualia ferè, post Numae carmina, Saliorum fuere *Axamenta*, tantae antiquitatis ac religionis, ut *vix ipsis Sacerdotibus suis satis intellecta essent*: ùt Quinctil. Inst. I. II. Verùm de iis jam Viri docti. Haec Vett. carmina quasi fata & gesta P. R. continere videbantur: quò Noster alludens, inquit:

——— ——— *Nobis divinum perlege carmen.*

VENTURA] Tibull. II. El I. *Eventura precor.* &c. Eodem verbo Horat. I. Epist. XVIII. 83. *Ventura pericula*, id est propè adfutura. Plenius hanc phrasem habet Poëtarum princeps, Georg. IV. 392. de Proteo:

——— ——— *Novit namque omnia vates,*
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.

Quod ex Homeri Iliad. I. ùt observant Intepretes. Alludit fortè ad *Bonum Eventum*: de quo supra: quem &, tanquam Imperii R. deum tutelarem, etiam exhibent Nummi, cum Inscriptione. BONUS EVENTUS AUG. Quin & Eventum, utriusque sexûs fuisse docet Severi Imp. nummus, qui mulierem spicas ac pateram, frugibus impletam, utrâque manu praeferentem exhibet, cum Inscript. BONI EVENTUS. Quô nomine & etiam *Seja*, *Segetia*, *Tutilina*, aliaque Agrestium numina, decorata fuerunt. Varronem vide, de R. R. I. I. & Plin. XXXIV. 8. ubi de ejusdem Simulacro Romae dedicato.

35. JUVAT ARBORE SACRA LAETA PATEFACTIS INCIDERE CARMINA FATIS.] *Laeta*, id est laetitiam Latio & Italis ferentia. Legendum omninò cum Vlitio in Var. Lect. *patefactis fatis*, non *fagis* (ut Editt. quaedam perperam exhibent) tùm quod *una* modò dicatur *fagus*, cui inscriptum extabat Vaticinium: tùm quod praecesserit, *arbore sacrâ*, quae mera foret ταυτολογία. *Patefacere* ergò benè de Sortibus, atque Oraculis, quae prolata patefiunt, ac cuivis manifesta sunt. Unde etiam huic Eclogae nomen Δῆλος, id est *manifestus*. Vim verbi expressit Summus Poëta, Aen. II. 259. de equo Durateo:

Illos patefactus ad auras
Reddit.

Et Lucret. v. 894. Quô sensu etiam Catullus Epith *Pandere veridicum oraclum* dixit; quod idem est, ac *patefacere.*

INCIDERE] Vox apprimè propria. Virg. Ecl. X. 53.

——— ——— *Tenerisque meos incidere amores*
Arboribus.

36. VOS, O, PRAECIPUE NEMORUM GAUDETE COLONI!] Intelligit vel Agricolas, qui propriè *Nemorum coloni*. ut Maro, Georg. III. *Fortes sperate coloni.* sic *ruris coloni*, Horat. atque ita passim. vel *colonos* dixit, signatè; eò quod in Italiam antiquitus quamplurimi è Graeciâ transiêrunt coloni: unde & Latium Graecia Magna olim dicebatur; quod notissimum. Hinc Florus Hist. I. cap. I. *Latini Thuscique pastores, quidam etiam transmarini Phryges, qui sub Aeneâ, Arcades, qui sub Euandro duce* influxerant. Confer Dionys. Halicarn. A R. lib. I. Livium Hist. lib. I. ut etiam A. Victorem, Orig. P. R. cap. III. & IV. ubi multa de *Fauno* & *Pico*, antiquae Italiae regibus. De ejusmodi coloniis multus etiam est Vell. Paterculus in Hist. Rom. lib. I. Ad rem dixit Plinius, III. 5. *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque servatum est M. passuum. Coloniis saepè mutatis tenuere alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli: & ultra Circeios Volsci, Osci, Ausonii; unde nomen Latii processit ad Lirim amnem.* Hinc Strabo Geogr. v. dixit, *Latinum agrum inter Ostias litus, & Sinuessam urbem, & Sabinos contineri.* Observat id, respectu Latini regis, maximus Vates, Aen. VII. 38. *Quis Latio antiquo fuerit status*: ad quem locum Servius, *quia duo sunt, Vetus & Novum.* Sanè ad rem addidit, *praecipuè*; dum vetus illud Latium respexerit, tanquam suum.

37. VOS POPULI GAUDETE MEI!] Elegans repetitio. Et rectè addidit, *mei*: cùm Fauno proprium esset Latinis tantùm responsa dare. Quod αὐτῶν egregiè observat Poëta, Aen. VII. Italiae antiquae *populos*, propter incolas Latii, disce ex Geographis: neque adeò, huc referre, arbitror.

GAUDETE!] Fausta apprecandi formula. Eleganter, ùt solet, Tibullus, II. Eleg. 5. 83.

Laurus, io, bona signa dedit. gaudete coloni!

Pro quo suum usurpant χαῖρε, Graeci. Aristophan. Εἰρήν. ubi rusticorum chorus Pacem celebrans:

Χαῖρε, χαῖρ', ὦ φιλτάτη· ὡς
Ἀσμένοισιν ἦλθες.

Ad hanc phrasem accedit Lucan. Pharf. II. *gaudete cohortes!* Ita etiam Propert. III. Eleg. 6. 35. &c

& IV. I. 83. Horat. I. Epist. 6. 35. vide B. Brissonium de Formul VIII. Coel. Rhodign. Ant. Lect. aliosque. Inde per apocopen *gau'*! quasi excitandi particula, Ennio in Fragm. usurpatum: ad quod alludens Auson. Technopaegn. Grammatom.

Ennius, ut memorat, repleat te laetificum gau'!

Porrò, *gaudium* & *laetitiam* distinguit Plato, quod illud semper cum laude: altera etiam in vitium incidat: adeò ut χαίρειν sit gaudere, ἥδεσθαι laetari.

38. Licet omne vagetur securo custode pecus] *Vagari*, & errare vocabula gregi securè pascenti propria. Meliboeus. Ecl. I. 9. de securitate sub Augusto:

Ille meos errare greges, ut cernis, & ipsum
Ludere quae vellem calamo permisit agresti.

Senec. Tragic. Herc. Fur. ubi chorus haec mirè depingit:

Ludit prato liber aperto
Nondum ruptâ fronte juvencus:
Errat cursu levis incerto
Molli petulans hoedus in herbâ.

Horat. IV. Od. 5. eàdem, quà Maro, in Augustum adulatione:

Tutus bos etenim rura perambulat.

Pulchrè id depinxit Maro in Culice, vs. 44. & seqq. quem operae pretium est conferre. Theòcrit. Eidyll. VIII. 67.

Ταὶ δ' ὄιες, μηδ' ὔμμες ἐκτεῖθ' ἁπαλᾶς κορέσασθαι
Ποίας· ὅτι καμεῖθ', ὅκκα πάλιν ἅδε φύηται·
Σῖτθε, νέμεσθε νέμεσθε· τὰ δ' ὔβατα πλήσατε
πάντα.

Sed hic princeps ferè locus est inter Pacis commoda. Tibullum adi assiduum rei rusticae praeconem; nec non Claudianum, tempp. suorum securitatem describentem in Laud. Stilich. & alibi. Porrò Pastoris officia curamque pecoris (praeter Maronem, Georg. III. 294. & seqq.) Noster quamvis διηγηματικῶς, Eclog. V. sub nomine Myconis late prosequitur.

Custode] Pastore. Horat. IV. Od. 12.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistulâ.

Itidem Porcius Licinius in Fragm. *Custodes ovium.* Sic pastorum cura in gregem eleganter Graecis dicitur φυλακή. Sic ἀγελαηγεμόνας Senecae Trag. Oedip. 823.

Duces, penes quos summa consistit gregum.

39. Nocturnaque pastor claudere fraxinea nolit praesepia crate.] *Nocturna praesepia* dicit ob *fures*, ac praedones, qui vulgò *nocturni* JCtis. vide Eclog. Nostri, III. vs. 73. Phaedr. I. fab. 23. Plin. X. 40. Sed nota res. Virg. Georg. III.

——— ——— *Nunquam custodibus illis*
Nocturnum à stabulis furem, incursusque luporum,
Aut implacatos à tergo horrebis Iberos.

De *stabulorum septis* agit Varro R. R. I. 14. quae *fraxineâ*, plerumque, seu *vimineâ crate*, tenebantur tenuioribus: cujusmodi praesepia e cratibus eleganter describit Statius, Theb. VII.

Perspicuas sic luce fores, & virgea pastor
Claustra levet:

Ubi Interpres: *ex cratibus factas, quae raritate virgarum connexae lucem admittunt.*

Clauserat] Simpliciter Meliboeus, Ecl. VII. 15. *domi quae clauderet agnos.* Observa *praesepe* (pro quo Cato R. R. *praesepis*, & Appulejus *praesepum* habet) usurpari pro ipso stabulo; ut Graecis φάτνη. Sed id ex Homero, Euripide, aliis observârunt jam Viri docti. Ita Virg. Ecl. VII. 39.

Cùm primùm pasti repetent praesepia tauri.

Mens ergò Poëtae, est quamvis nulla sit pecoris cura pastoribus interdiu, neque custodia noctu, nihil tamen esse metuendum: *dum furem nemo timeret Caulibus.*

40. Non tamen insidias praedator ovilibus ullas afferet.] Livius, V. 24. *Ager est populatus; praedaeque rerum agrestium actae.* Respicere videtur turbata Reip. tempora, quibus Imperium sub Gallieno variis *praedatoribus* infestabatur. Quin & barbaras gentes in Italiam fecisse eruptiones, imperante etiam D. Claudio, constat ex Treb. Pollione in ejus Vit. cap. VI. *Scytharum diversi populi, Celtae quoque & Heruli, praedae cupiditate in Romanum solum venerunt, atque illic pleraque vastarunt* &c. Sub Gallieno (inquit Eutropius lib. IX.) *Alemanni, Italiam irruperunt.* &c. Sect. Aurelius *Alemannorum vim Italiam possedisse sub eodem*, ait: adeò ut ignaviâ Principis Ravennam usque pervenerunt, idem fere habet Zosimus Hist. I. Τὴν μὲν Ῥώμην ἀπέλιπον Γερμανικοί· τὴν δ' Ἰταλίαν πᾶσαν ἐπελθόντες ἐκάκωσαν. & sub D. Aureliano; ubi barbaras recenset gentes εἰς ἔθν τὴν Ἰταλίαν ἐπιδραμεῖν. Hos, procul dubio, & ejusmodi *praedatores* intelligit Calphurnius deficiente jam Imperii majestate. Quin & ipsi Romanorum exercitus quantam intulerint Italiae calamitatem sub pessimis quibusque principibus, praesertim sub XXX. Tyrannis, ex Herodiano, Eutropio, & Historiae Augustae Scriptoribus abundè liquet. De *praedonibus*, multus est Appulej. utpote quorum *totae Provinciae nomen horrescunt*: ut inquit Milesf. VII. v. & Heliodorus in Aethiopic. lib. I. IV. &c. ad rem facit Longus Pastor. III. (ubi lib. II. de Methymnaeis praedatoribus egisset) de Mitylenaei exerci-

c..us duce: *Οὐδὲ ἀγέλας, καὶ κτήματα, ἤρπαζε γεωργῶν καὶ ποιμένων, Ἀγεὶ νομίζων ταῦτα ἔργα.* Sim... Claudianus infert lib. II. in Ruffin. 36.

——— ——— *Geticis Europa catervis*

Ludibrium praedaeque datur. & seqq.

41 Aut laxis abiget jumenta capistris] *Abigero.* de pecorum ac jumentorum furibus propriè, qui inde *Abactores*, vel *abiges*. Apulej. Milet IX. *pecora trucidare*, & *boves abigero*, conjungit. Hinc κατ' ἐξοχὴν dicitur Isidoro *pecorum fur*, qui JCtis *abigeus*. *Furto abigere greges* etiam dixit Plinius. Quomodò Ovid. Metam. II. 685.

——— ——— *Videt has Atlantide Majâ*

Natas, & arte suâ sylvis, occultat abactas.

De *Caco* nota est fabula ex Dionysio Halic. I. 5. & Livio, I. 7. qui vulgò hoc nomine malè audit. Marone Aen. VIII. Ovid Fast. I. Pluribus hanc vocem prosequitur L. Valla Eleg VI. 16. *Abactores vocantur pecuariorum animalium fures. Abiges propriè, qui pecora è pascuis vel armentis subtrahunt, & quasi exercent abigendi studium.*

Jumenta] Columella Praef. lib VI *Jumenta* (inquit) *nomen à re traxere, quòd nostrum laborem, vel onera subvectando, vel arando, juvarent.* Hinc *jumenta* dorsuaria, vel dossuaria, vocat Varro R. R. II. 10. Videtur tamen idem Columella I. à bubus quodammodò distinguere. *Bos, aut jumentum ad praesepia sine incommodo vesci possit.* Ita etiam JCti: boves non *jumentorum*, sed pecoris appellatione contineri affirmant. *Jumentorum itaque hic unus est usus, saccinam ferre*, Senec. Epist. LXVI. Discrimen quoque observat Phaedrus, IV. fab. 5.

——— ——— *Agellos, pecora, villam, operarios,*

Boves, jumenta, & instrumentum rusticum.

Sic Οὐρεὺς (Ionicè quasi ὀρεὺς) magis pro mulo, quam bove capi videtur Hesiodo: ἡμερ. 27. apposito epitheto ταλαεργὸς, tolerans operis. Appulejus certè pro asino, de se ipso accipit, Metam. VII. & alibi. Horatius verò pro equis ad venandum aptis, lib. I. Epist 18. vs. 46. Eodem tamen res redit, neque cum mente Calpurnii certat.

Laxis capistris] Ergò dixit sensu duplici: vel quia laxare, id est demere fraena & vincula solent abactis jumentis Praedatores; vel respectu equorum, quibus citato invehuntur cursu laxatisque froenis, dum *jumenta* abigunt prior sensus tamen praevalet; cum *capistrum* magis mulorum, &c. quàm equorum sit proprium. Virg. Georg. III. 300.

——— ——— *Prohibent à matribus hoedos*

Primaque ferratis compescunt ora capistris.

quamvis tamen promiscuè utantur.

42. Aurea secura cum Pace renascitur aetas] Claudian. Consul. Mall.

——— ——— *Exultat cum Pace Fides.*

Respexit, procul dubio, ad Probi Jmp. verba, qui ante Carum imperavit: de quo Aur. Victor, XXXVII. *Quâ causâ pacatis omnibus, dixisse proditur, brevi milites frustra fore*: vel (ut Fl. Vopiscus in Ej Vit. cap. XX.) *brevi milites necessarios non habebimus.* Eutropius lib. IX. *Hic cum bella innumera gessisset, pace partâ, dixit, brevi milites necessarios non futuros.* Imò ex eodem Eutropio constat, ipsum Carum Aug Persas *proelio fusos ad aequas pacis conditiones redegisse.* Alludit interea ad notissimum aureae Aetatis sub Saturno argumentum. Et conveniunt sequentia ferè cum Virgilii Pollione, Eclog. IV. *Toto surget gens aurea mundo.* &c. *Auream Aetatem* egregiè depinxerunt Ovid. Met I. à vs. 89. ad 113. Senec. Tragic. Hippol. vs. 525. Claudian. in Ruffin. I. 380. obiter Tibull. I El. 3. Juvenalis, Sat. VI. ad vitae rusticae securitatem transtulit. Ad rem quoque Boëthius Consol. Philos. II Metr 5.

Tunc classica saeva tacebant;

Odiis neque fusus acerbis

Cruor horrida tinxerat arma.

Denique in eo argumento quis non lusit? Aetatem sanè quintam addidit Hesiod. ἔργ. καὶ ἡμ. I. vs. 109. & seqq.

Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων

Ἀθάνατοι ποίησαν. &c.

Imò Graecorum Theologia ad VIII. usque Aetates agnoscit; quibus & nonam addidit Satyricus, XIII. 28. *pejoraque saecula ferri Temporibus.* *Aureae aetatis* doctrinam ad Indos & Gymnosophistas usque emanâsse testis est Strabo, Georg. XV. quam acceptam Sibyllinis carminibus ac Hebraeorum carminibus Gentiles propagâsse jam observârunt Viri docti.

Secura] Alludit ad Ovid. Met. I. 100.

——— ——— *Sine militis usu*

Aurea securae peragebant otia gentes.

Vide Aristophanis Εἰρήνην, variis locis.

44. Et redit ad terras tandem squallore relicto] Virg.

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Ecl. IV. Horat. Carm. Saecul. vs. 57.

Jam Fides & Pax, & Honor, Pudorque

Priscus, & neglecta redire Virtus

Audet.

Egregium Poëtis χῶμα, *Astraea Virgo*; quam sub Justis Principibus è coelo, quò evolaverat, *in terras redire* fingunt. Hanc Virginem alii Themidem, alii Astraeam, alii Erigonen, Icarii filiam,

filiam, faciunt. de quâ re consule Mythologos. Claudianus de suis sub Theodosio M. temporibus;

—— —— *Laetatur terra, reverso*
Numine, quod prisci post tempora perdidit auri.

phrasi Horatianâ: *Quamvis redeant in aurum Tempora priscum.* Sanè *Themis* ipsa Justitia, sive dea Juris praeses, bonorum remuneratrix; & malorum punitrix. Cicero de N. De. lib. III. quatuor statuit Themidas, diversis parentibus ortas. alii duas tantùm; alteram vetustiorem quae apud Graecos templum habuit, & oraculum, Delphico Apollinis antiquius, juxta Cephisum Boeotiae fl. de quâ Pausanias in Boeoticis, & Ovid. Met. I. 369. alteram, Latinis in pretio, Euandri matrem, quae ab oraculorum carminibus Carmenta, & Nicostrata, dicta fuit: de quâ idem Naso I. Fastor. Livius, I. 7. & Dionysius Halic. R. A. I. 3. Plutarch. Q. Rom. LVI. alii. quae posterior hic ob *vaticinium Fauni patris* mire quadrat. Consule, si tanti sit, Mythologorum filios.

Alma] Peculiari dicitur ἐπιθέτῳ, ut sit Justitia, omnia alens & sustinens. Hinc Hesiodo, Theog. 16. *αἰδοίη, veneranda.* Pindaro in Olympic. *σωτείρα, ἱερὰ*, Lycophroni Ἡλίου θυγάτηρ, aliis Οὐρανοῦ καὶ Διὸς παῖς. *Coeli ac Jovis filia.* Vide Homeri Hymn. in Apoll. 29. Coeli filiam quoque facit Apollodor. Biblioth. I. (sive ejus Epitomistes) ex quâ Jupiter generavit Justitiam ac Pacem. Ejus verba sunt: Ἐκ μὲν οὖν Θέμιδος τῆς Οὐρανοῦ γεννᾷ θυγατέρας ὁ Ζεὺς Εἰρήνην, καὶ Δίκην. Qui locus Nostro lucem adfert. Quare non immeritò Auson. Monosyll.

—— —— *Prima Deûm Fas,*
Quae Themis est Grajis.

Tandem] Id est post tot Imperii calamitates. Unde ingeniosè in Orphicis Hymn. *γαίης τὸ βλάστημα νέον, Terrae novum germen* dicitur. Confer Justitiae descriptionem apud Claudian de Laud. Stilich. lib. II. 103.

Posito squallore situque] Eleganti formâ *squallor* & *situs* conjunguntur. Ovid.

Squallent obducto tecta relicta situ.

Alludit ad dies festos Romanorum, in quibus solenne erat omnem moestitiam & squallorem deponere, secùs ac in luctu fieri solebat. Exempla passim sunt obvia. Ovid. de Pont. lib. II. El. 5.

Dii quoque, ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa jubent.

Quantam verò post XXX. Tyrannos, sub Principibus D. Claudio, Tacito, Probo & Caro, Aug. S. P. Q. R. ceperit laetitiam, testes sunt Trebell. Pollio, Fl. Vopiscus. &c.

44 Juvenemque beata sequentur saecula] Intelligit Aur. Numerianum Caes. Cari Aug. filium, natu minorem, cui, de more auream vaticinatur aetatem. Benè, *Juvenem*, dixit; dum egregiae indolis adolescens etiam tum dicatur Eutropio, lib. IX. cum ab Arr. Apro foceró interficeretur (postquam biennium cum patre imperâsset) circa annum Chr. CCLXXXIV. Cur etiam Nostro *juvenis deus*, Eclog. VII. vocatur. Vopiscus in Caro cap. XI. illum *adolescentem, tum lectissimum, tum disertissimum*, dicit. neque aliter A. Victor. de Caes. XXXVIII Vel, *Juvenem*, dixit respectu Octavii Caes. (qui post à Senatu dictus est Augustus) imitatione Virg. Ecl. I. *Hic illum vidi Juvenem*, &c. ad q l. Servius: *Decreverat enim Senatus, ne quis eum puerum diceret, ne tanti Imp. majestas minueretur.* Rationem reddit Suetonius Aug. cap. XII. Notus etiam ille Ciceronis in Octavium jocus, cujus & in Epist. Familiar. lib. XI. Ep. 20. meminit Brutus. ut etiam alibi. Sed ad rem. Ex eô fluxit postea titulus ille *Principum Juventutis*, qui non dabatur, nisi ex Impp. familia filiis, sive nepotibus: ut Tacit. Ann. I. 3. Sueton. Calig. XV. Libera etiamnum Rep. *Principes Juventutis* dicebantur nobilissimi Equestris ordinis adolescentes (ùt ex Liviô, Hist XLII. 61. videre est) sed, imperante Augusto, is titulus in Cajum Caes. ab Equestri ordine translatus est: docentibus id Dione Cassio, Tacito, Suetonio, aliis. Unde & idem Cajus Nasoni, in Art. I. 195. *Juvenum princeps* id est equitum dictus est, quem eundem vs. 191. *puerum* vocaverat. Morem fluxisse volunt, ab Ascanio Aeneae filio, qui in littore Siculo se *equestri puerorum turbae*, in Anchisae avi parentalibus, *principem* obtulit: quod Poëtarum princeps Aen. V. à vs. 548. ad 602. describit. Neque id honoris nomen Calpurnii nostri aetate ferè exolevisse indicio est Nummus aeneus, cujus inscriptionem exhibet Ad. Occo ann. CIↃ XXXII.

M. A. NVMERIAN. C.
PRINCIPI IVVENT.

Hic titulus tamen postmodò minoris fuit auctoritatis, quàm Caesaris. Docet hoc Claudian. Panegyr. in Honorium:

—— —— *Mutatus Principe Caesar*
Protinus aequavit Fratri:

Nempè Arcadio, Theodos. M. filio majori, qui jam *Nobilissimus Caesar*, cùm frater ejus titulum non haberet, nisi *Principis Juventutis.* A quibus Impp. tamen ille *Nobiliss. Caesaris* titulus, qui postea obtinuit, originem duxerit, non liquidò apparet, & adhuc sub judice lis est. Siquidem jam ante Licin. Valerianum Juniorem

 id

id cognomen in Numism. Vett. Getae & Alexandri Severi reperiatur: quamvis aliter quodammodo Lampridius in Commod. *Appellatus est Caesar etiamnum puer, postea princeps Juventutis.* Vide Adr. Turneb. Advers. xxv. 17. J. Lipsium, alios.

Beata sequentur saecula] Maro, Aen. vi. 792. de Augusto:

——— ——— *Ille aurea condet Saecula.*

Et *sequentur*, benè dixit. Respicit enim tractus temporum, quae, quasi τὰ ῥεῦ (ut loquuntur Philosophi) in perpetuo fluxu sunt, ac proinde *sequi*, rectè dicantur. Sic Poëta: *Te sequitur Fortuna ducem. Partes alicujus sequi*, nota est phrasis Ciceroni, aliis. Confer hic Plinii Nepotis Panegyr. in Trajanum Principem, Claudiani in Theodor. M. qui tamen rectius Principibus suis adulantur, quàm Seneca, Philosophus, Neroni, in D. Claudii Apocolocyntosi, & libb. de Clementiâ. Sed ea tunc temporum erat injuria. Ad rem magis Poëta Georg. 1. 500.

Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo
Ne prohibete.

Quae εὐχὴ ad Deos est: quâ etiam usus Naso ad calcem Metam. xv. & Horat. Carm. 1. Od. 2.

45. Maternis causam qui lusit in ulnis] Significat, Numerianum, etiam à puero, & quasi in gremio Matris suae jam operam dedisse eloquentiae ac declamationibus, Vopiscus l. citat. *Eloquentiâ etiam praepollens fuit, adeò ut publicè declamaverit, feranturque illius scripta nobilia; declamationi tamen quam Tulliano accomodatiora stylo . . . . . Hujus Oratio fertur ad Senatum missa tantum habuisse eloquentiae, ut illi statua non tanquam Caesari, sed quasi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliothecâ Ulpianâ, cui subscriptum est:* NVMERIANO CAES. ORATORI SVIS TEMPORIBUS POTENTISSIMO. Idem de eo testantur Eutropius, Victor, alii: Quamvis illud elogium quoque Carino tribuit Suidas, sed auctore incerto. Rectè itaque Cl. Barthius ad h. locum adnotat: *Causarum exercitationes olim pueris adhuc penè lactentibus praepositas in scholis, clarum: adeoque declamavit Numerianus tenerrimâ aetate, adhuc penè puer.* De aetatum gradibus, si quid huc faciant, vide A. Gellium, x. 28.

Maternis in ulnis] Similem ferè locum è Manilii Astron. lib. 1. adfert Barthius: *Matrisque sub armis Miles, Agrippa, suae.* quamvis ad h. l. magnus Scaliger legendum suspicatur *Martisque sui* non *Matris*: quod adulatorie tamen ferri potest, quasi natus jam miles Agrippa ἀπὸ τῶν ἀπαλῶν ὀνύχων, & sub ipsâ matre. Ad Nostrum magis accedit Statius, Sylv. 2. 7. de poëtâ Lucano:

Ac primùm teneris adhuc in annis
Ludes Hectora.

Neque phrasis, *maternis in ulnis*, ignota Graecis. Sic enim Antholog. 1. Epigr. lvii. §. 12.

——— ——— Ἐν ἀγκάλαις ὠλένῃ μητρῴαις.

Ulnae enim, pressiores tenerrimum in infantes amorem *matris* exprimunt. Claudian. Panegyr. de Honorii matre: vs. 167.

——— ——— *Tum laevibus ulnis*
Sustulit, & magno porrexit ad oscula patri.

Quae verò *Mater* fuerit Numeriano, prorsus ignoratur. Intercidit enim in Zosimo & lib. 11. Cari Aug. ejusque filiorum vita: & quod Amm. Marcellinus de illo notare potuisset, simili temporum injuriâ disperiit, dum ejus Historiae non incipiant, nisi à libr. xiv. sub Constantio Aug. neque eo etiam pervenerit Herodianus. Narbonae tamen in Galliis natum esse plurimorum calculo accreditur; neque quò anno, satis liquet. Haec itaque de Diocletiano, qui post Carum imperavit non accipienda esse evincit ipse Calpurnius (qui *juvenem* ubique appellat) ut & Nemesianus, Cyneget. vs. 64. & seqq. cùm revera non nisi senior ad principatum accesserit Diocletianus. Observandus itaque est Petr. Crinitus, qui in Vitâ Calpurnii: *sunt qui dicant, de Diocletiano Imp. intelligi oportere. Reliqui verò hoc ad Numerianum referunt* &c. Ubi intendit ad *auream aetatem*, vs. 42.

Lusit] Utpote in argumento leviori. Ita Phaedr. Prol. lib. iv.

Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.

Catullus, Epigr. xlv.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis:
Scribens versiculos uterque nostrûm
Ludebat numero modò hoc, modò illôc.

Appositè Plinius Nepos, vii. Epist. 9. *Fas est & carmine remitti arguto, & brevi, quod aptè quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quàm seria consequuntur. Itaque summi Oratores sic se aut exercebant, aut delectabant.* Confer initium Culicis Maroniani: *Lusimus, Octavi*, & seqq. Atque ita saepè Ovid. de Amor. libb. usurpat, *viridi quod lusimus aevo.* Declamationes enim non causas egit Numerianus; quod posterius Oratorum potius est quàm Sophistarum: unde lepidè, Satyricus, x. 167.

Ut pueris placeas, & declamatio fias.

Quid propriè Declamatio sit, dicet Auctor Dialog. de Oratoribus. Plinius Secundus, 11 Epist. 3. Quinctilianus, Inst. 11. 10. Idem Fabius *Judiciorum*

rum imaginem, & forensium actionum meditationes, vocat, lib. iv. 2. Jam Senecae Philosophi aetàte Declamationum materiem *Controversias*, vel *Θέσεις*, dicebant, quas Oratores vocabant *Causas*. Imò hujus Senecae Controversiarum libb etiamnum exstant. Declamatores, ergo erant qui causis fictis se exercebant, (quales egregiè Arbiter ille Petronius ridet initio Satyrici:) quique priscis temporibus ludum suum claudere Romae compulsi sunt. Dixit tamen Cicero, Tuscul. Quaest. i. 4. *Declamitare causas*: quamvis in Bruto & Oratore, *causas agere*. Ad hoc exercitationis genus accessisse etiam principes personas liquet: Neronem, ex Suetonio cap. xi. Alexandr. Severum, ex Spartiano. cap. i. Gordianum tertium ex Capitolino, aliosque primae nobilitatis Juvenes, prolapsâ videlicet jam verae ac nativae Romanae Eloquentiae vi & efficaciâ. Vide hic omnino Petroniani Satyrici Initium cap. i. & 2. ejusque Interpretes.

46. Dum populos deus ipse reget.] Maro Aen. vi. 851.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Observa *populos* dici, respectu Imperii Rom. cujus *porrecta majestas ad Ortum Solis ab Hesperio cubili*: ut eleganter Flaccus, iv. Od. 15. juxta Petronium enim,

Orbem jam totum victor Romanus habebat.

Quod videas sexcentis locis.

Deus] Vel indefinitè accepit pro *Divinâ Providentiâ*. vel *Fato*, &c Theologiâ Gentilium, vel Stoicorum sententiâ, qui plurima de *Deo* disputabant: unde elegans ille Senarius:

Πάντη γάρ ἐςι, πάντα τε βλέπει Θεός.

Quam piè purioris Theologiae Gentiles de *Deo* ejusque regimine senserint, jam à Viris doctis demonstratum est, è Plutarcho, Senecâ, Cicerone, Epicteto, aliis: neque hic attinet disputare. Graphicè de hâc Providentiâ Sophocles, Ajac. Flag. vs. 128. & seqq. Phocylides in Sentent. lib. multique alii. Sed quid exemplis opus? ubi pleni sunt omnes Philosophorum libri. Lucanus, Pharf. vii.

——— ——— *Medio posuit Deus omnia campo.*

Menander, ut solet, egregiè:

Θεὸς συνέργων πάντα ποιεῖ ῥᾳδίως.

ubi *Deus* sano sensu. Verùm, ùt magis fit verisimile, per *Deum* hîc adulatoriè intelligit non *Θεὸν*, vel Numen, sed Carum Aug. quô imperante scripsit Noster, atque etiam Nemesianus. Hic enim M. Aur. Carus, anno v. CIↃ XXXIV. vel post Chr. natum CCLXXXIII. post caedem Probi, creatus ac designatus est à militibus Imperator. De illius patriâ, quam Narbonem (sive Illyrici, sive malis Galliae Narbonensis) diversae sunt Scriptorum sententiae. Nec minùs obscuri ejus parentes, ùt & annus illi Natalis. Hic tamen in Epistolâ quâdam, quam exhibet Vopiscus, Romanus videri voluit. Quid de eo senserit Probus, indicant ejus literae de Cari honoribus ad Senatum datae; de quibus Vopisc. cap. vi. Vel ad ejus Nummum respexit Poëta, cujus inscriptionem exhibet Ad. Occo, Graecè expressam, ad annum v. CIↃ XXXIII.

ΘЄΩ ΚΑΡω. CEB.
ΑΦΙЄΡωCIC:

Post mortem ejus certè exstat Nummus, cum inscriptione, DIVO CARO PIO. Quomodò etiam Nemesianus, Cyneget. vs. 63. ad Carinum & Numerianum:

Mox vestros meliore lyrâ memorare triumphos
Accingar, divi fortissima pignora Cari,
Atque canam. & seqq.

Imò & alius Cari Nummus exhibetur, hâc Inscriptione, AETERNIT. IMP. tamen nescio, an non Romam potiùs, designet *ἐπιγραφὴ*, quàm ipsum Imperatorem. Sanè de Persicâ illius expeditione, post devictos Sarmatas, ita Festus in Breviar. *Cari Imp. victoria de Persis nimium potens Superno Numini visa est.* &c. Verùm haec Ecloga ante illam expeditionem videtur scripta Adulatoriè ergo dixit. Usque adeò verax Claudianus, Bell. Gild. vs. 132.

—— —— *Roma recepit, Aut dedit ipsa Deos.*

47. Dabit impia victas post tergum Bellona manus.] Pulcherrimè expressit praeclarum maximi Poëtae locum, Aen. i. 298.

——— ——— ——— *Furor impius, intus*
Saeva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Ubi (notante Servio) *Poëta respexit, vel ad Martis simulacrum Spartae vincti*: &c. *vel potiùs Bellum respexit, ab Apelle depictum; quam tabulam Augustus eo habitu adornatam in foro suo dedicaverat.* Cujus etiam Plinius xxxv. 10. meminit. Similiter Manilius Astron i. sub finem:

Atque adamantaeis Discordia vincla catenis
Aeternos habeat frenos in carcere clausa.

Quem locum & Cl. Vlitius hic adnotat. Neque abludit illud Plutarchi in Numâ, cap. xxxvi. ex Poëtâ Graeco versum:

In ferreis hic compedibus ferox
Mavors tenetur. &c.

Confer Aristophanis *Εἰρήνῃ*, ubi Belli ac Pacis egregia inter se occurrit *καταστροφή*. Observa porrò variandi modum. Quem Maro *Furorem* vocat, ea *Discordia* dicitur Manilio; *Mavors* est in exemplo Plutarchi.

Bellona autem appellatur Calpurnio. Haec

enim, & Enyo & Pallas Graecis dicta, Martis soror fingitur, flagello ac facibus armata. Aliis placet, eam Martis aurigam esse. Lucan Pharf. VII.

Sanguineo stimulans veluti bellona flagello:

Posteriori vero faver sententiae P. Statius Theb. VII.

Quadrijugos atro stimulans Bellona flagello

ubi dirum Martis comitatum, ùt solent poëtae, describit: quomodo & Maro Aen. VIII. 705. *Sanguineum* ei de more tribuit *flagellum*; eâdem ratione, ob quam Furiae cum flagello inferantur, ac facibus armatae prodeant. Apparatum hunc hausere ex Homero Poetae posteriores; qui Iliad. V. de Marte:

—— —— Ἦρχε δ' ἄρα σφιν Ἄρης καὶ πότνι' Ἐνυώ.

A quo nomine Mars dicitur Ἐνυάλιος: ùt Antholog. in Epigr. ἀνικήτῳ δῆμος Ἐνυαλίῳ. Haec dea Romanis bellicosis illis Quiritibus, praecipuâ in veneratione fuit, ex quo Appius Claudius, proelio adversus Etruscos *deae Bellonae* aedem vovisset. ùt Livius X. 19. Ejus sacerdotes *Bellonarii*, *fanatici corpus suum incidentes missione sanguinis sibi deam placabant*, IX. Kal. Apr. qui sacerdotes Lampridio in Commod. cap. IX. *Bellonae servientes*. Martiali XII. Epigr. 57. *turba entheata*, dicuntur Juven. Sat. IV. 123. Illius aedes consecrata in Circo Flaminio. Ovid. Fast. III. 201. Alexand. ab Alex. D. G. III. 12. Turneb. Adverf. VIII. 23. Graphicè hanc cum dirissimo comitatu, Erebo emergentem depingit Petronius in Specim. Bell. Civil. cap. 124. Senec. Trag. Herc. Oet. vf. 1311. Claudianus verò in Eutrop. II. 145. tubam *Tartaream* ac falcem, ei assignat, ùt bellorum instigatrici. Idem lib. I. in Ruffin. vf. 342. ex decoro Martis ministram fingit. Sic enim Mars pater ibi:

Fer galeam, Bellona, mihi, nexusque rotarum
Tende, Pavor: frenet rapides Formido jugales
&c.

Neque Romanis tantùm, sed & bellicosissimis quibusque gentibus cultam fuisse testatur, Caesar, sive Hirtius, de B Alexandr. *Venit Comana, vetustissimum & sanctissimum in Cappadociâ Bellonae templum, quod tantâ religione colitur, ut sacerdos ejus, deae majestate, imperia & potentiâ secundus à rege consensu illius gentis habeatur*: Ad quae omnia alludens Seneca Philos. de Irâ, lib. II. cap. 35. inquit: *Qualis apud Vates nostros est*,

Sanguineum quatiens dextrâ Bellona flagellum.

Hinc Calabro, lib. V. λυγρὴ, *exitialis*, dicitur:

Λυγρὴ δ' ἐνεστρώφατ' Ἐνυώ.

Spoliataque telis In sua vesanos torquebit viscera morsus.] Patheticè, quasi de Belli Civilis Furore, in rabiem verso, artusque suos dilacerante: pulcherrima translatione à feris, quae, dum vi cohibentur prae irae impatientia se ipsas furibundo more appetunt, ac veluti lacerant. Hinc de pop. Rom. elegantissimè Flor. II. 19. in Anacephal. *Denique in se ipse conversus Marianis atque Syllanis, novissimè Pompeji & Caesaris manibus, quasi per rabiem & furorem, & nefas semet ipse laceravit*. Similis ferè phrasis de Erisichthone apud Nasonem, Met. VIII. 879. quamvis in re aliâ:

Ipse suos artus avido divellere morsu Coepit.
&c.

Magis ad sensum Nostri Virg. Georg. III. 514. de equis in rabiem versis:

—— —— —— *Furiisque refecti*
Ardebant: ipsique suos, jam morte sub aegrâ,
Discissos nudis laniabant dentibus artus.

De Belli civilis furore rectè itaque Lucan. I. vf. 3.

—— —— —— *populumque potentem*
In sua victrici conversum viscera ferro.

In sua viscera saevire, id est in proprios cives, cognatos, &c. nota phrasis Justino, aliis: quae tamen non hujus est loci. Sed eleganter Prudentius, Cathemer. Hymn. X. 105. de Morbo jam post mortem quasi in triumphum acto:

Morbus quoque pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille.

Vesanos morsus,] Appositè respectu Bellonae, quae *Vesaniae* dea, vide interpretes ad Horat. II. Sat. III. 223.

Spoliata telis] Nempè Bellona, jam armis suis destituta. Quod ad historiam attinet, videtur Poëta respexisse verba Fl. Vopisci loc. cit. *Carus, imperium adeptus, statim Sarmatas adeò morte Probi feroces, ut . . . . . Italiam quoque minarentur se invasuros, ita contudit ut paucissimis diebus Pannonias securitate donaverit, occisis Sarmatarum* XVI. M. *captis* XM. Usque adeò horrendâ strage eos armis spoliavit, &, intra terminos suos jam redactos, *secum* quasi *bella gerere*, relicto Imperio Rom., coëgit.

49. Et, modò quae toto civilia distulit orbe, secum bella geret.] Bellona nempe, per Metonym. causae, pro *Belli Civilis* auctoribus. Intelligit, procul dubio, civiles horrendosque Imp. R. motus post Valeriani senioris captivitatem, Gallieni socordiam (utpote *quem non solùm viri, sed etiam mulieres contemtui haberent*, ac XXX. Tyrannorum decertationes; quorum *bella*, (in perniciem Reip. Gallieno ex omni parte illata, atque inter se ipsos desaevientia) meritò *Civilia* dici possunt. De his videatur prae cae-

caeteris, Trebell. Pollio, de xxx. Tyrann. A. Victor de Caesar. Tangit quoque non leviter horum temporum infelicitatem Zosimus, Hist. lib. 1. cum nimirum post Valeriani calamitatem. *Πάντα μὲν ἦν ἄναρχά τε καὶ ἀβοήθητα, εἰς μεγίστην αἰσχύνην τῷ Ῥωμαίων ὀνόματι*: id est, *omnia confusa pariter & indefensa jacerent, cum maximo Romani nominis dedecore.* Notissimum, tantae calamitatis Imp. R. causam Ecclesiasticos Scriptores in Valeriani senioris, aliorumque principum persecutiones rejicere: inter quos, (rogatu Aur. Augustini) P. Orosius, Hist. lib. vii. cap. 22. qui miserrimam Imperii faciem his temporibus graphicè ob oculos ponit; donec sub D. Claudio, Aureliano, ac praesertim Probo, aliquanto melior affulsit Reip. fortuna: de quo apprimè ad rem, cap. 24. ejusdem lib. *Bella civilia plurimo sanguine duo gessit*, & seqq. Neque aliter Lactantius, de Mort. Persec. cap. v. qui *diu barbaris Romanum nomen ludibrio ac derisui fuisse*, de his temporibus pronunciat. Sed haec *ὡς παιδιά*. Qui ergò *Civilia* antiquorum tempp. *bella*, inter Syllam, Marium ac Cinnam, deinceps Caesaris ac Pompeji discordias, Antonii, Octavii, & Lepidi Triumviratum, ad haec reliquias bellorum adversus Sext. Pompejum, Brutum, caeterosque D. Caesaris percussores, respexisse putant Calpurnium, nae illi ad Poëtae nostri mentem non satis attendisse videntur, & *ἀνιστορίαν* quodammodò inferre: siquidem suorum tantùm temporum tùm calamitates, tùm has insequutam aevi sui tranquillitatem ac pacem respexit: cujus praesertim laus debetur *τῷ Πρόβῳ, καλῶς τε, καὶ δικαίως οἰκονομήσαντι τὴν ἀρχήν*: ut Zosimi verbis ad calcem lib. 1. utar.

Toto orbe] Id est per universum Imperii Romani corpus ac provincias dispersit. Notum autem Romanos se *terrarum orbis dominos, κατ' ἐξοχὴν*, vulgò jactitâsse; cùm tantum Imperii termini fuerint Euphrates & Rhenus, vel florentissimis Reip. temporibus. Attamen non Romanis solum sed etiam Graecis Scriptoribus, Herodiano, Polybio, aliis Imperium Rom. *πᾶσα ἡ οἰκουμένη* dictum fuit. Ejusmodi adulationes crebrò reperias non in Poëtarum modò sed & Historicorum scriptis. Neque aliud loquuntur Inscriptiones & Numismata. Sed omninò hic praeter Vett. Poëtarum Catalecta consule magnum Lipsium de Magnitud. Romanâ, lib. 1. cap. 2. Usque adeò illud percrebuit, *Orbem jam totum victor Romanus habebat*: atque illud Erinnae poëtriae:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα, θυγάτηρ Ἄρηος. & seqq.

Quae tamen verba utrùm de Urbe Roma, an *τῇ Ῥώμῃ*, Robore ac Fortitudine, tanquam deâ Romanis habitâ, accipienda sint, in dubio videtur.

Distulit orbe] Per totum orbem huc illuc dispersit; ùt rectè explicat C. Barthius. Rarior est hujus verbi usus hac notione. Maro tamen Georg. iv. 144. de plantatione: *In versum distulit ulmos.* ubi Philargyrius: *in diversum locum tulit*; *transtulit* inquit Servius; minùs benè. Eâdem ferè significatione Plaut. Rud. ii. 3. 39. *Nec cum scaphâ tempestas distulit ab illis*, id est disjicit, dispergit. Et Curcul iv. 4. 20. *frustulatim differre.* quod Graecis dicitur *διαφορεῖν*. *Differre* rumores, sermones, phrasis quidem nota Terentio, Lucilio; at hic minus locum haber pro dispergere. Ad rem magis est Sueton. Jul. xxxiii. *Cencio id famâ distulit*, id est per militum ordines dispersit. Confer elegantissimum Claudiani locum de iii. Honor. Cons. 63.

——— ——— Civilia rursus
Bella tonante & seqq.

50. Nullos jam Roma Philippos Deflebit] Non inficior, haec de Civili Romanorum bello, ad ultimum prope Philippos Thraciae urbem gesto, intelligi posse, ubi inter Octavium cum M. Antonio, adversus Brutum & Cassium depugnatum fuit: quod ideò *bellum Philippense* Auctoribus dicitur (de quo Dion Cassius xlvii. Plutarch. in Anton. cap. xxv. Appian. Bell. Civ. lib iv. Sueton. Aug. cap. xiii.) & cujus calamitates meritò *Roma deflevit.* Utpote quâ *in splendidissimum quemque Triumviratus ille desaevit.* Quin hoc loco obiter notandum, non Poëtas modo (inter quos etiam, Lucanus in Pharsal.) sed & Historicos vulgò *Philippos* Thessaliae urbem (in cujus campis inter Caes. ac Pompej. de summâ rerum decertatum fuit) cum his *Philippis*, quam *urbem* nonnulli Macedoniae nonnulli potius Thraciae assignant, perperam confundere: juxta illud Eumolpi in Petronio:

Cerne equidem gemino stratos jam Marte Philippos
Thessaliaeque reges. &c.

Sed id jam observârunt Viri docti; Lipsius praesertim ad Vell. Patercul. lib. ii. cap. 70. Fateor, inquam ad haec bella respicere potuisse Calpurnium. Magis tamen verisimile videtur, mentem illum intendisse in propiora aevo suo tempora (ùt jam dixi superius) nimirum allusisse eum ad *Philippos*, tam patrem quàm filium, qui millesimum V. C. annum secularem summâ Romae celebrârunt magnificentiâ. Sed ad rem. Hic itaque *M. Philippus* vulgò dictus Arabs, Gordianùm tertium, principem optimè de se meritum, egregiè in Persis militantem, in ipso aetatis flore per insidias, fraude annonae cir-

cumventum, sustulit, anno V. C. cIↃxcvii. Quem *Philippum* ideò graphicè depingit Zosimus, Hist. i. 16, 17. velut ἐξ Ἀῤῥαβίας ἔθνους χειρίστου, &c. Huc certè faciunt J. Capitolini verba in ejus Vit. cap. xxxiv. *Huic Gordiano tertio sepulcrum milites apud Circesium* (vel Circense) *castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum hujusmodi addentes, & Graecis, & Latinis, & Persicis, & Judaicis, & Aegyptiacis literis, ut ab omnibus legerentur*: DIVO GORDIANO, VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM; SED NON VICTORI PHILIPPORVM. *Quod ideò videtur additum, quia in campis Philippicis ab Alanis tumultuario praelio victus abscesserat: simul etiam à Philippis videbatur occisus.* Sanè illos ad *Philippos* patrem ac filium respexisse, qui haec addiderunt, in confesso est: nullo ad *bellum Philippense* sub Octavio relatu. *Rediens enim* (ùt breviter, de more, Eutropius, ix) *haud longè à Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperavit.* Neque aliter A. Victor, de Caes. cap. xxvii. *Ibi* (in Perside) *geste insigniter bello, M. Philippi praefecti praetorio insidiis periit, sexenni imperio* annos natus xix. Hujus Gordiani Junioris, mortem attingere non potuit Herodianus, lib. viii. dum sub initium ejus principatùs historiarum finem faciat. Calpurnii igitur mens esse videtur, jam stabilitum, sub Caro Aug. ejusque filiis, Imperium, ut nullos ejusmodi Reip. perturbatores (qualis fuit ille *Philippus*) in posterùm Roma vereatur. Quod tamen vaticinium in Numeriano optimo, & Gordianorum instar usquequaque dilecto, miserè fefellit.

51. Nullos ducet captiva triumphos.] *Roma* de se ipsâ non ampliùs per bella civilia, ac domesticas clades, *triumphabit*; neque sibi ipsi *captiva* ignominiae futura est: ùt ad h. l. rectè C. Barthius. Ignominiosum enim & abominandum, cives de civibus triumphare. Hinc cautum, ne quis Impp. ex bello civili triumpharet. Quò alludens Lucanus, Phars. i. 12. non sine gemitu:

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Rationem dabit Val. Maximus, ii. 8. §. 7. *Quamvis quis praeclaras maximéque utiles Reip civili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est; nec ullae supplicationes decretae sunt, neque aut ovans, aut curru triumphavit: quia ùt necessariae istae, ita lugubres semper existimatae victoriae sunt, utpote non externo, sed domestico partae cruore.* Idem inculcat Appianus Bell. Civ. lib. iii. de J. Caesaris triumpho. Itaque neque Marius, neque Sylla, neque ipse Caesar hoc nomine jus triumphandi sibi arrogarunt. Vide & Flor. iv. 2. & iii. 22. Posteriores vero Impp. non tantae fuisse modestiae, ex Hist. Aug. Scriptoribus constat. Ita Gallienus pariter, devictis ab Odenato (quem Ὀδαίναθον vocat Zosimus lib. i) quibusdam in Oriente civili bello Tyrannis, Romae triumphum egit: cujus meminit Treb. Pollio, cap. vii. De splendidissimo D. Aureliani triumpho, debellatis civilibus discordiis, (cui etiam *Senatus, etsi aliquantò tristior, interfuit, quòd Senatores triumphari videbat*) lege Vopiscum, in ejus Vit. cap. xxxiv. & Zosimum, lib. i. θρίαμβον εἰς Ῥώμην εἰσαγαγὼν, μεγίστης ἀποδοχῆς ἐκ τοῦ δήμου καὶ τῆς Γερουσίας ἐτύγχανε.

Ducet] Verbo proprio: Claudian. Rapt. Pros. ii. 264.

Infelix Stygio ducor captiva tyranno.

Similiter Justin. xiv. 4. *triumphum de se ipso captivus ducens.*

56. Omnia tartareo subigentur carcere bella.] Benè dixit, *Tartareo*. Omnia enim bella *Tartaro*, id est Inferno, exorta. Unde Maro, Aen. vii. de Alectô, Furiarum maximâ, quae belli semina inter Aeneadas Latinosque pastores excitabat:

Tartaream intendit vocem. &c.

Sic idem, Aeneid. xii. 846. Megaram, belli instigatricem, & Silius Punic. v. 223. Bellonam *Tartaream* vocant. Pulchrè Claudianus in Eutrop. ii. 145.

—— —— *Quid dudum inflare moraris*
Tartaream, Bellona, tubam? quid stringere falcem
Quâ populos à stirpe metis? &c.

Belli comitatum, *Tartaro* emergentem, graphicè depingit Eumolpus ille Petronianus, in Spec. Bell. Civil.

At contra, sedes Erebi quà rupta dehiscit,
Emergit latè Ditis chorus; horrida Erynnis,
Et Bellona minax, facibusque armata Megaera,
Letumque, Insidiaeque, & lurida Mortis imago:
Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum latè tollit caput. & seqq.

Cui confer, magni oris Poëtam Claudianum monstrorum Erebi concilium describentem, in Ruffin. lib. i. à vs. 29. ad 123. ùt Senec. Trag. Oedip. vs. 572. & seqq.

Tartarus autem (à ταρταρίζω, *frigore tremo*, eò quòd Sole careat, ùt Serv. ad Aen. v 223. vel a ταράττω turbo, ùt Platoni, in Phaed. placet) Poëtis fingitur profundissimus Inferorum locus, ubi sontes plectuntur. Describit, praeter Homerum Iliad. ix. Hesiodus, Theogon. vs. 807.

Ἔν-

Ἔνθα δὲ γῆς δνοφερῆς καὶ Ταρτάρου ἠερόεντος
Ἑξείης πάντων πηγαὶ, καὶ πείρατ' ἔασιν.

Hinc *βαθὺς Τάρταρος*, & *ἀχλυόεις*, *tenebrosus*: Quò alludens Lucret. III. cum *ἐρημίᾳ* tamen:

—— —— *Lucis egenus*
Tartarus, horrificos eructans faucibus ignes.

Hinc *Tartareum barathrum*. Lucan. Ph. X. & *Tartarum ipsum illuminare*. apud Appulej. Metam. I. Rectè ergò *Carcere Tartareo* bella submergit Noster. Salsè interea hunc *Tartarum* ridet Lucianus, *περὶ Πένθους* sive Luctu: quem libellum omnino hic lege. nec non Lucretius loc. cit.

53. IMMERGENTQUE CAPUT TENEBRIS, LUCEMQUE TIMEBUNT.] Permanet in eàdem *ἀλληγορίᾳ*. Ad mentem Nostri facit Claudian. de Laud. Stilich. II. 109.

—— —— *Procul importuna fugantur*
Numina, monstriferis quae Tartarus edidit antris.

Neque aliter, lib. II. in Ruffin. sub finem, quem ad horrendas damnatum tenebras relégat:

—— —— —— *Agitate flagellis*
Trans Styga, trans Erebum: vacuo mandate barathro,
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos; quà Ditis opaci
Fundamenta latent, praeceps ubi mersus anhelat.

Eò nempè demergendam jam esse bellorum tabiem vult Calpurnius. Quoad phrasin, dixit Virg. Georg. III. 422. quamvis in re non simili:

—— —— *Timidum caput abdidit alto.*

IMMERGENT] Ergò propriè; respectu profundissimae illius damnatorum voraginis, quò monstra praecipitantur. Boëthius, Consol. Metr. II. egregiâ *μελοποιΐᾳ*:

Heu! quàm praecipiti mersa profundo
Mens hebet, & propriâ luce relictâ
Tendit in externas ire tenebras!

Ad argumentum Nostri accedit Aristophanes, qui, quamvis Comicus, locum habet, in *Εἰρήνῃ*. ubi in profundissimum puteum Pax detrusa fuerat:

ΕΡ. Ὁ πόλεμος αὐτὴν ἐνέβαλ' εἰς ἄντρον βαθύ.
ΤΡ. Εἰς ποῖον; ΕΡ. Εἰς τουτὶ τὸ κάτω.

LUCEMQUE TIMEBUNT.] Lux enim malis inimica & invisa. Pulchrè id Prudent. Cathem. Hymn. II. 17.

Versuta fraus & callida
Amat tenebris obtegi. &c.

Quem locum expressit etiam G. Buchananus in Baptist. ubi chorus:

—— —— *Vitat lumina*
Ad furta qui se comparat:
Odit lucem sicarius
Sui furoris conscius.

Sed quis hunc non tractavit locum? Haec enim & Epicteti, & cujusvis saniotis Theologiae inter Gentiles, fuit sententia. Notandum hic, Poëtam ter variâsse eandem sententiam, (quod *ταυτολογίαν* ferè redolet) cùm deorum effata brevi sint pronuncianda stylo. Hanc ingenii luxuriantis copiam carpit in Nasone Seneca Controvers. lib. IV. c. 27. *Habet hoc vitium: sententias suas repetendo corrumpit.* Mox Hecubae examinat verba de Achillis umbrâ, Polyxenam sibi immolandam ad tumulum suum deposcente (Metam. XIII. 503.) Quam tamen injuriam ingeniosissimo Poëtae illatam egregiè defendunt Viri docti, exemplis è Virgilio, ac praesertim Cicerone allatis: qui sententiarum *ἐξεργασίᾳ* mirificè orationem quandoque exornant, vel ipso praeeunte Homero, & Graecis, optimis benè dicendi magistris, *queis*, (juxta Horat. in Art.) *dedit ore rotundo Musa loqui.* Neque ipse abhorret Seneca.

CANDIDA PAX ADERIT] Proprium Pacis epitheton. Sic Naso in Amor.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Tibull. I. Eleg. II. 45.

—— —— *Pax candida primùm*
Duxit aratores sub juga curva boves.

In voce, *candida*, summa laus est. doctissimus Interpres ad illud Virg. Ecl. II. 46. (*tibi candida Naïs*,) *Candida*, inquit, *quia dea: nam dii umbris contrarii sunt, quas nigras esse constat.* Hinc Pax Euripidi in Orest. dicitur, *καλλίστη θεῶν*. Aristophan. in Pace, ubi chorus:

Ὦ σεμνοτάτη βασίλεια θεά,
Πότνι' Εἰρήνη. &c.

Intelligit ergò Pacem, non fucatam, sed sinceram. Ita *candidus*, pro aperto, ad animum saepè transfertur. Horat. I. Sat. 5.

Animae, quales neque candidiores Terra tulit

Quo loco Acron & Porphyrio videndi: Hunc *animi candorem* describit Cicero, Amicit. cap. XVIII. aliique. Sed haec Gnomologis relinquenda.

54 NON SOLUM CANDIDA VULTU] Non solum adblandiens specie externâ; sed, &c. P. Syrus in Mimijamb.

Virtutis vultus partem habet victoriae.

Sic Livius, *in adversis vultum secundae fortunae gerere. Vultus* enim ab animo non rarò differt: unde Poëta Aquinas, Satyr XIII. 76.

—— —— —— *Aspice quantâ*
Voce neget, quae sit ficti constantia vultus!

Hinc argutè admodum Tacit. Hist. IV. 8. *Novus princeps vultus quoque ac sermones omnium circumspectat. Vultus* quid sit, docet Nonius Marcellus: *Vultus* (inquit) *à volo, est voluntas, quae*

pro-

pro animi motu in facie ostenditur; qui hinc rectè *loquax* dicitur Nasoni, Amor. I. El.

Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem.

Differt ergò à facie; quae vocabula distinguuntur, ùt Graecis ὄψις, & πρόσωπον: quae prior dicitur Musaeo δολιχὰ καὶ πολύστροφος, *dolosa & versatilis*. Imò & accipitur pro externâ cujusvis rei figurâ Ovid. Met. I.

Unus erat toto Naturae vultus in orbe.

Et secundum historiam dixit. Simulata enim multoties & quasi πολυπρόσωπος inter Principes, quantumvis malos, & Senatum exstitit: ùt exemplis ex Herodiano & Hist. Aug. Scriptoribus liquet.

55. QUALIS SAEPE FUIT, QUAE LIBERA MARTE PROFESSO &c.] Nempè, *fuit*. quam repetitionem verbi omisit Poëta, ne ingrata foret auribus. Sensus hujus versûs, & duorum seqq. hîc est: *Quae (Pax) saepe quidem sine bello aperto fuit; sed quam (domitis licet externis hostibus) grassante principum saevitiâ, publica mox Discordia tacitis insidiis dissipavit.*

LIBERA MARTE PROFESSO] Id est, sine apertâ belli clarigatione, sive expers belli: vel, palam ac liberè, quasi justo bello grassata. *Bellum professum* ergò hîc notat, non clandestinum, sed apertum, ac publicè susceptum. Vim vocis expressit Livius III. 34. *Ille enim verò, quod bene vertat: habiturum se comitia professus.* &c.. Id est palam declaravit. Sic *professa odia*. Ovidio, Senecae Tragico, aliis: *paupertas professa*, id est palam suscepta vel cognita Appulejo. Sic eleganter Phaedr. IV. fab. 6. *Professae mortis audacem viam* dixit. Naso Met. V. 318. de Pieri filiâ, Musas palam provocante:

Tum, sine sorte, prior, quae se certare professa est,
Bella canit Superûm.

Statius, Sylv. I. 2.

Ergo dies aderat, Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellae Violantillaeque professus
Clamaretur Hymen.

Quid sit *nomen suum profiteri*, notum est; Legunt hîc quaedam Edd. *Marte profuso*, id est usquequaque diffuso bello, minùs rectè.

DOMITO PROCUL HOSTE] Externo nempe. *Hostis* enim apud Vett. idem dicebatur, qui nunc *peregrinus*: quaè notio tamen nunc obsolevit. Sanè ὅστις (unde ejus vocis origo) est Graecis, *quicunque*, *quisquis est*, quod vulgò usurpatur de peregrinis: Vide Chr. Becm. Orig. L. L.

QUAE] Lege omninò, QUAM, nempè *Pacem*: cum Cl. Barthio, ut cohaereat σύνταξις, & verborum contextus. Quod ad historiam, exemplo sit vel unus D. Aurelianus, quamvis princeps utilis Reip. qui, *hoste procul domito, tamen grassantibus armis* ac civili quodam odio in Senatum desaeviit. Ita enim Vopisc. in ejus Vit. cap. XXI. *Finito bello Marcomannico, Aurelianus, ùt erat natura ferocior, plenus irarum Romam petit, vindictae cup dus.* & seqq. Ubi plura saevitiae ejus, ipsâ in pace, argumenta. Hinc Eutropio, lib. IX. dicitur *Vir bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propensior.* Quamvis de hâc illius in Senatum saevitiâ nihil A. Victor & perpauca Zosimus. Quàm verò terribilis, devictis civilibus Imperii hostibus, Septimii Severi introitus in Urbem fuerit, docet Ael. Spartianus, cap. III. qui tamen & inter bonos principes, ac Reip. utiles, recensetur. Quid ergò de Commodo, Maximino, Caracallâ, Heliogabalo, Philippo, aliisque id genus portentis, statuendum? qui non occulta, sed professa, in Senatum odia, ad instar Caligulae ac Neronis exercuere?

GRASSANTIBUS ARMIS] Eleganter in re simili Florus, III. 21. de Syllae ac Marii tempp. *Mox atrocius, & cruentius per totius viscera Senatûs grassante victoria, ultimum non civicam modo sed & hostilem quoque rabiem supergressum est . . . eò usque odiis saevientibus, donec deessent, qui occiderentur.* Sic idem, lib. I. cap. 7. *grassari caedibus.* Neque aliter ferè Livius in Histor. Sallustius, ac Classici Auctores utuntur hâc voce, nisi de caedibus, passim ac impunè commissis. Ita Justin. XVI. 4. *de Senatu in populum grassante.* Hinc *grassator* praesertim pro hoste civili; Lucan. Pharf. VI. de Sexto Pompejo:

——— ——— *Exul grassatus in undis*
Polluit aequoreos Siculus pirata triumphos.

Quid proprie *grassator* sit, docet Sueton. Aug. XXXII. qui *ex consuetudine licentiaque bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam exstiterant. Grassatorum plurimi palam se ferebant, succincti ferro.* &c. Sed locum vide.

57. PUBLICA DIFFUDIT TACITO DISCORDIA FERRO] *Publica Discordia*, hîc videtur Cl. Vlitio accus. plur. à *discordium*; atque explicat: *Pax diffugit* (non diffudit) id est *destituit Resp. intestinis armis discordes.* Sanè sensu minùs congruo. Meritò praeterea damnat Barthius illud *to discordium*, quod Viri docti hîc intrudunt, ùt illatinum ac barbarum.

TACITO FERRO] Insidiis: quas *tacitas discordias* vocat Lampridius. Statius Theb. II. utramque vocem conjungit:

Legatum insidiis, tacitoque invadere ferro
Sustinet.

Ita

Ita solebant Principes Romani. Zosimus de Aureliano (cui tamen favet) lib. I. 51. Ἐν τούτῳ ϗ τὰ περὶ τὴν Ῥώμην ἐταράχθη, τινῶν ἀπὸ τῆς γερουσίας, ὡς ἐπιβουλὴν κατὰ τοῦ βασιλέως κατασκευασάντων εἰς εὐθύνας ἀχθέντων, ϗ θανάτῳ ζημιωθέντων. Ubi, tanquam insidiarum in Principem participes, quosdam Senatores accusatos ac morti damnatos esse, commemorat. Mali verò Principes non insidiis in Senatum, neque *tacito*, sed aperto strictoque *ferro* grassati sunt: quorum exhibebit exempla Tacitus in Histor. Suetonius in Caligulâ, Nerone, aliis. Graphicè ad hanc rem Vopiscus, in Aurel. cap. XLII. postquam optimos enarrâsset Impp. subdit: *Quae series malorum? ut enim omittam Vitellios, Caligulas, & Nerones, quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam inconditae multitudinis faecem?* Ne de Commodi Imp. insidiis in Senatum, de Bassiani Caracallae crudelitate, atque ejusmodi portentorum saevitiâ in Senatum (apud Herodianum, atque Hist. Aug. Scriptores) dixerim; fertur D. Aurelianus hujus fuisse crudelitatis, ut plerisque Senatoribus simulatam ingereret factionem (ad exemplum Tiberii aliorumque) quò facilius eos posset occidere, ut è Vopisco, superiùs citato, liquet.

DIFFUDIT] Disjecit, disturbavit pacem. *Discordia enim ordinum est venenum civitatis*, ùt Livius, III. 67. Unde elegantissimè Poëta:

——— ——— & scissâ gaudens Discordia pallâ.

58. OMNE PROCUL VITIUM SIMULATAE CEDERE PACIS JUSSIT] Clementia, nempe Principis; cujus effectum egregiè describit.

VITIUM PACIS] Dixit περιφραστικῶς, pro ipsâ pace simulatâ: quam eleganter *Pacis imaginem* dixit Tacitus, Ann. I. Idem Annal. XIII. 38. *Cùm, positis loricis & galeis, in faciem pacis veniretur.* Similiter Lucanus, lib. II. de Caesare:

——— ——— ——— Tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum.

Livius II. 21. *Triennio deinde nec certa pax, nec bellum fuit*, & ibid. cap. 48. *Ex eo tempore neque pax, neque bellum fuit.* Huc facit Ciceronis locus, ad Famil. XI. Epist. 18. *qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum Reip. indiceret?* Idem lib. XII. Epist. 10. *Hic ex pace & victoriâ bellum excitavit.* De ejusmodi *simulatâ pace* inter Caesarem & Pompejum, aliosque Urbis principes, nota sunt, quae dictant Historiae, atque ex professo Appianus de Bell. Civ. Quare patheticè Lucanus Pharf. II. 171.

Omnia Syllanae lustrâsse cadavera pacis.

Quò respexit & Flor. III. 21. Graphicè hinc etiam Horat. Carm. II. Od. I. civilium bellorum *causas, & vitia & modos*, depingens, addit *graves Principum amicitias, & arma. Civilis* enim *discordiae* causa dominandi libido, ac nimia plerumque felicitas. Ita etiam *pacis simulatione* deceptos quandoque Principes, docet Justinus Hist. XXXV. II. & alibi. Eleganter Livius lib. II. cap. 9. dixit: *cum servitute pacem accipere.*

59. ET INSANOS CLEMENTIA CONDIDIT ENSES.] *Insanos*, ob caedes nempe Principum in Senatores admissas, simili epitheto Silius, Punic. IX. 314. de gladio:

——— Insanus dextrâ qua ducitur ensis.

Hinc ad bellum transfertur: *Insani Martis in armis*, ut Virg. Aen. VII. & Statius Theb. X.

——— ——— Insanis Capaneus metuendus in armis.

Principum enim *saevitia bellum est*, ùt rectè Seneca. Summa itaque Principi virtus est *Clementia.* Imò, novum *imperium incheantibus utilis est clementiae fama*, juxta Taciti effatum, Hist. IV. 62. Egregiè ergò idem Seneca de Clement. lib. I. cap. 5. *Est clementia quidem omnibus hominibus, secundum naturam, maximè tamen decora Imperantibus.* & cap. 9. *Clementia principes non tantum honestiores, sed & tutiores praestat, ornamentumque imperiorum est, simulque certissima salus.* & seqq. Ubi multa de hâc Virtute. Vide & Ciceronem de Offic. lib. I. *Nihil magno & praeclaro viro dignius quam Clementia:* quae inter civiles discordias in nullo magis quam J. Caesare enituit, cujus mentio crebra in Orat. Ciceronis pro Marcello, Ligar. aliis. Sed ne in Politicorum campos digrediamur, adi Gnomologos, tam Graecos quàm Latinos, quorum exempla suppeditabit J. Lipsius Politic. lib. II. cap. 12, 13. M. Aurelius Imp. Epistol. lib. III. Horol. Princip. cap. 9. & seqq. ac Plinii Nep. Panegyr. in Trajan. Ad Nostri dictionem accedit Claudiani de Laud. Stilich. II luculentissima descriptio: & quae pulcherrima habet de Mall. Consul. vs. 166. &c. ubi per προσωποποιΐαν Justitia:

Nonne vides, ùt nostra soror Clementia tristes
Obtundat gladios: fractis ut lugeat armis
Perfidia? &c.

Optimè igitur, Senec. Trag. (sive quis alius) Octav.

Caede abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, saeculo pacem suo,
Haec summa virtus, hâc petitur coelum viâ.

Vide & Valer. Max. lib. V. c. I. de Clement.

CONDIDIT] Abscondidit. Phaedr. V. fab. 2. *Nunc conde ferrum.* sed nota phrasis.

Procul dubio haec in laudem Cari Aug. ingessit, in quo clementiae signum illud exstitit, quod de Carini filii moribus apud Praefectum

suum literis questus fuerit; imò saepius exclamaverit, *Non est meus? adeoque in animo habuerit, ut Carino Caesareum abrogaret imperium:* ut de eo Vopiscus cap. VII. De Caesare etiam Flor. IV. 2. *Reliqua pax incruenta, pensatumque clementiâ bellum* &c. Secus quam Marianis tempp. *ubi strictis in mediâ pace gladii.* ut idem lib. III. 21. cui conferas Lucan. Pharf. lib. II.

60. NULLA CATENATI FERALIS POMPA SENATUS, &c.] Graphicè haec, & supra majestatem carminis Bucolici: Invidiosè ergò dixit, quasi de *captivo Senatu* sub malis Principibus, amissâ jam post Tiberium libertate. Estque egregia translatio. Allusit enim Poëta ad *pompam* funebrem seu exequialem Romanorum; de quâ Lucanus, Pharf. VIII respectu Pompeji:

Praeferat ut veteres feralis pompa triumphos.

vide & doctissimum Poëtam Aen IX. de Pallantis funere. *Pompa* enim, vox usitata hâc in re. Ovid. Met. XIII. 700. *Cineri materno ducere pompam.* & Met. XIV. de Iphis funere: *quâ flebilis ibat Pompa.* quem locum omnem vide. Eâdem usus est voce Propert. II. Eleg 10. licet in re aliâ:

Sat mihi, sat magna est feralis pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona fero.

Et benè *feralis* id est funesta, exitialis. *Mortem enim Antiquos absolutè *Feram* dixisse constat: unde Flor. III. 22. de proscriptione Sertorii, *feralis tabellae* meminit. Elegans est locus (quoad θεωρίαν) in Justin. Hist. XIV. 4. de exercitu Eumenem tradente: *Sequitur exercitus, prodito Imperatore suo, & ipse captivus, triumphumque de se ipso ad victoris sui castra ducens, omnia, ne quid deesset pompae, unâ secum tradens.* Similiter de Aureliani triumpho Vopiscus (ad cujus tempora quàm proximè accessit Calpurnius) cap. XXXIV. *Jam P. R. & omnis exercitus, & Senatus, etsi aliquanto tristior, quod Senatores triumphari videret, multum pompae addiderunt.* Ferales verò caedes Tyrannorum in Senatum quantae fuerint, quis recenseat? Herodianum consule lib. III cap 26. de Sept. Severo, lib. IV. cap. II. de Antonino Caracallâ. lib. VII. cap. 7. de Maximino Thrace: & alibi.

CATENATI] Non aliter de Syllanis tempp. Florus, III. 21. *Nihil nisi dirissimae proscriptiones, carceres, catenae, exilia, fugae, per totius viscera Senatûs grassante victoriâ.* Huic illud simile Lucani, Pharf. VII.

Caesareas spectate cruces, spectate catenas.

& paulò post: *sparsumque Senatus Corpus.* &c. Confer & Justini locum, lib. XVI. cap. 5. *Victor tyrannus captivos Senatores in triumphi modum per ora civium* (catenatos nempe) *trahit . . . alios vincit, alios terquet, alios occidit.* Alludit Noster ad morem consuetum. ut enim in *pompâ exequiali* funera deduci solebant, ita & damnatos ad supplicium in catenis è carcere ad supplicium circumducere moris erat. Vel ad *pompam triumphalem, in quâ captivos ac catenatos* circumducebant hostium duces. Claudian. Bell. Getic. 293. de Româ triumphante:

Colla catenati vidit squallentia Cimbri.

Sub Mario Cos. Horat. de Cleopatrâ: *duceret ut catenis Fatale monstrum:* & Epod. VII. 8. *Britannus ut descenderet Sacrâ catenatus viâ.* Sed res notissima est.

61. CARNIFICUM LASSABIT OPUS] Similis locus Flori III. 21. de Syllanis tempp. *Baebium atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum . . . . propositа est ingens illa tabula, & ex ipsâ Equestris ordinis ac Senatûs II. millia electi, qui mori juberentur.* Quae frequens Ciceronis quoque querela est in Epist. ad Famil. de *Syllani temporis acerbitate.* Flor. iterum III. 21. *Sic de Senatu, quasi de carcere qui jugularentur, educti.* Vide & Tacit. Ann. VI. 19, 29. IV. 68, 70. sub Tiberio. tantus sub eo *metus carnificis.* Sed in propiora aevo suo tempora (ut diximus) mentem intendit Poëta. Ergo unius Maximini Thracis exemplum videsis apud J. Capitolinum, cap. XIII. de cujus crudelitate inquit: *quod Consulares, & Senatorii ordinis viros, & duces multos interemerit, alios Scythicis vehiculis, quasi ad pompam feralem, coram se puniendos, alios in custodiâ detineret, nihil denique praetermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari.* &c. De his, quamvis alio sensu Lucret. III. vs. 1032.

Carcer, carnifices, robur, pix, lamina, taedae,
Verbera. &c.

NEC, CARCERE PLENO, INFELIX RAROS NUMERABIT CURIA PATRES] Misera haec fuit R. Senatus conditio sub tyrannis, quam vaticinatur non amplius adsuturam Reip. Eâdem tamen, post Diocletianum, Aug. etiam Maxentium in Senatum saeviisse crudelitate queritur Prudentius, lib. I. contr. Symm. 490. & seqq.

Ipse Senatorum meminit clarissimus ordo;
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vastâ,
Complexusque pedes Victoris:

Constantini M. nempe, qui tyrannum praelio devicerat. nec non vs. 469. per προσωποποιΐαν ad Romam:

Quum te pestiferâ premeret Maxentius aulâ,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Ut scis ipsa, Patres. &c.

Haec verò post Calpurnium. Ut etiam illa, quae habet Claudianus in Eutrop. I. 176. *Laetéque tumescunt Serviles animae: Procerum squalore re-*

repletus Carcer. Ante ejus aetatem similia ferè saevitiae in Senatorii ordinis viros sub Impp. etiam non pessimis. De Septimio Severo Spartianus, in ejus vitâ: *Occidit sine causae dictione hos nobiles, M. Secundum, A. Claudianum* &c. . . . . . *Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum (nam multi de his Consulares, multi Praetorii, omnes certè summi Viri fuêre) interfector.* &c. Quâ crudelitate in Senatum saevierit Commodus, docent Herodianus, ac Lampridius; cui etiam *saevior Domitiano, impurior Nerone*, dicitur. De Antonino Caracallâ, qui saepe in Senatum invectus, se Syllam alterum ostendit, vide Spartianum. De Heliogabalo vide Lampridium. Quamvis haec non insueta Suetonium, ac Tacitum legentibus: qui etiam de Agricolâ, cap. XLV. *Non vidit obsessam Curiam, & clausum armis Senatum, & eâdem strage tot Consularium caedes*: sub Domitiano nempe. Imo & liberâ Rep. longè ante Marianam acerbitatem Livius, lib. III. cap. 67. in Oratione Quinctii Cos. *ubi curiam circumsederitis, & forum infestum feceritis, & carcerem impleveritis,* &c. agitatâ nempe assiduis ferè ac Tribuniciis seditionibus civitate. quarum mentio frequentissima in Livio. sic lib. II. cap. 24 *duas ex unâ civitate discordia fecerat.* RAROS ergò PATRES rectè dixit, ob frequentes Senatorum caedes & exilia. *Rari*, pro pauci. Virg. Aen. I. 122.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Juven. Sat. XIII. *Rari quippe boni.* Sic & sing. num. Martial. VIII. Epigr. 8.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

sic:

——— ——— *rarus venit in coenacula miles.*

ût Juven. Sat. X. Lucan. I. 27.

Rarus & antiquis habitator in urbibus errat.

Quantopere verò Senatûs auctoritas eviluerit primò apud Caesares, deinde Imperatores, nota res ex Historiis. quamvis non defuerint boni Principes, penes quos Senatus in pretio fuit: de quâ re consule Plinii Panegyr. Traj. dictum. Similem fere Nostro locum habet Livius, III. 38. de X virorum impotenti dominatione: *Patrum haud ferè quisquam in foro, in urbe rari erant: indignitate rerum cesserant in agros.* & seqq. Lucan. Pharf. III.

——— ——— *Non Consule sacrae*
Fulserunt sedes; non, proxima sede potestas,
Praetor adest: vacuaeque loco cessere Curules.
Omnia Caesar erat.

Similes offendas in Claudiano querelas,

63. PLENA QUIES ADERIT] Lucan. Ph. I.

——— ——— *Pax alta per omnes*
Et tranquilla quies populos.

Confer Senec. Trag. in choro Thyest.

Alta pax urbi revocata laetae est.
Opprimit ferrum, manibusque vinclis
Ducit ad pacem pietas negantes.

Allusum ad aram Pacis; cui, ût Concordiae, Clementiae, aliisque virtutibus aras fuisse dedicatas, notissimum. Idem cum Nostro epitheton habet Claudianus in Panegyr. *Concordia fratrum Plena redit.* ad quem locum rectè C. Barthius, *plena* id est absolutâ, perfecta.

63. QUAE STRICTI NESCIA FERRI, &c.] Respicit Nasonis locum Met. I. fab. 3. sub Saturno:

Non galeae non ensis erat: sine militis usu
Mollia securae peragebant otia gentes.

Quae ex Hesiodo Ἔργ. καὶ ἡμερ. 226.

Εἰρήνη δ᾽ ἀνὰ γῆν κουροτρόφος, οὐδέ ποτ᾽ αὐτοῖς
Ἀργαλέον πόλεμον τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς.

Quietem hanc agricolis praesertim exoptandam, majestate plusquam comicâ depingit Aristophan. in Pace:

——— ——— *Τοὺς γεωργοὺς ἀπιέναι*
Τὰ γεωργικὰ σκεύη λαβόντας ἐς ἀγρὸν,
Ὡς τάχιστ᾽, ἄνευ δορατίου, καὶ ξίφους, κἀκοντίου,
Ὡς ἅπαντ᾽ ἤδη ᾽στι μεστὰ τ᾽ ἀνθάδ᾽ Εἰρήνης σαπρῆς,
Ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα.

Cujusmodi pulcherrima ibidem saepius invenias. Sed vide jam supra Pacis *ἱλάσιον*, ad vs. 42. Significat ergo Poëta, jam sub Caro Imp. stabilitam planè esse pacem: quamvis *Resp., post diversitatem malorum, post Aurelianum vehementem principem, (Probo ex sententiâ Senatûs & Pop. leges & gubernacula temperante) aliquantò securior, sublato tali Principe, in eam desperationem venerit, ut timerent omnes Domitianos, Vitellios, ac Nerones.* & seqq. ut in prooemio Vitae Cari Aug. non sine judicio Vopiscus. Nihil tamen S. P. Q. R. à Caro periculi fuit, quamvis ab Exercitu esset constitutus Imperator: qui mos jam à caede Pertinacis, (qui post Commodum imperavit) jam ferè apud milites invaluerat: quò & notissimi versus Ausonii de Caes. in Pertinacem,

Helvi, judicio & consulto lecte Senatus
Princeps.

&c. respiciunt. Interea Cari encomium habes apud Nostrum Eclog. IV. (cui titulus CAESAR) quam operae pretium erit, cum hâc ipsâ conferre; Eclog. V. sub nomine MYCONIS, per quem *ἀλληγορικῶς* ipsum Imperatorem *ὡς τὸν ποιμένα λαῶν*, intelligit; nec non obiter Eclog. postremâ, cui titulus TEMPLUM: quibus adjunge Nemesiani Prooemium in Cyneget à vs. 63. & seqq. Ejusdem Eclog. I. quae MELIBOEI, id est ipsius Cari, *Ἀποθέωσιν* continet. Ad cujus aevi felicitatem fortasse & ejusdem Eclog. III.,

sub nomine BACCHI, alludit. Haec obiter, ne quis suspicetur nihil hic, nisi Bucolica, contineri.

64. Altera Saturni revocet Latialia regna.] Ex decoro Faunus *Saturni* mentionem injicit. De cujus aureo aevo nota sunt figmenta: quocirca Orpheus in Hymnis, ejus nomini adscriptis, ait, *primum regnum in terris obtinuisse Saturnum.* Sic est: quid enim antiquius Tempore? Sed Justinus, Hist. XLIII. 1. *tantae illum in Italiâ, inter Aborigines, Justitiae fuisse* tradit, *ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatae rei habuerit.* Vide & Servium ad Aen. VIII. 324. & Eclog. IV. (*Redeunt Saturnia regna.*) *Nihil mirum, si ob hanc justitiam principes dii in Latio habiti fuerint Saturnus & Ops, iidem qui in Aegypto Serapis & Isis* &c. Ut ait Varro L. L. IV. Dionysius Halicarn. 1. 3. *ex Italiae bonitate, ac prae caeteris Europae regionibus fertilitate, censet exortam esse fabulam inter illius regionis incolas, Saturnum, ante Jovis* (id est tyrannorum) *imperium in his terris regnâsse, & decantatum illud vitae genus, rebus omnibus,* (*quas* IV. *Anni tempora producunt*) *abundans, apud nullos magis quam ipsos floruisse.* Et, post Italiae encomium, *non mirum esse* inquit, *si Antiqui regionem illam Saturno sacram esse putârint, quòd hunc deum omnis humanae felicitatis datorem ac consummatorem existimârunt: sive is* ΧΡΟΝΟΣ *id est, Tempus, sive* ΚΡΟΝΟΣ *est appellatus.* Quid de Saturno senserit Romulus, vide apud eundem lib. 1. Hinc Proclus Philosophus (referente Coel Augusto) homines sub *Saturno* inquit vixisse vitam καθαρὰν, καὶ ἄλυπον, καὶ ἀπαθῆ. Macrobius, qui ab ipso Saturnaliorum libb. inscripsit, lib. 1. cap. 7. *Regni ejus tempora felicissima dixit, cùm propter rerum copiam, tum etiam quod nondum quisquam servitio vel libertate discriminabatur,* & seqq. Fusè de eo A. Victor (aut si quis alius Auctor) de Orig. G. Rom. cap. III. Ovid. Fast. 1. alii. ipse apud Lucianum Dialog. Deor. de se: οὐδεὶς ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν. &c. Latinis ergò in pretio fuit, nec non Romanis, qui *Saturnalium* festa ipsi accepta referebant; de quorum origine Livius II. 21. *A. Sempronio & M. Minutio Coss. aedes Saturno dedicata: Saturnalia, institutus festus dies.* Longè diversam de *Saturno* statuit sententiam Diodorus Sicul. lib. III. cap. 61. IV. 5. VI. 15. qui crudelitatis eum & avaritiae insimulat. Cui sententiae ferè subscribunt Ecclesiae Patres, ad unum omnes: qui ejus vitam ex Euemeri Hist. Sacrâ, ab Ennio è Graeco versâ, meritò exagitârunt. Neque admodum favet Plutarchus, qui proinde stellam ejus exitialem esse pronunciat, lib. περὶ Σιλλ. quomodo & sacra ejus per Orientem meritò invisa ob ἀνθρωποθυσίαν fuisse constat. Nulla tamen ratio, cur, ob hanc felicitatis opinionem, ejus historiam (ùt Li eruditissimis Viris jam pridem visum fuit) ex Noachi historiâ post Diluvium, à Gentilibus adumbratam fuisse dicamus. Rusticae vitae simplicitatem sub illo in Italiâ viguisse, ac quam maximè floruisse, verisimile est; unde *aureum* illi attribuere *saeculum.* Neque abludit Cicero, Orat. pro Rosc. *Vita haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est,* Idem in Car. Major. *Tanta usque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio ac sapientiâ praediti, ad instruendam vitam formandosque mores, aliquid conferrent* (*quod eorum parentes atque originem ignorabant*) *Coelo & Terrâ editos non solùm ipsi crederent, verùm etiam posteris affirmarent: velut hunc ipsum Saturnum, quem Coeli & Terrae filium esse dixerunt*: quae verba a Lactantio, Minucio Felice in Octav. & Auctore Orig. Rom. transscripta sunt. Agriculturam itaque docuisse Saturnum in Latio ad rem ostendit Aur. Victor. lib. cit. cap. III. Neque alia videtur Hesiodo sententia in Theogen qui & latè in laudes ejus excurrit, lib. 1. de Agricult. 112.

Οἳ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν,
Ὥς τε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες.
& seqq.

Unde & ipse *aureus* Maroni dicitur, Georg II. 538. sub finem; ubi, de Italiae ac vitae rusticae laudibus:

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Quod etiam ex junioribus (nam *cui non dictus Hylas?*) egregiè depinxit Marcell. Palingenius Zod. Vitae, in Geminis.

Latialia regna] Appositè addidit, ùt Saturno quondam regnata. Dicta est enim illa Italiae pars (in quâ, Roma caput orbis) *Latium*, in quam, regnante Jano profugum, è Cretâ appulisse Saturnum omnium calculo constat. *Certum enim est, priorem in Italiam devenisse Janum, ab eoque postea hospitio exceptum fuisse Saturnum*: ùt Macrob. loc. cit. quae de Eano sive Jano ad Solem, ex Gentil. Theologiâ referri possent, qui certè tempore prior. Sed haec Mythologorum filiis excutienda relinquimus: Multa interea de Saturno Janus habet apud Ovid. Fast. 1. cui conferas Maron. Aen. VIII. Opinionem itaque illorum sequitur Calpurnius, qui *Latium* à *latendo* dictam esse volunt. Inter quos (ne de Poëtis dixerim) & Herodianus, qui in Commod. lib. 1. cap. 49. à Graecâ voce λαθεῖν derivat: Φασὶ γὰρ αὐτὸν καὶ Κρόνον ὑπὸ Διὸς ἐκβληθέντα τῆς ἀρχῆς, κατελθόντα εἰς γῆν γενέσθαι ξένον· καὶ παρ' αὐ-

αὐτῷ κεκρυμμένον λαθεῖν· ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα δοθῆναι τῷ χώρῳ τῆς Ἰταλίας, Λάτιον ὀνομασθῆναι. Eadem fere (habet) Euemerus in Hist. Sacr. *Jupiter fugavit Saturnum . . . . qui vix in Italiâ locum, in quo lateret, invenit.* Unde sua passim hausere Patres; & quis non Veti. Christianorum contra Gentiles? hominem fuisse *Saturnum* liquido demonstrantes; *qui, ùt Graeculus & politus, Cretâ profugus, Italiam metu filii accesserat . . . . atque latebram suam, quòd tuto latuisset, vocari maluit Latium*: ùt eleganti latinitate Minucii Felicis Octavius; ad verba Euandri Aen. VIII. 321 (*Latiumque vocari Maluit.* &c.) manifestò alludens. Quod etymon etiam prosequitur ex ipsius Saturni personâ Prudentius contr. Symm. lib I. vs. 48. & seqq. & meritò ridet in *περὶ στεφ.* Hymno Rom. Martyris illo luculentissimo: vs. 206.

Quid, aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat malum? &c.

Sed in Patrum campos digredi non est hujus loci; multò minùs ad refellendam eorum sententiam, qui (cum Porphyrio, atque Eusebio de Praepar. Euang. I.) ex Abrahamo, filium immolaturo, suum exsculpserunt *Saturnum*, ac *Ἰσοὺδ*, vel *Μονογενῆ*, &c. de quo Viri docti etiam ad Sulp. Severi Hist. Eccles. lib I. M. quidem Varro à *latendo* dictum putat *Latium*; sed ideo, *quòd Italia lateat inter juga Alpium & Apennini*; vel *à Latino rege*: vel *quòd ibi latuerint incolae in cavis montium latebris, sibi caventes à feris.* Quocirca *Cascos* olim dictos fuisse à cavendo, quos postea Aborigines vocârunt, censet Ennius, & Cato in Origin. qui etiam *Italiae regulum* fuisse refert, *à quo regio haec Saturnia olim dicta fuerit.* Ita quidem censent Varro & Ennius. At *Saturni* nomen ipsum originis esse Hebraicae contendunt Viri Literati, à סתר *absconditis* (Quare & Opem, sive Rheam, uxorem ejus, Latini *Latiam* dixere) Quod etymon si ad latentia primò semina & terrae fertilitatem referas, manifesta res erit, & *Saturno* conveniens. Intereà illum inter Dactylos Idaeos, seu Corybantes, è Cretâ oriundos, esse voluit Tacitus, Hist. V. 4. quod & Plutarchus tangit *περὶ Σιλλῶ.* cap. LVS. Hanc itaque sub Principe suo ejusque filiis, fertilitatem ac pacem Latio atque Italiae, ex decoro, vovet Poëta, secus quàm de Tiberio, inter alia Epigrammata jactatum fuit, ex Sueton. cap. LIX.

Aurea mutâsti Saturni tempora, Caesar;
Incolumi nam te, ferrea semper erunt.

65. Altera regna Numae,] Pacis nempe, & quietis plena. Unde figuatè Horat. I. Od. 12. eàdem comparatione:

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem?

Totis enim XLIII. annis, quibus praefuit *Numa*, nec bellum gessit, nec triumphavit: *neque tamen ejus per omne regni tempus, minor pacis quam regni tutela fuit*, ùt de eo Livius, I. 21. Luculentissimum de *Numae regno*, ac pietate exstat encomium apud Dionysium Halic. II. 7. quod operae pretium est conferre. De felicitate regni ejus Plutarch. in Numâ cap. XXXVI. *Agebantur per universam Italiam festi dies, tutoque invicem hospitia & convivia . . . . . Itaque poëtarum nimiae illae alioqui & veritatem superantes amplificationes tùm nimis parcae videbantur. In ferreis hic compedibus Mavors tenetur; Neque enim narratur bellum ullum, aut novandarum rerum studium, aut seditio in Rep. exstitisse, regnante Numâ*; & quae seqq. Cui consentit Auctor de Viris Illustribus. Eutropius, ùt solet, breviter: *Nullum quidem bellum gessit, sed non minus civitati profuit, quàm Romulus.* Ob quod pacis studium Maroni, Aen. VI. 808. *ramis insignis olivae*, Martiali & Claudiano, *Pacificus* rectè dicitur. Hinc & omnium scriptorum de illo elogia. Comparat ergo adulatione Cari Aug. imperium cum *Numae regno*: quod *ἰδιαίτερον* revera magis in Antoninum Pium competebat: ùt quem *δικαίως* inquit Capitolinus (in Ejus Vit. cap. II.) *cunctis fuisse laudabilem, & qui meritò Numae Pompilio, ex bonorum sententia, compararetur; Piusque à Senatu cognominatus sit* (ad quem locum vide Casaubonum) neque aliter cap. XIII. *salus omnium prepè principum prorsus sine civili sanguine & hostili vixit: & qui ritè comparetur Numae, cujus felicitatem, pietatemque, & securitatem caerimoniasque semper obtinuit.* Neque enim Cari imperium diuturnum, neque sine bello fuit.

Altera regna] Dixit minùs propriè, cum *τὸ alter* dicatur, non nisi de duobus inter se collatis. Poëticè tamen: ùt Maro Ecl. IV. in re simili:

Alter erit tum Tiphys, & altera quae vehat
Argo
Delectos heroas.

65. Qui primus, &c.] De eodem fusè Naso Fast. III. & Met. XV.

Primus oliviferis Romam deductus ab arvis
Pompilius. &c.

Similiter Ennius, Annal. I.

Mensas constituit, idemque ancilia primus:

Ubi tamen Viri docti malunt *menses*, respicientes Livium qui, lib. I. cap. 19. dixit: *Numa omnium primus ad cursum Lunae in XII menses, annum descripsit.* Vis praeterea quaedam latet in voce *primus*. Quasi omnium praecipuus. Sed vo-

cis hujus usum eâ notione jam observârunt Eruditi: de Aeneâ suo Virgilius:

Trojae qui primus ab oris. &c.

Ubi tamen vide Servium, aliosque Interpretes.

Pacis opus docuit] Ex decoro *Faunus pater* hic mentionem *Numae* injicit: ut qui (apud Ovid. Fast. III. . .) cum rege illo sermones ac consortium de ordinandâ Rep., praemonstrante Egeriâ, habuisse fingatur, quasi cum homine sibi cognito. Sed locum vide. Per *Pacis opus* ergo Noster praesertim Agriculturam, quae praecipue *in pace* viget, intelligere videtur. Hanc agri colendi rationem Romanos edocuisse Numam, Plutarchus testis est loc. cit. cap. XXX. *Agrorum quoque per terminos Descriptio tota ad Numam referenda est: plurimum enim agri Romulus bello paraverat:* & mox: *Nullum enim est studium, quod tam celebrem Pacis amorem hominibus insinuet, quàm victus agriculturâ parandus . . . . quamobrem agriculturam civibus suis, tanquam iis amoris peculum misceret, commendandam ratus, agros in partes divisit, quos pagos dixit,* &c. *divisit etiam artificia, ut suum peculiare corpus haberent, atque in unum corpus redegit, cuique generi suos conventus & religiones praescribens.* & seqq. Certissimum & illud, Peregrinos etiam, si quod inter eos bellum conflatum esset, Romanos ùt pacis arbitros elegisse; atque inimicitias suas, Numae arbitratu; dirimendas obtulisse: ùt de eo Dionysius, A Rom. lib. I. fusè prosequitur. Quo instituto & *Janum Geminum, fidem pacis ac belli*, colendum dedit, velut Flor. I. 2. Rectè itaque de illo Ovid. Met. XV. 482.

Conjuge qui felix nymphâ, ducibusque Camoenis,
Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Assuetam bello pacis traduxit ad artes.

Quibus verbis ferè iisdem Polyaenus, Stratag. VIII. 4. Νυμᾶς Ῥωμαίυς ἐκ πολέμυ καὶ φόνυ διαλλάξας μεθαρμόσασθαι εἰς εἰρήνην, &c. Confer & Lucianum in Macrobiis: ubi εὐδαιμονέστατος τῶν Ῥωμαίων βασιλέων, &c. dicitur. Meritò itaque Vopiscus in Caro: *quid deinde Numam loquar, qui frequentem bellis & gravidam triumphis civitatem religione munivit?* sub Probo Imp. certè adfuturum fuisse *Pacis opus*, si supervixisset, ipsius vox, qua *militibus brevi non opus fore* significabat, edocuit. Nam quid aliud ejus verba volunt, nisi: *Romanus miles erit nullus: secura Resp. orbis terrarum arma non fabricabit . . . boves habebuntur aratro, equus nascetur ad pacem, nulla bella, nulla captivitas; ubique Pax, ubique Rom. Leges, ubique judices.* Eadem ferè habet in Tacito Aug. cap. XII. Caeterum *Pacis opus* quis elegantius depinxit, quàm Aristophanes in Εἰρήνῃ, ubi chorus:

Ἀλλ' ὦ γεωργοὶ, κἄμποροι, καὶ τέκτονες,
Καὶ δημιουργοὶ, καὶ μέτοικοι, καὶ ξένοι,
Νῦν γὰρ ἡμῖν ἁρπάσαι πάρεστιν Ἀγαθοῦ
Δαίμονος.

Confer quae superiùs de Pace: ùt &, quae de Pacis praeconio ubivis depraedicant Poëtae.

66 Ovantia caede Agmina, romuleis et adhuc Ardentia castris] Romuli ac Numae ἀρίστεις pulcherrima. Bella enim à Romulo gesta respicit, quae omnino fuere quinque: Caeninense, anno U. IV. Sabinum, anno U. V. Cameriense, simul cum Fidenatensi, anno U. XVI. Vejentinum, anno U. XXI. de quibus singulis Livius, lib. I. cap. 10, 11, 14, 16. & fusè Dionysius R. Ant. II. cap. 5, 6. Adeo ut ejus regnum vix à bello cessaverit. Tres porrò de hoste victo triumphos in Urbem invexit: primum de Caeninensibus & Antemnatibus, alterum de Camerinis, tertium de Fidenatibus ac Vejentibus. Res nota ex Historiis. Respexisse tamen videtur Poëta hoc loco oblata de Acrone, Caeninensium rege, opima Jovi Feretrio, quae *ovationis* fuit species. Unde non malè *ovantia* dixit *agmina*. Triumphâsse tamen Romulum, cum exercitu, ac quadrigis, purpurâque indutum in Urbem invectum fuisse auctor est Dionysius loc. citat. & Propert. IV Eleg. I. Quod simpliciùs denarrant Livius, & Plutarchus in Romul. qui posterior cum lauro coronatum fuisse, inquit; additque (cap. XXVI.) hanc pompam initium atque exemplum triumphorum posterioris aevi exhibuisse. Utut, *Ovationi* propior tamen haec pompa fuit, quàm Triumpho; ducem peditem sequente in armis tantùm exercitu: cùm Tullus Hostilius omnium primus in Urbem equo invectus fuerit. Quid propriè *Triumphus & Ovatio* differant, docet Val. Maxim. II. 8. de Jure triumphandi, Dionysius v. 6. alii. ex junioribus Onuphr. Panvinus lib de Triumph. Sic Romani *ovantes & gratulantes Horatium excipiebant*, apud Livium, I. cap. 25. Qui hâc voce multoties utitur.

Adhuc ardentia] Vox propria, & militaris. Virg. Aen. I. 495. de Penthesileâ

——— ——— *Mediisque in millibus ardet*
Bellatrix.

Idem alibi:

——— ——— *Sese ingerit ardens*
Ascanius.

Hinc ipsi Marti tribuit *ardorem* Val. Flaccus, initio Argon. VI.

At vigil hisdem ardet furiis Gradivus, & acri
Corde tumet.

& lib. V. 670. *Ardens Mavors.* Unde etiam eleganter Ennius hanc vocem ad armorum fulgorem

rem transtulit, Annal. I.

—— —— —— —— *Hasteis*
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Quod imitatus & Maro: quo sensu etiam Lucanus Pharf. I. *Ardentes acies*, dixit. Intelligit, tamen Noster de ipso Romanorum in praeliis *ardore*: quae Vox frequens Livio & Tacito: sic Annal. I. 51. *Exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta.* Atque ita passim. Ita Floro dicitur *J. Caesar dux ardentissimus*, lib. IV. 2. Ad rem nostram faciunt ejusdem verba in Anaceph. lib. I. cap. 8. *Quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet regnum. Quid Numa religiosius? ita res poposcit, ut ferus populus Deorum metu mitigaretur.* De Romuli interea, ac Romulei exercitûs, ardore, bello Sabino, aliisque proeliis, referet Livius I. 12. Dionysius, I. 6. Plutarchus, in Romul. cap. XXXII. &c. Val. Maximus III. 2. Polyaenus, Stratagem. VIII. 3. alii. Quin & Romuli in bello felicitatem agnoscit, in Caro, Vopiscus.

ET ADHUC] Benè hoc addidit: in ipso enim bellorum apparatu ac victoriarum cursu, (postquam de Vejentibus jam triumphâsset) & improvisò sublatum esse *Romulum*, significat, cùm succederet *Numa*. Ob hanc ergò bellicae virtutis *ardorem* Marte genitus fingitur: adeo ut rectè Ennius, Ann. I.

—— —— *O Romule, Romule, dic, ô,*
Qualem te patriae custodem dii genuerunt?

68. JUSSITQUE SILENTIBUS ARMIS INTER SACRA TUBAS, NON INTER BELLA, SONARE] Rectè. Nullus enim armorum strepitus, regnante Numâ. Hine Jani templum in signum pacis perpetuos XLIII. annos clausum fuisse vulgò commemorant: de quo Livius Hist. I. 29. Dionys. Halic. II. & signatè Plutarch. cap. XXXVI. *Adeo omnes belli & armorum inferendi occasionem exstirpaverat.*

SILERE ARMA] Eleganti dicuntur μυθολογίᾳ. Senec. Trag. Thyest. vs. 574.

Jam minae saevi cecidere ferri,
Jam silet murmur grave classicorum:
Jam tacet stridor litui strepentis.
Alta pax urbi revocata laetae est.

Quò respexisse videtur Boëthius, Consol. Metr. V.

—— —— *Tunc classica saeva tacebant.* &c.

Audaciore τρόπῳ Statius Theb. VII. (ùt solet) de induciis:

—— —— *Dum castra silent, suspensaque bellum*
Horrescit pietas.

Idem *silendi* verbum ad pacem transtulit, Achilleid. II. 141. de Lycomedis aulâ:

—— —— *Tranquillâ sub pace silet.*

Ad Calpurnium tamen magis accedit Propert. IV. El. IV. vs. 77.

Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissa castra silere tuba.

Hinc Armorum strepitus in coelo auditus inter belli praesagia crebrò refert Livius in Hist. libb. atque, ex eo, Jul. Obsequens de Prodig. non semel. Quin & *arma concutere* belli signum erat: de quo ritu Lipsius de Mil. Rom. Dial. XI. XII. alii. Hinc *concussu & crepitu armorum exhortationes* factas fuisse, docet Alex. ab Alex. IV. 2. Marti itaque *Romulus*, Quirino Numa operam dedit: quae nomina vulgò confunduntur (quod tamen observat Flaccus IV. Od. 15. *Janum Quirini clausit) Mars enim, cùm saevit, Gradivus dicitur; cum tranquillus est Quirinus:* notante Servio ad Aen. I. 296. Contraria huic nostrae phrasis est Ciceronis, *Inter arma silent leges.*

INTER SACRA TUBAS.] Summam notat Reip. tranquillitatem in quâ Ludorum celebritati, non bellis, vacandum est. Caeterùm in omnibus ferè Ludis ac Spectaculis adhibitas fuisse *tubas*, aliaque instrumenta musica notissimum. Sed de Triumphis hic nihil attinet dicere, cùm de Numâ sermo fit. Inter ministros sacrorum quodammodo fuisse constat *Tubicines* (quamvis *Tubilustria*, bis quovis anno facta, huc non spectent) qui, dum sacra fierent, proximi Sacrorum Ministris & Camillis, Flamini ad sacrificia ministrantibus, adstabant, cum Citharoedis &c. Ad pompas & spectacula certè adhibiti, ac frequentes in theatris, *Aeneatores* fuere, qui iidem ac *Tubicines*. Sic enim Senec. Epist. LXXXV. (ubi de theatro loquitur) *omnes vias ordo canentium implevit, & cavea aeneatoribus cincta est.* Juvenal. Sat X. 213.

Quid refert, magni sedeat quâ parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus?

Hinc idem *Floralis tubae*, in Floralium Ludorum commissione, meminit, Sat. VI. cum Nasone in Fastis. Huc etiam apertè faciunt verba Plinii Secundi, lib. II. Epist. *Qui nunquam tubarum sonitum, nisi in Spectaculis audierunt.* De Graecorum Certaminibus ac Ludis nota phrasis est Ὀλυμπικὴ σάλπιγξ, ex Pindaro, aliis. Sed *Tubam* Tyrrhenorum inventum esse statuunt Auctores: Unde Athenaeus Deipnosoph. IV. ἡ σάλπιγξ Τυῤῥηνῶν ἐστὶ εὕρημα. &c. Isidor. Origin. XX. & Sil. Italic. V. 12. Imo Pisaeo Tyrrheno adscribit Plinius VII. 56. Quò apertè alludens Maro, Aen. VIII. 526.

Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.

Ubi Interpretes vide. In Graeciam hinc advectam fuisse primò *tubam Tyrrhenicam*, docet Scho-

Scholiastes ad Sophoclis Ajac. Flagellif. his verbis: πεζὸς δὲ Ἀγαλλιάνως, ἐγαλὴν εἰς Ἑλλάδας τὴν Τυρσηνικὴν σάλπιγγα: ut notat Interpres ad lib. 1. Onuph. Panvini de Lud. Circensib. Quid mirum ergo, si ad Sacra (quorum caerimonias ferè omnes ad religionem spectantes ab Etruscis in Urbem receperat Numa) iisdem auctoribus adhibita quoque fuerit ab eo *tuba*, & *Tubicines*? quorum ordines, cum caeteris, etiam descripsit: juxta Dionysium lib. II. & Plutarchum. In Oriente tamen, jam ante Etruscos, usitatum fuisse *tubarum* clangorem, satis constat: cùm *tubarum* etiam frequens mentio fit in S. S. Literis, & Joseph. Antiq. Judaic.

Non inter bella] Elegans αὔξησις. Proprius enim *tubarum* in bello usus. Et vera praedicat, si flamus à Dionysio Halic. IV. 2. qui *Tubicines* ad *bellum* elegisse Servium Tullum, non Numam regem, commemorat. In castris ergo ad *Tubicinis* cantum milites tantùm semet ipsos, ad Cornicinum verò, etiam signa movebant: ùt Romanarum Antiquitatum docent Antistites. Varius praeterea *tubarum* usus ipsâ in Urbe, quâ videlicet Tributa Comitia convocari solebant. &c. Facit ad mentem Calpurnii egregiè Ovid. Fast. I. 715. de Ludorum solemnibus ac Pace, sub Augusto:

Sola gerat miles, quibus arma coërceat, arma,
Canteturque fera, nil nisi pompa, tuba.

Et Paedo Albinovanus de Mecaen. Obit.

Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
Postquam victrices conticuere tubae.

Has ergò signatè, respectu Ludorum, *placidas* vocat Statius, Sylv. III. 130.

Jam placidae dant signa tubae; jam fortibus ardens
Fumat arena focis.

Quid ergò; si ad memorabiles illos Ludos & miranda Spectacula alludat Calpurnius, quae forte jam, antequam in Persas moveret, unà cum filiis suis Carus Imp. Romae daturus esset: de quibus Vopiscus in Carino, & Noster Eclogâ postremâ, mentionem faciunt, & in quibus *centum Salpistas uno crepitu concinentes*, &c. adhibuit: ad quem loc. magni Casauboni notas vide. Scilicet ut Carum & hâc in parte Numae compararet.

64. Jam nec adumbrati Faciem mercatus honoris, &c.] Illas honorum licitationes jam correxerant optimi Impp. (post Tyrannica videlicet superioris aevi tempora) D. Claudius, Aurelianus, Tacitus, Probus, & sub cujus imperio nunc Romani, Carus. Sub Commodo enim jam *primùm* XXV. *Coss: in unum annum lecti fuerant. Omniaque Cleander*, alterum referens, quasi sub Tiberio, Sejanum, *pecunia venditabat; ad cujus nutum quoque Libertini in Senatum atque Patricios electi*. Quod Lampridius de eo nec non Dio Cassius: ἐπώλησε βουλείας, στρατείας, ἐπιτροπείας, ἡγεμονίας, πάντα τὰ πράγματα. &c. De Helagabalo testatur idem Lamprid. cap. VI. *Vendidit & honores, & dignitates, & potestatem, tùm per se, tùm per servos libidinum ministros*. cui adde Herodian. lib. V. cap. 19. Reliqua supervacaneum est referre exempla, apud Aug. Hist. Scriptores passim sub malis Principibus obvia. Post Domitianum verò boni ferè Imperatores fuerant ad usque Commodum, sub quorum imperio nihil ejusmodi; Zosimum vide lib. I. catalogo Impp. post Domitianum: Ἐπιγένετο ἀνδρες ἀγαθοὶ τὴν ἡγεμονίαν διαδεξάμενοι, Νερούας τε, καὶ Τραϊανὸς, καὶ μετὰ τοῦτον Ἀδριανὸς, ὅ, τε εὐσεβὴς Ἀντωνῖνος . . . πολλὰ τῶν λελωβημένων ἐξῆλθεν διορθώσαντες . . . . Quin & ejusmodi Senatores eleganter dixit *Mercatores potestatum* Alexander Severus in Lamprid. cap. XLIX. Sed haec nova non erant ab aevo usque Tiberii: ùt ex Suetonio & Tacito liquet: qui posterior etiam sub Nerone *venditata esse munera & jus principis*, ait, Ann. XIV. 50. Imò, liberâ etiamnum Rep., *bonorum suffragia vendita* quandoque à P. R. arguit Juvenal. Sat. X. 78. alii. Petronius Satyr. *Venalis populus, venalis Curia*, &c. Lucan. Pharf. I. *Hinc rapti pretio fasces.* & seqq. Hinc de Eutropio Claudianus lib. I. 198. egregiè inquit:

——— ——— *Certa proponit merce locandum*
Institor imperii, caupo famosus honorum.

Adumbrati] Vani. nullius efficaciae magistratûs. Sic Ciceroni Tuscul. Quaest. *adumbratae imago gloriae*. id est imaginarii honoris species. Phrasin explicat idem Cicero, dum *rei expressae adumbratam* opponit. Tacit. Ann. IV. 13. *Nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta Imperatorum celebrentur:* & Curt. X. 3. apud quem Alexander: *Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari indecorum*. Lucretius hinc, *artis adumbratae laudem* dixit. Ad rem igitur Lucanus Pharf. III. de Libertatis facie sub tyrannis:

——— ——— *Cujus servaveris umbram,*
Si quicquid jubeare, facis.

Faciem] Τὸ σχῆμα, nudam speciem. Cicero: *In eo expressa est Senatus facies*. Tacit. XIII. 38. *In faciem pacis venire:* & Hist. II. 54. *Publici consilii facie discessum est*. Petronius Satyr. LXXX. de falsis Amicis, argutè, ut solet:

Vera redit facies, dissimulata perit.

Ita τὴν ὄψιν usurpat Herodian. VII. 13. ὡς ὄψιν καὶ τύχην ἔχειν ὀλίγοι, ὥσπερ ἐν εἰκόνι τῆς Ῥώμης. Sic Tiberius *simulacra quaedam libertatis Senatui* prae-

praebebat, apud Tacit. Ann. I. 77. Attamen non tam Tiberios, Cajos, Nerones, Domitianos respicit Noster, quàm illos Principes, qui in Libris, μξ Μαρκον βασιλείας, Ἱστορῶν (ùt suos inscripsit Herodianus) vitiis suis nobilitati sunt. *Speciem honoris*, quoque dixere Auctores Classici. Sueton. Tib. LXV. *per speciem honoris dimissi Sejanum.* Quomodo & Poëtae usurpant. Ovid. in Epist.

Non honor est, sed onus, species laesura ferentes.

70. NEC VACUOS TACITUS FASCES, ET INANE TRIBUNAL ACCIPIET CONSUL.] Ἐνεργεία quâdam, singula si attenderis. *Vacuos fasces* id est imperium plane cassum & nullius potestatis; ùt rectè explicat Barthius: cùm nempe species quaedam auctoritatis penes Coss. & Senatum, ipsa verò potestas penes Tyrannos fuerit. Hujusmodi *fasces* χωλαζοντας dicerent Graeci. Sic *vacuus & otiosus* conjungitur. Appulej. Miles. IX. *vacuis occupationibus*, dixit. Ita *vacuos occupatis* opponit Tacit. Hist. IV. 17. *Vacare imperio* est, carere. ut *vacas sapientia*, id est cares: de quâ constructione cum sexto casu vide L. Vall. Eleg. V. 85. Confer Ciceronis Epistolas ad Senatum lib. XV. ubi de imaginariâ Coss. potestate plurimùm conqueritur.

TACITUS] Id est tristis: qualis sub tyrannis subditorum ferè vultus. Ita de Caesaris adventu in Italiam Lucanus, Phars. III.

Non illum laetis redeuntem coetibus urbes,
Sed tacitae videre metu.

Idem lib. I. signatè:

Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.

Eâdem phrasi Statius, Theb. II. *tacite sub pectore.* Eleganter hunc procerum gestum expressit in te simili Phaedrus, V. fab. I.

—— —— —— Ipsi principes
Illam osculantur, quâ sunt oppressi, manum,
Tacitè gementes tristem fortunae vicem.

Curt. III. 12. de Darii matre, uxore, &c. *Nullo responso dato, tacitae opperiebantur Victoris arbitrium.* Ita etiam Graeci. Xenophon Cyropaed. I. Ἀπαγεις ϰ̀ συνδειπνοῦς ὤν σιωπῇ διῆγε. Vel TACITUS, id est sine ullo suffragio: quo sensu Cicero, Epist. Famil. V. 9. *Dicere forsan, quoe sentias, non licet: tacere planè licet. Omnia enim delata ad unum sunt*, nempe J. Caesarem, quem, post necem ejus, tyrannum ferè vocat. Vide & ejusdem Philippic. Oration. II.

ET INANE TRIBUNAL] Ita *vacuus*, *inani* plerumque jungitur. Lucan. IS. Bell. Phars.

—— —— Frustra leges & inania jura
Caesar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque Justitio tristi fora. &c.

Idem lib V. *Et nomen inane Imperii.* Porrò TRIBUNAL propriè Suggestus Tribuni, jus dicturi tribubus (Graecis δικαστήριον, βῆμα) vel solium, in quo sella curulis eburnea, summi Magistratus insigne, collocata. Insignis est Taciti locus, Ann. XIII. 4. de Nerone, formam futuri principatus describente: *teneret antiqua Senatus; Consulum tribunalibus Italia, & publ. Provinciae assisterent. Nec defuit fides: multaque arbitrio Senatus constituta sunt.* Ante Consulum *tribunal*, ipso in Senatu, gravissimas lites, vel sub Nerone, dijudicatas fuisse, testis est idem Tacitus, Ann. XVI. 30. Quantam prae se tulerit majestatem *Consul* pro *Tribunali* sedens, docet Livius, XLV. 29. Restitutam hanc Senatui ferò auctoritatem sub Tacito Imp. & sequentibus, docent Histor. Aug. Scriptores.

CONSUL] Rectè. Dicebant enim Jus in sellâ curuli Summi Magistratus: cùm Minoribus non, nisi in subselliis, causam cognoscere tantum, non pronunciare, liceret. Itaque *medium cum Augusto inter duos Coss. in tribunali consedisse Tiberium, adstante Senatu*, auctor est Suetonius in Tib. cap. XVII. Hinc etiam, respectu sellae curulis, *sedere pro tribunali*, dixit Suetonius Vespas. cap. VII. quod usitatum, sive in ipsâ Urbe, sive in Provinciis. Quo tamen pretio habuerit Consulatum Heliogabalus, ejusque similes tyranni, docent verba Lampridii, in ejus Vit. *Omnia per Praefectum Urbanum Romae facta sunt, quasi Consul illic non esset.* Ita *Consulis menstrui* meminit Lucanus lib. V. In breve enim tempus, vel in senos, vel binos, vel etiam singulos menses, postea creati Coss. Quin & hoc sub Caesaribus quandoque factitatum, meminerunt Suetonius in Calig. Claud. Neron. & Tacitus Annal. XVII. de Othone Imp. Quae dolenda Reip. facies aliquantò jam meliore vultu effulserat. Idem tamen, de Eutropio Consule postea queritur Claudian. lib. I. 308.

—— —— Praebet miracula lictor
Consule nobilior.

71. SED LEGIBUS OMNE REDUCTIS JUS ADERIT] Auctoritatem, atque imperium pristinum habebit Senatus. *Jus* enim hìc *imperium* significat, ùt rectè hoc loco Barthius. Quae duo vocabula hinc Poëtis ferè συνώνυμα sunt; quod testimoniis non indiget. Unicum adde Lucretium lib. V. 1141.

Imperium sibi quum ac summatum quisque petebat:
Inde Magistratum partim docuere creare,
Juraque constituere, ut vellent legibus uti.

ubi fuse de principatu in terris agit. *Hinc jura populi* pro *imperio populi* apud Justin. V. 3. quod videlicet idem paulò antè imperium & remp.

vocaverat. Sic Cicero in Epist. multoties *jus* pro *imperio* usurpat. & Tacit. Ann. xv. 31. & Hist. ii. 40. *jus imperii* dixit: quamvis priori loco Viri docti malunt, *vis*. *Jus Honorarium* quid sit, docebit Imp. Instit. lib. i. Tit. 2. §. 7. eo *quod, qui honores gerunt id est Magistratus, auctoritatem huic juri dederunt*. *Jus* ergo respicit *publicum*, quod ex legibus, plebiscitis, Senatûsconsultis, decretis Principum, & auctoritate, seu responsis prudentum ac Jure-Consultorum dependet. Alioqui respectu subditorum *Jus* quadruplex erat, Romanum, Latium, Italicum, Provinciale, quorum alterum altero honestius: quod tamen non est hujus loci, cùm Magistratuum *jura*, respexisse tantum videtur Calpurnius. Specimen aliquod jam dederat Probus Imp. apud Vopiscum, cap. xiii. qui *Patribus permisit, ut ex majorum Judicum appellationibus ipsi cognoscerent: Legatos Consulibus, jus Praetorium Praesidibus darent, Leges, quas ipse ederet, Senatûsconsultis propriis ipsi Patres consecrarent*. Hunc Probum cum Carus exceperit, quis dubitet, ad hanc aequitatem allusisse Poëtam? & quidem ex Fauni persona, ùt qui in Latio & *leges* & Deorum cultum etiam instituisse fertur.

Legibus reductis] Ita de Justitiâ Claudianus in Ruff. i. quae,

—— —— Vitiis à stirpe recisis,
Elicit oppressas tenebroso è carcere Leges.

Atque ita Panegyristes ille multoties de Laud. Stilich. & alibi. Neque aliter Plinius Nepos de Trajano suo, qui post Domitianum, jam praeeunte Nervâ, *Leges reduxerat*. Non *tamen Leges* è Graeciâ xii. Tabb. (quas perlatas anno V. ccciii. suo etiamnum tempore *fontem omnis publici privatique Juris ac velati corpus omnis Rom. Juris* appellare non dubitavit Livius, lib. iii. 34.) respexisse adeò videtur, cùm de *Consulum ac Senatûs auctoritate* praesertim agat. Quidni eum in Leges de Coss. speciatim intendisse suspicer? quae omnino quatuor praecipuae fuere: ùt *Lex Junia*, quam, post exactos Reges; de creandis Coss. tulit Junius Brutus, anno V. ccxliii. *Lex Terentia*, ann. V. ccxci. de Imperio Coss. sed quae perlata non est. Lex *Sextia Licinia*, ann. V. ccclxxxvi. uti Consulum alter ex plebe crearetur: ac *Lex Genutia*, ann. V. cdxii. uti liceret ambos Coss. ex plebe creari. de quibus suo loco agunt Livius, & Dionysius Halicarn. Hinc & *Lex Consularis* apud Ciceronem; OLLIS SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Coss. enim liberâ Rep. tantae auctoritatis fuerunt, ut eos Sallustius *binos Imperatores* appellaverit. Unde in eo magistratu (quamvis mutatâ aliquando per seditiones Rep.) etiam sub Caesaribus, atque Imperatoribus (usque ad Imperii occasum, & captam à barbaris Romam) perseveratum est: ut ex Fastis Capitolinis, & Cassiodoro, liquet.

72. Moremque fori vultumque priorem reddet] Id est Pristinam Judiciorum formam restituet. de *Foris Romanis* hic nihil attinet dicere: & *forum* pro judicio usurpari, notissimum. Exempla in Cicerone passim obvia. Eadem phrasi dixit Statius, Sylv. i. 4.

Reddere jam foro, nec perturbare curules.

Quamvis sub Domitiano, minùs verè. de eodem tamen Idem, Sylv. iv. 3.

Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus & foro coronat.

Verius id tamen de Trajani sui imperio Plinius Sec. in Panegyr. *At tu, Caesar, quàm pulchrum nobis spectaculum, pro illo execrabili, dedisti! Vidimus delatorum judicium, quasi grassatorum, quasi latronum.* &c. *Auxerat hoc malum principum avaritia. Advertisti oculos, atque, ùt antè castris, ita postea pacem foro reddidisti: excidisti intestinum malum: & provida severitate cavisti, ne fundata legibus civitas eversa legibus videretur.* & seqq. Confer Sueton. in Aug. cap. xxvii. cum Horat. Epist. i lib. ii. & alibi de Aug. Quoad dictionem, Justin. xvii. 3. de Arrybâ rege: *Primus itaque leges, & Senatum, annuosque magistratus, & reip. formam composuit*: nec non Ennius: Annal. vii.

—— De parveis summeisque gerendeis
Consilio, endo foro late, sanctoque Senatu.

Reddet] Restituet. nota phrasis. Talem ferè Pertinax, post Commodum, reddiderat Judiciorum specimen: Ἐν αἰσίῳ τε καὶ μακαρίῳ βίῳ ἥ τε Σύγκλητος μάλιστα, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες βιώσαντες εὐδαιμονοῦ: ut Herodian. ii. 16. Idem lib. ii. cap. 17. Αὐτὸς ἐν τοῖς δικαστηρίοις, [illegible] καὶ [illegible] ἐπεδίκαζε. Talem Alexander Mammeae apud eundem constituit Remp. lib. vi. cap. 18. & apud Lampridium, cap. xvi. & alibi: *Leges de Jure populi & moderatas & infinitas sanxit, neque ullam Constitutionem sacravit sine XX. Juris peritis, inter quos praesertim Ulpianus, cujus consiliis Remp. rexit.* &c. Talem dederant Judiciorum formam M. Antoninus Philosophus, & Antoninus Pius, apud Capitolinum. Quid de Trajano, principe laudatissimo? qui ipse de se in Epist. ad Plinium Sec. *Invitos compellere, non est ex justitia nostrorum temporum* &c Cur & sui saeculi Romulus, & Numa, & Augustus dictus est. Quin etiam reverentiae in Senatum ac Leges Hadriani Caes. exstant exempla: in Ael. Spartiano. Sed exemplorum abundè est.

72. Et afflictum melior deus auferet aevum.]

AEVUM.] Secundum historiam dixit. Quantopere enim sub tyrannis afflicta fuerit Resp. brevi quadam tabella proponit Vopiscus in Caro, cap. III. *Romana res, quae bellis civilibus consenuerat, per Augustum deinde reparata est: si reparata dici possit, libertate amissa. Tamen utcunque (etiamsi domi tristis fuit) apud exteras Gentes effloruit. Passa deinceps tot Nerones, per Vespasianum caput extulit. Nec annis tempore Titi felicitate laetata, Domitiani vulnerata immanitate; per Nervam atque Trajanum usque ad Marcum solito melior, Commodi vecordia & crudelitate lacerata est. Nullum bonum post haec, praeter Severi diligentiam, ad Alexandrum Mammeae sensit leonum. Longum est, quae sequuntur, universa connectere. Uti enim principe Valeriano non potuit. Gallienum per XV. annos passa est. Invidit Claudio longinquitatem imperii amans varietatum fortuna:* (Decium ac Gordianos praetermisisse miror) *sic enim Aurelianus occisus est, sic Tacitus absumtus, sic Probus caesus est: ut appareret, nihil tam gratum esse Fortunae, quam ut ea, quae sunt in actis publicis, eventuum varietate mutentur.* Eundem vide in D. Aureliano, cap. XLII. *Ab Augusto in Diocletianum, Maximianumque, quae series purpuratorum sit, index publicus tenet. Sed in his optimus ipse Augustus, Fl. Vespasianus, Titus, Coccejus Nerva, divus Trajanus, divus Adrianus, Pius, & Marcus, ut & Severus Afer, Alexander Mammeae, divus Claudius, & divus Aurelianus. Valerianus enim, cum optimus fuerit, omnibus infelix apparuit:* quibus Decium quoque ac Tacitum addi posse, cum Gordianis, ipsa docet Augg series.

MELIOR DEUS] Itaque hic, est ipse Carus: vel Numen magis favens, seu potentius. Eô sensu Ovid. Met. I.

Hanc Deus, & litem melior Natura diremit.

Senec. Philos. Nat. Quaest. VII. 30. *Ipse Deus, qui condidit, qui hoc fundavit, majorque est pars operis sui, & melior.* Pulchrè Cicer. N. D. lib. III. *Is igitur, qui hoc efficere possit, quicquid id efficit, melior est.* Atque haec sanior Gentium Theologia. Ejusmodi *favens Numen*, sub nomine Διὸς Σωτῆρος (quem *Jovem Sospitatorem* dixêre Romani) colebatur etiam Graecis: ùt Pausanias in Corinth. Athenaeus Deipnosoph. XV. alii. *Melior* hîc ergo est ἀρείων, κρείττων. sic Homer. Iliad. IX. de Diis:

——— ——— ——— τῶν περ

Καὶ μείζων ἀρετὴ, τιμή τε, βίη τε.

Vel DEUS] Hic ponitur pro praesagio: quomodo in extis victimarum quandoque *felix praesagium* dicebatur *Deus*: ut in illo P. Statii, Theb. V. 176.

——— ——— *Spirat deus integer extis.*

Homer. Iliad. II. ἔργον, ὃ δὴ θεὸς ἐγγυαλίξῃ. Sed vide supra.

AUFERET.] Praeter adulationem Vett. in Augustum, eadem postea, pluribus locis, adumbrârunt Poetae tempp. suorum felicitatem. Ita de Laud. Stilich. II. 203.

Sub tot principibus, quaecumque amisimus olim,
Tu reddis. Solo poterit Stilichone movente
Cresc.ere Romanum vulnus necdum cicatrix.

Afflictum Imp. Rom. aevum sub Honorio habes apud eundem per προσωποποιΐαν Romae graphicè depictum, Bell. Gildon. à vs. 17. ad 127. cui itidem *meliora* apprecatur. Eademque ferè habet Prudentius contr. Symm. lib. II. ubi de Maxentii tyrannide ac restitutâ per Constantinum M. Republica pulchrè disputat.

74. EXULTET QUAECUNQUE NOTUM GENS IMA JACENTEM &c.] Omnes sub Imperio Rom. populos ad laetitiam exhortatur. Eadem phrasi Claudian. in Eutrop. II. quamvis in re dissimili:

——— ——— *Exsultant meritò gentes.*

Exsultare est gaudere; ùt Serv. ad Aen. X. 643. Unde *gaudio exsultare* frequenter conjungunt Auctores. ùt, *exsultare laetitia*, dixit Cicero: Idem in Epist. Famil. plus semel, *gaudio exsilui*, propriè dixit. Ita sanè Interpres ad Lucan. Pharf. IV. 672. *Exsultatio est gestus significatio, cum quis incedit omnibus laetitiis. Britannorum copiae exsultabant*, Tacit. Ann. XIV. 34. *Exsultare victoria*, Justin. I. 8. Phrasin planè depinxit, Idem lib. XVIII. cap. 7. *Ausus es, ista purpura & auro ornatus moesta ac lugentia castra, circumfluentibus laetae felicitatis insignibus, velut exsultabundus, intrare? nusquamne te aliis jactare potuisti?* Externo igitur gestu constat magis, quam interiore animi motu. Exempla passim obvia. Sed Graeci quoque frequenter conjungunt, χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε, *Gaudete & exsultate*. Cum judicio ergò hanc vocem elegit, ut rusticorum magis propriam: quomodò & Longus, Pastoral. II. Φιλητᾶς ἐσκίρτησε, φιλεῖ τι σκιρτῆσαι. Rectè, *πηδᾶν enim, salio, salto*. à πέδον, *solum, terra*: juxta illud Horat.

Nunc pede libero pulsanda tellus.

NOTUM JACENTEM,] Sanè Libyae gentes intelligit, quae, ad Austrum porrectae, depressiorem (respectu populorum ad Septentrionem) habitantes terram, quasi *jacentem incolebant Notum*. Ita etiam signatè Libye *Notia*, *Australis*, dicitur Dionys. περιηγ.

Οἳ καὶ Λιβύης Νοτίης ἐπὶ πείρατα βαίνεις.

Africae Romanorum temporibus quatuor erant praecipuae partes, Mauritania, Numidia, Libya, & Cyrenaïca, in latitudinem à freto Gaditano ad Nili Catabathmum usque extensae: qua-

quarum depressior, ad Austrum vergens, Libye, quae Aegypto contermina: unde P. Mela Geogr. I. 8. *Catabathmum, qui Africam finit, vallem esse devexam in Aegyptum*, dixit. Cui consentit Plinius, v. 5. neque aliter Sallustius, B. Jug. XIX. qui Africae ab ortu solis *declivem* tribuit *latitudinem*. Hinc Ennius in Fragm.

Et latei campei, quos Africa terra, &c.

Id est patentes, depressi: quo pacto & Justin. II. I. Aegypto *humillimum solum*, & Flaccus, I. Od. 37. *latentes oras* tribuit. Quemadmodum & Amm. Marcellinus, XXII. 16. *Libyco littori pandas oras, & patulas; montium nullis speculis vel collium signis*, attribuit.

Jacere ergo dicuntur terrae, respectu montium: sic Brutus Epist. ad Cicer. *Locus iacet inter Apenninum & Alpes*. Atque ita passim. Tacit. Hist. I. 86. *Tiberis, prorupto ponte sublicio, non modò jacentia & plana Urbis loca, sed secura hujusmodi casuum* (id est altiora) *quoque implevit*. Statius Theb. II. vs. 503. apposite:

——— ——— Subter campi, devexaque latè
Arva jacent spatiis.

Si autem ad Ventum ipsum respexeris, *jacens* erit, leniter spirans, relatione ad *erectum Boream*, qui vehementior. *Jacent* enim flamina; *cùm fessae ventis cecidere vires*: ut Senec. Trag. vel, ùt Maro, *cùm venti posuere minas*.

Gens ima] Dicitur, quasi infima, remotissima, ultimo loco posita: prout Virg. Ecl. x. 44. *Extremos Garamantas* dixit. Sic *imo sedere loco*, *infimis insistere subsellius* id est ultimis. Juxta opinionem Vett. loquutus est, qui in Cosmographiâ ultimo loco posuère Africam. Quomodo etiam Sallustius B. Jug. cap. XVII. *In divisione orbis terrae plerique in tertiâ parte Africam posuère: pauci tantummodo Asiam & Europam esse, sed Africam in Europâ*. Ad quae verba alludens Ausonius, Epist. XIX. vs. III. inquit:

Europamque Asiamque, duo vel maxima terrae
Membra, quibus Libyam dubiè Sallustius addit,
Europae adjunctam: possit quum tertia dici.

Quò etiam respicit Lucanus Pharf. IX.

Tertia pars rerum Libye, si credere famae
Concta velis: at si ventos coelumque sequaris
Pars erit Europae.

Ex hac opinione etiam Strabo, Geograph. XVII. Europae partem tantummodo, atque infimo loco posuit Libyam. Cui consentit Herodotus lib. IV. cap. 42. Θωϋμάζω ὦν τῶν διουρισάντων, καὶ διελόντων Λιβύην, καὶ Ἀσίην, καὶ Εὐρώπην· οὐ γὰρ σμικρὰ τὰ διαφέροντα αὐτέων ἐστί. & seqq. Sed vide omnino Geographos. *Imum* ergò id est postremum obtinebat locum Africa, quae tamen, respectu Romanorum, maximi erat momenti: adeo ut breviter Flor. II. 6. *proemium victoriae Africa fuit, & sequutus Africam statim terrarum orbis*.

75. Erectumque colit Boream.] Altiores ac magis surgentes Europae ad Septentrionem partes. *Erectus* enim est sublatus, altus. Sic, *erecto corpore*. Ovid. Met. I. *Et erectos ad sidera tollere vultus. Quid profuit altum Erexisse caput?* Claudian. Rapt. Prof. III. Regiones innuit Boreales, in Scythiam usque excurrentes; quae Rom. subjectae erant Imperio ad Tanain fl. Unde in Graeco Epigr. Ἄρκτος ἀερσίλοφος, *cervicem attollens* (quamvis poeticè) dicitur. Quantopere verò *erectae atque altiores* hae sub Arcto sint regiones, docet Justinus, II. I. *Porrò Scythiam adeo editiorem, omnibus terris esse, ut cuncta flumina ibi nata Maeotim, tunc deinde in Ponticum & Aegyptium mare decurrant*. &c. Eadem ratione & Poetarum princeps Georg. I. 240.

Mundus ùt ad Scythiam Riphaeasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyae devexus in Austros.

Vel ex sententiâ Vulgi (constat enim inter Mathematicos propriè in globo nullum esse alium alio editiorem locum) vel *quòd Circulus Boreus, sive Arcticus totus supra terram quasi erectus est, quem ideo Φανερὸς vocat Aratus: Notius verò, sive Antarcticus totus infra nostrum est Hemisphaerium; ideoque devexus*: notante Grammaticorum peritissimo ad h. locum. Ita etiam *Notum* & *Boream* opponit Lucan. Ph. VII.

Quicquid signiferi comprênsum vertice coeli
Sobque Notum, aut Boream.

Differentiam utriusque apertè notat, ratione Poetae Nostri, Manilius, Astron. IV.

——— ——— Niloque tumescent
In Cancrum, & tellus Aegypti, jussa natare:
Taurus habet Scythiae montes.

Legi possit etiam EVECTUM, respectu Circuli Arctici, qui Graecis ἀειφανὴς κύκλος dicitur, & juxta Poëtam *intactâ Circulus exstat humo*.

76. Quaecunque vel ortu, Vel patet occasu.] Notissima Poëtis formula. Naso, Metam. IV. 626.

Saepe sub occasus saepe est ablatus in ortus.

ùt & alibi: Statius, Sylv. III. 3.

——— ——— Neque enim dominos de plebe tulisti,
Sed quibus occasus pariter famulatur, & ortus.

Imò Ciceronis est saepe: *ab Ortu ad Occasum*, sed pleniùs phrasin extulit Ovid. in Fastis de Cerere:

Solis ab occasu, Solis quaerebat ad ortum.

Poëticè magis Senec. Trag. Hippol. ubi chorus:

Quae-

Quaeque nascentem videt ora Solem,
Quaeque ad Hesperias jacet ora metas.

Nec non Horat. IV. Od. 16. de Imperio Rom. quò etiam Noster intendit:

——— ——— *Et Imperî*
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Termini tamen Imperii sub Augusto erant *ab Oriente* Euphrates; à *Meridie* Nili cataractae, deserta Arabiae, & mons Atlas; *ab Occidente* Oceanus; à *Septentrione* Danubius & Rhenus. *His enim finibus quasi à Naturâ datis coercuit*; ùt de eo Tacit. Ann. I. & Suetonius in Ejus Vit. Ultra hos tamen terminos ac latiùs, quàm liberâ Rep., sub Caesaribus, ac Imperatoribus, propagatum est Imp. praesertim sub Trajano: adeo ut terminos tunc Romani statuerint *ab Ortu*, Mare Rubrum sive Indicum, & Caucasum montem, ultra Euphraten: *ab Occasu* ipsas Britannias; *à Meridie* Aethiopas superiores & Orientalem Oceanum: *à Septentrione* Tanain fl. & montes Riphaeos: velut disertè Appianus Alexandr. in Praefat. Quousque verò progressus sit Probus Imp. docet Vopisc. cap. I. utpote sub *cujus imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, omnesque orbis partes in securitatem redactae sint.* Verùm poëtica haec est ἐκφώνησις: qualis illa Xenophontis in Cyropaed. lib. I. Ἀπογράφει δὲ τεταῦτα φῦλα, ὥστι πρὸς Ἕω, ὥστι πρὸς Ἑσπέραν, ὥστι πρὸς Ἄρκτον, ὥστι πρὸς Μεσημβρίαν. Sed Carum etiam Euphraten fatalem Imperio Romano, transiisse postea, atque, Ctesiphontem urbem ingressum, Imperatoris Persici nomen meruisse, testes sunt Aur. Victor de Caes. cap. XXXVIII. Vopiscus in Car. Eutropius lib. IX. Olymp. Nemesianus Prooem. Cyneget. vs. 74 quamvis Numerianum Caes. adulatoriè hîc in partes vocat. Adeo tunc quoque priscos limites transgressi erant, de quibus Vet. Poëta, in Catalectis, cecinerat.

Euphrates Ortum, Rhenus recluserat Arcton,
Oceanus medium venit in imperium.

76. MEDIOQUE SUB AETHERE FERVET.] Aethiopiam intelligit, quam, ex mente Vett. sub Zonâ torridâ posuit: ùt Maro, Ecl. X. 68. *sub sidere Cancri* Ultimam terrarum vocat Herodotus, III, 114. Ἀποκλινομένης δὲ μεσημβρίης παρήκει πρὸς δύνοντα ἥλιον ἡ Αἰθιοπίη χώρη, ἐσχάτη τῶν οἰκεομένων. ùt & P. Mela II. 2. Quò alludit maximus Poëta, Aeneid. VI. 795. *Hanc tamen Romanorum arma, D. Augusti temporibus duce Petronio intrâsse*, auctor est Plinius, VI. 29. Ita, etiam Aethiopes Homero Odyss. I. *ultimi hominum* dicuntur, & *longè semoti*:

——— ——— Ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ᾽ ἀνιόντος.

Quam divisionem duplicis Aethiopiae, ex hôc Poetarum principe, etiam citat Strabo, Geogr. lib I.

MEDIO AETHERE] Itaque dixit poëticè: ad exemplum Lucani, Phars. II.

——— ——— *Calida medius mihi cognitus axis*
Aegypto, atque umbras nunquam flectente Syene.

Sanè per *medium aethera* intelligit illam coeli regionem, in quâ Vett. Zonam torridam, ita vulgò dictam, posuere. Manilius Astron. I.

Tertius in media coeli regione locatus
Ingenti spira totum praecingit Olympum,
Parte ab utrâque videns axem, quo limine Phoebus
Compenit paribus numeris noctemque diemque,
Veris & Autumni currens per tempora mixta,
Quum medium aequali distinguit limite coelum.

Definit itaque Plutarchus de Placit. Philos. III. 14. hanc coeli circulum *mediam esse terrae regionem, quae hac ipsa de causa Zonae torridae seu adustae nomine* dicitur. Intelligit tamen Noster incolas Libyae interioris, & Nubiae regni (quae pars Aethiopiae antiquae) & Garamantas; habitantes nempe inter Tropicum Cancri, & Aequatorem; quousque tantùm Africa Antiquis fuit cognita: unde Seneca Tragic. in Hippol. de hâc regione:

Quaeque ferventi subjecta Cancro est.

Omnes enim incolas intra Tropicum Cancri circulum degentes Vett. dixere *Aethiopas*: ùt auctor est Strabo Geogr. XVII. vide & P. Melam, de Sit. Orb. I. 4. Ulterius nihil cognitum fuisse, liquet ex Sallustio, B. Jug. XIX. *super Numidiam, Gaetuliam accepimus: post eos Aethiopas esse: deinde loca exusta ardoribus.* Hinc illa Maronis Aen. VI. 794.

——— ——— *super & Garamantas & Indos*
Proferet imperium, & seqq.

Poëticè itaque loquitur, cum Lucano, Phars. I.

Quàque dies medius flagrantibus aestuat horis.

Exsultare ergo omnes sub Imperio Rom. gentes, Principe Caro, ac Caes. Numeriano, jubet.

77. CERNITIS, UT PURO NOX JAM VICESIMA COELO FULGEAT!] Praesagium futurae felicitatis, plerumque coeli serenitas. quò alludit etiam Claudianus de IV. Consul. Honor. vs. 182. quem locum huic nostro confert Barthius:

Imperii lux illa fuit: praesagus obibat
Cuncta uter, risitque suo Natura sereno:
Visa etiam medio populis mirantibus audax,
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso

 Lan-

Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes.
Sic tua felices illustrant omnia flammas.

Et quae seqq. pulcherrima.

Cernitis?] Apposite dixit, ut attentionem moveret populis, formulâ Poetis usitatâ. Imò & vox *cernendi* Vatibus propria. Maro, Aen. vii. 68.

Continuò vates: Externum cernimus, inquit,
Adventare virum &c.

Et Aen. vi 87. de Sibyllâ vaticinante:

——— ——— *Bella, horrida bella,*
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Ubi Interpres: *quasi non solum praesciat, sed praevideat.* Sic Petronianus ille Eumolpus:

Cerno equidem gemino prostratos Marte Philippos.

Cernere enim singularem ἔμφασιν habet: unde frequenter Cicero, *cernere animo, mente.* Vide L. Valla Eleg. iii. 84. & Interpretem doctissimum ad Fr. Sanctii Minerv. lib. iv. de Homonym. alios. Ad rem faciunt Senecae verba, Nat. Quaest. vii. 1. *Si quid praeter consuetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus. Adeo naturale est magis nova, quàm magna mirari. Idem in Cometis fit.* & seqq. NOCTEM enim JAM VICESIMAM effulsisse ait, ex quâ Cometes primò conspectus fuerit, sine ullo praesagio cladis, aut terrore: qui tamen ex opinione Vett. ingentes motus ac dira quaedam regnis portendere credebatur. Atque hinc conjicere licet, sub initium principatus Cari devictis tamen Sarmatis, compositam hanc esse Calpurnii Aeclogam. Itaque de spatio, intra quod Cometes appareat, hic non disputandum. Alioqui Seneca N. Q. vii. 21. *Cometen vel senis mensibus durare,* ait: &, *ille, quem nos sub Neronis principatu vidimus, sex mensibus spectandum se praebuit.* Plinius, ii. 25. *Brevissimum, quo cernuntur, spatium vii dierum annotatum est: longissimum* lxxx In quo tamen falli eum, cum Veteribus, manifestum est, tum ratione Physicâ, tùm ipsâ Experientiâ. Diutiùs enim perdurant, si copiosiorem habeant materiem. Ultra vi. menses tamen raro visuntur. Varia de *Cometis* Vett. referunt Senec. N. Q. qui ex professo de his libb. vii. Aristotel. de Meteor. i. 6. Plutarch. de Placit. Philos. iii. 2. aliique Veterum. Illos tamen non nisi ad certum tempus apparere, compertum est.

Puro coelo] Vox de faustis Prodigiis usitata. Ita Jul. Obsequens, cap. cxxviii. *Sol puro ac sereno coelo,* &c. & sic saepe Livius in Hist. unde ille sua hausit. Vet. Poëta:

Laetificusque dies erat omnibus aethere puro.

Et Physicè loquutus est. *Locus enim Cometarum est suprema aeris regio: apparent in sublimi, & motu caeli circumaguntur, ubi coelum revera purum:* ut observat Seneca, l. cit. qui idem *illos quietissimo aere apparere,* ait: ubi Ventum in causâ non esse scintillationis, probat. Eadem Manilii est sententia, Astron. i.

Sive quod, ingenitum terrâ spirante vaporem,
Humidior sicca superatur spiritus aura,
Nubila quum longo cessent depulsa sereno. &c.

78. Ut placida radiantem luce cometen Proferat.] Diversos esse Cometarum colores, docent Physici, pro diverso habitu, seu vapore, quem attraxerint. Inter quos *Joviales* affirmant esse *lucidos, puros, & mirè candicantes: Venereos esse pulchros, magnos, candidos, nitidos.* Seneca lib. cit. 17. cap. *Multi variique sunt, dispares magnitudine, Cometae, dissimiles colore: aliis candor, & purum liquidumque lumen.* &c. Recte itaque

Fulgeat. Ita enim Plin. N. H. ii. 25. *Fit & candidus Cometes, argenteo crine, ita refulgens, ut vix contueri liceat.* Idemque Seneca: *Cometas non frequenter ostendit Natura . . . . sive amplitudinem eorum consideres, sive fulgorem.*

Radiantem quoque dixit Sibylla in Epigr. Graeco:

----- ----- *Πολλὰ μετ' ἄστρ', καὶ ἀκτίνεσσι κομήτην.*

79. Ut liquidum mittat sine vulnere sidus] *Καταχρηστικῶς Sidus* dixit. Distinguitur enim vulgò *Sidus* à *Cometa*. Jul. Obsequens de Prod. cap. cxvi. *Sidus ingens coelo demissum:* &c. ubi flammam, quae stellae similitudinem referebat, intelligi, verisimile est. Sic quoque Livius saepe

Sidus (vel, ùt alii, *Sydus*) ex σὺν & εἶδος, propriè signum, est, in quo aliquot stellae simul conspiciantur. Hinc apertè illos à *sideribus* distinguit Manilius, lib. cit.

Sive illas Natura faces ob juncta creavit
Sidera, per tenues coelo lucentia flammas.

Ad quaestionem itaque, *an aliquod proprium sidus sint Cometae, sicut Solis & Lunae,* respondet Senec. lib. cit. cap. xviii. *Si erraret Cometa, esset que sidus, intra Signiferi terminos moveretur, intra quos omne sidus cursus suos colligit . . . . Acies nostra non potest per medium Sidus exire, ut per illud superiora aspiciat: per Cometen autem non aliter, quàm per nubem, altiora cernuntur: ex quo apparet, illum non esse sidus.* Physicè ergo dixit, *liquidum* id est purum, perspicuum: ùt Maro, *liquidum ignem* dixit: quod hic observat Barthius. Vide Aristotel. de Meteor. lib. i Plin. ii. 22. Stella itaque est Cometes: quamvis etiam Lucanus, Ph. i. dixerit: *Crinemque timendi sideris:*

rit: & Silius, Punic. I. *Scintillat fidus.*

MITTAT] Emittat. Propriè de fulgore. Cicero de Nat. Deor. *Luna eam lucem, quam à Sole accepit, mittit in terras.*

Pro eo legunt quaedam Edd. *nictat*: quod eleganter quidem de Stellis dici possit, vel auctoritate Lucretii. &c. *Nictare* enim est quandoque, Scintillare, per metaph. ab oculis: at non observant prioris verbi *σωύταξιν*, quod subjunctivè effertur, cui non cohaeret Indicativus.

SINE VULNERE] Sive praesagio caedis, aut Imperii Rom. eversionis. Conjungit Juvenal. Sat. x. 112.

——— ——— *Sine caede & vulnere pauci*
Descendunt reges.

Sic etiam *vulnus* pro telo. Virg. Aen. III. 529. pro gladio, Aen. II. 529. Unde *vulnera dirigere*, idem Aen. x. 140. Ita *vulnus* pro clade, frequens Auctoribus: Justin. I 8. *Dissimulans quantum vulnus accepisset.* Alludere videtur ad Cometen, cui nomen ξιφίας, vel ξίφος, quia *gladii mucrone effigiem producit*: de quo J. Hyginus tab. CXCII. quae stella luctum portendit. Quales cometas Plinius II. 25. *in mucronem fastigiatos, & quedam gladii nitore, Xiphias* vocat.

80. NON PER UTRUMQUE POLUM] Vel ab Ortu in Occasum: vel magis propriè, à Septentrione in Austrum. Motus enim *Cometarum* (quamvis admodum sit varius) ex opinione Veterum Physicorum vulgò statuitur quadruplex. Primum statuunt ab Ortu in Occasum, secundum ab Occidente in Orientem, tertium nunc ad Septentrionem, nunc ad Meridiem: quartum verò ei motum assignant, quo videlicet sursum commeare, materià vel ex inferiori parte deficiente, vel deorsum, si eadem materies ex inferiori accrescit. Quem postremum motum hic innuere videtur. De diverso tamen motu, tum sub Claudio, tum Nerone, ita Seneca l. cit. cap. XXI. *Ille à Septentrione surgens Orientem petiit, semper obscurior: hic ab eadem parte coepit, sed in Occidentem tendens ad Meridiem flexit, & ibi se subduxit oculis.* Non ergo talis exstitit hic qualem describit Claudianus Bell. Getic. vs. 243.

Et nunquam terris spectatum impunè Cometen,
Qui, primùm roseo Phoebi prolatus ab Ortu,
Inde, Lycaonium paulatim expulsus in Arcton,
Cruce vago Getici foedavit sidera plaustri.

SICUT SOLET IGNE CRUENTO SPARGIT] Lege, cum Barthio, *Sese* (*ut solet*) *igne cruento Spargit*: ut Ἐναλλαγῆ figurâ non opus sit; quasi esset *Spargit*, pro *spargitur*, agendi verbo pro patiendi. à quâ figurâ tamen neque abhorrent Historici; ut Livius: *Ludus in artem verterat*, pro versus erat Sed ista Grammaticis.

IGNE CRUENTO] Sanguinei coloris. *Cometas* futurae cladis, aut calamitatis cujusdam esse praenuncios Vett. constans fuit opinio: qualis ille Claudiani de Rapt. Pros. II.

Praeceps sanguineo delabitur igne Cometes
Prodigiale rubens.

atque ille Maronis, Aen. x.

——— ——— *Nocte cometae*
Sanguinei lugubre rubent.

Quod eodem more effert Manilius, qui *Rubescentes ferali crine cometas* dixit. Ad opinionem Nostri quoque accedit Seneca: *Cruenti, minaces sunt, qui omen post se futuri sanguinis ferunt.* Ut etiam Plinius, lib. cit. cap. XXV. *κομήτας Graeci vocant, Nostri, Crinitas, horrentes crine sanguineo, & comarum modo in verticem hispidas.*

81. ET ARDENTI SCINTILLAT SANGUINE LAMPAS] Emphatica ejusdem rei repetitio. *Λαμπὰς*, quae fax Latinis (alio nomine dicta *Lampadias*) ex Cometarum genere est. Unde Plinius: *Lampadias, ardentes imitatur faces.* & Manilius, Astron. I. prope finem:

Lampadias fissus ramosos fundit in ignes. &c.

Quin & hanc etiam inter prognostica civilis belli inter Caes. & Pompej. observat Pharf. I. Lucanus:

——— ——— *Nunc sparso lumine Lampas*
Emicuit coelo.

cujus etiam Pharf. x. meminit.

SCINTILLAT] Vox propria. Silius Ital. Punic. I. 461.

Crine ut flammifero terret fera regna Cometes,
Sanguineum spargens ignem: vomit atra rubentes
Fax coelo radios, & saevâ luce coruscum
Scintillat fidus, terrisque extrema minatur.

Usus eadem voce Manilius:

——— ——— *Passimque volare videntur*
Cùm vaga per liquidum scintillans lumina mundum.

ARDENTI SANGUINE] Ad infamiam usque laborant Cometae apud Vett. quod regnorum eversiones, mutationes Rerump., famem, bella, caedes, portenderent. Unde notissimus Lucani versus:

——— ——— *Et terris mutantem regna cometen.*

Hinc etiam Silio, Punic. VIII. 683. *Regnorum eversor* dicitur. Imò & Historicis. Sueton. Neron. cap. XXXVI. *Stella crinita, quae summis potestatibus exitium vulgò portendere putatur.* &c. Tacit. Ann. XIV. 22. *Inter quae & sidus Cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat*: sub eodem Neronis principatu. Quò & ille D. Vespasiani jocus, de Partho-

thorum rege crinito pertinet, apud Sueton. Ejusmodi *cometen* vulgo quoque J. Obsequens *stellam crinitam* vocat, atque inter Prodigia commemorat. Sed vide, quae doctissimus Interpres ad Tibulli Eleg. II. lib. IV. annotaverit: *Cometas semper* (inquit) *grande aliquod malum portendere vetustissima est opinio: In promtu est exemplorum copia. Hodie tu omnia alia discedunt Sapientum scholae.* Quod enim nocere videantur, id non per se sed per accidens, evenit: cùm observatum sit de Cometis nonnullis, quos summa fertilitas, omniumque rerum affluentia ac foecunditas exceperit: adeo ut hinc rectè Seneca: *Rari cometae, & ob hoc mirabiles sunt.* &c. Neque de illis quicquam statuit Lucretius de R. N. Obtinuit tamen contra Philosophorum placita (qui inter Meteora, cum Plutarcho, eos statuunt) ille Veteris Poëtae Senarius, quem citat Suidas:

Οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Caeterum de Cometis quid sentiant Neoterici, non est hujus loci; cùm ex Vett. opinione loquatur Calpurnius. Neque ἐν τῷ ἐλλάσω ἀξιωματικῷ decet.

82. At quondam non talis erat, quum Caesare rapto, &c.] Non adeo illam respicere videtur *facem*, *quae* sub eo tempore ferè *coelo visa est ferri*: ùt J. Obsequens, cap. CXXVIII. & de quâ Dio lib. XLV. Λαμπὰς ἀπ' ἀνίσχοντος ἐν δίκη πρὸς δυσμὰς διῆξεν. Neque illam, quae post J. Caesaris Dictatoris necem, per dies VII. insignis arsit; de quâ idem Obsequens ex Livii Epitome, Dio Cassius, & praesertim Tranquillus, Jul. cap. LXXXVIII. utpote, *quae Ludis, quos primò consecratos ei haeres Augustus Caes. edebat, exorta est*: cujus etiam in Apotheosi D. Caesaris, Naso Met. XV. 845. & seqq. Maro in Daphnidis Apotheos. nec minùs Plinius, II. 25. meminit Haec enim stella laetissimum prae se ferebat Divinitatis omen, atque Caesaris anima, in coelos sublata, credita fuit. Sed illam innuit, quae Civilium bellorum praesagium, post D. Caesaris necem sub Octavio &c. extitit: de quâ latè Appianus Alexandr. B. Civ. lib. IV. & Plutarchus in Antonio. Cui conferas Virg. Georg. I. vs. 785. & Manil. Astron. I.

Civiles etiam motus, cognataque bella
Significant: nec plura alias incendia mundus
Sustinuit, quam quum ducibus jurata cruentis
Arma Philippeos implêrunt agmine campos. &c.

Et ipse Maro, Georg.

——— ——— *Nec diri toties arsere cometae.*

83. Indixit miseris fatalia civibus arma] Verbo Clarigationis usus est, & Rituali Fecialium, P. R. *quo denunciatur bellum professo hosti*: de quo more tamen hîc nihil attinet dicere, ut quem Livius, variis locis, praesertim lib. I. cap. 32. Dionysius Antiq. II. 8. Gellius, XVI. 4. Servius, ad Aeneid. IX. 53. & alii, descripsere. cujusque Formula haec erat: OB EAM REM EGO, POPVLVSQVE ROM. POPVLIS PRISCORVM LATINORVM . . . BELLVM INDICO FACIOQVE. Quod obiter hic quoque tangit Cl. Barthius.

Indixit] Ergo hic est, portendit, praesagiit. Similiter de Caes. & Pomp. Lucanus II. 14.

——— ——— *Leges & praescia rerum*
Foedera monstrifero vertit Natura tumultu,
Indixitque nefas.

Ad rem ergo facit Polydorus Vergilius de Prodig. lib. II *M. Antonio, & P. Dolabella Coss. stella crinita, quae à Graecis κομήτης vocatur, orta est; quum civile bellum inter Octavium, & ipsum Antonium exardere coepit*, anno ferè U., DCCIX. Quod ex P. Orosio videtur hausisse; qui lib. VI. cap. 17. *Nostra autem Roma, Caesare occiso, quanta de cineribus ejus agmina armata parturit? quanta bella, spectanda populis, excitavit? Inde exarserunt bella Civilia, inde iterum pullulârunt.* Breviter, de more, Eutropius, initio lib. VII. *Anno Urb.* DCC. *ferè ac* IX. *interfecto Caesare, bella civilia reparata sunt: percussoribus enim Caesaris Senatus favebat: Antonius Cos. partium Caesaris civili bello eos opprimere conabatur.* &c. Graphice Florus, IV. 3. *Imp. Romanum ad Caesares transferente Fortunâ, ... penitùs intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, terrestribus, ac navalibus bellis omne Imperii corpus agitatum est.* Adeo ut Vell. Paterculus, (quamvis in aliis ferè assentator) *non aliud bellum cruentius caede clarissimorum virorum fuisse*, profiteatur. Miserandam hanc Reip. faciem, etiam exhibet Appianus de B. Civ. lib. I. *Civiles discordiae redintegratae, quamvis interempto in Senatu J. Caesare, continuò in tantùm auctae sunt, ut caedes, exilia, proscriptiones plurimorum sequerentur, tam Senatorii quàm Equestris ordinis.* & seqq. Ciceronem vide in Epist. Famil. & ad Senatum datis.

Fatalia arma] Allusit fortè ad illud Lucani Pharf. X.

——— ——— *Ubi non civilia bella*
Invenit Imperii fatum miserabile nostri!

Sanè saeculum fere effluxerat, ex quo (quasi Fato quodam) *bella civilia* (praeter continuas ferè priorum temporum seditiones, ac Principum virorum inter se discordias) inter Syllam & Sulpitium, Octavium & Cinnam, Marium ac Syllam, Pompejum & Caesarem prima jam peracta fuerant: cùm, interfecto Dictatore (quem tyrannum vulgò dicit Cicero) denuò exarderet M. Anto-

tonii Bellum Mutinense, L. Antonii Perusinum, Sext. Pompeji Siculum, Cassii & Bruti Philippense, Octavii Caes. & M. Antonii Actiacum: quò tandem debellatum fuit: de quibus consule Historias; ac breviter Flor. IV. 5. 7. 8. &c. Adeo ut rectè de his ipsis temporibus, Epod. XXV. dixerit:

Altera jam teritur bellis civilibus aetas. & seqq.

84. Scilicet ipse deus] Ad institutum redit. Nam Carum Aug. hic intelligit, quem *Deum* frequenter dicit. Sanè Nummus illius exstat, cui Columna cum flammâ in peristylio inest, cum inscriptione: ΘΕω ΚΑΡω CEB. Sed haec jam superiùs. Neque mirum: ipsa enim VRBS, TERRARVM DEA GENTIVMQVE ROMA, audiit. Confer Nostrum praesertim Ecl. IV. cui nomen CAESAR. Sed frequens haec in Principes adulatio. Propert. IV. El. de Augusto:

Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos.

Neque Romanis tantum, verum & Orienti, & antiquissimis Graecis ea in Reges suos veneratio fuit; juxta illud Chilonis:

Εἶναι δ' βασιλεὺς 'ἐστ' ἔμψυχος ΘΕΟΣ.

85. Romanae pondera molis Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,] Simili adulatione Claudianus de Honor. & Stilich. Bell. Gildon. vs. 460.

——— ——— *Caput insuperabile rerum*
Aut ruet in vestris, aut stabit, Roma lacertis.

Atque ita ille passim. Alludit Noster ad fabulam; quâ, defesso Atlante, caelum humeris suis excepisse Herculem depraedicant Mythologi. Adi, si res tanti sit, Apollodorum (sive ejus Epitomisten) Biblioth. lib. III. Ovid. Met. IX. 199. Hercul. Oet. Senec. vs. 1242. alios. Si ad bellum transferas, excipiendum à Caro, ad rem faciet Macrobius, Saturn. III. II. qui *Herculem Martem esse apud Pontifices, vel ex Chaldaeorum disciplinâ*, ait.

Romanae pondera molis.] Ita Romani de suo Imperio. Ovid. Metam. XV. de Numâ rege, Romulum excipiente;

——— ——— *Quis tantae pondera molis*
Sustineat, tantoque queat succedere regi.

Claudianus de Theodos. M. de IV. Cons. Honor. vs. 60.

Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus jamjam ruitura subisset
Pondera, turbatamque ratem. &c.

Petronius in Specim. B. Civ. cap. CXX.

Ecquid Romano sentis te pondere victam,
Nec posse ulterius perituram tollere molem!

Quò & respexisse videtur princeps Poëta, Aen. I. vs. 282. Neque aliter, loquutus est Vell. Paterculus sub finem lib. II. *Quicquid Numinum hanc Rom. Imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit*, quo loco respexisse ille videtur finem Orat. Catilinariae I. & Ovid. Met. XV. sub finem. *Moles* ergo pulcherrimam habet translationem & ἐνέργειαν. Sic *tota moles regni*, nota Auctoribus est phrasis, praesertim Tacito, ac Floro. Caeterùm omnis Imperii Rom. moles quasi in tres partes divisa: prima ipsam Urbem & Italiam omnem; altera Legiones & exercitus; tertia Provincias extra Italiam complectebatur; ùt observat Dio Cassius, & tangit Sueton. Tiber. cap XXV. Vide omnino Lipsium de Magnitud. Rom. lib. I. qui quanta fuerit *Imperii moles*, prae caeteris, docebit.

Lacertis] Etiam metaphoricè dixit: ùt Flor. Prooem. lib. I. *Nisi quod Populus Rom. sub Trajano principe movet lacertos.* Ita Prudentius contr. Symm. II. 641. de eôdem illo Pop. suâ etiamnum aetate:

Nec tremulis, cùm bella movet, capit arma lacertis.

Propriè enim de viribus & robore corporis humani. Juvenalis Satyr. X. *de Milone Crotoniate:*

——— ——— ——— *Viribus ille*
Confisus periit, admirandisque lacertis.

Idem ille, *qui jam senior illacrymans aspexisse lacertos* dicitur Ciceroni in Cat. Majore. Hinc & agricolae *lacertosi* id est robusti, dicuntur Ovidio:

Duca lacertosi fodiebant arva coloni.

Sed ad rem. Quàm fortiter, sublato à militibus Probo, Imperium exceperit, docet Ejus de Sarmatis victoria, (cujus supra mentionem injecimus) quâ *intra paucissimos dies Pannonias securitate donaverit*, XVI. *M. Sarmatarum occiderit, captis* XX M. Sed de Persica ejus expeditione ac victoriâ videatur idem Vopisc. IX. Quin & Carinum fil. ad Gallias tutandas cum viris lectissimis destinavit: de cujus rebus gestis magnificè satis Nemesian. in Prooem. Cyneget. Adeo ut verè de Caro dici possit, quod de Catone Uticensi Lucanus Phars. IX. 24. qui

——— ——— *Patriam tutore carentem*
Excepit, populi trepidantia membra refecit.

Inconcussa] Id est stabilita, immota. vox aptissima. Tacit. Hist II. 6. *Proximo civili bello turbatis aliis, inconcussa ibi pax.* Lucan. Phars. II.

Inconcussa tenens dubio vestigia gressu.

Rectè itaque Claudian. de IV. Conf. Honor. 255. ad mores transtulit:

Hos igitur potuit si quis sedare tumultus,
Inconcussa dabit purae sacraria menti.

 Vim

Vim vocis alia voce explicuit Statius, Sylv. v. I. 142.

—— —— *Hilares incon assique penates.*

Sed Metaphoricè haec dicta sunt: quomodo & illud Horatii I. Od. 35. ad Fortunam de Imp. Romano:

Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam.

At verò quantopere percussa sit Res Romana sub vicesimum Diocletiani, qui Caro successit, annum, docent Historiae tum Profanae tum Ecclesiasticae.

86. Ut neque tralati sonitu fragor intonet orbis.] *Translatum* enim ferè fuerat Imperium R. ad barbaras gentes, praesertim ad Parthos; tum crebris irruptionibus, tum Valeriani Aug. captivitate, in ludibrium Romani nominis. Unde Treb. Pollio, Gallien. cap. II. *Capto Valeriano, nutabat Resp. nisi collecto exercitu rem Romanam propè in pristinam statum reddidisset Odenatus Palmyrenus.* Imò *translatam* ferè fuisset Imp. sub Gallieno ad Praefectos Provinciarum; *cùm alii alias obtinebant Provincias. Ille solus Romam cum parte Italiae.* Sed de miserandâ horum tempp. facie jam dixi superius; dum, *quasi conjuratione quâdam totius mundi concussae sunt* ORBIS ROM. *partes*: ut eleganter idem Pollio: donec sub D. Claudio, & seqq. Impp. restituta est quodammodo Resp. *Quocirca Aurelianus, ne unquam, quae sub Gallieno evenerant, acciderent, muris Urbem quam validissimis circumsepsit*; timens videlicet barbarorum in Italiam incursiones. ut, cum Zosimo, Vopiscus, & A. Victor de Caes. xxxv. Sed audi Eutropium lib. IX. *Alemanni, vastatis Galliis, in Italiam penetrârunt: Dacia, quae à Trajano ultra Danubium fuerat adjecta, amissa est. Aegyptus, Graecia, Macedonia, Pontus, Asia vastata per Gotthos. Pannonia à Sarmatis Quadisque populata est. Germani usque ad Hispanias penetrârunt. Parthi, Mesopotamiâ occupatâ, Syriam sibi coeperunt vindicare, jam desperatis rebus, & DELETO* IMPERIO ROM. &c.

Tralati ergo rectè dixit: quâ phrasi & Lucanus, Pharf. II. de Syllanis tempp. usus est, in re simili:

—— —— *Penè, caput mundi, Romana potestas*
Mutavit trâlata locum.

Sic *translaturum se Imperium* ad Samnites voverat Marius, apud Livium. Sallust. Catil. cap. II. *Ita imperium ad optimum quemque à minùs bono transfertur.* Nepos, Aristid. II. *Fuit aequitate factum est, ut summa imperii maritimi à Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses.* De Romanis ipsis Auctor Pervigilii vs. 68. respectu Veneris:

Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit.

Sic Curtius ferè lib. IV. cap. 14. *Ademtum Medis imperium in Persidem intulit Cyrus.* Quae *translata* terrarum Orbis *imperia* graphicè descripsit Lucan. Ph. I.

—— —— —— *Medus ademit*
Assyrio, Medique tulit moderamina Perses;
Subjecit Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis: victum Romanus possidet orbem.

87. Sonitu fragor intonet] Metaphoricè dixit de ruinâ Imperii: ut etiam Flaccus, Carm. II. Od. I.

—— —— *Auditumque Medis*
Hesperiae sonitum ruinae.

Ubi Interpres apposite: *considerat Italiam, ut magnum vastumque corpus, quod cadere nequit, quin ejus sonitus longè audiatur.* Non enim ulla figura gratior graviorque quàm ὑποτυπωσις. Idem Carm. I. Od. 34. eâdem translatione:

—— —— *Hinc apicem rapax*
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

Cum judicio itaque Noster tria conjunxit vocabula, quibus ferè in ruinis ac procellis describendis delectantur Auctores. Maro Aen. II. de turri impulsâ:

—— —— *ea lapsa repentè ruinam*
Cum sonitu trahit.

Ovid. in Fast.

Quod simùl eversum est, fragor aethera terruit ipsam,
Ictaque subsedit pondere molis humus.

Maro iterum, Aen. VIII.

—— —— *Vibratus ab aethere fulgor*
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repentè.

Senec. Trag. Troad.

Fragore vasto tonuit excelsum nemus.

Curtius IV. 3. *Ruere tabulata, & cum ingenti fragore secum milites trahere coeperant.* Idem, x. 8. *duae turres ingenti fragore prociderant* &c. Lucan. Pharf. I.

Aetheris impulsi sonitu, mundique fragore.

ùt & lib. VI.

—— —— —— *Sonitusque ruinae*
Securasque fragor concussit Caesaris aures.

Et iisdem penè verbis, ut Noster, Statius Theb. III. de tumultu:

—— —— *Fragor intonat ingens.*

Graphicè his usus est vocibus, ut solet, Lucretius VI. 110.

Succidere horrisono posse omnia victa fragore.

Quàm non contemnendus ergo Auctor sit Calpurnius, vel hinc liquet, si cum aliis conferas.

Intonet.] Latè sonitum edat. Vox frequens in

in tempestatibus. Ipse Boreas apud Ovid. Metam. vi.

——— ——— *Tanto molimine luctor,*
Ut medius nostris concussibus intonet orbis.

Val. Flaccus Argon ii. 365. in re eâdem:

——— ——— *Magnis cum fratribus Eurus*
Intonat Aegaeo.

Quomodo fere Horat. Epod. ii.

Eois intonata fluctibus Hyems.

89. NEC PRIUS EX MERITIS DEFUNCTOS ROMA PENATES CENSEAT.] Sensus est. neque Romani Deos Patrios promissis suis satisfecisse putent in proferendo Imp. nisi Orientis imperium se submiserit Italiae. Sic *defungi* absolutè pro rem aliquam ad finem perducere. Terent. Eunuch Prol. vs 15. *Defunctus jam sum.* Idem Phorm. v. 8. *Defungi in hâc re cupio.* Eodem sensu τὸ *defungi* usurpat Justin. i. 5. & alibi. Idem, pro explere, praestare, lib. ix. cap. 2. *Turpius parvo defungi, quàm totum abnuere.* Virg. Aen. ix. 98. de navibus Aeneae:

——— *Ubi defunctae finem portusque tenebant.*

Martial. iv. Epigr. 73. de Vestino:

Jam sibi defunctus, caris dum vivit amicis,

id est, dum sibi satisfecisset. Sed notio haec rarior. Per

PENATES intelligit Rom. Imperii Deos tutelares, ac Patrios. *Constat enim* (ùt habet Val. Maximus, i. 8.) *Penates deos Aeneam, Trojâ advectos, Lavinii collocâsse; inde ab Ascanio filio ejus Albam, quam ipse condiderat, trálatos, pristinum sacrarium repetisse: & quia id humanâ manu factum existimari poterat, relatos Albam voluntatem suam altero transitu significâsse.* Idem de simulacris Deorum Penatium Lavinii constitutis, in Pontificum Annalibus relatum esse denarrat A. Victor de Gent. Rom. Orig. cap. xvi. Fusius de iis Dionysius Halic. Antiq. i. 7. Τούτους μὲν οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, &c. id est, *Hos verò Deos Romani* PENATES *vocant; sed quia vocabulum illud Graeco sermone quidam volunt interpretari, partim* Πατρῴους, *partim* Γενεθλίους *appellant: sunt etiam, qui* Κτησίους, *alii* Μυχίους, *alii* Ἑρκίους *nuncupant. . . . Romae templum monstratur non procul à foro sub Veliâ, non magnum & obscurum; in quo positae sunt Trojanorum deorum Imagines, cum inscriptione* ΔΕΝΑΤΕΣ, *quod* PENATES *significat . . . sunt autem hae Imagines duo Juvenes cum hastis* &c. Haec quidem Dionysii est sententia: & Sacra, quae è Phrygiâ Aeneas in Italiam transtulit, censer fuisse Magnorum Deorum Simulacra, quos, inter Graecos, Samothraces praesertim colebant. Idem visum fuit Maroni Aen. iii. vs. ii. ubi ipse Aeneas:

——— ——— *Feror exul in altum*
Cum sociis, natoque, Penatibus, & Magnis diis.

Ad quem locum Servium vide. Et, *Sanè* (inquit Macrob. Sat. iii. 4.) *Varro refert Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam delatos, Aeneam ex Trojâ in Italiam detulisse:* quas Lavinii oppido, in Latio stirpis Rom. praecipuè cultos fuisse, ait. Maxima itaque inter Auctores discrepantia est, num etiam Κάβειροι (quibus nomen ex Hebraicâ est origine quique Graecis Θεοὶ μεγάλοι, χρηστοί, δυνατοί, *Divi Potes ac Magni* Latinis dicuntur) sint Romanorum *Penates*, quos Aeneas in Italiam devexit: ut vult Servius ad Aen. ii. 325. qui *Dardanum ex Samothraciâ eos in Trojam detulisse* ait. Mihi secus videtur: diversos enim *Deos Samothracum* à *Penatibus* esse censeo: distinguit ipse doctissimus Poëta *Sacra* Trojanorum à *Penatibus*. vers. cit. Sed de his disputare non est hujus loci: Vulgatissima ergo fert opinio, duos tantum fuisse (quos Διοσκούρους id est Jovis filios, Castorem & Pollucem, faciunt) quorum effigies hastata fuit, ac sedens: ut diserte Dionysius loc. cit. Εἰσὶ Νεανίαι δύο καθήμενοι, δόρατα διειληφότες. Quo habitu & in Numm. Antiq. & apud Mythographos crebrò occurrunt. Quin etiam *Penates deos Hastatas esse imagines, & in regiâ positas* fuisse, ait Servius: quod à doctissimo Tob. Gutberletho de Myst. Deor. Cabir. cap. ii. rectè exponitur per *Hastatas statuas*. Et *Hastas* antiquitus, pro sceptro, (quasi signum imperii apud Homerum) *Deorum simulacris adjectas fuisse ob religionem*, ex Justino (seu Trogo Pompeio) lib. xliii. jam observârunt Adv. Turneb. Advers. xxii. 12. aliique Viri docti: unde & σκηπτοῦχοι βασιλεῖς, id est *hastati reges*, dicuntur. Varro quoque *Magnos Deos* affirmat *simulacra duo virilia fuisse, Castoris & Pollucis, in Samothraciâ ante portum sita.* atqui id non evincit Romanorum fuisse *Penates* quamvis Cassius Hemina, antiquus Scriptor, Gellio in N. A. citatus, *Samothracas Deos* eosdem cum Rom. *Penatibus* esse censeat. Multò minùs audiendi sunt, qui illos *Apollinem* & *Neptunum* fuisse dicant quòd virili sint habitu; eo quod à partibus Trojanorum illos stetisse auctor est Homerus, & Mythologi: quamvis hi duo etiam occurrant in Numm. Antiq. cum inscriptione: PENATES P. R. Neque assentior Macrobio, qui tres fuisse suspicatur, lib. Sat. iii. cap. 4. *Jovem, Junonem, & Minervam*; cujus sententiae statuit causam, quod *Tarquinius Priscus, Samothracum Religionibus imbutus, uno templo haec tria Numina conjunxerit.* Magis propriè explicat *Samothracum Deos* Varro, L. L. iv. his verbis: *Terra & Coelum* (*ùt Samothracum docent initia*)

 sunt

sunt DII MAGNI, *quos Augurum libb. scriptos habent, sic:* DIVI POTES; *& sunt pro illis, qui in Samothrace* ΘΕΟΙ ΔΥΝΑΤΟΙ. Quò etiam inclinat Diodor. Sicul. initio operis. Perperam ergo hos *Deos Magnos* confundunt cum *Penatibus P. R.* Viri docti: quos diversos hinc esse liquet, quod ΘΕΟΙ ΠΑΤΡΙΟΙ dicantur Romanis; etiam ab Aeliano V. H. III. 22. si quid illius huc faciat auctoritas. Quae ratio Ciceronem de Nat. Deor. induxit, & Macrobium loc. cit. ùt PENATES dictos esse voluerint, quasi PENES NOS NATOS: quod etymon avide arripuerunt Arnobius advers. Gent. Lactantius de Fals. Rel. Augustin. de Civ. Dei. Firmicus de Err. Prof. Rell. aliique inter Patres, qui mirificè hos Deos exagitârunt. PENATES certè est à sing. PENAS: quae vox ab Hebr. פנים, *Intrinsecus*; eò quòd ad instar Judaeorum *Theraphim* in aedium penetralibus colerentur. Unde etiam illorum Sacerdotes, per errorem nominis à Graecis *Samothraces*, quasi *Sathraces* dicti sunt; quoniam סתר, Hebraeis dicitur *occultare*. Quod jam observârunt Viri docti. Quò accedit, quod ipsimet confiteantur Graeci illorum nomina & mysteria esse occulta, atque ἄῤῥητα: cui consentit, quod ex Varrone citat Arnobius adv. Gent. lib. III. *Deos illos esse in penetralibus Coeli, quorum neque numerus, neque nomina sunt cognita*: quo & illud facit, quod *Mercurium* & *Fortunam*, multosque alios in Penatium numero statuerunt. *Samothraces* ergò *Dii* nihil ad *Penates R.* Verisimilior est Cl. Vossii opinio, de Orig. Idol. IX. 33. Duo fuisse, genera θεῶν κατοικιδίων; alii qui, velut publicarum rerum custodes & patroni, dicti propriè sunt *Penates*: alii, qui, privatarum aedium praesides, propriè *Lares* vocabantur *familiares*. Hi priores (ùt cuivis Genti, sic etiam Romanis proprii) apud Lavinium praesertim culti sunt ob veterem scilicet religionem: quibus (ut Diis Tutelaribus ac praesidibus Imperii) Coss. & reliqui Magistratus Rom. in Provincias abituri sacra facere solebant: nomine nempe mystico, & incognito, ne ab hostibus elicerentur. Si quis tamen è Phrygiâ, atque Asiâ advectos contendat esse *Romanorum Penates*; & numero quidem duos: ex Oriente illos adumbratos esse fit verisimile: nimirum ab Hebraeor. *Cherubim*, qui facie virili ac quasi sedentes supra Arcam foederis, alis inter se obversis & junctis, τὸ ἱλαστήριον obumbrare visi sunt. Hos enim disertè Gentes Hebraeorum *Deos Praesides* dixere; atque primò in Tabernaculi, deinde Templi Hierosolymitani interiore Adyto, & quasi penetralibus absconditos fuisse SS. docent Literae. Vide quid Interpretes in Sulp. Severi Hist. Sacr. lib. I. qui Angelos humanâ facie fuisse rectè statuunt (quorum alas inter se obtentas pro *hastis* accipere potuere Gentiles) contra Josephi opinionem; qui Antiq. Jud. lib. III. cap. 6. dixerit fuisse ζῶα πετεινὰ, μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. Verum haec obiter. Agnovit ergò & Latium suos *Deos Tutelares*, quos Lucanus Pharf. VII. vocat, ob Vett. religionem,

Albanosque Lares, Laurentinosque Penates.

Sed de *diis Laribus* dicemus Eclog. II.

90. OCCASUS NISI QUUM RESPEXERIT ORTUS] Lege OCCASUM num. sing. sanè sensus est; priusquam Parthi accerrimi in Oriente Romani nominis hostes Occidentis Imperium revereantur, seque Latio subjecerint. Idem votum habet Lucanus, lib. X.

—— —— Licet usque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque premamus
Flagrantis post terga Noti; cedemus in Ortus
Arsacidûm domino.

Ad quem locum illustris Interpres: *Nos Romani subjecimus nobis Orbem ab Arctoâ parte, Occidentali, Meridionali: soli obstant nobis Parthi, quominùs in Orientem proferamus Imperium.* Unde signatè idem Poëta lib. VIII.

—— —— Gens unica mundi est,
De quâ Caesareis possim gaudere triumphis.

Parthicam enim jam meditabatur expeditionem Carus; cum haec scriberet Calpurnius: ut quondam D. Caesar, de quâ Flor. IV. 2. & Sueton. Jul. verùm quàm formidandi ac graves Rom. Imperio, post Crassorum, & M. Antonii clades, olim fuerint Parthi, ex Appiano de Bell. Parth. aliisque liquet. Quantam calamitatem inflixerint postea Alexandro Severo, tribus deletis exercitibus, docent Herodianus, lib. II. Zosimus, ac Zonaras. Quid, post Heliogabalum sub Macrino contigerit, ex eodem Herodiano constat. Quid demum, capto Valeriano, obvenerit, notissimum. Falsum itaque, quod Aurelianus, edicto ad Senatum gloriabatur: PACATO UNDIQUE GENTIUM TOTO, QUA PATET, ORBE TERRARUM. Quamvis se *Orientis & Occidentis Receptorem* jactaret &c. Aliud docebit Amm. Marcellinus lib. XXIII. ubi Parthorum res sub Juliano breviter tangit. Parthici porrò Imperii conditores fuisse Scythas gentem bellicosissimam liquet è Justino lib. II. 3. *Orientis certè imperium penes Parthos* fuisse vel ex Tacito constat, qui multa de iis tum in Ann. libb. tum alibi. Vide omnino Appiani lib. de Bell. Parthicis: ut & Livii Epitom. CXXVII. Quàm for-

formidanda Parthorum gens etiam postmodo fuerit, ostendit pulcherrima Claudiani ἐκφώνησις, de B. Gild. ubi ex personâ Romae:

——— ——— *Lugenda Getis, & flenda Suëvis*

Hausimus: ipsa meos horreret Parthia casus!

Respexerit] Reveritus fuerit. significatione minùs obviâ. *Respectus* (quae vox aliter usurpata Caesari ac Ciceroni, atque Recentioribus,) Livio saepe tamen accipitur, ut Nostro: Ita enim, lib. xxxv. *Romanorum maximè respectus civitates movit.* & lib. xxxix. *Si aliquis respectus est mei, ùt socii atque amici Regis.* Quo loco *reverentiam* notat. Eo sensu etiam Poëtae usurpant. Val. Flacc. Argon. iv. 75. de Erynni:

Respiciens legem summi Jovis:

id est reverita. Incertus Poëta in Catalectis de Claud. Caes. devictâ Britannia:

Oceanusque tuas, ultra se, respicit aras.

Catull. Epigr. x.

Nec meum respectat, ùt antè, amorem.

Juvenal. Satyr. viii 64.

Nil ibi majorum respectus.

Vovet ergo Poëta, ut illud eveniat sub imperio Cari ac Numeriani, quod cecinit Nemesianus in Cyneget. vs. 65.

Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
Littus, & edomitas fraterno nomine gentes.

& seqq. quae mox subjungit, de Numeriano, sub auspicio Aug. parentis:

——— ——— *Usque intima frater*
Persidos, & veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina regni:
Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras
Parthorum, laxosque arcus. &c.

Quibus verbis ad Cari Imp. Persicam victoriam alludit. Sive, ut illud tandem fiat Claudiani, de B. Getic. vs. 37.

Imperio sua forma redit.

Et quae sequuntur pulcherrima, neque ab argumento Nostri Poëtae aliena, quae conferre operae pretium erit.

90. Ornite, jamdudum velut ipso numine plenus, &c.] Perlecto tandem carmine haec ingerit Corydon, applaudens tam felici praesagio; seque, per ἔκστασιν quandam gaudii ac terroris simul, quasi Numine Fauni patris tactum esse affirmat.

Numine plenus] Non malè PLENUM, quarto casu: ut referatur, non ad τὸ TERROR, sed ME, quod sequitur. Sugillat hanc loquendi formulam Seneca Philosoph. ut etiam observat Cl. Barthius. Proba tamen est. Ita enim Flaccus, Carm. iii. Od. 25.

Quò me, Bacche, rapis, tui Plenum?

Maro Aen. vi. de Sibylla: *Plena deo*: quod exponit Servius, *afflata divinitate numinis*: quam formulam plenius extulit idem eodem lib. v.

——— ——— *Afflata est numine quando*
Jam propiore Deo.

Neque aliter posterioris aevi Scriptores. Appulej. Milesf. viii. *Velut numinis divino spiritu repletus.* Graeci dicerent Θεοῦ πλήρεις; ùt in Onomastic. notat Pollux: quam inspirationem iidem ἐνθουσιασμὸν vocant. Non tamen hoc sensu capit Noster: sed in stuporem se raptum esse ait ob religionem Numinis. Ita quoque NUMEN accipitur pro oraculo. Virg. Aen. iii. 363.

——— ——— *Cuncti suaserunt numine Divi:*

Idem Aen. viii. 78. ubi Aeneas ad Tiberim, quem, *cum flumine sancto* (ut etiam Ennius inquit) tanquam Deum veneratur:

——— ——— *Propiùs tua numina firma.*

id est promissa, vel oracula olim edita. Vide paulò inferius.

90. Me quatit, et mixtus subit inter gaudia terror.] Egregiè animi motum expressit. Et QUATIT vox hic usitata est. Horat. lib. i. Od. 16. de terrore ab Numine incusso:

——— ——— *Non adytis quatit*
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aequè.

Virg. Aen. iii. 29. in prodigio: *Mihi frigidus horror Membra quatit.* Eleganti comparatione, ut solet, usus est Naso, Epist. xiv.

Frigida populeas ùt quatit aura comas:
Aut sic, aut etiam tremui magis.

At in re praesertim divinâ locum habet. Senec. Trag. Troad.

Pavet animus, artus horridus quassat tremor.

& Oedip. act. ii. *Horrore quatior.* Inde Ciceronis est *quatefacio*, & de Divin. lib. ii. *mentem concutere & concitare.* *Quatio* est enim violenter moveo, σείω, δονέω: ut Gloss. explicat. Vim verbi expressit Lucretius, ii. 331. de equorum cursu:

——— ——— ——— *Mediosque repentè*
Transmittunt, valido quatientes impete campos.

Appositè de Pane Lyceo vel *Fauno*: cujus numen agricolis formidandum dixit Theocrit. Eidyll i. 17.

——— ——— Ἐντὶ γε πικρὸς,
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Quod & de Nymphis hîc observat Barthius ex eodem: ipse de iracundiâ suâ Pan in Longi Pastor. ii. Οὔτε τὰς Νύμφας ἠδέσθητε βλεπούσας, οὔτε τὸν Πᾶνα ἐμέ. Sed vide supra.

Inter gaudia terror] Similem animi motum exprimit Poëta Venusinus, Carm. ii. Od. 19.

Euoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur!

Quem affectum Petronius in Satyrico pulchre adumbravit, cap. LXXXIX. in Trojae ἁλώσ.

——— ——— *fletibus madent genae,*
Mentisque pavidae gaudium lacrymas habet,
Quas metus abegit.

Et graphicè, more suo Lucretius, lib. III. de hôc affectu; qui

——— ——— *Mediâ regione in pectoris haeret:*
Hinc exultat enim pavor, & metus: haec loca circum
Laetitiae mulcent.

& paulò post, de metu:

Qui ciet horrorem membris, & concitat artus.

Appositè hîc Appulej. Milef. XI. *Pavore & gaudio permixtus exurgo.* Quem locum etiam tangit Heliodor. & Achill. Tatius in Leucipp. plus semel: sed ἰχώλιοις. De eo consule Ethicae Praeceptores; ùt & Plutarch. de Irâ cohibendâ; nec non Senecam Philosoph. qui in Epist. Lucilianis multum in hanc rem disputat. Sed quorsum huc Philosophica? Alludere enim Poëta simpliciter videtur ad initia principatûs Cari; de quo cùm nunciatum esset eum imperare, quamvis virum bonum, *tam Senatus quàm populus R. inhorruit*: ùt disertè Vopiscus. Gratulatur ergo Reip. id longè aliter evenisse, atque cessisse, communi formulâ, Feliciter!

91. SED BONA FACUNDI VENEREMUR NUMINA FAUNI.] Rectè de *Fauno*, quem tanquam ἀγαθὸς δαίμονα infert, quales ferè BONOS dicebant. Virg. Eclog. VII. de Daphnide, in Deos relato:

Sis bonus, ô felixque tuis!

Statius Theb. X.

——— ——— *Bonus instigabat Apollo.*

Sed nota haec phrasis. *Bonus* hic est Graecis εὔφρων, εὐμενής. *Benevolus, propitius*, vel χρηστός, *utilis*. Signatè *Fauni uxor* dicta fuit *Bona dea*: utpote cujus *bonitatem* late exequitur Macrob. Sat. I. 12. *Hanc eandem Bonam deam, Faunamque, & Opem, & Fatuam Pontificum libri indigitant. Bonam, quòd omnibus nobis ad victum bonorum causa est: Faunam, quòd omni usui animantium faveat. Opem, quod ipsius auxilio vita constet. Sunt, qui dicant potentiam Junonis habere* &c. Quae ideo fortè, à Didone, Aen. I. *bona* dicitur, ubi Servius: χρηστή. Hanc itaque *Tellurem* esse, satis constat; cùm *Faunus* ipsa sit vis generandi, atque omnis fertilitatis auctor. Hinc fortè Cl. Barthius, pro FACUNDI, legit FOECUNDI; *nam propter foecunditatem Telluris*, inquit, *maximè deos Rusticos colunt Agricolae.*

FACUNDUS tamen hic quadrat: tum ob carminis elegantiam; tum quod nomen dicatur habere a *fando*: ùt Macrobius, loc. cit. & alii: NUMINA Benè plur. num. extulit & cum judicio: Ita enim solent Poëtae, ubi de variâ Deorum potentiâ agitur: quod jam observârunt Literati. Vide Illustr. Interpretem in Callimachi Hymn. εἰς Ἄρτεμιν, ad vs. 38. vel intelligit ejus *oracula*: vel ad majestatem Fauni facit: creditum enim *Numina* minora non posse nocere, nisi à Majoribus potestatem acceperint, notante Servio ad Aen. VII. 306. & Interprete ad Statium Theb. VII. 205. Majus ergo *Numen* agnoscit *Faunum*. Vel *Numen* pro *loco sacro* posuit, quale *Fauni antrum*: ut Senec. Trag. Hippol. act. IV. observant Viri Literati. *Numen* porrò definit Varro L. L. VI esse *imperium à nutu*.

VENEREMUR.] Verbum rituale. Virg. Aen. III. 34.

——— ——— *Nymphas venerabar agrestes.*

Idem eod. lib.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto.

Tibull. I. Eleg. I. 15. de religione rusticâ ac simplici:

Nam veneror, seu stipes habet desixus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Ubi respexisse videtur ad Anacreontis Od. IV.

Τί σε δεῖ λίθον μυρίζειν;

Quem gestum pulchrè expressit Theophrast. in Charact. Ethic. περὶ Δεισιδαιμ. ubi superstiosus inter alia depingitur, ἐν ταῖς τριόδοις . . . . ἐπὶ γόνατα πεσὼν, καὶ προσκυνήσας. Ethnicae hujus venerationis morem, praeter alios, egregiè descripsit Minucius Felix, Octav. cap. 2. *Caecilius, simulacro Serapidis denotato, (ùt vulgus superstitiosum solet) manum ori admovens, osculum labiis pressit.* Nec minùs argutè Appulejus Milef. IV. de Psyche: *Admoventes oribus suis dextras, illam, ùt ipsam deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur.* Appositè: cùm *veneror* fortasse sit à *Venus*, ùt *foeneror* à *foenus*: non (ùt Festi Epitomistes à *veniâ* & *oro*. Conjungit itaque & Lucianus in Demosth. Encom. τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσάγειν, & προσκυνεῖν: quem gestum per *adorare* explicat Plinius; & lib. XXVIII. 2. per *dextram ad os referre*. Sed nota locutio vel ex Oriente, & in S. S. Literis. Ennius, per *precari* exponit: in Annal.

Te nunc, sancta Venus, precor, & genitrix patris nostri,
Teque, Quirine pater, veneror.

Differt tamen *venerari* à Graec. προσκυνεῖν: hoc enim fiebat se prosternendo, caput obtegendo, corpus ad Orientem vertendo, assidendo ad orandum, aram tangendo; vel coronam simulacro dei, inter sacrificandum, imponendo: &c.

cùm

cùm *venerari* fit, tantùm manum osculando, & sursum obvertendo, se versus simulacrum flectere: quod propriè est *salutare*. Catull. in Priap.

Proin' viator, hunc deum vereberis,

Manumque sursum habebis.

P. Statius, Achilleid. I.

——— ——— *Ultrò etiam veneratur supplice dextrâ.*

Tetigisse etiam *venerantes* simulacra, docet Lucret. lib. I.

Signa manus dextras ostendunt attenuari

Saepè salutantûm tactu.

Venerationem quoque expressit Juvenal. Sat. X. per *genua incerare Deorum*: ad quem loc. vide Interpretes. *Veneratio* itaque propriè ad deos Indigetes: *adoratio* ad Deos Consentes, seu Majorum Gentium, & pro supplicari ponitur. Ita Tacit. Ann. XIV. 61. *Deos venerari.* Confer Curtium, V. & VIII. 3. Nepot. Conon. III. Val. Maxim. VII. 2. alios: ac de formulis B. Brissonium. Sed confundunt haec vocabula non raro Viri docti:

92. CARMINA, QUAE NOBIS DEUS OBTULIT IPSE CANENDA DICAMUS.] OBTULIT, Sic ferè loquitur Heliodor. Aethiop. VII. Ἕως τὸ τέλος τῆς ᾠδῆς ἐξεργάσηται ὑποβαλὼν Θεός. *Faunum* hic certè intelligit. *Obtulit*, id est proposuit, injunxit, ubique celebranda dedit: vox propria de Diis. Horat. III. Od. 16.

——— ——— *Benè est cui deus obtulit,*

Parcâ, quod satis est, manu.

Vox & in Sacrificiis usitata.

93. TERETIQUE SONUM MODULEMUR AVENA.] Id est Carmine bucolico referamus. Alii *meditemur*: ut sit imitatio Virgiliana:

Sylvestrem tenui Musam meditaris avenâ.

ad quem loc. Grammaticus: *meditaris, quasi melitaris*, à μέλος: quo sensu & Persius in Prolog.

Cantare credas Pegaseium melos.

Modulari tamen libentius usurpant Recentiores: Nemesian. Ecl. I.

Carmina dant Musae: nos te modulamur avenâ.

Interea eandem vocem plùs semel habet Maro, Eclog. V.

Carmina pastoris Siculi modulabor avenâ.

AVENAE] Id est fistulae sonum crebrò invenias apud Theocrit. in Idyll. Museum, atque adeo omnes, qui τὰ Ποιμενικὰ tetigere. Sed vide omnino Scimniae Rhodii Σύριγξ: cujus initium: Σύριγξ εἰμὶ ἦχος. &c.

SONUM] Id est τὸν ἦχον. Sic *sonus* pro carmine, quod Horat. II. Od. 13.

Dulci laborem decipitur sono:

Ita enim legendum per Graecismum, non *laborum*; ut vulgatae habent Edd. Conjunxit utramque notionem Papinius, Sylv. III. 5.

——— ——— *Procurrentia primis*

Carmina nostra sonis.

Noster, Eleg. IV.

Nisi forte tuas melior sonus avehat aures.

Hinc *sonandi* verbum ad carmina translatum: P. Statius iterùm, Sylv. I. 2. Epithal. Stell. &c.

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?

Nemes. Ecl. IV. 3.

——— ——— *Nec triviale sonans.*

95. FORSITAN AUGUSTAS FERAT HAEC MELIBOEUS AD AURES.] Exoptat, ut Eclogae hujus argumentum Impp. ac Numeriano Caes. innotescat. Sed cur, *Augustas*, si Carum intellexerit, unà cum Filiis? num ergo hi, imperante Caro, etiam *Augusti*? Aliud videtur innuere Vopiscus, cap. VII. qui *illum Liberos suos Caesares tantùm nuncupâsse* dicit; cui consentit Auctor Caes. in Epitom. cap. XXXVIII. ad cujus verba etiam facit Eutropius, lib. IX. qui apertè distinguit: *Post hunc Carus factus est Aug. Is confestim Carinum & Numerianum Caesares fecit.* Ut Calpurnio tamen succurramus, ita accipiendum videtur; quod filios suos initio quidem principatus sui Caesares, postmodo tamen, ante expeditionem in Persas *Imperii participes* (quos *Augustos* vulgò dicebant) nuncupaverit. Quod idem Vopiscus innuit: quum disertè inquit: *Caesarianum fuisse Carini imperium, adeo ut omnia faceret, quae Augusti solent.* Cui sententiae favet Zonaras in Hist. qui de Caro: Τοὺς δὲ υἱέας αὐτοῦ, Καρῖνον, καὶ Νουμεριανὸν ἐτίμησε βασιλείῳ διαδήματι. Nemo enim diadamate insignitus, nisi qui simul & Caesar & Augustus: quod vel ex Amm. Marcellino, lib. XX. 4. in Juliano Imp. liquet. Ita quoque Sept. Severus in Bassianum filium τὴν τῆς ἀρχῆς τιμὴν, *honores Imperatorios* contulit; docente Herodiano lib. III. cap. 34. Quocirca falsitatis arguitur Lampridius, qui longe aliam hàc de re ingerit Historiam, cap. XVIII. Id ergo, *contra morem antiquitus institutum, factum fuisse* à Valentiniano seniore contendit A. Marcellinus lib. XXVII. quod *Valentem germanum, & Gratianum, fil. vix dum novennem, non Caesares, sed statim Augg. nuncupâsset.* Namque addit: *Neque enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate Collegam, praeter principem Marcum.* Quod respectu L. Veri verissimum est, ex Capitolino, prout etiam ex Festo Rufo; qui apertè: *Marcus & Verus, hoc est socer & gener, pariter Augg. imperium orbis aequatâ potestate tenuerunt.* Primus id factitavit Marcus Aurelius Imp. ac plurimi post eum. Cur ergo Valentinianum seniorem id *contra*

tra morem fecisse, dixit Marcellinus, scriptor non indiligens? sed fortè respexit ad Caesares & Imperatores ante Marcum, qui id primus certè constituerat. Hoc *aequandae potestatis* exemplum in Valentiniano priore Paulin. Nolanus (non, ùt suspicantur, D. Ausonius) in Vers. Paschal. his verbis laudavit:

Augustus Genitor, geminùm sator Augustorum;
Qui, fratrem natumque pio complexus amoris
Numine, partitur regnum. &c.

Idem quoque tangit Themistius Orat. xv. Panegyr. ad Valentem; quòd *ἴσα αὐτοῖς ἐδωρήσω id est aequalia illis sit largitus.* Quam phrasin explicuit Eutropius VIII. & Orosius VII. 25. per *aequo jure imperium administrare.* Quid ni in filios idem praestare potuit Carus? praesertim cum postrema Poëtae nostri Ecloga de Ludis Auggg. agat. Idem fecisse Diocletianum constat; qui Maximianum initio quidem Caesarem, mox sibi Collegam & imperii socium, id est *Augustum*, designavit. Neque aliter fieri solebat: de Gallo Caes. & Juliano nota res est sub Constantio Aug. Censeo tamen, cum Cl. Barthio, Poëtam adulatoriè hic loquutum fuisse: cùm nemo revera *Augustus*, nisi qui à Senatu constitutus esset. Differentiam enim inter *Caesarem, Imperatorem*, & *Augustum* confundunt non rarò Poëtae: quo pacto Claudianus, Arcadium & Honorium, (imperante etiamnum Theodosio M.) *Augustos* appellavit. Confer ejusdem phrasin de Ruff. II. 383. qui Honorium Aug. increpat, ut se

Participem sceptri, socium declaret honoris.

Favet tamen Calpurnio Vet. Inscriptio in marmore vetusto: IMPPP. CARVS. CARINVS. ET. NVMERIANVS. A. A. A. ùt & Numisma, cujus inscriptio: IMP. AVG CARVS. P. F. AVG. IMP. CARINVS. P. F. AVG. IMP. NVMERIANVS AVG. In Graeco itidem Numismate aereo de iisdem Fratribus: A. K. M. A. KARINOC. CEB. A. K. M. A. NOYMEPIANOC CEB. ubi τὸ A. Αὐτοκράτωρ, CEB. Σεβαστὸς, notat. *Consortes* ergo *regni* id est NOB. CAES. dixisse filios suos Carum, non *Augustos*, ex P. Orosio, lib. VII. 24. quàm maximè est verisimile, anno Chr. CCLXXXIV. ante expeditionem in Persas.

FERET HAEC MELIBOEUS AD AURES] Olympium Nemesianum (qui Eclogas suas inscripsit) intelligit. Nobilissimus enim hic fuit Poëta, cui familiariter adeo consuevit Numerianus Caesar, *ut cum illo, qui omnibus coloniis illustratus excelluit, quamvis etiamnum juvenis, versu contenderit.* Sed nota sunt ex Vopisco. Hic idem Nemesianus Cari Aug. Ἁλιευτικὰ celebravit, & κυνηγετικὰ, κυνηγετικὰ, & ἰξευτικὰ conscripsit. Hunc ergo Noster nomine ficto (ex decoro) pastoris *Meliboei* indigitat, quasi à μέλειν βοῶν ùt observat Servius: ad quod etymon allusit Vet. Poëta in Catalect.

Pastores Moeris, & Meliboeus erant.

Unde & *Meliboea* virginem rusticam notat apud Papinium, Sylv. III. 5. Nisi forte allluserit ad purpuram quae *Meliboea*, à Thessaliae oppido cognomine, dicta fuit: de quâ Lucretius II.

—— —— *Meliboeaque fulgens*
Purpura, Thessalico concharum tincta colore.

Ut scilicet ἀπὸ κυνηγετικῶν significet Nemesianum inter *purpuratos Augg.* familiarem esse: quod ex ipsius Cyneget. vs. 63. & seqq. liquet:

Mox vestros meliore lyrâ memorare triumphos
Accingar, divi fortissima pignora Cari!

FERET.] Virg. Ecl. III, 73.

Partem aliquam, venti, divùm referatis ad aures,

Catull. Gallijamb.

Geminas ad aureis nova nunciat ferens.

Graecis εἰς ὦτα βαλεῖν. Rectè. *Auris* enim apud Vett. memoriae dedicata: ùt est in Hieroglyph. apud Pierium Valer. lib. XXXIII. unde Plinius: *Est in aure memoriae locus*: quod innuens doctissimus Poëta dixit, Ecl. VI. 3.

—— —— *Cynthius aurem*
Vellit & admonuit.

Quò loco vide Servium; & Lips. Quaest. per Epist. IV. 26.

IN ECLOGAM II. CALPURNII.

Vs. 1 INTACTAM CROTALEN PUER ASTACUS, ET PUER IDAS, &c.] Summa inter hanc Nostri Poëtae, ac Nemesiani Eclogam II. (quoad argumentum) comparatio est: Ita enim ille:

Formosam Donacem puer Idas, & puer Alcon
Ardebant. & seqq.

Sed monuere jam doctissimi Interpretes.

PUER] Vox frequens inter pastores, qui ita vul-

vulgò dicti. Unde illud Maronis, Eclog. I. 46.
Pascite, ut antè, boves, pueri, submittite tauros.
Eclog. III. 19.
Desine plura, puer, &c.
ac similia; quae ex Theocrito suo hausit: qui Eidyll. VIII. 81.
Ὡς οἱ παῖδες ἄϋσαν.
Ibidem 28.
Χ' οἱ μὲν παῖδες ἄϋσαν· ὁ δ' αἰπόλος ἦλθ' ἐπικουρῶν·
Χοὶ μὲν παῖδες ὑπεῖν. &c.
Heliodor. Aethiop. v. παιδαγωγὸς ἐπολέμει ... Atque ita passim. Non tamen eò respexit Noster, neque Nemesianus, hoc in argumento, quod nempe est ἐρωτικόν. In amoribus enim vox *puer* usitata, etiam castissimis. Ita Tibullus, IV. Eleg. III. 20.
——— ——— *Lege Dianae*
Caste puer; castâ retia tende manu.
Non tamen, qualis ille, de quo in Priapaeis idem Poëta:
——— ——— *Candidus mihi puer*
Silente nocte cùm jaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta.
Ejusmodi enim *pueri*, quamvis in amore purissimo, pusiones ferè ac parvuli: Incertus Auctor, ex Platone, in Catalect. Vett.
Dum semihiulco basio
Meum puellum suavior. &c.
Respicit autem Noster *pueros* jam Venerem primulum appetentes, ac jam puberes. Eiusmodi pastores inducuntur (inCiterii Sidonii lepidissimo Epigramm. in Catalect. Tit. XVII. qui à virginibus adamati)
Almo, Theon, Thyrsis, orti sub monte Pelori; &c.
Alme puer, pubesque Theon, ùt Thyrsis ephebus:
Naïs amat Thyrsin, Glauce Almona, Nisa Theonem.
Ubi notanda triplex aetatis ἀκμή, quae *amoribus* apta. Maxime hic convenit, *primaevi adolescentis* descriptio in Atti Catulliano, qui in Galliamb. de se:
Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego Gymnasii fui flos.
Quò respiciens Naso Fast. IV. 223. & seqq de eodem.
Phryx puer in sylvis, facie spectabilis, inquit,
Ultima, quâ fallam, sit Venus ista mihi.
Fallit & in nymphâ Sagaritide desinit esse,
Quod fuit. &c.
Talis etiam *puer* Hermaphroditus, quam Salmacis nympha deperibat, Metam. v. 320. *Pueri* itaque dicti quasi *puri* (ùt definit Varro) & nuptiarum expertes licet puberes: qualis ille Anacreontis, Od. XXIX. cui adesse vult ἀπαλῇ αἰδοῖ Παφίην θέλουσαν ἰδεῖν, καὶ μένειν τὸ πῦρ ἔχουσα. De Gitone suo Petronius Satyric. XXVI. Venerem primulum tentante: *sine dubio non repugnaverat puer, ac ne puella quidem tristis expaverat nuptiarum nomen:* quae cum Daphnide *puero* conveniunt, apud Longum in Pastoral. III. Veneris rudimenta primùm deposituro, cui Lycaenium puella, Ἐρᾷς, εἶπε, Δάφνι, Χλόης, &c. qui locus huc apprimè facit: atque imprimis illud, μέμνησο, ὅτι σε ἄνδρα ἐγὼ πεποίηκα, id est *meminerris quod* (ex puero nempe) *virum te fecerim.* Ita Horatius de *primaevo adolescente amoribus irretito* semper usurpat τὸ *puer:* sic Od. v. lib. I.
Quis multâ gracilis te puer in rosâ
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Ita, I. Od. XXVII.
Digne puer meliore flammâ:
Manifeste id habet lib. IV. Od. I. ubi ad Venerem, de *amatore adolescentulo:*
Et centum puer artium
Latè signa feret militiae tuae.
Imo formosos omnes ac venustulos eò ferè nomine dicebant. Auson notissimo Epigr.
Factus es, ô pulcher, penè puella, puer.
Sed vide omnino, quae hic notavit Cl. Barthius. Benè itaque illos, respectu Virginis, quam ambo appetebant, dixit *pueros*, id est ipso in flore aetatis; quales ἐρασμιώτατοι ferè puellis gratiores. Confer suavissimam Psyches fab. apud Appulej. Miles. VI. ubi de *Cupidine puero* Jupiter in Deorum concilio: *adulescentem istum . . . scitis omnes; cujus primae juventutis caloratos impetus freeno quodam coercendos existimavi: Puellam elegit,* & seqq. & quae denarrat Cnemon apud Heliodorum Aethiopic. I. Ubi observa, pulchellos illos non παῖδας dici Graecis, sed εἶναι, τοὺς ἐν ἀκμῇ τε ὥρᾳ Μειρακίσκους. ut Idem lib. IX. quidem Hist. Nihil itaque huc facit aetatum illa divisio Romanis usitata; de qua A. Gellius N. A. X. 28. qui, (ex Tuberonis Histor. lib. I.) ait, *Servium Tullum pueros existimâsse, qui minores essent annis* XVII. Aliò enim Noster intendit.
INTACTAM CROTALEN] Aptissimum puellae necdum temeratae ἐπίθετον. Virg. Aen. I. 349. de Didone:
Cui pater intactam dederat, primisque jugârat Ominibus.
Senec. Tragic. (sive quis alius) in Octaviâ:
Respersa labe nullâ, intacta, & innocens.
Eleganti ergo comparatione Catullus, in Epithal.

thal. ubi de *flore* dixisset:

Sic Virgo dum intacta manet, tunc cura suis; sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec grata puellis.

Rectè itaque de *castâ* Juvenalis, Satyr. VI. 163.

——— ——— *Intactior omni*
Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ.

Quod ex Propertio, lib. II. Eleg. 6. qui *Sabinas intactas* dixerat id est castissimas ac veteri simplicitate rusticas. *Tangere* enim inter nequitiae vocabula. Horat. I. Satyr. 2. 54.

——— ——— *Matronam nullam ego tango.*

Terent. Hecyr. I. 2 61.

Noctè illâ primâ virginem non attigi.

Martial. I. Epigr. 74.

Nullus in urbe fuit totâ, qui tangere vellet
Uxorem gratis, Caeciliane, tuam, &c.

Apertius tamen Magister Amorum de Art. II. 692. & alibi ibidem. Petron. Satyr. CXXVI. *Tenta modo tangere corpus,* &c. Hinc Corn. Gallus, Eleg. III. 83.

Salve sancta, inquam, semperque intacta maneto
Virginitas!

Cui praesertim adde Propert. II. Eleg 25. 9. Argutè Martialis ad amicam, lib. XI. Epigr. 90.

Intactas quare mittis mihi Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

Hinc ne quidem *apothecam procis intactam* fuisse in aedibus Penelopes lepidè dixit Horat. II. Sat 5. Minùs ergo propriè Ovid. Amor. III. Eleg. 7. 83.

Neve suae possent intactam scire puellae, &c.

Ubi rectè Interpres: *ad tempus hoc dixit: alias Intacta dicitur incorrupta virgo.* Ita Pallas, quae ἀεὶ παρθένος, *Intacta* dicitur Flacco, Carm I. Od. 7. & Eleganter Graecis ejusmodi *puella* (quae vox etiam ad nuptas imo viduas transfertur, ùt ad Plauti Cistell. II. 3. vs. 77. docent Interpretes, ex A. Gellio XII. 1.) παρθένος ἄπειρος ἀνδρῶν, id est *necdum virum experta* (ùt loquitur Arbiter) dicta est. CROTALEN. De hoc Virginis nomine vide in Eclogae hujus argumento; ut etiam de nominibus *Idae* & *Astaci*.

2. IDAS LANIGERI DOMINUS GREGIS, ASTACUS HORTI] Elegans ἐπάνοδος: qualis illa Virgilii, Eclog. VII. 2, 3.

Compulerantque greges Corydon & Thyrsis in unum;
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas,

DOMINUS] Non ergo servus, neque mercenarius. *Dominus gregis*, raró hac notione dicitur pastor. Ex obliquo tamen hanc cum distinctione vocem infert Maronis Menalcas, Ecl. III. 16.

Quid domini faciant, audent cùm talia fures?

Vulgo dicti,

——— ——— *Ovium pecorisque magistri,*
Custodes ovium:

Silius Punic II.

——— ——— *Stabulique gregisque magister.*

Ejusmodi *dominum* designat Varro, R. R. II. in Prooem. & cap. I. ubi inquit: *de antiquis illustrissimus quisque pastor erat*: quod vel ex S. S. Litt. & Joseph. Antiq. Judaic. constat. Alludit ergo ad morem Antiquorum, qui ipsimet sua, quantumvis *domini*, saepe pascere solebant, pecora. Plerumque tamen ditiores conductitiâ, vel alicujus ex familiâ utebantur operâ: apertè docet Sophocles Oedip. Tyrann. vs. 1039.

Ποιμὴν γὰρ ἦσθα, κἀπὶ θητείᾳ πλάνης.

Θητεία enim à Θὴς, *operarius*, *servus*, de quâ voce vide Lexicographos. Distinguunt & Graeci inter τὸν ποιμένα, *pastorem* (cui sunt τὰ πρόβατα ἴδια) & μισθωτὸν, *mercenarium*, cujus non sunt oves. Inusitatè igitur ferè *dominus gregis*: cum ea significatio latiùs se extendat, apud JCtos. *Dominus* enim propriè qui domui ac familiae, imò & praedio (quod Antiquis nomine *Horti* veniebat) praeerat. Vide Catonem de R. R. cap. I. v. & alibi: Columell. I. 1. Phaedr. lib. II. fab. 8.

LANIGERI GREGIS] Ovium εἰροπόκων. Theocrit. Eidyll. VIII. 9.

Ποιμὴν εἰροπόκων ὀΐων, συρικτὰ, &c.

quae Vox etiam Hesiodo usitata, Ἐργ. καὶ Ἡμερ. I. & Theog 446.

Ποίμνας τ' εἰροπόκων τ' ὀΐων. &c.

Maro Georg. III.

Lanigeros agitare greges &c.

Lanigerae pecudes, Lucret. I. Atque ita passim Poëtae. L. Attius in Bruto:

Visus est . . . pastor ad me appellere, &
Pecus lanigerum eximiâ pulchritudine.

Ennius, in Sotadic. citante Festo:

Prope stagna, genus ubi lanigerum . . . pascit.

Sic absolutè *Laniger*, pro agno, apud Phaedr. I. fab. 1. Confer Maronis Pastorem in Culice.

DOMINUS HORTI] Rectiùs illud. *Horti* enim significatio etiam ad agrum se extendit & *dominum* propriè agnoscit. Sptimius Serenus in Catalect. Vett.

Inquit amicus ager domino, fere: plurima reddam:
Si bene mi facias, memini tibi solvere grates.

Ibid.

——— ——— *puer dominus florentis agelli.*

quae notio cum Nostro convenit. Ovid. in Nuce de arbore in horto:

Et solo domino ferre tributa potest.

Neque alter JCti de possessionibus.

3. DILEXERE DIU] Contra quam ille, qui apud Ca-

Catull. *Parvo dilexit spatio Minoida.* Major tamen in *diligendo* videtur constantia, quam *amando*: hoc enim ad amores, illud ad consuetudinis usum transferri posset. Sed tanti non est. Confundunt enim vulgò Auctores. Exemplis probat Fr. Vavassorius de Usu Verb. ex Ciceronis I. Epist. Famil. 7. *Quem nos in primis amamus, carumque habemus.* Quam eandem sententiam per verbum *diligendi* variavit idem Cicer. Orat. pro Corn. LIX. *Eos, qui principes fuerunt .... dignitatis meae, diligitis, & caros habetis.* Ita etiam Terent. Eunuch. I. 2. vs. 16. ubi Thais:

—— *Non quod quem plus amem, aut plus diligam.*

Exempla tamen quae L. Valla, Elegant. v. 37. attulit videntur evincere plus quoddam esse in *amando*, quàm *diligendo*. Cic. ad Brutum de L. Clodio: *Valde me diligit, aut (ut ἐμφατικώτερον dicam) valde me amat.* De amoribus Auctor Pervigilii: *Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit cras amet.* In Catalect. Vett. *semper amatus amo.*

4. FORMOSUS UTERQUE, SED IMPAR VOCE SONANS] Legendum, cum doctissimo Ulitio, NEC IMPAR. Ad finem enim Eclogae Thyrsis, certaminis inter illos judex, *Este pares ....* inquit, ac neutrum victorem pronunciat.

VOCE SONANS,] Id est canens (vide Eclog. I. 93) ut referatur ad τὸ *voce*. Duriusculum enim esset, *impar sonans*, pro *impari voce canens*. Quamvis eà constructione dixerit Horatius. *Ludere par, impar.* SED IMPAR tamen defendi possit, si Poëta diversum canendi studium respiceret, quo hic *hortorum*, alter *lanigeri gregis* curam celebrat, Quemadmodum fere Statius Achill I. de Achille & Patroclo:

Par studiis, aevique modis, sed robore dispar.

Prior tamen Lectio praevalet. Confer Nemes. Eclog. II.

4. TERRAS .... QUUM GRAVIS URERET AESTAS,] Τὸ *Gravis* respectu *Aestatis* minùs usitatum. Est itaque, *ardens* & quasi fervore suo molesta. Ita enim Virgil. in Georgic.

—— *Gravis incumbens scopulis arentibus aestas.*

Livius in malam partem accipit: *Gravis pestilensque omnibus animalibus aestas excipit*: non ergo per se *gravis*, sed per accidens, ut loquuntur Philosophi. Si legatur AESTUS, magis conveniret ἐπίθετον. Catullus

Cùm gravis exustos aestus hiulcat agros.

Et Flaccus II. Od. 5.

—— —— *fluviis gravem Solantis aestum.*

Duriusculè itaque Claudianus.

—— *Brachia Cancri*
Urit atrox aestas.

5. AD GELIDOS FONTES ET EASDEM FORTE SUB ULMOS CONVENIUNT] Imitatio Maronis, Eclog. X. 42

Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori!

Sic *frigida flumina*, apud eum. Eclog. v. 25. *Fontes gelidae aquae* crebro invenias apud Poëtas. Hinc *Fons* de se ipso, Antholog. IV. cap. XXVI. Epigr. 3.

Ἐστέμμαι, σκιερῇ ψυχρούμενος ἕδρῃ·
Τοὔνεκα μή με θέρους ἐξαμείψῃς, δίψας ἀλλάκων.

Id est,

Coronatus sum, umbrosâ refrigeratus sede:
Ob id ne me sub aestatem transi, sitim restinguens.

A frigore fons enim commendatur, illis praesertim in regionibus Italiae. Ita Vetus Poëta lepidissimo Epigrammate Sylvarum umbras *frigido fonti* conjungens:

Hic, Cytherea, tuo poteras cum Marte jacere,
Vulcanus prohibetur aquis, Sol pellitur umbris.

Quod Graecè vertit Vir Illustris:

Ἐνθάδε, Κύπρι, φίλῳ κεῖσθαι σὺν Ἄρηϊ δυνάμεο·
Ἥλιον μέλαν ἄλσος, ὕδωρ δ' Ἥφαιστον ἐλαύνει.

Confer Horatii *Fontem Blandusiae* &c. ac vide *Fontium* descriptiones, & celeberrimorum Poëtarum in eos Lusus.

SUB ULMOS.] Persius, Satyr. III 6.

—— —— *Siccas insana Canicula messes*
Jam dudùm coquit, & patulâ pecus omne sub ulmo est.

Ut evitet nempe meridiani solis aestus. Pastores enim ferè sub umbris: ut Theocrit. Eidyll. I. Δεῦρ' ὑπὸ τὰν πτελέαν. Neque aliter Naso, Metam. I. 680. *Ulmi arboris* (quam Plinius XVI. 17. in Graecam & Italicam dividit) frequens est mentio in re pastoriâ. Cato, R. R. VI. *Circum vias ulmos serito, ut frondem ovibus habeas.* & cap. XVII. *Ulmus, cùm folia cadunt, tum iterum tempestiva est.* Varro, R. R. I. 25. *ulmi* utilitatem commendat, ob umbram nempe, quam efficit densiorem, ac *circa limites fundi serendas*, ait.

CONVENIUNT] Mutuò sibi occurrunt. Eâdem occasione inter se decertant pastores apud Maronem Ecl. v. I. 3.

Cur non, Mopse, (boni quoniam convenimus ambo)
Hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?

Quod ex Theocrito, Eidyll. VI. 3.

—— —— Ἐπὶ κράναν δέ τιν' ἄμφω
Ἑσδόμενοι θέρεος μέσῳ ἄματι, τοιάδ' ἄειδον.

6. DULCIQUE SIMUL CONTENDERE CANTU PIGNORIBUSQUE PARANT.] Frequens mos pastoribus, ut alterum alter provocaret. Ita Siculus Bu-

Bucoliastes Eidyll. VIII.

M. ——— ——— Δάφνι λῆς μοι ἀεῖσαι;

Δ. Οὔποτε νικάσεις, μ' ὅσ' ἐστὶ πάθοις τύ γ' ἀείδων.

M. Χρῄσδεις ὦν ἐσιδεῖν; χρῄσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;

Δ. Χρῄσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρῄσδω καταθεῖναι ἄεθλον.

Quem locum imitatus est Maro, Ecl. III. 28.

Vis ergò inter nos, quid possit uterque vicissim,
Experiamur? &c *seqq.*

Idem Eclog. VII. 18.

Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere. &c.

Morem hunc ex Arcadiâ fluxisse, notum est. Arcadas enim rei musicae fuisse studiosos, imò peritissimos ex illo liquet, *Soli cantare periti Arcades:* testatur Polybius Hist. IV. 20. (cujus verba cum elogio citat C. Rhodigin IX 9.) qui *ad* XXX. *aetatis annum musicis artibus informari juventutem Arcadicam* memoriae prodit: quamvis caeteras artes negligerent uti est satis cognitum. Idem fere habet Alexand. Neapol. G. D. II. 25. *Arcadas* nempe *pueros suos à teneris insuevisse inter prima rudimenta in modulis & cantibus versari.* Quae Polybii obiter quoque tangit Polydor. Vergil. de Rer. Invent. I. 14. qui *& in Italiam eos intulisse musicam* addit. Graecis omnibus id ferè tribuit Plutarchus, *περὶ τῆς Μουσικῆς* etiam in Argivis agnoscit Herodotus III. 131. quos *τὰ μουσικὰ εἶναι Ἑλλήνων πρῶτος* ait. Ad mentem tamen Calpurnii magis facit Lucretius lib. V. 1380. & seqq. ubi de *origine musicae pastoralis* plura habet; & omnium instar Longus in Pastor. Frequens enim pastoribus Arcadia. Quare & Mercurius, Musices inventor apud Vett., in Cyllene, Arcadiae monte natus fingitur.

7. PLACET, HIC UT, &c.] Inter eos convenit, visum fuit; vel pacti sunt inter se. Flaccus Epod. XVI. vs 23.

Sic placet? an melius quid habes suadere?

Val. Flaccus, Argon. VI. 3.

——— ——— Ire placet tandem.

Ad Nostrum magis accedit Petronius Sat. XV. *Rustico mulierique placebat permutatio:* ùt pactione quâdam inter duos. Comicis ea vox frequens est. Terent. Andr. I 1. vs. 75.

——— ——— Placuit; despondi.

Placet, hoc loco non est Impersonale, ut loquuntur Grammatici; sed *ἐλλειπτικῶς* subauditur, *pactum*, vel *conditio*, vel *res*. Ibid. vs. 69. *Id mihi placebat.* Idem Adelph. IV. 7. vs. 19. *placet tibi factum?* plenius autem Hecyr. II. I. vs. 44. *Quae vobis placita est conditio, datur.* vel ùt Ovid. Metam. IV. 91. de conventione Pyrami ac Thisbes:

Pacta placent, & lux tardè decedere visa est.

Simile est: *benè inter eos convenit*; subaudi, *res*: ùt observat Fr. Sanctius, Minerv. de Ellipsi: quomodo Graeci in similibus ferè subaudiunt *τὸ πρᾶγμα*. Alioqui vox est Philosophis propria inter se disputantibus: quemadmodum & illorum *δόγματα* dicuntur *Placita*; de quibus saepe A. Gellius in Noct. Att. Cicero de Offic. I. *Placet antè definire, quid sit.* &c. Unde Quinctilian. Inst. I. II. *Placere non potest, quod non decet.* Ennius Fragm. *Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet*, PARANT id est intendunt. Ter. Phorm. Prol vs. 3. *deterrere parant.* Horat. I. Epist. 3. 14.

Seu linguam causis acuis; seu civica jura
Respondere paras.

Idem, Satyr. II. 3. 23.

Invidiam placare paras? &c.

Imo & vox propria est accingentibus se ad certamen. Maro, Ecl. VII.

Et cantare pares, & respondere parati.

7. PLACET, HIC UT VELLERA SEPTEM, &c.] Sententia est, ut *septem Oves* habeat proemio Astacus, cantando si vicerit, victus verò *horti sui fructus hornotinos* Idae pastori cedat. *hic* ergo ad Idam, *ille* ad Astacum referri debet. Vide quae sit Cl Barthii expositio, qui per *vellera septem*, intelligit lanam velleribus demtam (eò quòd *lana* quandoque vellus dicatur) cui *gramen* ex *horto* demessum opponit. Addubito tamen, an ea mens fuerit Calpurnio. *Certamen* enim dicitur instare *magnum sub judice Thyrsi*, cui praemium tam leve non convenire videtur: praesertim cùm *dominus sui gregis* dicatur Idas (ùt alter horti sui possessor) non mercenarius. De suo itaque largiri potuit. Ex more etiam Bucolico vulgò de grege, sive *caper*, sive *juvenca*, sive *agnus*. &c. pignus proponitur: quod (praeter Maronem) vel ex Theocrito liquet, statim ab initio, Eidyll. I. vs. 4. 5. 6. de *ove* & *agno* signatè vs. 9. & seqq. Doricè, ùt solet:

Αἴκα ταὶ Μῶσαι τὰν ὄϊδα δῶρον ἄγωνται,
Ἄρνα τὺ σακίταν λαψῇ γέρας· αἰ δέ κ' ἀρέσκῃ
Τήναις ἄρνα λαβεῖν, τὺ δὲ τὰν ὄϊν ὕστερον ἀξεῖς.

Quamvis interim alia quoque *proemia*, quae non ex grege, cantantibus proposita esse non inficior. Exempla suppeditabit suavissimus in Pastoral. suis Longus.

Per VELLERA ergo intelligit Oves, *συνεκδοχικῶς*: quemadmodum Flaccus, Carm. III. Od. 16.

——— ——— Nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis.

Quem locum tamen de *velleribus* ipsis intelligunt

Vi-

Viri docti, utpote quae vellera in Gallicâ Cisalpinâ seu regione Pedomontanâ, *praestantissima* fuisse docet Columella lib. VIII. quò respexit etiam Martialis XIV. Epigr. 155. & *Lanam albam* in pretio Antiquis fuisse, est notissimum. A *velleribus* enim praecipuè commendantur Oves juxta illud

Sic vos, non vobis vellera fertis Oves:

quae & hinc signatè lanigerae, & εἰροπόκοι dictae. Hinc Tibull. II. Eleg. I. 62. *Molle gerit tergo lucida vellus Ovis.* Ubi omnino vide elegantissimum Broukhusium, qui hoc loc. Calpurnii nostri versum 4. Eclog I. examinat. Imo hinc *Milesia vellera magno* fuisse *pretio*, quaeque *magno mutata sunt*, docet Poëtarum princeps Georg. III. Ad *vellerum* praestantiam, in usum lanificii, multoties respexit Homerus, & Antiqui: quod hujus non est loci. Attamen ex decoro rei pastoritiae magis in ipsas Oves, quàm illarum *vellera*, loco ὤτων depositas intendit. *Vellus* etiam pro ipso Ariete, sive ove, dixit Naso, Metam. VII. 244. de Medeae sacrificio:

*Sacra facit; cultrosque in sanguine * velleris atri*
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.

* *Ovium nigrarum*, exponit Interpres. Imò & *Lanam* pro *ariete* posuit princeps Poëta Georg III. 391.

Munere sic niveo Lanae (si credere dignum est)
Pan, deus Arcadiae, captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans, &c.

Ubi inter se conferre variantes tum Servii Honorati, tum Probi Grammatici expositiones operae pretium est: in eo convenientes tamen, ut per *Lanam* candidissimam intelligant greges ovium nivei *velleris*: quod huc tantum facit. Ab utriusque expositione recedit Philargyrius, qui pro ipso *vellere* accipit niveo, quo se velaverat, sive Pan, sive, ut alii, Endymion. Nicander hujus fabulae auctor citatur tum à Philargyrio, tum à Macrobio, Saturn. v. 12. qui tamen nihil explicat, neque extricat. Sed tanti non est, si modò pro *lanâ*. id est *vellere*, hic pecus accipias: Sic *corpora* dixit absolute pro *cervis* idem Maro Aen. I. . . qui de Aeneâ:

Nec priùs absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi.

Quod itidem συνεκδοχικῶς accipiendum.

8. Ille sui victus messem ne vendicet horti] *Ut ne vindicet*, Comicum esse rectè hic observat Cl. Barthius. Sententia ergo est. Convenit inter eos, ut Antagonistae suo cedat totius horti fructus hornotinos, neque hos, ut sibi proprios, capiat. Qui enim *rem suam non vindicat, alteri illam cedit. Vindicare* est in usus suos vertere, jure dominii sibi asserere, ùt JCti loquuntur. Duae *vindicandi* species: altera, cùm, *nemine rem possidente, sibi quis illam vindicat, & propriam facit: altera, quâ aliquis possidet rem, a quo vindicanda est*: observante Turnebo, Adverf. XXVII. 13. cujus posterioris haec est species. Requiritur hic ergo *jus*, (sive sit contractus, sive obligatio ex consensu, &c. de quo Institut. lib. III.) ex quo agi possit. Petron. Sat. XIII. *Quo jure rem nostram vindicamus?* Quo spectat & illud Ennianum, Annal. VIII.

Non ex jeure manu consertum, sed magi' ferro
Rem repetunt.

Quae verba egregiè explicat A. Gellius, XX. 10. ubi de more *vindicandi* apud Vett. agit. Sed utriusque locum vide. Hujusmodi *Assertor*, Καρπιστὴς dictus, eò quod *carpum*, id est *manum injiceret* rei sibi Vindiciâ jam propriae factae. Quod hic quadrat, cum etiam καρπὸς Graecis fructum notat, unde Latina vox *carpendi*. Poëtis hinc usitata phrasis est, *injicere manum*. Ovid. Amor. I.

Et dicam mea sunt, injiciamque manus.

Idem Eleg. IV. Fast. IV.

Quem Venus injecta vindicat alma manu.

Graeci vocant τὴν χειρὸς ἐπιβολὴν manus injectionem. Quomodo & Livius, III. Hist. 44. (de Appio Claudio X viro, Virginiam sibi asserente:) *Ministrum manum injecit*. Sed haec pastorum simplicitati vix conveniunt. *Vindico* autem scribendum esse non *vendico*, volunt Grammatici, & Vossius, in Aristarch. I. 42. at praevalere videtur L. Vallae sententia, Eleg. v. 8. qui *vendico* explicat per *approprio*; *meum esse dico*: ex Cicerone probans: *Rusticus petit partem bonorum, Orator sibi totum vendicat.* Quomodo & Calpurnium scripsisse reor.

8 Messem horti] Καταχρηστικῶς, si pro arborum foetu capias: de *oleribus* tamen & *herbis* dici possit. Unde Proverbium, quamvis per ἀλληγορίαν:

Noxia quisque suo zizania demetat horto.

Plinius, ubi de *hortis* agit, lib. XIX. cap. 4. 5. &c. *metendi* verbo usus est Quin & in genere dicitur apud Plaut. Epid. II. 2. *mihi isthic nec seritur, nec metitur*. Messis itaque est nomen generale ad quosvis fructus. Sic *duo tempora messis*, Georg. IV. de *mellificio*. Hinc *metere* tam ad *uvas*, quam ad *segetes* transfertur; prout apud Graecos ἀμᾶν, & ἀμάω, non modò θερίζειν notat, sed ad quemvis fructum, quamvis manu carpendum, refertur: at Interpretes ad illud Maronis Georg. II. 410. *Postremus metito*, de Vite, observant. *metere* ergo est decerpere, & *messis*, quivis fructus. Unde Hesychius ἀμᾶζειν & θερίζειν rectè conjungit. *Messem proprio nomine dicimus in iis,* quae

quae metiuntur, maximè in frumento. Frumenti tria generis sunt messiones, Varro R. R. I. 50. Lucilius, Satyr. XXVII. (teste Nonio)

Non magnum messem, non magnam vindimiam.

Ubi observa, *messem* dici gen. masc.

9. ET MAGNUM CERTAMEN ERAT] Imitatio Virg. Ecl. VII

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Quo versu Interpres ait, *Poëtam κωμικῶς deridere carminis pastoralis certamen.* Quod tamen in Nostro locum non habet. Vetus Poeta:

Nunc certamen cernitur, nunc specimen specitur.

Hinc quasi proverbio Theocrit. Eidyll. v. 23.

Ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισε.

Ubi certamen ἔρις, id est lis, dicitur, non ἀγὼν, ob provocantes se mutuò Pastores.

SUB JUDICE THYRSI] Id est *Thyrside*, casu sexto. Notum est, *Judicem* saepe adhibere solitos fuisse decertantes inter se *pastores*, qui de victoriâ decerneret. Siculus poëta Eidyll. v. 61.

——— ——— Ἀλλὰ τίς ἄμμε,

Τίς κρινεῖ;

Maro, Ecl. III. 49. Ovid. Met. XI. 157. in certamine Panos cum Apolline:

Judice sub Tmolo certamen venit ad impar:
Monte suo Senior judex consedit &c.

Et Metam. v. 314. in re simili:

——— ——— *Dirimant certamina Nymphae*,

quae *electae jurant per flumina*, &c. Virg. Ecl. v. 58.

Pan deus Arcadiâ mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadiâ dicat se judice victum.

Ubi intelligit *Arcadas Maenalies*, id e. *pastores: quatuor enim genera Arcadum fuisse* docet Servius ad Aen. XI. 31. Tangit etiam hunc inter se decertandi morem Pastoribus usitatum Lucretius lib. v. 1393. de origine Musices:

Saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
Propter aquae rivum &c.

JUDICE] Confer huc elegantem Marcelli Palingenii locum Zodiac. Vit. lib IV. (de quo poëmate varia sunt Literatorum judicia) ubi haec, ex imitatione Vett plenius exsequitur.

Vallis erat, montes inter porrecta propinquos:
Progredior, videoque duos in gramine laeto
Pastores, pariter quâdam sub rupe sedentes;
Qui, positis peris juxta, & (quos ferre solebant
Nodosâ è corno) baculis, certare canendo,
Inter se accensi laudis mercede, volebant.
Sed judex deerat, cujus sententia litem
Solveret, & palmam victori ferret honestam.
Ut me viderunt, extemplo accersit uterque,
Et rogat, ut vellem secum residere sub illis
Cantibus, & *tanti certaminis arbiter essem.*
Tunc unus, & seqq.

Qui apparatus ex Theocrito, Eidyll. v. jam est. vs. 68.

——— ——— Ἄμμες γὰρ ἐρίσδομες, ὅστις ἀρείων
Βωκολιασδὰς ἐσσεῖ· τὺ δ' ὦ φίλε μήτ' ἐμὲ Μόρσων,
Ἐν χάριτι κρίνῃς. & quae sequuntur ad rem:

Rixatores enim (quales ferè gens rustica) *Judicum reverentiâ continentur*; juxta Quinctilian. Inst. Orat. XI. I. Itaque mirum non est, ὅτι τοσαύτην ἔχει ἀνάγκην κριτῶν ἐκλέξασθαι τὸ βέλτιον: ut inter se decertaturos rectè monet Isocrates, Encom. Helen. Sed haec Gnomologis relinquenda. Ad rem magis facit Longus Pastor. I. de fistulâ quâ Dorco pastor πολλοὺς ἐρίζων καὶ βουκόλους ἐνίκησε, καὶ αἰπόλους.

ADFUIT OMNE GENUS PECUDUM, GENUS OMNE FERARUM.] Theatrum describit Cantoribus dignissimum: quale illud Orphêum, apud Nasonem, Met. x. fab. 4.

Tale nemus Vates attraxerat: inque ferarum
Concilio medius, turbâ volucrumque sedebat.

Ita & Senec. Tragic. Herc. Oet. à vs. 1035. ad 1060. quem pulchrè imitatus est Boëthius Consol. III. Metr. 12. Claudian. Praef. in lib. II. de Rapt. quos operae pretium est conferre. Propius tamen imitari videtur Martialem, de quodam Orphei personam agente, Spectacul. libr. Epigr. XXI.

Adfuit, immixtum pecori, genus omne ferarum,
Et supra Vatem multa pependit avis.

11. ET QUAECUNQUE VAGIS ALITUM FERIT AETHERA PENNIS,] AVIUM omnino ob legem Metricam, cum doctissimis Viris, Barthio ac Vlitio, legendum. Nisi fortè *Alitum* fit dissyllabum per συνεκφώνησιν. Certè inter vitia Prosodica Poëtarum posterioris aevi hunc Calpurnii locum non notavit H. Smetius; neque G. Vossius in Aristarch. Gramm. *Alituum* dixit Lucretius de R. N. II. V. & passim: unde Maro, *Alituum pecudumque genus.* Observa hujus vocis femininum. *In illis enim adjectivis ales, praepes, volucris, deest Avis*: ùt de Ellipsi rectè Sanctius. Hinc Cicero in Arati Phaenom. conjunxit:

——— ——— *Ales avis lato sub tegmine coeli.*

FERIT AETHERA] Ὑπερβολικῶς, cùm *aëra* dicendum esset. *Volatus* enim *fit percussione aëris*; unde Graeci, τὸν ἀέρα τέμνειν quod Latini, *aërem ferire, secare, findere* dicunt. Propriè itaque poëta Sulmonensis, de *avibus*, in Fast. extulit:

Omnes quae liquido vibratis in aëre pennas!

pro quo *libratis* quidam legunt. Maro in Ceiri: & Georg. I.

——— ——— *Levem fugiens secat aëra pennis.*

Planè autem ad formam Nostri, ibid. vs. 409.

——— ——— *Quaecunque levem secat aethera pennis.*

Aether

Aether enim pro quo & *Jovem* dixere, ut Ennius, aliique Vett. & *aër* quid differant inter se, docebunt Physici. *αἰθὴρ* vox Graeca est, quam non receptam Latinis volunt, nisi Ciceronis aevo. Sed jam Ennius, Pacuvius, alii, usurpaverant. Assidentes atque attentas facit & feras, & aves. *Avium volatus* egregie describitur Boëthio Conf. v. Metr. 5. *Sunt, quibus alarum levitas vaga, verberetque ventos, Et liquido longi spatia aetheris enatet volatu.* Ratò enim fine *avibus* locus quispiam nemorosus. Theocrit. Eid. v. 47.

——— ——— *ταὶ δ' ἐπὶ δένδρῳ*

Ὄρνιχες λαλαγεῦντι· κ' ἁ σκιὰ οὐδὲν ὁμοία.

Convenit umbrosa quicunque sub ilice lentas pascit oves.] Elegans fanè apparatus; ubi, ex decoro, non *Pastores* modò, sed & Deos adhibet Sylvestres *εἰς τὴν ᾠδήν*: ex more Vett. pastorum, quibus scenam constituendi inventionem, & reliqua ad theatrum facientia debet Antiquitas: quod tangit non obiter Flaccus In Art. Poët. 276. &c. Maro Georg. II. 381. & seqq. Specimen vide in Appulej. Melef. x. sub finem.

Convenit] Propriè de concione, & populi frequentiâ. Ennius Ann. xv.

——— ——— *Undique conveniunt.*

Ovid. Met. I. 577.

Conveniunt illuc popularia flumina:

Huc facit Petronius, Sat. XXIII.

——— ——— *Huc, huc convenite*

Pedem tendite, cursum addite, convolate plantâ.

egregiâ *ἐξεργασίᾳ*. Simplicius Auctor, serioris aevi poëta,

——— ——— *Pastorum manus affluet omnis.*

Umbrosa ilice] Papinius Theb. v. eôdem epitheto:

——— ——— *Umbrosâ populatus in Ilice*

Pro quo Virg. Ecl. VI.

——— ——— *Ilice sub nigrâ*:

ubi Servius, *umbrosâ*, vel re verâ nigrâ. *Patulam* dixit Nemesian.

Torrentem patulâ vitabant ilice solem.

Plinius, XVI. 22 *Ilicis duo sunt genera. Ex iis in latrâ folio non multùm ab oleis distante*: quarum folia lata quidem & densissima sunt. De *Ilice* Jovi sacrâ, plura habet Antiquitas, quae huc non faciunt. Sed contra Calpurnii mentem ejus est Emblema CCV. quod habet Alciatus:

Duritie nimiâ quod sese rumperet Ilex,

Symbola civilis seditionis habet.

Hic autem placide sub ejus umbrâ *pastores conveniunt.*

Lentas pascit oves] *Lentas* id est, lentè vagantes. Sic de *vaccâ* Ovid. Met. III.

Incustoditam lentè videt ire juvencam.

Tardum pecus dicitur Tibull. IV. Vel ad naturam respexit *avis*, quae propriè *placida*, *lenta*, & *patiens injuriae* ut loquitur Phaedr. I. fab Hinc filiabus vulgò, ut tenerioribus, *ovium* pascendi commissa fuit cura: qualis illa fuit Chloë in Longi Pastoralibus. Observa, *tria tantum pastorum genera. Opiliones nempe, Caprarios, & Bubulcos, qui dignitatem obtinent in Bucolicis (nullâ habitâ Subulcorum ratione) celebratos fuisse Theocrito, Virgilio, aliis*: ut adversus Servium, ex Ael. Donato, observat Erythraeus ad Maronis Eclog. x. 19. Hinc *opiliones & bubsequae* conjunguntur Appulejo, Milef. VIII. Neque aliter Antiquiores; nisi quod *subulci* Eumaei mentionem faciat honorificam Homerus, Odyss. XVI. & inferius, quam vocat *συβώτην ὄρχαμον ἀνδρῶν*.

12. Faunusque pater, satyrique bicornes] *Faunum patrem* vide Eclog. I. vs. quem & *cantibus* delectati Nemesian. Eclog. I. 14. dixit:

Jam mea ruricolae dependet fistula Fauno, &c.

Et sic passim. Observa *Faunos* praecipuè conjungi Satyrorum Nympharumque choris, ubi de lusu ac cantilenis agrestium agitur. Exempla ubivis obvia. *Faunum* verò num. sing. inducunt ferè, ubi sermo est de vaticiniis, à *fando* nempe. Quocirca Maronis Enarrator ad Georg. I. 10 (ubi Poëta tamen *Faunos* invocat) inquit: *ab Evandro Arcade Faunum deum appellatum; ideoque aedes sacras Faunas primùm appellatas, postea Fana dicta; &, quòd futura praecinerent, Fanaticos. Oraculum Fauni in Albuneâ Laurentinorum sylvâ*: ùt observat Probus Grammaticus. Sane alio sensu hic *Faunus pater* dicitur, quàm Ecl. I. non utique respectu Latii, verùm comitatùs sui: cùm Satyrorum vulgò feratur choragus, princeps ac *pater*: unde appositè *senes* dixit illos Nemesianus, in Bacchi comitatu, Eclog. III.

——— *Nymphae, Faunique senes, Satyrique procaces.*

Conjunguntur fere *rustica numina*, *Fauni*, *Satyri*, &c. quos *Semideos* dixit Ovid. Met. I. 192. Imò, *plebs Superum Fauni, Satyrique*, &c. dicti sunt ab eodem Nasone in Ibin. Quin etiam pro monstris ac terriculamentis habiti, quos vocavit Prudentius *φάσματα*. Hymn. x.

Faunos, Priapos, fistularum praesides.

Ratio videtur nominis *Faunorum*, quod à *fando* deducunt. Unde Lucretius lib. IV. 585. nihil aliud haec *sylvestria numina* fuisse docet, quàm repercussionem τῆς Ἠχοῦς, ac vocum resonantiam in locis concavis montium ac sylvarum, quae è longinquo audientibus terrorem incutere solent: atque ideo ansam fabulae inter agrestes de Faunis eorumque apparitionibus dedisse. Ita enim ille:

Haec

Haec loca capripedes Satyros Nymphasque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos esse loquuntur.
Et genus agricolûm latè sentiscere, quum Pan,
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Unco saepe labro calamos percurrit hiantes:
Fistula sylvestrem nec cessat fundere musam.

Hinc etiam *Panici terroris* Emblema facit *Faunum* Alciatus, Embl. cxxii

Effusas cernens fugientes agmine turmas,
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait,

Satyrique bicornes] Commune appositum Pani Lyceo, Fauno, Satyris. Ovid. Epist. Oenon.

——— ——— *Semideae Dryades, Faunique bicornes.*

Idem Fast. ii. 268.

——— ——— *Et Fauni sacra bicornis erunt.*

& iii. 312.

Sic Numa: sic, quatiens cornua, Faunus ait.

Rationem ex Macrobio vide Eclog. i. Neque aliter *Pana* vocat Homer. in Hymn.

Αἰγιποδην, δικέρωτα, φιλόκροτον. &c.

Silii Italici descriptio Panos Punic. lib. xiii. nota. Quid mirum ergo & *Satyros*, qui in eôdem comitatu, à Nonno in Dionys. dictos fuisse βουκέρως id est *taurorum cornua habentes*? Lucianus itaque ad rem in Deor. Concil. Σάτυροι, ὀξεῖς τὰ ὦτα, καὶ αὐτοὶ φαλακροὶ, κεράσται, οἷα τοῖς ἄρτι γεννηθεῖσιν ἐρίφοις τὰ κέρατα ὑποφύει. &c. Quos proinde rectè γελοίους καὶ τερατίους θεοὺς appellat, *ridiculos & monstrosos deos*, hinc coelo exturbandos: respiciens fortè Jovis verba, apud Nasonem, Met. i. 194. velut ἡμιθέους, καὶ ἀνδρῶν ἡρώων γένος, ùt Hesiod. i. Ἐργ. De *Satyris* ergo plena est omnis Antiquitas. Diodor. Siculus Biblioth. i. 18. illos (unà cum Musis & Apolline, id est novem virginibus, earumque Μουσηγέτη) in Osiridis Aegyptii, (qui Bacchus Graecorum) comitatu fuisse scribit, qui *ad tripudia, & decantationem carminum, omnemque hilaritatem, & lusum apti erant.* Quo apertè respexisse videtur Poëta Sulmonensis, illorum proterviam designans, Metam. xiv. 637.

Quid non & Satyri, saltatibus apta juventus,
Fecere?

Idem inculcat Aelianus V. H. iii. 40. scriptor hìc satis idoneus: Ὅτι οἱ συγχορευταὶ Διονύσου Σάτυροι ἦσαν· ἔχοι δὲ τὸ ὄνομα ἐκ τῶν σχημάτων, οἷς χαίρουσι Σάτυροι· Σάτυροι δὲ ἐπὶ τοῦ σεσηρέναι· τερετίσματα, lascivae & procaces sunt saltationes, quibus gaudent *Satyri*. Rationem etymi rectiùs derivant Viri doctissimi a σάθη (quàm ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, *irridentium more detorto vultu* esse, ut vult Aelianus) ob nimiam eorum salacitatem, ac in virgines proterviam. Neque & audiendus hic est Macrobius Saturn. i. 8. qui *Satyros, veluti Sathynos vel Sathemnos, quod sint in libidinem proni appellatos esse*, contendit. A *ludendo* praeterea dirivari possint, quod Σάτυρ Dorica linguâ, *lusum* significat, ut magnus observat Casaubonus. Quin & ex Oriente potuit esse vocabulum (ùt idem Vir summus observat) Σατύρους enim esse quasi סתורים, velut in speluncis ac montibus *latentes*, a סתר. Sed vide hic elegantissimum Chr. Becm. Orig. L. L. Eosdem quoque dixere Τιτύρους, à saliendo: quod & habet Aelianus l. cit. *Tityrum* enim *Libycâ linguâ Hircum qui Salacitatis Emblema, appellari* docent Viri docti. Τίτυρος hinc idem est Hesychio, qui Σάτυρος. Consentit Strabo Geogr. lib. x. in medio ferè, qui Liberi patris sacerdotes facit. Verba ejus latina sunt: *Liberi autem ministri sunt Sileni, Satyri Bacchae, Lenae, & Thyiae, & Mimallones, & Najades & Nymphae, & quos Tityros vocant.* Bacchi ergo ministros omnes faciunt, nec sine ratione. Dixit hoc Lucianus in Saltat. Ovid. Met. iv. 23. *Bacchae Satyrique sequuntur*: quamvis *thyasique* ibidem malint alii. Sed Plinii locus lib. v. & viii. 54. quem ferè sequitur Solinus Polyhistor, cap. iv. de *Satyris*, ùt & ille Plutarchi de *Satyro* capto in Syll. cap. xxi. de Simiis praegrandibus accipi posse videtur. Sed vide hic Pierium Hieroglyph. x. in *Caprâ*, quae ex Pausaniâ, idem censet. Cum eodem Pausaniâ in Attic. potiùs statuendum esse videtur *homines fuisse agrestes, rufos, incultos*, ac prodigiosae lasciviae, quos vel inde *cornutos* dicere possis. Quàm falsè rideantur hi agrestium Semidei à Patribus, nihil attinet huc dicere. Firmicum vide de Error. Prof. Religg. alios. Lasciviam illorum certe vel Pomonae fabula Met. xiv. 637. demonstrat. Consule, si tanti sit Natal. Comit. lib. v. 13. ac Mythologos, qui ad terrae fertilitatem & quasi luxuriem physicè referunt. Sed ad Calpurnium magis facit Nemesiani Eclog. iii. ubi lascivos *Satyros* planè descriptos habes.

13. Adfuerunt sicco Dryades pede, Naïdes udo] *Adfuerunt*, Συστολή, figura Metrica, satis cognita.

Dryades] Et haec in eodem comitatu ferè: Quid mirum ludibundas etiam accedere ad cantum nymphas: ut de Orpheo observat Senec. Trag. Herc. Oet. ubi chorus:

Et quercum fugiens suam
Ad Vatem properat Dryas.

Appositè. *Dryades* enim à Quercu (quae Graecis Δρῦς) quasi *Querquetulanae*: quae (quòd cùm eâdem arbore, quam propriam sibi habebant, & nasci & emori credebantur) etiam *Hama-*

madryades dictae sunt. Unde in Technopaegn. suo Ausonius argutè, ut solet:

Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.

Quò spectat & Erysichthonis fabula sacram Cereri ac Hamadryadibus quercum excindentis, apud Nasonem Met. VIII. 779. quam ex Callimachi Hymn. in Cererem adornavit. Vide & Servium ad Virgil. Ecl. x. vs. 62. Verum notatu dignissimae sunt ejusdem Callimachi, Hymn. in Del. vs. 83.

Ἡ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα Νύμφαι·
Νύμφαι μὲν χαίρουσιν, ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
Νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν, ὅτε δρυσὶν οὐκ ἔτι φύλλα.

Unde Pausanias lib x. Νύμφας τῷ ἀρχαίῳ τῶν ποιητῶν λόγῳ ἀπὸ δένδρων, καὶ μάλιστα ἀπὸ τῶν δρυῶν ἰδίους. Ratio ex Geniorum seu Daemonum vità (quibus, cum Hesiodo, certis temporum conversionibus mortem obtingere censebant Gentiles) petenda videtur: de quâ temporum περιόδῳ etiam Appulejus de Deo Socr. Jamblichus de Myster. Aegypt. ac Porphyrius, multa habent. Sed ad rem. Plutarch. lib. de Defect. Oracul. cap. XVIII. *Geniorum vitam annorum* statuit esse IXCMDCCXX. *ac ne longius quidem Pindaro visum, qui Nymphas ait vivere aevum tanti temporis, quantum durare arbor potest, indeque Hamadryades, quasi cum quercubus viventes dici.* Idem sensit Apollonius Rhod. Argon. II. vs. 479. qui de Paraebii patre narrat, *Hamadryadem ipsi flentem blanditam fuisse, ne quercum sibi coaevam in qua multa usque saecula degisset, exstirparet.* Sed Graeca vide. Ubi Scholiastes, post enarratum τῆς Ἀμαδρυάδος νύμφης etymon, &, ex Charonte Lampsaceno, Rhaeci cujusdam cum Hamadryade occursum, aliaque ad rem facientia, etiam Pindari testimonium adfert: Καὶ Πίνδαρος, inquiens, ὅς φησι, περὶ Νυμφῶν ποιούμενος λόγον·

Ἰσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῖσαι.

Quae Apollonii verba etiam citat Natal. Comes Mythol. v. II. Sylvarum itaque deae propriè *Dryades*, peculiarium ac sibi devotarum arborum Hamadryades: unde scientissimus Poëta Georg. III. 40.

Interea Dryadum sylvas saltusque sequamur.

Arboribus enim penes Antiquos summam fuisse venerationem in confesso est, neque testimoniis eget. Sed in Ethnicis haec ferenda. Amantes vero choreas vulgò inducuntur, cur non indecorè ad pastorum cantus accurrisse finguntur: quod & observat Marcellus Palingen. in Zodiac. I. & III. quamvis homo Christianus, poëta tamen:

Illa licet Satyri teneant loca, quos Nympharum
Urit amor Dryadum, & choreas per gramina ducant.

Interim & in Italiâ suâ, more Poëtis recepto, constituit *Dryadas* Propertius I. Eleg. 20. nec non Martialis lib IV. Epigr. 25.

Quaeque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit. &c.

Quomodo & Noster in suo Latio.

SICCO PEDE] Ob ἀντίθεσιν Nympharum *Naïdum*, quae sequitur. Fallitur interea Servius, qui ad Georg. IV. 535. inquit: *Sanè sciendum, easdem esse Napaeas, quae & Dryades.* Sed *Napaeae* propriè sunt virgultorum & herbarum deae, apud Poetas; à νάπη, *saltus, locus tenebrosus.* non (ùt quidam volunt) à νάω: ut rectè Gyrald. Syntagm. v.

14. PEDE, NAÏDES UDO] Fontium enim ac fluviorum erant Numina, à νάω, *fluo*, quòd circum fluenta versarentur. Et illae *in Bacchi ac Satyrorum comitatu*, vel, quòd humore suo vitem nutriant, vel quod vinum aquâ sit temperandum, juxta Anacreontem. Et illud Tibulli, III. 6. *Naida Bacchus amat.* Imò *Naïdas*, (auctore Servio) pro Musis accepisse videtur maximus Poëta, Eclog. x. 10. Sed ad rem nostram facit elegantissimus Ausonii locus in Mosell. vs. 170.

Hic ego & agrestes Satyros, & glauca tuentes
Naïadas extremis credam concurrere ripis.

& seqq. ubi & *Panas* capripedes & *Faunos* & *Nymphas Oreiadas*, & *Satyros*, de more ludibundos habes. Cui descriptioni jam praeiverat Statius, Sylv. II. de Villâ Surrentinâ Pollii. & itidem de Arbore Ated. Melioris, à vs. 7. ad usque 61. *Naïadas* interim (ùt reliquos taceam) Jovis esse filias inquit Homerus, earumque sedilia, & opera egregiè describit, Odyss. XIII. 104.

——— ——— Ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδὲς,
Ἱρὸν Νυμφάων, αἳ Νηϊάδες καλέονται. &c.

Frequenter autem conjunguntur: ut (praeter exempla jam allata) Auctor Epigrammatis in Priap.

Naïadas antiqui, Dryadasque, habuere Priapi.

Celebravit illas Hylae formosissimi pueri fabula; nam *cui non dictus Hylas?* quare *improbae* (id est procaces ac lascivae) dicuntur Senec. Tragic. Hippol. & Petron. Sat. LXXXIII. &c. Quò allusit Martial. VI. Epigr. 68. qui & in Lucrino eas posuit. Cui adde Silium Ital Punic. v 15. qui Thrasymenum puerum Nympharum amore demersum fingit, quem

——— ——— *Viridi penitus fovere sub antro*
Naïdes, amplexus, undosaque regna trementem.

 Qua-

Quare & appositè, *Naidas* Poëta addidit, ut formosorum spectatrices puerorum. dixerat enim vs. 3. *Formosus uterque.*

Udo pede] Ita Claudianus de Rapt. iii. 17.

——— ——— ——— *Udae*
Naiades, & taciti mirantur numina Fauni.

Sic *Thetidem udam* dixit Ovid. Met. xi. 222. quomodo & Nonno Panopolit. in Dionys. ὑγρόπεδος, & ὑγρὰ ἐρι, *per humida gradientes*, dicuntur. Quod & Angelus Politianus observat politissimus poëta:

Uda choros agitat Naias, decurrit Oreas.

Summâ autem elegantiâ Nemesianus eôdem usus est ἐπιθέτῳ, in Donace:

Quae colitis sylvas Dryades, quaeque antra Napeae;
Et quae marmoreo pede, Naides, uda secantes
Littora purpureos alitis per gramina flores.

Nec temere dixit PEDE vel respectu chori tripudiantis dum cantant pastores (quemadmodum *in numerum pede libero saltantes Faunosque ferasque*, Sileno cantante, induxit Maro) vel respectu favoris: ut idem Georg. i. dixit deos invocans agrestes:

Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellae

15. Et tenuere suos properantia flumina cursus] Imitatio Maronis Ecl. viii. ubi ad pastorum cantus itidem

Et mutata suos requierunt flumina cursus;

Quem versum & hic observat doctissimus Vlitius. Frequens hic Poëtarum locus. Senec. Trag. Herc. Oet 1036. de Orpheo:

Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor:
Oblitusque sequi fugax
Amisit liquor impetum.

Quod imitatus de eôdem est Boëthius, Conf. iii. Metr. 12. & quis non Veterum? Ennius in Scip. *Constitere amnes perennes*: cui simile adfert Illustr. Interpres, ex Alcaei Epigrammatis:

——— ——— Ῥόος δ' ἔστη ἀκούων Ἀσωποῦ:

Quod ad rem. Fluvium enim quasi audientem Alcaeus & attentum fingit, ac proinde *rapidos morantem Fluminum lapsus*: ùt de Orpheo Horat. i. Od. 12. Sic elegantissimâ ὑπερβολῇ quasi mirabunda stare dicuntur flumina. Neque ea phrasis in S. S. Litt. incognita.

Properantia] Eleganti vocabulo de fluminibus. Senec. Herc. Fur. *Praeceps citati fluminis iter.* Notat igitur, *cum impetu quôdam decurrentia.* Ita Graecis fl. dicitur εὐρρόχαλος, *benè currens.* Oppianus Cyneget. ii.

Εὐπλοΐμων λίμνας, ἢ εὐρροχάλω ποταμοῖο.

Et Homer. Iliad. v.

Στῆ δ' ἐπ' ὠκυρόῳ ποταμῷ ἅλα δ' ἀσπίδ' ...

Eôdem interim epitheto Flaccus de Art. vs. 7. quò Noster, usus:

Et properantis aquae per amoenos ambitus agros.

Atqui ita ferè Silius, Punic. viii. de flumine: *Et properè in pontum ruit.* Propriè magis de rivo dixit Horat. ii.

——— ——— *Et obliquo laborat*
Lympha fugax trepidare rivo

Cui simile illud Maronis Georg. iv. *Et tenuis fugiens per gramina rivus.* Distinguit Festus inter τὸ *properare*, & *festinare*: *qui maturè transigit, is properat; qui multa simul incipit, neque absolvit, festinat.* Unde A. Gellius, xvi. 14 *Aliud est properare, aliud festinare.* Rectè ergo de fluminibus, quae secundum naturam decurrunt.

16. Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri] Argutè dixit *incurrere* de Euro, qui ventus propriè vehementior, unde etiam ejus ἐπίθετα. *Incumbere foliis* pro eo dixit Ausonius in Epigr. de eôdem, sed cum tapeinosi quadam:

Incubuit foliis quoties levis Eurus acutis.

Incurrere in aliquem, ait Quinctilian. Inst. xi. i. & observat *petulantiae vocem* esse. Horat. tamen (ut Noster) tertio casui adjunxit. lib. ii. Satyr. i. 37.

——— ——— *Romano incurreret hostis.*

Audaciori tamen τρόπῳ, ùt solet ferè, de eôdem vento dixit *equitare* idem Venusinus Poëta Carm iv. Od. 4.

Ut teda per flammas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

De Zephyro idem dixerat Euripides, Phoeniss.

Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ.

Quod jam observârunt Viri docti, ac praesertim A. Muretus Var. Lect. i. 12. Ita & μεταφορὰ *incurrendi* deducta videtur *ab hoste.*

Tremulis frondibus] Mobilibus vento. Quomodo per ὑπαλλαγὴν Horat. i. Od 23. expressit:

——— ——— *Mobilibus Veris inhorruit*
Adventus foliis.

Et Maro Eclog. v. 5.

——— ——— *Incertas Zephyris motantibus umbras.*

Sic Catullo Epithal *myrtus tremula* dicitur. Ventis in genere hic actus tribuitur, ab effectu nempe omnibus Ventis communi; qualis est *arborum frondes commovere.* &c. Observa Vett. *frons* dixisse potius, quam *frons*; ùt ex Catone, aliis, constat. Unde Ennio est: *populea frons.*

Desistunt] Desinunt, absistunt. Ut, *Sed tu desiste moveri.* Feriatos ergo inducit ventos. Eôdem schemate, sed adulatoriè usus est Noster

[illegible]er cùm quasi in honorem Cari Imp. seu po-[illegible]s Numeriani Caesaris, ventos acquiescere cantibus suis fingit, Eclog. IV. vs. 97.

Aspicis, ùt virides, audito Caesare, sylvae,
Conticeant? &c. *Deus hinc, certe Deus expulit Euros.*

16. ALTAQUE PER TOTOS FECERE SILENTIA MONTES] Videntur haec & similia adumbrata ex Graecis. Ita Euripides Iphig. in Aul. vs. 9.

Οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων,
Οὔτε θαλάσσης· σιγαὶ δ' ἀνέμων.

Ita ut quasi ipso *silentio cantantibus favere* & *εὐφημεῖν*, (ùt est in formulis Sacrorum) videantur etiam inanimata: sed *χρῆμα* satis notum, multisque jam tractatum. Tangit hunc quoque morem *praestandi cantantibus silentium* Callimach. Hymn. in Apollin. vs. 17.

Εὐφημεῖτ' ἀΐοντες ἐπ' Ἀπόλλωνος ἀοιδῇ.
Εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοί.

Ad quem loc. doctissimus Meursius: *Fiebat id summo cum silentio: unde Suidas εὐφημεῖν, pro σιωπᾷν accipiendum esse tradit.* De quo ritu & Homerus, & Aristophanes, & quis non Vett.? Similem Callimacho locum adduxit Illustris Ez. Spanhemius ex Aeschyl. in Suppl. vs. 702. itemque alium ex Aristophan. in Θεσμοφ. vs. 43. qui huc magis facit:

Ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμος αἰθήρ.

ubi, *More poëtarum* (inquit) *ut audientium non homines solum, sed ventos etiam, facere jubeant.* quem locum Noster hìc mirificè amplificat.

ALTA ergo SILENTIA eleganti dixit formâ: quomodo & *alta pax* dicitur Senecae in Thyest. choro. Sed eodem adjuncto Ausonius Epist. XXIII. ad Paulin. suum:

Sed tu, juratis velut alta silentia sacris
Devotus teneas, perstas in lege tacendi.

Similis interea est locus in Ennii Scipione (quem & citat Macrob. Sat. VI. 2.) quamvis in re non simili:

Mundus coeli vastus constitit silentio,
Et Neptunus saevis undis asperis pausam dedit.
Constitere amnes perennes: arbores vento vacant.

Cui conferas Maronis Dir. in Battar. vs. 119.

Gaudebunt sylvae, gaudebünt mollia prata,
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient:
Tardabunt rivi labentes currere lymphae.

ùt & Ejusdem Culicem, de Orpheo canente:

——— ——— *Steterantque amnes, sylvaeque sonorae.*

Neque aliter Pacuvius in Chryse:

Fluctus flaccescunt, silescunt venti, mollitur mare.

Cui adde Tibull. IV. Panegyr. in Messal.

Et fera discordes tenuere silentia venti.

Usque adeo (ut est in Phaedr. V. fab. 5.) in hoc apparatu

Silentium ipsa fecit exspectatio.

PER TOTOS MONTES] Rectè de pastorum contuberniis, quibus vulgo montosa convenit regio, praesertim caprariis ac bubulcis. Ita certè Maronis musa pastores inducit, Eclog V. 8.

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

Ubi peritissimus Enarrator explicat, *in nostro territorio*: & Vet. Interpres: Rusticè & *πατριωτικῶς dixit, quasi in nostra patria: plerumque enim in saltibus* (qui ferè in regione montosa) *degebant pastores.* Idem observat Maro Eclog. X. 31. ubi Gallus poëta:

——— ——— *Cantabitis, Arcades, inquit*
Montibus haec vestris; soli cantare periti
Arcades. Id est, *pastores*, ait Servius.

In *montibus* enim ferè suos jactabant amores, ac de amoribus cantilenas. Itaque de Maenalo Arcadiae:

——— ——— *Semper pastorum ille audit amores.*

Id est cantiones amatorias, *ἐρωτικοὺς λόγους*. Neque mirum. Cùm ipse Amor, non sylvas tantùm sed & montium cacumina, unà cum Nymphis, incolere feratur; juxta Anacreontis Odarium XCIII.

Ὦναξ, πανδαμάτωρ Ἔρως,
Ὢ Νύμφαι κυανώπιδες
Συμπαίζουσιν ἐπιστρέφεαι
Δ' ὑψηλῶν κορυφὰς ὀρέων.

Quin & *pastores* in *montibus* ferè collocat Theocritus, unde ejus Scholiastes ad Eidyll. I. *Αἰπόλοι εἰσὶν, οἱ ἐν τοῖς αἰπεινοῖς, τουτέστιν, ὑψηλοῖς τόποις τὰς αἶγας νέμοντες.* ut doctissimus notat Interpres ad illa Appuleji Miles. VIII. *Senex de summo colle prospectat, quem circum capellae pascentes opilionem esse profecto clamabant.*

Celebratus praesertim mons Ida Phrygiae, Luciano in Dialog. Deor. & aliis. L. Accius, Astyanact.

——— ——— ——— *In celsis montibus*
Pecua, atque inter colles, pascunt Danai in Phrygias terminis.

De eodem Appulejus (Miles. X. propè finem) in personato pastore: ubi Paridis *scena disponitur in monte ligneo, ad instar inclyti montis illius, quem vates Homerus Idaeum cecinit. . . . capellae pauculae tondebant herbulas.* Celebratus & Cithaeron Sophocli Oedip. Tyr. 1038. quem secutus Senec. Tragic. Oedip. 808. ubi Senex pastor ad Oedipod.

SEN. *Nivoso sub Cithaeronis jugo.*
OED. *In illa temet nemora quis casus tulit?*
SEN. *Illo sequebar monte cornigeros greges.*

Confer Battum pastorem, apud Ovid. Met. II.

704. qui de bubus Mercurii:

——— ——— ——— ——— *Sub illis*
Montibus inquit erant, & erant sub montibus illis.

Neque aliter Theocrit. Eidyll. VIII. 1, 2.

Δάφνιδι τῷ χαρίεντι συνάντετο βουκολέοντι
Μῆλα νέμων (ὡς φαντὶ) κατ' ὤρεα μακρὰ Μενάλκας.

Ecce varia pastorum genera in *montibus*. Hinc proprio epitheto dicitur *Pastor* (Statio Theb. I.) *Montivagus pecoris custos*. Sic Nonno in Dionys. est ὀρεσιτρόφος, *montibus innutritus*; atque alibi, ὀρεσαυλος νομεὺς, *in montibus stabulans*: nec non ὀρειδρόμος, *per montes excurrens*.

18. Omnia cessabant] Tanquam die festo, omnibus ad hoc certamen intentis & feriatis. Ita Horat. III Od. 18. ad Faunum:

Ludit herboso pecus omne campo:
Festus in pratis vacat, otioso
Cum bove, pagus.

Confer Ovid. Fast. I. 667. *Pagus agat festum:* & quae sequuntur. Cui adde Tibulli luculentissimam ejusmodi festorum inter agrestes descriptionem lib. II. Eleg. I. 5. & seqq.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis. sed noti sunt versus.

Auctor Moreti: *Forte labor cessabat aratri.* id est dies festus erat, cui vacandum ex religione. Ita & Senec. Herc. Fur. ubi chorus: 880.

Cessent, deposito jugo,
Arvi fertilis incolae.

Atque ita otiantes & feriatos inducit rusticos Aristophanes in Εἰρήνῃ. ubi itidem chorus:

Μᾶτα· σὺ μὲν πολέμιος
Ἀποταρβῆς, μετ' ἐμοῦ
Τοῦ φίλου χίρδοντος. &c.

Dionysia ac ferias agitantes rusticos vide apud Longum in Pastoral. III. Οἱ μὲν γεωργοὶ καὶ νομεῖς ἔχαιρον, πόνων ἀπηλλαγμένοι πρὸς ὀλίγον. Quae otia benè feriata εἰρήνης ἄγειν vocat. Fortasse his quoque tranquilla & quasi aurea Imperii tempora sub Caro & Numeriano Impp. (post domitos nempe Sarmatas) innuere videtur; (juxta illud; quod extulit Eclog. IV. cui titulus CAESAR,) *Ille meis pacem, dat montibus.* Sed totam confer, quae lectu dignissima. His itaque feriatis diebus ludo & cantibus indulgere mos erat. quod etiam, observat Porphyr. ad Horat. II. Epist. I. vs. 139.

18. Neglectaque pascua tauri calcabant.] Ταυτολογία haec est. Significat enim ὑπερβολικῶς attentos adeo fuisse tauros, ac boves, ut ne gramina quidem carpserint. Ita quoque Maro Ecl. VII. cantantibus Damone & Alphesiboeo:

Immemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantes:

(Quem versum hic quoque citat J. Vlitius) ubi Servius: *Cantilenae suavitate etiam animalia dicit pascua oblita esse, quae pascendi sunt avidissima.* Neque aliter Noster Eclog. postrema vs. 3.

——— ——— *Cupiunt se visere sylvae,*
Et sua moerentes exspectant jubila tauri.

Ita ad Daphnidis fistulae sonitum delectari fingit suavissimus Longus, Pastor. IV. Καὶ τῇ σύριγγι ἐνέπνευσε· καὶ αἱ αἶγες ἔστησαν, τὰς κεφαλὰς ἀράμεναι· εἶτα ἐνέπνευσε, καὶ αἱ αἶγες ἐνέμοντο, ἐγκύψασαι κάτω· αὖθις λιγυρὸν ἔδωκε, καὶ ἀθρόαι κατεκλίθησαν. In voce CALCABANT latet vis quaedam. Calcamus ea quae despecta jacent: unde Petronius: *Quodnam purgamentum calcasti in trivio?* quocirca apto adjuncto dixit NEGLECTA GRAMINA. ut Maro:

——— ——— *Nec graminis attigit herbam.*

19. Illis etiam cantantibus ausa est Daedala nectareos Apis intermittere flores.] Id est: *sustinuit*, vel voluit quoque *ipsa Apis*, quantumvis parcum & laboriosum animal, *mellificii sui opus intermittere*; & in gratiam domini sui Astaci (qui hortulanus inducitur) quasi feriatum agere diem: ne scilicet bombo suo ac susurro cantanti obstreperet; quamvis (juxta Poëtam Georg. IV.) illas *Invitent croceis halantes floribus horti.* Cum itaque alitum ferarumque genus interquiescat respectu *Fauni* & *Satyrorum*; cessent *Euri*, respectu *Dryadum*; quiescant *flumina* in honorem *Najadum*; cur non etiam, ex decoro, *Oves* ipsas attentas faciat in gratiam *Idae sui pastoris*? ùt & *Apes* in gratiam *Astaci*, qui *hortulanus*? Hoc modo elegantissima rerum inter se erit oppositio. Rarò etiam horti aut flores sine Apum mentione; quae cantantibus certè impedimento forent bombos suos excitando: juxta Theocritum Eidyll. V. 46.

Ὧδε καλαὶ βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι.

Et suavissime ut assolet Longus, Ποιμεν. I. Πάντα ἤκμαζεν ἤδη, τὰ ἐν δρυμοῖς, τὰ ἐν λειμῶσι, καὶ ὅσα ὄρεια· βόμβος ἦν ἤδη μελιττῶν, ἦχος ὀρνίθων μουσικῶν. Unde *apes* lib. IV. eidem dicuntur μέλιτται ἄπαυστοι βομβοῦσαι, id est *sine intermissione bombum facientes.*

Ausa est] *A se impetravit*, sustinuit, potuit. Horat. IV. Od. 7.

——— ——— *Audet Ducere nuda choros.*

Quin & de rebus inanimatis τὸ *audere* usurpatur: ut probat Ob. Gifanius de L. L. phrasibus: & exemplis è Cicerone, Lucretio, aliis, confirmat. Carus certè de R. N. VI. 1070.

Vi-

Vitigeni latices in aquai fontibus audent
Misceri, quom pix nequeat gravis, & leve olivum.

ubi *possunt*, συμμίσγεσθαι *explicat* Interpres. Sic *audet* id est non dubitat idem Lucretius (ibid. vs. 1189.) de frigore. Non ergo hic παρρησίαν prae se fert τὸ *audent*, sed idem valet, ac φιλοῦσι, gaudent. Quae tamen officia *festis exercere diebus* agricolae per religionem liceat, docebit Maro Georg. I. 269. Ubi addit Servius: *festis diebus quaedam intermittere opera solent, ne feriae pollucerentur.* Vide & Caton. R. R. Quo si respexerit Noster, tanquam regem sacrorum (ut ita dixerim) *Thyrsin* inducit, cui non licebat videre per ferias aliquod opus fieri: ut habet Macrob. Saturn. I. 16. Rom. Edit. hic legit INTERVISERE; sensu vero à mente Nostri diverso: ut in Var. Lect. exhibet doctiss. J. Vlitius.

Daedala apis] Ex Graeco est epithet. δαίδαλος enim est *artificiosus*: quod de Apibus verissimum. Hinc Dionys. Perieg. δαιδαλὰς μέλισσα: quasi à δαίω scio. Hinc δαιδαλόω, *artificiose facio, magnâ arte elaboro, vario.* Homer. Iliad. XIV. adjectivè:

——— ——— Τιθεὶ δ' ἐνὶ δαίδαλα πολλά.

Rectè hinc Virg. in Apum Rep. (Georg. IV. 179.) quibus curae,

Et munire favos, & daedala fingere tecta.

Ubi Servius, *ingeniosa, ut Daedala Circe Aen.* VII. Praeiverat Maroni jam Lucretius variis locis; lib. I. init. de Venere:

——— ——— *Tibi suavis daedala tellus*
Submittit flores.

& lib. V.

——— ——— *Naturaque daedala rerum*

Imò ipse Ennius:

——— ——— *daedala Minerva*,

citante Festo. Allusit lepidè Petronius, Satyr. cap. LXX. ubi de artificioso admodum coquo ipse Trimalchio: *Non potest esse pretiosior homo. Volueris, de bulbâ faciet piscem; de lardo palumbum, &c. ideo ingenio meo impositum est illi nomen bellissimum; nam* DAEDALUS *vocatur.* Hinc ergo δαίδαλμα, *opera variegata, artificiosa*: Quin & hinc fortasse Vet. Interpres Pindari, ad Olympion. Od. XIV. μέλισσαι deduxit non ἀπὸ τοῦ μέλιτος, sed ἀπὸ τοῦ μελίττειν ὅ ἐστι μελετᾶν. Aliud tamen etymon adducit idem Interpres Pythion. Od. IV. ubi Sacerdotem Delphicam Μέλισσαν vocat, nomine satis cognito. De *Apibus* vide Plin. alios.

19. Nectareos flores] Claudianus eodem epitheto.

——— ——— *Pars nectareis adspergere tecta Floribus:* Quicquid enim odoratum & suave est Homero dicitur νεκτάρεον. Ita Suidas & Hesychius in Etymol. exponunt νεκτάρεον per ἡδύ, καὶ εὐῶδες, *dulce, & fragrans.* Hinc ad varias res vocis hujus usus transiit. *Mel* itaque *nectar* absolutè vocat Maro Georg IV. 164.

——— ——— *Aliae purissima mella*
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Et adjectivè de favis dixit Silius Punic. XIV.

——— ——— *Nectareis vocat ad certamen Hymetton*
Audax Hybla favis.

De vino Martial. XIII. Epigr. 108. non improprię:

——— ——— *Nectareum turbatis mella Falernum.*

Nam Deorum potus dicitur τὸ νέκταρ, cibus verò ἀμβροσία. Ut (praeter Homerum variis in locis) Hesiod. Theogon. 640.

Νέκταρ, τ' ἀμβροσίην τε, τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσι.

Hinc ad dulcedinem cantûs & ingenii floridi vim ἀλληγορικῶς transtulit Hymn. in Apoll. Od. LXIV.

Φιάλην ὡς τις ἀφνειᾶς,
Φιάλην λέγω ἱερεῖον,
Ἴνα νέκταρος ποτίζω
Παραμυθίαν λαβόντες,
Νεαρὸν πίωσιν οἶνον. &c.

Ad quem locum consule Interpretem Britannicum, qui similem adducit è Pindaro, Olympion. Od. VII. I. & seqq.

Φιάλαν ὡς εἴτις, &c. vs. 10.
Καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν,
Μοισᾶν δόσιν ἀεθλοφόροις
Ἀνδράσιν πέμπων γλυκὺν καρπὸν φρενὸς γ' ἱλάσκομαι.

Ex ipsâ itaque Antiquitate Noster *flores* dixit *nectareos* quo nihil gratius dici possit. Graecis enim dicti sunt νεκταροσταγεῖς, *nectare destillantes.* Tretzes in Chiliad. τὸ νέκταρ πᾶν γλυκὺ φασὶ, vide & Athenaeum Deipnosoph. I. sic Plinius quoque XIV. 16. *Inveniuntur & nectarites ex herbâ, quam nectaream vocant. Sunt, qui nectar interpretantur vinum in Lydiae Olympo & concinnatum favis esse dicunt:* Quod Apibus, quibus proprium *favos* conficere, apprimè convenit.

20. Jamque sub annosa medius consederat ulmo Thyrsis] Ut SENIOR, nempe & *Judex.* Observa gestum Judicis, qui & ad majestatem facit & attenti sedatique animi notam habet. De Judicum officiis multa habent Cicero de Offic. lib. I. Seneca Philosoph. Quinctilian. Instit. alii. Sed haec Politicis relinquenda.

Medius] De more, dixit. Solebat inter duos disceptantes Judex ferè *medius* considere, varias ob rationes. Ita Minuc. Felix in Octav. cap. iv. *Et cum dicto assedimus, ita ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent: nec hoc obsequii fuit, aut ordinis, aut honoris . . . . sed ut arbiter & utrique proximus aures darem, & disceptantes duos medius segregarem.* Vide hic Cl. Lipsium, Elect. ii. 2. Ejusmodi *Judicem* (qui litis dirimendae causae inter duos *medius* assidebat) Μεσίχορον dictum fuisse Graecis, docet, è Cl. Salmasio ad Hist. Aug. Scriptt. ad hunc Minucii locum doctissimus Interpres. Idem in re simili Metam. xi. 158. de Tmolo judice observat Poëta Ingeniosissimus. Imò observat Phaedr. i. fab. x. quamvis in re ludicrâ:

Tunc judex inter illos sedit.

Invaluit autem *sedendi* mos & Romanis in judicio; unde phrases *pro* vel *in tribunali sedere*, id est rem cognoscere, ac sententiam ferre. Nam Graecis jam dudum morem invaluisse docet illud, *Consedere duces* &c. Queritur hinc Silius Punic. vii. *Non judex sedisse valet.* &c. Hinc JCti dies illos quibus jus dicebat *Praetor pro tribunali sedens*, *Dies Sessionum* (ùt etiamnum hodie) dicebant. Ad phrasem Nostri accedit Ovid. Met. v. 316. qui Nymphas *sedentes* inducit, tanquam *electas Judices* inter Musas, & ix. Pieri filias. Ita enim inquit:

——— ——— *Electae jurant per flumina Nymphae,*
Factaque de vivo pressere cubilia saxo. &c.

Sub ulmo] Ut tanquam concordiae & amicitiae esset σύμβολον, juxta illud: *Ulmus amat vitem.* Caeterum sub *arbore Judicem* collocat ex consuetudine antiquâ. Sub quercu enim vel palmâ, aut aliâ quadam insigni arbore jus dixisse antiquos, notum est; videlicet non tam captandae umbrae gratiâ in agris, verum ut umbrâ quasi majestatem quandam prae se ferret. Arboribus enim numen aliquod inesse credebant; quod testimoniis non eget. Sic veterum Arcadum δικαστήρια sub arboribus. Sub arboribus etiam veterum deorum arae ac templa. *Annosâ* ergo rectius est quàm *umbrosâ*, quod praefert J. Vlitius ex Edd. firmatque exemplo Maronis. Nostrum epitheton ad Antiquitatem magis facit: & notae sunt phrases, *annosa quercus*, & quod de *ulmo* habet idem Maro Aen. vi. 282. *annosaque brachia tendit Ulmus opaca, ingens.* atque ita passim de vetustis arboribus. Sed ad rem. Ita & in S. S. Litt. notae sunt quercus Mamrae, quercus Gedeonis, aliorumque Judicum. De palmâ Deborae, & Vatis & Judicis, facer Textus (ex versione Interpretum Graecorum, qui vulgò lxx.) ita habet: Δεββῶρα γυνὴ προφῆτις ἐκάθητο ὑπὸ φοίνικα . . . ἐν τῷ ὄρει Ἐφραίμ· κ) ἀνέβαινον πρὸς αὐτὴν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ εἰς κρίσιν. Quin & in Livio locus est notatu dignus, lib. iii. cap. 25. *Aequi, duce Gracche Clœlio, castra plena praedae in Algido locant: eò missi Romanorum legati tres ab Româ venerunt questum injurias, & ex foedere res repetitum. Eos Aequorum Imperator, quae mandata habeant à Senatu ad quercum jubet dicere . . . . Quercus ingens praetorio imminebat, cujus umbrae opaca sedes erat. Tum ex legatis unus abiens, & haec, inquit, sacrata quercus, & quicquid deorum est, audiant: foedus à vobis ruptum est.* De Arborum religione (quae & apud priscos Germanos invaluerat: ut probant Ph. Cluver. de Ant. German. E. Schedius alii, multa habet Plinius xii. i. (quae operae pretium est legisse) ac de *Ulmo* speciatim multa habet in Pastoralibus suis Auctor Graecus.

21. Et, o pueri, me judice, pignora dixit, irrita sint, moneo.] *Pueri*, hìc blandientis est ac monentis. Ut illud:

Frigidus, ò pueri, fugite hinc, latet anguis in herbâ.

Moneo] Id est Edico, veto. Blandè, ùt Senem & Judicem decebat, ad minores natu. Edicit igitur, ne pignora quae deposuerant verborum obligationibus, rata essent, petitque ab iis ne effectum habeant atque ita, ne amicitia inter eos quicquam detrimenti capiat. *Nam id quoque plurimùm refert, quomodo Judex audire velit, ùt* rectè Quinctilian. Inst. xii. 10.

Pignora autem dixit propriè. Damoetas Virgilianus Ecl. iii. & alibi, *Dic, mecum quo pignore certes.* Pro quo Theocritus vulgò Eidyll. viii. & alibi, καταθεῖναι ἄεθλον, *deponere praemium*, dixit. qui quandoque δῶρον & γέρας pignora dixit, ut Eidyll. i. 9, 10. & alibi.

Irritum] (Pro quo Vett. habuere *iritum*) est *non ratum*, cùm pacta non stare dicuntur; & cùm, quod factum erat, infectum redditur. Vox propria ergo de *rescindendis pactionibus*. Ita Cicero Offic. iii. 30. *Non debuit vi pactum, ratum esse.* Virg. in Ceiri alio quodammodo sensu:

Irritaque expertum fallacis praemia palmae.

Sic Curt. vi. 5. *Spei irritus*, de eo, qui spe suâ ac voto excidit. *Irrita* usurpant Poëtae pro iis quae effectu carent. Tibull. iii. Eleg. 6.

——— ——— *Perjuria ridet amantûm*
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet:

Id est, *Solvit* illos *Verborum Obligationibus*: ùt loquuntur JCti. Vide de his Instit. lib. iii. Tit. xiii. Unde Proverbium emersit: *pactum non pactum.*

22. Satis hoc mercedis habeto] Ex Vett. formulâ Imperativè dixit, *habeto*, pro habeat. Ita

Ita enim Leges, vel antiquissimae, & SCta concipiebantur: quod hujus non est loci. Vel si *habete* legendum sit, figurata erit locutio, pro: *Vos uterque habete.* Obliquè imitatur Maronis Silenum Ecl. vi. 26. *Huic aliud mercedis erit.* quamvis sensu alio. Noti sunt versus Ovidiani

Praemia si studio consequar ista, sat est.

& similia.

23. Si laudem victor, si fert opprobria victus.] Elegans oppositio, *victor*, *victus*. Summo enim opprobrio inter pastores erat cantando ab antagonistâ superari, (juxta hoc *Cantando tu illum?* &c. maximae verò laudi victorem pronunciari: ùt de Olympiae victoribus. C. Nepos Prooem. Unde illa apud pastores convitia apud Theocrit Eid. v. cui titulus ΟΔΟΙΠΟΡ. Comatem inter & Laconem) quo se mutuo provocant non sine jurgio: hinc illa ejusdem Theocrit. Eid. viii. ubi alter se victurum, alter se non cessurum affirmat. vi. 7. & 10. Eodem tendit & Noster Eclog vi. cui titulus LITIGIUM. Respexit & pastor ille apud Maronem Ecl. vii. ad finem: de quodam certamine:

Haec memini, & frustra victum contendere Thyrsin:

Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis!

Quae ex Theocrito suo hausit, Eidyll. viii. ubi Caprarius judex ad Daphnidem victorem vs. 84.

Λαῖσδεο τὰς σύριγγας· ἐνίκησας γὰρ ἀείδων.

Vide quam, prolatâ sententiâ, hôc βραβείῳ exsultet Victor; quàm doleat Victus:

Ὣς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη, καὶ ἀνάλατο, καὶ πλατάγησε
Νικάσας, οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἅλοιτο·
Ὣς δὲ κατεσμύχθη, καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
Ὤτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.
Καὶ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο.

Neque aliter exsultat Victor Comates apud eundem, Eid. v. 140. ad finem. Ita ut rectè Cicero: *nullus major stimulus nisi laus ipsa.* Ferè nimia Ethnicorum Gnomologia hic est, quam si tanti sit, consule. Ennius in Annal.

Omnes mortales sese laudari exoptant.

Cui loco similem produxit Aur. Augustinus ex Vett. Mimis:

Laudari omnes voltis, nemo vostrum vult vituperarier.

Maximè tamen inaffectatae ac simplicis laudis cupido (qualis inter pastores atque agrestes olim regnabat) locum habet in adolescentibus; ut quibus Horatianum illud semper obversatur,

Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est.

Quae ergo simplicissima laudis affectatio distinquenda à κενοδοξίᾳ seu μικροφιλοτιμίᾳ, quae in Theophrasti Charact. Eth. xxi. rectè definitur, *ὄρεξις τιμῆς ἀνελεύθερος*, *appetitus gloriae illiberalis.* Prudenter ergo monet Epictetus Enchirid. cap. xxv. *Ἀνίκητος εἶναι δύνασαι, ἐὰν μηδένα ἀγῶνα καταβαίνῃς, ὃν οὐκ ἔστιν ἐπὶ σοὶ νικῆσαι.* In hac praesertim materia dominatur Isocrates. vide ejus Παναθηναϊκῷ, ubi ex collatione ac comparatione duorum laudem efficacissimam esse censet. De ejusmodi Laude ac Vituperatione vide Quinctilian. Inst. iii. 7. Locum id habet inter pares & amicos, *inter quos ut sit honesta certatio*, monet Cicero de Amicit.

Opprobria.] *Victus* tamen minùs *feret*, si à forti superatus sit: ut ille de Hercule apud Nasonem Met. ix. fab. i.

——— ——— ——— *Nec tam*
Turpe fuit vinci, quàm contendisse decorum.

Rectè itaque Attius in Vet. Tragoed.

——— ——— *Nam tropaeum ferre me à forti viro*
Pulchrum est. Sin autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum.

24. Et nunc, alternos magis ut distinguere versus Possitis,] Ita & praecipit judex Palaemon, Ecl iii. 58.

Alternis dicetis: amant alterna Camenae.

Quod hemistichium ex Homeri Iliad. i desumptum esse jam pridem observarunt Interpretes; ubi de Musis, *ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.* Id enim reciprocum cantandi genus *amoebaeum* dicebant Vett. De eo Servius ad Eclogam hanc inquit: *In amoebaeo carmine difficilior pars respondentis est: qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut majorem, aut contrariam format responsionem*, observato aequali numero versuum. Ἀμείβω est *alterno, commuto*; de quo verbo vide Lexicographos. Sic Graecis πρὸς ἀλλήλους ἀμοιβαῖοι sunt, *sibi invicem succedentes.* quo sensu Apollonius Argon. ii.

Ἀλλήλους δ' ἐρέεινον ἀμοιβαδίς.

Quod idem est ac *ἀμοιβαδὸν*, *alternatim.* Eadem est phrasis Graeca, πρὸς ἀλλήλους διαλέγεσθαι ἀμοιβαίως. Id vocat Nemesianus, *in vicem dicere*, Ecl. i. *In ordine referre* Virgil. Ecl. vii. Ejusmodi carminis genus constat ferè (ne de Maronis Eclog iii. & vii. dixerim) in Theocriti Eidyll. v. à vs. 80. & seqq. versibus distichis, & Eidyll viii versibus Elegiacis tetrastichis, à vs. 33. ad 60. Nostri verò Ecloga iv. quae constat pentastichis (quod rarius) in quâ, mirâ quadam simplicitate, Meliboeus judex, inquit:

Incipe, ne dubita, venit, en, & frater Amyntas;
Cantibus iste tuis alterno succinet ore.
Dicite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen.

Imò

Imo etiam Nemesianus Eclogam postremam hexastichis cum versu intercalari, *Cantet amat quod quisque* &c.

Distinguere] Id est *alterna*, vel *variare*. Videtur Poeta cum judicio hoc elegisse verbum, ad significandam argumenti varietatem. Nam *distinguere* etiam est variegare. Lucr. v. *Vario distincta colore.* Ovid. *Et innumeris distinctas floribus herbas.* Rectè itaque *mundus* Platoni in Rep. dicitur ὁ κόσμος πεποικιλμένος, varietate distinctus. Vel τὸ *distinguere* ad floridum dicendi genus referri posset: velut dicitur *picta* vel *ornata oratio* &c. vel διαφθέγγεσθαι erit ad Cantores, ut elata & articulata pronuncient voce: quomodò vox *distincta*, & *distinctè loqui.* Sic Quinctilian. Inst. Orat. *Sermo sit dilucidus & distinctus.* Vide tamen Cl. Barthium, qui hoc loco *distinctionem* idem esse vult ac *micationem*, & per τὸ *discernere* explicat.

25. Ter quisque manus jactate micantes] Ut quasi sortilegium adhibeant, uter incipiat prior, quod moris erat inter ruricolas. Hinc vitio datur (apud Ovid. Met. v. 318.) Pieri filiabus quod non exspectato sortilegio, una ex his prior auspicaretur:

Tunc sine sorte prior, quae se certare professa est,
Bella canit Superûm.

Ubi Interpres: *non exspectato sortis decreto.* Ita λαγχάνειν *sortiri* & *micare* explicant Glossaria. Et λαχὼν Theocrito est, *sortitus*. Sanè rusticum sortitionis genus erat *micare*, id est *digitos subitò erectos & certo numero sublatos, altero divinante, proferre.* De quo Rusticorum more consule magnum Casaubon. in Sueton. Aug. xiii. Meminit & Cicero de Divinat. (qui *micare* etiam simpliciter nominat) & Offic. iii. 19. *quasi in sorte, aut in micando victus alteri cedit alter.* Unde enatum esse constat proverbium: *Dignus quicum in tenebris mices*; de eo, cui alterum fallere, quamvis in tenebris possit, religio est. Idem Tullius Offic. iii. *Haec nonne turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent, à quibus natum est id, quod jam tritum est vetustate proverbium. Cum enim fidem alicujus bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices.* Cui simile est illud Arbitri Satyr. xliv. *Amicus amico, cum quo etiam audacter possis in tenebris micare.* Ad quem Petron. loc. Celeb. Interpres hunc Calpurnii nostri versum citat. Definit Erasmus in Adag. Chil. Est *Lusus genus, in quo repentè porrectis digitis Certantium uterque numerum divinat, si quà in re non conveniebat.* Neque Latinis tantum cognitus hic lusus. Sed & hanc rationem à Chaldaeis & Aegyptiis desumsisse Graecos probat Pierius Hierogl. xxxvii. de Digitis ac Numeris; ubi in Praefatione: *Micare tecum digitis libet.* ac definit: *articulorum gesticulationibus modò digitos porrigendo modò contrahendo pueriliter colludere.* Quod tamen huc non facit. Graeci vocant ἐπαλλάττειν τοὺς δακτύλους, *quod alternare & mutare digitos* notat. *Micare* quandoque est, se *exserere*. Quo sensu de serpentis lingua Ovid. Met. iii. *Tresque micant linguae.* De nobili equo Virg. Georg. ii. *Micat auribus & tremit artus.* Videndus hoc loc. est Turneb. Advers. xx. 13. *Optime micatio cum sorte copulabitur.* &c.

Ter quisque] Ex ritu est: ut quasi auguratò fieret: & Pythagoricum est qui eo delectari Superos ajebat. Sed haec alibi: Unde illud magni Poëtae

——— ——— *Numero Deus impare gaudet.*

De quo vide Macrob. Sat i. qui de Philosophorum numeris multus est. *Numerus ternarius* ergo *mysticus* vel test. Jamblicho &c.

26. Nec mora. Discernunt digitis: prior incipit Idas.] *Discernunt*, tollunt controversiam, supputando numerum, uter plures erexisset digitos. *Ter* enim jactaverant. Vox Arithmetica est. *Digitis* enim numerum computare jam olim usitatum: hinc *Arithmeticorum digiti proverbiale χρῆμα fuit, jam Persis antiquis cognitum*; observante C. Rhodigin Lect. Ant. xxiii. 21.

Prior incipit] Maro Ecl. v.

Incipe, Mopse, prior; tu deinde sequere, Menalca.

Theocrit. Eidyll. vi. 5.

——— ——— Πρᾶτος δ' ἆρξατο Δάφνις.

Pleniùs autem Eid. viii. 32.

Πρᾶτος δ' ὦν ἄεισε λαχὼν ἰυκτὰ Μενάλκας·
Εἶτα δ' ἀμοιβαίαν ὑπελάμβανε Δάφνις ἀοιδὰν
Βουκολικάν· οὕτω δὲ Μενάλκας ἄρξατο πρᾶτος.

27. Me Sylvanus amat] Sic Menalcas Virgilianus Ecl. iii. 62.

Et me Phoebus amat, &c.

Alter pecoris, alter horti sui curam commendat. Quo faciunt Senecae verba, Epist. xxxiv. *Agricolam arbor ad fructum perducta delectat: pastor ex foetu gregis sui capit voluptatem.* Et rectè pastor *Sylvanum* inducit, qui cum Fauno patre inter deos agrestes à Latinis colebatur. Sic enim Maro de luco quodam (Aen. viii. 600.) quem

Sylvano fama est veteres sacrâsse Pelasgos
Arvorum pecorisque deo.

Nam & Pelasgos Italiam antiquitus incoluisse ex Dionys Halic. i. 2. constat, quae gens fuit vaga, & per multas regiones diffusa; ut de iis Thucydides lib. i. & ex eo Vell. Paterculus Hist. i.

No-

Notanda ad Maronem sunt eruditissimi Commentatoris verba: *Publica caeremoniarum religio hoc habet, pecorum & arvorum esse deum Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum id est ignis sordidior, item aquae & terrae sordidiora, unde cuncta procreantur: quam ὕλην, Latini materiem appellaverunt: nec incongruè, cum materiae sylvarum sint. Ergo quod Graeci à toto, hoc Latini à parte dixerunt; Sylvanum* nempè id est Deum materialem appellantes. Meminit ejus versus Virgiliani quoque, ut solet, Macrob. Saturn. III. 3. Qui itaque *Sylvanum crassitiem elementorum* interpretantur, ad hoc ἔτυμον, quo *materies universalis* significatur, alludere videntur. Quò & Graecum illud Palladae Epigramma in Antholog. respexit, utpote in quo desidiae & crapulae pater dicitur, quae vulgò ex crassiore materià oritur:

Σιλῆνος, δύο παῖδας ἔχων, Οἶνόν τε καὶ Ὕπνον,
Οὐκ ἔτι τὰς Μούσας, οὐδὲ φίλους φιλεῖ.

Quem versum & citat Nat. Comes Mythol. v. 10. Hinc ergo & *pater* dicitur & *tutor finium* Horatio Epod. II. 21. Quocirca & pastoribus curae fuit, apud Flaccum lib. III Od. 29. & Propertium, IV. Eleg. 4. qui de sylvâ:

Sylvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire jubebat oves.

Hinc illud Plinii XII. 1. *Quin & Sylvanos, Faunosque & deorum genera sylvis ac sua nomina, tanquam & coelo attributa credimus.* Quae verba etiam citat C. Rhodigin. Ant. Lect. XII. 1. Sunt qui eundem cum Fauno ex eà religione contendant: sed perperam. alii Fauni, alii Saturni filium statuunt. Quo tempore uterque in Latio regnabat. Nulla fere ejus mentio apud Graecos, nisi penes Pelasgos, de quibus jam vidimus. Sylvanos tamen Graecos *Αἰγιπάνας* dixisse in Parall. XXII. Plutarchus innuit: neque secus ae *Panes* & *Satyros* penes Aegyptios ob foecunditatem in veneratione fuisse docet Diod. Sicul. I. 88. nec non Herodot. II. 145. Romanis autem in honore esse coepit ex *Bello Tarquiniensi, silentio noctis, ex sylvà Arsià ingens edita vox fuit; quae Sylvani vox credita est* &c. de quâ re vide Livium Histor. II. 7. & Val. Maximum I. 8. de Miracul. quamvis eandem aliter aliquantò denarrant Dionys. Halic. lib. V. 3. & Plutarch. in Poplicolà. cap. XIII. quorum hie magnam modò fuisse vocem, ille à Fauno missam esse scribit. Hinc itaque & templum Romae dedicatum habuit sub Viminali, cum inscriptione: SYLVANO SANCTO &c. Hinc ergo praecipuè *sylvarum deus* Romanis est creditus, atque à pastoribus coli coeptus: quò alludens Nemesianus Eclog. II. inquit:

O montana Pales, & pastoralis Apollo,
Et pecoris Sylvane potens!

Porco eum solitos fuisse piare agrestes docet Cato, R. R. 83. *Sylvano mares porcum mactabant, cui sacrificio feminis interesse nullo modo licebat.* quod etiam tangit Juvenal. Satyr. VI. 446. *Caedere Sylvano porcum, &c.* Lac quoque ei agrestes obtulisse, ut deo rustico, docet Horat. II. Epist. I. 139. & seqq.

Agricolae prisci fortes parvoque beati
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum pueris, & conjuge fidâ,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

Quamvis contra placatum fuisse *agno* aut *haedo* dicat Martial. X. Epigr. 49. Imò & vota illi fiebant non modò pro bubus ac pecore, sed & pro salute familiae, ut ex Vett. Inscript. patet, cur etiam *pater Sylvanus*, & *Mars Sylvanus*, tanquam deus tutelaris. Praeerat itaque *Sylvanus deus*, possessioni, pecori, finibus: ex quà *triplici potestate tres Sylvanos* faciunt, quos diversis nominibus appellaverunt.

AMAT] Fabulam fortè respicit, quà *Sylvanus* Cyparissum puerum *amâsse* dicitur. &c. de quo Juvene, si tanti sit, consule Ovid. Met. X. fab. 3. (ubi tamen à Phoebo adamatus fuisse dicitur) & Mythologorum filios. Alludit certè Poëta Georg. I. 20.

Et teneram ab radice ferens, Sylvane, cupressum.

Ubi inter agriculturae deos ipsum invocat. Tangit, praeter alios, hanc fabulam etiam Lud. Vives ad D. Augustin. de C. D. XV. 23. *Graeci*, inquit, *multos viros à Diis adamatos fuisse tradunt, ut Hyacinthum, &c. ab Apolline, Cyparissum à Sylvano.* Plantationis hinc fortasse non absurdè dixeris fuisse deum: quod innuere videtur & Gratius Cyneget. vs. 20.

——— ——— *Inculto Sylvanus termite gaudens.*

26. DOCILES MIHI DONAT AVENAS] *Dociles* sensu activo posuit per ἐναλλαγὴν, ad inflectendas nempe voces. Eo sensu dixit Lucretius V. 1381. de fistulae pastoritiae inventione:

Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cavas inflare cicutas;
Unde minutatim dulceis didicere querelas.

Confer & Nasonem Met. I. 708. & seqq. de Syringos fabulà, ubi *arundinis* leni vento agitatae *docilitatem* activo sensu videas. Vide & *docilem lucum arundineum* in Midae fab. apud eundem, Metam. XI 191. &c. *Leni nam motus ab Austro Obruta verba refert.* Neque mirum quòd *docilitatem* quandam arundini tribuant; cum ex

eorum sententiâ virgo olim fuerit : quo argutè alludit Longus Pastoral. II Καὶ ἡ ποτε παρθένος καλὴ, νῦν ἐστι σύριγξ μουσική. Non inconcinnè itaque Appulejo, Milef. VI. in Psyches fab. *Arundo* dicitur *Musicae suavis nutricula, lene crepitu dulcis aurae divinitus inspirata.* Quo & tendit Ausonius notissimo Epigrammate:

Est & arundineis modulatio musica ripis.

Hanc à *Sylvano* accepisse dono fingit, quòd inter deos fuerit à pastoribus cultos, quorum *agrestis musa vigebat.* Vel quod confundi soleat cum Pane, Fauno, ac Satyris. Cur & *horridus* id est sylvestris dicitur Martiali, X. Epigr. 92. & Horatio, III. Od. 29. Quocirca etiam *cornutum, capripedem, & hirsuto* corpore fingunt, quod apprime *sylvis* convenit. Imo Plutarch. in Gryllo cap. XV. *Sylvanos* inter bruta referre videtur; ubi τὰς Σιλήνους, vel Αἰγιπᾶνας, ex caprarum genere esse contendit : quos homines sylvestres esse dixeris. Ejusmodi autem *fistularum praesides* argutè dixit Prudentius στεφ. loco jam antè citato.

27. Et mea frondenti circumdat tempora taeda.] *Teda* cur dicitur *frondens*? nisi *arborem* intellexerit *tedam*, quae inter resiniferas; quaeque dicitur πεύκη, Latinis *larix* vel *pinus.* dicitur haec *arbor cognata abieti & pino, nullam sentiens cariem* : Ita etiam Plinius alibi, lib. XVI. 10. *In Europâ sex genera cognatarum arborum resinam ferunt. Ex iis pinus atque pinaster. &c. Sextum genus est teda propriè dicta, abundantior succo, quàm reliquae, parcior liquidiorque quàm picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata.* Speciem itaque dixit pro specie; *tedam* pro pinu. Neque enim solis è pinu eum circumdat, quia haec, Fauno, vel Pani deo sacra, *ne videlicet nimios adferret honores.* Conjungunt ferè Poëtae utramque. Ovid. in Epist.

Arsit ut ad magnos pinea taeda deos.

In fab. Cereris idem Naso, Fast. IV. 493.

——— *Accendit geminas pro lampade pinus:*
Hinc Cereris sacris nunc quoque teda datur.

Ubi eadem Poetae est *teda* & *pinus.* Observat quoque eleganti latinitate Prudentius, Καθημερ. Hymn. V.

Seu pinus piceam fert alimentiam,
Seu ceram teneram stuppa calens bibit.

Ob hos flammarum usus ad Nuptiarum caerimonias adhibitas, vel ab ingenuis pueris praelatas fuisse tedas nota res est ; quae & inde Poëtis dicuntur *tedae jugales.* Unde Catullus Epith. Jul. & Manl. ad Hymenaeum : *Pineam quate tedam!* pro quo dixit Senec. Trag. Med. in choro:

Multifidam jam tempus erat succendere pinum.

Sed quid haec ad mentem Nostri ? *Tedâ* igitur *circumdare tempora* est caput pineis frondibus ornare, & cingere. Simili formâ dixit Naso, Met I. 699. de Pane : *Pinuque caput praecinctus acutâ*, id est (per συνεκδοχὴν Integri) *foliis ex pinu arbore.* Ubi eàdem formà appositè Interpres ex Nonio : *Pinus est corona Panos* &c. Neque aliter Silius Punic. XIII. de eodem *Cingit . . . & opacat tempora pinus* : Notavit hunc locum ùt virgulâ censoriâ dignum in Hypercrit. magnus Scaliger pater : neque dissimulat Cl. Barthius vix defendi posse, nisi quod induxerit & puerum & pastorem, *qui, velut rusticus, nullum alium usum noverat ex arbore pinu, nisi ut inde tedae conficerentur* ; atque hinc alteram pro alterâ dixisse. Sed heic omnino videndum esse J. Fr. Gronovium, III. Observ. cap. 3. monet cultissimus Vlitius. Nescio tamen an haec, juxta Barthium, Calpurnii mens fuerit : certè vox *frondens* huic expositioni minus convenit. Quid ergo si, ùt Poëtam decet, per μετωνυμίαν ex obliquo sibi *pastor* de matrimonio suo (cujus certè signum erat *teda*) gratuletur : quasi hoc omine *cingendi tempora tedâ* Sylvanus ipsi Crotalen suam despondeat. Ita certè pastor ille apud Theocritum Eidyll. VIII. ad finem, voti fit compos:

——— ——— Παρὰ Ποιμένι πρᾶτος ἐγένετο,
Καὶ νυμφαν, ἄνηβος ἐὼν ἔτι, Ναΐδα γᾶμε.

id est *& valde adolescens Nympham duxit.*

28. Ipse etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen,] *Ipse Sylvanus.* αὐτὸς ἔφη. ut sit cum emphasi.

Parvo] Etiamnum puero. Confer Virgil. Ecl. VIII. 40. ubi Damon de se, mirâ simplicitate:

Jam fragiles poteram à terrâ contingere ramos.

Ita Mycon parvus dicitur eidem Eclog. VII. 29. quo loco *parvus non est pauper, quod usurpat Horatius,*

——— ——— *parvi properemus & ampli:*

ut observat hic Philargyrius. Ad rem Persius Satyr. III. 44.

Saepe oculos, memini, tingebam parvus olivo,
&c.

Ubi Interpres: *Emphaticè, puer hoc feci.* &c. Ita & Terent. Andr. V. 4.

Et istaec una parva virgo.

Parvi tamen jam pascendo pecori dabant operam : velut Daphnis unà cum Chloë apud Longum ἐν τοῖς Ποιμ. Ovid. Fast. IV. de Celeo:

Filia parva duas redigebat monte capellas.

Significat ergo se jam tum fuisse pastorem, & alludit fortè ad Hesiodi pueritiam ; cui oves pascenti in vico Ascrâ Musae vaticinatae fuerant, de poëtico ejus ingenio. sed nota est fabula; quam tangit Ovid. de Art. I.27. & Silenus apud Ma-

Maronem Ecl. VI. 69.

NON LEVE CARMEN] *Carmen* hic pro brevi quôdam effato, quod oraculi instar obtinuerat: ideoque *non leve*, neque exigui momenti, sed magni ponderis & efficaciae. Ἔπος vulgò Graecis. Ita de Gnomis suis Theognis, vs. 18.

Τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Unde Homero frequens est ποῖον ἔπος; *quaenam vox? quodnam effatum? Carmen* porrò & *versus* quomodo differant, docent Grammatici: integrum quandoque significat librum. Lucretius lib II. *Quod in primo carmine claret.* id est primo libro. sic Martialis Metamorphoseon libros XV. *Carmina quinque decem* vocat. Quandoque & *carmen* pro unico ac singulari versu usurpatur; cujus exempla idem exhibet Martialis. *Carmen* tamen vulgo *pro concinnâ versuum structura* accipitur.

29. JAM LEVIS OBLIQUA CRESCIT TIBI FISTULA CANNA] *Levis fistula*, quia ex arundine, quae *levis*. Unde rectè Sidonius Apollin. *Per cannas torsisse leves.* Pro eâ Virgilio *Tenui meditaris arundine musam.*

OBLIQUA CANNA *Crescere* dicitur fistula, cùm dispari formâ accrescunt calami ab infimis ad summum. Contra Tibull. I. à summâ incipiens arundine:

Fistula, cui semper decrescit arundinis orde,
Et calamus cerâ jungitur usque minor.

Argutè fingit Longus, Pastor. II. *disparet* Pana junxisse calamos ut testaretur *disparem* fuisse amorem. ἀνίσως καλάμους vocat. *Obliquae fistulae* formam eleganter versibus depinxit sensim decrescentibus Simmias Rhodius in Lusu Poëtico, cui titulus ΣΥΡΙΓΞ: quorum versuum hi sunt postremi:

Ἀδὺ μελίσδοις
Ἔλλοπι κούρᾳ
Καλλιόπᾳ

Sensus autem *effati* est: *Jam paster eris Sylvano dicatus, cui fistula canere, & victori esse continget.*

30. AT MIHI FLORA COMAS PARIENTI GRAMINE SPARGIT.] Ἀνθεῖα. Sylvano opponit *Floram*, quae hortis praeest, ex lege carminis amoebaei. Hanc *Deam florum* Romani voluerunt esse, quam Graeci dixere *Chlorin*: cui & *Ludis Floralibus* sacra fiebant; ut non modò fruges sed etiam arbores bene florescerent. Ejus festa incipiebant IV. Kal. Maj. adeo ut eorum solennitas sub finem Aprilis inciperet, atque in mensem usque Majum extenderetur; juxta Ovid. Fast. V. 185.

Exit & in Majas festum Florale Calendas.

De horum Ludorum origine mirè turbant Auctores praesertim Patres. *Flora* (inquit Lactantius de Falf. Relig. I. 20.) *meretrix fuit celeberrima; quae, corporis quaestu locupletata, cùm P. R. testamento haeredem scripsisset, certos Ludos quos Florales dicerent, instituendos die natali suo aere suo reliquit. Ut verò beneficium hujce Ludis colorem induceret Senatus, illam ex nominis occasione florum deam esse finxere Romani.* &c. *Alii Accam Laurentiam, itidem meretricem; alii Niebes filiam statuunt.* Nomine *Melibocam, ... quae Chloris est dicta, (cujus meminit Homer. Iliad. II) à Romanis Flora*: ut notat Interpres ad Augustin. de C. D. IV. 8. Atque ita ferè Patres. Contentit, quoad nomen *Chloridis*, Ovid. Fast. V. qui ejusque festum ac fabulam latè prosequitur, à vs. 195. ad 377. ubi ipsa inter alia:

Chloris eram, quae Flora vocor: corrupta Latino
Nominis est nostri litera Graja sono.

Floralia autem ann. V. ɔ xxc. quotannis coepta celebrari, L. Posth. Albino & M Pop. Lenâ Coss. de quibus ita Plinius XVIII. 29. *Floralia IV. Kal. Maj. instituerunt ann. V. ɔxv. ex oraculis Sibyllae, ut omnia benè florescerent.* Constat insuper hos *Ludos*, non ex *meretricis legato*, sed *ex aere multatitio* institutos fuisse. Rejicienda hinc quoque fabula, quam de *Laurentiâ quadam formosissime scorto, Terentio homini praedivitî nupta* &c. reperisse se ait Vincentius Chartar. de Deor. Imag. quam fabulam fortè respexit Minucius in Octav. cap. XIV. ut *Accam hanc Laurentiam, & Floram, tanquam propudiosas meretrices* conjunxerit. Fatendum certè est, illius Ludos omni lasciviâ fuisse celebratos; unde Martiali, I. Epigr. 3. *Jocosae dulce sacrum Florae,* &c. cui conferas ejusdem libr. Epigr. 36. & quae Eruditi contulere ad Juvenal. Satyr. VI. 250. Simili ferè licentiâ, quâ Anthisteria Athenis celebrata fuerunt: ut placet Alex. ab Alex. VI. 8. At verò hinc ipsam fuisse meretricem non liquet. Ansam videtur huic opinioni dedisse *Simulacrum ejus*, teste Plutarcho, *in Aede Castoris & Pollucis à Praxitele formatum, tunicâ versicolore, dextera flores fabarum & ciceris gerens.* Quod Mythologi rectè explicant; velut in *Cereris festis* albo uterentur vestitu eò quod unus esset maturae segeti color; Ita in *Floralibus versicolore*, eò quod nullus color est, qui non inveniatur in floribus. Jam verò *versicoloribus* plurimum usas fuisse constat meretrices. Cui accedit ipsa *Chloris*, quae à Poëtis ferè in *Veneris* comitatu, ac *Zephyro* nupta inducitur: quòd Physicâ ratione concinnè explicari posset. At vero magis simile est à Sabinis suam habuisse originem. Quippe Varro, L. L. IV. disertè inquit *Tatii regis* (qui simul cum Romulo regnavit) *voto dedicatam fuisse Romae (ùt Annales dicunt) Opem Floramque*, & seqq. Imò ex codem Varrone liquet, de L. L.

vii. *Numam regem Flamines constituisse Florales.* Romae ergo in pretio fuit ob fructuum proventus, ubi *Aedem habuit juxta Circum Maximum ab Lycio & Marco Publiciis Aedilibus constitutam, quam dedicasse Tiberium*, auctor est Tacitus Ann. ii. 49. *Florum* itaque habita fuit *dea*, tam in arboribus quàm pratis enascentium: & agrestibus ob id in veneratione; cur & signatè *rustica* dicitur Martiali, v. Epigr. 23. Scilicet hinc hortulano nostro erat

Tantus veris honor, & odorae gratia Florae:

ut idem loquitur lib. vi. Epigr. 8.

Comas spargit] Floribus mihi caput ornat. Sic Nemesian. Ecl. i 69.

——— ——— *Pictas dat Flora coronas.*

Ut conveniat cum eo quod Idas dixerat de Sylvano:

Et mea frondenti circumdat tempora tedâ.

Spargere autem vox propria. Maro Aen. vi. 883.

——— ——— *Manibus date lilia plenis,*
Purpureos spargam flores.

Ita in Daphnidis Apotheosi: *Spargite humum foliis.* Sed nota phrasis. Id Graeci dicebant ἀνθο- vel φυλλοβολεῖν, ipsaque dicebatur actio ἀνθοβολία, *florum sparsio.* Favoris id maximè erat signum apud Vett. si quis in alterum *flores jactaret:* quod in Graecis Auctoribus ubivis ferè obvium. Multus in hoc est Anacreon (ne alios dixerim, quos longa referre mora est) Vide Od. iv. v. ac praesertim xxxix.

Στεφάνους ἀνθίνους πλέξας,
Ἐπιθεὶς δὲ τῷ καρήνῳ,
Μέλπω βιότου γαλήνην.

Ἀπειρογεικῶς itaque intelligit sibi esse flores vel primo vere: quod de Sene Corycio notat Virg. Georg. iv. 134. nec non Claudianus de Sene Veronensi, Epigr. vi. qui, simplicitate rusticâ,

Auctumnum pomis, ver sibi flore notat.

Parienti gramine] *Parienti* dixit pro *frugifero:* In pratis enim inter gramina *flores* enasci solent. Unde Martial. ix. Epigr. 91.

——— ——— *In gramine floreo.*

Simili formâ Euripid. Iphigen. in Taur. χόρτον εὔδενδρον, *gramen arbores nutriens*: quod Ovidio Art. i. est *fertile gramen.* Ad rem Baptist. Mantuanus:

——— ——— *viridantia gramine prato*
Florifero.

Imò Claudianus Rapt. iii. 224. absolutè *gramen* posuit pro *floribus:*

——— ——— *Quod bruma rosas innexia ferrat;*
Quod gelidi rubeant alieno gramine menses.

Vel intelligit ipsa folia & caules quibus innascuntur flores. Etiam legi possit *germine:* quod nomen Plinio, aliis, est generale.

Parienti] *Epitheto minùs apto*, inquit Cl. Barthius. Rectè tamen exponit, *ob foecunditatem Florae; cùm omnis flos è gramine suo pregnascatur.*

31. Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.] *Pomona, pro pomis, ùt flava Ceres pro segete*, inquit doctiss. Vlitius: minùs tamen huic expositioni convenit verbum *ludere.* Per προσωποποιΐαν *Pomonae* haec potius dixisse videtur Poëta: quae loquendi forma elegantiâ suâ non caret. Adeo ut malè hunc locum taxet magnus Scaliger, in Hypercrit. Quod probè observat cultissimus Vlitius.

Pomona.] Haec arboribus vim ad maturos fructus producendos tribuere credebatur; utpote sub cujus tutelâ arbusta, & hortorum cultura. Hinc *pomorum patrona* dicitur Varroni de L. L. vi. *cui & Numam* ait *fecisse Flaminem Pomonalem, ùt Florae deae Floralem.* Ejus fabulam latè prosequitur Naso, Metam. xiv. 624. & seqq.

——— ——— *Pomona fuit, quâ nulla Latinas*
Inter Hamadryadas coluit solertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera foetus:
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes. &c.

Vixisse eam statuit sub Albanorum rege Sylvio Procâ: cujus regis mentionem facit Sext. Aurelius de Orig. Rom. cap. xix. & Dionysius, lib. i. Ant. Quin & Pomonae meminit Plinius, in prooem. lib. xxiii. Latinis ergo tantùm cognita, unde & *Vertumnus* illi maritus à Romanis datus est: quò alludit Propert. iv. Eleg. ii. 42. ubi ipse Vertumnus:

Hortorum in manibus dona probata meis.

Qui itidem, ùt *Pomona*, ab hortulanis & olitoribus cultus fuit (observante Turnebo Adverss. xxiii. 6.) & quem à *vertendis mutandisque mercibus*, & mercaturae & semper *vertentis Anni* σύμβολον esse voluere Mythologi. Quamvis à *verso Tiberis amnis cursu* deducat Ovid. Fast. vi. 410. Certè in honorem ejus *Vertumnalia* mense Octobri celebrata esse testantur L. Gyrald. Syntagm. iv. & Alex. ab Alex. G. D. vi. 8. Ejus *aedem* prope vicum Thuscum & Velabrum fuisse tradunt (eodem auctore, ii. 18.) *eumque magni numinis instar apud Tuscos, & multò in honore fuisse* (postquam simul cum advenis influxisset) tanquam vinearum & hortorum diligentem cultorem: de quâ re vide cultissimum Broukh. ad Propert. iv. El. cit. Cl. Lipsium, ad Tacit. Ann. iv. 65. &c. Sed haec obiter. Observanda Interpretis verba ad Augustin. de C. D. ii. 25. *Minimus inter omnes Flamines erat Pomonalis quod le-*

leviſſima eſſet Pomona dea, quae pomis praeeſt. De hac, ut & *Vertumno* leviſſimo deo (vel teſte Flacco Sat. II. 7.) nihil interea Maro in Georgic. opere. Poſuit tamen eam & in Hiſpaniâ ſuâ (quamvis propriè Italorum dea fuerit) Martial. I. Epigr. 50.

Et delicati dulce Botrodi nemus,

Pomona quod felix amet:

Quod poëtice idem eſt ac *pomiferum nemus.*

Sub arbore ludit.] Quaſi exultans & choreas ducens. Erat enim inter *Hamadryedas*, quarum proprium erat *ſub arboribus ludere.* Eâdem phraſi Naſo Metam. VIII. 752. de quercu Cereris:

Saepe ſub hâc Dryades feſtas duxere choreas. &c.

Neque aliter Martial. IX. Epigr. 62. de Domitiani platano:

Saepe ſub hâc madidi luſerunt arbore Fauni,

Saepe ſub hâc latuit ruſtica fronde Dryas.

Significat autem ἀπαγλαΐζεσθαι, non minus feliciter ſibi in horto arbores floreſcere, quàm maturos edere fructus: velut in illo Corycii Senis hortulo, apud Maronem Georg. IV. 142. cui

Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbos

Induerat, totidem Autumno matura ferebat.

Vel, quaſi *ludibunda* ſub arboribus poma colligit: quomodo Propert. II. Eleg. 23.

Cum quibus Idaeo legiſti poma ſub antro,

Suppoſitâ excipiens, Naï, caduca manu.

Ludere praeterea vox ruſticorum ferè propria, etiam ſenſu honeſto: Tibull. II. Eleg. I. 24. praeſertim feſtis diebus:

Turbaque vernarum ſaturi bona ſigna coloni,

Ludet. &c.

Atque ita alibi. Et idem propè eſt ac *juveniliter exſultare*: quae notio majorem habet venuſtatem, ſi comparatione augeatur; quod obſervat Horat. II. Od. 5. de juvencae virginis, *In udo Ludere, cum vitulis, ſaliſcto Praegeſtientis*, ſimplicitate loquens. Prout propriè dixerat Carm. III. Od. 18. *Ludit herboſo pecus omne campo.* Eôdem ſchemate uſi, & alii. Certè elegantiſſime Longus de Daphnide ſuo ac Chloe, lib. I. Τοιαῦτα ᾗ αὐτῶν παιζόντων, τοιαῦδε σπουδὴν Ἔρως ἀνέπλασε. Ex ejuſmodi enim paſtorum luſu fere naſcebatur amor: quod tangit Anacreon de Vindemiâ, Od. LII.

Μεθ' ὧν νέων ὁ Βάκχος

Μεθύων ἀπαλὰ παίζει.

Quin & *τὸ ludere* inter nequitiae eſſe vocabula, quis neſcit? cùm vox ſit πολύσημος.

32. Accipe, dixerunt Nymphae, puer, accipe fontem] Ad irrigandos nempe hortos. FONTEM, συνεκδοχῶς, ùt Servius ad Aen. XII. 119. *Fontem pro aquâ poſuit, à toto partem.* Vel intellige, *jus recludendi fontis* (id eſt rivi) ad aquae emiſſionem, per emiſſarium, in agros & areolas. &c. Sic Maro, Georg. IV. 34.

—— —— *Irriguumque bibant violaria fontem.*

Accipe] Formula tradentis, ſeu offerentis aliquid. Horat. I. Serm. 4. vſ. 14.

—— —— *Accipe, ſi vis,*

Accipe jam tabulas. ——

Appulej. Mileſ. v. *Accipe me, dicens*, &c. cui ſimile eſt illud Ovid. Art. III. *Accipe me, Capaneu!* Ad mentem Noſtri accedit Maro Ecl. x. 62. ubi Silenus ex perſonâ Lini: *Hos tibi dant calamos* (*en, accipe.*) *Muſae, Aſcraeo quos ante ſeni.* Sic etiam *cape.* Hector ad Aeneam, Aen. II. de Penalibus:

Hos cape, fatorum comites!

Inde Varro de L. L. VI. *Apud Attilium eſt, cape, Lyde, conde; unde eſt accipe.* Similiter & Graeci. Theocrit. Eidyll. VIII. 84. ubi judex ad victorem:

Λάζευ τὰς ἐνέβελας· ὠνάσαις τῷ ἀείδειν.

32. Dixerunt Nymphae] Ut idem nempe ingerat, quod Antagoniſta de Sylvano jactaverat, vſ. 28.

Ipſe etiam parvo hoc dixit mihi. &c.

Nymphae,] Naides nempe, penes quas jus fontium erat: & quarum domicilia, ac nomina deſcripta ferè habes Georg. IV. in Ariſtaei fab. Unde Papinius Theb IV. 683. *Undarum deas & fluviorum numina* dixit. Quamvis enim ſylveſtres deae, *Oreades, Dryades*, &c. in genere *Nymphae* dicantur Poëtis, (imò ipſi Tullio de N. D. lib. III. in illo: *Suntne etiam nymphae deae!* &c.) propriè tamen *Naides* dictae ſunt *Nymphae*, κατ' ἐξοχὴν. Graecis enim, & apud Suidam, *Νύμφη* exponitur πηγή: ut etiam Iſidoro, Orig. IX. Hinc Gloſſar. Vetus: *Nympha dicta eſt aqua: unde & Nympha dicitur Sponſa in nuptiis, ab officio lavationis.* Ita & Feſti Epitomiſtes: *Lymphae* (*unde limpidus*) *à Nymphis.* Varro de L. L. VI. *dicitur à lymphâ Nympha, ut apud Graecos Thetis.* Sic Oenone (quam Ovid. in Epiſt. *Nympham* vocat) Propertio, II. El. 23. eſt *Naïs.* Sic Horat. III. Od. 13. de fonte:

Unde loquaces Lymphae deſiliunt tuae:

quo loco Edd. quaedam habent *Nymphae.* Sed vide hic Clar. Bentleji notam, ubi Martialem, VI. Ep. 43. & 47. rectè citat; (cui addi poſſit idem, lib. IX. Epigr. 59.)

Nympha, meo Stellae quae fonte domeſtica puro

Laberis. &c.

Sic etiam apertè *nympham* vocat *aquam* Propertius, III. Eleg. 20.

Potaque Pollucis nympha salubris aquae.
Quocirca haec conjuncta quoque videas quandoque vocabula in Lapid. Rom. in Gruteri Inscript. XCIII. 1.

NYMPHIS LIMPHISQVE AVG.
DVLCISSIMIS
OB REDITVM AQVARVM. &c.

Observante cultissimo Bronkh. ad eundem Propertium, II. Eleg. 23. Varro, R. R. l. 1. Inter *Numina agrestia* invocat: *Nec non etiam precor Lympham, & Bonum Eventum, quoniam sine aquâ omnis arida ac misera Agricultura.* *Nymphas* itaque in genere dixit esse ἐν τοῖς ὄρεσι φαινόμενα δαιμόνια γυναικείῳ σχήματι, Theocriti Scholiastes. Propriè tamen (ùt dixi) pro *aquarum ac fl. numinibus* sunt habitae: unde apud Vett. *lymphati* dicebantur, qui *Nymphas*, (id est ejusmodi *spectra*) conspexerant. Propriè itaque loquitur Poëta.

33. Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.] Inter primas hortulani curas erat *hortulum irrigare.* Unde appositè Ovid. Met. XIV. 637. de Pomonâ:

——— ——— *Bibulaeque recurvas*
Radicis fibras labentibus irrigat undis.

Ita & Simulus in Moreto, vs. 69.

Nôrat & occultae committere semina terrae,
Vicinosque aptè curâ summittere rivos.

Confer Georg. I. 104. & seqq. Tibull. II. Eleg. I. 44.

Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

Irriguis hôc loco pro *irrigantibus* activè capitur. Vide de ejusmodi vocibus duplicis potentiae A. Gellium, IX. 12. nec non Grammaticorum celeberrimos. Simpliciter autem Vet. Epigramma ait: *Sulcoque ducto irrigat rivus sata.* Quod Noster dixit, *Canalibus*, id est aquaeductibus, vel *rivulis*. Hinc *flexuosos* vocat *canales* Appulej. Milef. IX. propriè admodum Baptist. Mantuanus:

——— ——— *Multifidis divisa canalibus unda.*

Vide & Columell. R. R. Aquae enim per *canales*, è propinquo flumine, vel rivo, derivatae, tam hortis quàm satis inducebantur. Landatissimi itaque & olim *horti*, & praedia, quae prope flumina. Unde Cato, R. R. cap. I. de agro *parando*: *Loco salubri siet . . . . bonumque aquarium, mare aut amnis, prope sit.* & mox: *hortus sit irriguus.* &c. Hinc etiam Meliboeus, Ecl. I. *Tityri praedium* commendat, quod *inter flumina nota, & fontes sacros* situm esset, Ecl. I. 52. Quocirca etiam *hortus* in Graeco Epigramm. Anthol. VI. *amans aquae* dicitur: ubi profert hortulanus.

Σκάπ]ειρον κήποιο φιλυδρήλοιο δίαιναν.

Morem irrigandi habes Georg. I. 106. & seqq. & hortotum rigandi rationem docet Plin. XIX. 12. Neque inter munia hortulano obeunda neglexit Longus Past. IV. de Lamonis *horto*: Τοῦτον ὅλον τ̓ Παράδεισον ὁ Λάμων ἐθεράπευε, τὰ ξηρὰ ἀποτέμνων, τὰ κλήματα ἀναλαμβάνων, ... ὕδωρ ἐποχετεύων εἰς τὰ ἄνθη. Quamvis quoque *canales ligneos* id est *alveolos*, in usu fuisse ad irrigandos hortos vero simile est ex Phaedr. II. fab. V.

Nutrire] Eleganter de humore dicitur. Duo enim esse γόνιμα, sive principia foecunditatis, humorem ac calorem jam olim inter Philosophorum Placita receptum est. Eodem usus verbo Catull. Epith. Manli, vs. 25. de *myrti ramulis*,

Quos Hamadryades deae
Nutriunt humore.

Nam, Ἄριστον μ̄ ὕδωρ, juxta Pindarum: & quid terra sitiens sine aquarum *irrigatione*? Cicero in Cat. Major. ubi de agriculturâ agit: *Quid ego irrigationes . . . proferam, quibus fit terra multò foecundior?* Consule hîc si tanti sit, Geoponicos.

33. Me docet ipsa Pales cultum gregis.] Ut pastorem decet, inducit *pastoralem deam.* Ita de gregibus dicturus Maro, Georg. III. in principio:

Te quoque, magna Pales & te, venerande, canemas,
Pastor ab Amphriso.

ad quem loc. ita Servius: *Pales est dea pabuli, quam alii Vestam, alii Matrem deûm* (id est Tellurem, quae signatè *Magna mater* dicitur) vocant. Confer ad hunc loc. Val. Probum, & Flor. I. 20. *cui pastoria vocatur*, diversa tamen illa à Tellure fuit: quod testimoniis non eget. Romae in pretio extitit: & praesertim rei pecuariae, ac pabulo praeesse credebatur. Unde Maro in Culice, vs. 20.

——— ——— *Sancta Pales, ad quam ventura recurrit*
Agrestûm bona cura.

Cur & *alma* appositè dicitur Nasoni, ab *alendo*; *quòd alimenta pecori subjiceret.* Pulcherrima sunt, quae de illâ habet Tibullus, I. Eleg. I. 14.

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo lacte piare Palem.

De quo ritu *lustrandi* Noster elegantissimam habet Elegiam V. ubi sub nomine Myconis (quamvis ἀμπελουργικῶς) inter alia praecepta ingerit:

Sed non antè greges in pascua mittito clausos,
Quàm fuerit placata Pales. & seqq.

Varro tamen genere masc. dixit, *ipse Pales*: respectu fortè ad ipsum rusticum. Nomen certè ejus

ejus ab Oriente deductum esse Cl. Vossius de O-rig. Idololatr. aliique Viri Literati docent: cum iis פלא *Agricolam* notet: ut in Orig. L. L. habet Chr Becm. H. Kippingius, alii. Multus in ejus festis describendis (quae *Palilia*, vel etiam *Parilia* Rom. dicta fuerunt) est Naso, Fast. iv. à vs. 721. ad 806. Sed de his Festis inferius. Apposita interim sunt, quae habet Vinc. Charter. in Deor. *Imagg. Diversae Terrae virtutes ab Antiquis diversis Numinibus adscriptae: ea vis Telluris* (vel *Tellumonis*, secundum Varronem in Fragm.) *quae ad pascua idonea, Palis nomine fuit, demonstrata.*

Cultum gregis] Sic Georg. i. 3. Maro:

——— ——— *Qui cultus habendo Sit pecori.*

Saepe *Cultus* ad corporis habitudinem transfertur: Sed *Cultus* plerumque ad agros, & agriculturam; *cultura* ad arbores traducitur, apud Geoponicos Latt. Promiscue tamen usurpantur: nam *culturam* libentius usurpat Plinius N. H. de terrâ. Quin etiam *cultu gregis foetura* comprehenditur: De hoc cultu gregis multa ingerit Noster, Eclogâ, Myconis nomine inscripta, sic enim vs. 38. & seqq, ubi pastor Cantho filio oves pascendas tradens, ait:

Nam tibi praecipuè foetura colatur amore. &c.

De eo in genere multus est M. Varro R. R. ii. 2, 3. quem vide. Vox itaque est generalis: quod observat Poëtarum princeps Georg. iv. 559.

Haec super arvorum cultu, pecorisque canebam,
Et super arboribus.

34 Ut niger albae Terga maritus ovis nascenti mutet in agna.] Καταχρηστικῶς *Maritum ovis* dixit, pro ariete. Similiter Horatio, Carm. i. Od. 17. dicuntur *deviae olentis uxores mariti*, capreae, seu capellae. ubi Acron: ἀκυρολογία *est; ut Virgil. vir gregis, de capro.* & Porphyrio: *venustè capras uxores dicit olentis mariti.* Porro ad illud Virgilii Ecl viii. 7. *Vir gregis ipse caper*, inquit Servius: *Acyrologia est: quod tamen ad imitationem Theocriti dixit, qui* (Doricè, ùt solet) ait: *ὁ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἆνερ. Abusivè tamen, nam tantum hominum est: & sic alibi, Quem legere virum.* Alludit ad Georg. iii. 125. de ariete:

Quem legere virum, & pecori dixere maritum.

Ita & alii etiam loquuti. Sic Martial. ix. Epigr. 73. arietem *lanigeri pecoris maritum* vocat: at Senec. Trag. Thyest magis propriè *ducterem gregis.*

Terga nascenti mutet in agna.] Explicat Cl. Barthius: *Ut niger maritus ex albâ ove versicolores edat agnos*, & locum meritò laudat. Majoris tamen pretii apud Vett. fuisse *vellera candidi coloris*, satis constat. Summa itaque pastoribus cura fuit arietes despiciendi, si ad foeturam admittendi essent. Unde diligentissimus rei pecuariae Observator, Georg. iii. 386. & seqq. pastorem suum, cui *lanicium curae*, de ariete inspiciendo monet:

——— ——— *Quamvis aries sit candidus ipse;*
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice: ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum, plenoque alium circumspice campo.

De qua re fusius videatur Columella, vii. 3. quem citat ad hunc loc. Interpres. Amplius hoc addit Servius: *Maritum pecoris, & cornu, & ungulis, & palato album esse debere. alioqui licet sit candidus lanis, constat ex eo pullos nigros creari.* Caeterùm hanc pastoris sui curam latiùs exsequitur Varro R. R. ii. 2. *In primis videndum, ut boni seminis pecus habeas. Id ferè ex duabus rebus potest animadverti, ex formâ, & progenie. &c. Ex progenie, si agnos procreant formosos. Animadvertendum quoque, linguâ ne nigrâ, aut variâ sit: quod ferè qui eam habeat, nigras aut varias procreat agnas.* Hunc locum quoque plenissimè tractat Plinius viii. 47. ubi de naturâ pecorum ac lanarum agens: *In arietum genere maximè spectantur ora; quia, cujus coloris sub linguâ habuere venas, ejus & lanitium est in foetu.* &c. Diversus tamen abit Calpurnius; & *versicolores* praeferre videtur agnos ejus Pastor.

Terga] Saepe pro *velleribus*. Ovid. in Amor.

Aureaque Aesonio terga petita duci.

Atque ita Val. Flacc. in Argon. aliique ferè de *vellere aureo. Tergus, tergoris, unde tergora, corium significat: tergum vero tergi, significat dorsum: ut Sallustius. Sed hoc à veteribus confundebatur*, inquit Servius ad illud Aen. i. 215. *Tergora diripiunt costis.* Hinc idem ad illud, Aen. v. 351. *tergum leonis* &c. *mutavit more suo: nam tergus debuit dicere.* Mutavit quoque Tibull. ii. El. i. 62. aliique. Sanè *terga* dicuntur pro quâvis superficie. Consule Erythraei Indicem Virgil. Quin eadem Graecis est differentia, quibus *terga*. τὰ νῶτα, *tergus* verò σκῦτος, vel δέρμα. Noster ergo poeticè dixit. de praestantiâ vellerum dicam inferiùs. Praestantissima, ut dixi, *lana alba.* De Italicis, Martial. xiv. Epigr. 155.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Confer hic Plin. viii. 47. & 48. Georg. iii. 390. &c.

Nascenti] Recens natâ. Sic absolutè *vellera nascentûm* dixit, pro *agnorum* Virg. loc. cit. *Nasci* Vox satis propria. Phaedr. lib. i. fab. i. *Respondit Agnus: equidem natus non eram.* Sed & *nascenti* hic explicari potest *nasciturae.* Alioqui no-

notae sunt phrases, Lucretio praesertim, *volantes* pro avibus; *natantes* pro piscibus. &c. Id tamen non artis sed naturae esse, facetè docet idem Phaedr. III. fab. 15. ubi Agnus de mâtre suâ:

Unde illa scivit, niger, an albus nascerer?

Observa porrò AGNA pro *agno*, ut de molliori, & (si sacrificia vett. spectes) meliori genere. Atque ita ferè assolent Poëtae.

35. QUAE NEQUE DIVERSI SPECIEM SERVARE PARENTIS POSSIT, &c.] Id est quae neque nigri tantum arietis, neque candidae ovis colorem referat; sed quae, ex utroque parente, sit versicolor, & varia. De *versicoloribus agnis* nota sunt, quae S. S. habent Litt. quamvis de iis nihil Joseph. Antiq. Judaic. libb. Explicant LXX. Graeci per σποδοειδῆ ποικίλα, καὶ διάλευκα.

SPECIEM] Dixit ergo pro *colore*. Ita *formam* pro subjecto coloris usurpat Lucret. R. N. II. 757. ubi de principiis:

——— ——— *Variis sunt praedita formis*,

E quibus omnigenos gignunt variantque colores:

Quo loco multus est de coloribus, eorumque mutationibus.

DIVERSI] Inter se enim opposita sunt *candor*, & *nigror*, qui colores Philosophis dicuntur *species extremae*. *Medii verò colores penè innumeri, licet omnes inter se specie distincti. Sex tamen praecipuè colorum species vocantur*, &c. Ut ex Jul. Scaligeri Exercit. CXX. probat Eustathius de Summ. Philosoph. Tract. III. Quaest. 6. Ita de *coloribus* Plutarchus in Placit. Philosoph. I. cap. 15. *Color qualitas corporis est; quae visu potest percipi. Pythagorei colorem vocârunt superficiem corporis. Ubi & Vett. quatuor colorum species*. Verum haec ad stabiliendam vocem *species* pro *colore* huc minùs faciunt: cùm Graecè scripserit Plutarchus. Sed interim reciproca sunt Poëtis *species*, & *forma*: vide Lucretium lib. IV. & ferè ubivis.

37. ET AMBIGUO TESTETUR UTRUMQUE COLORE] Maculis variegato ex utroque parente. Locum similem ferè tangit Lucretius lib. citat. vs. 730.

——— ——— *Neque fortè haec albis ex alba rearis*

Principiis esse, ante oculos quae candida cernis:

Aut ea quae nigrant, nigro de semine nata.

Ambiguas propriè inter utrumque dubias. Est enim *ἀμφὶ*, *circum circa*, unde plura, etiam Latinorum composita. Ita Livius Hist. (& ex eo J. Obsequens) *Natus infans ambiguo inter marem, & feminam, sexu*, i. e. *dubio*. &c. Hinc JCtis *ambigere est dubitare, litigare, cujus res aliqua sit*: ut Terent. in Heautont. I. I. *Ambigunt de finibus*. Vox ergo Juridica ad colores egregiè transfertur. Quomodo etiam venustè dixit Auctor Epigrammatis, sive is sit Ausonius, sive quis alius:

Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem

An daret, & flores tingeret orta dies?

Quin etiam ad pulchritudinem transfertur. Ita Horat. II. Od. 5. de pulchello puero, de quo dubites sitne puer, an puella: ut qui

Mirè sagaces falleret hospites

Crinibus, ambiguoque vultu.

Unde suum fortasse exsculpsit venustulum, lepido Epigrammate Ausonius:

Dum dubitat Natura marem, faceretne puellam,

Factus es, ô pulcher, penè puella puer!

TESTETUR.] Mixto colore referat. Elegans formula. Cicero: *Qui parentes testantur suos*. permanet ergo in phrasi Juridicorum propria. Hanc itaque artem *Pali* deae acceptam refert.

38. NON MINUS ARTE MEA MUTABILIS INDUIT ARBOS IGNOTAS FRONDES.] Arguìè ab hortulano. Non minus de *Insitione* (quam rectè *artem* vocat) gloriatur, quam de pecore Antagonista.) Sic Tullius in Catone suo *Insitionem* laudat; ubi de agriculturâ senectutem oblectante agit: *Nec Consitiones modò delectant, sed etiam Insitiones: quibus in agriculturâ nihil solertiùs*. &c. De *Insitione* multa habet doctissimus Poëta, Georg. II. 73.

Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex.

sed locum vide (quò *insitionem* id est *inoculationem* Vett. tangit) ubi Servius ita exponit: *Insitio Veterum duplex: cùm, fisso trunco, surculus foecundae arboris sterili inseritur: aut oculorum impositio*: modus prior dicebatur Graecis ἐγκεντρισμὸς, *Insitio*; alter ἐνοφθαλμισμὸς, *Inoculatio*. Rectè itaque ad hunc Maronis locum citant Interpretes Plinium, lib. XVII. cap. 14, 16, 17. Columellam de R. R. V. II. Palladium, de R. R. III. Tit. 7. qui *Insitionum genera* apud Vett. docent. Diligentiùs etiam prosequitur Varro, (item de R. R. I. 40.) qui *quatuor transferendi surculos Antiquis fuisse modos* demonstrat . . . & *quartum genus* dicit, quod *transit ex arbore in aliam*. *Inoculationem* leviter tangit Cato R. R. cap. XLV. sed hic vide doctissimum Meursium. *Insitionem* verò Noster, non *Inoculationem* ante oculos habet. *Vocantur enim in Arboribus oculi, unde surculi pullulascunt*: quod ibidem Interpres celeberr. habet. Poëticè autem dixit Naso, Met. XIV. 635. de Pomonâ:

——— ——— *Fisso modò cortice lignum*

Inserit, & succos alterno praestat alumno.

Nec non Horat. Epod. II. vs. 11, 12. de rustico

co suo:

Inutilesque falce ramos amputatis
Feliciores inserit.

Insitionem porrò *surculorum*, *pomorumque educandi rationem Saturno*, utpote deo etiam agriculturae praesidi, *attribuit* Macrob. Sat. I. 7. sed variat quandoque hic Auctor; & fortasse *Vertumno* (ex nominis etymo) rectius tribuisset: namque hic *Pomonae* maritus. Legendus hic omnino Plinius libr. cit. cap. 17. quaeque ex eodem, Polyd. Vergilius, de Rer. Invent. III. 3. habet: qui, ex Columellâ, addit *tria jam Insitionum genera fuisse Antiquis.* Si tanti sit Polydorus, locum vide.

Mutabilis induit arbos, &c.] Elegantiam sequitur Maronis, Georg. II. 33.

——— *Mutatamque insita mala*
Ferre pirum. &c.

Mutandi verbum hic ferè observant Auctores. Ita etiam Pallad. XIV.

Et sorsam mutat malus amica pirum.

Quomodo & *vertendi* verbo utuntur. Georg. II. 32.

——— *Saepe alterius ramos impune videmus*
Vertere in alterius.

Induit] Vox elegans de arboribus fructu vestitis. Ita accuratissimus Poëta, Georg. IV. 142.

——— *Flore novo se fertilis arbor Induerat.*

Idem Georg. I. 187.

——— ——— *Cùm nux se plurima sylvis*
Induit in florem.

Sensu tamen alio, ac Noster. Quae *arbores mutabiles* sint, id est, quae Insitionem & inoculationem ferant, quae non, docet Plin. XVII. capp. 14. & seqq. ubi (cap. 16.) exemplum *Arboris*, quae *arte mutabilis* vere dici poterat exhibet: *Insitam arborem*, inquit, *vidimus, juxta Tiburtes, tiliam, omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, prunis, malorumque generibus. Sed huic brevis fuit vita.* At verò apud Vett. *arbores ἐλαιώδεις, hoc est, oleosae naturae, inoculationes atque id genus permixturae, aut mutationes alias nullo modo admittere*, discas ex C. Rhodigin. Lect. Antiq. XXX. 24.

Ignotas frondes] Non proprios, sed insitivos, adscititios surculos. Maro, Georg. II 80. id pulcherrimâ expressit metaphorâ:

Plantae immittuntur: nec longum tempus; & ingens
Exiit ad coelum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Strictiùs Naso:

——— *Adoptivas accipit arbor opes;*

quod idem est ac *priùs — ignotas.*

38. Et non genitalia poma.] Exhibent Edd. quaedam *gentilia*, respectu translationis ex aliis regionibus: ùt de arbore Persico &c. Perperam tamen, ut ipse monet in Var. Lect. cultissimus J. Vlitius.

Genitalia] Ergo dixit sensu passivo; qui usus est rarior. Notat ergo non *ingenita, non naturalia.* Sic *terra non genitalis*, illa est quae plantam non protulit: ut hic non male exponit doctissimus Barthius. Propriè *genitalis* est foetifer, ad genituram aptus; sensu activo: & locum ferè habet in *ovuncl.* Auson. Cent. Nupt. & in Eclogis:

——— ——— *Conceptus genitali arvo.*

(quomodo Lucretius lib. IV. & usquequaque loqui amat) idem Epigr. LXXI. Poëta Burdigalensis:

——— ——— *Legitimi genitalia foedera lecti.* &c.

quamvis ibidem legi possit *genialia*, licet minùs rectè. Sed quid revera sit *genitalis*, docet Illustr. H. Columna. ad illud Ennii ex Ann. I. de Romulo:

——— ——— *Cum diis genitalibus aevum*
Exigit.

ubi, *Deos intelligi* inquit, *qui innatâ foecunditate res omnes pariant, atque propagent*: atque etiam Turnebi Adversf. X. 24. opinionem adfert; putantis vocem *genitalis* ab Ennio esse novatam. Caeterum hunc eundem Poëtae locum ventilat acutissimus R. Bentlejus ad Horat. Carm. Saecul ubi *genitales deos* Ennii *accipit passive, quasi dii essent geniti, non adoptivi, non adscititii.* Quae expositio plurimum huic Calpurnii loco favet. Quemadmodum Phaedr. vero sensu dixit, lib. III. fab. 3.

——— ——— *Conjugem esse adulteram,*
Et insitivos significari liberos.

Porrò POMA de quovis arboris foetu dicuntur cortice non duro. Hinc Varro, docet, R. R. I. 31. *In poma, quae insita sunt ex siccitatibus aquam addi quotidie: à quo, quod indigent potu, poma dicta esse possunt.* Certè πῶμα Graecis potus est. Confer, si videatur, L. Vall. Elegant. lib. III. c. 28.

39. Ars mea nunc malo pira temperat.] Per Insitionem in malo saporem piri permiscet. *temperare* etiam de liquidis, ut hic de succo. Ita Flaccus, Carm. I. Od 20.

——— ——— *Mea nec Falernae*
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

Atque ita Horatius plus semel. Propriè tamen *tempero*, est *tempore ago* (ùt placet Grammaticis)

quo sensu Cicero Epist. ad Attic. *Eadem caetera agit sincere, temperate, prudenter.* ibid. *homo temperatus & prudens*: observante Gifanio de L. L. Ad varias vero res transfertur, quae hujus non sunt loci. Plinius ad Nostrum magis facit, qui *temperare unguenta* dixit. Idem de Catone loquens, lib. XVII. 14. *Inseri praecipit pira ac mala per ver, & post solstitium.* Monet quoque Varro R. R. I. 40. *Videndum, quâ ex arbore in quam transferatur . . . . non enim pirum recipit quercus, neque enim si malus pirum recipiat: si in pirum sylvaticam inserueris quamvis bonum, non fore tam jucundum, quam si in eam, quae sylvestris non sit.* &c. Huc itaque facit Palladii illud, jam citatum:

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat malus amica pirum.

40. ET MODO COGIT INSITA PRAECOCIBUS SURREPERE PERSICA PRUNIS Plinius XV 12. *Persicorum IV. sunt genera, quae post Auctumnum maturescunt: aestate praecocia intra XXX. annos reperta* & cap. 13. *Prunorum genera XI. versicoloria, nigra, candicantia, &c. In totum quidem Persica peregrina: etiam Asiae Graeciaeque esse ex nemine ipso apparet, atque ex Perside advecta. Sed pruna sylvestria ubique nasci, certum.* De *Persicorum insitione* igitur rectè Martial. XIII. Epigr. 46.

Vilia maternis fueramus praecoqua ramis,
Nunc in adoptivis Persica rara sumus.

Ubi Interpres: *An quia in nativâ stirpe vilia, primo insita nobilia, ut habet Palladius lib. IV.? an quia translata, mutataque coelo dulcia fiunt, ex opinione Columellae?* Rectè huc enim alludit Alciatus Emblem. CXLII.

Translatu facta est melior, quae noxia quondam
In patria, hic nobis dulcia poma gerit.

Probe ergo ex hac arbore insitionem in aliam, praecipuè *pirum*, commendat hortulanus: praesertim cum *non temere in montibus visae sunt pruni*, quae hortis atque arbustis magis propriae: ut Plin. XVI. 18.

PRUNA] Maximè laudant Auctores Damascena, ùt & Auctumnalia. De prioribus Martial. XIII. Epigr. 29. etiam ad usum rei medicae:

Pruna peregrinae carie rugosa senectae
Sume. solent duri solvere ventris onus.

de *Auctumnalibus* Propert. IV. Eleg. 2. is sub personâ Vertumni:

Hic dulces cerasos, & auctumnalia pruna
Cernis, &c.

ad quem loc. cultissimus Interpres Plinii auctoritatem adfert lib. XV. 13. Hinc & Auctor Copae:

Sunt auctumnali cerea pruna die.

Quo epitheto & Maro Ecl. II. 53. ubi Corydon, inter munera rustica offerens, inquit:

Addam cerea pruna; & honos erit huic quoque pomo.

SURREPERE] Clanculum succrescere, in locum alterius saporis succedere. Elegans *μεταφορά*. Ita *subnasci* usurpat Plinius de fructibus, plus semel, vox nostra è Graeco est *ὑφέρπω*, *ὑφερπίζω*. Vim verbi expressit Tibull. IV. Eleg. III. 31. quamvis in re alia:

——— ——— *Quaecunque meo subrepit amori.*

Et Plaut. Mil. Glor. II. 3. 63.

——— *Nae imprudenti huc ea surrepsit mihi.*

Sic *prorepere*, *proserpere* de frugibus verba sunt usitata: unde *Proserpina*, pro succrescenti segete. quod notissimum ex Cicerone de N. D. aliis.

SUB] In compositione quandoque diminuit, ùt *subrubere*, *subrusticus*. &c. Aliquando significationem intendit. Sic *Subtristem esse*, per tristiorem esse, explicat, Vossius Aristarch. VII. 14. Ast hic *sub* vim habet praepositionis *clam*, aut *clanculum*.

Insitione hàc in *praecocibus* opus esse *prunis* docet Palladius II. & *Persica* letalia fuisse in Perside eleganter describit Columell. X. ut supra jam dictum.

41. ME TENERAS SALICES JUVAT, AUT OLEASTRA PUTARE] *Salice* delectari praesertim capras notum ex Bucolicis. Meliboeus, Ecl. I. 79.)

——— ——— *Non, me pascente, capellae,*
Florentem cytisum, & salices carpetis amaras.

ubi *cytisum* ovibus, *salices*, capellis relinquit. *Ad nostrum saporem salices amaras dixit; nam capris dulces sunt:* ait Servius. Neque aliter de capris, Maro in Culic. vs. 53.

Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu,
Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus.

Observat quoque Theocrit Eid. V. 100.

Εἴργ' ἀπὸ τᾶς κοτίνω, ταὶ μηκάδες. ὧδε νέμεσθε.

Et propriè *carpendi* voce usus est: cùm *caprae*, quasi *carpae*, a *carpendo* dictas esse vult Varro, L. L. Multa quidem habet Plinius de *salice*, lib. XVI. cap. 37. (quâ nullam inter aquaticas viliorem ait) sed quae nihil ad rem. *Teneras* dixit ex naturâ: quo epitheto usus & Lucretius, II. 361. de Matre vaccâ loquens:

Nec tenerae salices, atque herbae rore vigentes,
Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis
Oblectare animum.

Quin & folia ex salicibus, ut reliquam frondem suppeditare solebant pastores.

OLEASTRA,] *Non memini legere oleastra*, inquit Barthius. & sanè *oleaster* esse virilis generis, constat ex illo Maronis Georg. II. 311.

---- *Tra-*

——— *Tractu surgens oleaster eodem*
Plurimus.

Sed Tullius videtur usurpare gen. femin. in Orat. III. Verrianâ: *In Oleastro quâdam*, &c. Sed (quod Cl. Vossius observat in Aristarch. de Analog. I. 13.) respicere videtur φυτὸν; sequitur enim, *quae est arbor*, &c. Tò *Oleastrum* tamen defendi posset, & proferri, ut *buxum*, *ligustrum*, & similia. *Arborum nomina naturâ sunt propriè saepe masculina, saepe feminina, saepe neutra. In feminino nihilominus usurpantur, quia respicitur nomen arbor*: ut idem Voss. l. cit. Plinius tamen XVII. 18. gen. masc. *Inseritur & oleaster calamo, & inoculatione.* At *labrusum neutr. gen. enunciatum à Virgilio*, jam olim notavit Nonius: ut observat Vir summus Jos. Scaliger ad Varronem. Non tamen hic Noster intelligit arborem, sed ejus frondem, quae Columellae dicuntur *oleastri cacumina*, & Geoponicis Graecis, *ἀγρίας ἐλαίας κλῶνες ἁπαλοί*. Ita *recto: cupressos* dixit Ennius contra receptum vocabuli genus; ut observat Gellius XIII. 30. Subauditur ergo in *Oleastra* pl. substantivum *folia* vel *ramalia*, τὸ εὐφωνίας ἕνεκα. Vide sis, si tanti hic sit, Sanctii Minerv. IV. de Ellipsi. Caeterùm *oleastri folia* pecori gratissima fuisse, constat vel ex Lucret. VI. 970.

Barbigeras oleaster eo juvat usque capellas,
Diffluat ambrosiâ quasi vero & nectare tinctus:
At nihil est homini fronde hâc quod amarius extet.

Quae cum Servio superiùs allato, conveniunt.

PUTARE] Est frondere. *Tria genera esse frondatorum* inquit Servius; *qui arbores amputat, & ex frondibus manipulos facit ad pastum.* &c.

42. ET GREGIBUS PORTARE] In pabulum nempe. Pulcherrimè id Noster expressit, Eclog. V. ubi sub nomine Myconis. (inter officia pastoris) etiam haec monet:

Incipe falce nemus, vivasque recidere frondes:
Tunc opus est teneras summatim stringere virgas,
Tum debes servare comas, dum permanet humor,
Dum viret. &c.

Vere nempe primo. Neque aliter Cato R. R. XXX. praecipit: *Ovibus frondem viridem, usquedum habebis, praebeto. Ubi sementim facturus eris, ibi oves delectato, & frondem usque ad pabula matura dato.* Idem praecipit Plin. XVIII. 31. quem vide. Quaenam porro sit *frondis praeparandae ratio, quodnam tempus observandum*, idem docebit lib. XVII. cap. 9. De pastu agnorum, ovium, &c. agit Varro agit R. R. II. 2.

PORTARE:] *Ferre* dixit in re eâdem Virgil. Georg. III. 320

——— ——— *Victumque feret, & virgea laetus*
Pabula.

Sufficere, ibidem vs. 300.

——— ——— *Julco frondentia mptis*
Arbuta sufficere, & fluvios praebere recentes.

Porro elegans est figura, in *putare* & *portare*, quae venustatem hic suam habet.

43. NOVAS UT CARPERE FRONDES CONDISCANT] Noster Eclog. mox citat. sub personâ Myconis:

Nec pigeat ramos siccis miscere recentes,
Et ramos adhibere novos &c.

CARPERE] Vox propria, ut supra dixi. Georg. III. 325.

——— ——— *Frigida rura Carpamus:*

ubi Servius, *carpere vocamus animalia.* Hinc *Capra* quasi *carpa*, Tyrrheno sive Etrusco dicta est vocabulo: ut Varro docet L. L. IV. & *Omnicarpae* vocantur *caprae* apud Ver. Poëtam, quae Graecis dicuntur παντοφάγοι, id est usquequaque ac delicato more delibantes. Confer elegantissimam Maronis descriptionem in Culice, à vs. 45. ad 56. Non sine gratiâ dixit Appulej. Milef X. *Capellae pusculae herbulas tondebant.*

CONDISCANT] Agni nempe. Vox de junioribus propria. Horat. Carm. III. Od. 2.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat.

Cicero Epist. ad Famil. *In tuâ pecuniâ condiscit, qui se uniae fructus sit.* Sed non id perpetuo observant. Graecis est συμμανθάνειν, cùm alius ex alio discit. Egregiè totum hunc locum depinxit Longus in Pastor. II. ubi pabula, ac frondes praebendi morem habes: dicit enim: Ὁ μὲν Δάφνις ἐπὶ ἴτεως τὰς αἶγας, ἀλλὰ, ἐς τὴν ὕλην ἀπελθὼν, φυλλάδα χλωρὰν ἐκόμιζεν, ὡς ἔχοι τὰς τῆς χειμῶνος ἀπηρχέσθαι τοῖς ἐρίφοις τροφὴν.

44. PRIMOQUE RECIDERE MORSU] Translatio à frondatoribus. Proprie enim est, *recidere falce*: ut Horat. I. Sat. 3. 123 Usurpat & hanc vocem de Polyphemo pastore Ovid. Met. XIII. 767.

Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam.

PRIMO MORSU] Pro quo alii *tenero.* Maro in Culice vs. 50.

Tondentur tenero viridantia gramina morsu.

In genere Naso, Met XI.

——— ——— *Cornigerae morsu laesere juvencae,*
Nec placidae carpsistis oves, hirtaeque capellae.

primo ergo hic est, *insueto.* Vim vocis tenerrimè expressit Poëta:

Ostrea callebat primo deprendere morsu.

45. NEC DEPULSA VAGOS QUAERAT FOETURA PARENTES] Neque ut agni dulcedine primi pastûs, jam lacte depulsi, matrem magis desiderent.

rent. FOETURA *est proventus oviam: ipse foetas vero quicquid nascitur*; ita distinguit Grammaticus ad Mar. Ecl. VII. 36. *Foetara* ergo hic non satis est proprie, cùm dicere debuisset *foetus*. Cur vero *foetus* tantum de frugibus, ac propriè arborum, dici debeat (prout ex Cicerone, Lucretio, Nonio, vult Ob. Giranius de L. L.) non video. Nam rectè observat L. Valla, Elegant IV. 71. *foetus avium & piscium: quamquam hoc generalius nomen est. Foetura pro partu ad omnia animalia muta pertinet.* Contra tamen doctissimus Varro. R. R. II. 1. *foeturam toto illo tempore, ab admissione ad partum usque contineri, definit.* Accipitur ergo hic pro Agnis à lacte primulum depulsis, & jam lactere desuescentibus. Ejusmodi autem *agni* Vett. dicti teniores, & subrumi; qui adhuc ferè sub mammis essent. *Mamma enim in pecore est ruma, vel rumis*: ùt habet idem Varro libr. cit. cap. 3.

QUAERAT PARENTES] *Quaerere* hic est appetere. Petron. de puellis: *Quaeque viram quaerunt*, id est desiderant: quod recte adfert Cl. Barth. Neque aliter (apud Phaedr. III. fab. 15.) balans Agnus capram investigans,

Non illam quaero, quae quum libitum est, concipit:

id est illam, quae mihi mater est, non appeto. cur etiam vs. 17.

Facit parentes bonitas, non necessitas.

Sic Statius Theb. VII. 396. de pastore oves mulgente:

Ipse levat gravidas, & humum tactura parentum
Ubera, succiduasque apportat matribus agnas.

Sic agnos Matrem quaerentem etiam inducit Magnus Poëta Aen. IX. 565.

Quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius è stabulis rapuit lupus.

Et cultè, ùt solet, Martial. III. Epigr. 58.

Matremque plenam mollis agnus exspectat.

Tenerrimum hoc agnorum desiderium procul matres suspirantium graphicè depinxit Gr. Poëtarum princeps, Iliad. IV. non ita procul à fine:

Τρῶες δ', ὥς τ' ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ
Μύριαι ἑστήκασιν ἀμελγόμεναι γάλα λευκὸν,
Ἀζηχὲς μεμακυῖαι, ἀκούουσαι ὄπα ἀρνῶν.

Ita in genere oves caprasque desiderio Pastoris languentes pulcherimè exhibet Auctor τῶν Ποιμεν. lib. I. sub finem: Καὶ μετὰ τοῦτο ἐλθόντες, ἐπεσκόπουν τὰς αἶγας, καὶ τὰ πρόβατα· τὰ δὲ πάντα κατέκειτο, μήτε νεμόμενα, μήτε βληχώμενα, ἀλλ', οἶμαι, τὸν Δάφνιν καὶ τὴν Χλόην ἀφανεῖς ὄντας ποθοῦντα. & seqq. Quocirca lib. III. Daphnis jam prudentior, *ne matres balando quaererent*, προσέβαλλε ταῖς μητράσιν ἄρνας, καὶ τοὺς ἐρίφους. Ad mentem vero Nostri facit Varro; qui, accuratissimus R. R. scriptor, lib. II. cap. 2. *Diligentia*, inquit, *adhibenda est, ne desiderio senescant. Itaque deliniendum pecus in nutricatu pabuli bonitate*; atque ita paulatim adsuefaciendum ne pastum rejiciat.

45. ET MIHI, QUUM FULVIS RADICIBUS ARIDA TELLUS PANDITUR, &c.] *Per radices* Arborum *fibras* intelligit grandiores, quae fulvi vel subflavi coloris, hoc est ipsas novellas stirpes. Commendat horti sui agrum à pinguedine telluris, quae heic non raro spectatur. FULVUS enim est propriè *auri* color. Hinc Albius I. Eleg. 1. *Fulvo sibi coagerat auro.* Unde terra fulva Graecis γῆ χρυσοειδὴς, *auri speciam habeas*. Ita Plinio *color* etiam *fulvus* in pomo est, qui Theophrasto dicitur ἐπίξανθος. Qui idem color etiam arenae tribuitur Aen. V. 374. & VI. 643. Ad pulverem transtulit Ennius, Annal. VIII.

Jamque ferè pulvis fulva volat.

Quae notio ad plantaria humo enascentia proximè accedit. Quin & *fulvus* pro *viridi* usurpatur. Sic Aen. IV. 261. de jaspide, coloris viridantis: *stellatus jaspide fulvâ Ensis erat*; ubi Interpres: *viridi & lucenti.*

PANDITUR] Ligone effoditur, dilatatur, recipiendis intra scrobes plantariis. Quo sensu διασπᾷν usurpant Graeci. Huc facit ergo Senecae locus, Epist. CX. *Transit deinde ad agricolas, nec minus facundè describit proscissam aratro solum, & iteratam, quo solutior terra faciliùs pateat radicibus.* Ad phrasem porro Nostri accedit Petron. Sat. CXI.

Pande, age, terrarum sitientia regna tuarum!

Pangitur citat ex MSS. Rob. Titius: ut sit, conseritur tellus, ac stipatur arboribus. Et *pangere* arbores, est plantare. Prior tamen expositio magis arridet, ob aquae irrigationem.

46. IRRIGUO PERFUNDITUR AREA FONTE] AREA, in *horto locus est quadrangularis transferendis plantariis*: unde areola. De quâ re ita Columella: *Areae sic informandae sunt, ùt facile runcantium manus ad dimidiam partem perveniant.* Distinguenda igitur hoc loco ab *areâ rusticâ* triturando frumento destinatâ, quam describit Varro R. R. I. 51. ac lib. IV. de L. L. Vide & L. Vallam Eleg VI. 41. *Area* ergo hic est terra probè subacta: qualia sunt in hortis *quadrata quaedam & benè subacta spatia*, in quibus plantaria inseruntur, vel in quae semina jaciuntur. Definiunt nonnulli *planitiem horti*: atque non satis aptè. Columella enim:

——— ——— *Cumulatis area glebis Emineat.*

ET SATIATUR AQUA] Abundè irrigatur, ad satietatem usque bibit. Nam juxta versum Proverbialem:

——— *Sem-*

—— *Semper habet tellus, nec satiatur aquâ.*
Columella R. R. itaque ad rem:

—— —— *Semper sitientibus herbis*
Terra bibat fontes. &c.

Ita & Tibull. II. Eleg. I. 44.

Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

Ubi *irriguas* activè posuit, pro *irrigantes*. *Terrae* enim proprium est *bibere*, vel juxta illud Anacreontis Od. XIX.

Ἡ γῆ μέλαινα πίνει. &c.

Quo respexit (quamvis sensu allegorico) maximus Poëta Eclog. III in fine. *Sat prata biberunt*: ad quae verba videndos esse, *monet* Achillem Statium, & L. de la Cerda, cultissimus Bronkhusius ad Tibull. loc. cit. Hanc terrae aquam bibentis satietatem pulchrè depinxit Heliodor. Aethiopic. IX. Ἐπειδὴ δὲ ἐπισέσειαν τὸ ὕδωρ εἰς ὕψος τε ἤρετο, καὶ διὰ τῶν ἀραιωμάτων τῆς γῆς, οἷς μέλαινα καὶ σύγγεως ἦν, ὅσῳ τῆς θερινῆς ὥρας κατίσχετο, ὅσῳ τὰ βάθη κατεδύετο.

47. SUCCOS NE FORTE PRIORES LANGUIDA MUTATA QUAERANT PLANTARIA TERRA.] Ut Antagonistam superet, majus desiderium in re inanimatâ infert: dixerat enim Pastor, de ovibus, &c.

Ne depulsa vagos quaerat foetura parentes.

Elegans ergo est πάθος. Quo respicit illud, quod citat Servius ad Georg. II. 27.

Mutata ignorent subito ne semina matrem:

Matrem, id est *humum*, in quâ nata sunt. *Differunt plantae, & plantaria; ut plantae sint de arboribus: plantaria, quae ex seminibus nata cum suis radicibus, & propriâ terrâ transferuntur*: ùt Servius ad Georg. II. 23.

—— —— *Et viva suâ plantaria terrâ.*

Suâ id est nativâ. *De arboribus* ergo dixit Naso Remed. I. 193.

—— —— *Riguis plantam deponere in hortis*:

Et Maro Georg. IV.

—— —— *Ipse feraces Figat humo plantas.*

Hinc *Plantaria* Graecis dicuntur φυτευτήρια; plantae τὰ φυτά. Rectè itaque *Viviradices* à Cicerone vocantur in Cat. Maj. quae hortorum propriae sunt. Unde Juvenalis (Sat. XIII. 123.

—— —— *Nec Epicurum*
Suspicit exigui laetum plantaribus horti,)

pro olusculis posuisse videtur. Epicurum enim in hortis docuisse notissimum ex Cicerone, Lucretio, Diogene Laërtio, Propertio, aliis. porro Plantationis originem apud Graecos exsequitur Lucretius, V. 1364. & seqq.

LANGUIDA] Succo suo nativo destituta. Languorem hunc in vite pulcherrimè descripsit Catullus Carm. Nuptial.

Quae, tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum;
Nunquam se extollit. &c.

Nec non Poëta Mantuanus, Aeneid. XI. 68.

Qualem virgineo demessum pollice florem,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit,
Non tellus sua mater alit, viresque ministrat.

Appositè magis de ipsa tellure Petron. Sat. CXXXIV.

—— —— —— *Florida tellus,*
Cùm volo, spissatis arescit languida succis.

Languor (praeterquam quod aliis ex causis oboriatur) ferè ex desiderio rei amissae ac dilectae. Observat id accuratissimus usquequaque Propert. Eleg. 3.

Qualis Thesea jacuit cedente carinâ
Languida desertis Gnosia littoribus.

Neque abs re fuerit pulcherrimam huc adscribere D. Erasmi Nostri comparationem (in Colloq. cui nomen Puerperae) utpote maxime ad rem: *Plantula revulsa à parente terrâ flaccessit, ac velut emoritur; eoque quantùm fieri potest, cum terrâ nativâ transferunt.* Qualia & idem in similibus habet. Porro disputant inter se Philosophi, num *plantae* sint inter animalia, nec ne? Confirmat egregiè stupendae eruditionis Clemens Alexandrinus Stromat. VIII. non procul à principio: Πλάτων γὰρ καὶ τὰ φυτὰ ζῶα καλεῖ, ὡς τρίτου τῆς ψυχῆς εἴδους τοῦ ἐπιθυμητικοῦ μόνου μετέχοντα. Ἀριστοτέλης δὲ τῆς φυτικῆς τε καὶ θρεπτικῆς ψυχῆς μετέχειν οἴεται τὰ φυτά. &c. Quae doctissimi Patris verba huc mirè faciunt. Caeterum (si hic de *plantis* tanti est locus) Physicos consule.

48. O SI QUIS CROTALEN DEUS ADFERAT!] Si quis *Casus felicior* huc mihi meam sistat Crotalen! Convertit se ad ἐρωτικά. Rustico ergo more intelligit *Bonum Eventum*; de quo jam supra, ex Plin. XXIV 8. Votum hoc Amantibus est proprium. Petron Satyr. C. *Si quis Deus manibus meis Gitona imponeret, quàm benè exciperem juvenem!* Sic *Deus* pro ipsâ Fortunâ, apud Horat. II. Sat. VIII.

—— —— *Heu Fortuna, quis est crudelior in nos*
Te Deus?

Ita etiam *Deum* pro Casu posuit Theocrit. Eidyll. XX. 21.

Ἀρά τις ἐξαπίνας με Θεὸς βροτὸν ἄλλον ἔτευξε;

Permutare solet Cicero in Epistol. Famil. Sic Epist. 7. lib. XIV. *Statim ita sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur.* Brutus ad Ciceron. Epist. II. lib. I. *Si melior Casus fuerit, Romam revertemur.* Hinc idem Epist. II. lib. XVI. conjungit: *In eum locum res deducta est ut nisi Deus*

vel Casus aliquis intervenerit salvi esse nequeamus. Neque aliter in aureis illis de N. D. libb. quandoque loquitur: quibus coacervandis supersedeo. Nullus enim locus est uberior, Ciceroni & Senecae. Ad rem tamen sunt, quae Appulej. de Deo Socrat. disputat: *Nullus, inquit, Deus humanis rebus intervenit: cui igitur preces adlegabo? cui vota nuncupabo? cui victimas caedam? quem miseris auxiliatorem, quem bonis fautorem? quem adversatorem malis in omnibus ciebo?* Et quales advocarint in partes suas in minoribus rebus, idem dicet ibidem: *Sunt quaedam divinae mediae potestates . . . . . per quas desideria nostra & merita ad Deos commeant: hos Graeco nomine Δαίμονας nuncupant.* &c. Sed locum vide. Facit & huc quod Proclus, ex Platone suo, de Anim. & Daemon. habet, interprete Marsilio Ficino, Sect. VIII. qui *Amorem medium esse inter amabile & amantem,* dicit; & *magnum Daemona omnia ligantem* &c. Ita & inter *Heroas* & *Daemonas* distinguit Jamblichus de Myster. Aegypt. cap. XX. quorum *posteriorum latius officium esse* ait, & *quidem circa universum.* Nihil ergo huc pissimae illae Platonis, Aristotelis, neque Stoicorum *de Deo* definitiones, apud Diogen. Laërt. III. r. v. I. & VII. I. quas operae pretium est perlegere. Ex his itaque facilè videre est, quam incertus ille *Deus* fuerit, seu δαίμων, quem in levioribus invocare solebant. Hinc Heliodorus τὸ Θεοῦ, & δαίμονος vocabula etiam confundit. Aethiop. lib. V. ὥσπερ τοῦτο ὁ Δαίμων ἀντέπραξεν, ἐν αὐτοῖς δὲ τοῖς δεινοῖς ἡμᾶς ἐγκατέλιπεν. & eod. V. lib. ad finem: καὶ ὥσπερ τὰ βελτίονα πείθεσθαι τὰ κατ' ἑαυτὴν ἐπιστεύσας τῷ Θεῷ. Ita & Latini sexcentis locis in utramque partem usurpant τὸ *Deus.* Catull. Epigr. XXXV.

Quis Deus tibi non benè advocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Tibull. III. Eleg. 3. pro Neaerâ:

At si, pro dulci reditu quaecunque voventur,
Audiat aversâ non meus aure Deus.

Non meus, non mihi favens. Quid si ergo *Cupidinem* (quem signatè *Deum* dicunt) intellexerit: ad quem Lucianus in Amorib. Μόνον ἡμῖν σὺ, Δαῖμον οὐράνιε, καθαρὰς ὑπόσχεσθαι, φιλίας σύγγνωμον, ἱεροφάντα μυστηρίων Ἔρως. Et quae sequuntur pulcherrima ad rem. Sed manum de tabulâ. *quis enim* (& hic) *modus adsit Amori?* Similia tamen de *Cupidine* habes apud Longum Pastor. lib. II. à principio ferè. Ubi ipse, in horto deprehensus, se *Daphnidis & Chloës curam gerere* jactat: Νῦν δὲ Δάφνιν ποιμαίνω, καὶ Χλόην. &c. Similem itaque exoptat sibi deum Cupidinem, qui se Crotalenque suam, conjungat!

49. HUNC EGO TERRIS, HUNC EGO SIDERIBUS SOLUM REGNARE FATEBOR.] Hunc ego, Cupido is sit, seu quis alius deus mihi favens, inter summos, imò Frugipotentes deos venerabor. *Terris regnare* hîc est, *fertilitatem terris ac satis dare*; *regnare* autem *sideribus* (ἀρχαϊκῶς cum casu tertio) est *tempestatibus praesidere*, ac *coeli aërisque mutationes inducere.* Talem infert maximum Caesarem maximus Vates in Invocatione, Georg. I.

——— ——— *Urbis ne invisere, Caesar,*
Terrarumque velis curam, & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiet.

Cui conferas Daphnidis Apotheosin. &c. Varro certè initio operis sui XII. Deos, qui maximè Agricolarum duces sunt, invocat. inter *hos primò Jovem & Tellurem, qui omnes fructus agriculturae continent; secundò Solem & Lunam, quorum tempora observantur, cum seruntur & conduntur.* Quae eadem ferè habet Diod. Sicul. Biblioth. lib. I. Atque adeo in *siderum observatione* totus ferè est Hesiodus. Ἔργ. καὶ Ἡμερ. & quotquot Rei Geoponicae describendae operam dederunt. Quantum ad Agriculturam faciant *sidera*, docet Plinius N. H. XVIII. 25, 26, 27. ubi sua quasi *sidera* etiam in terris habere agricolam graphicè pronunciat: *Cur sidera quaeris rustice? Ecce tibi inter herbas horarum indices; &, ut ne sole quidem oculos tuos à terrâ avoces, heliotropium, & lupinum circumvolvuntur cum illo. Cur etiam nunc altiùs spectas?* &c. Hinc illud initio operis sui Maro:

——— ——— *Quo sidere terram*
Vertere conveniat.

atque huic simile:

Astrum, quo segetes gauderent.

Neque aliud docet in Astron. Manilius, plus semel. Quibus & in Fastis concinit Naso,

Ortaque sub terras lapsaque signa canens.

Nullum itaque Agricolae majus numen nisi quod satis ac coeli sideribus praesit.

REGNARE] Similis constructio occurrit in Horat. Carm. III. Od. 5.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare.

Ubi cum tertio casu construitur; nisi malis, *in coelo.* Ennius tamen apertè, Ann. I.

Ecquis extiterit Romae regnare quadratae?

nisi & hic velis genitiv. Ita & imperandi verba Graeci cum genitivo, atqui quandoque cum dat. construunt. Homerus Iliad. I. de Achille:

Πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν.

Intelligi tamen volunt Grammatici ἐλλειπτικῶς quartum casum: ut sit *regnare regnum*, cui constructioni non male convenit dandi casus.

So-

Solum] Ἔμφασις est in hâc voce. Venus ad Cupidinem Aen. I. 668.

Nate meae vires, mea magna potentia, solus?

Terent. Phorm. III. 3. *Solus est homo hamini amicus.* Idem Adelph III. I. *Solus mearum miseriarum est remedium.* Item Andr. V. 6. *Solus est, quem diligunt dii.* & similia. Dicit ergo, hic mihi solus *Deorum summus* erit. Ita Appulej. Milef. XI. ad finem: *Deus deûm magnorum potior, & majorum summus, & summorum maximus, & maximorum regnator.* Ubi elegans inest κλῖμαξ.

50. Decernamque nemus] Id est dedicabo huic, quisquis sit ille Deorum, lucum tanquam Genio loci sacrum. Ita *decernere divinos honores*, frequens est Ciceroni. Neque aliter Livius, Sallustius, Florus, Tacitus aliique purissimi loquuntur Scriptores: *Decrevit ei Senatus triumphum, supplicationem, statuam*, & similia. Sueton. Tib. LVIII. *Honores eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim fuerunt.* Idem cap. XVII. *Quas ob res triumphus ei decretus est, multique & magni honores.* Tacit. Ann. I. 55. *Decernitur Germanica triumphus.* &c. Nepos, Miltiad. cap. VI. de Atheniensibus: *Idem populus . . . . trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.* Romana ergo locutio. Pro quo Graeci ψηφίζω. Herodian. de Heliogab. V. ὁ Σύγκλητος πάσας τιμὰς αὐτῷ ἐψηφίσατο.

Nemus] Rectè. Deorum enim agrestium sacraria propriè in nemoribus: Sed jam dictum id supra. Hinc Juvenalis, Sat. III. 13. conjungit:

——— ——— *Sacri fontes, nemus; & delubra locantur.*

Confer Appulej. in Psyches fab. V. *Vidit lucum proceris & vastis arboribus consitum . . . videt fontem vitrea latice pellucidum media luci meditullio . . . . jam scires ab introitu primo Dei cujusquam luculentum & amoenum te videre diversorium.* juxta illud Poëtae, Aen. VIII.

Quis Deus, incertum est, habitat deus. & seqq.

Sed quod hic *lucum*, lib. VIII. *Nemus* dixit *proceris arboribus consitum.* Hinc *Nemus Egeriae deae*, sub Numâ rege. Ita & *Albani nemoris*, tanquam religiosi, meminit Livius, V. Hinc qui Dianae Ariciniae sacrificiis praeerat, signatè *Rex Nemorensis* dicebatur: ut Sueton. Calig. XXXV. Sed nota res est. *Nympharum nemus & antrum* quantâ religione describat Longus initio lib I. jam antè dictum. Caeterum quid *nemus* à *luco* differat docet (praeter alios) Tibull. III. Eleg. 3. 15.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Et Flaccus, Carm. III. Od. 10. Ubi celeberr. vide Interpretem. Neque enim omne *Nemus sacrum* erat, & non nisi esset dedicatum. Hinc ergo dixit: *Decernamque nemus*, voce rituali: Vide & Servium ad Aen. I. 314. cui adde sis L. Vall. Eleg. IV. 56.

51. Dicamque: sub arbore numen hac erit.] Ita distingue. Dicit autem: *Hinc mihi instar Numinis erit, quem sub hâc arbore venerabor.* Ut verba sint quasi Inaugurantis. *Arbores* enim suis Numinibus *sacras* fuisse, jam antè dictum. Legunt quidam NOMEN hâc distinctione: DICAMQUE SUB ARBORE NOMEN HAC. ERIT. ITE PROCUL. &c. Sed malè, ac nullo ferè sensu. Extulit itaque hoc Ovidianum Amor. III. El I.

Stat vetus, & multos incidua sylva per annos:
Credibile est illi NUMEN *inesse loco.*

52. Ite procul (sacer est locus) ite profani.] Ostendit quanta hujus sibi *nemoris* veneratio futura sit, ut inde etiam *profanos* (id est non Initiatos Amori) ejiciat. Solennis formula praesertim in Sacris Eleusinae Cereris, à quibus per praeconem arcebantur *Profani*, id est non Initiati. Juxta Graecum illud: ἑκάς, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. de quo ritu videndi Meursius in Att. aliique Graecar. Antiquit. Antistites. Allusit Noster, procul dubio, ad Aeneid. VI. 258. ubi Poëta de Sibyllâ:

——— ——— *Procul, ô, procul este profani,*
Conclamat Vates, totoque absistite luco!

Quod ex Graeco Callimachi desumpsit. Ita enim Hymn. in Apollin.

——— ——— Ἑκάς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός.

Quo loco vide Interpretes: qui & illa citant ex Orphicis:

Θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι πάντες.

Quid propriè *profanum* sit doctissimus Commentator docebit ad Aen. XII. 779. ubi Turnus:

——— ——— *Colui vestros si semper honores,*
Quos contra Aeneadae bella fecere profanos.

ad quem locum confer Macrob. Saturn. III. 3. qui, praeter Trebatii sententiam, & illud addit: *profanum omnes penè consentiunt id esse, quod extra fanaticam causam sit: quasi porrò à fano & à religione secretam.* Cui accedit Cl Becm. Orig. L. L. *A fanum*, (inquit) *est fanare apud Varr. l. 5. L. L. & hodie cernitur in profanare.* Ut ergo Flaccus à Musarum fanis *profanos* arcet: Ita ab Amoris templo Noster rusticos illos, atque in amore rudes longè submovet. Habet & ἔμφασιν, reduplicatio illa, *Ite, ite*, & ἀφοσιωμὸν quendam dicentis prae se fert.

Sacer est locus] Similis est παρένθεσις in Persio Sat. I. 113. quamvis non eodem sensu:

Pingue duos angues, pueri (sacer est locus) extra Mejete.

Sa-

Sacrum inquit ergo hoc Nemus, *sacra* erit arbor huic Deo, qui Crotalen ad me adduxerit. Qualis illa Anacreontis arbor, Od. XXII.

Παρὰ τὴν σκιὴν, Βάθυλλε,
Κάθιζε· καλὸν τὸ δένδρον, & *seqq.*

Ubi quasi *Amoris templum* quoddam constituit. Totum hunc Poëtae Nostri locum expressit elegantissimè Theocrit. Eid. III. 50.

——— Ζαλῶ δ', φίλα γύναι, Ἰασίωνα
Ὃς τόσσων ἐκύρησεν ὅσ' οὐ πευσεῖσθε βέβαλοι.

Id est:

——— *Beatum etiam judicio, ô cara mulier, Iasionem,*
Qui ea consequutus est, quae non audietis Profani.

53. Urimur in Crotale.] Ita legendum cum Illustr. N. Heinsio, qui hunc versum citat. Sic enim Naso purissimae latinitatis auctor, Met. VIII. 21. Medeam inducit:

——— ——— *Quid in hospite, regia virgo,*
Ureris:

Quod Planudes expressit, ἐπὶ τῷ ξένῳ; Idem, Metam. x. 601.

——— ——— *Vultuque in virgine fixo.*

Similiter ferè Poëta Lyricus, Carm. I. Od. 17. de Ulysse:

——— ——— *Laborantes in uno*
Penelopen, vitreamque Circen.

Terent. Eunuch. III. 5. *In hâc commotus sum.* & ejusmodi. IN CROTALEN tamen quarto casu praefert, Cl. Barthius; & eruditissimum Fr. Modium contra omnium Edd. fidem agere, ait, cum legat IN CROTALE. Defendi tamen possit (si quis ita contendat) quartus Casus. IN praepositionem enim Vett. promiscuè, vel cum accusandi, vel cum auferendi casu junxere: ùt, praeter alios, observat. H. Tursellinus de Partic. L. L. cap. LXXV. Praeterea IN cum quarto casu, in significatione quietis usurpatum fuisse Antiquis, exemplis docet Cl. Vossius Aristarch. lib. II. Construct. cap. LXV. Rectè itaque etiam dici potest, URI AMORE IN ALIQUAM. Vide, quae de hâc constructione, A. Gellius I. 7. ubi *Tullis auctoritate* (Orat. pro Pompej.) *probat, rectè dici, in praedonum fuisse potestatem, ut & Plauti in Amphitr. qui verborum Lat. elegantissimus, ait: Numero mihi in mentem fuit; non, ut dici solitum est, in mente.* Confer Interpretes, ad illud Terentii in Eunuch. *esse in tantum honorem.* Ita εἰς quandoque Graeci habent pro ἐν mutato casu. Sed Ovidianiae constructioni, cum celeb. Heinsio acquiescendum potius censeo. Usurpant & absolutè sine praepositione. Horat. I. Od. 6. *Sive quid urimur:* ut, sit ἐλλειπτικῶς κατά τι, *propter quid*, Phrasem ipsam eleganti comparatione, ùt solet, extulit Poëta Sulmonensis, Epist. XII.

Uror, ùt, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager.

Et alibi:

Uror, ùt inducto ceratae sulphure tedae.

54 Quisquis mea vota deorum Audiat!] Quicunque Crotalen mihi adduxerit! *Audire vota* de *Diis* propriè. Horat. IV. Od 13.

Audivere, Lyce, Dii mea vota, Dii
Audivere!

Prisca formula, QUISQUIS DEORUM. Idem Flaccus, Carm. II. Od. I.

Juno, & Deorum quisquis amicior Afris.

Ut & Epod. v.

At, ô, Deorum quicquid in coele regit!

Velut optime legunt Editt. Confer & Chor. I. Thyest. vs. 122. ubi *Si quis de Superis* ter repetitur: ùt θεῶν τις, usurpant Graeci. Sophocles Ajac. Flagell. vs. 1077.

Καὶ μὴ θεῶν τις τλάδ' πῆμα ὅρᾶτε.

Ob hanc incertitudinem (de quâ jam superius) Naso, etiam Met. I. fab. 2.

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille Deorum
Congeriem secuit. &c.

Hinc Heliodor. Aethiop. v. ἡ Τύχη ἢ δαίμων, conjungit. Nec non in genere Plautus de Diis; Cistell. II. I.

Ita me Dii, deaeque, superi atque inferi, mediocrium
Di omnes, magni, minutique.

56. Huic soli .... inter pampineas ponetur faginus ulmos.] Explicat Barthius τὸ FAGINUS pro *fago*; quasi adjectivè dixerit, pro substantivo: quod exemplis probat. Durior sanè explicatio. Exhibet ergo doctissimus Ulitius lectionem hoc pacto: *Huic similis inter p. p. faginus ulmos.* Vero sensu, & dilucido. Mens itaque Calpurnii est: *Quisquis sit ille inter Deos, qui Crotalen ad me reduxerit; huic deo ille similis faginus à me ponetur.* Hoc est: *ad illius dei formam ille, qui hoc praestiterit ex ligno fagi affabre factus, mihi statuetur in horto inter amictas vitibus ulmos, quantus ipse fit. Faginus* hic est è *fago*; ùt de Priapo *marmoreus & aureus* (apud Maronem) pro *marmore & auro.* At videtur ἀντίθεσις quaedam inesse, in τῷ SOLI (dixerat enim pastor, *Hunc ego sideribus SOLUM regnare fatebor*) Quae profectò oppositio venere suâ non caret. Sanè retineri possit illud SOLI. Hoc sensu: *Huic Deo.* Hoc est, *in honorem hujus dei soli: ipse ponetur faginus.* id est *è fago edolatus.* Locus certè hic Calpurnii est inter abstrusiores, & intricatos. Caeterùm Deorum agrestium *statuas in hortis olim dedicatas fuisse constat*, vel orna-

natus, vel custodiae, vel religionis causâ. Ita vel Florae, sive Priapi, sive Fortunae aut Nympharum, statuas in hortis crebro reperias, apud Plinium, alios. Sed ad rem. si Vlitii lectionem admittamus: dicet, *se neu rude lignum positurum esse aut rudi asciâ delatum, sed ad effigiem illius dei nitide expressum; ut sit, os humerosque illi deo similis.*

56. Inter pampineas ulmos] Appositè omnino: ut *Ulmus* quasi mutui amoris & conjugii σύμβολον sit inter Crotalen & Astacum. De *ulmo*, cui vitis incumbit, nota sunt omnia. Martial. IV. Epigr. 13. de Nupt. Claud. & Pudent.

Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi.

Ita Vertumnus utriusque arboris exemplo conjugium suum Pomonae commendat, apud Nason. Metam. XIV. 672.

Haec quoque, quae junctâ vitis requiescit in ulmo,
Si non juncta foret, terrae acclinata jaceret.

Eâdem comparatione Catullus Carm. Nupt. de vite viduâ, ac se in terram deflectente: *quae,*

——— *Si fortè eadem est ulmo conjuncta marito,*
Multi illam agricolae, multi accoluere juvenci.

Unde signate praecipit Plinius XVII. 23. *Ulmos vitibus non maritandas, nisi validas, ne scilicet nimio vitium incremento enecentur ulmi*, vide & eundem lib. XVI. cap. 18. *Alitur* enim *maximè vitis ab ulmo*; juxta Columell. XVI. de Arborib. ut hic rectè observat Barthius. Gratulari itaque sibi filia hoc emblemate videtur conjugium. Quin & inter Amicitiae post mortem etiam perdurantis σύμβολα agnoscit Alciatus Embl. CLIX.

Arentem senio nudam quoque frondibus ulmum
Complexa est viridi vitis opaca comâ:
Exemploque monet, tales nos quaerere amicos,
Quos neque disjungat foedere summa dies.

55. ViridES QUA GEMMEUS UNDAS FONS AGIT,] Topographia. commendat enim loci amoenitatem; qualis ille Petronii *dignus Amore locus*, cap. CXXXVII. & hortus apud Longum, Past. I. ab initio ferè: in quo μία πηγὴ πάντα ἄρδει, κὴ τὰ ἄνθη, κὴ τὰ δένδρα. &c. Cui conferas luculentissimam horti descriptionem lib. IV.

Gemmeus,] Similiter Martial. IX Epigr. 91.

Quà, gemmantibus hinc & inde rivis,
Curvâ calculus excitatur undâ.

Sic *fons* dicitur *pellucidus, & nitidis argenteus undis*, Ovidio, aliis. Apud Theocritum πηγὴ κρυστάλλῳ κὴ αργύρῳ ῥέει, dicitur. Vel in voce *gemmeus* respexit ad aquae colorem cyaneum, & subviridem; quomodo Martialis IV. Epigr. 61. *gemmas similes fluctibus* esse ait. Quare & Noster venustè *fonti gemmeo virides undas* tribuit. Vel denique ad aquae nitorem respexit: cùm *gemmâ* nihil sit magis lucidum, & *gemma* signatè *lucida* dicatur. Talem describit Paradisi fontem Alcimus Avitus, lib. I. 253. quem locum, cùm notaverit Cl. Barthius, fusius aliquantò adscribere liceat:

Hic fons perspicuo resplendens gurgite surgit.
Talis in argento non fulget gratia: tantam
Nec crystalla trahunt nitido de frigore lucem.
Negligit hic virides riparum margo lapillos
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic saxa jacent.

Confer amoenissimas fontium descriptiones in N. Causini Eloquent. lib. XI. inter quos *Fons Clitumnus*, à Plinio Nepot. VIII. Epist. 8. descriptus, eminet: cui & *fons Penei* in Τίμπει, apud Aelian. III. I. addi possit. Porrò *gemmeus*, & *gemmatus*, ita inter se differunt, ut posterius sit καθάλιθον, *gemmis intextum* vel *ornatum*, alterum ὁλόλιθον, *totum* ex gemmâ.

Agit] Propellit. Prae caeteris, argutè expressit Horat. Carm. II. Od. 3.

——— ——— *Et obliquo laborat*
Lympha fugax trepidare rivo.

Ubi rivuli aquas propellentis mira est descriptio.

57. Et tremulis percurrit lilia rivis] Venustè. Ut & illud Senecae Trag. Hippol. in descriptione vitae agrestium:

——— ——— *Sive fons largus citas*
Diffundit undas; sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.

Lilieta intelligit, vel areolas *liliis* consitas. Tria Antiquis *liliorum* genera fuisse, docet Plinius. XXI. 5. ubi *lilium* ait *rosae nobilitate proximum esse; cùm nulli florum sit excelsitas major. Laudatissimum in Antiochiâ*, &c. *quartum locum obtinet in Italiâ nascens.* & ibid. cap. II. *in Italiâ violis succedit rosa, huic intervenit lilium.* Caeterum *riguis locis* gaudere *lilieta*, ostendit Vates Umber. I. Eleg. 20.

Et circùm rigue gaudebant lilia prato
Candida, purpureis mista papaveribus.

Ubi Legit Cl. Broukh. *Et circumriguo surgebant l. pr.* eodem tamen res redit. Praecipue ergo hortorum ornamenta *fulvis haerentia linguis Lilia*. Quod etiam innuit Theocrit. in Eidyll. Ἐν λειμῶνι ἐύπνεα λείρια. Appositè. nam λειμὼν pratum est, à λείβω, quia rigatur aquis. Pingit itaque hunc locum (ùt dixi) ceu *Templum Amoris*: qualis ille Petronii est hortus, Sat. CXXXVII.

Emicuere rosae violaeque, & molle cypéron,
Albaque de viridi riserunt lilia prato.

Confer & florum areolas in Longi Ποιμ. lib. IV.

IV. Ἦτοι καὶ αὐτῶν στεφανοῖ, ὧν τὰ μὲν ἔφερεν ἡ γῆ, τὰ δ' ἐποίει τέχνη· ἴα λευκὰ, καὶ ὑάκινθοι, καὶ κρίνα, χειρὸς ἔργα. Interim & *lilia*, inter munera amatoria: *Tibi lilia plenis, Ecce, ferunt Nymphae calathis.*

58. NE CONTEMNE CASAS, ET PASTORALIA TECTA.] Locus expressus est ex Marone Ecl. II. 28. ubi Corydon:

O tantùm libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas!

Neque aliter ipse Polyphemus apud Nasonem Met. XIII. fab. 8. rus commendat: quod ex Theocriti Cyclope mutuatus est; qui Eidyll. XI. Galatheam invitans:

Ἅδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς.

Locum hunc quoque tangit Nemesian. in Donace, Ecl. II. Sed cui non dictus Hylas?

PASTORALIA TECTA.] Eleganter depingit Lucanus Pharf. IX.

——— ——— *Rarae so tollere frondes;*
Surgere congesto non culta mapalia culmo.

Quod ex illo Maronis: *sparsis habitata mapalia tectis:* sed haec propriè Nomadum sunt, & Afrorum. Non inconcinnè Silius Punic. XV. vocat

Tecta, levi calamo cannâque intexta palustri.

Isidoro in Origin. eadem *pastoralia tecta* dicuntur *Agrestia habitacula, palis ac vignltis arundinibusque contexta;* quae Appulejo in Metam. *casula cannis temere contexta* vocatur. Agrestium has casulas eleganter porro describit Senec. Epist. XC. *Non habemus domos instar urbium . . . Lenis umbra rupis aut arboris, aut perlucidi fontis, rivique, non opere, nec fistulâ, nec ullo coäcto itinere obsolefacti, sed spontè currentes, & prata sine arte formosa: inter haec agreste domicilium, rusticâ positum manu. Haec erat secundum naturam domus, in quâ libebat habitare.* Neque aliter de pastoralibus Antiquorum tectis Tibull. II. Eleg. I.

——— *Compositis primum docuere tigillis*
Exiguam viridi fronde operire casam.

Invitat ergo dominam ad *sordida tecta, Pauperis & tuguri congestum cespite culmen* ut ille:

59. RUSTICUS EST, (FATEOR) SED NON EST BARBARUS IDAS] *Rusticus es Corydon.* &c. Virgil. Ecl. II. Pleniùs exsequitur Nemesianus in Donace, Ecl. II.

Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon
Te cupiam, quòd manè boves in pascua ducam.
Dii pecorum pavère greges. &c.

Similis in Theocrito est querela, Eidyll. XX. ubi bubulcus contemtum se dolet; cui rusticitatem objecerat puella his verbis:

Οἷα βλέπεις, ὁκκοῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις, Βωκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι, τάλαν; οὐ μαθὼν ἀγροίκως φιλέειν. &c seqq.

Rusticum enim *non amare, sed bubulcitarier decet* ut argutè Plaut. Mostell. I. I. vide & ejusdem Truculent. II. I. & 2. ubi *rustici adolescentis* mores egregiè depictos habes. *Rusticus* hic adjectivè ad mores transfertur: sic ex *vitide rusticum fi ri*, ait Horat. I. Epist. 7. 83. Pulchre describit *rusticitatem* Theophrast. Charact. Ethic. IV. quòd Ἀγροικία, sit ἀμαθία ἀσχήμων, &c. *Honestatis & decoris ignorantia.* Ad quem Theophrasti locum doctissimus Interpres Grammaticorum differentiam ridet inter ἄγροικος, & ἀγροῖκος; & concludit. utramque vocem notare *rusticum, qui rure habitat; atque, inde deductâ significatione, rudem, imperitum, inurbanum, ineleganten.* Quâ notione Juvenal. Satyr. III. 67. de populo R. adhuc rudi, ad Romulum: *Rusticus ille tuus.* &c. Elegantissimè ergo ad τὰ ἐρωτικὰ transfertur. Ovid. Epist. Parid. de Menalao:

——— ——— *Me spectante, lacertos*
Imponit collo rusticus iste tuo?

Sic de eodem, Art. I. 369.

——— *Vir abest, & adest non rusticus hospes.*

Idem ad Amnem iter ad amicam impedientem lib. Amor. III. Eleg. 5.

Quid mecum, fursofe, tibi? quid mutua differs
Gaudia? quid coeptum, rustice, rumpis iter?

Planè autem phrasin explicat, ibid. Eleg. 10. vs. 17. de Cerere in amores provolutâ:

Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces,
Rustica; nec vacuum pectus amoris habet.

Atque ita Magister ille amorum sexcentis locis. *Rusticus* ergo, qui delicatiorem amoris gustum non habet: unde in re amatoriâ Idem monet poëta, de Art. I. 609.

——— ——— *Fuge rustice longè*
Hinc pudor: audacem Fersque Venusque juvant.

59. SED NON EST BARBARUS] Simili oppositione Appulej. Millef. V. *Sum quidem rusticanus, ut opilio, sed multis experimentis instructus.* &c. Qui nullo planè amoris sensu tangerentur, olim *barbari* dicti. Plaut. Bacchid. I. 2.

L. *An deus est ullus suavis Suaviatio?*
P. *An non putâsti esse? nimium quàm, ô Lyde, es barbarus!*
I Stultior es barbaro Petitio!

Ad amorem quoque transtulit Propert. III. Eleg. 14. de puella:

Quisquis amator eat, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse velit.

Adeo verum est illud, quod Heliodor. Aethiopic. V. dixit: τοὺς μὲν καλοὺς καὶ βάρβαροι χεῖρες δυσωποῦνται, καὶ πρὸς τὴν ἐρασμίαν θέαν καὶ πολέμιος ὀφθαλμὸς ἡμεροῦται. Imò & in amorum deliciis *barbarus* dicebatur, qui nihil amicae ferret: juxta il-

illud Nasonis:

At nunc barbaries grandis habere nihil.

vox *Barbari* itaque non tam ad linguam quam mores transfertur. Sic argutè admodum Elegiam de saevitiâ puellae querentem inducit Naso Amor. III. El. I.

Quid? cùm me munus natali misit? ât illa

Rupit, & appositâ barbara mersit aquâ!

Barbarus quid propriè sit docet Strabo Geogr. XIV. Homerum verò *barbari* vocem non usurpâsse ostendit Thucydides B. Pelop. I. Reliquos scriptores à Graecis distinxisse notum est. De iis multi sunt Herodotus, Isocrates, Demosthenes, & quicunque rem Persicam attigerunt. Vocem ex Oriente esse בר בר, & *extraneum* notare docent Eruditi ad Sallust. Bell. Catil. cap. XIX. atque alibi. Vide quae magnus Scaliger Exercit. LI. de hâc voce, (observante Chr. Becm. Orig. L. L.) notaverit. Noster tamen ad religionem trahere videtur, ex eo quod sequitur:

Saepe vaporato mihi cespite palpitat agnus. &c.

Confer Epicteti Euchirid. cap. XXXVIII. qui de impio agricol:

Διὰ τῦτο ὁ γεωργὸς λοιδορεῖ τὺς θεὰς. &c.

Sed exemplorum sat est.

SAEPE VAPORATO MIHI CESPITE PALPITAT AGNUS.] Tityrus, Ecl. I.

——— ——— ——— ——— *Illius aram*

Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Religioni ergo se vacare dicit, juxta illud Epicteti, σπένδειν ἢ θύειν, ἢ ἀπάρχεσθαι κτ̀ τὰ πάτρια ἑκάστοις προσήκει. Religionem itaque in principio Operis commendat Varro R. R. I. I. & Cato R. R. non uno loco. Ita enim cap. CXLI. *Agrum sic lustrare oportet . . . . . ubi immolabis agnum, vitulumque, sic oportet.* & cap. CXLII. *Scito, dominum pro totâ familiâ rem divinam facere oportere*, &c. Sed jam observârunt Eruditi. Hesiodus ferè in eo totus est; cujus praecepta circa agricolae religionem pia ac verè aurea sunt in Ἔργ. ἢ Ἡμέρ. I. vs. 334. & seqq.

Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Ἁγνῶς, ἢ καθαρῶς, ἐπὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν.

Ἄλλοτε δὲ σπονδῇσι θύεσσί τε ἱλάσκεσθαι.

Quò etiam respexit maximus Vates Georg. I. 338.

Imprimis venerare Deos, atque annua magnae

Sacra refer Cereri. &c.

Cui consentit vulgatum illud Phocylidis in Sent. vs. 6. πρῶτα Θεὸν τίμα. Et quod de Cyro Xenophon Κυροπαιδ. I. ἐξῆλθε μὲ πρῶτον ἀπὸ τῶ θεῶ. Confer Maron. Ecl. III. 60. *Ab Jove principium*: quod ex Arato nec non Theocrit. Eid. XVII. expressum. Sed haec potius Gnomologis. Sacrificantes interea vide Agricolas in Aristophan. Εἰρήν. qui ad Pacem:

Δέσποινα χορῶν, δέσποινα γάμων,

Δέξαι θυσίαν τὴν ἡμετέραν,

Δέξαι, πότνι' Εἰρήνη. &c.

VAPORATO CESPITE] *Flammae vapore tepefacto*; ùt loquitur Appulej. in Milef. *Vaporare* enim est tepidum reddere. Quo sensu Horat. I. Epist. 16. 7. de Sole, qui praedium illius

——— ——— *Decedens curru fugiente vaporat.*

Quomodo Lucretio lib. I. *vapore Solis terra fota* dicitur. Alioqui *vaporare* de thure in ignem jactato vulgò usurpatur; quos *vaporiferos ignes* vocat Prudent. Apotheos. 134. Imò idem de simplici flammâ in Περιστ. Hymn. VI.

——— *Cum desugeret vaporas ardor,*

Orant, ut celer ignis advolaret.

Vox ergo satis Latina. Maro enim Aen. XI. 481.

Succedunt matres, & templa vaporant.

(ut etiam Lucret. lib. V. 1130. quamvis alio sensu,) ubi activè sumitur pro θυμιῶ, *suffio*. Alioqui Grammaticis neutrum est. *Vaporatam autem* pro purgatâ accipit Persius Satyr. I.

CESPITE] Vox propria. *Arae* enim *agrestiam ex congestis cespitibus*: ùt hic rectè Barthius. *Aram* itaque intelligit *gramineam*, quam *glebam virentem* vocat Juvenal. Sat. XII. Flaccus Carm. III. Od. 8.

Quid veliat flores, & acerva thuris

Plena, miraris, positasque carbo in

Cespite vivo?

ubi Mancinellum vide. Idem lib. I. Od. 19. etiam *vivi cespitis* meminit. Noster quoque Ecl. V. 25.

——— *Tam cespite vivo Pene focum!* &c.

Neque aliter ferè Poëtae, praesertim in re rusticâ. Interim has Gentilium *aras cespititias* (ùt vocat J. Capitolinus) meritò ridet Prudentius Περιστ. inquiens:

Focalumque vivi cespitis

Vanis reliquae altaribus.

Quandoque enim *cespites aggesti loco arae ponebantur, ubi victima erat extemporanea, aut Diis rusticis oblatio fiebat*: observante doctissimo Kippingio R. Ant. I. 8. aliis. Namque ita Silius P. B. citante eodem:

Cespite gramineo fiunt properantiùs arae.

Ut & Naso Fast. V. qui signatè:

Araque gramineo viridis de cespite fiat.

PALPITAT] Morientis *agni* gestum pulchrè exprimit. *Palpitare* enim est *leviter, & frequenter moveri.* Ac plerumque de morientibus ex vulnere usurpatur. Ita Appulej. Milef. III. *Corporibus in multo sanguine palpitantibus.* &c. Cui con-

Ggg 2 fe-

feras Pyramum corpore jam moribundo trementem; apud Nason. Metam. IV. Hinc *salire & palpitare* Plinio conjungitur. Idem de cordis motu, lib. XXVIII. 8 *Palpitat certè coe, & quasi alternatim* movetur. Opponitur itaque *palpitare τῷ vivere* apud Lactantium de Mort. Persequut. Eleganti comparatione rem, more suo, illustrat Ovid. Met. VI. de linguâ Philomelae exsectâ:

Utque salire solet mutilatae cauda colubrae,
Palpitat, & moriens dominae vestigia quaerit.

61. Saepe cadit nostris devota Parilibus agna.] Verbo usus est sacrorum. *Cadere* enim dicebantur *victimae* ad aras: Ita Tibullus I. Eleg. I. 27. ad deos Lares:

Agna cadet vobis; quam circum rustica pubes
Clamet: iö, messes & bona vina date!

Naso, Fast. IV.

——— Geminas rex Numa mactat oves:
Prima cadit Fauno, leni codit altera Somno.

Propert. IV. Eleg. 6. pleniùs extulit:

Et cadat ante meos icta juvenca focos.

Neque aliter Martialis, IX. Epigr. 43. voto ad Apollinem:

Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.

Et sic passim Poëtae in Catalectis, de Victimis, diis agrestibus oblatis.

Devota parilibus agna] Praefert Vlitius, *Palilibus*; cùm Edd. quaedam habeant *Parilibus*. Atque ita haec Festa vulgò *Palilia* dicta sunt, de quibus fuse agit Ovid. Fast. IV. à vs. 721. ad 806. Sed de his jam supra. *Parilia* scribit certè Livius lib. XL. cap. 2. neque Palilium meminit. De hoc lustrandi more, praeter loca jam citata, Alex. ab Alexandr. D. G. V. 27. *Observatum* inquit *est, ut pastor summo diluculo oves & ovilia aquâ inspergeret (postquam consuetum confecisset suffimen) & sulphure, & herbâ Sabinâ, & lauro, igne succensis, circum ovilia fumigaret*; quo suffimento *pecora piari, morbos depelli, & tabem putabant*; & quae seqq. Hunc diem Urbi esse Natalem uno ore consentiunt, quotquot rem Romanam, attigere: sed jam olim inter pastores celebratum fuisse ante V. C. verisimile est, ex Plutarcho: quamvis dubitare de eo Dionysius videtur, lib. I. Rom. Ant. cap. postremo: *Utrum verò hunc diem jam multò antè in publicâ laetitiâ condendae Urbi aptissimum existimaverint; an eum tunc, cum Urbs condi coepit, consecraverint, liquidò affirmare non possum.* Neque ad mentem Nostri quicquam facit. Magis inserviunt verba Plinii, lib. XVIII. cap. 26. qui *circa sidus Palicium (quoniam XI. Kal. Maj. Urb. Rom. Natalis erat) ferè serenitatem reddi, post occasum Sucularum, quas Hyades vocant*, observat. Ad quam *serenitatem* sacrificiis impetrandam magis respexisse Poëta, quam ad Urbis Natalem potuit.

Devota agna] *Pali* certè *agnâ* non faciebant pastores. Docet id apertè Alexand. Neapolit. D. G. II. 22. *Palilibus intentiori curâ cavetur, ne qua mactetur hostia; quod, eum diem, qui Patriae natalis erat, à caede & sanguine decet esse purum. Fuit is dies XI. Kal. Maj. quô mos erat ovilia purgare, transilire flammas* (cujus ritus causas reddit septem Naso Fast. IV.) *libo ex milio, lacte, & sapâ confecto, additis precibus, sacrum facere*: & lib. V. cap. 27. *Saceo carmine, milio, & libo, cum lacte, & sapâ Pali sacra facere solebant.* Nam, ùt signatè Ovid. loc. cit. in Fastis:

Rustica praecipuè est hôc dea laeta cibo!

Vide omnino, quae doctissimus Interpres habet ad Tibull. I. Eleg. I. 14. ubi ex Valerio Probo, aliisque inquit: *hunc diem colentes lacte libant, qui fructus ex pecore tollitur.* Quod suavissimè extulit Epictetus Enchir. 69. de ovibus; *ἀσεῖατα ἴεγαι ἔχω φιέδ, ϗ γάλα.* Itaque Pani quoque, & Priapo, & Sylvano, ùt diis pastoralibus, *lacte* & *libo* fiebat; nulla mactatae agnae indicio. Post festum verò & Genio & vino indulsisse pastores ex ejusdem Tibulli lib. II. Eleg. 5. 87. constat. Hoc loco itaque *Parilia*. (quae Athenaeo & Graecis quoque *παρίλια* dicuntur) scripsisse Poëtam, atque ad *feliciorem pecoris partum*, quàm ad *Palem* deam, respexisse magis suspicor. Sane quam *sacrificiorum & victimarum in Parilibus festis* meminit Dionys. Halic. I. II. *Hoc enim die pro foecundo quadrupedum partu agricolas & pastores ineunte vere sacrificium fecisse*, affirmat: ubi nullam *Palis* deae mentionem facit. Unde diversa fuisse *τὰ Parilia, cum Palilibus*, non eadem verisimile est. Quo accedit, *Palilia* non nisi semel quotannis celebrari solita fuisse, cum Noster, contra *saepe sibi festis Parilibus casuram esse agnam*, ait. *Agnam* porrò Diis Agrestibus libentius obtulisse Vett. quàm *agnum*, jam supra dixi. Ita Horat. Epod. II.

Aut agna festis caesa Terminalibus.

Devota] Dedicata. Sic Flaccus, III. Od. 23. loquitur de *victimâ devotâ, quae Pontificum secures cervice tinget.* ubi Porfyrio: *devota*, id est *diis destinata.* Propert. quoque IV. Eleg. 9.

——— ——— Gregibus devota est aea copertis.

Sic *devota Mosis*, aut *Marti pectora*, &c. Notae sunt phrases. Sanè respicere videtur *vota pastorum* pro incolumitate familiae, & pecoris: quae latè prosequitur Naso in Fastis loc. cit. cujusmodi & Cato de R. R. breviter habet, cap. CXLI.

CXLI. *Pastores, pecuaque salva servassis.* &c. Ita in Daphnidis Apotheosi Maro, respectu agrestium:

——— ——— ——— Damnabis tu quoque votis.

Nos QUOQUE POMIFERI LARIBUS CONSUEVIMUS HORTI MITTERE PRIMITIAS.] *Hortorum praesides, Pomonam, Floram, Priapum intelligi hic*, ait Barthius: *Lares* enim *cujusvis rei praesides ac custodes* dictos esse. Inde *Lares Viales*, *Compitales*, *Domestici*, & similes. Ergo & praedia, & horti suos habuere *Lares*. Ita certè Tibullus, assiduus rei rusticae praeco, lib. I. Eleg. I. 24. *Lares suos pauperis agri custodes* vocat, quos propriè *Rurales* dicebant Vett. *Rus* enim signatè *praedium* significat: *Lares* itaque & in *praedio* agnoscit Cicero, Orat. pro Quinct. Sic etiam Cato R. R. II. *Paterfamilias ubi ad villam venit ubi Larem salutavit*, &c. Neque aliter rusticam Phidilen, lib. III. Od. 23. inducit Horatius, rure suo,

Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Itidem Columella de Villico: *Consuescat circa Larem domini focumque familiarem semper epulari*, id est, diebus festis genio indulgere: quomodo & Flaccus Epod. II. *Circa renidentes Lares. Lararium ergo quaevis familia, sive rure, sive in oppidis, non modò habebat, sed etiam habere debebat, ex Lege* XII. *Tabb.* ut docet J. Saubertus de Sacrif. cap. XIV. Hos *Lares* in villâ *Pilumnum* ac *Picumnum* esse, ad averuncandas *Sylvani* insidias, voluere quidam non illiterati. Quos tamen pro Geniis magis, quàm pro *Laribus* habitos fuisse ab Antiquis suspicor. His *Laribus* itaque, *per omnia compita, in pagis facella exstrui, eosque à singulis familiis coli jussisse* Servium Tullum, auctor est Dionysius A. R. IV. 3. Proinde probabile est etiam, *sua Lararia* veteres habuisse in hortis; in quibus hi *Lares* vulgò in porticu, quae compluvio adjuncta erat, positi fuisse videntur; non prope focum (ut *Lar ille familiaris*, qui Prologum agit in Plauti Asinariâ) quos idcirco, non sine joco, *fuliginosos* dixit Prudent. Περιστεφ. Hymn. X. Sed ad rem: Noster de *Laribus horti* (non *domesticis*) agit, quocirca *Venerem* intelligi suspicor omnis geniturae deam. utpote, *cujus in tutela fuisse hortos* scripsit Plinius XIX. 4. alii. Hanc *quoque* inter Lares habebat Trimalchio ille Petronianus, cap. XXIX. *Praeterea grande armarium in portico in angulo vidi, in cujus aedicula erant Lares argentei positi, Venerisque signum marmoreum.* Huc facit & Varro R. R. I. I. qui de agri ac hortorum cura scripturus inquit, *Item adveneror Minervam, & Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum* Quò accedit, quòd *Venus* eadem, quae *Chloris*, sive *Flora* (ut jam dixi) & pro *florum hortensium deâ* ab Antiquis culta fuerit. Quocirca argutè admodum *flores Veneris stipendia* vocavit Valerius Cato; & Ausonius Eidyll. XIV. dixit:

Sileni & floris nam domina una Venus:

ad quem Ausonii locum Anacreontis Oden LIII. Interpretes adferunt: qui Rosam Ἀφροδίσιον ἄθυρμα, *Veneris ludicrum* appellat: cui addi possit ejusdem Od. V. ubi similiter:

Τὸ ῥόδον, τὸ τῶν Ἐρώτων,
Μίξωμεν Διονύσῳ. &c.

Cui sententiae porrò favet Lucretius R. N. I. vs. 7. qui ad Venerem:

——— Tibi suaves daedala tellus
Submittit flores. &c.

At maximè favet Pierius in Hieroglyph. lib. XXXIV *Jam & Priapi simulacra in hortis statui ab Antiquis solita fuere. Ea verò de causâ fieri consuevisse ait Varro, quòd horti omnes in tutelâ sint Veneris, quae totius est generationis dea.* Quare & *Veris tempora Veneri ac Cupidini* (sensu tamen casto) consecravit Antiquitas: quod non ignoravit in re amatoriâ politissimus Janus Secundus, in Elegiis illis. III. Solennibus ad Majum, libr. ad Juliam, quas operae pretium cum Antiquis conferre. At satis de *Venere, hortorum praeside.* Huic itaque si adjunxeris vel *Cupidinem*, vel quod malim *Bacchum*; ecce tibi *Hortorum Lares. Bacchi* certè *facellum* atque aram in horti sui amoenissimi meditullio posuit Longus. Pastor. IV. Ἦν δὲ τοῦ παραδείσου τὸ μεσαίτατον ἐπὶ μῆκος, καὶ εὖρος ἦν, νεὼς Διονύσου καὶ βωμὸς ἦν. &c. ubi mox quoque ipse Lamon τὸν Διόνυσον ἐστεφάνωσε τοῖς ἄνθεσι; *ipsum Bacchum* (ut in *Laribus* fieri consueverat) *floribus coronavit.* Neque obstat, quod (*pomiferi horti*) dixerit: cum & *poma*, tam *Veneri* quàm *Priapo* dedicata fuerint, sensu etiam honestissimo.

63. MITTERE PRIMITIAS] *Laribus* nempe. De *primitiis*, Diis agrestibus oblatis nota sunt omnia. Obiter tangit Naso, Metam. VIII. 271. de Ceneo, quem ferunt,

Primitias frugum Cereri, sua vina Lyaeo,
Palladios flavae latices libâsse Minervae. &c.

Cui adde Plinium XVIII. 2. *Ac ne degustabant quidem novas fruges, antequam Sacerdotes primitias celebrâssent.* Sanè *primitiae* (quae Graecis Ἀπαρχαὶ, unde est ἀπάρχεσθαι *primitias offerre*,) sunt *primae fruges, diis oblatae*, circa quas summa Antiquorum fuit veneratio. Sed quid in re notâ moror? Omnem enim *primitias offerendi* morem è Sacris Hebraeorum fluxisse, in confesso est: de quibus, S, S, Literas, ac Rabb. scripta

consule. Magis ad rem fuerit hic docuisse, quas *primitias Laribus* obtulerint Veteres. *Munera illis ex parte oblata describit T. Calpurnius, Eclog. 2. vs. 64. liba nempe, rorantes favos & liquentia mella*; inquit cultissimus Interpres ad Tibull. I. Eleg. I. 24 Praeterea *& thure bis Laribus fiebat, & mola salsa, & horna fruge; & vitula & agna, & porca. Quorum partem nabet Horatius*, loc. cit. Sed ipsum vide. Accedebant *& dulcia poma & coronae praegrandes, velando foco, quibus Lares ornabantur*: ùt observat Festus. Atque haec omnia rite servabant Kalendis, Idibus, Nonis. pro cujusvis facultate. Quo certe repexit Juvenal. Satyr. XII. 87. & seqq.

Hinc nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violae jactabo colores.

Similiter Tibull II. Eleg. I. 59.

——— ——— Verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus.

Quod ad mentem Nostri quoque facit, quum Veneri praecipue *flores* ac *serta* offerebant Veteres. Si quis tamen hic *Lares domesticos in praedio* intelligi velit, eò se defendere posset; quod *Horti* significatio latius se extendat quam vulgò videtur. Ita enim Plinius de *Hortorum tutelâ*, lib. XIX. cap. 4. *In XII. Tabb. Legum nostrarum nunquam nominatur Villa, semper in ea significatione Hortus. In Horto vero haeredium. Quam rem comitata est religio quaedam: hortosque & fores, tantum contra invidentium fascinationes dicari videmus.* Quomodo & *fundum, praedium, villa*, & *hortus* eâdem significatione dicuntur Varroni, de R. R. ubivis fere; atque ita à JCtis promiscue haec vocabula usurpantur. De *Laribus domesticis* ergo hic dicendum fuisset, si ea mens esset Calpurnio. Ut tamen nonnihil proferam, maxime probabilis Platonis & Appuleji (de Deo Socr.) sententia videtur de *Diis Laribus* (qui *Praestites* Romanis, θεοὶ κατοικίδιοι Graecis dicebantur) scilicet ex Majoribus fuisse ultimae memoriae, qui summâ integritate vixerant, atque aedes, in quibus colebantur, observare, tueri, ac rem domesticam curare credebantur: quod etiam sensit Alex. ab Alexandr. G. D. VI. 4. Accedit, *quòd Lar, sive Lars, vox sit Hetrusca; ac principem notaverit*: quod & Val. Maximus habet de Nominibus. *Quia antiquissimis temporibus intra aedium pomoeria defuncti sepeliebantur.* Vide Notas ad Sallust. Catil. XX. ut & cap. LII. Inter deos Romanos fuisse docet Livius, VIII. 9. Ad stabiliendam sententiam facit quod Sueton. in Aug. V. denarrat: cui Augusto, velut *Lari domestico ac peculiari deo, pars domûs, in qua natus fuerat, consecrata est.* Confer omnino, quae de Alexandro Severo habet, Lamprid. cap. XXIX. quem in *larario suo principes optimos & electos, & animas sanctiores* &c. *coluisse*, ait. At plane huic opinioni adstipulatur *Lar ille domesticus* in Prolog Asinar. Plautinae:

Ego Lar sum familiaris: ex hac familia,
Unde exeuntem me conspexistis. hanc demum
Jam multos annos est cùm possideo, & colo.

Et seqq. quae ad rem faciunt. Facessant ergo, qui e *Lara* seu *Larunda* (quam & *deam Mutam* dixere) *& Mercurio* progenitos finxere, nihil certe docentes: quam sententiam tamen avide arripiunt Mythologi: inter quos Natal. Comes IV. 4. qui mira de iis (vel ipsius Nasonis auctoritate Fast. II. adductus) denarrat: quamque materiem mirifice amplificârunt Patres, Lactant. de Fals. Relig. Arnobius contr. Gent. aliique fere omnes qui more suo *noxios* vocant *daemonas*. Cur vero *Praestites* hi dicti sint *Lares, ac canina pelle ritu Gabino obtecti*, &c. dicet Plutarch. Quaest. Rom. LI. nec non doctissimi Interpretes ad Nasonis Fast. V. 135. Quò alludens Persius, Satyr. V. *succinctos* dixit. Poëtice ergo magis & argute Auson. in Technopaegn. quàm ex vero:

Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.

Et revera non iidem fuerunt neque *genii*, neque *Penates*, cum *Laribus*. Verum hos non attigissem deos, *domesticos*, si certi quicquam statuere placuisset Mythographorum filiis. Sed vide hîc magnum Vossium de Idololatr. lib. IX 33.

MITTERE.] Offerre. vox propria. Flor. I. 12. *Ea visa est praedae magnitudo, cujus decimae Apollini Pythio mitterentur.* Sensu tamen propiore. Sic *Mittere primitias* in Gentilium Sacris, nota phrasis. *mittere* speciatim de *muneribus*. A Graeco enim πέμπω, *mitto*, in Sacrificiorum donariis ac solennitate, vox sacrorum πομπὴ fluxit: unde sua Latius *pompa*. Ovid. Amor.

——— ——— Aurea pompa venit.

66. ET FINGERE LIBA PRIAPO] Eôdem verbo Ovid. Fast. III. 670. usus:

Fingebat tremula rustica liba manu.

De his *libis* ita Dionysius Ant. R. lib. I. *Ex Numae regis instituto quisque Agrestium in fundo sacrificare jubebatur, & pultes, & liba, & alias quasdam primitias. Liba* haec & *libamina* a *Libero* patre, dicta esse vult Naso Fast. III. 734.

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaque, quod sanctis pars datur inde focis.

Cui consentit Varro, L. L. IV. *Libum dicitur, quod inde libaretur, prinsquam esset coctum.* Caeterùm *liba* haec de quibus Saubertus F. de Sacrif. cap.

cap. XXIV. ex melle, oleo, lacte, & farinâ conficiebantur: unde Ovidio *flava* dicuntur, aptissimo epitheto. Graecis est πλακοῦς. Hinc Athenacus Deipnosoph. III. Πλακοῦς μὲν ἐκ γάλακτος, ἴτριον τε ϗ μελίτος, ὡς Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι. Graecis ἴτριον certe est *placentae genus*, cujus etiam Anacreon meminit in Fragm. odario quodam, cujus initium: Ἠρίστησα μὲν ἰτρίου, &c. Et fane *liba* explicat Servius per *placentas*. Haec autem in sacrificiis diis esse gratissima, notat Porphyrius lib. II. περὶ Ἀποχῆς. De *his Libis* crebra in Oriente etiam mentio: de quibus & Seldenus de D. Syr.

PRIAPO] *Liba* praesertim *Priape* oblata esse, in Catalect. Vett. plus semel liquet. inducitur enim Epigramm. quodam,

——— Pauper inquilinus
Qui libum dederat.

Et sic passim. Tangit autem plane Maro, Ecl. VII. 33.

Sinum lactis & haec te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.

Quae verba Prudentius respexit, ubi de ridiculo hoc deo adversus Symmach. disputat. lib. I. vs. III.

Sinum lactis, & haec veterum liba quotannis
Accipit.

Neque *liba* tantum sed & alia ipsi quoque munera oblata fuisse, testis est Horatius, Epod. II 21. Qui & *pira*, & *uvas*, ipsi nec non Sylvano, offert. Quibus ipse *Priapus*, praeter illa, quae recenset Noster, Catulli (ut volunt versibus) etiam sequentia addit in Epigramm.

Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenera virens spica mollis arista:
Luteae violae mihi luteumque papaver,
Pallidaeque cucurbitae, & suaveolentia mala, &
Uva pampineâ rubens educata sub umbrâ.

Caeterum, de PRIAPO ac ridendo ejus Numine omnia ferè occuparunt jam Literatiores, Consule hic notas politissimi Broukhusii ad Tibulli I. Eleg. I. 21.

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis
Terreat ut saeva falce Priapus aves.

Confer & quae Interpretes habent ad illud Flacci I. Sat. VIII. I. *Olim truncus eram ficulnus*, &c. Notandum, quod ejus nusquam meminit Hesiodus in Agricult. Qui idcirco tamen illum non nisi Latinis tantum cognitum fuisse, judicet, fallitur. Theocritus enim Eidyll. I. vs. 21. ejus meminit, quemadmodum & Graecorum Epigrammata in Anthol. quaedam. in quibus aliquando ἀγροφύλαξ, aliquando ὁ Βρομίου παῖς, vocatur. Ex *Venere* enim & *Libere* (quamvis alii perperam ex Mercurio malunt) prosatum esse rectè statuunt Mythologi. Nam *Veneris* quoque *filium* faciunt Diodor. Siculus, IV. Biblioth. Pausanias in Boeoticis IX. Ut etiam Ausonius in Cupidine Crucifixo, (cujus rei Planciades in Mytholog. rationem reddere conatur Eidyll. VI. 87. Ubi ipsa Venus filio imputat:

——— ——— Quòd pube pudendâ
Hellespontiaci videtur forma Priapi:

Quòd ἐπίθετον ex Marone suo hausit, qui Georg. IV. 110. magis παρθενικῶς de eodem inquit:

Invitent crocеis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium, cum falce salignâ,
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

ad quem locum Philargyrius: Hunc & *Liberi Veneris filium, hortis & vineis custodem datum esse ajunt.* Ejus statua itaque plerumque è ligno & ferè sub dio: quamvis & ejus *cellae* mentio apud auctores plus semel; praesertim in Petronio in Catalectis:

Quòd sum ligneus, ùt vides, Priapus,
Et falx lignea, ligneusque penis, &c.

Unde & ille Scazon, ibidem:

Interque cunctos vilius deos numen
Cucurbitarum ligneus vocer custos.

Cui adde Martialis Epigr. XLIX. lib. VI. ubi *de cupresso se edolatum* ait. Unde ejusdem Poëtae exstat jocus lib. VIII. Epigr. 40. Quo minatur *Priapum suum deficiente ligno, se crematurum, nisi hortum custodiat.* Invenias tamen eundem *custodem è marmore*, apud eundem lib. VI. Epigr. 72. Quem fur quidam Cilix surripuerat. Cui conferas Virg. Eclog. VII. 35. Quod ad historiam attinet, Strabo Geogr. XIII. De illo: *Priapus Lampsaci colitur .... sive Liberi patris ac Nymphae filius dicatur &c. Homines professò ad eum colendum moti sunt. Haec enim regio & finitima Lampsacena vineis abundat:* quod & Nepotis in Themistocle verbis cap. X. probari potest de *Lampsace, unde vinum sumeret:* ubi Interpres: *unde haud dubiè à Priapo condita scribitur illa civitas, Bacchi & Veneris filio: quae & à Demosthene idcirco* ὁ πελάγη κόσμα, *appellatur.* Et hinc fortasse *Priapus* quod *Lampsacus*, nobile Asiae oppidum, ad *Hellespontum* sita esset, Graecis dictus in Antholog. αἰγιαλίτης, nec non λιμενορείτης, πιστὸς ναυτὶ, ποντομέδων, &c. *In portu stationem habens, fidus navibus, ponte imperans.* Quae nomina alioqui deo agresti atque hortorum custodi nullâ ex parte convenirent. In Oriente Syris proinde cognitum fuisse sub nomine *Miphlezeth* (vel ut alii malunt, *Baal-Peor*) eruditissimus demonstrat Seldenus de Diis Syr. Syntagm. II. cap. 5. D. Hieronymus verò *Priapum* idolum fuisse in Oriente ὁ Βεελφεγὼρ, contendit; adstruente Cl. Vossio de Orig. Idol. II. 7. ut etiam Pierio in Hieroglyph. lib. XXXIV. Licet

cet diversus abeat Seldenus Syntagm. I. 5. Imò *Priapum Solem esse, cujus virtute omnia nascantur*, visum fuit Literatissimis Viris neque admodum refragrante Vossio lib. cit. Mihi secus videtur. Nam quî *Solem* ipsum referre potuit, qui *Bacchi* id est, *Solis filius* ubique praedicatur. Praesertim cùm Lucianus de Saltat. eum in *Liberi patris comitatu* posuerit, atque dixerit, τὸν Πρίαπον εἶναι δαίμονα πολεμιστὴν, τῶν Τιτάνων ἕνα, ἢ τῶν Ἰδαίων Δακτύλων, &c. De quâ opinione videatur etiam Plutarch. lib. de Clar. Mulier. Conveniens tamen magis haec sententia, quam illorum, qui licet Viri docti, ex *Priapo* suo, ob summam generis fertilitatem, Abrahamum Patriarcham exsculpere ausi fuerint: quamvis non inficiar *Priapi* nomen longe lateque, in Oriente diffusum fuisse. Probabile itaque per *Priapum* intellexisse Vett. *ipsius terrae hortorumque foecunditatem* (remotis de illo tot obscaenis ambagibus) unde revera *Veneris* id est, terrae cultae & *Liberi patris* id est, Solis, omnis fertilitatis causae, filius dici possit. Ridiculè itaque pronunciat Macrobius Saturn. VI. 5. *Illum ex Pane aut Sileno natum esse*: cujus verba meritò taxat cultissimus Interpres ad Tibull. I. Eleg. 4. Imò & inter *deos fatidicos Priapum* fuisse, ex Petronii Satyr. cap. CIV. jam observarunt Eruditiores. Fabulam illius nativitatis, ex Apollodori Biblioth. vide (si tanti sit) apud Natal. Comit. lib. Mythol. V. cap. 15.

66. Rorantesque favos damus, et liquentia mella,] Sic Tibullus I. Eleg. II. De iisdem Laribus:

Aut aliquis voti compos liba ipsa ferebat:
Postque comes purum filius parvus favum;

Idem in Festis Terminalibus observat Naso, in Fastis:

Porrigit incisos filia parva favos.

Appositè dixit *rorantes*; quemadmodum Graecis est μελιστάγης, καὶ ἔνδροσος κηρός. *rorans* enim est rore destillans. Sic *flores rorantes*, *prata rorantia*, *&c.* Mel enim ex *rore* coelesti in flores decidente, atque eorum succo adhaerente: unde illud, Georg. IV. 1. *aërii mellis coelestia dona.* quo loco Interpretes vide, qui & Aristotelem de Animal. V. 22. & Plinium II. 12. hic rectè citant. *Favus* quo pacto conficiatur ab Apibus, docet Plinius, XI. 7. *Cerae initium plerumque è mitiore gummi* &c. *praeter haec convehitur erithace, (quam alii cerinthum vocant:) hic plenus humoris erit Apum cibus, qui gignitur rore verno, & arborum succo, gummi modo, & rubens, plurimùm in Graecis nucibus.*

Liquentia mella] Imitatio Virg. Aen. I. 436. de Apibus:

——— *Et cùm liquentia mella Stipant:*

quod exponit Servius: *defoecata, sine sordibus, non tantum dulcia, sed & liquida*, id est *pura*. Quibus verbis respexit ad vs. 101. ejusdem lib. IV. Sic *liquidi cacthesiu mellis*, invenias, apud Ovidium in Fastis. Ita Graeci σαλάζοντα μέλιτα, de *melle purgato* usurpant. Plin. XI. 13. *Estque initio mel dilutum; & primis diebus fervet, ut mustum, seque purgat.* Hinc rectè *liquens* dicitur, id est *purum*.

67. Nec fero grata minus, quam si caper imbuat aras.] Si cum Barthio legendum, NEC FORE GRATA MINUS, &c. subauditur SPERO: quod variis probat exemplis, praesertim è Virgilio, (v. g. *Namque fore egregiam bello*, &c.) quae ornata quidem locutio, sed à carminis bucolici simplicitate longiùs recedit. Praeterea omnis ἐνέργεια & vis, quae in verbo FERO est, peribit. Vox enim illa in Sacrificiis usitata. Namque ita Tibullus I. Eleg. 8. 54.

Libaque Mopsopio dulcia melle feram.

Idem Panegyr. ad Messalam, lib IV.

——— ——— *Nec munera parva*
Respueris: etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit.

Ad quem locum Interpres:

Dona ferre pertinet ad rem sacrificiorum.

Neque aliter Maro, Aen. IX. 626.

Ipse tua ad tua templa feram solennia dona.

Ovid. *Fer thuris honorem.* Atque ita passim Poëtae. Imò & Historici sic loquuntur. Romulus (apud Livium, lib. I. Histor.) *Jupiter Feretri, haec tibi arma fero.* & signatè Florus, I. I. *Rex regia arma fero*, id est, *offero.*

Quam si caper imbuat aras] Dicit se non minus gratum fore diis agrestibus, ferendo telluris honores, quam si victimam aris obtulisset. In hanc sententiam egregiè Plinius in Praefat. Operis: *Diis lacte rustici supplicant; & molà salsâ tantùm litant, qui non habent thura.* Quomodo Naso persaepe (ut Gnomologos heic omittam; qui his sententiis mirificè exultant.)

Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum;
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Imbuat.] Sanguine respergat. Imitatio Virgiliana, Ecl. I.

——— ——— *Illius aram*
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

ad quem loc. Honoratus: *Invenimus apud Antiquos, imbuere esse perfundere, & madefacere.* Usus hâc notione quoque Lucretius, lib. II. 501.

Tingere dixit Horatius, III. Od. 23.

Victima Pontificum secures
Cervice tinget.

Imò *Linere* ait Val. Catullus in Scalig. Catalect.

ubi

ubi ipse Priapus:

Sanguine hanc etiam mihi, sed jacebitis, aram
Barbatus linet hirculus, cornipesque capella.

Unde & liquet *Priapo* quandoque *caprum* fuisse immolatum: & quidem ex decoro, cùm *Caper Libidinis sit σύμβολον*, etiam in Pierii Hieroglyph. lib x. unde signatè, nec sine joco, Horatius Epod. 10.

Libidinosus immolabitur caper.

Alioqui *Caper* Baccho *victima* erat destinata: cujus sacrificii morem dabit summus Poëta Georg. II. 380.

Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proscenia ludi.

Sed locum vide, & Interpretes. Causam tangit Poëta Sulmonensis, Fast. I. 354.

Sus dederat poenas: exemplo territus hujus
Palmite debueras abstinuisse, caper!

Hinc Longus Pastor. II. ubi Δάφνις ηὔχετο ὑπὲρ τῆς Χλόης, καὶ τράγον θύειν ἐπηγγείλατο. &c. Quò etiam respicit lepidum Martialis Epigr. 2. lib. III.

Vite nocens rosa, stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris. &c.

Rarius tamen *Priapo*, fiebat hac victima: cum telluris honore ac frugum pomorumque primitiis gauderet, juxta illud, quod ipse praedicat de quatuor anni tempp. oblatis sibi primitiis, carmine (ùt volunt) Val. Catulli:

Mihi corolla picta vere ponitur;
Mihi rubens arista sole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihi glauca duro oliva frigore.

Huc spectat & illud Arbitri (Satyr. LX.) de *Priapo* (in Trimalchionis convivio) *à pistore facto, qui gremio satis amplo omnis generis poma, & uvas sustinebat, more vulgato. Poma* enim, vel castissimo sensu ab agricolis illi oblata fuisse, simpliciter innuit Nemesianus, Eclog. II.

——— *Et amat sata poma Priapus.*

67. MILLE SUB UBERIBUS PALANTES PASCIMUS AGNAS] *Balantes* praeferunt Viri docti, cum N. Heinsio, ex Aen. IX. Ubi pulcherrimâ comparatione:

——— *Tuti sub matribus agni*
Balatum exercent.

Neque immeritò: cum ea vox agnis ovibusque sit propria. Unde Virgil. ferè observat perpetuò:

Quaesitum aut matri multis balatibus agnum.

Aen. IX. Nec non Georg. I.

Balantûmque gregem fluvio mersare salubri.

Statius in Sylvis:

Non mille balant lanigeri greges.

Sic *balantes pecudes* signate Lucretio lib. II. pro *ovibus*. Defendi tamen potest *palantes*, id est, cum matribus simul errantes, vel cum securitate pascentes. *Palari* enim, *errare*, & *vagari*, rectè *de grege pascentium* usurpatur. Ita Corydon, Ecl. II. 34. Eodem sensu, quo Noster.

Mille meae Siculis errant in montibus agnae.

Et Eclog. I.

Ille meas errare boves, &c.

Commendat enim divitias suas, qui mos fere est amantium pastorum. Theocrit. Eidyll. XI. 34 Ubi Cyclops, ad Galatheam:

——— Βοτὰ χίλια βόσκω.

Quod si ad *Solem* traxeris, (cujus σύμβολον *Polyphemus*) hic, ut etiam *Apollo*, revera Νόμιος ac *pastor* dicendus est: prout in Hieroglyphicis, Homero, aliisque videre est. Observat itaque idem in Polyphemo suo Ovidius: qui majori jactantiâ, Metam. XIII. 822. ad amicam:

Hoc pecus omne meum est: multae quoque vallibus errant,
Multas sylva tegit, multae stabulantur in antris.
Nec, si fortè roges, possim tibi dicere, quot sint:
Pauperis est numerare pecus. &c.

At quantò simplicius haec effert pastor apud Nemesian. Ecl. II. Qui ad Donacen suam:

——— *Scis, mille juvencas Esse mihi!*

68. TOTQUE TARENTINAE PRAESTANT MIHI VELLERA MATRES] Ita legit doctiss. Ulitius, in V. L. *praestant* itaque est praebent, suppeditant. Alii verò praeferunt τὸ VELLERE: atque exponunt, per *praecellunt*, notione verbi vulgatiore. OVES TARENTINAE, ob *vellerum praestantiam*, in pretio fuisse Antiquis notissimum. Consule Columellam, R. R. VII. ùt & III. Plautus hinc in Truculent. III. 2.

Qui oves Tarentinas erat mercatus de patre.

Martialis quoque lib V. Epigr. 38. Mollitiem puellae Erotii commendaturus, dixit:

Agnâ Galesi mollior Phalantini! &c.

Quod ex Horatio mutuatus est, qui Carm. II. Od. 6.

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.

Lana enim *ovium ibidem tenera ac mollis: quare & pellibus integebantur ad teneritudinem conservandam*: ùt ad h. l. notat Porfyrio. Hinc Varro R. R. II. 2. (ubi *de ovium curâ* & *lanitio* agit) *Quos arietes submittere volunt, potissimum hos eligunt ex matribus, quae geminos parere solent. Pleraque similiter faciundum in Ovibus pellitis, quae propter lanae bonitatem (ùt sunt Tarentinae, & Atticae) pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quò minus infici rectè possit, vel lavari.* Caeterum celebratae sunt *Tarentinae deliciae*, ùt loquitur Florus, Hist. I. 18. Unde Juvenalis, Satyr. VI. 296. hanc ci-

civitatem, Calabriae caput, argutè appellat

—— *Coronatum & petulans, ac molle Tarentum:*

quomodo & Horatius *molle Tarentum* dixit, II. Serm. 4. Sic etiam Strabo Geogr. VI. *Illecebrosas Tarentinorum* vocat *delicias, propter fortunas nimium secundas.* Quò & respexit Silius Punic. XV. 320. (Omnesque adeo qui, cum Livio in Historiis, illorum & Pyrrhi *levitatem*, sub Hannibalis rebus, attigere) inquiens:

—— *Tyndarei Latias fortuna Tarenti*
Auxit opes.

Urbis hujus (quae Lacedaemoniorum, sub duce Phalanto, colonia) ut breviter Paterculus H. R. lib. 1. cap. 15. Originem prosequitur Pausanias in Laconic. Strabo, lib. VI. Justinus, III. 4. Et quis non Scriptorum? *Tarentinorum* meminit etiam non magnâ cum laude Herodot. lib. VII. cap. 192. neque Polybius lib. 1. neque Val. Maxim. II. 5. *Vinolentiam* illorum taxat Aelian. V. H. XII. 3. quamvis summo ordinandae Reip. Viro Archytâ Tarentino claruere; de quo Pythagorico non Geometrâ (praeter Horatium & alios) Diog. Laërt. lib. VIII. ubi ipse in Epist. ad Platonem, habere se τὰ περὶ νόμω, καὶ βασιλήας, &c. quaedam praecepta praedicat. Sed in viam redeundum. Nihil mirum ergo, si & *Tarentinorum pascua* laudat Maro, Georg. II. 197. quomodo & Plinius lib. VIII. 47. de illorum velleribus. *Lana autem laudatissima Apula, & quae in Italia Graeci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum, Milesiae oves obtinent, &c. Caeterum circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent.* Vide & eodem libr. cap. 48. Ob hanc rationem de lautitiis Trimalchionis Arbiter, Satyr. cap. XXXVIII. *Parum illi bonae nascebantur oves, arietes à Tarento emit, & eos in gregem curavit.* Quam lectionem rectè probat Vir Celeberr. Burm. Diversus tamen abit Macrobius; qui oves *Tarentinas* praefert, Saturn. II. 14. ubi ex Favorino, inquit: *Quidam Tarentinas oves dicunt, quae sunt Terentinae, id est, Sabinorum lingua, molles.* Sed quo judicio res quandoque hic auctor tractet, jam Eruditioribus observatum. Summa itaque pastoris jactantia est, qui *oves se habere mille Tarentinas* (quo se Lucanae forsan commendat amicae) praedicat. Verum ita solent Amantes.

69. PER TOTUM NIVEUS PREMITUR MIHI CASEUS ANNUM] Ita & Cyclops Theocriti, Eidyll. XI. 36. de *caseo* suo jactabundus:

Τυρὸς δ' οὐ λείπει μ', οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ,
Οὐ χειμῶνος ἄκρω.

Quod melius aliquanto expressit Maro, Ecl. II. 22. ubi Corydon;

Lac mihi non aestate novum, non frigore, defit:

Caseus enim (inquit Servius) *servari potest; non mirum ergo, si, quovis tempore, quis caseum habeat: hoc vere laudabile, si quis lac habeat semper.* At non de servando, in usum rei cibariae, *caseo*, sed de premendo quotidie, loquitur Poëta Siculus: quod per [illegible] *lactis copiam* prae se fert. Utriusque Poëtae locum felicissimè extulit Naso, Metam. XIII 830.

Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda
Servatur: partem liquefacta coagula durant.

Non infima laus certè rustico, *lactis copiâ* abundare, unde *caseos formare* quotidie possit.

PREMITUR] Propriè. Sic Tityrus, Ecl. 1. 35.

Pinguis & ingratae premeretur caseus urbi:

ubi τὸ *pinguis* cur ad *victimam* (quae vox praecesserat apud Maronem vs. 34.) potius, quam ad *caseum*, referri, velit Honoratus, non video; cùm etiam, in Antipatri Epigrammate Graeco, τυρὸς dicatur πίων id est *pinguis*. Signatè, ùt solet, Ovidius, Metam. XII. 437.

—— *Utque liquor rari sub pondere cribri*
Manat, & exprimitur per densa foramina succus.

Cui confer Georg. III. 401.

Quod surgente die mulsere, horisque diurnis
Nocte premunt. id est, *cogunt in caseos.*

Ita Columellae VIII. 8. dicitur *Caseus mollis, vehementer expressus.* Neque aliter Graeci. Sic Auctor Batrachom.

Οὐ δὲ τυρὸς νεόπηκτος ἀπὸ γλυκεροῖο γάλακτος.

Facere caseum dixit Varro de R. R. & *Caseum* gen. neutr. usurpat Cato, R. R. LXXVI. Quomodò etiam Pomponius, Attellanarum Vet. Poëta, dixit: *Molle caseum.* Neque frustra commendat *caseum*, utpote *primum pastoribus pulmentarium.* Caseus enim *à coacto lacte*, quasi *coaceus*; ut Varro L. L. lib. IV. vel à *casa*, ùt alii quasi rusticorum in casis habitantium cibus: ut C. Becm. Orig. L. L. placet. Quin & *caseus* inter munera erat amatoria. Tibull. II. Eleg. 5.

Cum qua foecundi redierunt munera ruris,
Caseus, & niveae candidus agnus ovis.

Ita & Longus Pastoral. I. καὶ τοῖς [illegible] Commendat quoque inter Xenia Martialis, lib. XIII. Epigr. 30, 31, 32. quem vide. *Laus casei Romae, ubi omnium gentium bona judicantur cominus.* &c. Ut ait Plinius! Imò & inter blanditiarum nomina. Plaut. Poenul. 1. 2. vs. 154.

Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus!

69. PER TOTUM ANNUM] Varro, R. R. II. 11. *Caseum facere instituunt à Vergiliis vernis exortis,*

tis, ad Vergilias aestiveas. Mulgent Vere ad caseum faciundum mane: aliis temporibus meridianis horis: tametsi propter loca, & pabulum dispariles, non usquequaque idem est. Confer Georg. III. 400. & seqq. ubi peritissimus rei rusticae Poëta:

Aut parco sale contingunt, hyemique reponunt.

Non vilis ergo dos ubertatis rusticae, quâ vel maximè pastores gaudebant, *caseorum copia.* Sic Daphnis pastor, apud Long. III. Pastoral. Καὶ, ὥσπερ τι μέγα, τῷ ἱερῷ αὐτῷ δώσειν ἐπηγγέλλετο, καὶ τυρὸς ἁπαλὸς στεῤῥοὺς γάλακτος, καὶ τὴν αἶγα αὐτήν. Innuit id quoque Theocritus, Eidyll. XI. 66. ubi Galatheam invitat Cyclops, ut unà secum velit

Καὶ τυρὸν πᾶξαι, τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα,
Καὶ γάλ' ἀμέλγειν.

Observat hoc etiam Auctor Copae:

Sunt & caseoli, quos juncea fiscina siccat.

70. Si venias Crotale, totus tibi serviet hornus.] Iisdem blandimentis Amans ille Cyclops, Met. XIII. 821. ad Amicam:

——— *Nec tibi deerunt*
Arbutei foetus; omnis tibi serviet arbor.

Non ergo *mihi* legendum, ut Barthius malebat. Per *hornum* intelligit substantivè *proventum casei, lactis*, &c. Alioquin ad res varias transfertur. Sic *horna ovium foetura, hornae fruges.* Propert. IV. Eleg. III. 61. *Horni agni.* Horat. Epod. II.

Et horna dulci vina premens dolio.

Quomodò & Petron. Sat. CXXXIII. *Spumabit pateris hornus liquor.* Ita Cato, R. R. *hornotinas nuces*, & Cicero *hornotinum frumentum*, dixit. Quicquid enim hujus est anni id substantivè Vett. vocabant *hornum.* Plaut. Mostell. I. 3.

Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna Fuit.

Nempe ut *annum* simpliciter Veteres pro *annonâ*, vel pro *annuo proventu* posuere; ita & *hornum* pro eodem; ùt ad hunc Plauti locum observant Viri docti. Porrò elegans est παρονομασία in *hornus*, & *hortus.* Homer. Odyss. VII. De *fructu horno* ait, quod:

——— Οὐκ ἐπιλείπει χείματος, οὐδὲ θέρευς.

Serviet] Ἐνέργεια quaedam est in hâc voce. nempe ùt amicas suas *dominas* vocabant (juxta illud Epicteti Enchirid. cap. LXII. Αἱ γυναῖκες εὐθὺς, ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν, ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν Κυρίαι καλοῦνται) ita Amantes pollicebantur omnia illis servitura. Ita Amnis amans ad Iliam, sive Rheam Sylviam, apud Nason. Amor. III. Eleg. 5.

Ilia pone metus; tibi regia nostra patebit,
Teque colent amnes:

Quò etiam respexit Maro, Georg. I. 30. Quasi dotem Augusti nuptiis promittens:

——— *Tibi serviat ultima Thule,*
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Caeterum elegans est locus in Heliodori Aethiopic. lib. V. Ubi Amans ad Charicliam: Ὥστε θεράπεται, καὶ ἰδοῦ δὲ σεαυτὴν σὺν ὑμῖν τῶν ἀπάντων ἐνοικήν. Qui locus huc apprimè facit.

71. Qui numerare velit, quam multa sub arbore nostra Poma legam, &c.] Plus dixit, quam Antagonista. Per τὸ ἀδυνάτον enim *horti sui proventum* adauget; *Poma* certè non infimus hortorum ornatus, atque inter praecipua amantium munera non infima jam olim habita. Hinc Polyphemus non minus hortulanus, quàm pastor, Met. XIII. 813.

——— *Sunt poma gravantia ramos.*

Quin & Vertumni ac Pomonae hortum vide apud eundem, Metam. XIV. Ubi *ramos* habes

——— ——— *felicia poma ferentes.*

Ita Alcinoi hortum à *pomorum* praestantiâ quoque laudat Homer. Odyss. VII. in quo nempe

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Vide & Lamonis hortum in Longi Pastor. IV. Ubi ab initio ferè: Εἶχε δὲ πάντα δένδρα, μηλέας, πυῤῥίνας, ὄγχνας, καὶ ῥοιὰς, καὶ συκῆν, καὶ ἐλαίας. &c. Observandum porro, POMUM nomen esse generale; ut ex Varrone, de R. R. I. 31. jàm dictum, cui assentitur Illustr. Scaliger, qui *poma dicta esse* censet, *quòd sitim tollunt; eoque & cibo & sint & potui.* Sed vide, quae Servius ad Eclog. II. 52. *Et honos erit huic quoque pomo.* Hinc & *cerasum*, & *prunum*, & *mespilum* etiam *poma* vocat L. Valla Elegant. L. L. IV. 28. Imò *castaneas* inter *pomorum* genera numerat quoque Palladius de R. R. Quoäd phrasin verò ad dictionem Nostri accedit fere Virg. Ecl. VII. 54.

Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma.

Indignum enim esse (rectè pronunciat Fabius apud Liv. X. 24.) *quam arborem conseruisset, sub eâ legere alium fructum.* Quamvis ἀλληγορικῶς. LEGERE, hic valet *colligere*, notat etiam *carpere.* Tibull. I. Eleg. 8.

Pomaque non notis legit ab arboribus.

Corydon, Ecl. II. ad Alexin:

Ipse ego cana legam tenerâ lanugine mala.

Et ibidem:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

73. Citius tenues numerabit aristas] Comparatione utitur rusticâ, ex decoro, ut innumera sibi *pomorum* esse genera significet. Ita per τὸ ἀδύνατον rem amplificare solent Poëtae. Quod sexcentis locis, praesertim ex Ovidio (de Trist. ac Ponto & alibi) probari possit.

Numerabit] Suavissimè, & ad rem, Anacreon

creon de Amoribus suis, Od. XXXII.

Εἰ φύλλα πάντα δένδρων
Ἐπίστασαι κατειπεῖν,
Εἰ κύματ' οἶδας εὑρεῖν
Τὰ τῆς ὅλης θαλάσσης,
Σὲ τῶν ἐμῶν ἐρώτων
Μόνον ποιῶ λογιστήν.

Qui locus hic mire quadrat. ARENAS, hic quaedam legunt Edd. ùt in Var. Lect. exhibet cultissimus Vlitius. ARISTAS tamen dixisse, ex decoro magis est Agricolae: qui & annos ita nominare solet:

Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas.

74. SEMPER OLUS METIMUS] *Olus, sive holus, omnis est herba sativa, qua vescimur, & cujus caule & foliis in edulium utimur; quasi ab ἄλος*, inquit L. Valla Elegant. III. 9. *pro quôvis* ergo *genere obsonii* ponitur. *Holus* Antiquos cum aspiratione dixisse ex Festi Pompeji Epitomiste, aliisque Grammaticis, liquet. In *hortis* itaque propriè nascitur: unde signatè Annonio Poëtae *hortus* dicitur *holitorius*. *Pinguius* enim, *solum, quae sibi sunt majoris edulia requirunt*, observante Plinio, XVIII. 17. Rectè tamen distinguit Valla, Elegant. I. 6. *hortos arboribus consitos, & voluptatis causa comparatos*, ab *hortis holitoriis*: quod & Poëta noster videtur observâsse. Varia *olerum* genera interea suppeditabit *Hortus* Virgilianus, in Moreto, vs. 72. & seqq.

Heic olus, & latè fundentes brassica betae,
Foecundusque rumen, malvaeque inulaeque virebant.
Heic cicer, & capiti nomen debentia caepe,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.

Cui, quae in Catalect. Scaligeri, Priapus habet, adde:

Non brassica fero gulosior caules,
Betasve, quantas hortus educat nullus,
Crescensve semper in suum caput porrum:
Nec seminosas ad cucurbitas quemquam,
Ad ocymumve, cucumeresque humi fusos,
Venire credo, sessilesque lactucas. &c.

Quin etiam ex Corycii senis horto discas apud Maronem Georg. IV. 120.

Quoque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripae: tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis.

Τοσαῦτα ἤκεσαν ἦσαν, *Tot tantaque erant sativa*, in Lamonis horto jam superius citato.

METIMUS] De *holeribus* etiam *metendi* verbum usurpari jam à Viris Doctis observatum. Confer hujus Eclogae vs. istum

——— ——— *Messem sibi vindicet horti.*

Sic *frumenta manu carpere*, dixit Maro Georg. II. & *metere flores* pro *carpere*, nota phrasis. Sic, *demetere ungue rosam*. Magnum certè frugalitatis antiquae testimonium: cùm solo *olere* contenti victitabant Veteres, ac *securum olus* laudabant: quemadmodum (apud Horat. II. Serm. 2.) rusticum audias

Non ego, narrantem, temere edi luce profestâ
Quicquam, praeter olus fumosae cum pede pernae.

Pulchra sunt, quae Prudentius, Cathem. Hymn. III. 63.

Nos oleris coma, nos siliqua
Foeta leguminis multimodo,
Paverit innocuis epulis.

Caeterum pulchre *Olus metentem* in horto suo Simulum descripsit Auctor Moreti, vs. 86.

Ac, primum leviter digitis tellure refossa
Quatuor educit cum spissis allia fibris:
Inde comas apii graciles, rutamque virentem
Vellit, & exigue coriandra trementia filo.
Haec ubi collegit, &c.

Ubi variandi verbi phrases observa. Quin & τὸ SEMPER hic ἐνέργειαν habet. Sic quôvis anni tempore Corycius ille Senex, (Maroni laudatus, Georg. IV.)

Et cùm tristis hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus froenaret aquarum;
Ipse comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Aestatem increpitans seram, Zephyrosque morantes.

74. NEC BRUMA NEC IMPEDIT AESTUS.] Respondat Antagonistae, qui dixerat, PER TOTUM ANNUM. *Olus* enim sibi nec fervidissimâ aestate nec frigidissimâ hyeme, deficere significat. Tale *olus* producit Martialis (lib. VII. Epigr. 30.)

——— ——— *Canum gelidis pruinis;*

vel (ut idem lib. XII.)

Quodque vires Jani mense, nec alget, olus.

BRUMAM] Per *Συνεκδοχὴν* partis poni, pro totâ hyeme, notissimum. Propriè enim *bruma*, Solstitium est hybernum, prid. Id. Decembr. quum brevissimus totius anni dies. signatè de eâ Manilius Astron. III.

——— ——— *Brumam Capricornus inertem*
Per minimas cogit luces, & maxima noctis
Tempora.

Hinc à Poëtis *bruma*, absolutè vulgò opponitur *Solstitio*, (per quod *aestivum* intelligunt) pro longissimâ totius anni luce. Ita Claudianus eleganter in Panegyr. sub personâ Theodosii M.

Solstitio Meroën, bruma tentabimus Istrum.

Confer & Ovid. Trist. V. Eleg. 10. vs. 7.

Efficit angustos nec mihi bruma dies.

Brumam itaque finiebant Vett. VIII. Kal. Januar. ùt Servius ad Georg. I. 211. observat. Hinc eleganter Flaccus, lib. II. Sat. 6.

——— ——— *Sen-*

——— ——— *Seu bruma nivalem*
Interiore diem gyro trahit. &c.
Hunc *gyrum* non minùs ornatè *arctum circulum* (per quem *Tropicum Capricorni* intelligit) vocavit Prudentius Cathemer. Hymn. xi. Qui inscribitur OCTAVO KALENDAS JANUARIAS:

Quid est, quòd arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?

Ubi, inter alia, Cellarius Columellae & Plinii auctoritatem allegat: quorum prior, lib. ix. inquit: *bruma ferè conficitur circa* viii. *Kal. Jan in octavâ parte Capricorni*: alter lib. N. H. xviii. 25. Iisdem penè verbis: *Bruma Capricorni a. d.* viii. *Kal. Jan. ferè.* ubi τὸ *ferè* notandum, ob Astronomicorum inter se dissensiones. Lege & Manil. Astron. iii. *Principio capienda tibi est mensura diei, quam minimam Capricornus agit*: & seqq. Vide & Macrob. in Somn. Scip. ùt etiam Saturn. i. 21. *Brumale Solstitium* inquit *vocant Vett. brumam, a brevitate dierum cognominantes.* Graecis enim est βραχὺ ἦμαρ. Inde Lucret. de R. N. Velut Hyemem *brumales flexus, gelidumque rigorem*, ita Aestatem *aestiferas partes, & terrida signa* appellat. A. Gellius iii. 10. aperte distinguit: *in septimo signo fit Solstitium à brumâ, in septimo fit bruma à solstitio.* Sed Vide hic Coel. Augusti Hieroglyph. in *Capricorno*. AESTUS legunt quidam; quae Metonym. frequens pro *aestate*. Tibull. ii. Eleg. i. *Calidi sideris aestum.* Conjungit Propert iv. Eleg. 3.

Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu.

Vide & elegantem Boëthii de Consol. i. Metr. 5. de eâdem re Phrasin:

Tu frondifluae frigore brumae
Lucem stringis breviore morâ.

75. Et cum siccus ager languentes excoquit herbas.] Signate omnia.

Siccus] Id est aestate torridus. Idem Boëth. Consol. iv. Metr. 6.

Aestas Cererem fervida siccat;

Cùm nempe *vitio moriens sitit aeris herba*, ut Eclog. vii. Virgil. quod pulchre expressit Tibull. i. Eleg. 8. Quamvis sensu negativo de Aegypto:

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Et sic passim Poëtae hunc tractant locum.

Excoquit.] Eodem verbo usus Cicero: *Sol terram excoquit.* Et graphice Maro, Georg. i. 65.

——— ——— *Glebasque jacentes*
Pulverulenta coquit maturis solibus aestas.

Idem elegantissimâ inversione extulit Lucret. vi. 962.

——— *Terram Sol excoquit, & facit are,*

id est *arefacit* (in quâ voce hìc διαιρεσεως agnoscit Lambinus; ut scilicet prae nimio solis fervore disjectam atque diruptam inducat tellurem. *Incendere* usurpat câdem in re Statius iii. in Sylv. libr.

Acer anhelantes incendit Sirius agros.

Metaphorae autem ductae sunt ab igni in genere ut Ovid. Metam. xiv. De *ferro, quod Noricus excoquit ignis.* Aut proprie de igni stipulis admoto flammisque agrum exurentibus: ùt Maro Georg. i. 86.

——— *Sive illis omne per ignem*
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

Observa tamen Nostrum *ipsi agro* id adscribere, quod alii potius *Solis efficaciae*: dicit enim *agrum* id est terram ipsam *excoquere herbas* id est vim omnem ac naturalem succum herbis surripere, ac quasi subtrahere humorem, unde elanguescant germina. Quomodo fere Senec. Tragic. in Oedip. Act. i. vs. 41.

Desueruit amnes liquor, atque herbas color.

Nempe, quum *Sol ignes auget aestiferi Canis.* Ut ibid. Ita quoque nostro est Eclog. v. *Siccus ager cum fervida tellus:* &c. Interea pulchre variavit illud maximi Poëtae, Georg. i. 107.

——— *Cum exustus ager morientibus aestuat herbis.*

Accius in Vett. Fragm. *concoquit*, habet, quamvis in re alia. Pacuvius in Antiopia, (quem locum servavit Festus cum Isidoro lib. xiii.) ad rem:

Sol Flammeo vapore torrens terrae fetum exussevit.

76. Sumo tamen calathos nutanti lacte coactos.] Significat, sibi nunquam lactis copiam deesse, quamvis vel fervidissimo aestatis calore.

Sumo] Non inconcinne legas, cum Cl. Barthio,

Sume;] Ut scilicet Amasiae suae *calathum lacte* pinguissimo plenum ad marginem usque repletum offerre videatur. Cui sententiae respondent, quae sequuntur. Quasi cum Marone dixisset:

——— *Si lac praeceperit aestus,*
Non tamen hinc frustra pressabimus ubera palmis.

Sume, enim est offerendi formula. Sic enim Mopsus ille Maronianus ad Meliboeum, Eclog. v. 88.

——— *At tu sume pedum.*

Quin & lac inter munera amatoria fuisse Antiquis docet plus semel suavissimus in Pastoralibus suis Longus. Imo in deorum agrestium sacrificiis oblatum esse *lac* (quae *libamina* γαλακτοσπονδα

ἐαι vulgo dicta) constat ex Theocrit. Eid. v. Σῶσω δ᾽ ἐγὼ ... μέγαν λευκοῖο γάλακτος ταῖς Νύμφαις. Sed nota res, ex Sauberto de Sacrif. aliisque. In *calathis* porrò dona rustica offerebant. In Pastoral. jam citatus Longus, lib. iv. Ἐπλήρωσεν αὐτῷ καὶ σπαρίδων καινῶν, καὶ γαυλῶν πολλῶν, καὶ τυρῶν μειζόνων. Ita Corydon ad Alexin, Eclog. ii.

——— ——— *Tibi lilia plenis,*
Ecce, ferunt Nymphae calathis.

Ad q. l. Servius: *Calathus Graecum est, nam Latine quasillum dicitur.* Unde *quasillariae ancillae*, quae pensum suum sive lanam *quasillis* deponere solebant: de quibus Cicero, Seneca, Petronius alii. Tibullo lib. iv. Eleg. 10. atque alibi saepius memorantur *calathi vimine texti.* Sed ejusmodi κάλαθοι, e viminibus contextum hic non intelligi, ipsa res docet. Accipitur autem heic pro *vase aeneo*, in quo Vett. *lac*, vel *recentes caseos* in urbem venales apportabant. Quò sensu Virg. Georg. iii. 402.

Sub lucem exportant calathis, adit oppida pastor.

Ubi recte Servius, *vasis aereis.* E ligno tamen & *calathos* illos confectos fuisse constat, vel ex etymo; cum, juxta Eustathium in Homer. dictus sit κάλαθος παρὰ τὸ κάλον. Multus eorum usus in Cereris Dianae ac Minervae sacrificiis, in quibus *calathos* à Virginibus portari solitos notissimum. Vide modo quid Illustris interpres dicat Callimach. Hymn. in Cererem, vs. 1. ubi & Aristophanem in Θεσμοφορ. citat, apud quem Chorus, inter alia sacrorum instrumenta, καὶ τοὺς καλαθίσκους recenset. Sed illa monuisse satis: neque enim ad sensum Nostri faciunt. Quidam scribunt κάλαθοι proprie dici *sportulum*; sed vocem hanc ad vasa tritici, uvarum, lactis, aliarumque rerum postea translatam esse: Unde & illorum quoque in Vindemiâ meminit Anacreon. Od. lii. Hymn. Torculari:

Τὸν μελανόχρωτα βότρυν
Ταλάροις φέροντες ἄνδρες
Μετὰ παρθένων, ἐπ᾽ ὤμων. &c.

Hinc & Martialis lib. xiv. Epigr. 107. Ejusmodi *calathos* loquentes inducit:

Nos Satyri, nos Bacchus amat. &c.

76. Nutanti lacte coactos] Lacte leniter se movente prae pinguedine, dum portatur impletos. *Pingui & concreto, & quasi fluitabundo*, exponit Cl. Barthius. *Nutans* enim est vacillans, quassatile, vel quassabundum L. Valla, Eleg, v. 84. *Nutare* inquit, *est propriè malè solidatae molis.* Hinc & nutationem capitis esse dicunt somno gravati. Plinii certè est *capitis nutatio*; & Appuleji Milef. vi. *nutanti capite*, & *nutabundus*, lib. ix. Pulcherrimè ad arbores transtulit Ennius in Fragm.

Capitibus nutanteis pinos, rectosque cupressos.

Quo sensu & Lucretius alibi. *Nuto* enim Frequentativum est a *Nuo*, unde *nuncus*. Plaut. Asinar. 4. 1.

Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.

Graecis quoque εἰς γῆν νεύειν est *vacillare*: ut Herodotus loquitur. Similis ferè occurrit in Propertio phrasis lib. ii. Eleg. 12. 52.

Quae passim calathis struta nature vides:

Quod, μετεωρισμοῖς, pro *natare* dixit. Confer Juvenal. Sat. iii. 256. & ii. 125.

——— *Sacra ferens nutantia.*

Describit etiam Quintilian. Inst. xi. 2. De gestu Oratoris quid sit *nutatio*; nempe *frequens & in utramque partem vacillatio.* Vel per ὑπαλλαγὴν intelligi possit: *calathos nutantes lacte coacto* id est pingui, vel coagulato. Ita Auctores fere Nostri de lacte: Nemesian. Eclog. iii. 33. Ipse Noster Eclog. iii. 68. Et eâdem fere phrasi Eclog. v. 64.

——— *Tremuli tremebunda coagula lactis.*

77. Vellera tunc dabimus, quum primum tempus apricum surget] Majora se pollicetur daturum; *vellera* nempe *ovium praestantissimarum*. TEMPUS APRICUM, est vernum, sive potius aestivum; *Majum* itaque mensem, vel certè *Junium* denorat, quo terra jam sole incalescit. *Apricus* enim est ἄνευ φρίκης, *sine frigore*; ut placet Servio ad Aen. vi. 312. Unde & *Africa*, *quòd sit calidior*, quibusdam dicta videtur. *Apricus* ergo est *sole calens*: velut idem Commentator ad Aen. v. 128. inquit; atque ut *tempus apricum* Nostro dicitur, sic *dies aprica* Valer. Flacco, Argon. i. 844.

——— *Ubi Sol totumque per unnum*
Durat apricu dies.

Sic *aprici tempora Veris*, nota poëtarum phrasis. Eleganrer ea vox ad ipsum *tempus* transfertur: cum propriè dicenda sit de rebus ac locis, Soli expositis, vel sole gaudentibus Unde *apricari* est, se pandere ad Solem, vel soli meridiano se exponere Sic *flores* & *horti* dicuntur *aprici*, *rura aprica*, & similia. Tibull. i. Eleg. iv.

Annus in apricis maturat collibus uvas.

78. Et a tepidis fiet tonsura kalendis,] id est, post Kalend. Majas, vel Junias. Varro R. R. ii. 2. *Tonsurae tempus est inter Aequinoctium Vernum, & Solstitium, cùm sudare incipiunt oves: à quo sudore recens luna tonsa succida appellata est.* Et mox: *Oves hirtas tondent circiter ordeaceam messem: in aliis locis ante foenisecia. Quidam bis in anno tondent.* &c. Sed Noster de priori loquitur *tonsura*, ob velleris scilicet praestantiam. *Idem quoque tempus apricum* observat Plinius xviii. 27.

27. Observandum hic *Prius lanae vulsuram, quam tonsuram in Italiâ inventam fuisse; oviumque tonsores eò primùm venisse ex Sicilia post R. C. A. CCCLIV.* ut auctor est Terentius Varro, loc cit. Observarunt quoque Vett. ne *aegras tonderent*, inter quos est Virgil. Georg. III. Ubi de *grege lanigera* agit:

Ne tondere quidem morbo, illuvieque peresa
Vellera. &c.

Cui tamen non repugnat illud Horatii, Epod. II. qui de rustico suo:

Aut tondet infirmas oves;

nam *το infirmas* dixit hoc loco ùt *teneras*. Sed pulchre pastor apud Silium Ital. Punic. XV. in re simili:

——— ——— *Nunc laetus in umbrâ*
Tondebat niveae splendentia vellera lanae.

At fusius Noster *tonsuram* exsequitur in Mycone suo, Eclog. V. atque ea praesertim *quae post tonsuram fieri oporteat. Post Kalendas* dixit fortè cum judicio; quae, cum essent *sacrae* (ùt ex Macrobio, aliisque multis liquet) nihil ferè peragebant Antiqui nisi post oblata ipsis *Kalendis* sacrificia. *Laribus* enim *agrestibus dona sua obtulisse agricolas Kalendis, Nonis, Idibus*, jam dictum supra. Religionis enim circa dies fuisse observantissimos etiam antiquissimos agricolas docuit Hesiodus in Ἡμέρ. aliique, qui rem tractarunt Geoponicam. *Tepidas* etiam dixit *Kalendas per* Metonym. ùt *tempus apricum*.

77. ET NOS, QUOS ETIAM PRAETORRIDA MUNERAT AESTAS] Verba sunt *hortulani* adversario respondentis. Gloriatur se itidem vel fervidissimam aestatem sibi frugiferam esse. PRAETORRIDA, *ὑπερθερμὸς*. nam *prae* in compositione vim intendit. Virg. Ecl. VII. simplicius: *jam venit aestas Torrida.*

MUNERAT] *munero*, & *muneror* agnoscit Priscianus, Donatus, aliique Grammatici. Cicero pro Dejotar. *Quibus te rex munerare constituerat.* Plaut. Capt. V. I. 15.

Beneficium benè merenti nostro merita muneres.

Contra *muneror*, pro *munero*, usitatum esse (verbo agendi) ait Gellius XVIII. 12. ubi de verbis duplicis potentiae agit. Ita Macrobius Saturn. I. 7. de Jano Saturnum hospitio excipiente: *regni eum societate muneravit.* Eleganti forma verò *fruges terrae* aut *Cereris munera* appellantur: ut Horat. in odis: *Quicunque terrae munere vescimur.* Sic *terrai munera* dixit Lucretius.

78. MILLE RENIDENTI DABIMUS TIBI CORTICE CHIAS] Pro *velleribus* mille se *Nuces* daturum ait. *Nuces* enim intelligere videtur praestantissimas, è *Chio* insulâ Romam advectas, quae & *nuces Graecae & Asiaticae* Plinio XV. 22. dictae. At si per *Chias*, absolute ita dictas, *Nuces* intelligat, ob oculos habuisse videtur *nuces Thasias*, (quas amygdala esse frustra contendit Macrobius) hoc est *Avellanas*, quae *Thasiae* dicuntur, juxta celeberr. interpretem ad A. Gellii lib. VII. cap 16.

CORTICE ergo propriè dixisse videtur: si de *Nucibus* agat. *Ficus* tamen *Chias* frequentius laudant Auctores: quas summo in pretio fuisse Romanis, notum est ex Martiale lib. VII. Epigr. 24. aliis, utpote *quae salem & vinum sapiebant.* Quin & has ex insula *Chio* in Italiam translatas fuisse, docet Varro R. R. I. 14. *Genera*, inquit, *ficorum (quae Chiae, ac Chalcidicae, & Lydiae & Africanae) item caetera transmarina in Italiam perlata.* Plinius item varia *ficorum* genera recenset variis N. H. locis. Inter eas etiam Macrobio, Sat. III. 20. est *Chia alba*, & *nigra*. De earum praestantiâ egregiè Martialis, XIII. Epigr. 23.

Chia seni similis Baccho, quam Setia misit,
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

Quin *Chios* insula variis fructibus & vino laudatissimo (quod lautius potaturi Falerno, sive etiam Ammineo miscebant Romani, celebrata Auctoribus; cur etiam lasciviae notati sunt *Chii*, ex proverbio *Chiam vitam gerere:* apud Petron. Sat. cap. LXIII. & alios. Si *corticem* ergo hic pro quovis tegumento accepiamus, quid vetat & hoc loco *ficus* intelligere *Chias*; quae revera dignissimae inter munera, & quidem *ἐξοχὰ*, recenseri? Neque vox obstat. *Cortex* enim *cujusvis rei corium*; ùt rectè definiunt Lexicographi. *A contego fit cortex, quasi contex*, inquit C. Becm. Orig. L. L. quomodo Graecis λέπος & λέπισμα, dicitur a λέπω *decortico, exuo*: de quo verbo consule Lexicographos Graecos. Sed vide, prae caeteris, Lucretium, lib. IV. 46. qui satis physicè:

Dico igitur rerum effigias, tenuesque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum;
Quae quasi membrana, vel cortex nominitanda est.

& seqq. *Ficus* itaque intelligo *Chias*, non *Nuces*. Observandum praeterea eleganter *Chias* dici *ἐπωνυμικῶς* quemadmodum *Cypriae*, *Aegyptiae*, *Cauneae*, &c. de quibus posterioribus Cicero de Divin II. ac Plinius XVI. 19. Ubi quendam habes *Cauneas* venales clamitantem, qui *caricas* vel *ficus Cauno advectas* vendebat: quod etiam egregiè adnotavit Celeberr. Interpres in Tertullian, Apolog. cap. III.

RENIDENTI] id est prae maturitate nitenti ac laevi. *Renidea* enim est *splendorem reddo*. Hinc Plinius ad *gemmas* transtulit, lib. XXXVII. ad *Lunae fulgorem* Horatius, II. Od. 5.

Ut

Ut pura nocturno renidet
Luna mari.

Ubi Interpres: *resplendet*, ex collatione nempe Virgilii, Aen. VII. 9. Sic idem Flaccus, Epod. II. *Circa renidentes Lares*: ad q. l. Mancinellus: *focos splendentes, & omni nidore tersos.* Veluti Lucret. lib. II. 333. *Aere renidescit tellus*, id est refulget, nec non II. 27. *Nec domus argento fulget, auroque renidet.* At Catullo Epigr. XL. *renidere* est *ridere, ut albi dentes appareant*: ubi Illustr. vide Scaligerum. Quo sensu *renidere* hic foret *arridere, placere*, eleganti μεταφορᾷ. Sic *vultus & os renidens* (ex Ovidio) Planudi vertitur τὸ πρόσωπον φαιδρόν. Neque mirum *Chias*, prae *mariscis*, non fatuae placere puellae.

79. Castaneasque nuces totidem] Virg. Ecl. II.

Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Ubi Servius: *Nuces generaliter dicuntur omnia tecta corio duriore: ut avellanae, amygdalae, juglandes, castaneae.* Ad eundem Virgilii locum etiam Macrobius, Sat. II. 14. *Nux castanea vocatur & Heracleotica.* Et Plinius, XV. 23. *Nuces vocamus & castaneas, quamvis accommodatiores sunt glandium generi.* Inter *pomorum* genera recensere videtur Naso Metam. XIII. ubi Cyclops ad amicam:

Nec tibi castaneae, me conjuge, nec tibi deêrunt
Arbutei foetus.

Sanè Antiquis *castaneae* dicuntur Διὸς βάλανοι, *Jovis glandes*; eo quod Vett. jam olim earum dulcedine delectarentur, unde & βαλανοφάγοι dicti sunt. Quin & *Castaneas* omnium glandium praestantissimas esse docent Medicorum Scholae. Neque aliter (ex Athenaeo Deipnosoph. II. 13.) J. Beverovicius Med. Vet. Part. II. cap. 2. dum ait: *carnes alunt; sed difficulter concoquuntur: elixae verò minus inflant, nutriuntque uberius.* Observat id quoque praeter alios, C. Beem. Orig. L. L. Graecis est καστανικὸν κάρυον, a *Castana*, urbe Thessaliae (ut volunt) vel *Castileneo vico*; cujus meminit Strabo Geogr. IX. Stephanus, alii.

Totidem] Id est mille, ne cedat Antagonistae: dixerat enim alter:

Mille sub uberibus balantes pascimus agnas.

80. Quum sole Novembri] Erudita phrasi (ut rectè observat Cl. Barthius) pro ipso *mense Novembri.* Sic *horas Septembres* pro ipso *Septembri*; dixit Horatius, lib. I. Epist. 16. ubi de agro suo:

Hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae
Incolumem tibi me reddent Septembribus horis.

ad q. l. Interpres *Septembre tempus* itidem dixit. Neque aliter Poëta: age *libertate Decembri.* Atque ita mensium nomina adjectivè poni auctoribus constat. Appulej. Miles. XI. dies insequebatur *Iduum Decembrium.* Sed nota est ἔλλειψις. Nam & *Graecis secundus casus* Μηνός (*mensis*) *desideratur in participio* ἱσταμένου: ut observat in Myster. Ellips. L. Graec. Cl. Bos. Neque id ignotum est *Solem* pro die, vel tempore quodam diei usurpari. Idem enim Flaccus, I. Epist. 5.

Supremo te sole domi, Torquate manebo.

id est sub vesperam, die jam occidente. Ita de tempore matutino dixit Persius, Satyr. V. *Sub sole recenti.* Laudat itaque horti sui fertilitatem vel ipso *mense Novembri.* Simili elegantia Faustini villam commendat Poëta Bilbilensis, III. Epigr. 98.

Hic post Novembres, imminente jam brumâ,
Seras putator horridus uvas.

Hic mensis apud Antiquos in tutela Dianae, ùt venatricis; notante C. Rhodigin. Lect. Ant. XXV. 30. ——— *Dium* (id est Jovis nomine praecellentem) *Novembrem* nuncupasse Graecos idem refert, lib. XV. 24. qui mensis Atticis dictus est Ἀνθεστηριών de quo nomine tamen variant Eruditi, quibus potius est Μαιμακτηριών. Inter Mensium Epigrammata male tamen audit Ausonio: Ita enim ille:

Sidera praecipitat coelo delapsa November.

Itidem Vegetio de Re Milit. I. 9. *crebris procellis est infamis*: quum nempe Mare claudi diceretur à medio fere *Novembri* in VI. idus *Martias.* Sed ista huc minus faciunt.

81. Maturis nucibus virides rumpentur echini] dum cortices prae maturitate se distendant: *Echinos* ergo dixit more Vett. qui *omne hirsutum vocabant Echinum.* Et rectè ad *castaneas* transtulit, quas Virgilius jam *hirsutas* dixerat, Ecl. III. Quid propriè Ἐχῖνος sit, animal nempe terrestre, ùt & piscis marinus, satis notum. Quorum terrestris ille Latinis dicitur *Erinaceus*; Graecis nomen habens ἀπὸ τοῦ ἔχειν ἀκάνθας, quod *spinas habeat.* Unde & Apologus satis cognitus de *duobus Echinis*, ut & ille de *Echino & Serpente*, apud Aesopum, alios. Hinc etiam proverbium ἐχίνου τραχύτερος, *Echino asperior.* Ejus hieroglyphicum ignorasse Aegyptios refert Pierius Valer. lib. VIII. ubi de prudentia tamen illius Senarium citat Archilochi:

Πολλ' οἶδ' ἀλώπηξ ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.

De *Echino* pisce Horat. Epod. V, vs. 27.

Horret capillis ut marinus, asperis,
Echinus.

Imo de eôdem, qui in deliciis ciborum Romanis, acutissimus Martialis, XIII. Epigr. 86.

Ipse licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito, mollis Echinus erit.

Hanc ergo vocem de *Castaneis* ipse usurpavit Pli-

Plinius xv. 23. *Nuces vocamus & castaneas: armatum bis echinato cortice vallum est.* Et lib. xxvii. 9. de iisdem: *tegmen spinosum, capitula sunt echinata* (id est asperata) *spinis.* Quin & locus est in Petronio, huc faciens, cap. LXIX. ubi, in convivio jam plus citato. *Insequuta sunt Cydonia etiam mala, spinis confixa, ut echinos effuerent.* RUMPENTUR id est se laxabunt, ac distendent. Claudianus (quamvis μισαφορικῶς) in Eutrop. I.

—— *Cutem distendit echino.*

Sic Maro: *rumpantur ut ilia Codro.* Fab. *Ranae ruptae* confer apud Phaedr. lib. I. sed quoad φρᾶσιν tantum.

82. NUM, PRECOR, INFORMIS VIDEOR TIBI? NUM GRAVIS ANNIS?] Frequens haec Amantium querela. ita Theocriti Cyclops, Eidyll. ix. 20.

—— Αὐτὰς ἐγὼ δοκέω λασιώτερος ἦμες.

Confer & Eidyll. xx. 19. in quo bubulcus de Eunicae fastu conqueritur, ac similiter interrogat:

Ποιμένες, εἴπατέ μοι τὸ κρήγυον· οὐ καλὸς ἐιμί;

Et quae seqq. ubi plurima sunt stolidae jactantiae exempla. Hunc imitatur in Cyclope suo Ovidii musa, Metam. XIII. nec non Corydon Virgilianus, Ecl. II.

Non sum adeo informis. &c.

Cavent enim sibi *amantes* ne aut *deformes*, aut *senes* videantur virginibus sibi adamatis. Unde lepidissima est Anacreontis Oda, XI. de se ipso:

Λέγουσιν αἱ γυναῖκες,
Ἀνάκρεον, Γέρων εἶ·
Λαβὼν ἔσοπτρον ἄθρει
Κόμας μὲν οὐκέτ' οὔσας. & quae seqq

Atque ita ille passim juvenem se quamtumvis senex, jactat. Formam enim *in adolescentibus* ad amorem quamplurimum valere quis nescit? Tyrtaeus, vetus ille Poëta, in Fragm. Graecor.

—— —— Οἷς δὲ νέοισι πάντ' ἐπέοικεν,
Ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,
Ἀνδράσι μὲν θηητὸς ἰδεῖν, ἐρατὸς δὲ γυναιξί.

Heliodor. Aethiop. IV. ab initio fere: Ἐπαγωγὸν γάρ τι καὶ πρὸς τὴν εὔνοιαν εἰς ἔντευξιν τὸ κάλλος. de Theagene: Qualis forma pulchellum deceat pastorem, vide in Longi Pastor. II. Καὶ τῶν παίδων ὁ νεώτατος ἔπειτα Τίτυρος, πυρρὸν παιδίον, καὶ γλαυκόν· λευκὸν παιδίον καὶ ἀγέρωχον. καὶ ἥλλετο κοῦφα βαδίζων ὥσπερ ἔριφος. Ejusmodi formam in puero eleganter vocat Phocylides, in Sentent.

—— Παιδὸς δ' εὐμόρφου νεοτήσιον ὥρην.

Sed in hoc argumento quis non lusit. Unum vide Anacreonta, Od. XXIX. Bathylli sui formam depingentem, ex qua sibi fieri Apollinis deorum pulcherrimi formam desiderat:

Γράφε Φοῖβον ἐκ Βαθύλλου.

Quid tamen absolutius, quàm quae Salmacis ad formosissimum puerum apud Nasonem, Metam. IV. fab. II. 320.

—— —— *Puer ô dignissime credi*
Esse deus! seu tu deus es, potes esse Cupido! &c.

Vide ejusdem Narcissi descriptionem Metam. III. fab. 6. 420. Cui adde Senecae Tragici Hippolyt. act. II. chor. vs. 795. & seqq. Vide & hic Amorum Magistrum de Art. I. qui juvenes, ut formosi videantur corporis munditiem monet. Eadem interea simplicitate qua Noster, se commendat Alcon Donacae suae, apud Nemesian. Ecl. II.

—— —— *Nostro formosior Ida*
Dicor; & hoc ipsum mihi tu narrare solebas.

Tanta enim *formae* contentio inter pastores *quorum* pulchritudo vel epitaphiis inscripta: ut ex Anthologiae Epigrammatis, & alibi liquet; & (ne longior sim) apud ipsum Maronem, qui de Daphnide, quamvis ἀνεπιγραφικῶς,

Formosi pecoris custos, formosior ipse.

INFORMIS] Eodem vocabulo supra Maronis Corydon. Graecorum est ἄμορφος. Ita Plinius *Elephantis digiti informes*, & alibi: *informia ursae pariunt.* Auctor ad Herennium: *Informis res, & bene formata, contraria sunt.* Confer. Ovid. Met xv. 300. de Ursa: cui proprium *catulis lambendo fingere formam*, qui ante *informes.* In usu tamen magis est *deformis.* Ut de matrona Ephesina Arbiter cap CXII. *Nec deformis aut infacundus juvenis videbatur.*

GRAVIS ANNIS] Virg. Aen. XI. *Annis gravis atque animi maturus.* Et Aen. II. 435. *Iphitus aevo Jam gravior.* Contemtus enim esse *Senectus* juvenculis in re amatoria solet. Appulej. Milef. VII. *Senectam infirmitatem meam contemnit ac despuit*: ubi pulcherrima in hanc rem congessit doctissimus Pricaeus. Maximiani (qui sub nomine C. Galli nimium lascivit) hic querelas audi *senectutis* suae incommoda deflentis Eleg. praesertim I

Ipsi me pueri, atque ipsae sine lite puellae
Turpe putant dominum tam vocitare suum:
Irrident gressus, irrident denique vultus,
Et tremulum, quondam quod timuere, caput.
&c.

Senes itaque, amoribus irretiti puellarum se ludibrio merito exponunt juxta illud Nasonis: *Turpe senilis amor.* Hinc egregie *Senem* (praeter Martialem aliosque) taxat Alciatus, Emblem. CXVI.

Noctua ut in tumulis, super utque cadavera bubo,
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.

Sed frequens hic Comicorum ferè est lusus. Argumenta Plautina in promptu sunt. Merito itaque deprecatur se *annis gravem* esse. Nam juxta

Mimnerni Vet. Poetae, Epigramma Graecum, ὁ Γέρων

——— Ἐχθρὸς μὲν παισὶν, ἀτίμαστος δὲ γυναιξίν·
Αὐτὰς ἀργαλέον γῆρας ἔθηκε Θεός.

Sed hic Gnomologos consule.

84. Decipiorque miser, quotiens mollissima tango Ora manu.] Fallor? an etiamnum ephebus sum.

Mollissima ora] Dixit ἀπαλῶς, & quasi gestu quodam primam tangens lanuginem. Ita Sueton. Neron. cap. xxxiv. *Illa tractans lanuginem ejus jam grandis natu.* Ad dictionem Nostri quam proxime accedit Prudentius Pfychom.

Quaeque est lanugo ferè mollissima tactu.

Pro *Decipiorque miser?* habet Rom. Edit. *Decrepitusque miser*, &c. monente Jano Vlitio in Var. Lect. Sed sensu minus commodo.

85. Primique sequor vestigia floris.] Eleganti μεταφορᾷ rem eandem variavit. *Floris*, exponit Barthius *barbae primae.* At pace tanti Viri, nescio quó sensu? cum *de prima lanugine* jam genas leviter vestiente, non *floribus*, loquitur.

Vestigia] Elegans Translatio à Venatoribus ferarum *vestigia* persequentium. Vide Gratium in Cynegetico, ut & Nemes. Cyneget. qui sua ex Oppiano fere hauserunt. Imo & canibus tribuitur venaticis: Nemes. Cyneget. vs. 235.

Namque & odorato nesciunt vestigia prato,
Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.

Et vs. postremo:

——— *Dum mollia prata*
Nocturnis calcata feris vestigia servant.

Atque ita passim de venatu Poëtae. Vel ad mores allusit Amantium qui adamati sibi hominis *vestigia* sequi solent. Ovid. Met. iii. de Echo, quae, postquam.

——— *Incaluit, sequitur vestigia furtim.*

Sic Corydon Ecl. ii. de Alexi:

——— *Tua dum vestigia lustro.*

Significat ergo prima lanuginis indicia vix dum apparuisse FLOS: itaque eleganter de prima lanugine, quae & Graecis τὸ ἄνθος ἀνθοῦ: ut jam supra Ovidius cum emphasi:

Purpureo primae signatus flore juventae.

Similiter Pacuvius in Fragm.

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Silius Punic. xvi. 409.

——— *Confisus primaevae flore juventae.*

Et lib. i. 374.

Emicat ante omnes primaevo flore juventae
Insignis Rutule Maurus de sanguine.

Insignis est de Graecis adolescentibus locus Val. Flacc. Argon. i. 101. qui ipso in fervore τῆς ἀκμῆς·

Omnis avet, quae jam bellis spectataque fama
Turba ducum, primae seu quos in flore juventae
Tentamenta tenent.

Vide & Graecorum Epigrammata in Juvenes. Elegans illud certe Antholog. vi. cap. 22. §. 4. de Juvene *primam lanuginem* deponente:

Ὡραῖοι ἀνθήσαντας ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους
Κτησικλῆς ξανθὰς κείρατο ἀγλαΐας,
Φοῖβε, σοὶ Λύκιε, πρῶτον γένειον.

Cui conferas Bathylli lanuginem, apud Anacreonta, Od. xxix.

Ῥοδέων δ', ὁποῖα μῆλον,
Χνοΐην ποιῶ παρειήν.

87. Et gracili digitos lanugine fallo?] Et vix dum sentio *lanosam barbitium* (ut argute vocat Appulej. Miles. v.) quamvis digito percurrens? Hinc vulgo *dubiam* vocant Auctores. Ovid. Metam.

Pene puer dubiaque tegens lanugine malas.

Unde apposite addidit NESCIUS quasi dubitans num *barbitium* adsit, nec ne. *A prima lanugine* dixit Sueton. Oth. xii.

Gracili] Quae tangi & sentiri vix poterit. Qualis illa Vulcani retia, Met. iv. fab. 5. vs. 178.

——— *Neu illud opus tenuissima vincant*
Stamina, nec summo quae pendet aranea tigno:
Utque leves tactus, momentaque parva sequantur,
Effi..t. &c.

Quod ex Homeri Odyss. viii. qui tamen argute magis.

Ἠΰτ' ἀράχνια λεπτά, τά γ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο
Οὐδὲ θεῶν μακάρων.

Pulcherrime ejusmodi Juvenem depingit Apoll. Rhod. Argon. iii. 518. in Oenei filio, qui

——— ——— ——— Ἐναρίθμιος ᾐθέοισιν
Ἀνδράσιν, οὐδέ πω ὄσσον ἐπαισθόμενος ἰούλους
Ἀντέλλειν.

id est

——— *Qui in numero erat Juvenum*
Virorum, quanquam nihil dum efflorescentis lanuginis
Emisisset.

Apud Nemesianum Eclog. ii. pastor Alcon, de se:

——— *Nulla tegimus lanugine malas.*

88. Fontibus in liquidis quotiens me conspicor ipse] Bis contrarium ingerit: primo se aliquanto grandiorem esse gloriatur ex ipso *lanuginis* conspectu, ac proinde *puellis magis idoneum*; deinde se non tactu, sed ipso visu, id animadvertete.

Fontibus] Solent pastores *fontium liquores* fere consulere, seque in aquis, vice speculi, contemplati. Exempla passim sunt obvia. Vide,

de, quae observant doctissimus Meursius, nec non Illustr. Ez. Spanhemius ad Callimachi Hymn. v. in Pallad. Lavacr. vi. 20. Ita Corydon Virgilianus Ecl. ii.

——— ——— *Nuper me littore vidi.*

Ubi τὸ πρέπον non observâsse doctissimum Poëtam arguit Grammaticus Servius, ex collatione Theocriti, apud quem Cyclops, Eid. vi. 35.

Ἠ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον (ἦς δὲ γαλάνα)

Sed excusatur à C. Rhodigino & aliis; qui *mare* pro omni aquarum colluvione (sive *fons* sit, sive *fluvius*) & *litus* pro quavis terra, quae aquis alluitur, accipiunt. Proprie tamen magis Nemesian. Ecl. ii. in re simili:

Quin etiam fontis speculo me mane notavi, &c.

Eadem proprietate Phaedr. lib. i. fab. 4. de Cane:

Lympharum in speculo vidit effigiem suam.

Nec non lib. i. fab. 12. de Cervo:

——— *In liquore vidit effigiem suam.*

Quod, (praeter Aesopum) non inconcinne in Tetrastich. Fab. extulit Gabrias:

Φέρων ποταμῷ πλησίον κύων κρέας,
Κρυφαῖς ἐκεῖνο, ἄλλο εἰς ὕδωρ βλέπει. &c.

Simplicius verò Aphthonius Sophista in Cervi fabula: *καὶ παρελθὼν, ἐπὶ τῶν ἰδίων τοῖς νάμασι.* Sane & Noster fontem adhibet. Et recte. *Fons enim cuique perlucidus imaginem reddit*, ut Senec. Nat. Quaest. i. 17. Unde aquas *specula uda* argute admodum dixerunt Vett. Vide hic omnino Lucret. lib. iv. 270. ubi περὶ τῆς Ὀπτικῆς in speculis plurima habet. Interea non *pastores* modo, sed & *Nymphae aquarum specula* consulunt. Ita Salmacis apud Nasonem, Met. iv. 312.

Et quid se deceat, spectatas consulit undas;

Vide hoc loco Vett. Poëtarum Lusus xii. in Scalig. Catalectis, ad Titulum Imaginis in Unda: ubi omnes *speculi* comparationem adhibent. In his est & Juliani:

Fontibus in liquidis simplex generatur imago,
Ut solet à speculo facies splendente referri.

89. ADMIROR TOTIENS] Plus iterum dicit, quam Rivalis, qui modestius egerat. Ita Cyclops jam saepius citatus, Met. xiii.

Certe ego me novi, liquidaeque in imagine vidi
Nuper aquae; placuitque mihi mea forma videnti.

Sed praeiverat jam Theocrit. Eidyll. vi. 34.

Καὶ γὰρ θὴν οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι.
(Ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται) καταφαίνετο.

Quae arrogantia Cyclopi ex decoro *assignatur*. Respicit Poëta Narcissi fabulam, Metam. iii. 424 & seqq. qui, ut τῆς Φιλαυτίας Emblema, sui ipsius formam in fonte demirabatur: unde Ausonio Eidyll. vi. Cupid. Crucif. signate *Mirator Narcissus* dicitur, respectu Nasonis, qui de illo:

Cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse.

Habet idem Ausonius varios in eum lusus: inter quos Epigramm. xcvii.

Quid non ex hujus forma pateretur amator,
Ipse suam qui sic deperit effigiem?

Quo allusit etiam Alciatus (& quis non, tam Veterum quam Recentiorum?) Emblem. lxix.

Quod nimium tua forma tibi, Narcisse placebat,
In florem & noti est versa stuporis olus.

At in ejusmodi Φιλαύτους jactari possit lepidum, quod in Deformes exstat, Lucillii Epigramma, Antholog. ii. cap. 13.

Ῥύγχος ἔχων τοιοῦτον, Ὀλυμπικὲ, μήτ' ἐπὶ κρήνην
Ἔλθῃς, μήτ' ἐς ὕδωρ πρόσιθι διαυγὲς ὕδωρ.
Καὶ σὺ γὰρ, ὡς Νάρκισσος, ἰδὼν τὸ πρόσωπον ἐναργὲς
Τεθνήξῃ, μισῶν σαυτὸν ἕως θανάτου.

id est. *Rostrum cum habeas tantum Olympice, neque ad fontem venias, neque inspice prope pellucidam aquam: Etenim tu ut Narcissus, videns faciem tuam insignem, Morieris, odio habens te usque ad mortem.* Cur & Nonno in Dionys. πόθοβλητος, *desiderio* vel *cupidine ictus* argute dicitur Narcissus.

89. ETENIM SIC FLORE JUVENTAE INDUIMUR VULTUS] Recte *Induimur* cum doctiss. Vitio legendum, ut sit Ἐλληνισμός: Gratior enim est constructio. Ita Maro saepius passive: Aen. ii. 391.

——— ——— *Sic fatus deinde comantem*
Induitur galeam.

Et Aen. vii. 640.

——— *Auroque trilicem*
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

Naso Met. vi. fab. ——— de Progne: *Induiturque atras vestes.* & Met. iv. idem: *pallamque induta nitentem.* Atque ita optimi Auctores. Sic eleganter Graeci passive: ἐνδύεται πορφυρίδα, pro ἐνδύει. Aesopus in Apolog. Ὄνος ἐνδυσάμενος λεοντῆν, &c. Caeterum eadem elegantia apud Senec. Trag. Oedip. Chorus ad Bacchum:

Nondum teneras vestite genas!

Nec non princeps Poeta Aeneid. viii. ——— ubi rex Euander.

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa.

dixit. Ansam huic phrasi dedit Lucretius, qui *vestis* nomen (de qua proprie dicitur τὸ *induere*) ad *lanuginem* transtulit. Inter alia, enim lib. v. 672.

Nec minus in certo dentes cadere imperat aetas
Tempore; & impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.

90. VULTUS] casus est est quartus num. pl. per συνεκδοχήν. Genas autem intelligit. Eadem forma de uno pl. numero dixit Ovid. Met. i.

 ——— ——— Et

—— —— *Et erectos ad sidera tollere vultus.*

90. Ut in arbore saepe notavi Cerea sub tenui lucere Cydonia ramo.] Elegans comparatio: Usus etiam est Martialis lib. x. Epigr. 42.

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, & soles, & levis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lanae, &c.

Haec autem *mala* (quae Macrobio Saturn. vii. 6. *Cytonia* dicuntur) Catoni de R. R. *Cotonea* sunt, ut & reliquis Latinis. *Cydonia* autem Graecis dicta sunt, *quod è Creta insula* (cujus urbs, Straboni, Pausaniae, aliisque Geographis, notissima *Cydon*) *in Italiam primum delata fuerint.* Plura eorum genera recenset Plinius xv. 11. ex quibus *Chrysomela* (quae mellis colorem referunt) *incisuris distincta, colore ad aurum inclinato* maxime laudat. Ad quem colorem Poëta forte respiciens *Cerea* dixit (non *caerula*, ut quaedam habent Editt.) quem ad modum Maro etiam *pruna cerea* vocat, Ecl. ii. Eandem quoque comparationem habet Theocrit. Eidyll. ii. 78.

Τοῖς δ᾽ ἦν ξανθοτέρα μὲν ἑλιχρύσοιο γενειάς.

Describit & Zonas in Epigr. Graecis Antholog. vi. 14. Tit. de Hortulan.

Ἀρτιχανῆ ῥοιάν τε, καὶ ἀρτίχνουν τόδε μῆλον,
Καὶ ῥυσσὸν φλοιῷ σῦκον ἐπομφάλιον, & seqq.

Inter munera fuisse *ἐρωτικὰ* notum ex Antiquitate. Corydon Ecl. ii.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Aperte magis Romanus ille Callimachus, lib. iii. Eleg. ii. vs. 27. de veterum simplicitate in amoribus:

Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis.

Puellae nempe deferenda. Omen certe habebant in Nuptiis juxta legem Solonis, quam, inter alios, tangit Alciatus, Emblem. cciii.

Poma novis tribus debere Cydonia Nuptis
Dicitur antiquus constituisse Solon.
Grata oris & stomacho cum sint, ut & halitus oris
Sit suavis, blandus manet & ore lepos.

In quibus expressit Plutarchi verba de Conjug. Praecept. cap. ii. *Solon jubebat sponsam, cum sponso concubituram, prius mandacare malum Cydonium* &c. Recte itaque Mantuanus descripsit

—— *Riguis quae Cretica misit ab hortis*
Poma Cydon. &c.

91. Lucere] Translucere: propriè dixit respectu coloris aurei: unde eadem fere descriptio est *aurei rami* sub frondibus elucentis, Aeneid. vi. 204.

Discolor unde auri per ramos refulsit.

Et mox:

Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat bractea vento.

Confer Anacreont. Od. li.

Κεραοῖς ὡς ἴοις ἑλιχθὲν
Διαφαίνεται γάλακτος.

92. Carmina poscit Amor, nec fistula cedit amori] ἐπιφωνηματικῶς, ut ex decoro finem certamini imponat. Quod ad rem; nihil magis ad eliciendum *amorem* magis facit nisi *cantilenae*. Plutarchus Sympos. i. Quaest. 5. cur *ὁ Ἔρως τὴν μουσικὴν διδάσκει*, hujus rei rationem reddit; ac Cyclopis exemplo probat, quem *Camenis bene sonantibus* (id est cantilenis) *amorem sanasse*, ex Philoxeno, scribit. *Qui amant* (inquit ex versione G. Xylandri) *cum sibi ipsis hoc persuaserunt, tum aliis persuasum esse volunt, pulchros atque bonos amari, ipsi volunt amorum suorum testes esse; itaque eos cantilenis & versibus exornant, ut & audiantur & memorentur a pluribus.* Vide & ejusdem *περὶ τῆς μουσικῆς* libellum. Neque hic praeter rem Macrobius Somn. Scip. ii. 3. qui *ad mollitiem voluptatis cantu resolvi animas* scribit quae *mollities* primus fere ad amorem gradus. Neque aliter Lucianus; cujus libellum, qui *Ἔρωτες inscribitur*, per totum lege. Recte itaque Menander, apud Stobaeum in Fragmentis:

Ποιητὴς ὑπάρχων ἐστ᾽ ἔρωτος μουσικά.

Sic Achilles Tatius Leucipp. ii. virginem inducit Leucippen ad citharam rosae laudes decantantem, cujus dulcedine in amorem incidit Clytophon. atque ita saepiusculè Scriptores *τὰ ἐρωτικὰ* tractantes. Hinc apposite Nemesian. Eclog. iv. versu intercalari:

Cantet, amat quod quisque: levant & carmina curas.

id est, *amores*; quos, juxta Poëtam excitat

Spinosas Erycina ferens in pectore curas.

Ut etiam Catullus *amores* vocat, Epithal. Pel. & Thetid. ad Cupidinem:

Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces!

Sed ad rem magis inquit Theocrit. Eid. xi.

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο,
Ἢ ταὶ Πιερίδες.

Hinc suavissime Bion in Eidyll. *cantus* & *amores* conjungit:

Μοίσας Ἔρως καλέοι, Μοῖσαι τὸν Ἔρωτα φέροιεν.
Μολπὰν ταὶ Μοῖσαι μοι ἀεὶ ποθέοντι διδοῖεν,
Τὰν γλυκερὰν μολπάν, τᾶς φάρμακον ἅδιον οὐδέν.

Apertius autem idem Bion Eid. iv.

Ἢν δ᾽ αὖτ᾽ ἐς τὸν Ἔρωτα, καὶ ἐς Λυκίδαν, τι μελίσδω,
Καὶ τόκα μοι χαίροισα διὰ στόματος ῥέεν ᾠδά.

id est,

Rursum, quum in Amorem, &c. aliquid moduler,

Tunc

Tunc mihi laetum carmen ore profluit.

Usque adeo *Carmina poscit Amor.* Optimè ergo Tibull. 1. Eleg. 8. quamvis in re alia.

Et chorus, & cantus, & levis aptus amor.

tria conjungens inter se connexa. Cur autem *Musica* data sit hominibus pluribus, praeter Plutarchum, disputat Plato, qui eam τῆς ἐμμελείας καὶ εὐρυθμίας δημιουργὸς appellat: quod observat Interpres in Pindari Od. 1. Pythionic. Imo *Deum cantilenas hominibus inspirare* affirmat Homerus 1. Odyss. XXII. ubi Phenius cantor:

—— —— Θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας

Παντοίας ἐνέφυσεν.

Sed in laudem *Musices* ne excurramus, ipsa docet instituti ratio.

91. Nec fistula cedit amori] Id est Neque inepti sumus pastores cantandis amoribus: vel materia cantandi de amore nobis semper adest. *Amor enim* (cui Antiqui ferè pastores, ex nimio ferè otio indulgere solebant) *facit calidos, hilares, ac dissolutos; qui animi habitus facilè ad cantandum propellit*: ut Plutarchus libr. cit. Huic causae & alias rationes addit Longus, περὶ τῆς Ποιμ. Veris nemp. amoenitatem, ruris voluptates, avium assiduos ferè cantus, ipsius vitae rusticae securitatem, pastorum in amoribus simplicitatem, & aestum evitandi sub arboribus & umbrà consuetudinem, & quae sunt hujus generis. accedebant Deorum festa, quibus hymnos in laudem Cereris, Bacchi, deorumque agrestium decantare moris erat; praesertim ubi in lancibus ac calathis τὰς ἀπαρχὰς, non sine cantu, offerebant. Adde continuam cum rusticis virginibus, (quibus & agendi & curandi pariter commissa fuit cura,) familiaritatem, quas cantu oblectare solebant. Exempla, qui Pastoralia excusserit, in promtu sunt. Hinc Pastores *Arcades* (ùt ex Polybio jam dixi) cantandi fuere peritissimi. Insignis est, qui haec doceat, locus Pastoral. 1. in medio fere: Ἦρος ἦν ἀρχὴ, καὶ πάντα ἤκμαζεν ἄνθη . . . . βόμβος ἦν ἤδη μελιττῶν· ἦχος ὀρνίθων μουσικῶν & seqq. Sed locum vide, dignissimum certè, qui huc conferatur. *Pastores* ergo nunquam sine *fistulâ* (ne quidem in Apologis) quae primò quidem μοναυλος, vel μονοκάλαμος, instar tibiae (quae & *pastorum* est inventio) ùt probat Illustr. Interpres ad Callimachi Hymn. in Dian. vs. 242. Quid mirum ergo, si *musices originem pastoribus*, adscripserit Lucretius, lib. v. vs. 1385. & *seqq.* ubi inter alia suavissimè infit:

Inde minutatim dulces didicere querelas,

Tibia quas fundit digitis percussa canentum.

Hinc frequentissima apud Theocritum mentio *fistulae.* statim ab initio, & passim. Eidyll. XX. 27. jactans pastor:

Ἁδὺ δέ μοι τὸ μέλισμα, καὶ ἢν σύριγγι μελίσδω,

Κἢν αὐλῷ λαλέω, κἢν δώνακι, κἢν πλαγιαύλῳ.

Vide & Eidyll. VIII. 55. Sed quid in re notâ moror?

Amori] Virg. de monte Maenalo, Ecl. VIII. 23.

—— *Semper pastorum ille audit amores.*

Intelligit autem *cantilenas amatorias.* Observa hóc in genere libentiùs Auctores dixisse *amores* num. plur. quàm *amorem*, pro affectu nemp. vehementiori. Propert. in Cynthiâ, Eleg. 7. vs. 5.

Nos, ut consuêmus, nostros agitamus amores,

Atque aliquid duram quaerimus in dominam.

Sic passim ille eodem lib. Eleg. 9. vs. 1. ad Ponticum:

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores;

Nec tibi perpetuò libera verba fore:

Neque aliter Albius lib. 1. Eleg. 10. vs. 1.

Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,

Foedera per divos, clam violanda, dabas?

Catullus, Epigr. XIV.

Commendo tibi me, ac meos amores.

Observat id perpetuo ferè Anacreon Od. 1. 7.

Κἀγὼ μὲν ᾖδον ἄθλους

Ἡρακλέους· λύρη δὲ

Ἔρωτας ἀντεφώνει·

Ut & dulcissimo Odario, XXIII. ubi de *amoribus* suis conqueritur:

Οὐ γὰρ ἐθέλω τοιούτους

Ἔρωτας ἐκδοῦναι·

Confer Oden XXXII. 5. atque ubivis. Neque neglexit in tenerrimo poëmate Musaeus, ubi de Leandri ac Herûs amoribus:

Εἰπὲ θεὰ κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων.

Atque ita Graeci sexcentis locis. Hinc etiam Luciani ἘΡΩΤΕΣ: quo titulo libellum de *Amoribus* inscripsit, quàs Graecorum delicias imitati sunt libentius Latini.

93. Sed fugit, ecce, dies] Solennis ferè clausula in Eclogis. Virgil. in Sileno:

Cogere donec oves stabulis numerumque referre

Jussit, & inviso processit Vesper Olympo.

Noster Eclog. II.

Sed jam sera dies cadit. &c.

Nemes. Ecl. V.

—— *Frigidus è sylvis discedere suasit*

Hesperus, & stabulis pastos inducere tauros.

Quod Theocritus Eidyll. XXV. 85. hoc modo expressit:

Ἠέλιος μὲν ἔπειτα ποτὶ ζόφον ἔτραπεν ἵππους,

Δείελον ἦμαρ ἄγων. &c.

Quamvis Eclogas suas, non ita, sed insigni quâdam γνώμῃ ferè claudere solet: neque aliter Moschus ac Bion, nobilissimi Bucoliastae.

Ecce] formula mirantis. Vide & Eclog. I. Ita & Graecis. Euripid. Troad. 312.

Ὦ Ὑμὴν ὦ ἄναξ, ἰού, ἰού· μακάριος ὁ γαμέτας.

Sic Maro, Eclog. III.

—— —— *Vel qui venit, ecce, Palaemon.*

Ita Noster, Eclog. VI.

—— —— *Ecce, venit Mnasylus!*

93. Revocatque crepuscula Vesper] *Crepusculum*, quamvis & mane fiat, absolutè pro vespertino tempore vel die in noctem vergente ponitur. Dicitur enim *crepusculum*, quasi *lux crepera* (id est dubia) veteri vocabulo. Accius, inter Vett. Fragm.) in Telepho:

Nunc tu, tu re creperâ quid captas consilii vide.

Ad hoc etymon allusit Ovidius Met. IV. dum inquit: *dubiae confinia lucis, Crepusculum à crepere. Id vocabulum sumsere à Sabinis. Unde Crepusci nominati, qui ea tempore erant nati, ùt Lucii primâ luce. Significat autem dubium, ab eo res dubiae dictae, creperae; quod crepusculo, dies etiamnum sit, an jam nox, multeis dubium:* ùt habet Varro de L. L. v. I. Eadem ferme habet lib. VI. *Tam crepusculo ferè, ut ament lampades accendere.* Hinc vulgò *sera* Poëtis dicta. *Traherent cùm sera crepuscula noctem.* Confirmat Scaliger pater, Exercit. LXXVIII. *Vett. Latini creperum dubium vocabant, origine Graecâ κνέφαιον, velox, citum.* Quocirca Noster non malè addidit: *Sed fugit, ecce, dies.* Argutè definit Ovid. Metam. IV.

Jamque dies exactus erat; tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem.

Ut etiam Epist. XIV. 21.

—— *Modò facta crepuscula terris:*
Ultima pars lucis, primaque noctis erat.

Confer & Eleg. 5. ex Amor. lib. I. vs. 5. Servius tamen ad Aen. II. 268. *crepusculum licet utrique tempori possit jungi, usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit.* Distinguunt interea quoque Graeci inter τὸ κνέφας, *crepusculum vespertinum*, & ὄρθρος *diluculum.* Prius descripsit Homer. Iliad. I. simili fere, quâ Noster, phrasi:

Δύντ' ἠέλιος, καὶ ἐπὶ κνέφας ἱερὸν ἦλθε·

Ἱερὸν dixit, eò quòd *Veneri & amoribus sacratus* fuerit, apud Antiquos, *Vesper:* unde Claudian. Epithal. Honor.

Dilectus Vesperi nascitur Hesperus.

Sed notum illud. Elegantissimo Epigrammate & huc alludens, *Vesperum*, ut amoris ministrum, describit Moschus, Eidyll. VIII.

Ἕσπερε, τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος Ἀφρογενείας,
Ἕσπερε, κυανέας ἱερὸν φίλε νυκτὸς ἄγαλμα,
Χαῖρε φίλος· & *seqq.*

Revocat] Senec. Trag. Thyest. ubi Chorus:
Nocturna vocat lumina Vesper.

Nimirum (ut Poëta ad rem inquit) tempus illud,

Et pecudes revocant cum sera crepuscula pastas.

Vide & Nemes. Eclog. II. & III.

94. Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphesiboeus,] Mercenariis suis mandat, ut gregem compellant. Notio rustica, *Vespertinum* tempus significans. Per figuram *Ζεῦγμα* dixit agat. quae constructio cum Alphesiboeo tantùm cohaeret. Neque temerè *Daphnidis* nomen inducunt Bucoliastae, respectu *Daphnidis* cujusdam, Siculi pastoris, ob cujus amores decantandos *bucolicum carmen* inventum fuisse volunt. Fabulam narrat Aelian. Var. Hist. x. 18. qui ad finem addit: ἐκ δὲ τούτου τὰ βουκολικὰ μέλη ᾔδοντο, καὶ εἶχεν ὑπόθεσιν τὸ πάθος: ubi & Stesichorum Himeraeum id carminis genus primùm scripsisse, ait. ALPHESIBOEUS, itidem nomen pastoris apud Maronem.

95. Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbos] Physicè loquitur ex opinione Vett. qui & cum solis ortu, & sub ejus occasum *ventorum strepitus* ferè exoriri credebant. Quo sensu Pacuvius, apud Varronem;

Exhalat auram terra, atque auroram humidam.

Observat etiam Prudent. Cathem. Hymn. I. sub ortum solis:

Ut cum coruscis flatibus
Aurora coelum sparserit.

Sub noctem *ventos* oriri observavit plus semel Homerus: Odyss. V.

—— —— Ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.
Σὺν δ' Εὖρός τε, Νότος τ' ἔπεσε.

Quod inter Latinos Poëtarum praestantissimi saepiùs imitati sunt. Neque mirum: cùm, ex Vett. opinione, *Ventos sive flatus, ex vaporibus sursum orientibus sive etiam, ex arida siccoque halitu terrae gigni*, dixerit Plinius N. H. II. 43. & alibi. Quin & ex aëris agitatione eo halitu sive vespertino, sive matutino commotâ ventos oriri statuit Lucret. R. N. VI. 685. inquiens:

Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër.

Plutarch. de Homer. libell. §. LVI. *Ventorum Ortus ex humore: nam in aërem mutatur aqua; & Ventus est fluens aër.* Hinc Philosophorum illud placitum: *Exeriente Sole, quum multa exhalatio e terrâ elicitur, saepe aër à vento movetur: Idem de vapore, sub vesperam adscendente, statuendum.* Sed Poëtam explicamus. Quoad phrasin Nostri Lucret. VI 131.

—— *Crebram sylvam quom flamina Cauri*
Perflant, dant sonitum frendes.

Maro Georg II. *Campique notantes Lenibus horrescunt flabris.* & lib. IV. *sylvis immurmurat Auster.* Elegans ejusdem phrasis est, Ecl. V. 82. *Venientis*

tis sibilus Austri (ubi adliteratio notanda est *flatus leniter accedentis*) qui Furio Antiati, Poët. Vet. est *Spiritus Eurorum.*

Obstrepit arbos] Actum tribuit rei inanimatae. Ut fere Propert. iv. Eleg. 4.

Multa ubi nativis obstrepit arbor aquis.

Quod cum Theocrit. Eidyll. i. pulcherrimè convenit:

Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα
Ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι, μελίσδει.

De aquis ac rivulis manantibus vulgò usurpant Poëtae. Horat. Epod. ii.

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus.

Ovid. alibi:

——— ——— *Locus est secretus ab omni*
Murmure, nè solis obstreperetur aquis.

Quid *obstrepere*, sit notissimum. Vocem alterius ferè supprimit: cantantibus enim illis *summum fuerat silentium, ac nulli obstrepebant frondibus Euri*: Vim verbi itaque graphicè expressit Naso, Metam. iv. fab. 12. vs. 392.

——— ——— *Tympana raucis*
Obstrepuere sonis.

96. I procul, o Doryla, primumque reclude canalem.] Puerum suum itidem compellat, mandatque, ut per cataractam rivulos in hortum immittat: quod sub vesperam ferè fieri solebat. Simulque alludit ad illud:

Tu potes irriguis nutrire canalibus hortos.

Praecipit enim Plinius xix. 12. *Hortis horae rigandi, matutina atque vespera, ne infervescat aqua sole. Ocimo tantùm & meridiana etiam.* &c. Contrarium huic ergo dixerat Maro Ecl. iii.

Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt.

Id quamvis ἀλληγορικῶς intelligendum sit, addit tamen Servius: *Intelligimus hinc, exisse eum ut juberet pueros suos, ut rivos irrigarent: quod cantantibus illis factum est.* RECLUDERE ergo hic sensu vulgato, pro APERIRE Ut Maro Georg. iii. 175.

——— *Sanctos ausus recludere fontes.*

Quamvis *recludere*, pro *claudere* quandoque usurpatur: ut, praeter Elegantiarum doctores, ad Senec. Trag. Med. act. ii. vs. 335. observat Celeberr. Gronovius pater; ubi *Recludere*, inquit, *significat reserare & claudere.* Nempe ut *recondere* pro *abscondere* poni solet. Notio tamen haec rarior, neque Auctoribus admodum usitata.

Primum canalem] Praecipuum: vel remotissimum. Addit enim, *procul.* sic *primos fontes* dixere, pro fluviorum origine. *Primus* enim & *extremus* voces sunt mediae: prout ἀρχὴ Graecis, tam *principium* quàm *finem rei* notat.

Canalem] Maluissent Antiqui, *primam canalem*: Varro, certè usurpat gen. fem. de R. R. iii. ii. *In eô perpetua canalis.* &c. Neque aliter Servius ad Georg iii. 330. *Sane Canalis, melius fem. gen. quàm masc. proferimus.* quod & Isidorus xv. Donatus, & antiqui agnoscunt Grammatici. Vide Vossium, Aristarch. de Analog. i. 29. Noller tamen εὐφωνίαν observare potiùs videtur, quàm genus. *Canales*, à cannà, vel potiùs ab Hebr. קנה *canna, vel calamus*: quod LXX. ferè vertunt καλαμον: ùt placet Chr. Becm. Orig. L. L. Neque aliter Lexicographi.

97. Et sine, jam dudum sitientes irriget agros.] Sine, *ut* irriget. frequentissima Ellipsis particulae, *ut*. Exempla in promtu sunt. *Sine veniat; sine faciat.* Comici eâ formâ saepius. Terent. Andr. v. 3. vs. 29.

Sine, me expurgem, atque illum huc coram adducam.

Sine, te exorem, Eunuch. i. 2. 105. & passim Plautus, alii. Eandem Ellipsin quoque agnoscunt Graeci. Quin & ipse, post Vett. in Distich. Moralib. Dionysius, sub nomine Catonis, lib. iv. 39.

Thure Deum placa: vitulum sine, crescat aratro.

Quod invertit Jos. Scaliger:

——— ——— *Λῖπε μόσχον ἀρότρῳ.*

Vide Sanct. Minerv. lib. iv. de Ellipsi.

Sitientes agros] Elegans μεταφορά. Maro, Eclog. viii.

——— *Vitio moriens sitit aëris herba.*

Sed vide supra.

98. Vix ea finierant; senior cum talia Thyrsis.] *Vix benè desierat.* &c. Ovidio in Fastis & alibi, frequentissimum. Ita Virgilius fere: *Vix ea fatus erat.* &c. Formula itaque usitata. Judicem inducit, certamini praemia distributurum, quae Graecis vulgo βραβεῖα.

99. Este pares; et ob hoc concordes vivite!] Neutrum pronunciat victorem, sed utrumque collaudat, ac mutuo hortatur. Ita ferè Judex apud Theocrit. Eidyll vi. 46.

Νίκη μὰν οὐδ᾽ ἄλλος, ἀνάσσητοι δ᾽ ἐγένοντο.

Sic quoque non sine utriusque encomio, neutrum pronunciat certaminis victorem Palaemon Virgilianus, Ecl. iii. 108.

Non nostrum inter vos tantas componere lites,
Et vitulâ tu dignus, & hic.

Concordes] q. d. Ne alter alteri invideat: ut qui simul estis,

Et cantare pares, & respondere parati.

Nota Poëtis formula: Claudian. Epith. Pallad.

Vivite concordes, & nostrum discite munus.

Concordia enim maximum amicitiae vinculum. Nem-

Nempè (ùt rectè Cicero, lib. de Finib.) *nullo modo sine amicitiâ firmam & perpetuam jucunditatem vitae tenere possumus. Nec verò ipsam amicitiam tueri possumus, nisi aeque amicos ac nos ipsos diligamus.* Hi ergo dicuntur verè amici Theognidi in Sentent. ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες.

103. NAM VOS ET DECOR, ET CANTUS, ET AMOR SOCIAVIT, ET AETAS.] Elegans παράθεσις quatuor innitens rationibus, ad mutuum amorem aptissimis. Ita & *pares* induxerat initio Eclogae.

100. ET DECOR] Respicit id, quod dixerat vs. 3. *Formosus uterque*, &c. Ita *pares formâ* & arte inducit Theocritus Eidyll. VIII. (cujus initium, Δάφνιδι τῷ χαρίεντι. &c.) pastores duos:

Ἄμφω τώγ᾽ ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν

Quamvis eventu dispari; cum victoria Daphnidi tribuatur. Tales & illi, qui Heliodoro, Aethiopic. VII. dicuntur ἀκμαῖοι καὶ χαρίεντες ὁμοίως. Idem ergò lib. IV. ab initio fere Ἐπαγωγὸν γάρ τι καὶ εἰς εὔνοιαν, τὸ κάλλος. Id est *magnam vim habet etiam ad conciliandam benevolentiam formae venustas.* Quocirca lepidè Amorem Pulchritudini servientem inducit Anacreon, Od. XXX. Nempè (ùt P. Syrus in Mimiamb.) rectè inquit:

Formosa facies muta commendatio est.

Ad quem versum elegantissimum Isocratis locum Encom. Helenes producit cultissimus Interpres in Not. Posthum: τοῖς δὲ καλοῖς εὐθὺς ἰδόντες εὖνοι γιγνόμεθα, καὶ μόνους αὐτοὺς ὥσπερ τοὺς θεοὺς οὐκ ἀπαγορεύομεν θεραπεύοντες. &c. Nota sunt, quae de Alcibiade, juvene admodum formoso, scripserit Plato; qui (ùt de eo Justin. V. 2.) *& aetatis flore & formae veneratione insignis erat*; atque (ut cum Nepote Alcib. cap. 1. dicam) *omnium aetatis suae multo erat formosissimus*: unde, apud Aristenaetum ac Plutarchum, proverbiale illud de formâ speciosissimâ, Ἀλκιβιάδου μορφή. Sed haec in transitu. *Pastores* vulgo *formosos* induci, superiùs ex Longi Pastoral. docui. *Conciliat ergò facilè amicitias is*, qui praelucet Κάλλεϊ καὶ χαρίτεσσιν, *formâ & venustate.* Prout inquit Apollon. Rhod. Argon. III. 444. Usque adeo verum illud Antipatri, Anthol. 1. cap. 41. de *pastore pulcherrimo* omnes ad se alliciente, Epigr. 1. cui initium, Βουκόλος ἔπλετο Φοῖβος·

Εὐηγέρεος μὲν, ὃν καλὸς, ὥσπερ δόλω αὐτὸς ἀλίσκει
Πάντας καὶ πάσας, ὃ μεταβαλλόμενος.

DECOR] Id est forma. Poëticè; ut Senec. Trag. Hippol

——— *Tenerque nitidi corporis decor.*

Ovidio vox illa frequens. Fast. II.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli,
Quique aderat nullâ factus ab arte decor.

Statius, Achilleïd. II. 135.

——— ——— *Tacitam reverentia tangit!*
Is decor est: formae species permixta virili.

Imò *decus* dixit Poëta:

Hunc decus egregium formae movet.

Neque mirum: definitur enim *formae decor*, Ciceroni, Tuscul. Quaest. IV. *Corporis quaedam apta figura membrorum, cum coloris quâdam suavitate.* Cui consentit breve Carphilidis responsum: Τί κάλλος; Φυσικὴ ζωγραφία.

ET CANTUS] Par cantandi studium. Facit & hoc ad mutuam amicitiam: Ovid. de Pont. II. El. 5.

Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis:
Et servat studii foedera quisque sui.

Idem Metam. IX. 719.

Par aetas, par forma fuit; primasque magistris
Accepere artes elementa aetatis ab iisdem:
Hinc amor amborum, &c.

Terent. Hecyr. I. 2. vs. 95.

——— ——— *Atque huic transtulit*
Amorem, postquam par ingenium nactus est.

Naso (signatè! de carminum studio) lib. Pont. II. Eleg. 5.

——— *Tu, primis junctus ab annis,*
Ingenio mores aequiparante, places.

Ad rem itaque Quinctilianus, Inst. Orat. I. 1. *Studia eadem amicitiam parere* docens, addit, *Neque enim est sanctius, sacris iisdem, quam studiis initiari.* Praecipit hinc Cicero aureo illo de Amicitiâ libello: *Si qui ineunte aetate venandi, aut pilae, studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt . . . . . . Dispares enim mores disparia studia sequuntur: quorum dissimilitudo dissociat amicitias.* Sed pro simplicitate rusticâ, nimium disputandum non est. De *Cantu* enim Noster agit Longus in Pastor. II. & alibi exempla dabit, ut & Bucoliastae. Theocrit. Eid. VI.

Αὐλεῖ Δαμοίτας, συρίσδει δὲ Δάφνις &c.

Confer Moschi Ἐπιτάφ. Βίων., ubi de *cantandi inter pastores studio* permulta, ac pulcherrima. Usque adeo commendat *musica* amorem: quippe (ut Xenoph. Cyropaed. I.) στοργὴν μὲν καὶ ἐν τοῖς μετρίοις τὰ νέα καὶ αὐληρὰ ἐνέστακται.

ET AMOR] Id est amicitia. Differre tamen *amorem & amicitiam*, disputat Plutarch. de Educat. Ut & Seneca, Epist. ad Lucil. XXXV. *Qui amicus est, amat, qui amat, non utique amicus est. Itaque amicitia semper prodest: Amor etiam aliquandò nocet.* Vide hîc omninò Ciceronis Lael. de Amicit. cap. VIII. ubi *amorem amicitiam parere* docet: quam disputationem latè prosequi,

quitur de finib. cap. xxiv. & de Nat. Deor. ad finem lib. I. ubi inquit *Charum est verbum amoris, ex quo amicitiae nomen est ductum*, & loc. jam cit. *Amor, ex quo amicitia nominata, princeps est ad benevolentiam conjungendam.* Rectè itaque Poëta τὸ amor praetulit, ut amicitiae fontem ac originem. Apertè distinguitur etiam Graecis, ὁ ἔρως, & ἡ φιλία. Quin & Latini ferè id observant Poëtae: ut Ovidii praesertim exemplis videre est. Huc ergo illud facit Naevii Paetae, in Fragm. Vett.

Nusquam quisquam amico amanti amicus.

Et apprime illud P. Syri, ex Mimijamb.

Amicitia semper prodest, amor & nocet.

(Quod imitatus est Senec.) ubi Celeb. Viri J. Gruteri Not. Posthum. vide.

Et aetas] Erant ergo, *Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo.* Id est pastores. Nempe (ut Quinctilian. Declam. IX.) *A primis aetatis annis junxerat illos potentissimus amor ille puerilis.* Nam *à primis statim aetatibus in eandem coire vitam habet aliquem fraternitatis affectum:* ut idem inquit Decl. XVI. Rectè itaque hic Maximianus Eleg. II.

Par aetas animos conciliare solet.

Quae loca observat Vir doctus ad Appulej. Milef. IV. cujus sunt verba: *Speciosus adulescens . . . meum primis ab annis nutritus, & adultus.* &c. Ita etiam Maro, Aen V. *animis aequalis & annis.* Praecipit id quoque Cicer. de Amicitiâ, ut *Amici sint pares in amore & aetate.* &c. Nimirum (ut Aristinaet. I.) Ἡ γὰρ ἰσότης ἐπὶ ἴσαις ἡλικίαις ἅπαντα δὲ ὁμοιότατα φίλων παρέχεται. Hanc *aequalitatem* ἰσότητα vocat Aristotel. in Problem. quam ad *conservandam amicitiam aptissimam esse* noverat Thyrsis judex. Namque τοῖς ἐν ἀκμῇ πρὸς τὰς καλὰς πράξεις ἡ φιλία συμφέρει; velut rectè Plutarch. in Educat. Cui consentit Senec. Epist. CXX. Apposite itaque Aristoteles *Amicitiam aequalitatem esse* definivit *reciprocae benevolentiae*: vel (ut Diogen. Laërt in ejus Vit lib. V.) τὴν τε φιλίαν ὡρίζετο ἰσότητα εὐνοίας ἀντιστρόφου. Et ad rem de Stoicis idem in Zenon. lib. VII. λέγουσι δὲ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα. Eadem Epicteti in Enchirid. sententia, omniumque adeo qui rem tractârunt Ethicam. Quas Vett. sententias itaque Noster uno complexus est versiculo. Cur neque sine judicio πολυσυνδέτως quater repetitae vocis ET adhibuisse videtur.

IN ECLOGAM III. CALPURNII.

vs. I. NUnquid in hac, Lycida, vidisti forte juvencam Valle meam?] Eandem ferè ingerit occasionem Virgilius *quaerendi caprum, qui deërraverat*, Eclog. VIII. Longius enim aberrare solent *juvencae* inter pascendum; unde *avidas* vocat idem poëta, Georg. II. 375. & *juvencam pascendi avidissimum esse animal* dicit Servius, ad Ecl. citat. vs 2.

Juvencam] *In bubulo genere aetates dicuntur quatuor: discernuntur in primâ vitulus & vitula, in secundâ juvencus & juvenca* (quae & *junix* dicitur) *in tertiâ & quartâ taurus & vacca.* &c. Ut Varro de R. R. II. 5. *Juvenci* ergo & *juvencae* dicuntur, cùm à *vitulis* discesserunt: à *juvando* nempe, *quia juvare jam ad agrum arandum possunt:* ut idem Varro, de L. L. IV. Hos tamen aetatis gradus saepe confundunt Poëtae; ita ut *vitulam* vel pro *juvencâ*, vel *vaccâ*, vel *fordâ* posuerit ipse Maro, Eclog. III. 43. & alibi. *Juvenci* vox propriè adjectivum, quemadmodum Lucret. V. 1073.

Inter equas ubi equus, florenti aetate juvencus,
Pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris.

Vidisti] Sic Mercurius in Batti fab. Metam. II. 701.

Rustice, vidisti si quas hôc limite, dixit,
Ire boves, fer opem &c.

Cui confer Maronis Eclog. VI. 58. ubi Pasiphaë ad Nymphas:

Siqua forte erant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia.

Valle] Rectè de grege bucero, qui valles potiùs & pascua amat; quum saltus & tesqua sint ferè caprearum. &c. Varro R. R II. 5. *Boves pasci oportet in locis viridibus & aquosis.* Bubulcus ergo noster Iolas. Nam plura pastorum fuisse genera, jam dixi: inter quos praecipui αἰπόλοι, ποιμένες, βουκόλοι, id est *caprarii, opiliones & bubulci*, (quos *bubsequas* dixit Appuleius) qui in genere φύλακες, seu *custodes*, vocantur: ut ex Donato doctiss. Interpres ad Longi Ποιμενικὰ observat. *Vallis* etiam meminit Horat. in pascendis bobus, Epod II. 13.

Aut in reductâ valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Petron. in Fragment. Vett.

Taurus amat gramen mutatâ carpere valle.

2. SOLET ILLA TUIS OCCURRERE TAURIS] Jam lasciviens prae desiderio & impatientia. Talem Maro in Pharmaceutr. vs. 28. vaccae ardorem describit:

—— —— Cum fessa juvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos,
Propter aquae rivum, viridi procumbit in herbâ.

Hinc *tauros* separare à vaccarum & juvencarum consortio in usu. Praecipit id doctissimus Poëta, Georg. III. 212.

Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum.

Ne scil. Venerem appetant: moxque rationem reddit:

Carpit enim vires paulatim uritque videndo
Femina, nec nemorum patitur meminisse, nec herbae.

Nempe illud Nasonis de Remed. II. huc facit:

Non facile est taurum visâ retinere juvencâ.

Quae *taurorum separatio* Antiquis *abarmentatio* dicta est. Caeterùm illud Juvencae desiderium pulchre expressit Theocrit. Eidyll. IV. 12.

Ταὶ δαμάλαι σ' αὐτὸν μυκώμεναι ὧδε ποθεῦντι.

De *taurorum* praeliis ob juvencas vide Virgil. Georg. III. 219. & seqq. Cui adde Praeceptorem Amandi, de Art.

Vidi ego pro niveâ pugnantes conjuge tauros:
Spectatrix animos ipsa juvenca dabat.

Observa duos vulgò *Tauros statuisse* Vett. LXXX, vel LXX. *vaccis*, ut habet M. Varro lib. II. cap. 5. *Numerus* (inquit) *de tauris & vaccis sic habendus, ut in sexaginta unus sit annicukus, alter bimus.* &c. Consentit Plinius VIII. 45. Porrò *tauros* in pretio fuisse Italis itidem ex Varronis Fragm. disce; *eò quod in Graeciâ antiqua tauros vocabant* Ἰταλὸς, *à quorum multitudine, & pulchritudine, & foetu vitulorum Italiam dixerunt:* quale ferè ex Varrone citat A. Gellius N. A. II. 1. hinc rectè Poetis dicitur

—— —— armenti gloria taurus.

OCCURRERE] *Juvencae* lasciviam notat, quae Graecis dicitur δάμαλις, eò quod *domanda sit ad laborem*: unde δαμαλίζω Poeticè usurpatur pro *lascivire*. Quocirca eleganti μεταφορᾷ virguncula *juvencae* vulgò comparatur. Observat id Poetarum acutissimus Carm. I. Od. 36. de puellâ lasciviente;

Omnes in Damalin putres
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis ederis ambitiosior.

Nec non ἀναγογικῶς, Carm. II. Od. 5.

Circa virentes est animus tuae
Campos juvencae. &c.

Quem locum imitatus est ex Anacreon Od. LXI. qui de puellâ nimiùm lasciviente:

Νῦν δὲ λειμῶνας τε βόσκεαι.
Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις.

Quem locum & Heraclides Ponticus de Alleg. Hom. tangens, ait: Καὶ μὴν ὁ Τήϊος Ἀνακρέων, ... σοβαρᾶς γυναικὸς ὑπερηφανίαν ὀνειδίζων, τὸ ἐν αὐτῇ σκιρτῶντα νοῦν ὡς ἵππον ἠλληγόρησε. &c. Tangit etiam in Equi Hieroglyph. Pierius, lib. IV. aliique, Euripidis exemplo. Idemque inter laetitiae ac voluptatis σημεῖα *vitulum* posuit lib. III. Allusit & eò Catullus Gallojamb. de Atti, inquiens:

Veluti juvenca, vitans onus indomita jugi.

Hinc & Galathea Cyclopi dicitur apud Theocrit. Eidyll. XI. 21. Μόσχω γαυροτέρα, *Vitulo lascivior*. Symbolicè itaque, ex Lycophrone Helena Cassandrae comparatur *juvencae* in Epist. Oenon vs. 117.

Graja juvenca venit, quae te, patriamque domumque
Perdet. io, prohibe! Graja juvenca venit.

Imo nec Hebraeis ignota phrasis; quibus *juvenca* dicitur *bima*, & *injugis*. Unde illud Samsonis sertè dictum: εἰ μὴ κατεδαμάσατε ἐν τῇ δαμάλει μου, οὐκ ἂν εὕρετε τὸ πρόβλημά μου: ut optimè vertunt LXXII. Similia è S. S. Litt. huc attulere Viri docti, quae non sunt hujus loci. Rectè ergo ad ingenitam juvencae lasciviam allusit Noster.

3. ET JAM PENE DUAS, DUM QUAERITUR, EXIMIT HORAS,] *Eximit*, ἀναλοῖ temporis. *abstulit, consumsit.* Rarior aliquanto hujus verbi usus hâc notione. Eodem sensu tamen Cicero, *diem dicendo eximere* i. e *consumere, terere.* ita Livius in Hist *eximere diem*. Quod Graeci dicerent ἐξαίρειν, ὑπεξαιρεῖν τὰς χρόνους. Plenior phrasis est *eximere aliquem de numero*, apud Tullium. Sic Auctor Dialog. de Orator. cap. XIX. *Si diem dicendo quis eximeret.* Tacit. Vit. Agricol. cap. III. *Exemtus è mediâ vitâ tot annis*, &c. Phaedr. lib. I. fab. 19. eleganter id extulit per *consumere:*

—— —— Tempus exorans breve;
Hôc quoque consumto, flagitare validiùs Coepit.

Eximere autem propriè est *auferre, tollere* &c. Cato de R. R *Ubi triduum praeterierit, eximito de dolio.* Plaut. Mercat. I. 2. 18. ubi Acanthio servus:

Nunquam, edepol, omnes balneae mihi hanc lassitudinem eximent.

Ita Cicero Philippic V. *Mors eum exemit*: quod expressit Horat. Carm. II. Od. 16.

Abstulit clarum cita mors Achillem.

Justin. Hist. XXX. 4. *Quae res omnem cunctationem Se-*

Senatui exemit. Cui similis ille locus Curtii, VII. II. *Ut liquidior lux apparuit coelo, dubitatio exemta est* i. e. *sublata.* Hinc ergo Columella lib. IX. *perticas exemtiles* vocat, quae à paxillis tolli & auferri possunt.

DUM QUAERITUR] A nobis, dum illam investigamus. Huc pertinet lepidum Ausonii Epigramma, LXVIII.

Unam juvencam pastor fortè amiserat.
Numerumque jussus reddere
Me defuisse conquerebatur: sequi
Quae noluissem caeteras.

De buculâ Myronis aereâ, illo Poëtarum lusu in Antholog. Graec. Confer & Aesopi Apolog. CXXXI. Βουκόλος ἀγέλην ταύρων βόσκων, ἀπώλεσε μόσχον· ἐξελθὼν δὲ πάσας τὰς ἐρήμους, διετέλει ἐρευνῶν· ὡς δὲ οὐδὲν εὑρεῖν ἠδύνατο, εὔξατο τῷ Διΐ, &c. quae priora cum argumento nostro examussim conveniunt. Caeterum difficultatem quaerendi uno absolvit versu Catullus in Epigr.

Sed te quaerere iam Herculei labos est.

Pulchre. fortasse ad *boves* ejus alludens, quos abegerat Cacus: quae fabula notissima in historiam vertitur à Livio, Dionysio, aliis; atque ab Auctore Orig. G. R. cap. VI. *Recarano cuidam, cognomine Herculis*, tribuitur: à quibus, ratione loci, longe recedit Palaephatus de Incredibilib. cap. XXV.

4. NEC TAMEN APPARET] Nusquam se nobis, quamvis sedulo quaerentibus, offert. *Apparere* eo fere sensu occurrit in Maronis Eclog. IX.

——— *Jamque sepulcrum*
Incipit apparere Bianoris.

Ad rem magis Terent. Eun. IV. 3. 18. de Chaereâ fugitivo:

Ille autem bonus vir nusquam apparet.

quemadmodum & de Amore fugitivo suavissimè Moschus Eidyll. I. 2 ubi Venus:

Εἴ τις ἐνὶ τριόδοισι πλανώμενον εἶδεν Ἔρωτα,

& *seqq.* Vide tandem & illud ejusdem Chaereae, Eun. II. 3.

Ubi quaeram? ubi investigem? quem percontrer? quam insistam viam?

Vox TAMEN hîc ἔμφασιν habet. Vide in re pari Catullum Epigr. XLIX. 30.

5. DURIS EGO PERDITA RUSCIS JAM DUDUM NULLIS DUBITAVI CRURA RUBETIS SCINDERE.] *Perdita crura*, i. e. *saucia, vulnerata sentibus.* Ita Cupido de Apiculae morsu, quae rosas carpentem pupugerat:

Ὄλωλα, μᾶτερ, ὄλωλα,
Ὄλωλα, κἀποθνήσκω.
Ὄφις μ' ἔτυψε μικρός.

Vel per ὑπαλλαγὴν, ego *perditus*: i. e. *miser*, qui *operam frustra quaerendo perdidi.* Conjungunt ferè Auctores. Horat. II. Serm. 6. vs. 59.

Perditur haec inter misero lux.

i. e. frustra consumitur. Ita Arbiter Sat. cap. CXXXIV. *qui perdiderim & operam & sudorem.* frequens Comicis locutio: *perditus sum, nullus sum!*

NON DUBITAVI] *Sustinui, non gravatus sum*; vel *à me impetrare potui; ut* &c. Ταυτολογίαν hic versus redolet. Nostratibus diceretur: *ik heb my niet ontzien.*

DURIS RUSCIS] *Aspera rusci vimina* dixit Virgil. Georg. II. 413. & Eclogâ VII. *Horridior rusco. Virgulta enim brevia sunt, acutis foliis & pungentibus*; ut ait Servius. *Ruscum*, inquit Festus, *est amplius paulò herbâ, exilius virgulto fruticibusque, non dissimile junco*: prout rectè observat Index Erythraei Grammaticis *ruscum* dicitur, & *ruscus*: unde Noster in plur. usurpat. Nonius Marcellus *scopam regiam* nominat, *eò quod in sacris scopae inde fierent.* Unde Plin. XXIII. 9. *Castor oxymyrsinem, myrti foliis acutis, ex qua fiunt rure scopae, vocavit.* Hinc Italis, ab acutissimis illis foliis, *Rusco*, & *pungitopi* dicitur; *quòd carnibus circumligatus mures pungendo arceat*: ùt in Re Herbar. observat H. Junius. Graecis est μυρσίνη ἀγρία, *myrtus sylvestris.* DURIS, eodem Epitheto de rubis, Ovid. IV. de Pont.

Mista ferè duris utilis herba rubis.

CRURA RUBETIS SCINDERE] *Rubetum* à *rubus*, quì à *rubore foliorum & fructuum* ita dictus est: ùt volunt Grammatici. Ovid. Metam. I. 105.

Cornaque, & in duris haerentia mora rubetis.

Quod imitatus Mich. Anglicus, Poëta recentior, dixit:

——— *Et in tetricis horrentia mora rubetis.*

Plur. numero extulit more poëtico. Phrasin Nostri variavit Tibull. IV. Eleg. 3.

——— ——— *Latebras intrare ferarum,*
Candidaque hamatis crura notare rubis.

Nec non Propert. IV. Eleg. 4.

Rettulit hirsutis brachia secta rubis.

Simili modo ad Daphnen Phoebus, Metam. I. 507.

Me miserum! ne prona cadas, indignaque laedi
Crura notent sentes.

Pro his Noster non inconcinnè dixit *scindere:* quod Theocritus per τύπτειν protulit, Eidyll. X. 4.

——— ——— Τὸ πόλυ νάκτ@ ἄτεὐιν.

Acutis enim *asperi vaporis rubis:* ut signate Sen. Trag. in Hippolyt. Vide & ejusdem Theocr. Eidyll. IV. 50. ubi Battus pastor queritur *se, vitulam quaerendo, itidem à spinis sauciatum esse:*

——— ——— ——— ——— Ἀ γὰρ ἄκανθα
Ἁρμοῖ μ' ἀδ' ἐπάταξ' ὑπὸ τὸ σφυρόν· ὡς δὲ βαθεῖα

Τοῦ ἀπ' ἀκανθίδος οἷοι; καλᾶς ὦ πόδας ὄλοιο,
Εἰς ταύτας ἰόντα χαραδρώδη.

Monet itaque vf. 56. ne difcalceati incedant paftores in montibus: ἐν γὰρ ὄρει [illegible], &c. Ergo nec *totâ valle* reperienda erat juvenca.

6. Nec quicquam, post tantum sanguinis, egi.] Nihil prorfus, poft tantum laborem, ac tam largam fanguinis effufionem, profeci. Huc facit Aefopi, de vulpe, Rubum arripiente, Apologus: Καὶ ὅτι, τὰς πόδας ἐπὶ τοῖς [illegible]: [illegible] αἱμάξασα, καὶ ἀλγήσασα, ... Quod non inconcinnè vertit G. Faërnus, fab. lxv. ubi illa

Apprendit cafura rubum, qui infeftus acutis
Sentibus incautae pupugit veftigia Vulpis:
Quae, malè multata, & plantas laniata cruentas,
Incufare Rubum prolrifque inceffere coepit. &c.

Similis huic loco elegantia eft in Theocrit. Eid. vii. 109.

——— ——— Κἢν μὲ χροὶ παῖς' ὀνύχεσσι
Ἀ[illegible] κνάσαιο, καὶ ἐν κνίδαισι καθεύδοις.

Nec quicquam egi] Nihil effeci. *Agere* dixit propriè. Ita Phaedrus, ii. fab. 5. in aliâ quamvis re:

Non multùm egifti, & opera nequicquam perit.

& ibid. vf. 3.

——— ——— *Multa agendo nihil agens.*

Varium hujus vocis ufum lepido verfu lib. i. Epigr. 80. (quem locum & tangit L. Valla, Elegant. vi. 51. de verbis *ago* & *fero*) exhibet Martialis:

Semper agis caufas, & res agis, Attale, femper:
Et, non eft quod agas, Attale, femper agis:
Si res & caufae defunt, agis, Attale, mulas.
Attale (ne, quod agas, defit) agas animam.

7. Non satis attendi; neque enim vacat.] *Mens Amantis alibi eft*, neque ad τὰ παρόντα fatis obfervat; alto Amori fuo femper intentus, aliud agit. Publ. Syrus:

Amans, quod cupiat, fcit: quid fapiat, non videt:

Nihil enim, nifi amores fuos, meditatur; ac proinde eft *praefens abfens:* dum (ut argute admodum Comicus Mercat. i. 1.)

——— ——— *Aut noctis, aut diei,*
Aut Solis, aut Lunae miferias narrat fuas.

Vide Theocriti Meffores, Eid. x. Damonem Virgilii Eclog. viii. 17. Plauti Phaedromum, Curcul. i. 1. Charinum in Mercat. v. 1. aliofque fexcentos in Comoediis Vett. qui fub *regno Veneris vapulant*. Hanc ergo animi evagationem in Amantibus, pulchre Phurnutus (de Nat. Deor. cap. xxv.) τὸν περὶ [illegible] vocat.

Neque enim vacat] Non tantum mihi eft otii. *Animus* enim *amantis non eft ubi animal, fed ubi amat*, ut in proverbio eft. Nempe, ut P. Syrus:

Amor otiofae caufa folitudinis.

Hinc rectè Plutarchus in libello, quem infcripfit *Amatorium* five Ἐρωτικὸς, cap. xxix. dixit *Amaturem omnia contemnere, focios, & familiares, ... praeter rem adamatam*. Graphicè has Amoris occupationes defcribit Heliodor. Aethiop. i. Οὕτως ἄρα πᾶν ἀκριβὲς, καὶ ἔρως ἀ[illegible] &c. i. e. *Sic omnino defiderium vehemens & fincerus amor omnia, quae extrinfecus adveniunt molefta aut jucunda, defpicit: in unum verò, quod egregie animo carum eft, intuetur, atque in eo totum animum & omnem curam intendit.* & lib. vi. Amans de fe profitetur: πάντα [illegible]. Amorem ergo lepidè dixit Diogenes (apud Laërtium in hujus Vitâ lib. vi.) σχολαζόντων ἀσχολίαν, h. e. *Vacantium occupationem.* Similia habet Achilles Tatius, Leucipp. i. Οὕτως καὶ ὁ Ἔρως. &c. *Ita cum Amore quoque comparatum eft. Corpore enim vacuo, Amantium, cogitationes nullam praeterea habent cogitandi fpatium, nifi de re amatâ.* Quocirca (ut infinita taceam exempla) in Xenophontis Κυροπαιδ. vi. Amans inquit: Δύο μὲν σαφῶς ἔχω ψυχάς· [illegible] Ἔρωτος. Quid Plutarchus fentiat in Amatorio, hâc de re, vide. Amorem ergo Aegyptiorum myfteria *laqueo* affimulârunt, qui defixos ad unam rem tenet amantes: ut ad Lycophronis Caffandr. vf. 104. citat doctiffimus Meurfius, ex Hori Hieroglyph. i. Παγὶς ἔρωτα, ὡς θήραν, [illegible]. Unum atque alterum Plauti adde locum. Pfeud. i. 1. ubi Pfeudolus ad herum:

PS *Advortite animum.* C. *non adeft.* PS. *at tu cita*
G. *Imo ego tacelo; tu hic ex cerâ cita:*
Nam ifthic meus animus nunc eft. non in pectore.

Et Ciftell. ii. 1.

——— ——— ——— *Nubilam mentem*
Animi habeo: ubi fum, ibi non fum: ubi non fum, ibi eft animus.
Ita mihi omnia ingenia funt. quod lubet, non lubet. &c.

8. Uxor, Iola; Uxor et immodice.] Prae amore nempe, & zelotypiâ. Sic confitetur rufticus apud Bucoliaften Eidyll. x. 2.

Ἀλλ' ἐγὼ ὦ Μίλων, ἔραμαι. &c.

Et

Et Eidyll. VII. 56.

——— ——— Θερμὸς δ' Ἔρως με καταίθει.

Quod Paris breviter Epist. ad Helen. vs. 10.

Uror: habes animi nuntia verba mei.

Quod eleganti comparatione adauget Sappho in Epist. ad Phaon. vs. 9.

Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris, Fertilis accensis messibus ardet ager.

Vide & Epist. Medeae ad Iasonem: *Nec notis ignibus arsi*: &c. Atque ita passim. Sed pulcherrimâ comparatione Theocritus, Eid. II. 133.

——— ——— Ἔρως δ' ἄρα καὶ Λιπαραίω Πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.

Ad quod incendium allusisse videtur, ex decoro, Ovid. Metam. XIII. 868. ubi Cyclops, zelotypiâ laborans:

Uror enim, laesusque exaestuat acriùs ignis:
Cumque suis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo.

Ad Aetnaeos ignes allusit quoque Naso in Epistol. ubi Sappho:

Me calor Aetnaeo non minor igne tenet.

Quam amoris impatientiam ipsa de se profitetur Ode sua, Hymn. in Venerem:

Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,
Παῖ Διὸς, δολοπλόκε, &c seqq.

Et quis non eo lusit argumento? Sed ad Nostri simplicitatem magis facit Anacreon, Od. XXI. qui festivo, ut solet, ingenio puellis ardores, quibus *uduritur*, proponit:

Ὑπὸ κυμάτων δὲ νῆσος
Παρατέμνεται ...
Τὸ δὲ καῦμα τοῦ Ἔρωτος,
Κορίη, τίνι σκεπάσω;

Eâdem simplicitate, (ubi Cupidinis historiam pertexuisset) Philetas de ardore suo, in Longi Pastor. lib. II. ab initio fere: Αὐτὸς δὲ ἤλω νέος, καὶ ἠράσθην Ἀμαρυλλίδος, ... ὅτι οὐκ ἐγεύσω τῆς ... . εἰς παγετὸν ... ὡς ... ET IMMODICE. Corydon, Ecl. II. *Quis enim modus adsit Amori?* ubi rectè Interpres illud citat Terentianum, ex Eunuch. I. 1.

——— *Quae res in se consilium, neque modum Habet ullum.* &c seqq.

Qua de re Amor meritò *improbus* Poëtis dicitur i. e. *modum excedens*. Ad rem certè Naevius in Vett. Poët. Fragm.

Edepol, Cupido, quum pusillus sis, nimis multùm vales,

Ad quae verba allusisse videtur Plautus, Mercat. V. 2.

O Cupido, quantus es! &c.

quam scenam mirificè adornavit. Confer hic elegantissimam Xenophontis comparationem, Cyropaed. V. ab initio fere: Τὸ δὲ πῦρ τοὺς ἁπτομένους καίει· οἱ δὲ καλοὶ καὶ τοὺς ἄπωθεν ... ὥστε ... τῷ ἔρωτι. Sed modus adsit. ET hic intendendi vim habet.

8. LYCIDAN INGRATA RELIQUIT PHYLLIS.] Ἐμφατικῶς, personam commutat (ut solent Amantes) quasi de alio: ne directè dicat: *mea Phyllis*. &c. Ita Eleg. superiori ——— Amans de se ipso:

Rusticus est, fateor, sed non est barbarus Idas.

RELIQUIT.] Vox propria in amoribus. Propert. II. Eleg. 7. de amatore infido.

——— ——— *Qui te prior ipse reliquit.*

Tibull. IV. Eleg. 12. ad amicam:

——— *Hesternâ te nocte reliqui,*
Ardorem cupiens dissimulare meum.

Virgil. de Aeneâ, (Aen IV. 281.) Didonis amori renunciante:

Ardet abire fugâ, dulcesque relinquere terras,

INGRATA] Ovid. Epist. Med. 21.

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas
Hâc fruar: haec de te gaudia sola feram!

Ergo amplius nihil dicere potuit. Auson. Epigramm. CXXXI ex Menandro:

Nil homine terra pejus ingrato creat.

Vel *ingrata*, dixit eo sensu, quo Appulej. Metam. IV. *Psychen* vocat *ingratam virginem*: ad q. l. vide omnino Pricaei expositionem. ut sit ἀπείρατος, ad excusandam puellae levitatem. Prior tamen sensus praevalet. Ita sub Corn. Galli nomine Poëta, Eleg. II.

Imò etiam causas ingrata & perfida fingit. &c.

Nihil enim frequentius Amantibus nisi de Amicarum perfidiâ queri. Propertium vide prae caeteris, de Cynthiâ.

9. AMATQUE NOVUM, POST TOT MEA MUNERA, MOPSUM.] *Novum* id est *novitium amatorem*, Sic de fortunâ instabili. Quae vulgo mulieri comparatur, Petron Sat. CXX.

Quae nova semper amat, & mox possessa relinquit.

Indignationis plena ἀκρίβεια. Ita Poeta Siculus, Eidyll. XIII. de feminarum perfidiâ:

Ἀεὶ γὰρ δὴ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόῳ αἰεί.

Cui similis illa Maximiani sententia, de Lycori:

Jamque alios juvenes, aliosque requirit amores.

Vel *novum*, h. e. ignotum & ignobilem inter pastores. *Novi homines* qui dicti sint Antiquis, vel Ciceronis exemplo satis cognitum; & nihil hic attinet dixisse.

MOPSUM,] Allusit ad illud Maronianum. *Mopso Nisa datur.* &c. Quod proverbii loco obtinuit. q. d. *pulchra deformi, honesta turpissimo*:

 ut

ut Servius ad hunc loc. *Mopsum dicens intelligit infimum abjectissimumque pastorem* inquit in hoc Adagio D. Erasmus, Centur. VI. 73. *In Amatore* enim *tria requiruntur, ut sit formosus, dives, ut bene cantans*: quod observat Philargyrius; cui addi possit, *juvenis*. Nomen fortè tractum à Vate stolido, qui cum Calchante de peritiâ divinandi certavit. Ita videtur Honorato visum. *Mopsus* tamen ille (de quo Amm. Marcellinus XIV., Strabo, IX. V. Flacc. Appollon Rhod. alii, quem cum altero confundunt) nihil hic ad rem. Celebre tamen inter pastores fuisse nomen, ostendit Maro Eclogâ V. 1. Caeterum par ferè locus est apud Theocritum, Eid. XIV. 8. ubi de Cyniscae mutato amore queritur Aeschines: in quam invehitur vs. 36. inquiens:

—— —— Ἐμοὶ κακὸς, ἢ τοι ἀρέσκω;
Ἄλλος τοι γλυκίων ὑποκόλπιος; ἄλλον ἰοῖσα
Θάλπε φίλον. &c.

POST TOT MEA MUNERA] Dona ἐρωτικὰ, quae inferiùs recenset: *Munera* amasiis suis etiam obtulisse pastores, nihil opus est exemplis confirmare; utpote quae Longi τὰ Ποιμενικὰ legentibus satis obvia. Similem infert querelam Nemesian. Eclog. II. ubi Alcon, itidem ab amicâ spretus, non sine stomacho:

Nuper, quae potui, sylvarum praemia misi.
Et post haec, Donace, nostros contemnis amores?

Sic Corydon Virgilianus: *Nec munera curat Alexis.* Cur autem hoc loco *vulnera* maluerit, pro *munera*, doctissimus Vlitius, non video: neque ea vox est simplicitatis rusticae; & majestatem carminis Heroici magis sapit: quale est illud Maronis (de Didone Aen. IV.) *Vulnus alit venis*, &c. Sanè τὸ *ingrata*, quod praecessit, magis ad *munera*, quam *vulnera*, facit.

10. MOBILIOR VENTIS, O FEMINA!] Γνώμη. Frequentissima certè Amantium haec invectiva in mulieres. Vide hîc Amorum Triumviros, omnemque adeo Poetarum Chorum. Propert. II. Eleg. 7. 71.

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes. & seqq.

Quod rectè huc intulit Cl. Barthius: uti & illud Q. Ciceronis in Vett. Fragm.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis.

Neque aliter Praeceptor amandi, Amor. II. Eleg. 16.

Verba puellarum foliis leviora caducis;
Irritaque, ut visum est, ventus & aura ferunt.

Audi & Catullum, Eleg. VI.

—— —— *Mulier cupido quod dicit amanti,*
In vento, & rapidâ scribere oportet aqua.

Ipse Poetarum princeps, Aen. IV.

—— *Varium & mutabile semper Femina!*

Quo allusit & Poëta sub nomine C. Galli:

Femina naturâ varium & mutabile semper:
Et tantum constans in levitate suâ est.

Quem versum ad Petronii Satyr. cap. CX. doctissimus Interpres adnotavit (ubi *Eumolpus*, furore quodam poëtico, *multa in mulierum levitatem coepit jactare*) qui & hunc Calpurnii nostri locum citat: additque Cl. Barthius ex Septimio de B. Troj. VI. *Mobile suapte naturâ mulier.* At sexcentis locis transscribendi essent Poëtae, de feminarum levitate querentes. Rationem dabit in Problematis Aristoteles, nec non omnis ferè Philosophorum familia. Iniquior tamen Graecorum *in mulierum inconstantiam* est censura. Gnomologos adi, quos exscribere non est hujus loci. Menand. in Sentent.

Ὡς ἔστ' ἄπιστον ἡ γυναικεία φύσις.

Cui simile est ille ejusdem Senarius:

Ἐν γὰρ γυναιξὶ πίστιν οὐκ ἔνεστ' ἰδεῖν.

Hinc varias Jovem ex variis animantibus produxisse Mulieres, lepido argumento finxit Simonides in Vett. Fragm. inter quas & *è mari ortam* producit ùt instabilem:

Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης ἐν φρεσὶν γ' ἴδη νοεῖ·
Αὐτὴ φυλὴ δ', ὡς πόντος, ἀλλοίην ἔχει.

Quamvis illam ex Apiculâ natam mirificè collaudat. Quam Simonidis sententiam strictim extulit in Vett. Fragm. item Poëta Graecus. Quae verò Euripidis in feminas fuerit invidia, lepidè exhibuit Aristophanes in Λυσιστράτ. ubi illum Mulieres suppliciter orantem introduxit, ut sibi parcerent, atque ea lege, ne in posterum in illas scriberet, demissum fingit. Caeterum quantùm illas Anthologia exagitaverit, docet illud Palladae Epigramma, lib. I. cap. 19.

Ὀργὴ τοῦ Διός ἐστι γυνὴ, πυρὸς ἀντιδοθεῖσα
Δῶρον ἀνιηρὸν, τοῦ πυρὸς ἀντίδοτον·
Ἄνδρα γὰρ ἐκκαίει ταῖς φροντίσι. & seqq.

Ut & ejusdem Epigr. 2.

Πᾶσαν Ὅμηρος ἔδειξε κακὴν σφαλερήν τε γυναῖκα,
Σώφρονα, καὶ πόρνην. &c.

Quis autem illud Agathii Scholastici ferat?

Πᾶσα γυνὴ χόλος ἐστί· ἔχει δ' ἀγαθὰς δύο ὥρας,
Τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, τὴν μίαν ἐν θανάτῳ.

Cui simile ferè illud, quod Hippolytum magis deceat, quàm Poëtam.

Femina nulla bona est; vel si bona contigit ulla,
Nescio quo casu res mala facta bona est.

Vide & Luciani Ἔρωτας, ubi Prometheum inducit, ex Menandro, dicentem: Ὁ μισῶν οἶμ' ἅπαντας τοὺς θεοὺς γυναῖκας ἔπλασεν, ἔθνος μιαρόν. Inter Historicos duriùs plerumque de iis pronunciat Tacitus variis locis, ut & Livius in Hist. qui (lib. XXXIV. 2.) *mulierem indomitum animi-*

nimal appellare non dubitavit. In earum laudibus multus tamen est Plutarchus in Amatorio, & passim.

Sic tua Phyllis?] Ellipsis; ut verbo malè nominato abstineret, vel ἀποσιώπησις indignationis plena Terent. Adelph. I. 2. supplevit: *Sicine agis?* sic etiam Eunuch. V. 7. Ἐμφατικῶς verò dixit Andr. IV. 2.

Siccine me atque illa operâ tuâ nunc miseros sollicitarier?

Catullus Epigr. XXXIII. eâdem reticentiâ:

Irascer tibi. Sic meos amores!

Quin & in nomine *Phyllidis* (quod tenerrimum inter virgines pastorales locum obtinet) fortè allusit ad τὰ φύλλα, *arborum folia*, quibus nihil levius. Unde Horat. I. Od. 23.

——— *Mobilibus veris inhorruit*
Adventus foliis.

Propert. II. Eleg. 7. in re simili:

Nec folia hyberno tam tremefacta Noto.

Non ergo haec illi comparanda, de quâ Amans apud Virgil. Eclog. III. *Phyllida amo ante alias*: sed talis ferè, qualem inducit in Dialog. Meretric. Lucianus.

11. Quae tibi, (nam memini) si quando solus abesses, &c.] *Nam memini*, amica est παρένθεσις, quam consolandi gratiâ adjunxit. Formula est Amantibus usitata, quae in Heroidum Epistolis saepius occurrit. Epist. Oenon.

Populus est (memini) fluviali consita ripâ, &c.

Et Epist. XXI. ubi Sappho ad Phaonem:

Cantabam, memini, (meminerunt omnia amantes)
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.

Itidem Leander Heroni:

——— *Namque est meminisse voluptas.*

Petron. in Satyrico: *bene si memini.*

Solus] Si modò tu *solus* non interesses, cum quo illi

Dulce fuit semper vivere, dulce mori.

Ita Maronis est, Eclog. I. *Tityrus hinc aberat*: quae vox maximum absentis desiderium infert.

12. Mella etiam sine te jurabat amara videri] Nihil efficacius dici potuit; quam ipsa si dulcedo in amaritudinem vertatur. SINE TE, formula est: ùt multis illustrat doctissimus Interpres ad Appuleji Milef. lib. x. quo loco amans mulier: *Sine te jam vivere nequeo.* Cui simile illud Terentii, Adelph. III. 2. ad mentem Nostri:

Qui sine hâc jurabat se unum nunquam victurum diem.

Ad phrasin hanc accedit quoque Propertius lib. I. Elegiae VIII 32. in quâ de Cynthiâ *Et sine me dulcia regna negat.* Plaut. Mil. Gloriof. *Vivere sine illo me non posse.* Sic Clitophon apud Achillem Tatium, Leucipp. III Οὐδὲ γὰρ ζῶν ἔτι δύναμαι, &c. Sed ipsum vide Pricaeum, qui tunc intactam adhuc aliis hanc loquendi formulam, ait. Sed adde Propertii locum III. Eleg. 13.

Nec veniat sine te nox vigilanda mihi!

Fortasse è nimio desiderio:

——— ——— *an quod amantes*
Non longè a caro corpore abesse volunt?

ùt Catuli in Com. Berenic. MELLA AMARA. Lepide expressit inter se contraria. Ipsa enim Venus est dea,

Quae dulcem curis miscet amaritiem.

prout Catull. in Epigr. Ita & Lucretius lib. IV.

——— ——— *Quod suave est fit amarum.*

Quod Graeci efferrent: τὰ γλυκέα ἴσταται πικρά: unde illorum est γλυκύπικρον. Atque hinc Vet. Poëta, de Amore:

Γλυκερῷ γὰρ πικρίας ἔχει τρόπους.

Elegantissimè itaque dixit Philosoph. Madaurensis Metam. II. *Ex mellis dulcedine fellis amaritudinem contrahere.* Hinc & in Bucolicis *amores* vocavit *amaros* Virgilius, & alii. Ad mentem Nostri Catullus, Epigr. ad Juventium:

At mî ex ambrosiâ mutatum jam fuit illud
Saviolum, tristi tristius hellebero!

Sic Plaut. Cistell. I. I.

Ecastor, Amor & melle & felle est foecundissimus.

13. Altius ista querar.] Ab origine rem expediam: vel ex imo pectore conquerar. *altum* enim habet mensurae nomen. Ita Petronius, cap. CXXXVI.

——— ——— ——— ——— *Alto*
Insonuit gemitu turbatum murmure pectus.

& LXXXI. *Inter tot altissimos gemitus.* Pathetice Propert. I. Eleg. 18. de Cynthiae suae perfidiâ,

Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus,
Quod mihi das flendi, Cynthia principium?

Sic *res* dicitur *altioris indaginis*: *altiùs rem repetere.* & similia.

Si quando vocabis, Iöla.] Rectiùs tamen, *si quando vacabit.* i. e. si pinguius otium nactus fueris; neque, ut jam, occupatior sis. Ita etiam mavult Vlitius. Immutavit quantitatem in τῷ *quando*; quam vs. II. produxerat.

14. Has pete nunc salices, et laevas flecte sub ulmos.] Viam demonstrat, quà forte *juvencam* reperire possit; juxta illud Ennia-

nianum:

Qui comiter erranti praemonstrat viam,
Quasi de suo lumine lumen accendat, facit.

LAEVAS FLECTE SUB ULMOS] ἐκκλινεῖ, ut locum designet. *Flectere* verbum est itinerarium, non modo in circumnavigatione, sed etiam ubi pedibus iter sit faciendum. Sic Cicero lib. v. Epist. ad Attic. *Leucaten flectere molestum videbatur.* Maro, Aen. v. 28. *Flecte viam velis*: ubi videndus est Servius. *In terra*, (inquit) *a via deflectimus nos, in mari ipsam deflectimus viam.* Sic Graeci ἀνακλίζειν, & ἀνακάμπτειν usurpant in re simili; subaudientes τὴν ὁδὸν ἢ τὴν χώραν. Ad dictionem Nostri planè accedit Arbiter cap. CXXVI. *Rogavi ut in platanona duceret. Placuit puellae consilium: itaque collegit altius tunicam, flexitque se in Daphnona, quae ambulationi haerebat.* Tacit. Hist. III. 41. *Cohortes Ariminum praemittit: ipse flexit in Umbriam.* Itaque & elegantem habet usum in re militari. Observant id Caesar de B. Gall. Livius in Historiis, alii. Frontinus, Stratagem. lib. I. cap. 4. de Agesilao: *Flexit iter, quasi Thebas contenderet.* &c. Sed vide quid Ob. Gifanius in Observ. L. L. de hoc verbo. Inde *viarum flexus* ac *reflexus* pro callibus. Cicero Epist. Famil. ad Attic. *Pons, ex quo flexus est ad iter Arpinas.*

LAEVAS SUB ULMOS] *Laevas* omnino legendum, non *laetas*, ut quaedam habent Edd. *laevas* ergo, ad sinistram positas. Nam τοπογραφία est. Itaque post Vett. proprie dixit Erasmus noster in Colloq. *in reditu deflectes ad laevam.* Quo apprime facit Auctor Colloquii Itinerarii VIII. Lingg. ubi Italus eadem phrasi: *Non torcendo, ne a destra, ò a senestra, fin che arriviate ad uno alto olmo: all' hora volgete à man manco:* quod Latine sonat: *Non deflectendo neque ad dextram, neque ad sinistram donec perveneritis ad excelsam quandam ulmum; tum deflectite ad sinistram.* Confer & elegantissimam Barclai Euphorm. Satyram, qui purissima latinitate eadem fere habet. Neque aliter Graeci: Ita enim Theocrit. Eidyll. VII. 130.

Χὼ μ. ἀποκλίνας ἐπ' ἀριστερά.

Caeterum *Arbores* fere viarum notionem ac signa itineris prae se ferunt. Maro Ecl. IX. 9.

——— *Qua se subducere colles*
Incipiunt, levique jugum demittere clivo
Usque ad aquam, & veteris jam fracta cacumina fagi.

Et Eclog. III.

——— *Aut hic ad veteres fagos.*

Naso, Metam. VIII. 623.

Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus
Collibus est Phrygiis. &c.

SUB] cum casu quarto. Virg. Ecl. v.

Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras.

Ubi subauditur, *succedimus*. *Sub, cum locum significat & situm, accusativo jungitur, etiam cum verbo substantivo, vel quietis. Vaporarium est sub tectum cubiculi*; ut observat (ex Vitruvio) Ant. Schottus de Phras. L. L. Quanto magis verbum *stetle*. Vel *sub* hic valet *ad*. vide annotata in Eclog. I.

15 NAM CUM PRATA CALENT ILLIC REQUIESCERE NOSTER TAURUS AMAT.] *calent* simplicius dixit, quam par est. Vult enim designare servidissimum solis aestum, sub meridiem pascua & arva infestantem. Quanto felicius Naso Met. III. de Sole:

——— *Finditque vaporibus arva.*

Et quanto ornatu maximus Poëta? Georg. IV.

——— *Arebant herbae, & cava flumina siccis*
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.

Neque infeliciter expressit Statius Theb. IV.

——— ——— ——— ——— ——— *Solem*
Tollit anhela dies, ubi tardus hiantibus agris
Stat vapor.

Imo & Catulli est:

Quom gravis exustos ureret aestus agros.

Longus in Daphnide & Chloë, lib. I. Ἐξέκαιε δ' ἀγέλας καὶ ὁ ἀὴρ ἔκαιε. Ἦρχε δ' ἤδη τέλος καὶ θέρους ἀρχή. Sed vide, quae notavi Eclog. II. in re pari:

REQUIESCERE AMAT.] Eadem phrasi Maximinianus:

Sub qua decubuit requiescens diligit umbram
Taurus.

Tempus enim meridianum notat, quum (ut Flaccus, III. Od. 29.)

Jam pastor umbras, cum grege languido,
Rivumque fessus quaerit & horridi
Dumeta Sylvani.
Cum sitiunt herbae, & pecori jam gratior umbra est.

Solebant pastores ipsimet greges tempore meridiano sub umbram compellere: ut in monitis Pastoralibus habet Noster, Eclog. v.

At, simul argutae nemus increpuere cicadae,
Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas
Vel campos permitte sequi: sine, protegat illos
Interea veteres quae porrigit esculus umbras

h. e.

Sine, requiescat, jaceat sub umbra.

Imò & ipsum Pana sub arbore requiescentem inducit Theocrit. Eid. I. 15.

——— ——— Τὸ μεσαμβρινὸν οὐ θέμις ἄμμιν
Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες· ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται.

AMAT] solet, gaudet. Quo sensu Graeci φι-

φιλεῖν dicunt. Ad hoc verbum recte Interpretes Quinctilianum Inst. IX. 3. citant cujus verba sunt: *Ex Graeco translata vel Sallustii plurima: quale vulgus amat fieri, vel Horatii*: quo loco Crispi Hist. Fragmenta respicit. Sic etiam & Bell. Jugurth. idem loquitur. At secundi ordinis Scriptores non Ciceronem neque principes Latinitatis, ita loquutos esse volunt. Seneca certe & Plinius uterque ita loqui quandoque solent. Vide Senecae Consol. ad Marciam, cap. XVI. *Graecanicam esse figuram* (ut inquit Fabius) constat. Ab hac tamen phrasi non abhorret Flaccus, qui Carm. II. Od. 3.

Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant.

ad q. l. φιλεῖν, inquit Lambinus. Et sic alibi III. Od. 16 ubi Platonis auctoritatem adducit idem ex Politic. v. Οἷα δὲ ἐν πολέμῳ φιλεῖ, nemp. γίγνεσθαι: quod verbum alibi addit. Plato ut & Dionys. Halic. VIII. Eadem forma etiam Ovidius de Art. lib. I.

More coli medico forma virilis amat.

16. GELIDAQUE JACET SPATIATUS IN UMBRA.] *Gelida* Epitheton rarius hac significatione, & magis nocti conveniens, quam diei, aëri, quam arbori: juxta illud Virgilii, Aen. XI.

Tertia nox gelidam coelo dimoverat umbram.

Imo Mortis est adjunctum. Ovid. Amor. II. Eleg. 9.

Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?

Statius tamen Sylv. I. 3. de Tiburtino Manlii:

Frangunt sic umbrosa solem
Frigora.

Gelida ergo dixisse potest respectu *ardentissimi Solis aestus*, qui *omnes unus exurit lacus*: quo nomine pulcherrima est ἀλῆεζις.

SPATIATUS] recte inducit *Taurum*. *Spatiari* enim est tarde ac per otium incedere, quod proprium bovino generi. Usurpatur & de hominibus. Ovid. de Art. I. 67.

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra.

Quae eadem fere verba habet Propertius lib IV. Eleg. 8. vs. 75. Argute, ut solet, Arbiter, cap. CXXVI. *Quo incessus ille, tuto compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia? .... quum spatiantem vidi, quid cogites: gressu nempe delicato, ac languido gradu* ut Phaedr. v. fab. I. Hinc apte ad *boves* & armenta bucera transfertur. Vide Cadmi *bovem*; Met. III. 15. unde & *tardum pecus* signate dicuntur. Quin & *incessus tarditatem* in cornice hac voce depinxit Poeta artificiosissimus, Georg. I.

Et sola in sicca secum spatiatur arena:

ubi adliteratio ꞩ S mirificam habet ἔμφασιν. Cui proxime accedit Naso Met. II. 575. de eadem:

——— ——— *Cum per littora lentis*
Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena.

Quocirca minus probo, quod viri docti velint, *spatiari* proprie esse *in stadio decurrere*, ab Aeolico σπάδιον pro στάδιον: quamvis huc forte allusit Pedo Albinovanus de Obit. Mecaen in Vett. Catalect.

——— *Tersisset habenas* ——— *Respatiantis equi*:

ubi *respicientis* vulgo legitur.

17. ET MATUTINAS REVOCAT PALEARIBUS HERBAS.] A pectore ruminat, & quasi recoquit. Qualis ille Pasiphaes *taurus*, Eclog. VI. 53.

Ilice sub nigra pallentes revocat herbas.

Ad q. l. Servius; *revocat est quasi revomit, & denuo consumit*. Quod non inepte protulit Ovidius.

Atque iterum pasto pascitur ille cibo.

Ruminatio enim *dicta est a ruma eminente gutturis parte; per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus*: ut apposite docet Honoratus Grammaticorum non infimus. Aliter aliquanto Nonius Marcell. de Propric. Serm. cap. I. *Rumen dicitur locus in ventre, quo cibus sumitur & unde redditur: unde & ruminare dicitur*. Et *partem colli esse, quo cibus* devoratur docet Isidor. lib. IX. I. Hinc *rumare* Vett. dixisse pro *ruminare*, auctor est Festus, & Paulus Diaconus, ejus Interpres. Vide & Cl. Vossii Etymologic. L. L. qui eadem cum habeat, a Nonio tamen recte dissensit. Caeterum *animalibus, quibus dentes utrimque non sunt, non est ruminatio*, observante Plinio, XI. 37. *Rumigo* dixit Appulej. VI. *pro rumino* quod usitatius: Graecis est ἀνγυνάζω à μηρύω, *revolvo: quia animalia, dum ruminant cibum ingestum quasi revolvunt*, docente Chr. Becm. Orig. L. L. ubi Aristotelis de Histor. Animal cap. LXXX. aliorumque auctoritatem adducit. *Revocat* ergo Calpurnius eleganti dixit μεταφορᾷ. MATUTINAS, i. e. rore matutino resperias. *Mane* autem in pascua educere gregem solitos fuisse, liquet ex Virg. Georg. III. 324.

Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Unde & constat *mane* esse substantivum. Observant id omnes, quotquot de *re pecuaria* scripsere, Longus in Chloë, lib. II. alii. Neque neglexit Noster in Myconis Eclog. ubi inter alia monet:

——— *Sed ante diem pecus exeat: humida dulces*
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris

Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinae lucent in gramine guttae.

Cui conferas Maronis Culicem, de Pastore, &c. Hinc ingeniose Seneca, in Herc. Furent, ex Sophocle, inter *signa matutini temporis* quoque recenset, vs. 139.

Pastor gelidâ canâ pruinâ
Grege dimisso pabula carpit. & seqq.

PALEARIA] Propriè *boum* sunt. Noti sunt versus Georg. III. 83. de optimae bovis notâ:

Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Palearia autem *à similitudine paleae* (quae est cartilago pendula in collo Galli gallinacei) ut Varroni placet: quae vox à παλλάξ, vel πάλλειν (quod *vibrare* & *movere* significat) rectè derivari videtur. Cui consentit in Etymologico magnus Vossius, quem vide. Usus est Columella de R. R. qui num. sing. dixit *palear:* rarius tamen eâ notione occurrit. Vide & C. Becm. Orig. L. L. in hâc voce.

33. NON EQUIDEM, LYCIDA, QUAMVIS CONTEMTUS ABIBO] *Quamvis contemtus.* &c. Sensus aliquantò abstrusior. E conjecturâ emendat itaque Vlitius: fortè, inquit, *contentus*, apertissimo nempe candore in demonstrando mihi locum. Addubito tamen, num id voluerit Calpurnius. Τὸ CONTENTUS enim hic absolutè ponitur; cùm ferè gaudeat vel constructione sexti casus post se, vel verbo Infinitivi modi, ùt loquuntur. Quomodo dixit Quinctilianus, in Declamat. *Contentus sum hoc fecisse:* & Ovid. Met. v. de Arachne:

——— ——— *Artes didicisse paternas*
Non contenta fuit.

Quid? si *contentus* hic sit participium à *contineor*, pro *intentus*, *occupatus*. ut ἐπιτεταμένως dixit Naso Metam. VI vs. 287. de arcu:

——— ——— *Sonuit cōtento nervus ab arcu.*

Ut significet se amico operam daturum, quamvis sit *intentus* quaerendo. Sed neque id satis ad rem. Defendi ergo τὸ *contemtus* possit, eò sensu: *partes tuas amantis non deseram, quamvis Orator à Phyllide contemtus fuero, neque illa deriserit.* At forte omnis tolletur remora, si ita versus refingatur:

Non equidem, Lycida, quum sis contemtus, abibo.

Id est, *partibus tuis non detro, sed amicum adjutabo, licet à Phyllide tantoperè spretus sis.* Similis locus est in Plauti Pseudol. I. 1.

Ego te amantem, ne pave, non deseram.

Non abibo, i. e. non discedam abs te, quamquam juvencae investigandae nunc maximè dare operam cogar; sed consolandi gratiâ remanebo. quem sensum & sequentia eliciunt. Terent. Adelph. III. 5. vs. 51.

Quapropter enitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quàm illas deseram.

Rectè itaque Menander:

Μὴ φεῦγ' ἑταῖρον ἐν κακοῖσι κείμενον.

nec non Idem:

Ἐν τοῖς κακοῖς γὰρ τοὺς φίλους εὐεργέτει.

At, juxta Theognidis Sententiam,

——— Πολλοί τοι γίνονται ἐν ἄνδρασιν ἑταῖροι
Πιστοὶ ἐν χαλεπῷ πράγματι γινόμενοι.

Amanti opem ferre apud Comicos frequens est, ut inferiùs dicam.

19. TITYRE, QUAS DIXIT, SALICES PETE LAEVUS,] Locus videtur ex Marone desumtus, Eclog. IX. 23. ubi simili more Lycidas partes suas tradit:

Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas;
Et potum pastas age Tityre. &c.

Quin & hoc ex Theocrito, Eidyll. III. ubi ad Amaryllidem vadens Caprarius:

Τίτυρ', ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλημένε, βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κρήναν ἄγε, Τίτυρε.

Sed jam observârunt Viri docti. Neque temere *Tityri* nomen adhibuit. Vulgò enim Pastorum famulos hoc nomine dictos fuisse, ad Longum adnotavit doctiss. Interpres: eosque nomen à τιτύσκομαι (*fervo*) eò *quod pecus servarent*, habuisse: quamvis aliud Τίτυρον statuerit Aelian. V. H. III. 40. aliud iterum Athenaeus Deiphnosoph. IV. a calamo seu musico Instrumento, quod Τίτυρον ἐκάλουν οἱ ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῖς. Ad priorem certe allusit derivationem Poëta princeps, Ecl. V. 12.

Incipe: pascentes servabit Tityrus haedos.

Sanè Longus in Daphnid. II. ùt pastoris filium ac famulum inducit: Καὶ τὸν παῖδα ὁ νεώτατος αὐτοῦ Τίτυρος, πυῤῥὸν παιδίον καὶ γλαυκὸν, λευκὸν παιδίον. &c. Familiare itaque ac celebre pastoribus nomen.

LAEVUS] Sic omnino legendum, non LAETUS, ùt in quibusdam est Edd. dixerat enim Iölas: *Et laevas flecte sub ulmos.* vide vs. 14.

20. ET ILLINC, SI TAMEN INVENIES, DEPRENSAM VERBERE MULTO HUC AGE.] Similiter Venus apud Moschum, Eidyll. I. 24. & seqq. petit, ut Cupidinem fugitivum (si fortè invenirent) vinctum ad se perducant:

Ἢν τύ γ' ἕλῃς τῆνον δήσας ἄγε, μηδ' ἐλεήσῃς
Κἢν ποτ' ἴδῃς κλαίοντα, φυλάσσεο, μή σε πλανήσῃ.
Κἢν γελάῃ, τὺ νιν ἕλκε.

Pari certe modò Cupidines suos jubet Venus, ut

ut ad se protrahant Aprum illum, qui Adonin percusserat (de quo elegantissimum Bionis Syracusii est Eidyllium) in lepidissimo illo Theocriti Eidyll. xxx. à nonnullis Anacreonti adscripto:

Στυγνὸς τὸν ὗν ἀνεῖργεν,
Δῆσαί τε, καὶ πεδῆσαι·
Χὼ μὲν βρόχῳ καθάψας
Ἔσυρεν αἰχμάλωτον·
Ὁ δ' ἐξόπισθ' ἐλαύνων
Ἔτυπτε τοῖσι τόξοις. &c.

20. Si tamen invenies] Difficultatem investigandi ostendit quam vs. 2. jam significaverat. Eandem conditionem infert Venus apud Moschum loc. cit. in Cupid. Fugitiv. *Ἤν τύ γ' ἕλῃς τῆνον*, i. e. *Si illum ceperis*, &c. Sed juxta Hesiod. Ἔργ. καὶ Ἡμερ. I. vs. 346.

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Quod, ad sensum, carmine epico vertit N. Valla:

——— ——— Neque enim lamenta refundes
Amisisse bovem, proba si vicinia tecum est.

Vide & Aphthonii Sophistae Apologum de Caprâ aberrante: *Αἶγα ἀποσπασθεῖσαν ἀγέλης ἐπανάγειν αἰπόλος ἐπειρᾶτο πρὸς τὰς λοιπάς.* & seqq.

21. Sed fractum referas hastile, memento] Haec ait, Tityro pedum pastorale tradens ut rectè h. l. Cl. Barthius. *Hastile* propriè *est lignum illud, cui ferrum praefixum est.* vel (ut in Etymologico Cl. Vossius) *scapus, seu lignum lanceae. Hasta* (inquit Isidor. Orig. xviii. 7.) *est contus cum ferro, cujus diminutivum facit hastile.* Virg. Aen. v.

——— Bina ferunt praefixo hastilia ferro.

Ad bellicos usus transferunt quandoque Auctores; ùt & ad ferarum venatus Gratius in Cyneget. lib.

Disce agedum & validis delectum hastilibus.

Rarius usurpant num. sing. Poëtae Vett. Ovid. tamen Metam. vii. 677. ubi Phocus ad Cephalum:

Qua tamen è sylvâ teneas hastile recisum
Jam dudum dubito, &c.

Juniores plus semel. Ita Bapt. Mantuanus:

——— ——— Et amarus aheno Verberat hastili:

aheno id est aere praefixo. Hoc loco, ùt dixi, *pedum* notat *pastorale*, & pro ligno ipso ponitur: quod Graecis est *ἀκόντιον ξύλον*; vel *manubrium de ligno*: ùt in Appendice Fabb. Phaedr. adjectarum dicitur. Observa, Antiquis *Astam* dictam fuisse *hastam*; eò *quod astaret semper militi, & tanquam comes soleret circumferri*: ut Varroni de L. L. lib. iv. placet, vel *quòd stans solet ferri*; ùt idem ait. Quae definitio hic magis quadrat: unde & *pastoribus* rectè tribui potest vice *pedi*, utpote quod iis assiduè *adstet*. Hinc Ovidio, Trist. iii. Eleg. 1. dicitur *baculum:*

Fessus ubi incubuit baculo, saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.

Neque aliter usurpat Cicer. pro Rabir. de Q. Scaevolà: qui *senectute confectus hastili* (i. e. baculo vel scipioni) *innitebatur.*

Fractum] Etiamsi lignum in ejus tergo, si procedere nolit, confregeris. Tibull. 1. Eleg. 1.

Et stimulo tardos increpuisse boves.

Solet enim pecus, nimium lasciviens, seu tardum, verberibus corrigi. Vide crebra ejus exempla in Appuleji Asino, & alibi apud Longum in Pastoralibus. Eâdem phrasi etiam Ennius, Annal. xv. quamvis in re bellicâ:

Semper abundantes hastas frangitque, quatitque.

22. Nunc age dic, Lycida, quae vos tam magna tulerunt Jurgia?] Convertit se ad Lycidam. *Tityrus* ergo hic *κωφὸν πρόσωπον*, uti & in exemplis superius allatis. *Nunc age*, accingentis se formula est. *Nunc, age, qui reges, Erato.* &c. Aen. vii. Imitatus est (ùt passim Poëtae) Statius Theb. vii. 627.

Nunc age, Pieriae, . . . vestramque referte Aoniam.

ubi hujus verbi constructio, cum plurali, notanda; cujus *συντάξεως* exempla plurima collegit J. Weitzius ad Val. Flacci Argon. iii. 310. ex Statio praesertim, qui sic loqui amat. Fallitur ergo Valla Elegant. ii. 16. ita scribens: *Age singularem numerum desiderat; Agite pluralem: Agedum vero non sing. modo sed & pluralem.* Cl. potiùs audiatur Vossius de Analog. iv. 17. inquirens contra Priscianum: *Age, tum demum videtur induere adverbii naturam, cum plurali verbo sociatur.* Atque tunc *hortantis est potiùs particula, quam imperativi modi verbum.* Vim ejus expressit Ennius in Ilione: *Age, asta, mane, audi, itera*, &c. Sed Comicos, & Terentium variis vide locis. Ad dictionem Nostri accedit magis Catullus, Carm. lxiv. qui ad januam:

Dic, agedum, nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem!

Quem locum ad Propertii Eleg. 9. lib. iv. citat elegantissimus Broukhusius.

Tam magna tulerunt Jurgia] Purior Aetas dixisset *tanta jurgia.* Quin ipse Ennius in Fragment. ante purissimos Scriptores:

Nemo est tam firmo ingenio, aut tantâ confidentiâ.

Sed cum Nostro loquitur Appulejus, Misc. 1. *Qui tam magnis pretiis pisces frivolos indicatis.* Atque ita hic Auctor saepiusculè. Neque aliter

 Fron-

Frontinus Stratagem. I. 2. §. 3. *Cum animadvertissent Carthaginenses, Alexandri ita magnas opes, ut Aphricae quoque immineret.* Imo quoque Arbiter cap. LXXV. sed ex persona stolidi illius Trimalchionis: *Tam magnas ex Asia veni, quam hic candelabrus est:* ubi in voce *candelabrus* manifesta in stilo apparet ἡ Ἀρχαϊσμοῦ affectatio cum Vett. ita dixisse (non *candelabrum*) ex Nonio Marcello ad h. l. notat Illustr. N. Heinsius. Sed nec ipse abhorret Romanus Callimachus, III. Eleg. 2. vs. 5.

Parvaque tam magnis admôram fontibus ora.

Quin & Horat. ita locutus est Serm. II. 3. vs. 317. de Ranâ Bovis magnitudini invidente: sed non citra judicium, quo & Phaedrus fab. XXIV. lib. I. allusit. *Tum multus*; pro *tot*, huic Poëtae frequens est. Vide lib. II. Eleg. 5. vs. 6. & ibid. Eleg 7. vs. 37. atque alibi. Sic contra *tanta* usurpavit Aetas sequior ac serior pro *tam multa*: ita Lamprid. Heliogab. cap. XX. *Barbas sane multorum tantas jubebat exhiberi.* &c. ubi notat Casaubonus, *tantas, pro tot numero, vel tantâ copiâ* &c. sic *tanta mira*, pro *tam mira* apud Plaut. Amphitr. V. 1. 5. & Casin. III. 5. 4. *tam magis* pro *tanto magis* apud Lucret. V 458. Sed Tursellinum vide de hâc Particulâ. & Vallam, Elegant. I. 16. qui ipsum Ciceronem in Orat. *tam multis judiciis*, pro *tot* dixisse probat. Neque sine judicio, ut arbitror; cum *tam multus* ἐνέργειαν quandoque habet, ac gravitatem rei prae se fert. Hac ratione ergo & Noster dixit *tam magna jurgia.* i. e. *tam gravia.*

TULERUNT] Abstulerunt, amores vestros distraxerunt. simplex pro composito. Ita & pro *disturbare*, usurpat Maro, Aen. I. 63. de Ventis:

—— Maria, ac terras, coelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Ubi Servius: *auferant; est & Aphaeresis.* Eadem figura in Daphnid. Apotheos. vs. 34. *Postquam te fata tulerunt.* Et Eclog. IX. *Omnia fert aetas, animum quoque.* Atque ita Poëtarum princeps persaepe. Sic *quo me fata ferant*, (i. e. *abripiant*) nota phrasis est. Senec. Trag. ubi Hercules Fur. act. IV. 968.

—— Saxa cum sylvis feram,
Rapiamque dextra plena Centauris juga.

Ubi observa similiter simplex pro composito. Neque abhorrent Historici. Curtius, IX. 4. *Omnis multitudo & maximè militaris, mobili impetu fertur.* id est, variis *distrahitur* studiis: quod egregia comparatione freti procellosi illustravit, lib. X. cap. 7. *Ferre* itaque est vox πολύσημος, de qua consulendi Lexicographi. Hic tamen non inepte pro *differre* usurpatur: quod *Verbum*, inter caeteras notiones, *proprie est dissipo, divido* (ut Cl. Vossius in Etymologico) *unde Maro ait Aquilonem differre nubes, & Horatius, Eurum differre fractos remos.* &c. Consentit Chr. Becm. Orig. L. L. *differo*, inquit, *proprie est dissipo, scindo & divido.* Ubi Plauti in Curcul. IV. 4. (*te formicae frustillatim differant*) & Gellii XV. 3 nec non Ciceronis in Orator. (de verbo *Auferendi*) auctoritatem adducit. At nostri Poëtae sententiam magis proprie expressit Propert. II. Eleg. 24. de secubitu in festo Isidis:

Quae dea tam cupidos toties divisit amantes?
Quaecunque illa fuit semper amara fuit!

23. JURGIA] propria sunt Amantium. Observat Terentius plus semel. Sic Eunuch. IV. 1. *Miles tendere: inde ad jurgium.* de Thaïde in Thrasonis convivio. Ovid. Amor. II. Eleg. 9. de amicâ:

Et modo blanditias dicat, modò jurgia nectat:
Saepe fruar domina, saepe repulsus eam.

Sed vide inferius.

23. QUIS VESTRO DEUS INTERVENIT AMORI?] Simpliciter explicari possit: *Quis casus infelicior (vel, quae scaeva fortuna) prae invidiâ amores vestros clanculum subvertit?* Sic *Casus* & *Deus* Ciceroni vulgo conjungitur. Vide celeberrimum illum Rhetorem in aureis de Deorum Naturâ libb. & de Finib. Bonor. & quae superius adnotavi ad Eclog. II. vs. 52. Imo *Casum* absolutè dixit lib. XI. Epist. Matius ad Ciceronem: *Quod reliquum est vitae in otio Rhodi degam. Sin Casus aliquis interpellârit, ita ero Romae, ut recte semper fieri cupiam.* Atque ita passim in Epist. Famil. Hinc Poëtarum maximus apertissimè utrumque conjungit, Aeneid. IX. 211. ubi Nisus ad Euryalum:

Si quis in adversum rapiat Casus-ve, Deus-ve,
Te superesse velim.

quod vs. 214. explicat: *aut si qua id fortuna vetabit*, &c. Vides, *Casum* & *Fortunam*, & *Deum* Gentilibus esse συνώνυμα, & idem significare. Quare Ovid. Amor. II. Eleg 12. non ineptè dixit:

Nec casum fortuna meis immiscuit actis.

Proprietatem itaque harum vocum assequutus est vir doctissimus Chr. Becm. Manuduct. ad L. L. cap. X. *Fortuna* (inquit) *vulgo nominatur, quod occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus Casum vocamus, nisi cujus ratio & causa secreta est.* Verum tamen non male explicat hic Cl. Barthius τὸ DEUS per *scaevum* vel *infestum aliquod Numen*, quem Daemona vel *maledeum* vocat ex Senecae Thyeste, act. I. scen. I. ubi umbra Tantali:

Quis

Quis male-deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum. &c.

Quae vox Celeberrimo Interpreti videtur suspecta: ac Graecis ὁ κακοδαίμων planè est *male-deus*: quemadmodum & Galli suo idiomate efferrent *Male-deos*, *les Dieux meaudits*. Alioqui δαίμων & θεὸς Homero idem notat, Sic Iliad. xvii.

Ὁπποτ' ἀνὴρ ἐθέλῃ πρὸς δαίμονα φωτὶ μαχέσθαι,
Ὅν κε θεὸς τιμᾷ.

Sed Graecus jam observavit Lexicographus, in voce Δαίμων. Ita *malae fortunae auctor est*: sic contra κακοδαίμων εὐδαίμων idem est cum ἀγαθῇ τυχῇ, i. e. *conciliator bonae ac felicis fortunae*. Neque aliter apparet in Sophocl. Ajac. Flagellif. vs. 1127. ubi θεῶν τις & τύχη, id est, *aliquis deorum & mala fortuna conjungitur*. Hac igitur forma dixit etiam Catullus, Carm. xxxv.

Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam.

Itidem & Papinius Statius, Theb. xii.

——— *Extremas sed quis deus egit in iras?*

Magis ad rem nostram facit Euripid. Phoeniss. vs. 805. ubi Chorus:

Ἦ δεινά τις Ἔρις θεὸς, ἃ τάδε
Μήσατο πήματα.

hoc est.

Certè atrox quaedam est dea Discordia, quae haec
Excogitavit mala.

Deum enim more Graecorum communis *gen. dixere Antiqui*. notum hoc vel ex Licinio Calvo in Fragm. Ita & *Alecto* Furiarum maxima ac discordiae auctor inter Aeneadas & Thuscos pastores, *Deus* Maroni dicitur Aen. vii. 498. ubi Servii multò potior explicatio est quam Donati: Apprime tamen huc faciunt elegantes illi Propertii versus de Cynthiâ, lib. i. Eleg. 12. (de quibus in tempore me submonuit Vir omnis politioris Literaturae scientissimus R. Ouwenius) qui mirè hîc quadrant, ubi de invidiae fascino conqueritur;

Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili possit amare fide.
Invidiae fuimus. num me Deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba jugis?

Ubi τὸ *Deus* videtur referendum ad Nemesin. Haec certè felices nimium amantes, nescio qua invidia, vulgo dividere ac disturbare credebatur; vel superbientes ob res prosperas ac nimium sibi placentes ulcisci. Eo nomine insinuat Senec. Tragic. Herc. Fur. act. ii. vs. 385.

Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

Quin & illam amoribus se immiscuisse docet Narcissi apud Ovidium fabula, Metam. iii. 406. & seqq. nec non in Anaxaretes fab. Met. xiv. 750. apud eundem: quo loco diserte Nasoni etiam *Deus* vocatur:

——— *Utraeque sonus plangoris ad aures*
Venit Anaxaretes, quam jam Deus ultor agebat.
&c.

Ubi interpres: ποίνιμ⊕ θεὸς Ἐριννύς, *vel Nemesis potius*. *Deam* vero (& in re alia) Catullus Carm. li. vocat:

Ne poenas Nemesis reposcat à te!
Est vehemens dea: laedere hanc caveto.

Eodem tamen recidit. Graecis certe Nemesis est Θεός. Vide (quod citat Nat. Comes Myth. lib. ix. cap 19) Antimachi Poëtae Epigramma:

Ἔστι δέ τις Νέμεσις θεὸς· & seqq.

Imò & in carmine Theaeteti, (apud eundem) dicitur

Δαίμων, ὑπερφιάλοις ἀντίπαλος μεγάλων.

Verum de *Nemesi* huc plura congerere ex Ammiano Marcellino, Macrobio, aliis, ut minus ad rem amatoriam facientia, non attinet. Unum illud adjecero *Veneris habitu illam primò fuisse efformatam*, fortè eo quod & Amantium res curiose speculari crederetur. Caeterùm ejus simulacro *mensuram* simul & *fraenum* manibus gestanti hos subscriptos fuisse versus testantur Pierius Hieroglyph. lib. xxxvi. V. Chartarius in Deor. Imag. aliique:

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχει, τῷ τε χαλινῷ
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Quae *duo praecepta in amore praesertim locum habere* Plutarchus in Amator. aliique rei Ethicae Magistri docebunt.

INTERVENIT AMORI] Legit hîc Robertus Titius:

——— *Quis vestro dolus intervenit amori?*

Sed quis *dolus* in Casu simplici esse potuit, ùt ex sequentibus patebit? nisi fortè ad fascinum atque invidiae effectus in Mopso, easque artes, quibus clam surrepserat Phyllidi, alluserit Vir doctus: juxta illud Maronianum: *Dolus, an virtus quis in hoste requirat? Dolus* enim Antiquis duplicis erat significationis. ut Festo, nec non Gellio xii. 9. aliisque placet. Aliam praeterea exhibet Lectionem cultissimus Vlitius:

——— *Quis vestrum deus intervertit amorem?*

Quae lectio, quamvis emphatica, magis tamen JCtorum propria videtur. Eo enim sensu *publica intervertere vectigalia*, & *rem depositam dolo intervertere*, phrases sunt Juridicae: notant enim dolo malo sibi vindicare, & callidè surripere. Quà notione Cicero Philipp. II. de M. Antonio: *Promissum & receptum intervertis, ad seque transtulit*. Ita Plaut. Asin. ii. 2. 92.

Unde sumam? aut quem intervertam argento?

Sueton. Vitell. cap. vii. *Formicarum publica vecti-*

ftigalia interverterat. Petron. Sat. cvii. *Si, mehercules, intervertissent pecuniam vestram,* &c. *Intervertere* enim est in usus suos vertere. Legendum itaque

——— Quis vestro Deus intervenit amori?

Quae vox propriè significat, *in medio quodam negotio quasi ex improviso supervenire.* Sensu etiam bono: Afranius in Vett. Fragm.

Vellem intervenissem ante: nam (ut signa indicant)
Hi conjecere verba inter se acriùs.

Sic Terent. Hecyr. iii. 2. 15.

Omnem rem narrabit, scio, continuò sola soli,
Quae inter nos intervenerit, unde ortum est initium irae.

Et in ejusdem Comoediae Prologo:

——— Novum intervenit vitium & calamitas.

Confer Heautontim. act. iii. scen. 3. Hinc Naso Metam. vii. 454. quasi γνώμην intulit:

——— ——— Usque adeo nulla est sincera voluptas;
Sollicitumque aliquid laetis intervenit.

Quo sensu & Plaut. Amphitr. iii. 3. 58. de Amantibus:

Capiunt voluptates: capiunt rursum miserias.
Irae interveniunt; redeunt rursum in gratiam.

Rectè ergo *Deum* quendam adhibet, *ut tanta mutatio non sine deo videretur*: velut, ex Sallustio, Servius ad Aeneid. ii. 632. adnotat.

24 Phyllide contentus (solus tu testis, Iöla) Calliroen sprevi.) Tenerrima Amantis obtestatio, non sine emphasi. Ita Menalcas Virgilianus, Eclog. iii. vs. 78.

Phyllida amo ante alias.

Ubi crebra vocalium quasi adglutinatio miram habet gratiam, ad denotandam amoris copulam.

Contentus] Non aliter Propert. ad Cynthiam lib. ii. Eleg 23.

Unâ contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.

Monet id diserte Phocyllides in Sentent. ut *Una contentus* vivas:

Μηδὲ γάμῳ γάμον ἄλλον ἄγῃς, ἐπὶ πήμασι πῆμα.

Malo itaque exemplo Praeceptor amandi *duas se uno tempore amare* testatur, Amor. lib. ii. Eleg. 10.

Ecce duas uno tempore solus amo.

Cui confer ejusdem Poetae Eleg. 4. lib. ii. ubi de Amoribus suis.

Centum sunt causae cur ego semper amem.
Sive aliqua est oculos in me dejecta modestos
Uror; & *seqq.* ad finem usque.

Neque aliud de se testatur Anacreon, Od. xxxii. ubi amicarum refert catalogum:

Πρῶτον μὲν ἐξ Ἀθηνῶν
Ἔρωτας εἴκοσι θὲς,
Καὶ πεντεκαίδεκ' ἄλλους·
Ἔπειτα δ' ἐν Κορίνθῳ
Θὲς ὁρμαθοὺς ἐρώτων. &c.

Sed facessant vagi hi amores. Rectiùs sane Propertius lib. i. Eleg. 12.

——— Neque ab hac discedere fas est?
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Quomodo & Poëta Vet. in Catalect. ubi Amans:

Julia sola potes nostras extinguere flammas.

Quin & alias sprevisse se amicas vulgo jactant Amantes Comici. Contra quàm Thaïs illa, Eun. i. 2. de quâ Parmeno:

——— ——— Neque tu uno eras contenta.

Solus tu testis] Purissimae simplicitatis indicium, atque intimae familiaritatis nota. Solent ferè Amantes amorum suorum conscium habere quempiam ex amicis, quicum, si quid aegre sit animo, communicant. Exempla in Comicis passim reperias. Vide Clitiphonem apud Terent. Heautont. i. scen. 2. 3. cum Cliniâ conferentem; Aeschinum Ctesiphoni consilia & auxilium ferentem in Adelph. 2. scen. 3, 4. Quin & Servos frequenter in consilium adhibent. Vide, prae caeteris, Plauti Pseudol. i. i. ubi adolescens amans:

C. *Misere miser sum, Pseudole.* PS. *Id te Jupiter*
Prohibessit. C. *Nihil hoc Jovis ad judicium attinet.*
Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.
PS. *Licet ne, me id scire quid sit?* & seqq.

Vide & Epidicum, aliasque Plautinas fabb. Ad mentem Nostri magis accedit Propertius. (qui & ipse Lygdamum fere testem adhibere solebat) lib. i. Eleg. 10. ubi Gallum alloquitur:

O jucunda quies, primo quum testis amori
Affueram vestris conscius in lacrymis!
Quum te complexâ morientem, Galle, puella
Vidimus in longam ducere verba moram.

25. Calliroen sprevi] Virginem designat & speciosam, & divitem. Sane poëtice dixit *Calliroë*, cum aspiratione enim scribendum esset; Nam Graecum est Καλλιῤῥόη. Nomen est fictitium (à ῥέω, fluo) quasi *pulchre-fluent.* Scribunt interea Poëtae Graeci, ob legem Metricam, eâdem orthographia ùt Noster. Hesiod. Theog. 288.

——— Καλλιρόῃ, κούρῃ κλυτοῦ Ὠκεανοῖο.

Nomen illud crebro reperias in Auctoribus, qui illam κατ' ἀρχαίους, omnes fluminis cujusdam, aut Oceani filiam faciunt. Apollodor. Biblioth. iii.

de

de rege Troë: καὶ γήμας Καλλιῤῥόην τὴν Σκαμάνδρου, θυγατέρα τῆς Κλεοπάτρας. & lib. II. Ταύτην κατοικεῖ Γηρυόνης Χρυσαόρος καὶ Καλλιῤῥόης, τῆς Ὠκεανοῦ. Ita etiam apud Homerum, ad Ulyssis preces, Calhrrhoe fl. sedatur, Odyss. v. Statius Theb. XII. 629. eàdem orthographià,

Et quos Callireë novies errantibus undis
Implicat.

Ubi Interpres: *fons regionis Atticae novem capitibus means, unde ἐννεάκρουνος Graecis dicitur:* de quo videndus Thucydides lib. II. &, ex eo, Suidas: quamvis in Fontium nominibus praetermifit Vibius Sequester, in suo de Flum. &c. libello, quem tamen, ut poëtae melius intelligerentur, scripsit ad Virgilianum fil. Plurimi ergo ejus nominis fontes, inter quos celeberrimae fere aquae calidae apud Calliroëm prope Hierichuntem; de quibus videndus Josephus Antiq. Judaic. XVII. 8. Sed respicere potuit Noster ad *Callirrhoën*, Phoci, cujusdam Boeotii filiam, corporis formâ ac pudicitiâ insignem, cujus conjugium XXX. juvenes expetierunt; cujusque historiam Plutarchus in Amator. cap. IV. fuse denarrat. *Callirrhoes* praeterea nomen reperias & in rebus amatoriis apud Lucian. in Dialog. Meretric. & alibi.

25. QUAMVIS CUM DOTE ROGARET] Dotem etiam quandoque obtulisse Virgines nupturas apud Antiquos notum. quo allusit Maro, Georg. I. 31. respectu Augusti Caes.

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

ad quem loc. de triplici Nuptiarum ritu & pactione, ex JCtis, agunt Interpretes: *Usu* nempe, *Confarreatione & Emptione.* Ad rem magis facit nostram, Pastores ad elocandas filias dotem quoque obtulisse Sponso: Unde suavissimus Longus Ποιμενικ. lib. III. Myrtalen inducit dicentem, opus esse Daphnidi sponsâ, quae *dotis* aliquid conferat: πένητες γὰρ (inquit) ἐσμὲν, ὦ παῖ, καὶ δεόμεθα νύμφης φερούσης τι μᾶλλον. Ita *dotales* sibi agros esse gloriatur Chloris apud Nasonem, Fast. IV. In hanc tamen *dotem* mirè invehuntur Poëtae tum Comici, tum Satyrici. Ridet hanc Plautus Pers. act. III. scen. I. vs. 59. εἰρωνικῶς inquiens:

Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.

Et quoties non idem inculcat? Salse admodum Flaccus I. Serm. 4. vs. 50.

——— ——— ——— *At pater ardens*
Saevit, quod meretrice nepos insanit amica
Filius, uxorem grandi cum dote recusat.

Et quanto cum risu Poëta Aquinas, Satyr. VI. 139.

Optima sed quare Cesennia, teste marito?
Quinquaginta dedit. &c. & mox:
Inde faces ardent: veniunt à dote sagittae.

Huc facit & Terentii locus, Phorm. IV. 4.

Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum.

At si Gnomographorum audieris sententias, & hi non minùs *dotem* exagitant, quam Satyrici. Unde ille Philippidis in Vett. Graecor. Fragm. jocus:

Αἰγιδὰ γυναῖκ' ἔγημας, ἀλλὰ πλουσίαν.

Recte itaque ille Senarius; sive Menandri sive alterius:

Ἦθος πονηρὸν χρήμασιν γαμεῖται δεῖ·

Quo allusisse videtur Plaut. Aulular. II. 2.

Dum modo morata recte veniat, dotata fatis.

Quae itaque verissima sit *dos* graphice docebit idem, Amphitr. II. 2. vs. 209. ubi Alcumena:

Neque ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur,
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam.

Interea non abludit à nostrâ *Calliroë* procax illa Martialis amica, quae ultro, & cum *dote* ambiebat; de quâ lib. XI. Epigr. 24.

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est:
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Cum tamen instaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi. quid minus esse potest?

Et recte, *dabis. dos* enim à δὼς vel, si Varronem audiamus de L. L. v. *dos pecunia est, si nuptiarum causa data, haec Graece δωτίνη.* Hinc Fest. Pompejus: *Dotem manifestum est ex Graeco esse; nam δίδωμι dicitur apud eos dare.* Sane δὼς Poëtice dicitur Hesiodo (Ἔργ. καὶ Ἡμερ. I. vs. 354.) pro δόσις; ubi multa de origine hujus vocis: monente etiam Cl. Vossio in Etymolog. Hinc JCti: *dos datur, aut dicitur, aut promittitur.* quod postremum hic quadrat.

ROGARET] Sensu honesto: cum *rogare* etiam sit virginem ambire, ejusque nuptias expetere. Vox enim est simplicissimi usus, in re quâlibet. Hinc argute in Etymolog. L. L. magnus Vossius *rogo*, nec non Graecum ὀρέγομαι (appeto) derivat à Syro etymo רג, *concupiscere valde desiderare.* Cui addit in eàdem voce Cl. Becm. & Hebraicum est ערג, *appetere, desiderare:* ubi plura ad expositionem facientia. Simplicis ergo est usus: quo sensu pastor ille Maronianus ad amicum Eclog. v. 88.

——— *Sume pedum, quod me, cum saepe rogaret,*
Non tulit Antigenes; & erat tum dignus amari.

Vox ergo usitata inter Amantes, & frequens. Ita Petronius cap. CXXVII. *Domina, per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores tuos admittere: invenies religiosum, si*

te adorari permiseris. Similia habet Appulejus in Psyches fab. atque alibi. At vulgo nequiore sensu usurpatur. Martial. de Thaide impudicâ, IV. Epigr. 85.

Cum multi cupiant, rogentque multi.

Sic Ovid. de Art. I. 709. & 712. de puellarum desiderio, etiam honesto:

——— Nimia est juvenum fiducia formae,
Exspectet si quis, dum prior illa roget.
Ut potiare, roga tantum: cupit illa rogari.

Hinc Lena ad puellam, apud eundem Amor. lib. I. Eleg. 8.

Ludunt formosae: casta est, quam nemo rogavit.
Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.

Neque aliter suam induxit Lenam Propertius, IV. Eleg. 5. vs. 42. inter reliqua praecepta & haec docentem:

Ne te delectent Medeae probra sequacis:
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.

Hòc itaque sensu *petere* dixit pro *rogare* Sallustius Bell. Catil. XXV. in exemplo *Semproniae, quae saepius peteret viros, quam peteretur.* Quam lepide (σχηματικῶς tamen) ejusmodi procaces depinxerit puellas Facetiarum ille pater in Mil. Glorios. act. I. scen. I. ubi servus nequam:

Molestae sunt mihi, orant, ambiunt, obsecrant,
Videre ut liceat.

Quamvis castè Noster accipiat (ùt dixi) multo felicius ac modestius tamen illa *Callirrhoë*, quam laudat Agathius Anthol. VI. cap. I. Epigr. II.

Τῇ Παφίῃ στεφάνους, τῇ Παλλάδι τὴν πλοκαμῖδα,
Ἀρτέμιδι ζώνην εἶθετο Καλλιρόη·
Εὕρετο γὰρ μνηστῆρα, τὸν ἤθελε. &c.

26. En! sibi cum Mopso calamos intexere cera Incipit.] *En!* admirantis h. l. est: ἔμφασιν ergo habet. Vox praeterea Comicis usitata, si quid ab inexspectato inciderit. Hinc Afer ille Hecyr. I. 1.

Vel hic Pamphilus quoties jurabat Bacchidi,
Nunquam illâ vivâ ducturum uxorem domum,
En! duxit.

Quod & Lucianus, Dialog. Meretr. II. ferè habet: Γαμεῖς ὦ Πάμφιλε, καὶ ἤδη σε γεγαμηκέναι φασί. &c. Idem, Phorm. II. 3.

En! unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam, quam haec est mihi?

apud Maronem Dido, ab Aenea jam nunc relinquenda, Aen. IV.

En! quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar? ubi & vim τῆς ἀπορίας habet.

Calamos intexere cera] q. d. *Ecce! summae familiaritatis indicium, unde consuetum amorem facile intelligas* Inducuntur fere pastores cum amasiis suis mutuo colludentes, vel corollam texentes, vel fistulam compingentes, vel fiscellam nectentes, & quae sunt hujus generis ludicra exercentes. Suavissime depingit Longus, Pastoral. I. colludentes inter se Daphnin & Chloën, ac *fistulae concinnandae* operam dantes. Χλόη δὲ καταλαβοῦσα τὰ ποίμνια, σύριγγα καινὴν τῷ Δάφνιδι ὥσπερ κομίζουσα. dixerat antè: ἤδη ποτὲ καὶ μήλοις ἀλλήλους ἔβαλλον, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀλλήλων ἐκόσμουν. &c. Neque aliter fere Theagenes & Chariclea soli in antro castissimis lusibus se exercentes reperiuntur, apud Heliodorum, Aethiop. V. ἀγνεύοντες μὲν ἔτι καὶ παρθενεύοντες ἔρωτος ἀπειράστοι, καθαροῖς μόνοις μιγνύμενοι ἔσω τοῖς φιλήμασι. & seqq.

Cera intexere] Eadem phrasi Claudianus, Epith. Honor.

——— Inaequales texebat avenas.

Calamos cerâ conjungere dixit Maro, Ecl. II. Et Naso Met. I. 711.

——— Disparibus calamis compagine cerae
Inter se junctis.

Cerae itaque frequens mentio. Quin & *pice* junxisse calamos, quibus cera deesset, testis est Ovidius, Trist. V. Eleg. II.

——— Pastor junctis pice cantat avenis.

Praeter caetera (ad vs. 18. Eclogae I. adnotata) & *fistulae* descriptionem vide apud Euripidem in Orest. vs. 144.

Ἆ, ἆ σύριγγος
Ὅπως πνοὰ
Λεπτοῦ δόνακος, ὦ φίλα, φώνει μοι.

Ast vero nullibi accuratiorem *fistulae pastoralis* descriptionem reperias, nisi apud Achillem Tatium VIII. Leucipp. quam operae pretium erit conferre; ubi singula ferè ad hanc artem spectantia vocabula occurrunt.

27. Puero comitata cantat] Pulcherrimè, ac mira quadam simplicitate, ob oculos posuit Musarum illud mel ac deliciae, Longus, Pastoral. I. Ἐδίδασκεν (inquit) αὐτὴν ὁ Δάφνις καὶ συρίττειν· καὶ ἀρξαμένης ἐμπνεῖν, ἁρπάζων τὴν σύριγγα τοῖς χείλεσιν, αὐτὸς τοὺς καλάμους ἐπέτρεχε· καὶ ἐδόκει μὲν ἁμαρτάνουσαν διδάσκειν, εὐπρεπῶς δὲ διὰ τῆς σύριγγος τὴν Χλόην ἐφίλει. Ita quoque lib. II. ᾖσεν ἡ Χλόη. Δάφνις δὲ ἐσύρισε. i. e. *Voce cantavit Chloë, fistulâ cecinit Daphnis.* Vide & Nemesiani Eclog. II. cui nomen Donace. Quos quidem simplices pastorum cum virginibus lusus aureae aetatis reliquias esse, contendunt Poetae. Sic Propert. III. Eleg. II. vs. 25.

Felix agrestûm quondam pacata juventas!

Et seqq. Tangit quoque Tibull. II. Eleg. 3. vs. 43. & seqq. Sed ista alterius sunt loci. Porro PUERUM dixit *Mopsum*: vel quia simpliciter pastores ita vocabant; vel quia jam ad pubertatis annos etiam is pervenerat: vel (prout videtur

tur) invidiose ut rivalem, ita appellat. Notum enim hanc vocem quandoque pro rudi & inexperto, vel etiam stulto accipi. Sane Persius, Satyr. v. vs. 22. ita posuit: ad q. l. magnus Casaubonus: *puer hic pro stulto, non aetate sed moribus.* Inde apud Appulej. Metam. II. *Tace, respondit ille; nam oppidò puer, & satis peregrinus es.* Ubi doctus Interpres Lucretium citat, qui apposite:

——— *Puero sententia, pectore simplex.*

Imò quae *puero* mens sit, ostendit egregie Terent. Hecyr. III. 1. 30.

Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!

Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Cui de Art. contemit Horat. vs. 158. Ad rem certè facit Catullus, Carm. XVI.

Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar

Bimuli tremulâ patris dormientis in ulnâ.

Quin & illud inter formulas fuit. *Abi, puer es*: atque hinc proverbium enatum: ὁ παῖς κρύσταλλον, *puer glaciem*, sc. retinere vult: quod *in eos dicitur, qui cum retinere quippiam non possunt, amittere tamen nolunt.* ac proinde in *stultos* competit: ut explicat D. Erasmus in Adagiis, aliique.

SUB ILICE] Sub arboribus vulgo convenisse Amantes, notum. Observat id decotum Ovid. Met. IV. 88. in Pyrami ac Thisbes fab.

Conveniant ad busta Nini, lateantque sub umbra

Arboris: arbor ibi, niveis uberrima pomis,

Ardua morus erat.

Atque ita passim apud Poëtas. Ita, sub arborem ut accedat, invitat Bathyllum suum Anacreon, Od. XXII.

Παρὰ τὴν σκιὴν, Βάθυλλε,

Κάθισον· καλὸν τὸ δένδρον.

Ἁπαλὰς σείει δ' χαίτας.

Ad q. l. verba Sapphûs huc facientia citat doctissimus Barnesius. quam Oden propterea argutè admodum vocat Interpres Gallicus, *La Declaration d'Amour.* Similem habet locum idem Poëta Teïus, Odario inter Fragm. LXVI.

Ὑπὸ τὰ πέταλα δυῶν

Ἁπαλὼ παῖδε κα?ίχειν,

Οὐ τόδε τοὶ καλόν ἐστι;

Confer amoenum Theocriti Eidyll. XXVII. ubi Daphnis puellam sub arbores invitat, ut suum ibi profiteatur amorem:

Δεῦρ' ὑπὸ τὰς κοτίνως, ἵνα τοὶ τινὰ μῦθον ἐνίψω.

Δεῦρ' ὑπὸ τὰς πτελέας, ἵν' ἰμᾶς σύριγγος ἀκούσης.

Quos versus Eobanus Hessus ita vertit:

Sed tamen hac mecum virides concede sub ulmos,

Ut tibi virgineas mea fistula mulceat aures.

Observat quoque Petronius cap. CXXXI. *Coepique inter arbores exspectare Chrysiden* &c. ubi illum Veneri atque Amori dedicatum Hortulum habes:

Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras! & seqq.

Sed noti sunt versus. Sed ad Zelotypum redeamus:

28. HAEC EGO QUUM VIDI, FATEOR, SIC INTIMUS ARSI] Zelotypiae effectum graphicè depingit: ex obliquo tamen innuit se peccasse, addendo *fateor*. Sic Menedemus ille Terentianus Heaut. I. I. vs. 106.

Ita res est, fateor: peccatum a me maxime est.

& ibidem Sostrata, act. IV. scen. 1.

Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor. &c.

Formula itaque est culpam confitentis. Medea, apud Val. Flaccum Argon. VII. 346.

——— *Ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.*

Et, quod huc apprimè facit Polyaenos in Epist. ad Circen apud Petron. cap. CXXX. *Fateor, me, domina, saepe peccasse: nam & homo sum & adhuc juvenis: nunquam tamen ante hunc diem usque ad mortem deliqui. habes, inquam, confitentem reum.* Apertè etiam Horat. II.Serm. 3. vs. 305. Sunt & aliae hujus vocis notiones: in genere autem verbum est aliquid concedentis, cum παῤῥησίᾳ tamen: Martial. v. Epigr. 13.

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper;

Sed non obscurus, nec malè notus eques.

INTIMUS ARSI] *Imitus* defendit Barthius non male, (voce antiquâ) ab *imus* pro *intimus*. Sic *Imis sensibus* dixit Horat. Epod. XIV. nec non Maro, Eclog. III. vs. 54. prout ad Catulli Epigr. LXXVII. (de *pernicie ac peste amoris*,

Quae mihi subrepens imos, ut torpor, in artus

Expulit ex omni pectore laetitias)

observat Achilles Statius. Ita enim Appulej. IX. *Terra dehiscente imitus.* Usus & hac voce Gellius XVII. 10. de Aetnae montis incendio: *Fontes imitus ignes eructare.* &c. ad q. l. consule J. Lipsium Elect. II. 3. qui *imitus* adverbium probae notae dicit, ut *stirpitus*, *radicitus* &c. *Intimas* vero legunt aliae Editt. cui lectioni adstipulatur etiam Vlitius Sic *intima praecordia* dixit Cicero, & *intima viscera* explicant Graeci per σπλάγχνα: quae vox & de *corde* accipitur; ut observant Lexicographi: qui & illud ex Aristophane huc adducunt, τὰ σπλάγχνα θερμαίνει πρὸς ὀργὴν: quod hic apprimè facit. Quin &, juxta *formam* loquendi Hebraeis usitatam, τὰ σπλάγχνα viscera tenerrimos animi affectus significare, notum est. Inde ἄσπλαγχνος Graecis dicitur, qui *nullo misericordiae sensu movetur.* Quid mirum

Mmm et-

ergo, si dixerit & Ovidius, Met. IV. 507. quoad phrasin:

——— ——— *Praecordiaque intima movit.*

Eàdem certe forma: *totus ardeo. totus tremo, horreoque* apud Terent. Eun. I. 2. & similia quae idem volunt ac *intimus*. Vox ergo est ad varios affectus exprimendos apta, praesertim amoris. Cicero usurpat adverbii loco, in Epist. Famil. *Intimè commendatus*, i. e *intimo affectu*. Terent. Andr III. 3. *Intimus est eorum consiliis*: quem ad modum Tullius in Varr. *ad intima eorum consilia perventamus*. Sed notae sunt phrases. *Intimus*, (inquit L. Valla, Elegant. I. 17.) *est positivi gradus, ut proximus: dicimus enim, magis intimus.* Aliud vero est *intimus, interior*. vide Celeberr. Vossii Etymolog. L. L. Sed haec Grammaticam spectant. ARSI. exarsi, incandui, prae indignatione rei nempe & amore. Vox ergo propria. Terent. Adelph. III. 2.

——— *Vix sum compos animi; ita ardeo prae iracandia.*

Vide & Terentii Eunuch. I. I. 27. ubi mirificè Parmeno, hos depinxit affectus, de Phaedriâ, à Thaide excluso:

Egone illam? quae illum? quae me? quae non?
sine modo.
Mori me malim: sentiet qui vir siem.

Ubi omnino confer Horat. Serm. II. 3. vs. 4. nec non Persii Satyr. v. 172. & Ciceronem in Orator. qui & hunc Afri locum tangit. Eodem sensu etiam Appulej. Miles. IX. & X. *ardentes animos*, dixit: & apposite Poeta:

——— *Jurgia prima sonare*
Incipiunt animis ardentibus.

Hunc affectum majori tamen violentiâ expressit Theocrit. Eidyll. XX. vs. 15. ubi bubulcus de puellâ:

Καὶ σεσαρός μ' ἐγέλαξεν· ἐμοὶ δ' ἄφαρ ἔζεσεν αἷμα,
Καὶ χρόα φοινίχθην ὑπὸ τὤλγεος.

i. e. *Ac fastuose me derisit: mihi autem statim exaestuavit sanguis, Et corpore rubefactus sum prae dolore.* Vide & Catullum, Carm. XLVI. de Lesbiae suae fastidio:

——— *Misero quod omneis Eripit sensus mihi.*

Quod ex Sapphûs Od. II. expressit ille; quae ita de se, à Phaone suo spreta:

——— ——— *Το μοι ταν*
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.

29. Ut nihil ulterius tulerim. Intantum excandui, ut continuo eam involaverim, irae furentis impetum non sustinens: ut de Zelotypo Phaedr. III fab 10. Ovid. Met. III. 487. contra de nimio amore:

Non tulit ulterius. & seqq.

Maro, Aen. II. 407. itidem:

Non tulit hanc speciem furiatâ mente Choroebus

Sic de Arachne Metam. VI. fab. 3. *Non tulit infelix* scilicet, illatam sibi à Minervâ injuriam. *Ferre* hic est *pati*, vel *perpeti*. Alterum altero verbo explicuit A. Gellius, N. A. I. 17. de Socrate: *Quum illam domi talem perpetior, insuesco & exerceor, ut caeterorum quoque foris petalantiam & injuriam facilius feram.* Eodem sensu Horat. III. Od. 14. de amicae suae contumeliâ:

Non ego hoc ferrem calidus juventâ.

Idem plenius extulit Terentius, Hecyr. IV. I. vs. 53.

——— *Ut hic laturus sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,*
Non, aedepol, clam me est; quum hoc, quod levius est, Tam animo iracundo tulit.

Quanto tamen Zelotypiâ laborantibus praestat consilio uti, quod sapienter praescribit Theano in Pythagor. Fragmentis ad Nicostratam: *Ὥσπερ τῷ νόσῳ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀπέχειν δεῖ τὰς χεῖρας, οὕτω καὶ σὺ τοῦ πάθους χωρίζε τὴν ὑπόνοιαν.* Caeterum τὸ *Ulterius* explicat Cl. Barthius: *ut nihil infelicius unquam hoc infortunio perpessus sim*: atque exemplis probat è Curtio, aliisque probatis Auctoribus, quibus τὸ *ultimum* valet infelicissimum. At prior sensus hîc praevalet.

29. Nam protinus ambas Diduxi tunicas. *Protinus*, simulac Phyllidis perfidiam conspexissem. Graecis est ἐνδελεχῶς, *continuo, mox. Continuationem enim significat ratione temporis*: ut in Etymol. L. L. Cl. Vossius. Multus est in explicatione hujus vocis Non. Marcellus, cap. IV. qui recte exponit *sine intermissione*, &c., cui (si velis) adde Varronem de L. L. VI. Hoc loco autem ἔμφασιν habet non exiguam, ad vindictae celeritatem denotandam. DEDUXI TUNICAS. Non de suis, quae prae doloris impetu disciderit, vestimentis loquitur (quod in Luctu Vett. fieri consuevisse vel ex S. S. Literis notum est) sed de amicae suae vestibus, quas furibundus, in eam irruens, diruperat. Quo more & Cl. Barthius exponit. Frequens fere amantium hic furor, si rivalem ante oculos adductum haberent. Confer Ovid. Amor. I. Eleg. 7. in re non dissimili:

Nam furor in dominam temeraria brachia movit:
Flet mea vesana laesa puella manu.

Quin & aliis locis de se id confitetur idem ille amandi Magister, ut de Art. II. vs. 169.

Me memini iratum dominae turbasse capillos:
(Haec mihi quam multos abstulit ira dies)
Nec puto, nec sensi tunicam lanias̄se. Sed ipsa
Dixerat: & pretio est illa redemta meo.

Plurima ejusmodi reperias, apud Propertium de

de amicâ: Qui & Cynthiae suae furibundae rabiem describit, ob deprensas cum poëtâ *ἑταίρας*, lib. IV. Eleg. 8. vs. 51. & seqq.

Cynthia in exuviis gaudet victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu.

Sed locum vide. Quin idem ipse ad eandem hanc Cynthiam, lib. III. Eleg. 6.

Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota:
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu?
Nimirum veri dantur mihi signa caloris!
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.

Apposite ad posteriores versus quasi alludens, *amoris maximum Zelotypiam esse signum docebit* Lucianus, Dialog. Meretr. VIII. ubi Ampelis ad Chrysin: Εἰ τις ᾖ, ὦ Χρυσὶ, μήτε ζηλοτυπεῖ, μήτε ὀργίζεται, μήτε ἐρράπισέ ποτε, ἢ περιέκειρεν, ἢ τὰ ἱμάτια περιέσχισεν, ἔτι ἐραστὴς ἐκεῖνός ἐστι; Ταῦτα μόνα ἐρῶντος δείγματα, κὴ ταῦτ᾽ ἀνδρὸς θερμοῦ. & quae *seqq.* Hinc idem inquit Dialog. postremo (*Zelotypiam amorem* vocans *enormem*) Ζηλοτυπία τις κὴ ἔρως ἔκτοπος. ubi plura huc facientia reperias. Sed ad rem.

30. DIDUXI] Ita legendum, non *deduxi*. Quamvis Ovid. Amor. I. Eleg. 7. in re simili:

Aut tunicam summa deducere turpiter ora?

quod cum judicio dixit Poëta, ob sequentem versum, quem confer. Accepit tamen Planudes, pro *dilacerare*, dum ita vertit: ἀπ᾽ ἄκρου τραχήλου τὴν ἐσθῆτα ἐκρήγνυσθαι Sed proprie *deducere* est μερίζειν, διασπᾶν, *dividere*, *distrahere*. *Deducere* etiam est *ex alto ducere*. Unde illud: *Velaque deducunt*. Ut & Maronis Aen. IV. 398. *Et littore celsas Deducunt toto naves*. & Aen. III. 17. *Deducunt socii naves*. Quin & pro *dissolvere* ponitur: *nodosque manu deduxit*, apud Ovidium. Hoc loco *diducere* magis propriè; cum vehementior fit affectus. Appositè itaque Servius ad Aen. I. 128. *Deduco*, *est prosequor*; *diduco vero*, *divido*, *à Graeco δίς*. Pro quo *scindo* dixit Ovid. de Art. III. 569. de Amatore sedato:

Nec scindet tunicasve suas, tunicasque puellae;
Nec ruptus flendi causa capillus erit.

Rumpere enim vel scindere, *amicae tunicam* prima vindictae species. Lucianus, de amatore in Dialog. Καὶ αὐτὸς ἀναφλέγεται, κὴ ἔκλαιε, ἔτυπτεν, περιέρρηγνυε τὴν ἐσθῆτα. Pro quo Terent. Adelph. I. 2. vs. 40. *Discidit vestem* dixit. AMBAS TUNICAS. De mulierum vestitu hic prolixe disputare, non est hujus loci. Si de matronâ sermo esset, *penulam* intellexisset Poëta & *stolam*: adeo ut *pallium stolae fuerit circumdatum*. Juxta Varronem de L. L. VIII. & IX. *Tunica proprie erat virorum*, *pallium & stola mulierum*. *Tunica* (inquit Isidor. Orig. cap. XIV.) *est vestimentum sine manicis*; virorum nempe vestis interior. Accedit, quod χιτὼν (*quae & Graecis vestis fuit interior*) *eadem sit cum tunica*; *contra ἱμάτιον* (*pallium*) *vestis exterior*. Quod idem fere habet Becm. Orig. L. L. Quae utraque vox ergo, tam χιτὼν, quam ἱμάτιον, cum sit generalis, adeoque & virorum & mulierum propria, simplicius arbitror hic, per *ambas tunicas* nihil aliud intelligi, nisi *subuculam & indusium*. Docet enim Isidor. Orig. cap. XIV. (ubi de genere Vestimentorum agit) ex Varrone de Vitâ P. R. *Posteaquam binas tunicas habere coeperant*, *instituisse* (Romanos) *illas vocare Subuculam & Indusium*. Quod idem ex Isidoro etiam observat Vir magnus in Etymologico L. L. Recte itaque Hadr. Junius de Re Vestiariâ *Interulam* vocat *tunicam intimam* ex Gellio, vel *interiorem* ex Valer. Maximo. ac *tunicam* simpliciter ex Ovidio, additis & Graecorum de eâ Synonymis. Hanc igitur utramque *tunicam*, (quâ induta erat Phyllis, utpote virgo pastoralis) furibundus rescidit: unde facile pectus ejus nudari potuit. *Tunicam* enim etiam *mulierum esse*, innumera fere docent Auctorum exempla. Ipse Naso in Corinnae concub. lib. Amor. I. Eleg. 5.

Diripui tunicam, nec multum rara nocebat:
Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Ita Propert. lib. II. Eleg. 12. de Cynthiâ in re pari:

Interdum nudis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.

Imo etiam Musaeus de Herô, Leandri amicâ:

Δαιδάλεον ῥήξασα περὶ στήθεσσι χιτῶνα;

i. e. *Variegatam scindens circa pectus tunicam.* Haec tamen differentia, quod mulierum tunica exterior ad talos usque fuerit demissa, virorum brevior. Unde Plautus, Poen. V. 5.

Sane genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis.

Ubi Interpres ex Varrone: *Cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos*; *tunicam longam muliebrem* appellat, A. Gellius, VI. 10. in Euclidis historia ad Socratem noctu Megaris Athenas habitu mulicbri meantis. Vide & Turneb. Adverf. XI. 23. aliosque, qui de Re Vestiaria Vett. scripsere. Notandum *amba* hic maluisse Fr. Modium, pro *ambas*, respiciens ad ἄμφω vocis *manu*: quam locutionem, ùt illatinam, merito, damnat Cl. Barthius.

ET PECTORA NUDA CECIDI. Ita rusticus mulcaverat amicam. Eundem impetum habet (in Theocriti Eidyll. XIV. vs. 34.) Aeschines, furorem suum denarrans:

Τᾶμος ἐγὼν, τὸν ἴσας, Θυώνιχε, πὺξ ἐπὶ κόῤῥας,
Ἤλασα, κἄλλαν αὖθις. &c.

 h. e.

h. e. *Tunc ego, quem nosti, Theonicbe, pugnum in faciem* (puellae) *impegi, moxque rursus alium* &c. qui locus cum Nostro convenit. Similem *rusticitatem* habes apud Lucianum loc. superius citato: ubi Cochlis: Τί δακρύεις, ὦ παρθένι; &c. cui respondet altera: Ὁ Κεχωλιας ἰεραῖ ἱμάντι... με, ἔτυπτε ... τῷ ἀντιπρόσωπῳ αὐτῷ. Et seqq. Neque aliter ferè depingit in Truculento suo Plautus, act. II. scen. 2.

AST. *Nimis hic quidem truculentus.* STR. *Pergin' malè loqui, mulier mihi?*
AST. *Etquid tibi ego autem dico?* STR. *Quia enim truculentum nominas.*
Nunc adeo, nisi abis actutum, ac dicis quid quaeras citò
Jam hercle, ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.

Verum sexcenta ejusmodi reperias apud Comicos. Aptissimè ergo ejusmodi truculento respondere potuisset Phyllis ut illa apud Cecilium, in Vett. Fragm.

Quid narras, barbare, indomitis moribus illiterate? illex es.

Similia habet Achilles Tatius in Leucippe lib. VIII. de Thersandro, Heliodor. Aethiopic VIII. & quis non illorum, qui amores tractant? Sed confer (ut reliquos taceam) Thrasonem illum Terentianum, Eunuch. IV. 7. ubi ipse ad Gnathonem:

THR. —— *Virginem eripiam.* GN. *Probe.*
THR. *Malè mulcabo ipsam.* GN. *Pulchre!*

Est autem morum haec *rusticitas* Ἄγροικία αἰσχρῶν ἔργων καὶ λόγων. Τῷ ἦθεῖ ἀγροῖκός τις, καὶ παιδικαῖς. &c. ut definit Theophrast. Charact. Ethic. § VI. Confer & Aristophanis Lysistratam: ubi Chorus Senum de Mulieribus, à se malè mulcandis.

Εἰ, νὴ Δία, τὰς γνάθους τούτων τις ἢ δὶς ἢ τρὶς
Ἔκοψεν, ὥσπερ Βουπάλου φωνὴν ἂν οὐκ ἂν εἶχον.

& seqq. ejusmodi ad finem.

32 DIXITQUE, RELICTO, IMPROBE, TE, LYCIDA MOPSUM TUA PHYLLIS AMABIT.] Verba sunt iratae Phyllidis, quae amico denarrat Lycidas. IMPROBUM vocat, quasi ingratum ultra quam decet sibi adrogantem. *Improbus* propriè dicitur, *qui in quovis modum excedit, ac proinde non probatur:* ùt ferè Servius ad Georg. I. vs. 146. ad quem loc. vide & magnum Salmasium. Ita Sappho in Epist vs. 20. Phaonem dicit *improbum*, qui nihil non sibi in amore arrogaret, neque *tanto illius amoris indicio contentus esset*, prout ibi Interpres Ea notione & *improbus* accipitur pro *insatiabili, qui nimius est, nimiumque urget*. Hinc irata Cynthia ad Vatem suum, lib. 1. Eleg. 3. vs. 39.

O utinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miserum quales semper habere jubes!

Ita Paridem Helena (in Epist. vs. 75.) *improbum* vocat, quod nimium sibi arrogaret. Vox itaque conviciantibus inter se amantibus apta, qua praesertim in Amor. libb. atque passim delectatus fuisse videtur Naso. Imo & de osculis vi ereptis idem de Art. 1. 667.

Pugnabit primo fortassis, &, Improbe, dicet.

Quid mirum ergo si & ipse *Amor* Poëtis dicatur *improbus*? quemadmodum Maro Aen. IV. P. Statius, alii, loquuntur. Vim vocis expressit Isidorus Orig. lib. X. *Improbus ideo* (inquit) *dictus, quod instat etiam prohibenti.* Quo respexit procul dubio Chr. Becm. de Orig. L. L. dum inquit: *Probi, apud Festum, quasi prohibi: qui se a delinquendo prohibent*; unde Graecis *improbus* est ἀπαραίτητος, qui *prohiberi non potest*. Hinc Petronius rectè in re amatoria, cap. LXXXVII. *Nihil est tam arduum, quod improbitas non extorqueat: irrepsi tamen, & malè repugnanti gaudium extorsi.* Terent. Hecyr. III. 3. vs. 23.

Vitium est oblatum virgini ab nescio quo improbo.

Omne itaque *quod injustum illicitum, ac incivile est* ICtis *improbum* vocatur. Quo sensu Noster usurpat plus semel Ecloga VI. (cui nomen LITIGIUM) quam vide. Sic etiam *improba possessio* est, quam quis per vim obtinet: & similia, qualia notarunt Viri Literati ad Phaedr. fab. I. lib. I. atque alibi in eodem. Rectè itaque definitur à Budaeo *improbitas, contumelia per lasciviam & libidinem alicui illata*: Quae definitio cum ad argumentum nostrum faciat non sine judicio, Lycidan *improbum* vocat Poëta, qui (dum Amicae suae verbera infligeret) plus ausus fuerat quam decuit, aut debuit. Sed usque adeo impotens atque *improba res Amor est*: Alias hujus vocis notiones transeo, ne & ipse hîc improbus ac nimius sim.

TUA PHYLLIS] Signatè personam mutat de se loquens. *Tua* ergo, vel quae *tua* fuerat, nunc vero est alterius; ùt dixisse videatur per ignominiam. Vel *tua*, i. e. illa, quam (ut loquitur L. Pomponius) *tu tam efflictim amare* simulasti, Vel commiserantis esse potest. Quale illud Ovid. Epist. II.

—— *Tua te Rhodopeïa Phyllis*
Ultra promissum tempus abesse queror.

Et Epist I.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit.

Mea, tua, voces inter blanditias usurpatae. Sic Oenone ad Paridem: Epist. V.

Laesa queror de te, si sinis ipse, meo.

Innuere praeterea videtur ipsa hàc voce recon-

ci-

ciliari inter eos posse inimicitias quamvis irata profugeret. Ita Ennius ex persona fratris ad Menelaum in Fragm. Tragoed.

Tu delinquis, ego arguor pro malefacteis:
Helena redeat, virgo pereat innocens;
Tua reconcilietur.

Tua ergo cum emphasi, dixerat enim Iölas, supra:

—— —— *Sic tua Phyllis?*

33. Alcippen irata petit] *Petit*, contractè pro *petiit*. Vide hic Cl. Vossium de Art Gramm. II 32. qui Politianum in Miscell. cap. LXXI. super hac *συγκοπῇ* egregie defendit. Vide & Erythraei indicem Virgilianum, ubi de hac voce plura.

Alcippen] dixit nomine fictitio. Idem nomen tribuit puellae rusticae Poëta Siculus, Eidyll. v. 132.

Οὐκ ἔχθω Ἀλκίππαν, ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε.

Inducitur itaque ut ferocior aliquanto, ex decoro nominis, quod traxit ex Ἀλκῆ & ἵππος; ut designet fortem ac viraginem. Sic *Alcippe* Graecis Mythologis dicitur Halcyonis Gigantis filia; de qua Apollodorus Biblioth. lib. I. *Alcippen* quoque inducit Homerus, Odyss. IV. tanquam Helenae ministram. Ad quae nomina forte respexit Poëta: ut sit quasi comes Phyllidi & instigatrix ad malitiam. Notum enim est illud P. Syri in Mimijamb.

Aut odit, aut amat mulier: nihil est tertium.

Eadem nomina quoque conjunxit Maro, Eclog. VII. 14. ubi Meliboeus:

Quid facerem? neque ego Alcippen, neque Phyllida habebam.

Caeterum similiter fugientem inducit Cyniscam (postquam à rustico malè mulcata fuerat) Theocritus, Eidyll. XIV. 35.

—— Ἀνειρύσασα δὲ πέπλως
Ἔξω ἀποιχεῖ θᾶσσον.

i. e. *At illa, vestes contrahens, celeriter Foras* abiit. Similiter Eid. XX. apud eundem Ennica bubulcum irata reliquit:

Χὰ μὲν ἴδοι, με λιποῖσα· φέρει δέ τι ὑπὸ κόλπον ὀργάν.

Atque hic iratis ferè mulieribus mos. Petron. CXXXII. (quoad dictionem) *Manifestis matrona contumeliis verberata ad ultionem decurrit.* Observat id continuò Lucianus in Dialog. Meretr. Ita Hymnis puella ad matrem *irata* defugiens: Ἐγὼ δὲ ἀποτρέχω παρὰ τὴν μητέρα, ἕως ἔτι ἡμέρα ἐστί. Eodem modò alia ad vicinam aufugit, à Milite zelotypo pessimè excepta, apud eundem Ἡ Κορώνη δὲ. οὐκ οἶδ' ὅπως ἔφθη, ὑπεκφυγοῦσα παρὰ τὴν γείτονα Θεστυλίδα. ἐμὲ δὲ ῥαπίσας ὁ Δεινόμαχος, ἐκφθείρου φησί· καὶ νῦν ἀποτρέχω φεύγουσα ταῦτα τοῦ διαπόνη. Quod argumentum cum nostro ferè convenit.

33 Nunc penes Alcippen manet] Ad quam confugerat. Haec itaque non conciliatrix, sed mala consultrix. Argutè hinc Menander:

Ὅπου γυναῖκές εἰσι, πάντ' ἐστὶ κακά.

Quippe, ùt idem ille Comicus, in Fragm.

Φύσει γυνὴ δυσάγωγόν ἐστι, καὶ πικρόν.

Quam inter se conveniant ad pertinaciam mulieres exhibet Aristophanes Lysistrat. act. I. scen. 2. ubi *conspirantes inter se feminas* lepidè admodum inducit. Facit & huc ejusdem Comici locus: ubi Senum Chorus mulierum pertinaciam taxans non sine stomacho inquit:

Οὐδ' ἐστὶ θηρίον γυναικὸς ἀμαχώτερον·
Οὐδὲ πῦρ, οὐδ' ὧδ' ἀναιδὴς οὐδεμία πάρδαλις.

Sed ita solent Graeci (ut dixi) in mulieres plerumque debacchari. Lenius Afer noster, ac Latina illa Syren, Hecyr. act. II. scen. I. ubi Laches:

Proh deum atque hominum fidem, quod hoc genus est? quae haec est conjuratio?
Utin' omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia &c.

Et quod apprimè huc facit:

—— *Aeque studium est, similis pertinacia est:*
In eademque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam.
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.

Sed locus hic satis & aliis tractatus. Quid si *Alcippen* hanc anum esse fingas (ut ex decoro fieri possit) ad quam, ut juvencula, confugerit, elegantissime quadrabit hic Senarius:

Πολὺ χεῖρόν ἐστιν ἐρεθίσαι γραῦν, ἢ κύνα.

id est.

Multò pejus est anum irritare, quam canem.

Penes] Observa hujus particulae usum. *Penes aliquem esse*, idem est, ac *in potestate vel sub imperio alicuius esse.* Vide Vallam, Elegant. VI. 54. qui (ubi ex Ulpiano dixisset) è Festo Pompejo addit: *Penes & Apud in hoc differunt, quod alterum personam cum loco significat; alterum personam, & dominium, ac potestatem: quod tribuitur à penitus* Rectè Nepos Attic. cap. VIII. *Cum Resp. penes Brutos videretur esse.* Idem Themist. VII. de Ephoris: *penes quos summum imperium erat.* Et signatè Iustinus, ex Trogo Pompejo, lib. I. statim ab initio. *Principio rerum, gentium nationumque, imperium penes reges erat.* Caeterum Ulpiani verba citat index Erythraei ad Aen. XII 591. *Decus imperiumque Latinis Te penes. Penes* ergo *possessionem* quodammodo significat. Unde Horat. Arte Poëtic. vs. 75.

——— ——— *Si volet usus,*
Quem penes arbitrium, & jus, & norma loquendi.

Amat fere haec particula postponi; etiam Historicis. Sic Tacit. Annal. xv. 1. *Quam penes erat regimen:* & Annal. II. 28. *quos penes potentia.* &c. atque alibi. Observandum porrò, gaudere hanc particulam verbis substantivis, *sum*, *maneo*, & similibus: Quod docet Scaliger pater de Causis L. L. cap. CLIII. *Penes quietis nomen habet: significat enim potestatem immobilem ab eo, cujus est. Itaque maxime substantivum verbum sibi vindicat. Penes* enim ab Hebr. פנים, *intus*: ùt observat C. Becm. Orig. L. L. Rectè itaque Poëta addidit verbum *manet*, quasi inclusa aedibus Alcippes.

33. Ac ne forte vagetur, Ah, vereor!] Elegans Translatio ab animalibus, quae vulgo *vagari* dicuntur. Unde Cicero de Invent. I. *passim bestiarum more vagabantur.* Nec non Plinius eâdem phrasi: *passim cum feris vagari.* Quid autem proprie sit *vagari* dicit Pricaeus ad Appulej. Milef. v. Ad sensus transfertur, maxime à Philosophis. Ita Lucret. lib. III. de R. N.

——— *Animi incerte fluitans errore vagaris:*

ubi singula ἐμφατικῶς. vide eundum initio lib. II. de Sapientiae templo;

Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palanteis quaerere vitae.

Boëthius quoque Consol. III. Pros. 2. *Est enim mentibus hominum beni inserta cupiditas, sed ad falsa devius error abducit.* Idem lib. III. Metr. 8.

Eheu! quam miseros tramite devio
Abducit ignorantia!

Sed *errantes vide falsis opinionibus* in aureâ Cebetis illâ Tabulâ: Οἱ δὲ διὰ τὴν ἄγνοιαν καὶ τὴν πλάνην, ἣν πεπώκασι παρὰ τῆς Ἀπάτης, οὐκ εὑρήκασι, ποία ἐστὶν ἡ ἀληθινὴ ὁδὸς, ἡ ἐν τῷ βίῳ· ἀλλὰ πλανῶνται εἰκῆ, ὥσπερ ὁρᾷς. Ex quo Thebano Philosopho reliqui sua hauserunt. At, dices, Noster de *Amore vago* loquitur. Ità est! & gravissimus hic affectus, neque ullâ in re magis *vagantur* homines. Certe Xenophon., Cyropaed. v. in dissertatione illâ de Amore: Ἐθελούσιον γὰρ ἔρως ἐστὶ, καὶ ἐρᾷ ἕκαστος ὧν ἂν βούληται· τῶν μὲν ἐρώντων, τῶν δ' οὔ. Pulchre ad hanc rem Petron. in Fragm. ubi *sensus* ipsos *vagos* nominat:

——— ——— *Vagique sensus*
Oppressa ratione mentiuntur.
Hôc illi magis aut minus placere
Non posset, nisi, lite destinatâ,
Pugnarent dubio tenore sensus.

Hinc & *puellas vagas* appellat Propert. I. Eleg. v. vs. 7. Dicit ergo se vereri, ne consilii inops *vagetur* sua Phyllis, atque alio amores suos quam velit, transferat. Similem locum habet Q. Catulus in Vett. Fragm. ubi *vagantem in amore incerte animum*, egregie depingit:

Aufugit mi animus: credo (ùt solet) ad Theotimum
Devenit. sic est: perfugium illud habet.
Ibimu' quaesitum. verum, ne ipsi teneamur,
Formido. Quid ago? da Venu' consilium.

35. Nec tam nobis ego Phyllida reddi Exopto, quam quod Mopso jurgetur anhelo.] reddi. *Restitui*, signate dixit Catullus, Carm. CVIII. in re ferè eâdem:

Quare hoc est gratum nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia mi cupido!
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. ô lucem candidiore notâ!

Ubi ἀρχαϊσμὸν nota *insperanti nobis*, ex animadversione magni Scaligeri. Quidvis igitur aequo animo se toleraturum esse ait, modo ne illa cum rivali Mopso sit. Non minori ardet zelotypiâ Aeschines, apud Theocritum, Eidyll. XIV. 36. qui ad amicam:

——— ——— Ἐμὸν κακὸν, οὐ τοι ὑφέρπω;
Ἄλλος τοὶ γλυκίων ὑποκόλπιος; &c.

Ita & Lesbiae suae valedicit Poëta Veronensis, Carm. x.

Cum suis vivat, valeatque moechis,
Nullum amans vere!

Reddere, cum vox sit πολύσημος, eleganter etiam ad amores transfertur. Sic vario sensu Propert. II. Eleg. 21. ad amicam, quae fecubuerat prae morbo:

Munera Dianae debita redde choros.
Redde etiam excubias divae nunc, ante juvencae:
Votivas noctes & mihi redde decem.

Neque ab argumento nostro abludit Petronii locus, quoad phrasin, cap. XCVIII. *Nunc inter turbam puer fugit, nec quo abièrit, suspicari possum. Per fidem Eumolpe, reduc puerum, vel Ascylto reddo.* Apposite ergo Horatius hâc voce usus est in reconcilicatione, Carm. I. Od. 16. ad *Tyndaridem*, quam laeserat.

——— ——— *Nunc ego mitibus*
Mutare quaero tristia; dum mihi
Fiat recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

35. Exopto, quam quod m. j. anh.] Τὸ QUOD per UT explicat Vlitius, hoc sensu: *Nihil magis exopto, quam ut cum Mopso itidem ipsi male conveniat.* & Particulam QUOD simili constructione defendere videtur Valla, Elegant. II. 20. *Quod scribas, gaudeo* (inquit) *& quod scribis gaudeo: utroque modo dicitur. Volo, quod scribas, non autem quod scribis. Quod* itaque pro

pro *ut* post quaevis verba statuit, si modo subjunctivus sequatur. In hanc vero particulam invehitur Sanctius, III. de Conjunct. *Quod, particula*, inquit, *primum Latinitatem post Ciceronis aureum saeculum ausa est depravare.* &c. Mox (ubi non minus ipsum D. Erasmum quam L. Vallam exagitavit) ità pergit: *particula ὅτι invexit tanta mala. Vox igitur* QUOD, *nisi relativum sit, apud Latinos locum non habet.* Docet id Plauti locus, Captiv. II. 4.

Nam, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.

Ut & ille, Mercat. III. 4. 10. de servo:

Id illi vitium maximum est, quod nimium Tardus est.

In quibus Cl. Interpres rectè Ellipsin esse, vel repetitionem ejusdem praecedentis substantivi demonstrat. ut sensus sit in posteriori exemplo, *juxta quod vitium nimium tardus est.* In priori: *liberum me esse arbitror, nisi praeter id, quod c. h.* Atque ita in similibus. Sane ὅτι particula nihil aliud videtur esse, nisi Pronomen ὅ τι; ut subaudiatur κατ', vel διὰ: atque ita *καθότι*, vel *διότι* idem valet, ac *ad*-vel *juxta quod negotium.* Sed vide doctissimum Virum in Notis ad Sanct. Minerv. l. c. Neque alio colore defendi potest illud Ovidii, Trist. v. Eleg. I. vs. 16.

Praemoneo, nunquam scripta quod ista legat.

Ad quem versum (quem, ut spurium, cum praecedenti hexametro, uncinulis includunt Viri docti) ita Micyllus: QUOD *aut perperam huc irrepsisse credo: aut novo atque inusitato modo pro* UT *positum esse, dicendum est.* Σύνταξις itaque est: *Praemoneo Lectorem illud, juxta quod nunquam* &c. Idem notavit Donatus ad Terentii Hecyr. III. 3. vs. 8. ubi Senex:

—— —— —— Ilico omnes simul
Laetae exclamant: Venit? id quod me repente adspexerant.

hîc ad marginem doctissimus Paraeus: *quod, h. e. quia, vel adeo; vel propter id laetae, quod me r. adsp.* Similis exstat locus Heautont. v. 3. vs. 16. post verbum *metuendi*:

Id quod est consimilis moribus.

Quo loco etiam Donatus: *deest propter: ut sit propter id, vel ideo.* Sic Eunuch. III. I. vs. 14. de Thaïde:

—— —— Id vero serio triumphat.

ubi idem Grammaticus: *Ob id: ut, id amabo, adjuta me. alias παρέλκει, id est, productionis locus est.* Sic etiam Plaut. Bacch. II. 2. vs. 19, 20. qui versus connectendi sunt: ad quem Plauti locum Interpres: *τὸ quod idem est ac propter quod, quâ de re.* Sed vide hîc Vossium, in Aristarch. de Analog. IV. 18. At nescio, cur Viri docti velint, *τὸ quod* abundare in illo Plauti, Amphitr. II. 1. 61.

Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi respondeas.

Valet enim sententia, *nisi id, quod r. t. m. r.* sed *quod significat etiam aliquid; & Graeci dicunt τι*, observante Festo Pompejo. Et post verba impersonalia eventum significantia (ùt loquuntur) *fit, contingit, evenit*, & similia, quis Grammaticorum ferat *quod*? tamen Ennius Hecuba, citante Nonio:

—— Utinam mortem oppetam prius,
Quam evenat, quod in pauperie meâ
Senex graviter gemam.

Evenat, i. e. *eveniat*, ùt recte Illustris Columna ad h. l. ubi & Graecum Euripidis produxit, πρὶν αἰσχρᾷ προσπεσεῖν τύχῃ· quâ constructione ὅτι locum non habet. Neque minùs Grammaticis *τὸ quod* invisum est post particulas, *adeo, sic, ita* &c. Columella tamen de R. R. VII. 5. *Est etiam insanabilis ignis, quam pustulam vocant pastores. Ea nisi compescitur intra primam pecudem, quae tali malo correpta est, universum gregem contagione prosternit, sic quidem*, QUOD *nec medicamentorum, nec ferri remedia, patitur.* Quem integrum locum, ne quid dissimulem suppeditavit Vir omni ex parte literatissimus R. Ouwenius. At nunc de Verbis desiderii, *Exopto* &c. videamus. Certe magnus Vossius, lib. de Construct. cap. LXII. —— *Suspectus*, inquit, *multis est usus particulae* QUOD, *cum pro ὅτι ponitur, & jungitur verbis significantibus opinionem, desiderium.* &c. *Atqui sic loquitur Plautus, Cicero, Seneca, Plinius, alii.* Ciceronis est Epist. Famil XIV. 13. *Quod scripsi ad te proximis literis de nuncio, quae sit istius vis, ignoro. quod scripsi* i. e. *secundum id quod scripsi.* Vide & lib. XIV. Epist. 8. Atque alibi. consule Nizolii in eum Indicem. Et, ne quid huic Constructioni desit, confer J. Caes. Scalig. de Causs. Corruptae Latinitatis XIII. 168. Hâc igitur Ellipsi & hic Calpurnii locus supplendus est, quasi dixerit: Nihil *magis exopto, nisi id votum, juxta quod mea Phyllis* &c.

Mopso jurgetur anhelo] Accipit R. Titius quasi *τὸ anhelo* sit verbum, hôc sensu: *Anhelo* (i. e. gemo ac suspiro) *quod Phyllis Mopso jungetur.* Inepte. ut recte inquit doctissimus Vlitius. Corrigit ergo: *Exopto, quod (i. e. ut) jurgetur Mopso anhelo. Infra enim; torrida vox Mopsi.* &c. Cum Titio tamen facit Cl. Barthius, qui & *jungetur* praefert, pro *jurgetur.* Verum non ea mens Calpurnii. Quis praeterea probatae Latinitatis Auctor verbum *anhelo* eâ significatione pro *suspiro* vel *gemo* usurpavit? Verbum

bum enim illud est ex *am* & *halo*, *aegre spiro*; quod Graecis est *ἀσθμαίνω*, *difficulter halitum* vel *spiritum traho*: quod de fatigatis cursu vulgo dicitur. Ovid. Remed. Am. vi. 394.

Principio clivi vester anhelat equus.

Tibull. ii. Eleg. 5.

Solis anhelantes abluit amnis equos.

Conjungit ergo Appulejus, Milef. ii. sudori. *Patefactis aedibus*, *Anhelans & sudore perlitus irrepo*, *meque fatigatum lecto simul & somno tradidi*: Quomodo & Petronius, cap. LXXXVIII. *Anhelitus inter sudoresque*. Terent. Hecyr. v. 3. vs. 25. *Confugere anhelantem domum.* Hinc metaphoricè notat *spirare*, *evaporare*. Cicero, Catilin. ii. 2. *scelus anhelantem.* Auctor ad Herenn. *anhelans ex infimo pectore crudelitatem.* Quae phrasis etiam Graecis usitata, *ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου spirare minas ac caedem*: de qua loquendi formâ videndus J. Vorstius, Hebraism. N. T. *Anhelo* itaque pro *desidero*, *adspiro*, *expeto*, Latinis insolens, & inter Hebraicas phrases recensendum; ut è S. S. Textu de Cervo *anhelante* ad fontem liquet: quam *φρένων* eleganter verterunt LXX. Ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος ἐπὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων. Rectè. Ἐπιποθεῖν enim Latinè valet *expeto*, *desidero*, non *anhelo*. Sanè inter verba desiderii agnoscunt Lexicographi; nec non Possellius in Calligraph. Graec. qui illud Luciani adducit: *Θάῤῥει μόνον· καὶ μηδὲν ἐπιπόθει τῶν κάτω.* Verbum ergo *anhelandi* hic locum non habet: neque video quam auctoritatem habuerit Titius, qui ita in M. S. exhibuit. Refingere tamen possis versum, si liceret:

——— *Nec tam nobis ego Phyllida reddi*
Exopto, quàm ne Mopso jungatur anhelo:

cum respectu ad illud Maronis Eclog. viii. de *Mopso* antagonista: *Jungentur jam gryphes equis. &c.* q. d. *per me licet, vel cuivis nubat, modò ne excuso detur illi Mopso.*

ANHELO] casu tertio. Nam *Jurgari alicui* Graecismus est, ut, *Noli pugnare duobus*, & similia. Dicendum autem esset (ex Terentio, Andr. v. 1. vs. 19.) *jurgari* vel *jurgare cum aliquo* Ibid. act. ii. sc. 3. *Quis jurgabit tecum?* ANHELUM vocat invidiose; ut Rivalem decebat. Inepti enim ad res amatorias *ἀσθμαλέοι* & difficulter spirantes, ac proinde puellis invisi. Hinc Petronius ad nequitiam transtulit de sene, cap. c. *si voluerit aliquid sumere, anhelitu perdet opus.* Quid autem *sumere* sit in re Venerea, dicet (praeter Martialem, x. Epigr. 18. aliosque ibidem citatos) Magister amandi de Art. i. 669.

Oscula qui sumsit, si non & caetera sumsit:
Haec quoque, quae data sunt, perdere dignus erit.

Hinc *senes* vulgo apud Comicos inducuntur *anheli* & asthmatici, unde & Chremetis nomen fluxit; neque aliter in Apologis. Confer prae caeteris, lepidam senis descriptionem apud Terent. Eunuch. ii. 2. vs. 46. ubi *tremulis ac demissis labiis gemens* ex anhelitu inducitur. Videndus hic omnino Hippocrates de Senum Vitiis, Aphorism. iii. §. 31. *Τοῖσι δὲ γεραιτέροισι δύσπνοιαι, κατάῤῥοοι βηχώδεες, στραγγουρίαι*, & seqq. ut & C. Celsus ii. 2. & XLVII. 15. Sed locum hunc jam notaverat Bourdelotus ad Petronium. Hinc illud Maronis Georg. ii. 135. *Et senibus medicantur anhelis.* cui conferas Plinium, XXII. 23. De Tauro Philosopho sene A. Gellius, XII. 5. *Videmus hominem febri simul rapidâ afflictari* . . . . . *spiritusque & anhelitus è pectore ejus evadere*: quem locum citat & Pricaeus ad Appuleji Milef. VIII. verbo *Longos trahens spiritus*, &c. Opponit ergo se, velut *puerum & ephebum*, morbido, & senum instar *anhelanti Mopso.* quomodo fere Catullus, Carm. xv.

——— *Non pueris, sed his pilosis,*
Qui duros nequeunt movere lumbos.

Ut verum fatear, addubito tamen, num ea mens fuerit Calpurnio: cum nequitia illa (quae & in Priapêis occurrit) bucolici carminis simplicitati vix conveniat. Ut febriculosum tamen ac tussientem taxare potuit. de *febricitanti* enim pecore vox ea usitata est. Virgil. Georg. iii. 496. *Et quatit aegras Tussis anhela sues.* Vel simpliciter, ut *squalidum ac male olentem* infamat, contra munditiae praecepta, in Arte Amandi, lib. i. 403.

Nec malo odorati sit tristis anhelitus oris;
Nec laedat nares virque paterque gregis.

Sic Rufum quendam insectatur Catullus, Carm. LXX.

Laedit te quaedam mala fabula? quâ tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes. &c. feminae nempe.

Hinc Martialis argute de quôdam, lib. iv. Epigr. 4. cui inter reliquas putredines objicit:

Quod pressa piger hircus in capellâ,
Moestorum quod anhelitus reorum,
Mallem, quam quod oles, olere, Bassa.

Solebant enim qui sub reatu erant, squalore semet ipsos deformare ad movendam in Judicibus misericordiam: unde illud ejusdem, lib. ii. 36. *nec sit tibi barba reorum.* Atque ita de Thaïde quâdam lib. vi. Epigr. 93. *Tam malè Thaïs olet.* &c. Ita MALE OLENTEM inducit *bubulcum* Theocrit. Eidyll. xx. 9. cui exprobrat puella delicatior:

Χείλεά τοι νοσέοντι, χέρες δέ τοι ἐντὶ μέλαιναι
Καὶ κακὸν ἐξόσδεις· ἀπ' ἐμεῦ φύγε;

Cu-

Cui conferas Antholog. II. cap. 14. in Graveolentes: ubi de Pamphilo quodam Antipater:

Πρὸς Διὸς εἴ με φιλῆς, Πάμφιλε μή με φιλῇς.

Vel denique (quod primum omnium suspicor) *anhelus* hic valet *raucus*, *stridulus*; cujus vox inepta sit cantando, ac fistulam tractando. ut respiciat Poëta ad Eclog. Virg. III. 72. satis cognitam. Unde inferius dicet: *torrida vox Mopso*, &c. Nihil enim inepto Cantatore inter pastores magis ridiculum. Hinc illa mutua apud Theocritum in Bucoliast. Eidyll. III. convicia, quae huc apprime faciunt.

36. A TE COEPERUNT TUA JURGIA.] Signate omnia. Ex decoro culpam in Amatorem rejicit, quamvis primum puella laedendi ansam praebuerat. Differt enim ἡ αἰτία, *causa* (ut vocant) *principalis*, & πρόφασις, ratio praetextae cujusdam culpae, cui vulgo fi les habetur, praesertim à litigii ignaris. Recte itaque Epictetus Enchirid. XXVII. Μέμνησο, ὅτι οὐχ ὁ λοιδορῶν, ἢ τύπτων ὑβρίζει, ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ τούτων, ὡς ὑβριζόντων. Cavendam quoque esse *primam jurgii speciem* pulchre docet Plautus, Menaechm. V. 2. ubi senex amorem reconciliaturus inter conjuges:

Ecce autem litigium! quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres; neuter iretis ad me cum querimonia.

Observa *jurgium* fere dici inter amantes, quasi leviorem litem, quae reconciliari possit. Lepidè hinc Terent. Eunuch. act. I. sc. I. 14.

In amore haec omnia insunt vitia: injuriae,
Suspiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum.

Cui similis Plauti locus, Mercat. in Prolog. I. I. ubi Charinus adolescens:

Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent,
Cura, aegritudo. &c. seqq. plurima.

Observat id quoque Tacitus, Annal. XIII. 44. (sed exemplo tristiori) *Tunc, ut assolet in Amore & Irâ, jurgia, preces, exprobratio, satisfactio.* Hinc Propert. III. Eleg. 4. 18. de Cynthiâ iratâ.

Rettulit & querulo jurgia nostra sono.

Et argutè lib. II. Eleg. 5. *amantium lites* vocat

Jurgia, sub tacitâ condita laetitiâ.

Imo & de conjugibus usurpat Satyricus, VI. 268.

Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet.

Ubi utramque vocem conjunxit. Quid tamen differant *lis* & *jurgium* docet Cicero de Rep. quod citat Lexicographus: *Si jurgant benevolorum concertatio, non lis; sed jurgium inimicorum lis dicitur.* Quod idem fere notat Interpres ad Val. Maxim. II. I. §. I. *Lis inimicorum est, jurgium inter amicos.* Cui consentit Tullius de Amicitiâ: Hinc illa argutè Poëtae: *verbera linguae* vocant, cum *jurgia* verborum proprie sint, non verberum. Unde illud: *Jurgia praeludunt rixae.* Nec minus lepide alterum illud Juvenalis, Satyr. III. 288.

——— *Miserae cognosce procemia rixae,*
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.

Rixam vides etiam verberibus mixtam; cum de *jurgio* magis proprie dixerit Poëta Venusinus, II. Serm. 2. vs. 100.

——— ——— *Jure, inquit, Thrasius istis*
Jurgatur verbis.

Quocirca haec procul facessere jubet Praeceptor amandi de Art. II. 151.

Este procul lites, & amarae praelia linguae!
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.

Ad rem nostram vero faciunt L. Afranii verba in Vett. Fragm.

Quam beatae scenicae mihi videntur mulieres,
Quae jurgio & benevolentiâ desubito tenent viros.

Recte. Nam nihil aliud fere in Vett. Comoedüs, nisi amantium irae, ac jurgia, & reconciliationes. Unam mihi (praeter Plautinos sales) vide Aristophanis Lysistratam; ubi lepide jurgantem cum conjuge inducit Cynesiam:

KIN. Ὦ γλυκύτατον Μυῤῥινίδιον! τί ταῦτα δρᾷς;
Κατάβηθ' δεῦρο. MYP. μὰ Δί', ἐγὼ μὲν αὐτὸς οὔ.

KIN. Ἐμοῦ καλοῦντος, οὐ καταβήσει, Μυῤῥίνη;
MYP. Οὐ γὰρ δεόμενος οὐδὲν ἐγκαλεῖς ἐμέ.

Solent fere *contemti jurgia nectere*, etiam *sapientes* (ut est in Petron. cap XIX.) quid non ergo faciat amans Zelotypus? & *Lycidas* hîc, ex decoro, nomen habere videtur, quasi Λύκος, εἶδος: quod feritatem quodammodo includit.

36. TU PRIOR ILLI VICTAS TENDE MANUS.] Infra ipse Lycidas: *Tradimus, ecce, manus.* Ex more supplicantium, ac, sibi ut ignoscatur, petentium. Similiter Tibull. III. Eleg. 4.

Sed flecti poterit. mens est mutabilis illis.
Tu modo cum multâ brachia tende fide!

Atque ita fere solent Amantes. Confer Ovid. lib. I. Amor. Eleg. 7. Propertium variis locis. Exempla porro dabit Achill. Tatius Leucipp. caeterique rem tractantes τὴν ἐρωτικὴν.

PRIOR.] Quippe prior laeserat, ùt saltem videbatur. Terent. in Prolog. Eunuch vs. 4.

——— ——— *Qui dictum in se inclementius*
Existimabit esse, sic existimet
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior.

Ita Giton apud Arbitrum, Sat. XCIV. se excusans: *Prior coepi*, &c. quae formula videtur fuisse

ſe Vett. Pulchra ſunt, quae in hanc rem Epictetus, Enchirid. cap. xciv. Ὁ μὲν ἀδελφὸς ἐὰν ἀδικῇ, ἐντεῦθεν αὐτὸ μὴ λάμβανε, ὅτι ἀδικεῖ, ἀλλ' ὅτι ὁ ἀδελφός, ὅτι σύντροφος. Sed locum lectu digniſſimum inſpice. Idem monet Phocylides: Μήτ' ἀδικεῖν ἐθέλῃς, & ſeqq. Nec non aureae, Pythagorae vulgo adſcriptae, ſententiae:

Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς. &c.

Atque ita Gnomographi Graeci ad concordiam omnes illum monent, qui *prior laeſerit.* Loca congerere nihil attinet. Ad illorum normam P. Syrus:

Bonum ad virum cito moritur iracundia.

Senecam hic conſule (de obliviſcendâ Injuriâ) de Irâ, lib. II. ac III. Ciceronem de Officiis. & quem non Ethicorum?

37. Decet indulgere puellae, Vel cum prima nocet.] Primae id humanitatis eſt. Quis enim non mulieri, nedum amicae, ignoſceret? INDULGERE tamen magis eſt, quam *ignoſcere.* Cicer. in Offic. *Peccatis amici indulgere.* Imo paſſive uſurpat A. Gellius xx. I. *Animus eorum interſtitione aliquâ negotiorum indulgeri potuiſſet:* quomodo & Livium loquutum eſſe notant in Hiſt. Viri docti. Obſervat Donatus & hoc verbum apud Antiquos accuſativum habuiſſe: quos imitatus eſt Terentius, Eunuch. II. I. *Nimis me indulgeo. Indulget amori*, apud Ovidium, explicat Planudes, τῷ ἔρωτι χαρίζεται. Gallicum certe idioma Latinam phraſin (*indulgere alicui*) non invenuſte explicat, *Laiſſer chacun, & ſouffrir par tout.* quae expoſitio hic mire quadrat. *Indulgere* ergo hic eſt, omni obſequio cedere ac *blandiri.* Vim vocis aſſequutus eſt etiam, Auctor Diſtichor. Moralium, quae vulgo ſub D. Catonis nomine circumferuntur, lib. II. 24.

Indulget Fortuna malis, ut laedere poſſit.

Quod magnus Scaliger ita vertit:

Ἵλαος ἐστι τύχη τοῖς δειλοῖς &c.

Ubi vim verbi ἱλάω, vel ἵλημι (*propitius ſum, cupio videre faciem, quae à me ad tempus nunc eſt averſa*, ut explicant Lexicographi) conſidera. Sed ad rem ipſam. Exemplum hujus *indulgentiae in Amicam* vide ſis apud Propertium (ut alios taceam) de Cynthia in furorem verſa, lib. IV. Eclog. 8.

Cynthia in exuviis gaudet, victrixque recurrit. &c.

Ecce autem, *prima* jam puella laeſerat. ſubjicit tamen:

Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni;
Quum vix tangendos praebuit illa pedes.

ac deinde:

Indixit leges: reſpondi, Ego legibus utar!
Riſerat, imperio facta ſuperba ſuo.

Imo hanc *indulgentiam puellae exhibendam* commendat Naſo in Art. II. 533.

Nec maledicta puta, nec verbera ferre puellae
Turpe: nec ad teneros oſcula ferre pedes.

Et ſeqq. Quippe, ut idem, *Obſequio tranantur aquae.* Sed noti ſunt verſus! ipſa Venus ad Naſonem, III. de Art. 5. *Cultas ne laeſe puellas:*
Gratia, dum vivis, iſta petenda tibi eſt.

Vel cum prima nocet] [illegible] Honos enim mulieri deferendus in re qualibet, juxta illud Naſonis de Art. II. 175. *Praelia cum Parthis, cum cultâ pax ſit amicâ.* Confer Luciani Dialogum Meretric. penultimum, ubi Hymnis, quae *prima laeſerat*, ab Amante per internuncium revocatur: dum inquit: Ἄπειθι δ' οὖν, καὶ πεῖθε αὐτόν. & ſeqq. quae cum Noſtro conveniunt. Huc ergo Palladae ſpectat Epigramma, Anthol. I. cap. 19. §. 4.

Εἰ δ' οὐ σανδαλίῳ, φής, τύπτομαι, οὐδ' ἀπλάτου
Οὔσης μοι γαμετῆς, χρή με μόνον φέρειν.
Δουλεύειν σε λέγω μετρίως, ἐάν γε πέπρασαι
Σώφρονι δεσποίνῃ, κοὐκ ἄγαν χαλεπῇ.

i. e. *Si non ſandalio, inquit, verberor neque adeo proterva Mihi ſit conjux, decet me illa conniventem ferre. Mediocriter ſervire te dico, ſi venditus ſis Dominae temperanti & non nimie immiti.* De Amantibus enim Xenophon Cyropaed. V. Παρέχοντας ἑαυτοὺς τοῖς ἐρωμένοις πολλὰ καὶ οὐκ ὑπηρετοῦντας.

Caeterum quam ſibi puellam exoptet Auſonius, vide Epigr. LXXXII.

Sit mihi talis amica, velim,
Jurgia quae temere incipiat,
Pulchra, procax, petulante manu:
Verbera quae ferat, & regerat,
Caeſaque ad oſcula confugiat.

Cui ſimile eſt illud Poëtae Sulmonenſis, de Art. II. vſ. 448.

Felicem, de quo laeſa puella dolet!
Ille ego ſim cujus laniet furioſa capillos:
Ille ego ſim, teneras cui petat ungue genas.

Maximum enim ζηλοτυπίαν amoris eſſe indicium, jam ſuperius, è Luciano, dixi.

Vel,] Elegans eſt uſus particulae VEL, pro *tunc etiam, cum*, &c. Terent. Eunuch. III. I. vſ. 7. Ita, Andr. III. 2. vſ 9. pro *etiam* ponitur:

——— *Vel hoc, quis non credat abs te eſſe actam?*

Idem, Hecyr. I. I. ab initio:

Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi!
Quam ſancte! &c.

Cicero, Epiſt. Famil. II. 13. de literis: *Vel quas proxime accepi, quam prudentis, quam multi officii*

&

& consilii ! PRIMA. Accipit Barthius, more Graecorum, dictum esse adverbialiter (ut loquuntur) πρῶτα, pro *primo*. atque, ex Philargyrii auctoritate, adducit Virgil. Georg. IV. 21. ubi tamen τὸ *prima* etiam cum *examina*, construi potest. Magis ad rem faceret Gratius, Cynegetic. vs. 25.

Prima jubent tenui nascentem jungere filo
Limbum &c.

Ut & Val. Flaccus Argon. initio Operis:

Prima Deûm magnis canimus freta pervia natis
Fatidicamque ratem.

Ubi perperam *Nautis* legit L. Alardus: Verum & hic locus conferri possit cum Euripid. Medeâ, ejusque ex Ennio versione, aliisque idem argumentum tractantibus, an non potius τὸ *prima* ibidem referri debeat ad *freta*. Certe *Argo navis* vulgo *prima* dicitur. Catullus Epith. Pel. & Thetid.

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Ovid. Amor. II. Eleg. 9. vs. 1. *Prima malas docuit*. &c. Sanè Graeci πρῶτα eleganter usurpant. Orpheus, (ut vulgo fertur) in Argonaut.

Πρῶτα μὲν εἶδα βίην Ἡρακλῆος θείοιο.

Phocylid. in Admonit.

Πρῶτα Θεὸν τίμα.

Sed observandum, πρῶτα hic notare *ante omnia*, vel *imprimis*, Maro: *Imprimis venerare Deos.* atque ideo in principio adhiberi rei narrandae, sive docendae. *Prima* itaque hic simpliciter valet *prior*; quamvis de duobus tantum agitur, non pluribus. Ita Theocritus, Eidyll. VIII. 30. ac plus semel positivo utitur pro comparativo, de duobus inter se certantibus: ἄρξατο πρᾶτος: *primus incipit*, pro *prior*. Sic, *respondent ultima primis*, i. e. *priora posterioribus*.

39. SEDULUS IRATAE CONTINGAM NUNCIUS AURES.] Interponit se Iölas reconciliandae litis auctorem.

IRATAE] Dixerat enim Lycidas, *Alcippen irata petit* &c. Eadem fere formâ, quâ Plautus Cistell. II. 1. dixit:

Abiit intro iratus. quid ego nunc agam, si redierit?

CONTINGAM] Idem Plautus: *Contigit aures rumor meas. Contingere* est accedere, appropinquare ad aliquid. Ovid. IV. Trist Eleg. 10. *Fama parentales si vos mea contigit Umbrae* ! idem Amor. III. Eleg. 12 eadem notione:

Maenala contigimus victa. Camillo, tibi.

Ita Terent. Hecyr. III. 5. *Ad aures sermo mihi accessit.* Pro eo dixit Ausonius Epistol. ad Paulin.

Et quando ista meas impellet nuncius aures?

Vox mihi ad aures advolavit, frequens Comicis. Sic *Felix ad aures nuncius venit meas*, ex Senec. Tragic. SEDULUS, fidelis. Ita *sedulo* accipitur pro *fideliter*: quod Plauti loco, Captiv. IV. 2. probat in Etymolog. L. L. magnus Vossius: ubi & Nonii, & Isidori, sententiam citat, qui *sedulo* volunt esse dictum quasi *sine dolo*. Comicorum fere vox est. Terent. Phorm. V. 8.

Factum est abs te sedulo pro fratre.

Sedulus ergo hic est, *fidus verborum minister*. Qualis ille Homeri, Iliad. X.

——— ——— Ἐτέτυκτ' ἄγγελος ἐσθλὸς Ἤγγελος.

Sic Musaeo in Leandr. γαμοσίλος ἀγγελιώτης dicitur. *Nuncius nuptias apparans.*

40. JAM DUDUM MEDITOR, QUO CARMINE PHYLLIDA PLACEM.] Mecum agito, tacite delibero. *Meditari* enim est μελετᾶν, ut observat J. Caes. Scaliger de Causs. L. L. cap. XXVIII. & Servius ad Eclog. 1. vs. 2. Saepius ergo ad *carmina* & cantus refertur. At potius est, cum curâ & industriâ quippiam efficere, vel effingere. quod hic locum habet. *Meditari* & pro *exercere* Antiquis positum fuit, (quod hodie non est in usu) notante Servio ad Aen. IV. 575.

Jam non furtivum Dido meditatur amorem.

Μελετᾶν proprie est *animo omnia concipere*, *quae peragenda sint*: juxta illud Ausonii in Sapientibus:

——— ——— ——— *Periander predeo*,
Μελέτα τὸ πᾶν qui dixi, & quod dictum probe.
Meditationem id esse totum, quod geras:
Is quippe solus rei gerendae est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.

Sine *praemeditatione* ergo nihil recte agitur. Vide de hâc voce & Nonium Marcellum cap. IV.

CARMINE.] Παλινῳδίαν intelligit; quam à Stesichoro poëtâ ortam esse volunt, qui prius carmine vituperatam à se Helenam postea, visûs recuperandi gratiâ, collaudare compulsus est: cujus rei meminit & Horat. Epod. XVII. 42. Retractat ergo ea quae in Amicam indignius commiserat: quomodo & Horat. I. Od. 16. *recantare opprobria* dixit. Ita *carmine placare* studet amicam ipse Praeceptor amandi, Amor. lib. I. Eleg. 7. Porro, quoad dictionem respexisse videtur Noster Virgilii Eclogam IX. 37.

——— *Id quidem ago, & tacitus mecum ipse voluto,*
Si valeam meminisse: neque est ignobile carmen.

PLACEM] Verbo usus est proprio. Ita Petronius, cap. CXXX. ex personâ amantis: *Tanta erat placandi cura*, &c. Terent. Phorm. V. 7. vs. 72. ubi Chremes:

At vereor ut placari possit. D. Bono animo es.
Ego redigam vos in gratiam.

Tibull. IV. Eleg. 1. 47. quamvis in genere:

 ——— ——— ——— Ju-

——— ——— ——— *Judicis ira*
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.

Propert. III. Eleg. 22 de tabellis amatoriis.

Illae jam poterant sine me placare puellas,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.

Neque mirum de amantibus: *A placendo enim est placare; quod Graecis similiter ἀρέσκω*: ut Vossius docet, Etymol. L. L. Proprie de Diis suis usurpavit Antiquitas, quos *placare* dicebantur sacrificiis &c. juxta illud, *Placatur donis Jupiter ipse datis.* Ita etiam Ennius in Fragment.

Juno placata favere coepit Romanois:

Ut, ex Servio ad Aen. I. 283. testituit Vir Illustris Hier. Columna. Solent enim amantes dearum loco suas habere amasias: ut adolescens ille Plautinus Bacch. II. 2.

Ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.

Idem in Poenul. I. 2. 63. ubi adolescens amans:

Di immortales, omnipotentes! quid est apud vos pulchrius!
Quid habetis? & mox: *Nam Venus non est Venus:*
Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet, ac sit propitia.

Sic, *mea Venus*, usitata formula; ut Appulej. Milef. III. ad quem loc. recte citat Interpres illud Virgilii Eclog. III. *Parta meae sunt Veneri munera*: ubi Servius, *meae amicae* habet. Vide & eundem Madaurensem lib. V. de Psyche: ut & Propertium variis locis, Catullum Carm. XLVI ad Lesbiam, alios. Loquitur itaque de Phyllide, ut dea: quemadmodum & formosas quaslibet *deas* vocabant. De Chariclia Heliodorus, Aethiop. I. *Κορὴ καθῆσο ἐπὶ πέτρας, ἀμήχανον τι κάλλος, καὶ θεὸς εἶναι ἀναπείθουσα.* Porro *placandi* verbum egregie illustravit Synonimis Lucilius, Satyr. XXVII.

Quum pacem peto, quum placo, quum adeo, & quum appello meam!

41. FORSITAN AUDITO POTERIT MITESCERE CANTU. Exorari posse sperat, si ad eam delata fuerit, *Quae meditata diu venit alto sumta querela*; ut cum Lucretio dicam, lib. IV. 1180.

MITESCERE] Vox usitata. Horat. I. Epist. I. 39.

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.

Eodem verbo Ovid. Metam. XIV. 703.

——— ——— *Referam tota notissima Cypro*
Facta, quibus flectis facile & mitescere possis.

Sic Claudianus:

——— ——— *Precibus mitescere.*

Translata videtur vox à feris. Ita enim Plinius, XXI. 25. *Ferae domi educatae mitescunt.* Quin & acerbae fruges, ac praesertim poma, tractu temporis *mitescere* dicuntur. Usum verbi recte admovit Poetarum princeps Aeneid. I. 295:

Aspera tum positis mitescent saecula bellis.

FORSITAN] Recte addidit, ἐξ τὸ ἀξιῶν. Exorabiles esse puellas jam docuere Amorum Triumviri. Tibullus certe lib. III. Eleg. 4. 63.

Sed flecti poterit, mens est mutabilis illis,
Tu modo cum multa brachia tende prece:

Quo loco cultissimum vide Broukhusium. Non invenuste ergo P. Syrus: *Ab amante lacrymis redimas iracundiam.* Modestius itaque de amica sua Lycidas, quam ille in C. Ticidae Fragmentis; quos versus & C. Matio Vet. Poëtae adscribunt alii:

——— ——— *Delinita nutum observabit meum.*
Fores patebunt. de improviso Chrysis, ubi me aspexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum
Mihi se dedet.

Imo *Forsitan* vox est sinistri quicquam suspicantis, ac proinde Zelotypo conveniens. Propert. II. Eleg. 7. 60.

Forsitan & de me verba fuere mala.

Sic Thais apud Terent. Eun. I. 2. vs. 117.

Me miseram! forsitan hic mihi parvam habet fidem.

CANTU.] Allusisse videtur ad incantationes, quae *cantu* vulgo confici credebantur. Vox proinde & Magica. Credebant enim Vett. etiam ferocissimas bestias *cantu* deliniri. Vide hic Appulej. in Milesiis, variis locis, ubi multa de Vett. incantationibus. Nota res est. Confer tamen Theocriti Eidyll. II. quod in eo argumento versatur: unde & Pharmaceutriam suam hausit Maro. *Magicos* hos (ut Vetustas credidit) *cantus* egregia periphrasi descripsit Naso Metam. XIV. fab. I (ubi de Circes incantamentis plura)

——— *Obscurum verborum ambage novorum*
Ter novies carmen magico demurmurat ore.

Simplicius tamen intellexisse videtur de *cantu amatorio*, quo reconciliari sibi sperat amicam. Ita Nemesian. Eclog. IV.

Cantet, amat quod quisque.

42. ET SOLET ILLA MEAS AD SIDERA FERRE CAMENAS] Virg. in Moeri, vs. 29.

Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.

Communis laudandi formula *ad astra, sidera, &c. aliquem tollere*, quae millies Poëtis repetita. Lucan. VII Pharsal.

Attolletque suum laetis ad sidera nomen
Cantibus. &c.

Sed apposite id, prae caeteris, in Daphnidis Apotheosi observavit Virgilius, Eclog. V. respectu sidereae sedis:

Daphn.

——— *Daphnimque tuum tollemus ad astra,*
Daphnin ad astra feremus.

CAMENAS] Cantus pastorales. *μετωνυμία* Efficientis: *Camenae* enim, quasi *Canenae*, à *canendo.* Festus in hac voce: *Camenae, Musae à carminibus sunt dictae: vel quod canunt antiquorum laudes: vel quod sint castae mentis praesides.* Rationem hujus etymi reddit Macrobius Somn. Scip. II. 3. Novem enim *Musas*, *ex Platonis sententiâ*, *octo sphaeris coelestibus* comparat; cui *nonam* adjicit Καλλιόπην. Addit porro: *Musas esse coeli cantum, etiam Hetrusci* (pro quo *Rustici* legunt aliae Editt.), *sciunt qui eas Camenas, quasi Canenas, à canendo dixerunt.* Alii quasi *Casmenas* dictas volunt, ob earum antiquitatem, quasi *cascas*: inter quos & Accius in Fragment. Tragoed.

Veteris Casmenas, cascas res volo profari.

Citat & Macrobii locum Cl. Becmannus Orig. L. L. *Carmen*, inquit, *est canmen, interposito R. ab eôdem cano: quomodo Camena, & Carmena, & Casmena ἀρχαϊσμῷ dicebatur.* Hinc Euándri mater *Carmenta* appellata fuit, eo quod *carmine fata caneret*, atque una ex Musis habita est: ut notat Interpres ad A. Gellii N. A. I. 10. ex Dionysio R. A. lib. I. cap. 3. Voce igitur pure Latinâ ad designandum Musarum cantum, non Graecâ, usus est, rusticae simplicitatis memor, quomodo & Virgil. Ecl. III.

——— *Amant alterna Camenae.*

43. DIC, AGE: NAM CERASI TUA CORTICE VERBA NOTABO] In *cerasi* arboris *cortice* scripsisse Vett. (praeter aliorum testimonia) etiam liquet ex Nemesiani Eclogâ I. 18.

Accipe quae super haec cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciso servans mea carmina libro.

Ad literarum incisionem facit *cerasi* mollior cortex, cum locis gaudeat aquosis. Sane tiliae eam conjungit Plinius, XVI. 18. *Aquosis montibus gaudent acer, fraxinus, sorbus, tilia, cerasus*: atque octo illarum genera recenset. Idem lib. XV. 25. *Cerasi, ante victoriam Mithridaticam L. Luculli, non fuere in Italiâ. Ad annum V. DCLXXX, is primum vexit è Ponto; annisque CXX. trans Oceanum & Britanniam usque pervenêre.* Confer, quae politissimus Interpres ad Propertii Eleg. 2. lib IV. vs. 15. notavit ex Servio Honorato ad Maronis, Georg. II. 18 *Cerasus est civitas Ponti, quam cum delêsset Lucullus, à civitate cerasum appellavit: nam arbor cerasus, & pomum ceratum dicitur.* Ita Servius. quamvis à *Cerasorum* proventu potius Urbem dictam fuisse docet Is. Casaubonus, aliique Eruditi. Ante Lucullum quidem in Italiâ exstitisse *cerasum*, *sed durum, unde & cornum appellatum est*, auctor est Isidor. Orig. XVII. 7. Argute inter Aenigmata & *Cerasum* induxit H. Junius:

Rubra mihi cutis est: latet intus vineus humor:
Os pro corde gero; semen at illud habet.

NOTABO. Verbum hôc loco usitatum. Vide quae ad Eclogam primam, vs. 20. Plenam phrasin habet Virg. Eclog. V. 14.

——— *In viridi nuper quae cortice fagi*
Carmina descripsi, & modulans alterna notavi.

44. ET DECISA FERAM RUTILANTI CARMINA LIBRO.] Signate elegisse videtur *Cerasum* arborem, ob rutilum colorem, qui Amoris est: ùt habet in Hieroglyph. Pierius. *Rutilare* est aurei coloris flavedinem cum splendore quodam referre. Vide hic Varronem de L. L. VI. *Apud Actium* (inquit) *Jamque Auroram rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante Solis ortum, ab eo quod ab igne Solis tum aureo aër aurescit. Quod addit rutilare, est ab eodem colore. Aurei enim Rutili; & inde etiam mulieres valde rufae Rutilae dictae.* Quae tangit & in Etymolog. L. L. magnus Vossius. Confine huic vocabulum est ἐρίθυλος, quo nomine *Rubecula*, sive *Rubellio*, Graecis, ob auri colorem, dicitur. LIBER (qui proprie *interior corticis pars; unde & liber dicitur, in quo scribimus*; ut habet Servius ad Aen. XI. 554) hîc *tabellas sive paginas significat è cerasi ligno affabre factas*, in quibus verba Lycidae descripturus esset. Porro frequens *tabellarum* mentio in re amatoriâ. Hinc Ovid. Amor. I. Eleg. 12.

Flete meos casus! tristes rediêre tabellae:

Et Propert. IV. Eleg. 21.

——— *Tam doctae nobis periêre tabellae.*

Tabellarium ergo se offert, quo amantis desideria ad Phyllidem transferat. In Ligno cerâ obducto scripsisse Vett. notissimum. Quod ipse jam observavit Homerus:

——— Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ.

Ut & Plaut. Poenul. I. I. aperte:

P. *Tuam amicam video*, Callidore. C. *Ubi ea est, obsecro?*
P. *Eccam in tabellis porrectam; in cerâ cubat.*

Et *seqq.* ubi *ceram*, & *lignum*, & *litteras interpretes* conjungit.

DECISA] Notata, descripta. Καταχρηστικῶς pro *incidere*: Nemes. l. cit. *Inciso servans mea carmina libro.* Nisi malis *de* in compositione quandoque poni pro *aperte*, vel *palam*, in *demonstro*, *designo*. prout observant Lexicographi. Proprie tamen *decidere* est ἀποκόπτειν, ἀποτέμνειν. Poëta Vetus:

Arboribus veteres decidere falcibus ramos.

Hinc & apud JCtos μεταφορικῶς Causarum fere-

rerum *Dicisiones.*

45. Has tibi, Phyili preces jam pallidus, hos tibi cantus Dat Lycidas] Exordium τῆς Παλινῳδίας. DAT. i. e. offert. formula in dedicationibus ἀναθημάτων usitata. *Dare* enim in Sacris est *efferre*, vel *dedicare*: unde vulgaris illa inscriptio, *D. D. D. Do, dico, dedico.* Quas tamen Literas initiales J. Nicolai de Siglis Vett. cap. vi. ex Antiquitate Romanâ, etiam explicat, *Datum decreto Decurionum.* vel *Dono Decurio dedit* &c. In Oblationibus itaque ac Sacris locum habet: cui simile *D. D. Dedit donavit.* Plura hujusmodi Vir Literatissimus, loc. cit. Conjungunt itaque *dono dare* probatissimi Auctores. Hinc Servius ad illud Aeneid. viii. 106. *Thura dabant*, &c. *Verbo Sacrorum usus est: nam dici solebat in sacris: da, quod debes, do manu dextra aris.* Cui consentit Macrobius ad h. l. *Usus verbi* DARE *multus est in Sacris*; ùt Brisson. Formul. lib. i. Imo & in *precibus* vox usitata; & in Antiquissimis Saliarium Carminibus (quae vulgo *Axamenta* dicta fuere) ab ipso Numa, ut volunt, institutis, adhibita videntur J. Sauberto, F. de Sacrif. cap. xiii. Hinc illud Senecae Herc. Fur.

——— ——— *Date thura flammis.*

& Propert. iv. Eleg. 6. vs. 5.

Costum molle date, & blandi mihi thuris honorem.

ad quem loc. vide cultissimum Interpretem, qui plura huc facientia habet. Observa autem verbum *dandi* in dedicationum formulis eleganter omitti. Virg. Aen. x.

Aeneas haec de Danaîs victoribus arma.

Vide & ejusdem Eclog. vii. 39. atque ita alii. Sed *Dat* hoc loco exponit Barthius *narrat, canit.*

Preces] Signate dixit. Horat. Epod. xvii in re pari.

Quid obseratis auribus fundis preces?

Confer Maron. Aen. iv. de Didone ad Aeneam:

Et hunc (si quis adhuc precibus locus) exue mentem.

Pallidus] *Pallor* fere amantium color. Unde signate Flaccus, Carm. iii. Od. 10.

Et tinctus violâ pallor amantium.

Quo respexit in Donace suâ Nemesian. ubi amans pastor:

Pallidior buxo, violaeque simillimus, erro.

Hinc Servius ad illud Virgilii Ecl. ii. 47. *Pallentes violas*, &c. *Amantium tinctas colore . . . Unde, non praeter affectionem amantis, eos flores nymphas dicit offerre, qui sunt amantibus similes.* Observant id fere Auctores. Ovid. i. de Art. prope finem:

Pallidus in lentâ Naîde Daphnis erat.

Sed regnat hâc in parte Nasonis musa, qui & inter praecepta ἐρωτικῶν colorem hunc commendat, lib. i. de Art. ibidem:

Palleat omnis amans: color est hic aptus amanti.

Hoc decet, & paulo post·

Ut voto pottare tuo, miserabilis esto:

Ut, qui te videat, dicere possit, Amas.

Hinc illud Appulej. Milef. v. Si rite *conjecto de nimio pallore corporis . . . . amore nimio laboras*: quod etiam tangit Interpres ad illud ejusdem lib. x. (prope initium) de amante novercâ: *Pallor deformis, marcentes oculi, lessa genua.* &c. Sed neque Comici hoc χροιὰ amantis negligunt. Sane Plautus, Perf. i. i. observat:

——— S. *Satin' tu usque valuisti?* T. *Haud probè.*

S. *Ergo aedepol palles?* T. *Saucius factus sum in Veneris praelio.*

Sagittâ Cupido cor meum transfixit.

Egregie hanc, in amore etiam castissimo, exequitur partem Heliodor. Aethiop. iv. ubi de Charichâ, inter caetera amantium signa: Οὐχ' ὁρᾷς αἰ. κ. τὸ οἰδοῦν τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τὸ βλέμμα διερριμμένον, καὶ τὸ πρόσωπον ὠχριῶν; Eodem ferme modo Achill Tatius, Leucipp. lib. v. Ita *tabescentes*, *ac pallentes* prae amore inducit fere pastores suos Theocritus, Eidyll. i. & ii. &c Quocirca non invenuste Jul. Pollux in Onomast. de hôc *pallore*, quem & aegrotis, & amantibus tribuit: Ὠχρὰν τὸν νοσοῦντα, καὶ ἐρῶντα δηλοῖ. Ejusque *palloris* causam reddit physicam Plutarchus in suo de Homer. libello, cap. lxx. Nec minus graphice Lucret iii. 158. & seqq. Sed ad mentem Nostri maxime facit suavissimus ille τῶν Ποιμενικῶν Scriptor, lib. iv. qui signate *pallori*, inter amoris indicia, primum tribuit locum: Ἀλλὰ ἰδὼν εἰς τὸν Δάφνιν, καὶ ὁρῶν αὐτὸν χλωριῶντα, καὶ κρύφα δακρύοντα, ταχέως ἐπέγνω τὸν ἔρωτα. Sed neque sine emphasi dixit JAM PALLIDUS ob conscientiam Amicae à se malè mulcatae. Solent enim in culpâ deprehensi, seu delicti cujusdam sibi conscii, *pallere*: unde illud Horatii, i. Epist. i. vs. 61.

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Quare & δεινικῶς Prudentius:

——— ——— *Pallor in ore,*

Conscius audacis facti, dat signa reatus.

Quem locum, illustratum è Cicerone exemplis, adducit doctissimus Interpres ad Appulej. Milef. x. pag. 6c6. Sub reatu ergo esse profitetur, ac dignum qui ob iracundiae suae atrocitatem ad Amicae tribunal vapulet.

43. Quos nocte miser modulatus acerba. Singula cum emphasi. Et bene addidit MISER quod

quod proprium est *Amantis ἐνδεία*. Tibullus (qui plus semel usurpavit) lib. I. Eleg. 9 53. de Maratho amante, cui *nimius luto corpora tangit amor:*

Vel miser absenti moestas quam saepe querelas
Conjicit! & lacrymis omnia plena madent.

Atque ita ille passim. Frequentissima quoque Propertii de Amantium *miseriâ* querela est. Ut alias ejus omnes ferè Elegias taceam, vel unam hanc vide, lib I. (quae Cynthia inscribitur) Eleg. 5. 3. ad aemulum:

Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala:
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere è mediâ toxica Thessaliâ.

Sed totam vide. Hinc ad se ipsum Lesbiae amore irretitum. Carm. VII.

Miser; Catulle, desinas ineptire!
Fulsere quondam candidi tibi soles. &c.
Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens e-
sto,
Nec quae fugit sectare, nec miser vive.

Cui argumento similis est Nasonis Eleg. 10. Amor. III. ubi graphice miseriam suam depingit:

Sic ego nec sine te, nec tecum, vivere possum. &c.

Nec minus argute Phaedria ille Terentianus, Eun. I. I.

——— O indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse, & me miserum sentio.

Et seqq. Ut reliquos mittam, quam pulchre adolescens Plautinus Cistell. II. 2. de hâc amantium miseriâ!

Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum. &c.
Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rotu miser:
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo.

& paulo post:

——— ——— Ita meum frangit amantem
Animum: neque quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito permities.

Vide ejusdem Prolog. Mercat. I. I. Sed & frequentissima haec Graecorum querela. Ita Theocritus plus semel Eid. I. 82.

Δάφνι τάλαν, τί τὺ τάκεαι: &c.
Daphni miser, quid ita tabescis?

Longus in Pastoral. II. ubi *Amoris miserias* denarrans Philetas: Ἔρωτος οὐδὲν φάρμακον &c. Egregie itaque Xenophon Cyropaed. V. non procul ab initio: Ἀλλ' ἐγὼ ἑώρακα καὶ κλαίοντας ὑπὸ λύπης δι' ἔρωτα. . . . . καὶ εὐχομένους ὥσπερ καὶ τινὸς ἄλλης νόσου ἀπαλλαγῆναι, καὶ οὐ δυναμένους ἰσχυροτέρᾳ τινὶ ἀνάγκῃ, ἢ σιδήρῳ δέδενται. Confer & Luciani Ἔρωτας &c. Verum in amplissimum hunc locum ne descendamus, omnes adeo consule Gnomologorum sententias, Comicorum personatas querelas, Philosophorum ac Rhetorum praecepta, Historicorum exempla, omnium una vox est *Miserum esse amantem*; praecipue si ζηλοτυπίᾳ laboret: in quam praesertim mentem intendit Noster. Sed vide postea. NOCTE ACERBA. *Nox* amantium querelis aptissima. Ita *insomnes* fere reperias, qui *sub Veneris regno vapulant*. Pulchre id decorum observat Theocrit in Pharmaceutriâ, ubi Simaetha tragice admodum *Nocti* ac *Lunae* suos denarrat amores:

——— ——— ——— Ἀλλὰ Σελάνα
Φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἄσυχα, δαῖμον,
Τᾷ χθονίᾳ Ἑκάτα. ubi & argumentum vide.

Neque aliter adolescens, conspectâ primum amasiâ, apud Eustathium in Ismen. lib. V. *noctem misere insomnem* agit. Quod etiam apud Achill. Tatium, lib. I. de se testatur Clitophon, ὥστε ὕπνου τυχεῖν ἐδυνάμην. &c. ubi & rationem reddit: τὰ γὰρ τῆς ψυχῆς τραύματα, μὴ κινουμένου τοῦ σώματος, πολὺ μᾶλλον ὀδυνᾷ: *Vulnera animi, dum quiescit corpus majores sufferunt cruciatus.* Sed locum hunc (ùt video) jam occupaverat doctissimus Interpres ad Longi Ποιμενικά. ubi lib. II. Philetas de se: Αὐτὸς μὲν γὰρ ἠράσθην Ἀμαρυλλίδος, καὶ οὐ τροφῆς ἐμεμνήμην, οὐχ ὕπνου ᾑρούμην. Cui addidit & Plauti locum, totum fere, ex Plauti Mercat jam cit. in quo Charinus adolescens amoris incommoda (ad instar illius juvenis in Cistellar. 2. I.) depingens ait:

——— Amatores aut noctu, aut diei,
Aut Soli, aut Lunae miserias narrant suas.

Simile illud est Heliodori Aethiop. IV. ubi Chavicles de filia: Ὁ δὲ, τί γὰρ οὐ μέλλω, ὀδυρεῖσθαι τε μὴ διαταραχθέντος, καὶ τῆς θυγατρὸς ἀνιάτως διατεθείσης, καὶ τὴν νύκτα πᾶσαν ἄυπνον διαγούσης. & seqq. Frequens ergo haec *Amantium insomnia*, quam & Latinissimus Afer tangit, Eunuch II. I. 13. cui jam praeiverat St. Cecilius in Vett. Fragm.

Consequitur comes insomnia, ea porro insaniam affert.

Ubi notandum, *insomnia* utroque numero dici, prout diversae est Inflexionis. Ovid. Epist. Herûs ad Leandr. cui *per insomnia pars maxima noctis Acta fuit.*

47. DUM FLET, ET EXCUSSO DISPERGIT LUMINA SOMNO] *Dispergere* proprie est in diversas partes spargere, dilatare: Graecis διασκεδάν, δια-

ἀλαωσᾷν. Rarior tamen phrases hac notione, *dispergere lumina* pro *aperire*. Nisi velis ipsum excusso somno, huc illuc circumspexisse, atque oculos (ut ita dicam) circumtulisse ad quaerendam, in somno sibi oblatam, Phyllidem. Quemadmodum de se Ariadne, Epist. x. vs. 13.

Excussere metus somnum: conterrita surge:

Quod videant oculi nunc, nisi littus, habent.

Cui conferas Catulli descriptionem in Nuptiis Pelei & Thetid. de eadem vs. 56. &c. Vel per ὑπαλλαγὴν possit accipi: *dispergit* (i. e. dissipat) *somnum oculis excussum*; adeo ut illud Tibulli (1. Eleg. 1) eveniret, *Cum fletu nox vigilanda venit:* cui accinit Propert. III. Eleg. 19. aliique passim. Sane *Excutere somnum* notissima phrasis. Senec. Troad.

Mihi gelidus horror ac tremor Somnum excussit.

Ovid. in Epist. & alibi saepe, *Excutior somno.* Ad mentem magis Nostri tamen faceret, si liceret versum refingere.

Dum flet, & excusso deterget lumina somno:

tergere enim est tum secundae tum tertiae Inflexionis ut docent Grammatici. Quo facit Vossius in Etymolog. qui de L. L. *tergo à τέρσω Aeolico, pro τέρσω, quod significat ξηραίνειν, siccare.* Ita certe majus huic versui inesset πάθος. Verum non tanti est, ut hine convellantur libb. Edit.

48. NON SIC DISTRICTA MACRESCIT TURDUS OLIVA] Comparatione dolorem suum adauget. TURDOS oleas vulgo infestare, notum. Unde Ausonio, Epist. III. ad Hesper. F. signate dicitur.

——— *Picenae populator turdus olivae.*

Ita Palladius in Mens. Decembr. VI. (quod citant Interpretes) *Immani numero turdos in Italiam, simul cum coturnicibus, advolasse saepe sub Auctumnum*, dicit. Hinc ex re ipsa, vulgo *pingui pastus oliva, edax, avidus* dicitur *turdus.* MACRESCIT, Varro quoque de R. R. III. 5. *Ex olivarum pastu macreduem contrahere turdos, liquet.* Alias vero (quum *obeso nil melius esse turdo*, dicat Horatius) Romanis inter mensarum lautitias in deliciis fuisse, nullo indiget testimonio: tangit hoc saepe Martialis Horatius alii. Hinc & inter munera τὰ ἰξευτικὰ recenset in Xeniorum libello, Epigr. 51.

Texta rosis fortasse tibi vel divite nardo,

At mihi de turdis facta corona placet.

Ut & alibi. Docet quoque Naso de Art. II. 269.

Quin etiam, turdoque licet missaque coronâ,

Te memorem dominae testificere tuae.

Ubi Interpres: *Inter aves primae sunt celebrationis.* Hanc itaque tantopere Romanis dilectam avem *macrescere* πάθος quoddam habet ad movendam amicae commiserationem. Contra vero, *turdos juniperi baccis pastos teneriores fieri salivas* ex A. Persii Interprete ad Satyr. VI. 24. observatum est: qui Auctor tamen *turdas* abusive dixit gen. fem. Quin & apud Graecos (quibus vulgari epitheto etiam πίων in Epigramm. dicitur) inter munera fuisse amatoria liquet è Longi Pastoralibus.

DISTRICTA] i. e. nondum matura, ante maturitatem decerpta. *Distringere* de olivis manu decerpendis usitatum esse, recte notat è Columella XII. 5. Cl. Batthius. Hinc Cato de R. R. eodem docente *olivum strictivum* appellat, adhuc ramis dependens. Varro item R. R. I. 55. *Olea, quae manu stricta, melior ea quae digitis nudis legitur, quam ea, quae digitalibus. Durities enim illorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit. Distringere* itaque hic est vi avellere ac decerpere. Sic Lucanus in Phars. *distringere ramos* dixit, τοὺς κλάδους ἀλαωσᾷν, vel ἀλαωσᾷν. quomodo Virgil. Georg. II. *stringere frondes*; ut & Eclog. IX.

——— *Hic ubi densas*

Agricolae stringunt frondes.

Vide Nonium cap. IV. in voce *Stringere*, ubi, inter varias significationes, ad mentem Nostri maxime facit illud Maronis, Georg. I. 305. (quo loco notat *decerpere*:)

Sed tamen & quernas glandes, tunc stringere tempus,

Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.

ubi *cruenta* notat *matura*, *rubra* juxta Servium.

49. NON LEPUS EXTREMAS LEGULUS QUUM SUSTULIT UVAS] *Turdo* apposite jungit *leporem*, qui & Romanis inter mensarum lautitias; iisdem, quos ad *turdum* dixi, Auctoribus. Conjunxit quoque Martialis lib. III. Epigr. 77. ut & Xeniorum lib. Epigr. 92

Inter aves turdus, si quis me judice certet,

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Ubi obiter observa, doctissimis Interpretum placere *mattya prima lepus*, pro *gloria*, cum Graecis ματτύα sint *cuppediae*. ex Athenaei lib. XIV. *Leporem* vulgo uvas infestari aliasque fruges, notum, quem *legulum* vocat, à decerpendis frugibus. *Leguli* enim, proprie qui olivas, uvas, &c. colligunt. *Ut Regulus formatur, eadem analogia extitit legulus, h. e. qui legit aut colligit manu*, observante Becmanno Orig. L. L. Cato, R. R. LXIV. & CXLIV. frictim utitur: *Legulos praebeto & Strictores qui oleas colligant.* Varro quoque lib. IV. de L. L. *Legulum & Vindemiatorem* videtur distinguere. *alter enim*, ait, *est ab oleis*, *al-*

alter ab uvis. Lib. tamen v. vocem generalem esse docet: *à legendo*, inquit *Legulus*, *qui oleas aut uvas legunt*, i. e. manu decerpunt. Neque aliter Galli, qui *Legulum* exponunt per *Cueilleur*, *ou Vandangeur*. Graecis certè Τρυγητὴς est *Legulus*, quam vocem itidem ad *Vindemiatorem* transferunt: cum τρυξ sit *vinum recens*, *vel Vindemia*, & τρυγάω significet *vindemiam exerceo*. Sic Long. Pastor. iv ...

Extremas sustulit uvas.] Uvas Autumno jam elapso (i. e. sub hyemem) relictas, ob pabuli inopiam, sublegit. Eo fere tempore fame coactos obvagari *lepores*, innuit Poeta, Georg. i. 308. de venatu agrestium:

Tum gruibus pedicas, & retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere damas,
Cum nix alta jacet.

Confer Horat. Epod. ii. 35. qui sub hyemem & *turdos*, & *leporem*, faciles captu inducit. Sic *Hyemem extremum annum* vocat, Virgil. Georg. iii. 304.

——— ——— *Cum frigidus olim*
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.

Extremas ergo vocat *uvas*, extremo anni tempore neglectas, atque ob id vilissimas. In vineis autem oberrare lepores pastûs causâ, vel venatorum tumultum effugientes, observat etiam Auctor Pastoral. lib. ii. ubi Mitylenaeos adolescentes inducit: ... Fuxacissimum simul & fugacissimum animal fere inferunt *leporem* Auctores; unde & *hortorum ac vineae depopulator* vulgo audiat. Sed apprime huc facit (quod Plinius, xi. 37. affirmat) *lepores in vitginitis oberrantes raro pinguescere*.

50. Ut Lycidas domina sine Phyllide tabidus erro] Egregia comparatio, praesertim cum & *Lepus errare* dicitur. Ovid. in Metam. alii TABIDUS, Legunt quidam *turbidus*, exhibente in V. L. doctissimo J. Vlitio. *Tabescere* tamen vulgo dicuntur Amantes qui spe ac voto exciderunt. *Tabidus* ergo est exsuccus, languescens: proprie de eo, qui animi aegritudine ac moerore sensim deficit. Quemadmodum fere definit Cicero Tuscul Quaest iv. Sic Terent. Adelph. iv 3 *Dolore ac miseriâ tabescit*. *Tabidus* ergo hic notat *quynende*. Theocrit. Eidyll. i. 66. ... *Cum Daphnis amore tabesceret* Pulchre ad invidiam, & Zelotypos traducitur: juxta Phalaecium, Virgilio adscriptum in Vett. Catalect.

Livor, tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas.

De Aglauro, Hersae sororis nuptiis invidente, graphice Ovid. Met. ii fab. 17.

——— *Lentâque miserrima tabe*
Liquitur, ut glacies incerto saucia Sole:
Felicisque bonis non lenius uritur Herses,
Quam cum spinosis ignis supponitur herbis,
Quae neque dant flammas, lenique tepore cremantur.
Saepe mori voluit, & seqq.

At nihil vulgatius, quam cerae ad ignem liquescentis comparatio. Theocrit. in Pharmaceutr. vs. 27. ex personâ Simaethae:

Ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ, σὺν δαίμονι τάκω,
Ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις·

Quod in Pharmaceutriâ sua imitatum esse Maronem in re simili, constat. Confer & Echûs fabulam Narcissi *amore tabescentis* apud eundem: Metam. iii. fab. 8. nec non ejusdem Narcissi, fab.

——— *ut intabescere flavae*
Igne levi cerae, matutinaeque pruinae
Sole tepente solent: sic attenuatus amore
Liquitur. &c.

Sed phrasin proprie expressit Lucretius, vi. 515.

——— ——— ——— ——— *Igni*
Cera super calido tabescens multa liquescit.

50 Domina sine Δέσποινα. *Dominas* vocare solebant amicas suas Venerei quondam nepotuli. Loca quaedam hic congessit ex Amorum Triumviris Cl Barthius; quibus addidit ex Achille Tatio, in Leucipp. ... Sed huic simile est illud Epicteti, Enchirid. cap. lxii. ... &c. Observa tamen nomen Δεσποίνης frequentius in usu esse, quam Κυρίας; quae prior vox etiam honestissimis matronis ac matribusfamilias erat propria. Pro innumeris, unus sufficiat Propertii locus, Eleg. 14. lib. iii. qui de Imperio Amicae:

Nox media, & dominae mihi venit epistola nostrae:
Tibure me missa jussit adesse morâ.

Atque ita passim omnes uno ore Poëtae. Praeiverant jam Antiquiores. Lucilius, Satyr. xxvii.

Quem mei me adeunt servi, nec dominam ego appellem meam?

Ex re ipsa Terent. Heautont. ii. 3. de amatoribus:

——— *Disciplina est iisdem munerarier*
Ancillas primum, ad Dominas qui affectant viam.

Apposite itaque Ovid. de Art. I.

Cum surgit, surgas, donec sedet illa, sedeto;
Arbitrio dominae tempora perde tuae.

Neque alio nomine solent passim Appulejus in Metam. Petronius, caeterique, rem qui tractant amatoriam. Imo & *domini* quoque (praeter alias significationes) dicebantur Amasii & pusiones. Martialis plus uno loco, lib. XII. Epigr. 67. & XI. Epigr. 71.

Stant pueri, dominos quos precor esse meos.

Neque mirum; cum *Domina* peculiari nomine dicatur ipsa Venus. Appulej. Milef. VIII. *Cum suo Adone Venus domina* ita lib. V. sub finem ad eandem Ceres & Juno in Psyches fab. *Tunc illae palpare Veneris iram saevientem sic adortae: Quid tale, Domina, deliquit tuus filius?* Idem lib. VI. *De multis, quae circa cubiculum Dominae stabulant, procedunt quatuor candidae columbae.* &c. Quo fere modo in Epithalamiis suis Statius, & Claudianus, *Venerem* vocant. Quin & ab initio fere lib. XI. ipsa Isis, seu Venus Paphia, de se variisque suis cognominibus: *Elementorum omnium vocor Domina.* &c. Cui cognuit Lucret R. N. I. ab ipso itidem principio. Sane Juno eodem gaudet nomine, apud Virgil. Aen. III. 437.

Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera votis.

Ita Aen. VI. per *dominam Ditis* intelligit Proserpinam, cum respectu ad novas Nuptas, quae itidem *Dominae* dicebantur. Sed, *Dominas in genere deas dicunt, ut alibi, &c. Sane dominam proprie Matrem Deorum dici Varro, caeterique affirmant.* ut recte Servius. Ita [illegible] Δέσποινα apud Graecos; quae vox Callimacho, & Homero in Hymnis Dearum, Sophocli in Tragoediis, aliisque usitata est.

51. TE SINE, VAE, MISERO MIHI LILIA NIGRA VIDENTUR.] Hos versus & apud Nemesianum in Donace reperias: unde conjecit Cl. Barthius, aliique, Calpurnium illos ex eo descripsisse. Constaret itaque, Nemesianum Eclogas suas ante Poëtam nostrum edidisse Quod secus videtur. Nusquam enim Cari Imperatoris meminit Olympius, nisi defuncti; utpote qui illius Apotheosin celebravit sub nomine Meliboei, Eclog. I. cui titulus Epiphunus Quo accedit, quod Cynegeticum suum idem Olympius Nemesianus dedicaverit Carino & Numeriano Augg. post ipsius Cari obitum, quem manifeste *Divum* vocat, qui titulus certe post Apotheosin Impp. datus est. Noster contra de Caro Aug. loquitur, ut vivo ac superstite, Eclog. I. IV. V. ac VII. ubi de Ludis illis Magnificis agit, quos ipse Carus Aug. cum Filiis Caes. ante expeditionem Persicam Romae edidit. Licet enim Vopiscus in Vit. Carini cap. XIX. Carino & Numeriano tantum Ludos hosce Memorabiles adscribere videatur; validis tamen rationibus demonstrat magnus Salmasius scribendum esse: *Memorabile maxime Cari, & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quod Ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt* Constat ergo Nostrum haec scripsisse ante Nemesianum.

LILIA NIGRA VIDENTUR] Latius aliquanto hunc locum prosequutus est Nemesian. Ecl. cit.

Te sine, vae, misero mihi lilia nigra videntur,
Pallentesque rosae, nec dulce rubens hyacinthus:
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores.

Recte inquit VIDENTUR: ex Amantium affectu & fastidio rerum extra amores suos. Ita P. Syrus in Mimijamb.

——— *Amans multa mentitur sibi.*

Neque aliter Charinus adolescens apud Plaut. Mercat. I. I. de amantium praejudicio:

Quae nihil attinent ad rem, nec sunt usui, haec
Amator profert saepe adverso tempore.

Ita noster hic Lycidas τὰ ἀδύνατα sibi fingit, atque ipsas hortorum ciborumque delicias, sine Phyllide suâ, sordere sibi ait. Eodem more de Amicae suae absentiâ conqueritur ipse Praeceptor Amoris, in Amor. lib. II Eleg. 16.

Non ego Pelignos videor celebrare salubres,
Non ego natalem, rura paterna, locum,
Sed Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Britannos
Quaeque Prometheo saxa cruore madent.

Hinc argute Plaut. Cistell. I. I.

Eho! an amare incipere occipere amarum est obsecro.

Nempe tum absunt ab amante, (ut habet idem in Bacchid. I. 2.)

Amor, voluptas, Venus, venustas, gaudium,
Jocus, ludus, Sermo, suavis Suaviatio.

Quorum in locum succedunt (velut idem in Mercat. V. 2.)

Cura, miseria, aegritudo, Lacrymae, lamentatio.

52. NEC SAPIUNT FONTES, ET ACESCUNT VINA BIBENTI] Pulchre in hanc rem idem Plaut. Cistell. II I. ubi adolescens amans:

——— ——— ——— ——— *Nubilam mentem*
Animi habeo: ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet jam id continuo. &c.
——— *Ita pater apud villam detinuit me hos dies sex*
Ruri continuos: neque licitum interea est meam amicam visere.

FONTES] Sed ita Nemesianus loc. cit.

Omnes,

Omnes, ecce, cibos & nostri pocula Bacchi
Horreo, nec placido memini decedere somno.

Verum *fontes* Noster dixit simplicitate rusticâ; dum pastoribus frequentior potus *simplicis humor aquae.* Jam *fontem* pro *aquâ* usurpari, notavi ad Eclog. II. *Fontes* quoque in deliciis pastoribus fuisse, nihil attinet dicere: quos & inter amoenitates vitae rusticae vulgo notant, laudant, Scriptores. sic Flaccus, I. Epist. 10. *ruris amoeni rivos*: & Epod. II. *Lymphisque fontes obstrepunt manantibus.* Suavissime autem Hippolytus apud Senec. Poëtam, ait. II. vs. 510.

——— *Juvit aut amnis vagi*
Pressisse ripas, sive fons largus citas
Diffundit undas, sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.

Elegantissimum confer Achillis Tatii locum, Leucipp I. Ἐν μέσῳ τῶν ἀνθῶν ἡ πηγὴ, & seqq. & in Longi Pastor. initio lib. IV. ut & I. Μία πηγὴ πάντα ἔτρεφεν. &c. Mirum itaque πάθος in homine rustico, si prae amore, ipsae etiam vilescant aquae.

ACESCUNT VINA] Accedit ad Nostrum Ovid. Epist. Paridis, vs. 206.

Crescit & invito lentus in ore cibus.

Propius tamen inter Juniores J. Secundus ad Neaeram, Basio IV. *Non mensas sine te volo Deorum.* &c. Ita quoque Petron us.cap. XCII. *Sitateque avide poculo, negat sibi unquam acidius fuisse* Namque, (ut idem, cap LXXXII) *ubicunque dulce est, ibi & acidum invenies.* Eodem quoque more ἐδυσάρεστον se fuisse circa ciborum ac vini appetentiam testatur Philetas, dum juvenis amori operam daret apud Longum in Daphnid. lib. II Καὶ ὅτε ... ἀπεστρεφόμην. De *Vino* proprie dixit *acescere.* Ita Columella XII. 6. *vinum acescere solet*, &c. Neque aliter Plinius, & Cato de R R. usurpat tamen Horatius in genere, de quovis liquore, I. Epist. 2. 54. quamvis ἀκυρολογῶς:

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.

53. & 54. AT SI TU VENIAS, ET CANDIDA LILIA FIENT. ET SAPIENT FONTES, ET DULCIA VINA BIBENTUR.] Idem Contrarium infert Nemesianus:

At si tu venias, & candida lilia fient,
Purpureaeque rosae, tum dulce rubens hyacinthus;
Tum mihi, cum myrto, laurus spirabit odores.

Quo postremo versu ante oculos habuit Virgilii Alexin, vs. 54, 55. Recte itaque Vir doctissimus D. Guidalottus, de Calpurnii Vitâ agens: *Quantum Nemesiano placuerit ipse Calpurnius, ex hoc apparet, quod eum imitari omni nixu conatus est. Quin & saepe integrum illius carmen inserit suis.* Eadem interea opposita habent & principes Poëtae. Maro, Ecl. VII. 59. sensu fere eodem:

Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit.

dixerat enim paulo ante:

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba.

Cui simile illud Theocriti, Eidyll. VIII. 41. & seqq.

Πάντα ἔαρ, πάντα δ' ἐνομοὶ, πάντα δὲ γάλακτος
Οὔθατα πλήθουσι, καὶ τὰ νέα τρέφεται,
Ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται· αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
Χὠ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι χ' αἱ βοτάναι.

Id est. *Ubique ver est, & ubique pascua, & ubique lacte ubera turgent, & tenerae pecudes saginantur, quo pulcra Puella advenit. Si vero discesserit, tunc & pastor aret illic & herbae.* Sed cui non hic locus est tractatus.

55. ILLE EGO SUM LYCIDAS, QUO TE CANTANTE SOLEBAS DICERE FELICEM!] Confer Nemesianum:

Idas ille ego sum, Donace!

uterque cum Emphasi.

QUO CANTANTE] Dixerat ante:

——— *Solet illa meas ad sidera ferre Camoenas.*

Ita Sappho, Epist. XXI ad Phaonem:

Cantabam memini (meminerunt omnia amantes)
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.

Sic Daphnidis cantu delectatam vide Chloën in Pastoral. II. sub finem fere: ὑπὸ τῆς ᾠδῆς ... &c. Ita gloriatur Propertius se ob carmina dominae placuisse, lib. II. Eleg. 10.

Me juvat in gremio doctae legisse puellae,
Auribus & puris scripta probasse mea.

Hinc quoque Naso de suis in Corinnam cantilenis, Amor. II. Eleg. 17.

Sunt mihi pro magno felicia carmina sensu,
Et multae per me nomen habere volunt.
Novi aliquam quae se circumferat esse Corinnam.
Ut fiat, quid non illa dedisse velit?

Et quantopere puellis ob cantilenas suas placuerit Anacreon, quae se felices eo cantante dicebant, vide Od. V.

Στέψον δ' ἐμὲ, καὶ λυρίζω,
Μετὰ Κούρης βαθυκόλπου
Ῥοδίοισι στεφανίσκοις
Πεπυκασμένος, χορεύσω.

Atque ita multoties.

56. CUI DULCIA SAEPE DEDISTI OSCULA.] Hos quoque tres *seqq* versus habet Olympius loc. cit. praeterquam quod τὸ DULCIA omiserit: cui voci tamen ἐνέργεια quaedam inest. Virg. Aen. I. 691.

Cui dabit amplexus, atque oscula dulcia figet.

Unde etiam *nectarea* Poëtis dicta sunt, & *mellita.*

ta. Ad verba Nostri facit Codrus Poëta:

—— *Tibi dat cantanti dulcia Clio Basia.*

Nota triplicem differentiam, *Osculi*, *Basii*, ac *Suavioli*: quorum *primi religionis*, *suavia ac basia voluptatis esse* dixit Interpres ad Aen. I. 260. Hinc & Nonius de Different. cap. v. ait, quod *ab ore Osculum*, *Suavium à suavitate dicitur.* ubi Varronem de Vit. Romanor. citat. Certe ita Vett. Grammatici, Ael. Donatus, & Aruntius Celsus: *Oscula officiorum sunt*, *basia pudicorum affectuum*, *Suavia libidinum*, *vel amorum.* Inde forte Catullus, ad hanc respiciens suavitatem, Carm. ad Juventium:

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.

Suavium argute per suum Φίλημα expressere Graeci. Notant Literati *osculum* esse, quasi *parvum sive contractum os.* *Osculum* (inquit Grammaticus ad Aen. l. cit.) *hic est* στόμα, *non* φίλημα, *& significatum tenet primitivi.* Ita Ovid. Met. I. fab. 13.

—— —— *Videt igne micantes*
Sideribus similes oculos, videt oscula.

Summam in *osculis* esse *suavitatem* mirifice descripsit Achilles Tatius, Leucipp. II. Πρῶτη μὲν ἡ ἐπιθυμία, ἐκ τῶ ἔρωτος, &c. Primae sunt *oscula deliciae ac praecipua voluptas*, *quae Amanti obtingat*, *utpote quae ab ore*, *pulcherrima ac nobilissima corporis parte originem ducant* .... Imo *osculis* credebant Antiqui animas posse transfundi, atque iis vim quandam esse arcanam. Quocirca *oscula* ferere, unde enascantur Amores, in Graeco Epigramm. fingitur Cupido. Vide porro quid notaverit de *osculorum* genere doctissimus Enarrator ad Longi Pastoral. lib. I. ubi Daphnis pastor de Chloës suae basio: Τί ποτέ με Χλόης ἐργάζεται φίλημα; χείλη μὲν ῥόδων ἁπαλώτερα, καὶ στόμα κηρίων γλυκύτερον .... τοῦτο φίλημα κέντρου· ἐκπηδᾷ μου τὸ πνεῦμα, ἐξάλλεται ἡ καρδία, τήκεται ἡ ψυχὴ, καὶ ὅμως πάλιν φιλῆσαι θέλω. Quo nihil magis tenerum excogitari possit. Hinc *calidiora* dixit *oscula* Heliodor. Aethiop. I. utpote quae mulier daret; καὶ θερμότερα ἐν τοῖς φιλήμασι τῆς γυναικός. Hinc & Theocrit. Eidyll. III. 20.

Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.

(quem versum repetiit Eid. XXVII 4. in Colloquio Daphnidis ac puellae) scilicet & *in nudis osculis suavitatem esse*, dicens. Ad dictionem Nostri proxime accedit Appulej. Miles. II ubi ipse de Fotide sua: *Protinus in eam mellitissimum illud suavium impressi. Tum illa; cave, ne nimia mellis dulcedine diutinam bilis amaritudinem contrahas.* Dulcedinis quoque eorum meminerunt, qui quartum amoris gradum concedunt osculis. Sed de his plena est omnis Antiquitas. Vide & Plutarch. Quaest. Rom. VI. ubi de more salutandi osculo plura.

Dedisti] Nota vocis proprietatem. Ovid. Amor. II. Eleg. 5.

—— *Supplex utroque rogavi,*
Oscula ne nobis deteriora daret.
Risit & ex animo dedit oscula, qualia possent
Excutere irato tela trisulca Jovi.

Hinc & Catullus locus, Carm. IV.

Da mihi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera. &c

Et signate inter Recentiores (ut alios taceam) nulli Veterum secundus Hagiensis ille Poëta, *cujus Basia vivent, dum basiis amantium ora patebunt*, in suis mellitissimis ad Neaeram Carminibus, Basio IV.

Non dat basia, dat Neaera nectar,
Dat rores animae suaveolentis,
Dat nardumque thymumque cinnamumque,
Et mel, quale legunt jugis Hymetti,
Aut Cecropiis apes rosetis:
Quae si multa mihi voranda dentur,
Immortalis in iis repente fiam.

Ubi & Propertium respexisse videtur, lib. II. Eleg. II 10 *Dandi* enim vox (quam Graeci παρέχειν dicunt) in amoribus propria; ut norunt Initiati.

57. Nec medios dubitasti rumpere cantus.] tanquam mercedem mihi persolutura. *Rumpere* pro *interrumpere*, simplex pro composito. Ita Venerem, media inter verba, oscula offerentem Adonidi, inducit Ovid. Metam. X. 560.

Inque sinu juvenis posita cervice reclinis
Sic ait: & mediis interserit oscula verbis.

Praeterea emphasin quandam habet τὸ *dubitasti*. Virgineae enim videbatur repugnare verecundiae, oscula si prior ingereret.

58 Atque inter calamos errantia labra petisti] *Labra* osculorum sedes. Hinc Poëta Siculus, Eidyll. XII. 32. osculari vocat γλυκερώτερα χείλεσι χείλη προσμάξαι, *dulcius labra labris applicare.* Quo fere modo Plautus Pseudol. V. I.

Ubi amans complexus est amantem: ubi ad labra labella adjungit.

Quod argute idem, Mil. Glor. IV. 8. extulit, *labra labellis ferruminavit*: ubi lectionem vide magni Scaligeri. Huc spectat & illud Cn. Matii in Vett. Fragm.

Columbatim labra conserens labris

Similiter Lyricum sub nomine Corn. Galli: *Porrige labra, labra corallina, Da columbatim mitia basia.* Confer, quae in delicatissimam hanc materiem Clitophon inquit apud Achill. Tat. *Meri*

pri-

prius exceptum, quam alteri Leucippes osculum concedere: nihil enim his dulcius; cum ex animorum fonte proveniant. Neque aliter Eustathius de Ismenae amoribus, *labra vinosa, oscula uvis* comparat. At quam suaviter Anacreon ad Pictorem de amasia sua, Od. xxviii.

Γεῖλος χεῖλ... , οἷα π...

Π...

Omnem vero exsuperat suavitatem delicatissima illa J. Secundi comparatio. Bas. xix.

Melligerae volucres, quid adhuc thyma cana, rosasque,
Et rorum vernae nectareum violae
Lingitis? aut florem late spirantis anethi?
Omnes ad Dominae labra venite meae!
Illa rosas spirant omnes. &c.

Errantia labra] Elegans μεταφορά. Errare hic est nunc hos, nunc illos calamos inflare: quam phrasin egregie amplificavit Claudianus Epithal.

Maenaliosque modos & pastoralia labris
Murmura tentabat relegens, varioque recursu
Dissimilem tenui variabat arundine versum.

Eleganter id vocat Longus in Pastor. τοῖς χείλεσι τὰς σύριγγας ἐπιτρέχειν, *labiis calamos percurrere* Sic notum illud, *calamo trivisse labellum.*

59 Ah dolor!] Πάθος. *Dolor*, vox amantibus propria. Tibull. i. Eleg. 6.

——*Tentavi curas depellere vino;*
At dolor in lacrymas verterat omne merum!

Ad rem Propertius, ii. Eleg. 4. 9.

Nunc est ira recens; nunc est discedere tempus.
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.

Atque ita facpius. Sic lib. i. 9.

Me dolor, & lacrymae merito fecere peritum!

Phaedra amans apud Senec. Frag. Hipp. ait. *Quis me dolori reddit.* &c. Vide & Nasonem, Amor. ii. Eleg. 5. 33. aliisque locis. Imò *dolor* pro amore, passive sumto: Propert. i. Eleg. 20.

Ah! dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin!

Sed & frequens est formula Comicis. *Ah enim interjectio omnibus orationis formis accommodari potest*: ut observant Grammatici. Hic vero est indignantis ac stomachantis. Nostrates eleganter, *ô fyyt!* Similis formula, *Pro pudor!* Sic Prudentius Περιστεφ. v. de Praetore furibundo ac stomachante:

Quis vultus iste, pro pudor!
Datianus ajebat furens.

59. Et posthaec placuit tibi torrida Mopsi Vox.] Malim *post haec* divisim efferri. i. e. post tanta inter nos amoris indicia. Ita Nemesianus Ecl. ii.

Et post haec, Donace, nostros contemnis amores?

Vox torrida] rauca, stridula. Similem habet locum Noster Ecl. vi. 22. *Qui vix stillantes arida voces Rumpis, & expellis male singultantia verba? Torridum* proprie quod vel Solis ardore vel igni aduritur. Ad *vocis asperitatem* hic transfertur. Sic enim Lucretius, iv. 546.

Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum, & item laevor laevore creatur.

Quo loco multa de vocis formatura, ac differentiis habet: quam corpoream esse contendit, quia ex impulsu aëris formatur. Ita enim vi. 531. ibid.

Praeterradit enim vox fauceis saepe; facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor. &c.

De quo argumento disputat & A. Gellius v. 15. contra Platonis sententiam, qui *vocem* non aërem perculsum, sed plagam atque percussionem ipsam esse putavit; quod ad mentem Calpurnii magis accedit. Ejusmodi *vox torrida* Pindaro in Pythionic. φωνὴ dicitur δύσθροος, *aegre sonans*; Orpheo in Argonaut. φωνὴ λιγυρή; Oppiano, Halieutic. iv. λιγύφθογγος, *stridule sonans.* Neque aliter Anacreon in Odariis: *...* &c. De Voce quoque multa habet Quinctilianus, Inst. Orat. xi. 3. cui *vox aspera* dicitur *rudis, dura, rigida, acerba.* contra *Vox optima, est clara, pura, secans aëra, auribus sedens, articulata.* &c. *Malam vocem* describit Naevius, Poëta Vet. in Exodio:

Quando ad ludos venit, totum argutatur, ut cicada.

Apposite: cum *cicadae* vulgo dicantur *stridulae ac raucae; ut ex Poëtis notissimum: quamvis in ejus laudes excurrat Anacreon, Od.* xliii.

Φιλεῦσι μέν σε Μοῦσαι,
Φιλεῖ δὲ Φοῖβος αὐτός,
Λιγυρὴν δ' ἔδωκεν οἴμην.

Unde apparet λιγυρὴν vocem esse mediam. Apertius ergo Lucilius, Satyr. xx. de voce malae notae:

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu colubras
Disrumpit cantu, venas quum extenderit omneis.

Vide Ausonii Epigr. lxxvi. in hominem vocis absonae:

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum
Capriginumque genus, &c.

Quae hic quadrant.

60. Et carmen inops] Cantilena pauperis venae, nullius artis ac veneris. Ad hanc formam dixit Horat. in A. P. vs. 323.

—— —— *Versus inopes rerum nugaeque canorae*

Et Serm. ii. 3. vs. 133.

Destituent inopem venae. &c.

Ad rem quoque Sidonius Apollinaris in Panegyr. ad Consentium:

Cantum impendere pauperis cicutae.

Quem locum citat & Cl. Barthius. Adde ex Eodem de Chirone: Epithal. in Polemium:

Nec, quod detenuit Camoena major,
Nostram pauperiem silere cogas,
Nec risit pia turba rusticorum,
Quamvis saepe Senex biformis ille
Carmen rumperet hinniente cantu.

Ita dicitur *Carmen diffusum paupere vena. Sonis* enim *homines, ut aera tinnitu dignoscuntur:* ut l. cit. Quinctilian. Confer hic Theocrit. Eidyll. v. 7. 23.

Ἤς ποτ' Ἀθῆναίας ἔρις ἤριδι [illegible]

60. Et acerbae stridor avenae.] Respexit illud Maronis Eclog. iii. 27.

Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Sonitus asperi *stridorem* egregia comparatione (ut solet) illustravit Poëta Sulmonensis, Metam. xii fab. v. 276. quamvis in non eadem:

Terribilem stridore sonum dedit; ut dare ferrum
Igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva
Cum faber eduxit, lacubus demittit: at illud
Stridet, & in tepida submersum sibilat unda.

Quam comparationem ex Lucretio adumbrasse videtur, qui lib. vi. vs 147. de causa tonitruum agens:

Ut calidis candens ferrum è fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propere demisimus imbrem.

Ubi rectius *demersimus* alii legunt. Unde & breviter Maro, Aen. viii. 450. *Alii stridentia tingunt Aera lacu. Stridor* enim proprie ferri, vel aeris. Hinc Maro, Aen. i. 453.

Foribus cardo stridebat ahenis.

Ennius, Annal. xi.

Tum tlupei resonant, & ferrei stridet acumen.

Et mox: *stridens hasta.* Unde & Virgilio est, Aen vi. 558. *Stridor ferri, tractaeque catenae.*

Acerbae avenae.] Stridentis calami. *Avenae* malunt alii: quas voces conjungit etiam Flaccus i. Od. 34. *cum stridore acuto sustulit.* Graphice autem Lucretius, ii. 410 dixit:

——— *Serrae stridentis acerbum Horrorem.*

ad quem loc. Lambinus: *translatio est a gustandi sensu ad auditum: Nam acerba sunt linguae & palato ingrata propter insitam immaturitatem Serrae autem horror non gustum, sed auditum offendit.* acerbae itaque, ob elegantiam; praeferendum. Sane in Lucretii exemplo, & voce *acerbae* litera R. mirum habet artificium. Ejusmodi adliterationes in Antiquis Poëtis frequentissimae. Crebra quoque hujus literae quam caninam dicunt, repetitione, usus est in tempestatis descriptione maximus Vates, Aen. i. 89.

Una Eurus, Zephyrusque ruunt, creberque procellis
Africus.

Verum & hoc aliis observatum Poëtis: unde illa *clamorque virûm stridorque rudentum; fremitus maris* & similia. Apposite ergo Maurus Terentianus de litera R

Vibrat tremulis ictibus avidum sonorem
Haec, quae sequitur, littera.

Hinc & *Serpentum stridor*: & illud Silii Italici Punic. ii. 537. *Stridoremque tuum, quo territa compressit ora Cerberus.* Mirifice ergo Mopsi inamoenam descripsit vocem: quam lenius propotuit, quamvis non sine venere, Nemesianus, Eclog. i. 15,

——— *Carmine victor*
Risisti calamos, & dissona flamina Mopsi.

Si vero rem spectes, confer Panos adversus Apollinem certamen, in fab. Midae, Metam. xi. 162.

——— *Calamis agrestibus ille*
Barbarico, te Midam (aderat nam forte canenti) Carmine delenit.

Nota ad Nuptiarum commendationem primum inter pastores habuisse locum artem bel'e tractandi fistulam. Observat id Longus, qui ridiculos facit pastores canendi imperitos: contra vero Daphnidem ita inducit (Pastoral. lib. iii.) de cantu suo gloriantem: Ἐμοὶ δὲ ς Χλόη [illegible] ἵγω ἡ συρίζ [illegible] & seqq. Imo cantu solo ad nuptias permoturum se sperat amicam pastor, apud Theocritum, Eidyll. iii 38. Nihil ergo in Antagonistam gravius dicere potuit, nisi *imperitum esse Cantorem.*

61. Quem sequeris? quem, Phylli fugis?] Pulcra [illegible]. Ita Corydon in Alexi apud Virgil. vs. 59. *Quem fugis, ah demens!* Nec minus breviter amans Dido, Aen. iv. 314. *Mene fugis?* in quibus mirum etiam animadvertit [illegible] Seneca Philosoph. in Controvers. q. d. *Quem sequeris? bardum illum & stridulum bubulci famulum? Mene, elegante, adeo [illegible]? ô dolor!* Contra, quam Cyclops Theocriti, Eidyll. xx. qui se scire profitetur, cur fugiat [illegible]:

Γινώσκω, χαρίεσσα [illegible]

Morem hic taxat feminarum, quae (*ut Comicus*) *ubi velis, nolunt.* &c. Ita enim de Galathea Bucoliastes jam citatus, Eid. vi. vs. 17,

Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

61. Formosior illo dicor; et hoc ipsum mihi tu narrare solebas.] Plenius hunc locum, ac paulo jucundius extulit Nemesianus l. cit.

——— No-

—— —— Nostro formosior Ida
Dicor, & hoc ipsum mihi tu narrare solebas,
Purpureas laudando genas, & lactea colla
Atque hilares oculos, & florem puberis aevi.

Frequens Amantium haec jactantia, quâ contemtui habuit Rivales. Sic apud Theocrit. Eid. xx. 30. bubulcus stulta quadam gloriola se formosum jactat:

Καὶ πάσαι κατ' ὤρεα φαντί με καλόν ... γυναῖκες.

Ita & Corydon Virgilianus, eâdem formae confidentiâ:

—— —— Non ego Daphnin
Judice te metuam, si nunquam fallit imago.

NARRARE SOLEBAS] Sic formam Adonidis, vel eo praesente, laudat Venus, apud Nasonem. Metam. x. 579. de Atalanta dicens:

Ut faciem & posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si femina fias!

Laudat quoque praesentem Hermaphroditum Salmacis, apud eundem, Met. iv. 320.

Tunc sic orsa loqui: Puer ô dignissime credi
Esse Deus! seu tu Deus es, potes esse Cupido;
Sive es mortalis, qui te genuere, beati! &c.

Neque aliter Sappho, Phaonis formam depraedicans: Epist. xix

O nec adhuc juvenis, nec adhuc puer! utilis aetas!
O decus, atque aevi gloria magna tui.

ubi & usum vocis *pueri* vides, de qua Eleg. ii. vs. 1.

63. SUM QUOQUE DIVITIOR!] Antique, pro *ditior*, & ἀρχαϊσμός. Plaut. Pseudol. v. 2. 24.

Nam hinc nunquam eris nummo divitior.

Sic Terent. Phorm. i. i. 8. Usurpat & Lucretius, v. 1114. qui archaismum fere amat: ad quem locum vide, quae Lambinus de hac voce. Ipse purissimus Naso Metam. vi 453.

Ecce, venit dives magno Philomela paratu,
Divitior formâ.

Martialis quoque lib. iv. Epigr. 54. *Divitior Crispo.* nec non Epigr. 40. lib. v.

Croeso divitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Carine.

Neque abhorrent Cicero iii. de Orator. ab hac voce, neque Tacit in Annal. citante Interprete ad C. Nepotis Phocionem, cap. 1. ubi recte *divitissimus* in quibusdam Edd. habetur, pro *ditissimus.* Sed vide Vossium, de Analog. lib. ii. cap. 25. *Ditior est ex divitior.* &c. ubi, praeter alios, & Calpurnii nostri auctoritatem producit.

63. CERTAVERIT ILLE. &c.] Stomachantis est ἐρώτημα. Ergo sensus est: Illene ausus fuerit muneribus mecum contendere. Ita Noster Eclog. vi. 23. *Vincere tu quemquam? vel te certamine quisquam Dignetur? Certare*, vox propria. Plaut. Mil. Glor *Inter se certant donis.* Apud Virgilium, Corydon Ecl. ii. 57.

Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.

Petron. in Satyr. *Suas opes summo certamine congesserant.*

63. TOT HOEDOS PASCERE, QUOT NOBIS NUMERENTUR VESPERE TAURI?] Id est ne quidem tanta illi *hoedorum* est copia, quanta mihi *taurorum.* Sane *Tauri* apud Antiquos in pretio; tum ob genituram ac foeturam gregis, tum ob agriculturae laborem; nec non ob sacrificia. Jovi enim O. M. *taurus* praecipue sacer: cur & illi frequenter *tauro* fiebat. Unde Tibullo in Panegyr. ad Messalam, prope finem, *tardi pecoris gloria* dicitur: cui confer Virgilii Eclog. v. 33. aliosque. Hinc in Hymnis Orphicis, *κερατοῦ βοῶν Ταῦρος*, inter alia quoque epitheta, dicitur; imo & *Rex boum* appellatus est. Quin & inter Emblemata Hieroglyphica, vel apud Aegyptios, non infimum habet locum. Mirifice ergo divitias suas adauget, qui tot habeat *tauros*, cum ad vaccas lx. fere habuerint Vett. ut ex Varrone, de R. R. superius docui. Vide *Tauri generosi* descriptionem sane egregiam in Plinio, viii. 45. quam exhibet quoque N. Causinus in Charact. Epidicticis. lib. xi. § 88.

64. NUMERANTUR] Etiam ditiorum erat *numerare pecus.* Imo, qui ad rem attentiores, bis de die numerabant, juxta Virg. Eclog. iii. 34.

Bisque die numerant ambo pecus, alter & haedos.

ubi Servius: *& dum vadunt ad pascua, & dum revertuntur.* Jactat tamen Cyclops, apud Nasonem, Met. xiii. *Pauperis est numerare pecus.* Sed vide ad Eclogae hujus priora, ubi de *Tauris* plura.

65. QUID TIBI, QUAE NOSTI, REFERAM?] Eadem quoque forma Nemesianus, loc. cit. sed strictius. Ita & Polyphemus Ovidianus, jam supra citatus ad amicam:

Nil mihi credideris! praesens potes ipsa videre.

Testem ergo ipsam citat Phyllidem. Quomodo & Daphnis in Pastoral iii Ἀγγέλω ᾗ ὅπως εἴμω, μαρτυς. Χλόη. Frequens formula Poëtis. *Quid referam?*

65. SCIS, OPTIMA PHYLLI!] Appulej. in Metam. *Scis, domina, quam non reformidem*, &c.

OPTIMA,] Blandientis est: & per βέλτιστη explicat Barthius. Nihil mollius neque magis tenerum dicere potuit: notat enim mite ejus ingenium. Sic Terent. Andr iii. 2. 8.

Optumae adolescenti facere injuriam.

Sic Maro, Aen. iv. 251. *Optima Dido.* nec non Aen. x. 559.

Non

Non te optima mater Condet humi.

Sic, *Optimae Conjugi* OPTUMO PARENTI, &c. nota est formula in Inscriptionibus. Quin & *optima* notat quandoque *pudicam*. Juvenal Sat. VI. 136. *Optima sed quare Caesonia?* Vox ea quoque frequens in Aesopi Apologis. Imo & Deas ita vulgo vocabant; Ennius in Fragm. citante Prisciano lib. I.

Optuma coelicolum Saturnia.

Notae sunt Inscript. J. O M. *Jovi Optamo Maxumo.* Ad conciliandam recte gratiam nulla vox aptior, ita Heliodor. Aethiop. V. Αὐτὸς ὁ καλλίστῃς φιλήματι κατασπαζόμενος, ὦ βέλτιστ' ἀνδρῶν, ἔφη &c.

66. QUAM NUMEROSA MIHI SICCETUR BUCULA MULCTRIS] Sic Amans Cyclops, Met. XIII. 821. de pecoris sui numero gloriatur:

Hoc pecus omne meum est. &c.

Modestius tamen idem apud Theocritum, Eidyll. XI.

Ἀλλ', αὐτὸς τοιοῦτος ἐών, βοτὰ χίλια βόσκω.

Caeterum de copia lactis idem agit, apud Euripidem, in Cyclope:

Κρατῆρα δ' ἐξέπλησεν ὡς δεκάμφορον,
Μόσχων ἀμέλξας, λευκὸν ἐγχέας γάλα.

SICCETUR] Mulgeatur. *Siccare ubera* Poëtis frequentissima phrasis. Horat. Epod. II. 45.

Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccat ubera.

Similiter Lucan. Phars. IV *Distentas siccant pecudes.*

MULCTRIS] Virg. Georg. III 177.

——— *Nivea implebant mulctralia vaccae.*

pro quo legitur & *mulgaria*, *quorsumdo Valgius ait, tepidi mulgaria lactis*: ut notat Grammaticorum peritissimus ad h. loc. Plenam autem phrasin extulit idem Poëta, Georg. III. 308

——— ——— *Hinc largi copia lactis:*
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Laeta magis pressis manabunt flumina mammae.

67. ET QUAM MULTA SUOS SUSPENDAT AD UBERA NATOS.] *Multa* refertur ad τὸ *bucula*; & συνεκδοχικ est sing. pro plur vel potius firmuenda ἐλλειψις, pro *quam multos vitulos vaccae meae habeant*. i. e. quanta mihi sit foeturae copia. SUSPENDAT. eleganti forma dixit de lactentibus: Ita respectu lupae, Romuli ac Remi (ut volunt) nutricis, Maro Aen. VIII 631.

——— ——— *Geminosque huic ubera circum*
Ludere pendentes pueros.

Quod explicare ex Livio; lib. I. cap 4. possis, *lupam summissas infantibus praebuisse mammas*: & ex Floro I. I. *uber admovisse infantibus*. Quomodo & Aemilius Portus, de eadem re ex Dionysio Halic I II. *pueros tanquam ex maternis uberibus pendentes* inducit in diffusa illa narratione. Cicero autem in Orat. I. Catilin *lactentem, & uberibus inhiare* de eodem dixit Romulo. Hinc recte *ubera demittere* dicuntur pecudes apud Virgilium, Georg. II. 524. *Ubera vaccae Lactea demittunt.* Copiose describit Lucretius, I. 259. & seqq.

——— ——— *Pecudes pingues per pabula laeta*
Corpora deponunt; & candens lacteus humor
Uberibus manat distentis: hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero mentes perculsa novellas.

NATOS] vitulos. καὶ γενέας. Sic Phaedr. I. fab. 24. de ranis junioribus:

——— ——— *Tum natos suos*
Interrogavit, an Bove esset latior.

Quam fabulam tangens Horatius, II. Serm. 3. vs. 314. *Ranae pullos*, dixit: Similiter Phaedr. II. fab. 4. *Aquilae pullos*, *natos* vocat, &, quod ad rem nostram magis facit de caprea lactante hoedulos lib. III. fab. 15.

——— *Quae me nutrit admoto ubere,*
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.

Natus ergo vox est generalis: ut Graecorum τέκνον, quod in Aesopi, aliorumque Apologis, respectu animalium, crebro occurrit. Sic Talpa ad filiam, apud Aesopum fab. LI.

Ἡ δὲ μήτηρ ὑπολαβοῦσα εἶπεν· ὦ τέκνον &c.

68. SED MIHI NEC GRACILI, SINE TE, FISCELLA SALICTO TEXITUR?] id est, nullum opus, quantumvis exiguum, fine te, mihi conficitur: q. d. nihil ago, quin de te cogitem.

TEXITUR.] Nemes. Eclog. I. vs. I.

Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur.

proprie etiam Tibullus, II Eleg 3. 5.

Tum fiscella levi detexta est vimine junci.

Maro, Eclog. X 71.

Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco.

FISCELLAM] inter instrumenta muta recenset Varro, R. R. I. 22. quae *nasci in fundo soleant ac fieri à domesticis poterant. eorum ne quid ematur: ut fere sunt, quae viminibus, & materia rustica fiunt. Fiscella* itaque hic significat vas vimineum, per quod defluit serum; juxta Tibull. II Eleg. 3.

Raraque per nexus est via facta sere.

Imo & caseis formandis inserviebat: unde Martial. I. Epigr. 44

Rustica lactentes nec misit fiscina metas.

Et Jul. Pollux Onomastic. τάλαρος, ᾧ ὁ χλωρὸς τυρὸς ἐντίθεται. Quomodo & τάλαρος dici potest, quasi γάλαρος, à γάλα i. e lac, quod in eo asservatur. *Fiscellam*, vero (quae vox variae significationis est) dictam volunt à *fisce*: addubitant alii, inter quos Priscianus, lib. II. Sed à

à φάκελ⊕ *aluta* (unde φακελλ⊕, quod *marsupium vel peram è corio confectam* notat) derivat magnus Scaliger: quod tangit etiam Celeber. Vossius in Etymol. L. L. quem vide. Non rejicienda tamen Isidori sententia, Origin. xx. 9. dum ait: *Fiscus primae positionis est, derivatum fiscina est, diminutivum fiscella.* Abludit ergo Varro, L. L. iv. cum inquit *fiscina, a ferendo dicta est*: quem tamen sequitur D. Guidalottus in suis ad Nemes. Eclog. 1. Notis. Contexit illam Noster *è salicto* (i. e. viminibus è Saliceto decerptis, per συνεκδοχὴν *integri*) tanquam è crassiore materia: cum alias fere *fiscellae* dicantur *junceae*. Sed vide ad vs. 76. Eclogae ii. de *calathis*.

69. Et nullo tremuere coagula lacte.] Ἱγαλακτί. Nullum lac mihi ad formandos infuso coagulo caseos fine te condensatum est. Solebant enim in opere rustico adjutare se invicem Amantes. Exempla dabit Auctor Pastoral. iii. ubi in communionem laboris Chloae suae adsistens Daphnis simul cum eâ ἤμελγε τὰς αἶγας, ἐς γαυλοὺς τὸ γάλα, ἐσήπηγνυ δὲ ταρσοῖς τὰς τυρούς. Caeterum *tremere* de lacte in coagulum condensato apte dici potest. Liquida enim & stagnantia *tremere* videntur cum vel leviter moveantur. Eleganti comparatione Ovid. Met. xii 437. ad *tremorem* effluentis è vulnere cerebri transtulit:

——— ——— *Veluti concretum vimine querno*
Lac solet (utque liquor rari sub pondere cribri
Manat, & exprimitur per densa foramina succus.)

Quo respexit forte Prudentius, Cathemer. Hymn. iii. 68.

Per coägula densa liquor
In solidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.

Ubi legendum potius: *Lac tremulum.* Confer quae Noster habet infra, Eclog. v. 64.

——— *Et tremuli tremebunda coägula lactis.*

& quae notavi ad Eclog. ii. vs. 76. *calathos nutanti lacte.* &c.

70. Quod si dura times etiam nunc verbera Phylli!] *Dura* refertur ad τὸ *verbera*; epitheto satis proprio. Vide Maronem in certamine gymnico Entelli ac Daretis, Aen. v. 436.

——— *Dant crepitant sub vulnere malae.*

Ubi *verbere* intelligendum, per μετωνυμίαν Effecti. Senec. Poëta Herc. Fur. vs. 1117.

——— *Date saeva fero*
Verbera terga; caedant humeros
Robora fortes, stipesque potens
Duris oneret pectora nodis.

Graphice autem *dura* describit *verbera* Appulej. in Aureo Asin. vii. ad finem: *Et, pertica arrepta, non prius me desiit obtundere, quam victis fessisque viribus, suopte pondere degravatus manibus ejus fustis esset delapsus.* Et lepide admodum in re ludicra Plaut. Amph. 1. 1. ubi Mercurius Sosiae minitans:

——— ——— *Non feret, quin vapulet.*
S. *Quis homo? M. Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet.*
Agite pugni! &c.

In ejusmodi tamen argumento *saeva* potius quam *dura* dicuntur *verbera* Poëtis. Ovid. Amor. 1. Eleg. 7.

Saeva vel in sanctos verbera ferre deos.

Idem Amor. 1. Eleg. 13 18. Tibullus quoque iii. Eleg. 4. 65. apposite:

Saevus Amor docuit verbera saeva pati.

In Ibin quoque Naso, vs. 159.

Verbera saeva dabunt sonitum:

ubi torta tamen praeferunt viri docti: ut magis fit sensu tragico dictum.

71. Tradimus, ecce, manus.] Amandi Magistrum respexit in notissima lib. 1. Elegia, quam cum Poëta Nostro conferas:

Adde manus in vincla meas (meruêre catenas)
Si quis amicus adest, dum furor omnis abest.

Cui similiter etiam Albius 1. Eleg. 8. se puniendum offert:

——— ——— ——— ——— *Non saeva recuso*
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

Placandae vero Amicae plenam habes formulam in Polyaeni ad Circen epistola, apud Arbitrum, cap. cxxx. *Quicquid jusseris, merui. Si occidere places, ferro meo venio: sive verberibus contenta es, curro nudus ad Dominam.* Observat id quoque in παλινῳδίᾳ sua ad Canidiam Horatius (quamvis εἰρωνικῶς) Epod. xvii.

Jam, jam efficaci do manus scientiae Supplex.

Ad quem loc. Interpres: *Victi ultro tendebant ad vincula manus victoribus, eorumque se arbitrio permittebant. Quod etiam tangit Festus in proverbio, Herbam dare.* Nota ergo est formula. Vide & Erasmum in Adag. Chil. *Dare manum.* Huc allusit certe Propertius, iv. Eleg. 11. vs. 18.

Capta dabit vestris moribus illa manus.

Confer quoad loquendi formam, Plauti Epidic. v. 2. ubi servus eadem, qua noster, confidentia vs. 17.

——— ——— *Vincire vis? hem! ostendo manus.*
Tu habes lora . . . , quid nunc cessas? colliga. &c.

Et vs. 29.

P. Cedo manus igitur. EP. Morantur nihil, atque arcte colliga.

Tradere] quandoque est alicujus fidei com-

committere. quemadmodum Milef. x. Madaurenfis ille; *Meque cuidam liberto magna praefatus diligentia tradidit*. Vide & ad Eclog. I. 3. ubi alia hujus verbi notio.

71. LICET ILLAE ET VIMINE TORTO SCILICET, ET LENTA POST TERGUM VITE DOMENTUR] Simplicitate quadam ruftica vinciendum fe *viminibus* tradit. Sic Pontanus quamvis Poëta recentior, iifdem pene verbis:

Subliget intortis brachia viminibus.

Decorum illud etiam fervat Maro, Eclog. VI. in Sileno, cui paftores

——— ——— *Ipfis ex vincula fertis Injiciunt.*

TORTO] hic notat flexibili; vel refpectu ad funem qui vulgo *tortus* dicitur: ut Virgilius *tortos incidere funes* Aen. IV. & Lucanus, *tortos rudentes* Pharf. II. Non ergo legendum *verbere torto*: quamvis recte dixerit Albius, lib. I. Eleg. 10.

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga feca!

Refpexit enim ille ad lora, & flagella, quibus Servi caedebantur: cujus rei exempla in Plauto, Terentio, aliis, paffim obvia.

72. SCILICET.] Ad commiferationem facit. Non ergo hic *εἰρωνείαν*, ut vulgo, fupponit: fed vim habet affirmandi, ac notat *certe*, vel *omnino*. Terent. Eun. I. II. 105.

Scilicet faciundum eft quod vis.

Eandem notam habet act. V. fc. 9. ubi fervus Parmeno:

Fratris igitur Thais tota eft?

refpondet Chaerea *Scilicet*. Sed vide hic M. Hugenii Indicem. L. Valla, Elegant. I. 60. *Scilicet & videlicet fignificare videntur idem quod certe; fed ufum fuum habent: & praecipue per amantudinem quandam, cum derifu permiftam effertur*. Atqui non femper: nonnunquam enim fine irrifione ponitur. Ita etiam Cicero, Epift. Famil. XV. 3. *Ego valde fufpenfo animo expecto, primum te fcilicet, deinde, &c.* Neque aliter Propert. II. Eleg. II. 18.

Scilicet infano nemo in amore videt.

Ubi confirmantis eft. Donatus exponit per *Scire licet*: ut Interpres ad Phaedri fab. 5. lib. V. vf. 30.

Tunc fimulat fefe veftimentis Rufticus
Porcellum obtegere quod faciebat fcilicet.

Itidem Tullius quoque, Epift. XIII. 26. *Peto igitur a te tanto fcilicet ftudio: quanto intelligis debere me petere*. Varius ergo hujus vocis eft ufus.

72. ET LENTA VITE DOMENTUR.] *Lenta* vulgo dicitur *vitis*. Virg. Eclog. IX. 42.

——— *Et lentae texunt umbracula vites.*

Ut & Eclog. III. vf. vf. 38. & *vimen* (quae vox ejusdem eft originis) fignate *lentum*, Aen. III. vf. 31. *lentum convellere vimen*: nec non Georg. IV. 34.

Seu lento fuerint alvearia vimine texta.

DOMENTUR, Vinciantur, conftringantur. *domare* pro coercere, *μετὰ Θηρ.* à beftiis ac feris animalibus, quae proprie *domari* dicuntur, ut manfuefcant. Martial. lib. I. Epigr. 105. *Quod froeno Libyci domantur urfi*. Sic de Leonibus paffim Auctores. Ovid. de Arte I. *Tigresque domat, tumidofque Leones*: ubi *Numidafque* praeferunt alii. De Elephantis Indicis Curtius VIII. 9. *Elephantorum major eft vis, quam quos in Africa domitant*. atque ita paffim. Vel ducta eft translatio à facinorofis quos fupplicio coërcere mos eft. Seneca Tragic. Herc. Fur. 749. *Impios Supplicia vinclis faeva perpetuis domant*. Idem aurea illa *γνώμη*, ibidem act. II. 435.

Virtutis eft domare quae cuncti pavent.

Unde & Monftrorum *domitor* fignate dictus eft Hercules. Hinc & illud Ennii in Fragm. Vett. *Domabit infraenum . . . Quoius tenacia infroenari nimis nequit*. Comparat ergo fe *ferae beftiae* aut certe Reo, utpote qui puellae, imo *amicae verbera infligere* non dubitaffet.

POST TERGUM] Vel ad Triumphi morem alludit, in quo catenati duces *hoftium revinctis poft tergum manibus* prodibant; juxta illud Horatii II. Epift. I.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

Quali forma etiam captivos Reges, cum familia ac liberis, Onuphr. Panvinus in fuo de Triumpho Rom. Comment. ex Vett. Lapidum, Nummorum, ac libb. monumentis exhibet: In quo etiam Triumpho *multa millia hoftium manibus pone tergum revinctis deducebantur*, &c. ut idem lib. cit. Sed res notiffima eft, e Livio, Plutarcho, Dionyfio, aliis. Vel certe alludit ad morem captivorum, ac reorum. De Acoete captivo Ovid. Metam. III. 575.

——— ——— *Tradunt manibus poft terga ligatis.*

Neque aliter captum Sinonem Virg. Aen. II. 57. exhibet, nifi *manus poft terga revinctum*. De *captis bello* vel à praedatoribus, Nafo iterum, Trift. III. Eleg. 10. 61.

Pars agitur vinctis poft tergum capta lacertis.

Decorum id obfervat quoque Aufonius in Cupid. cruci affixo, vf. 60. ubi, *Amorem Devinctum poft terga manus*, &c. inducit. Sed praeiverat jam Homerus Iliad. XXI.

——— *Δῆσε δ' ὀπίσσω χεῖρας.*

Nec non Ariftophan Lyfiftrat. *ὀπίσω τὼ χεῖρε δεῖ*: quod obfervat cultiffimus Interpres ad Longi Paftoral. lib. II. ubi de Daphnide jam captivo; *Ἐπεὶ δέ τις, καὶ δήσων αὐτὸν ἄγροικός*, *περιῆ-*

γε

γε τὰς χεῖρας, ὡς δήσων. docetque, ex Plutarcho, Hesychio, aliis, Graecos id dixisse περιάγειν, κάμπτειν, vel ἀποστρέφειν τὰς χεῖρας ὀπίσω. Totum itaque se Phyllidi puniendum tradit, seque quasi vinciendum praebet. Venustè interea se Cupidinis triumpho accessisse indigitat, de quo Naso, Amor. I. Eleg. 2.

Mens bona ducetur, manibus post terga revinctis. & seqq.

Egregia latinitate ad dictionem Nostri interea accederet, Prudentius, Hymn. x. in Rom. Martyr. & alibi, nisi materies illa esset sanctior: ita enim de beatissimo Martyre, vs. 69.

Is non resistens, seque vinciri petit,
Flexas & ultro torquet in tergum manus.

Adde, quod *Rejectae post tergum Manus, eaeque connexae Supplicem hominem* significent apud Aegyptios, ut in Hieroglyph. xxxv. recte notat doctissimus Pierius. Caeterum in voce *Vitis* respexisse potuit ad *Vitem* Centurionibus ad castigandos milites (si Romani essent non extranei) usitatam: de quâ videndi Polybius in Histor. (& ex eo J. Lipsius de Milit. Rom. lib. v. 18.) Livii Epitom. LVII de Scipione Africano, Tacit. Annal. I. 12. alii bene multi: ad quem castigandi morem respiciens Juvenalis, Satyr. VIII. 147. dixit, *Nodosam frangebat vertice vitem.* Sed ad rem nostram facit Cl. Vossius Etymolog. L. L. qui de *Vite* arbore loquens: *Vitis à vino; ut gemino loco scribit Varro, IV. de L. L. Sed rectius Donatus in Eunuch. IV. 4. quod vimen & vitis esse ait ejusdem originis, nempe à viere, quod Festus alligare, Nonius vincire, & inflectere, interpretatur. Sane Vitis lenta est, facileque flectitur: unde & ea Centurionum erat insigne, quo milites caedebant.* Significat ergo ἀλληγορικῶς se extra ordinem processisse, & quasi transfugam in Amoris castra esse revocandum: quo fere modo Tibullus II. Eleg. 6. de Macro, ad Cupidinem:

Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa voca.

73. UT MALA NOCTURNI RELIGAVIT BRACHIA MOPSI TITYRUS] Invidiose; ùt de Rivali. Dicit enim Mopsum, novum Phyllidis amatorem, instar furis nocturni, suspensum vapulâsse: quod certe summae erat ignominiae.

MALA BRACHIA] Ergo sunt furtifica, ut loquitur Catullus, Plautus, alii. Ita Appulej. Milef. IX. *de malo habere* i. e. *furto*. Sic *dolus malus* JCtis quandoque pro *furto*. Hinc Euclio Aulul. I. I. Staphylam (quam *furacem* esse suspicatur) *malam* vocat:

Ut te dignam, mala, malam aetatem exigas!

Signate Flaccus, I. Serm. I. vs. 77.

Formidare malos fures. &c.

Ubi effractores intelligit. Apertissime Val. Catullus in Vet. Catalect. apud quem rubor hortorum custos:

Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.

Quod itidem de Priapo suo explicat Martialis, VIII. Epigr. 40. Ejusmodi *manus* pulchre descripsit idem, lib. eod. Epigr. 59.

——— ——— *Nihil est furacius illo:*
Non est Autolyci tam piceata manus.

ubi tamen *piperata* id est callida, legit Cl. Scriverius. Sic & *viscatae manus*, &c. Sed Comicos, hoc in argumento vide. *Malus* etiam quandoque pro callido. Plaut. Mostell. V. I.

——— ——— *O mortalem malum!*

Idem, in Pseud. IV. 8.

Nimis illic mortalis versutus, nimis malus. &c.

Quandoque pro *invido* ponitur. Virg. Eclog. III. II.

——— *Malâ vites incidere falce novellas.*

ubi Servius: *ab effectu: quia male utebatur.* quomodo fere Catullus de fure: *manu sinistrâ non belle uteris.* Vide & Martial. lib. XII. Ep. 29. de Hermogene celebri fure. NOCTURNI proprium furis ἐπίθετον. Phaedr. I. fab. 23.

Nocturnus quum fur panem misisset Cani.

ad q. l. Commentator: *Sic solemniter vocatur à JCtis, & à diurno distinguitur*: de quâ notione plura ad eundem loc. congessere ex Cicerone, Gellio, aliisque, Viri doctissimi, quae tamen ad Nostrum nihil. Dixit interea *Nocturnum* absolute Horatius, I. Sat. III. 106. pro *fure*. *Nox* enim *furibus* aptissima: quo respiciens Euripides inquit, ἡ νὺξ τῶν κλεπτῶν· & graphice Prudentius Cathemer. Hymn. II. 17.

Fur ante lucem squalido
Impune peccat tempore:
Sed lux dolis contraria
Latere furtum non sinit.

Argute quoque (ùt solet) Horat. de Laverniione Lavernam suam invocante (lib. I. Epist. 16.) *ut Noctem peccatis obiiciat.* &c. Spectat huc quoque Aesopi Apolog. XCVII. fures ad Gallum Gallinaceum: Διὰ τοῦτό σε μᾶλλον θύομεν· ἐκεῖνος γὰρ τοὺς ἐργάτας ἐγείρων, κλέπτειν ἡμᾶς οὐκ ἐᾷ. Lex interea XII. Tabb. *furem nocturnum* deprehensum occidere permittebat: de quâ Lege (praeter Ciceronem, aliosque) vide A. Gellium XI. 18. Cui affine illud, quod *furem manifestum* ei, cui furtum factum erat, in servitutem eadem Lex tradidit: ut apud eundem N. A. lib XX. I. aliosque videre est. Sed simpliciter hic noster est actus. Respicit enim morem puniendi servos, qui suspensi vapulabant. Ut reliquos mittam mutua Servorum convicia vide in Plauti Asinar.

III. 2. & seqq. quorum alter exprobrans ait:

L. *Ubi parietes perfoderis, in furte ubi sis deprehensus,*
Ubi saepe causam dixeris pendens adversus octo
Astutos, audaces viros, valentes virgatores. &c.

Cui respondet alter, vs. 23. par pari regerens:

Ubi prehensus in furto fueris, & manifesto verberatus,
Ubi saepe ad languorem tuâ duritiâ dederis
Validos lictores, ulmeos affectos lentis virgis.

Rapiendi vox hic vulgo usurpata Comicis. Unde & *rapere sublimem* nota phrasis. Sic apud Terentium Andr. v. 2. vs. 17, 20, 21. hanc vocem, *Rape* ter repetit Senex iratus. Plaut. quoque Mil. Glor. v. 1.

——— ——— *Rapite sublimem foras,*
Facite, inter terram atque sit, ut medius, coelum,

Et mox:

Imo etiam prius verberetur fustibus.

Quin & *sublimes rapere* servos qui deliquerant, ancillis quandoque demandatum: ùt ex Plaut. Asinar. v. 2. 18. patet. Talia sunt fere, quae de tormentis Vett. produnt Viri Literati, quae definiunt *Instrumenti genus, quô, religatis supine manibus, appensum de pedibus pendus hominem distendit*: quale τύμπανον fere Graecis erat: ùt ad H. Magium de Equuleo observat ejus Interpres cap. VIII. Vide & C. Rhodigin. Lect. Antiq. x. 8. de suspendio, ubi & de Plautinâ Literâ longâ quaedam. Conferri & Gallonius de Martyr. Cruciat. possit: ac Prudentius in Περὶ στεφ. nisi sanctior illa esset materies. De *suspendendis reis* ita tamen Gallonius; *Reorum corporu plurimis modis distendebantur, equuleo, trochleis, suspendioque, gravibus appensorum pedibus additis ponderibus.* &c. Prudentius autem in Vincentio Martyre I. vs. 109.

——— ——— *Vinclum retortis brachiis*
Sursum ac deorsum extendite. &c.

Noster vero de simplici *suspendio vapulandi*, non cruciandi *gratiâ*, accipit.

74. FUREM] A. Gellius, I. 18. modeste carpit Varronem de L. L. qui *furem dici putabat, quasi furvum, quod fures per noctem, quae atra sit facilius furentur. Rectius tamen à Graecis (quibus antiquiori linguâ κλέπτης dicebatur φὼρ) dictum esse,* ait: *unde per affinitatem literarum ille, qui φὼρ Graecis, Latinis fur est.* Ubi & hoc observa; honestiorem hunc vocis usum ab initio fuisse; & Servos vel bajulos significâsse, à ferendo: quales in Vitâ Aesopi inducit Maximus Planudes. Nempe cum πέφωρα fit praet. Med. (ùt loquuntur Grammatici) à verbo φέρω. Postea vero ob rapacitatem *Servos* illos vulgo dictos fuisse *fures*, non Comicis modo, sed & ipsi Maroni aliisque, verisimile est. Eadem quoque est Viri magni in Etymolog. L. L. sententia, qui, ex Hesychio & Suida, & hoc addit, à φὼρ esse verbum φωρῶ, *deprehendo*: unde Ἐπαυτόφωρος, *fur manifestarius*, vel *in furto deprehensus*, etiam nomen habet. Lepidum interea vide in Furippum quendam, nobilem furem, Ausonii Epigr. CXV. cujus vocis primam syllabam quidam prosodice corripiebant, nonnulli producebant:

Pars te Furippum vocitat, pars vero Furippum,
Altera producens, altera corripiens.
Elige utrum malis. aut tende, aut corripe nomen,
Conveniet quodvis, fur furiose, tibi.

MEDIO OVILI] In quo nempe deprehensus fuerat, *ovem* surrepturus. Ita Virgilius furi supervenientem fingit Menalcam, Ecl. III. 16.

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis? &c.

Sic de lupo idem Poëta, Georg. III. 537.

Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat.

75. HIS TAMEN, HIS INQUAM, MANIBUS, &c.] Emphatica haec repetitio, ad movendam Amicae misericordiam. Caeterum, *his manibus*, formula erat Antiquis usitata. Appulej. Milef. II. *Ego te, Luci, meis istis manibus educavi.* &c. quod lib. VI. Idem extulit: *Inter meas istas manus*, ut recte observat Pricaeus ad h. loc. Id Graecis foret: ταῖς ἐκείναις χερσί. Q. d. Iisdem *illis manibus*, quibus te pulsare sustinui, tamen munera quondam tibi gratissima obtuli. Eâdem forma Terent. Adelph. III. 2.

——— *Hisce oculis egomet vidi.*

Nec non Plaut. in Milit. II. 3.

Vidi . . . . egomet duobus his oculis meis.

Sane pronomen *his* miram habet ἔμφασιν, si δεικτικῶς proferatur: ita Hercules, apud Ovid. Met. IX. 197.

His elisa jacet moles Nemeaea lacertis,
Hâc coelum cervice tuli. &c.

Sed exempla sunt obvia, quae congerere nihil attinet.

76. & 77. TIBI SAEPE PALUMBES, SAEPE ETIAM LEPOREM, DECEPTA MATRE PAVENTEM, MISIMUS IN GREMIUM.] Confer Nemesian. Eleg. jam superius citata:

Praeterea tenerum leporem, geminasque palumbes,
Nuper, quae potui, sylvarum praemia misi.
Et post haec, Donace &c.

Amplificaverat antea hunc locum suavissima illa aedonis descriptione, quae dignissima lectu. *Palumbes* vero inter munera amatoria ut & *Lepores*,

ret, esse, quis nescit? Observat id Naso, etiam in Cyclope suo, Metam. XIII. 831. qui ad amicam:

Nec tibi deliciae faciles, vulgataque tantum
Munera contingent: damaeae leporesque fugaces,
Parque columbarum, demtusque cacumine nidus.
& seqq.

Sed *Hinnulos* vero atque *Ursae catulos* offert idem ille, minus ex decoro, apud Theocrit. Eidyll. XI. 40.

—— —— Τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρώς.

Certe *palumbes* non exiguum pastoribus ac villicis delectamentum: unde Meliboeus ad Tityrum, inter praedii delicias apud Maronem, Ecl. I. *Raucae, tua cura, palumbes*, &c. Quod decorum servat etiam in Daphnide suo Auctor Ποιμενικῶν, lib. I. Ἐτέρψεν αὐτὰς ποτὲ φάττα βυκολικὸν ἐκ τῆς ὕλης φθεγξαμένη. *Delectavit illos pastores etiam palumbes pastoralis è sylvâ canendo.* Neque mirum ergo, cur Idem, lib. III. inter dona oblata à pastoribus etiam recenseat τὰς φάττας, καὶ τὰς κίχλας, *palumbes, ac turdos. Columbae enim in Veneris tutela.* Quarum quinque species Athenaeus, IX. 11. ex Aristotele refert, inter quas *palumbes major ac minor.* observante Viro doctissimo ad Pastor. lib. I. eadem. Hinc signate Propertius, IV. Eleg. 5. 63.

—— *Torquatae Venus, ô regina columbae?*

Hinc & suavissima illa Anacreontis Ode IX. de *Columbella* à Venere vendita, ut Poëtae in re amatoria tabellariae vicem sustineret:

Ἐρασμίη πέλεια,
Πόθεν, πόθεν πέτασαι; &c.

At totam vide. Sed observa, hîc non sine judicio *palumbes* intulisse, nimirum ut castos designet amores. Pierius enim, Hieroglyph. XXII. *Palumbes parcissimi coitûs esse ait; cum columbinum genus lascivum animal*: unde *columbatim osculari*; & illud (sub C. Galli nomine,) *Da columbatim mitia basia.* Nam *Columbae* (teste Plinio, lib. X. cap. 58 aliisque) *proprio ritu osculantur ante coitum*; quod *jungere rostra* dixit, Ovid. in Arte, II. Castitatis porro ejus meminit Martialis, XIII. Epigr. 67.

Inguina torquati tardant, hebetantque palumbi,
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Ubi nota, etiam *palumbos* dixisse Vett. pro *palumbes*: Quo pacto extulit Persius, III. 17. quamvis μεταφορικῶς, pro delicato ac molli:

—— —— *Teneroque palumbo,*
Et similis regum pueris.

ubi *columbo* quidam legunt: sed perperam.

77. LEPOREM PAVENTEM, &c] Leporem etiam inter *amatoria* fuisse ξένια, non uno loco probari possit. Notum illud Poëtae, Epigr. 30. lib. V. *Si quando leporem mittis mihi, Gellia.* &c. Romanis certe in deliciis fuisse constat: unde *tener*, ac *mollis* Poëtis dicitur. Inter mensarum lautitias non semel recensent Horatius, ac Martialis, &c. qui, lib. VII. Epigr. 77. conjungit,

Sumen, apros, leporem, boletos, ostrea, mullum, &c.

Imo & formam ac venustatem conciliari leporinae esu credebant Vett. quam opinionem ex errore nominis ortam Martial. l. cit. & Lampridius in Alexandr. Severo, cap. XXXVIII. aliique exhibent; sed repugnante Medicorum Schola. *De Lepore* scitu digna habet Plutarch. Sympos. IV. Quaest. 5. Certe Veneri gratissimum fuisse Philostratus in Tabb. ait, eique dedicatum fuisse, docet Pierius Hieroglyph. XIII. ob miram ejus foecunditatem; cujus, inter alios, meminit Plinius VIII. 55. ac cujus foecunditatis mirum refert exemplum J. Hyginus, Astron. Poëtic. II. 33. Neque aliud notat tritum illud: *Lepus tute es*, &c. quod (cum in Venereos pullos dici soleat) lepide usurpavit Terentius, Eunuch. III. 1. 36. Sed Livii Andronici Vet. Poëtae dictum esse ad Vopiscum in Numeriano, cap. XIII. magnus notat Casaubonus. Sed jam Graecorum constabat proverbium, Δασύποδος κρεῶν ἐπιθυμεῖ. Sane inter blanditias hanc vocem exstitisse Plauti locus ostendit, Casin. I. 1. 50. ubi Olympio servus, inter caetera blandimenta, ut rivalem male urat, de amica inquit:

Meus pullus passer, mea columba, meus lepus!

Quo loco recte Interpres: *salacissima ac venustissima animalia commemorat, columbam, passerem, leporem.* Caeterum de terno *leporum* genere, sagina ac foecunditate, vide Varronem de R. R. III. 12. nec non Aristotelem de Animalibus, quem citat Eratosthenes Cyrenaeus in Catasterism. cap. XXXIV. titulo Λαγωός. Juxta eundem Varronem de L. L. III. dicitur *lepus*, *quasi levipes*, vel à Graeco λέπορις: vel (ut Cl. Salmasio placet) à λέπυς, Aeolice, pro νέπυς. Sed vide Gellium lib. I. cap. 18. PAVENTEM proprie. Horat. Epod. II. 35.

Pavidumque leporem, aut advenam laqueo gruem,
Jucunda captat praemia.

Unde & signate *timidus*, & *fugax* dicitur Poëtis. Quare Natali Comiti lib. IV. de Venatione: *Et timidus levitate Lepus.* Ad rem faciunt Pierii verba, Hieroglyph. l. c. *Quod formidinis & trepidi pavoris hieroglyphicum Lepus habetur, facit id supreme timidum ejus ingenium; ut cui pavor, supra unumquodque animal, est peculiare.* Huc certe spectat Demosthenis in Aeschinem dicterium, pavorem ipsi objicientis: Λαγὼ βίον ἔζης, δεδιὼς καὶ τρέμων. Spectat huc quoque Aesopi ille

Apologus LVII. *Οἱ λαγωοί ποτε ἐκ τῶν ἀπεκλαίοντο βίον, ὡς ἀπιστφαλὴς εἴη, καὶ δειλίας πλέως*, & seqq. Cui consentit Aphthonius: fab. XXV. ubi ipsi *Lepores*: *πεφύκασι ἡμῶν ἀνανδρότεροι*, i. e. *timidiores, quam nos sumus, invenimus.* Confer eandem apud Babriam quoque fabulam, num. X. quo loco dicuntur *Lepores*, *ἀδρανεῖς ἄγαν.* Idem argumentum, eleganter expressum, reperias etiam in Appendice fabularum ad Phaedri lib. V. a Marq Gudio è MS. Vet. adjectarum; ubi inter alia:

Aliquando in sylvis strepitu magno conciti
Lepores clamant, se propter assiduos metus
Finire velle vitam. &c.

Hinc leporem, sive *cuniculum*, Hebraeis שפן, ac *occultando*, dictum esse, consentiunt Eruditi. In hunc vero *pavorem* lepidum exstat Ausonii Epigramma (ex Germanici Caes. Graeco, Antholog. lib. I. expressum) de *Lepore à Cane marino* intercepto: ubi *lepus.*

——— *In me omnis terrae pelagique rapina est,*
Forsitan & coeli, si Canis astra tenet.

Sed ad mentem Nostri magis accedit Graecum:

——— ——— *Ἄπα φοβεῦμαι*
Οὐρανὸν· καὶ σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα.

Inde certe Adagium, cujus meminit Erasmus in Chiliad. *λαγὼν βίον ζῆν*, *Leporis vitam agere*, in perquam timidum ac supra modum paventem.

Decepta matre] id est vel intercepta, ac deprehensa; vel, dum pastum abit, catulis orbata. *Decipere*, vox Venatoribus propria. Vide Gratii Cynegetic. ut etiam Nemesiani de eodem argumento libellum: qui & *leporum secreta cubilia*, dixit vs. 236. Hinc de Venat. lib. I. Natal. Comes non invenuste: *Venantum canimus fraudes*, quibus nempe *decipiuntur* non minus ferae, quam *timidus levitate Lepus*: ut idem ait lib. IV. Quam *difficile* enim sit *Lepores decipere in surripiendis catulis*, vide apud Plutarch. de Solertia animalium cap. XXXVI. *Decipiendi quoque* voce usus Martial. IV Epigr. 56.

Callida sic stultas decipit esca feras.

Excipere dixit Propertius, II. Eleg. 15. de re eadem

Haec igitur mihi sit; lepores audacia molles
Excipere. &c.

Sic *hinnulum tenellum* inducit Anacreon, Odario LXXXV. *derelictum a matre, paventem*:

Ὃς ἐν ὕλῃ κεροέσσης
Ἀπολειφθεὶς ὑπὸ ματρὸς Ἐπτοήθη·

78. Misimus in gremium] *Gremium* Amori dedicatum. Ita Galathea apud Nasonem, Met. XIII. in fab. Polyph.

——— ——— *Latitans ego rupe, meique*
Acidis in gremio residens.

Neque aliter Venus, Met. X. 557. in Adonidis sui gremio jacens *pressitque & gramen, & ipsum.* Vide & Petronium cap. CXIII. *Tryphena, in gremio Gitonis posita modo implebat osculis pectus.* Sic etiam Helena *in gremio* Paridis in Oenon. Epist. vs. 70. de quo Paride, delicato admodum versu, Propertius III. Eleg. 6. vs. 31. infit.

Ille Helenae in gremio dulcia bella gerit.

Adde Tibull. I. Eleg. 10. vs. 80. De novis Nuptis res nota est. Hinc Juvenalis II. Satyr. 118. hunc morem, non sine aceto, tangens, inquit:

——— *In gremio jacuit nova Nupta mariti:*

Quem locum notabat Interpres ad illud Appuleji Metam. VI. ubi de Nuptiis Cupidinis ille: *Accumbebat summum torum Maritus, Psychen gremio suo complexus.* Ad rem nostram accedit magis mos flores in gremium colligendi qui inter pastores invaluit. Quo respiciens Ovid. Fast. IV. de Proserpinae comitibus:

Illa legit calathos; huic sunt violaria curae:
Haec gremium, laxos degravat illa sinus.

Sinus enim & *gremium* Poëtis solent confundi, ac pro eodem haberi. Munera certe in puellarum suarum *gremium* conjicere solitos fuisse Amantes, docuit Achill. Tatius, ubi Clitophon ait: *In sinum tibi deposui, tanquam deae offerens.* Ita & apud Heliodor. Aethiop. V. reperias *Theagenen ad gremium ChariclIae suae amore casto in antro quôdam alludentem.* Maxime tamen cum Nostro facit suavissimus ille Longus, lib. III. ad finem: ubi Daphnis egregium prae caeteris malum Chloae suae dono daturus, ita infit: *τοῦτο Ἀφροδίτη κάλλους ἔλαβεν ἆθλον· τοῦτο ἐγώ σοι δίδωμι νικητήριον . . . Ταῦτα εἰπὼν ἐντίθησι τοῖς κόλποις.* Non ergo distinguendum post *τὸ* MISIMUS: ut quaedam habent Edd.

78. Per me tibi lilia prima contigerant,] Mira quadam simplicitate ait, omnes se deliciarum primitias contulisse, sicubi nova sibi offerret occasio.

Per me] Me carpente, me ad te deferente; vel *per has manus.* Eadem simplicitate Propertius lib. III. El. II. de pastorum muneribus, quibus mos erat,

Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia, virgineos lucida per calathos;
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula sylvicolis emta dedere viris.

Lilia autem virginitatis & venustatis esse *σύμβολα* docent Hieroglyph.

79. Primaeque rosae] Est enim cunctarum rerum gratissima raritas ac novitas, praeter-

tim

tim autem florum primo vere enascentium. Est aliquid (ut Ovid. in Heroid. Epistolis)

Et tenui primam deligere ungue rosam.

Sic pro *prima*, dixit *novam* Idem Fast. IV.

——— *Nunc nova danda rosa.*

Sed & Martialis, IV. Epigr. 54. eadem phrasi, ut Noster:

Et meritas prima cingere fronde comas.

Et metaphorice Lucretius initio lib. IV.

——— *Juvatque novos decerpere flores,*
Insignemque meo capiti petere inde coronam.

Respicere videtur ad *primitias* diis offerendas, quoniam (ut dictum) Amicas suas dearum loco habere solebant Amantes. Porro *rosas* fere *liliis* miscere solent, Auctores, juxta illud Poëtae:

Albaque purpureis lilia mista rosis.

Ita Naso Fast. IV. 441. de Proserpinae raptu:

Plurima lecta rosa est; sunt & sine nomine flores:
Ipsa croces tenues: liliaque alba legit.

Jul. Firmicus de Error. Prof. Rell. *illic invenies quod auream rosam desuper pingit . . . . nec coronam istam* (florum) *alba lilia deferunt.* Quocirca & flores illos Anacreon, Od. XXXIV. decore conjungit:

Ὅσῳ καὶ στεφάνοισιν,
Ὅπως ἐπίπρεπε τὰ λευκὰ
Ῥόδοις κρίνα πλακέντα.

Caeterum quanto in pretio Rosae fuerint Veneri dedicatae, (juxta illud, *Est rosa flos Veneris*) dicet Idem Ode V.

Ῥόδον, ὦ φέριστον ἄνθος,
Ῥόδον εἶαρος μέλημα·
Ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά·
Ῥόδα παῖς ὁ τῆς Κυθήρης
Στέφεται καλοῖς ἰούλοις.

Et longe suavissima illa Ode LIII. ubi signate τὸ Ἐρώτων ἄνθος, inter caetera encomia, dicitur; simulque Origo ejus decantatur:

Στεφανηφόρου μετ' ἦρος
Μελπόμενος ῥόδον θέρειον
Πολυανθέων Ἐρώτων. &c.

Hinc ergo recte Martialis ad *Rosam* VII. 88.

Sic te semper amet Venus! &c.

Confer quoque pulcherrimum Ausonii Eidyll. XIV. cui titulus Rosae:

Vidi Paestano gaudere rosaria cultu, & seqq.

Hinc Plinius XXI. 4. & 5. *primum Rosis locum* tribuit; mox *Liliorum genera* recenset; ac dicitur hinc *florum regina* Ausonio; Ad laudem *Rosae* tamen nihil magis facit, quam quae habet Achill. Tat. II. ubi innumera ejus encomia. Rationem cur in Veneris tutela sit, reddere conatur Fulgentius, Mytholog. II. 4. sed schemate satis frigido: *Rosae*, inquit, & *rubent*, & *pungunt*, *ut etiam Libido*, &c. Elegantius de ea, ex Pausania in Eliacis, Nat. Comes Mytholog. IV. 13. quod sit nempe *inter flores pulcherrima*, *ut inter arbores myrtus*. Recte itaque puellae obtulit *rosas* ob formae pulchritudinem: *lilia*, ob castitatem ac candorem. Hinc & Auctor Pervigilii vs. 22. de Venere, venustatis dea:

Ipsa jussit, mane ut udae virgines nubant rosae:

Ex correctione Pythoei, ut & J. Douzae, quam exhibet J. Lipsius, Elector. I. 5. Vide utriusque *floris* Hieroglyphicon, apud Pier. LV. & quae de *Rosis* pulcherrima habet doctus Interpres ad Longi Pastor. III. ubi ex Philostrati Tabb. τὰ ῥόδα vocat ἐρωτικά. *utpote quae vim conciliandi amoris habere credebantur.* Quocirca & *Rosam spinas habere sagittarum loco, rutilum colorem pro facibus, folia pro alis, atque ideo Cupidini similem esse ex eodem dixit Philostrato.* Quae omnia hic mirum in modum quadrant.

79. VIXDUM BENE FLOREM DEGUSTABAT APIS, TU CINGEBARE CORONA.] Sicubi *flos* se aperuerat, continuo ex illo sertum tibi contexui. Corollis enim ex florum diversis coloribus intextis virginum comas cingere mos erat pastoribus. Exempla sunt obvia. Γελάσας δὲ ὁ Δάφνις ἠδύ, καὶ φιλήσας ἥδιον φίλημα, καὶ τῶν ἴων εἰς τὸν στέφανον ἐμβαλὼν ἐπέθηκεν αὐτῇ μυθολογῶν. &c. lib. III. Ποιμ. Similia habet Achill. Tatius in Leucipp. Sed non sine judicio *Apum* injecit mentionem, eo quod illae instar Amoris mel habeant & aculeum. Unde Claudianus in Fescenn. Nupt. Honorii, vs 108.

Armat spina rosas, mella tegunt apes.

Hinc Cupidinem, mel suffurantem, ab apibus aculeo punctum fuisse lepide inducit Theocritus, Eidyll. XIX. cui titulus Κηριοκλέπτης:

Τὸν κλέπταν ποτ' Ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα,
Κηρίον ἐκ σίμβλων συλεύμενον. & seqq.

Nec non dulcissima Ode XL. Anacreon. quam conferre utriusque Poëtae venustatem cum Andr. Alciati, Emblem. CXII. operae pretium erit. Ad rem itaque dixit Petron. cap. LVI. *Apes ego divinas bestias puto, quae mel vomunt, etiamsi dicuntur illud a Jove afferre; ideo autem pungunt, quia ubicunque dulce est, ibi & acidum invenies.* Eo quoque allusit Boëthius, Consol. III. Metr. 7. de Amoris voluptate:

Apumque par volantum,
Ubi grata mella fudit
Fugit, & nimis tenaci,
Ferit icta corda morsu.

Verum ad mentem Calpurnii facere magis videtur quod *Apis sit Concordiae ac mutuae societatis* sym-

σύμβολον apud Pierium Hierogl. XXVI. ubi, ex Musonio, inquit. *Adeo vero est Apis conversationis & vitae sociae amatrix, ut, si sola relinquatur, desiderio tabescat, & moriatur.* Quid ergo Amanti hoc Emblemate magis conveniens? Imo & *Apem optimae feminae* comparasse Simonidem superius dixi: quod & ad conciliandam valet Phyllidam. Sed ne in *Apum* laudes descendamus, vide de his Plinium XI. capp. 8. seqq. Varronem de R. R. III. 16. Plutarchum de Solert. Animal. atque alibi. N. Caussini Eloquent. & cui non cum Marone, tam Veterum quam Recentiorum dicta est *Apum* Resp.? DEGUSTARE, est delibare, leviter tangere, depasci: quod *Apibus* est proprium. Eleganti forma expressit Maro Georg. IV. 53.

Illae continuo saltus sylvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, & flumina libant
Summa leves.

Quo nihil exactius dici possit, ad delicatas ac teneras illas *Apum* morsiunculas (ut ita dixerim) exprimendas. *Populari* dixit audaci τρόπῳ Martialis IX. 14. (quam phrasin repetit lib. II. Epigr. 46.)

Cum bene Cecropiae ver populantur Apes.

Sed forte ad numerum simul evolantium respexit. Verum locus pluribus non indiget exemplis. *Degustandi* verbum transtulit Claudianus in Panegyr ad animum:

——— *Celeri degustans singula sensu.*

At Poëtarum princeps quanto audacius ad gladium cutem leviter perstringentem? dum Aen. XII. 376. inquit:

——— *Et summum degustat vulnere corpus.*

81. AUREA SED MENDAX FORSAN TIBI MUNERA JACTAT] Mopsus nempe: & bene addidit, *forsan*. Amans enim suspicionis plenus, juxta illud P. Syri:

Amans quod suspicatur, vigilans somniat.

Sane Muneribus ac promissis maxime puellarum simplicitatem decipi ac falli saepe constat. Frequentissima haec pauperiorum Amantium est querela, qui se a potentioribus excludi atque extrudi suspicantur. Vide hic Amorum Triumviros. Propert. de Lena, quae amicam praemonuerat Eleg. 5. lib. IV.

Aurum spectato, non quae manus adferat aurum.

Confer ejusdem Eleg. 13. lib. II. atque alibi. Eodem more de Lena quadam Naso Amor. I. Eleg. 18. conqueritur. Sed notissima haec: ac nihil magis assuetum, nisi ut de puellarum levitate & avaritia querantur.

AUREA MUNERA] Iisdem verbis Tibull. I. Eleg. 4. 56.

Aurea nec vincant munera Pierides.

Sic Graecis τὰ χρύσεα ὄρη, & *montes aurei* Latinis abierunt in proverbium. Terentius huc alludit, in Phorm. I. 2.

Is pellexit, modo non montes auri pollicens:

quod dixit Plaut. Stich. I. I. 23.

Neque ille sibi merent Persarum
Montes, qui esse Aurei perhibentur.

De *aureis* illis *muneribus* ipsoque *Auro* puellas corrumpente, jam suo tempore quaestus est Anacreon, Od. XLVI

Γένος οὐδὲν εἰς Ἔρωτα.
Σοφίη, τρόπος πατεῖται·
Μόνον ἄργυρον βλέπουσιν.
Τόδε χρυσὸν Ὀλλύοιτο
Διὰ τοῦτον οἱ Φιλοῦντες.

Nec minus graphice Od. LXV. cui titulus ΕΙΣ ΧΡΥΣΟΝ; ubi, inter alia:

Σὺ γὰρ δόλων, φθόνων τε
Ἔρωσ' εἴθης ἀφορμήν. &c.

Hinc illae Poëtarum in *Aurum* dirae, praesertim amantium. Tibull. I. Eleg. 10.

Muneribus captus meus est puer. ut deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas!

Naso, Amor. III. Elegia 7. (quam universam confer)

O si neglecti quisquam Deus ultor amantis
Tam male quaesitas pulvere mutet opes!

Vide & Propertii Eleg. 11. lib. III de puellarum avaritia: cui argumento vulgo annectunt aureae ac simplicis Aetatis commoda: cum aut *vilibus pomis mererentur amores* (ut idem loquitur Aurelius, III. 24.) aut rosis aut serto violaceo, aut malis, aut ejusmodi nugis oscula, imo & connubia ipsa pacisci solerent pastores. Huc certe allusit Longus, Pastoral. III. ubi de Chlöe ἄνδρα ποιήσεταί τινα τῶν ποιμένων ἐπὶ μήλοις, καὶ ῥόδοις. Cum nempe illud Amantis non usui veniret, quod habet Messor ille apud Bucoliasten, Eidyll. X. 30.

——— ——— Ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι·
Αἴθε μοι ἦς, ὅσα Κροῖσον ποκὰ φαντὶ πεπᾶσθαι.

Ego amore erga te insanio: utinam vero haberem tantas opes, quantas ajunt olim Croesum possedisse! Sed cui non dictus est hic locus? quem & Recentiores non sine laude tractarunt. JACTAT. prae se fert. *De fabulosa pollicitatione* (ut vocat Petronius in Satyrico) vox aptissima. Sic Propert. II. Eleg. 10.

——— *Illustres femina jactat avos.*

Nec non lib. IV. El. 10.

——— *Genus hic Rheno jactabat ab ipso.*

Recte itaque *jactantium vanitati* conjungunt Historici. Livius, XXXV. 47. *Et ea vanitas promissionum non apud Philippum modo, sed etiam apud*

Ami-

Aminandrum valuit & cap. 48. de Antiochi Legato: *Is, ut plerique, quos opes regiae alunt, vaniloquus maria terrasque inani sonitu verborum complevit.* Eandem vanitatem videas apud Justin. XXIV. 5. *Sed Ptolemaeus inter suos belli metu pacem Gallos petere gloriatus est. Nec minus ferociter se Legatis, quam inter amicos jactavit.* Quin & *jactare*, pro innuere, vel significare quicquam usurpatur: ut, ex Livio, observant ad Sallust. B. Jugurth. XI. Innuit ergo, hôc sensu, Mopsus ingentes atque *aureas* sibi esse divitias, cum revera non essent. Ita enim & *aureus* usurpatur de vanâ specie & ostentatione. Horat. Carm. I. Od. 5. de Amante ad Pyrrham:

Qui nunc te fruitur credulus aurea: &c.

i. e. *promtâ*, *paratâ*, *liberali*; ut rectè Lambinus h. loc. ubi Acronis expositio minus placet ob sequentia Poëtae verba. Sed ad rem. Vana haec Ostentatio pulcre definitur Theophrasto, Charact. Ethic. §. XXIII. Ἀμέλει ἡ Ἀλαζονεία δόξειεν ἂν εἶναι προσποίησις τινῶν ἀγαθῶν οὐκ ὄντων. Sic etiam Plato ἐν Ὅροις. i. e. in Finib. juxta magnum Casaubonum ad h. l.) ἡ Ἀλαζονεία προσποιητικὴ ἀγαθῆς, ἢ ἀγαθῶν, τῶν μὴ ὑπαρχόντων. Rectius quam Cicer. Tuscul. Quaest. IV. 9. *ubi jactatio est voluptas gestiens & se efferens insolentius.* Optime itaque addidit, MENDAX. Majora enim pollicebatur quam praestare posset, μείζονα, ἢ τοιαῦτα, νόμῳ δῶρα. Ejusmodi *jactatorem* exhibet Auctor παρῳδ. lib. I. qui δῶρα πολλὰ καὶ μεγάλα, ὡς βασιλεὺς, ἀπαγγέλλει, ζεύγη βοῶν ἀροτηρῶν, τρίποδα τέτταρα ... [illegible] &c. Sed puellas rectè monet Ovid. Epist. XXI. 55.

Ne vos decipiant vanae mendacia linguae.

82. Qui metere occidua ferales nocte lupinos Dicitur. Extremam Mopsi paupertatem ac sordes designat, ut qui, ante diluculum surgens, legumina in usus quotidianos legere; prae inopiâ, cogeretur. Invidiose, ut de Rivali: LUPINOS dixit *ferales*; quemadmodum Virgilius (Georg. I. 75.) *tristes* vocavit: ad quem loc. Servius; *amari, cum in gustu sit amarum triste.* Velut Ennius *triste sinapi*, Ovidius *tristia poma* dixêre. Erant autem *lupini* pauperiorum fere cibus, ac tenuiorum. Unde Martiali lib. V. Epigr. 79. inter pauperis mensae herbulas citantur,

Et ferveus cicer, & tepens lupinus:
Parva est coenula, quis potest negare?

ubi *tepens* est aquâ tepenti maceratus; vel allusisse videtur ad Graecum θέρμος, quod *lupinum* significat, cum θερμὸς adjectivum fit *calidus*. Quin etiam Varro, R. R. I. 23. *lupinos* inter *legumina* recenset, quae fere pauperibus ponerentur. Plin. lib. XVIII. capp. 7. & 14. *Et in tritici genere pars aliqua fabalis est quadrupedum causa facta, ut farrago: & in leguminibus, ut vitiae. At communis quadrupedum hominumque usui lupinus, qui calidâ aqua maceratus in cibo est.* Porro, *ut fabam, legi oportere lupinum* idem docet Varro l. cit. Ab hâc amaritudine *Lupinus* fortasse à λύπη; est enim ingrati saporis faba, quae dicitur λυπηρά, ad quod etymon allusit Maro loc. mox cit. Suidas etiam λυπηρόν, εἶδος ὀσπρίου, *speciem leguminis*, vocat. *His* autem, *maceratis, & boves pingues fieri*, dixit, Plautus Comico joco, Poenul. III 2. Sed FERALES etiam vocare potuit, respectu *Coenae Hecates*, in qua *lupini* frequens mentio; quaeque proverbio celebrata est, ut pauperrimorum hominum ac mendicorum propria: eo quod haec *coena Hecatae* (quae inferorum dea erat) in triviis quovis novilunio posita à pauperibus raperetur; ut ex Aristophan. Pluto, ejusque Scholiaste jam observârunt Literati. dicebatur Graecis, τὸ Ἑκάτης δεῖπνον, quô mendici vivebant, siquidem apud Lucianum Inferi vilissimo cibo, ac malvâ, porro, lupinoque victitare, vulgari joco, credebantur. Hinc illud Petron CXXXV. *Digna sacris Hecates*, &c. ubi *Hecales*, (quae anus fuit notae paupertatis) alii praeferunt: cui Lectioni etiam favere videtur Turneb. Adverf. t. 15. Certe *Hecates coenae lupinos* conjungit Lucianus, Dialog Diog & Polluc. Ταῦτα λέγε αὐτῷ, καὶ προσέτι ἐμπλήσαμένον τὴν πήραν ἥκειν θέρμων τε πολλῶν, καὶ εἴ που εὕροις ἐν τῇ τριόδῳ Ἑκάτης δεῖπνον κείμενον, ἢ ὠὸν ἐκ καθαρσίου, ἢ τι τοιοῦτο. Idem Dialog. Charont. ac Menipp, ubi in perâ se habere alter ait θέρμους καὶ Ἑκάτης δεῖπνον, *lupinos & Hecates coenam*. Vel, denique si Horatii illud proverbiale χῦμα admittas, lib. I Epist. 7. *Quid distent aera lupinis*; allusisse certe potuit Poëta ad *lupini grana*, quae in Comoediis tanquam nummos, justae pecuniae loco, alter alteri annumerare solebant; quos idcirco *lupinos* Plautus in Poenul. l. cit ridicule *aurum comicum* vocat. Hoc sensu ergo, fictas ac personatas Mopsi divitias falso ridet utpote qui, dum *aurea jactaret munera*, revera nihil nisi *lupinos*, i. e aes fictum, ac mendicitatem meram haberet. Sed acutiora fortasse, quam ut simplicitati rusticae conveniant.

Nocte occidua] Nocte jam in lucem vergente. Postremas noctis partes designat eodem vocabulo Statius, x. Thebaid vs 84.

——— *Occiduae nebulosa cubilia noctis.*

Sic *astra*, vel *sidera cadentia* i. e. *occidua* notae sunt phrases ex Marone, aliis. Eleganter hoc tempus *mediae noctis inclinationem* vocat Macrobius,

bius, Saturn. I. 2. *Cadere* enim *nox* egregia dicitur forma, ubi, post Gallicinium ante ipsum Diluculum, sidera hebetari & quasi elanguescere videantur. Eadem phrasi *flamma, & venti cadere*, id est, vim suam paulatim ponere dicuntur. Exempla utriusque locutionis in promtu sunt. Egregie descripsit Seneca, Poëta, Herc. Fur. ubi Chorus, post act. I.

Jam rara micant sidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes. &c.

Quae verba cum superioribus (quae Juno dixerat) satis convenire videntur, quamvis in MSS. quibusdam non apparere, testentur Critici. Non minus interea eleganter Statius, Theb. XII. ab initio:

Nondum cuncta polo vigil inclinaverat astra
Ortus; & instantem cornu tenuiore videbat
Luna diem.

ubi Interpres: *Occidere fecerat.* Nam *inclinare se* idem notat ac *cadere*. Ita Servius ad Aen. II. (*Et jam nox humida coelo Praecipitat*, &c.) *majorem partem noctis dicit esse transactam.* Neque aliter Turnebus Advers. VI. 21. qui *cadere sidera diluculo, albescente coelo, exortu aurorae, exacta fere nocte*, recte observat. Eodem modo, Aen. VIII. 59. dixit Maro:

——— *Primisque cadentibus astris.*

Quo loco ad rem faciunt Servii verba: *cum primum nox occiderit.* &c. Nec inconcinne *nox vicina diei*, tempus illud dicitur Appulejo, Miles. Ita *noctis* medium jam exactum descripsit Anacreon, Od III.

Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις,
Στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη
Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου.

Significat ergo, per *tenebras, jam cadente nocte*, ipsum egredi, ne quis sordes ejus conspiciat: qualis ille D. Erasmi nostri Antronius (in Opulent. Sordid.) qui *ex rusculis insularibus evellebat arborum radices, ab aliis neglectas, idque fere noctu*: ne quid scilicet impendii faceret coemendis lignis, ad excitandum foculum.

83. ET COCTO PENSARE LEGUMINE PANEM.] *Legumina* ut & *siliquae* certe tenuiorum quoque erant cibus, quo nempe, pro pane uterentur. Docet id (praeter complures alios) Horat. II. Epist. 123.

——— ——— *Vivit siliquis, & pane secundo.*

Nec non Persius, Satyr. III. 55. de Stoïcorum disciplinâ, quibus

——— ——— *Detonsa juventus*
Invigilat, siliquis & grandi pasta polentâ.

Ad rem facit Juvenalis Interpres qui ad Satyr. XI. 58. *Intelligit antiquorum victum, & cibum ex siliquis, & vili legumine*; proprie *siliqua* folliculus i. e. *involucrum leguminis*: unde in hunc Satyrici locum Vetus Scholiastes; *Siliquas, id est, parcitatem*, &c. *Pecoris ergo immundi potius, quam hominum erant pabulum.* Quin & huc spectat Prudentii locus de Vett. frugalitate (Cathemer. Hymn. III. 63.) agens:

Nos oleris coma, nos siliqua,
Foeta legumine multimodo,
Paverit innocuis epulis.

Siliquas conjungit & Noster *legumini*, Eclog. IV. 114.

——— *Tandemque legumina plenis*
Vix resonant siliquis.

Siliquae vero, quae Graecis κεράτια, *legumine* ipso viliores. Turnebus tamen Advers. XXVI. 24. τὰ κεράτια, à *siliquis* distinguere videtur; quem vide. Sed apertius de iis Plinius, lib. XV. 28. *In siliquis quod manditur, quid nisi legumen est? Legumina* itaque describit Columella, R. R. lib. III. (ubi *gratissimum esse legumen terrestre*, ait) nec non Varro, R. R. I. 32. qui, inter ea, recenset *viciam, lentem, cicerculam, ervilam, caeteraque, quae alii legumina, alii leguria appellant; utraque dicta a legendo, quod ea non secantur, sed vellendo leguntur.* Idem lib. I. 23. repetit. Ita etiam *Legumen, per quodcunque manu legitur, neque sectionem patitur*, explicat Servius, ad Georg. I. 74. & 199. *Fabam* itaque *ad usum repositam* vocat Petronius Satyr. cap. CXXXV. ubi ad *usum* non *esum*, Vir Celeberrimus, ac Literaturae decus, P. Burmannus, cum Ampliss. Cupero, recte edidit. Ad nequiora enim ministeria servâsse illas Euotheam ex ipso patet contextu; quin & *usui servare* vox Medicorum propria. Docet enim Plutarchus, Quaest. Rom. §. XCV. *Castimoniam servantibus usu leguminum esse interdictum, ... eo quod flatus ac spiritus generent, &c. ac proinde ad rem Veneream instigare credantur.* Cui & illa Petronii inserviunt, dum Anus languido juveni medicinam adhibitura *partem leguminis super mensam effudit, jussitque illum diligenter purgare.* Apparet, ergo & *legumina* non tenuiorum modo & pauperum, sed & nequiorum hominum fuisse victum, nimirum ut ad τὰ ἀφροδίσια essent parationes: contra quam monet Epictetus, Enchirid. cap. XLVII. περὶ ἀφροδίσια εἰς δύναμιν πρὸ γάμου καθαρευτέον &c. & Phocylid. in Poëm. Monit. Μήτε γαμοκλοπέειν, μήτ' ἄρσενα κύπριν ὀρίνειν. Eo sensu ergo si capias, multo major erit opprobrii, (quod de Rivali famam circumferre ait) vis, ac αἰσχύνη, utpote quem non pauperem modo, sed & impudicum esse, designet. PENSARE est *permutare*, vel eodem numero quid habere. Noster co-

eodem verbo, Eclog. IV. 141. & V. 111. de Cari Imp. Apotheosi:

Sit Deus, & nolit pensare palatia coela.

Sic *damna pensare*, &c. *Injuriam liberalitate pensavit*, Frontin. in Stratagem. Sic Tacit. Annal. II. 26. *Laetus animi, quod adversa maris expeditione prosperâ pensavisset.* atque ita hic Auctor saepius. Flor. IV. 9. *Syria sine bello recepta: Sic Crassianam caedem Pacori caede pensavimus.* ubi Palat. Codex legit, *pravimus.* Sic *magnitudinem navium numero pensare*, idem lib. IV. 11. Plenius hanc phrasin habet Justin. XXV. 3. *Damna amissae Siciliae acquisito Macedoniae regno pensavit.* id est *paria fecit*, *aequiparavit.* Est autem μεταφορὰ à trutinâ. Ita enim Flaccus, II. Epist. 1. 29.

——— *Romani pensantur eâdem*
Scriptores trutinâ:

i. e. ut rectè Interpres: perinde censentur.

PINSARE] Quaedam legunt Editt. pro *pinsitare* sed illud alterius est notionis. Adi Cl. Vossium, in Etymolog. L. L. nec non literatiss. Becmanum, de Orig. L. L. in verbo *pinso. Pinsare* (unde *pinsitare*) enim Graecis est πτίσσειν *contundere, in pistrinis frangere*; quomodo, de R. R. lib. 1. Varro. Unde & Plauti, (Asinar. 1. 1.) jocus de pistrino: quo loco libb. MSS. atque editi fere legunt *pransitant*: docente Cl. Gronovio Patre.

84. QUI SIBI TUNC FELIX FORTUNATUSQUE VIDETUR] i. e. qui satis se beatum existimat, si modo visi hordeo victitare liceat. Extremam hinc notat Mopsi paupertatem. quo pacto & Catullus, Carm. XXIII. Furium, admodum pauperem ridet; nimirum, postquam *famem ejus atque esuritionem summam* proposuisset, ita concludens:

Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi,
Et sestertia, quae soles, precari
Centum desine. nam sat es beatus.

ubi Sarcasmus est in voce *felix*, ac *beatus*, respectu paupertatis tam abjectae & fordidae, quâ nihil infelicius ac minus fortunatum. Noti sunt Poëtae Satyrici versus, III. 153.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

Quo loco ante oculos habuisse Poëtam Parasitum illum in Sticho, act. 1. scen. 3. cui (ob ridiculam paupertatem) nomen datum *Gelasimo*. Similem habet lusum in Vacerram Martialis, XII. Epigr. 32. quem *Irum suorum temporum* vocat. (de cujus *Iri mendicitate* Homer. Odyss. XVIII. prolixe agit) Atque ita fere inducuntur Comicis infelicissimi pauperes, quibus *alienâ vivendum est quadrâ*, quibusque.

——— *Venter gutturque resident esuriales ferias:*

ut facetiarum ille Pater, Captiv. act. III. scen. 1. Ergasilum inducit de infelicitate sua misere querentem. Neque aliter in Menaechmis, Peniculus. sed obvia haec in Plauto. Confer & Terentii Eunuchum, II. 2. ubi ipse Gnatho, sodalem quendam suum ridet, ut miserum:

Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum. &c.

Sed quis finis, si Gnomologos, tam Graecos quam Latinos, de infelici hac diva *Peniâ* conquerentes adeas? Neque has partes neglígit Aristophanes in Pluto, act. II scen. 5. ubi ipsa *Paupertas*, commoda ex se nata humano generi denarrans, salse ridetur, atque abigitur: ubi, inter alia, Chorus:

Ὡς μακαρίτην, ὦ Δάματερ, τὸ βίον αὐτῶ κατέλεξας·
Εἰ φεισάμενος καὶ μοχθήσας, καταλείψει μηδὲ ταφῆναι.

Id est, ex Interpretatione N. Frischlini:

O quam felicem vitam narras pauperis atque beatam,
Si parcendo atque laborando vix tantum à morte relinquat,
Unde ipsius sepeliri posset!

Graphice ergo Theognis in Sentent.

Τεθνάμεν, φίλε Κύρνε, πενιχρῷ βέλτερον ἀνδρὶ,
Ἢ ζώειν χαλεπῇ τειρόμενον πενίῃ.

FELIX FORTUNATUSQUE] Conjungunt Auctores quandoque; praesertim Comici. Plaut. Trinum. 1. 2.

——— ——— *Haec habitatio,*
Bona, fausta, felix, fortunataque eveniat.

Eadem forma conjungit fere Terentius, Adelph. III. 5. 57.

Potentes, dites, fortunati.

Quin & formula Q. F. F. Q. S. Romanis in rebus agendis erat usitata; ut ex Cicerone lib. 1. de Divinat. adfert Illustris Interpres ad illud Ennii, ex 1. Annal.

——— ——— *Regno, vobisque, Quirites,*
Sit fortunatim feliciter, ac bene vortat!

Ciceronis verba sunt: *omnibus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit, praefabantur.* Quae verba & apud Livium crebro reperias in Orationibus habendis. Vide hic J. Nicolai de Sigl. Vett. Commentarium, cap. VI.

85. VILIA CUM SUBIGIT MANUALIBUS HORDEA SAXIS.] Propriis rem expressit verbis: & ob oculos habere potuit elegantissimam, qua Auctor Moreti utitur, descriptionem; qui de Simulo suo, vs. 21. & *seqq.*

Qqq 2 *In-*

Inde abit, assistitque molae: tunc veste lacertos
Liberat; & , cinctus villosae tegmine caprae,
Perverrit caudâ silices gremiumque molarum.
Admovet inde manus operi, partitus utramque.
Laeva ministerio, dextra est intenta labori:
Haec rotat assiduis gyris, & concitat orbem.
Trita Ceres silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessae succedit laeva sorori,
Alternatque vias.

Ecce saxa manualia, quibus *frumenta subigere* (id est *molere*,) solebant Veteres, omnemque adeo *molam* circumagendi actum. *Subigendi* ergo verbum ad *molam* spectat. *Duas autem molendi rationes fuisse Antiquis*, docet Turnebus ad illud Plauti, Asinar. I. I. vs. 16.

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

Quibus verbis *pistrinum* designat nequam servus. Sed *Versatilem* Noster intelligere molam, videtur quae manu movebatur. Ita enim distinguit Servius ad Aen. I. 138. *Molas antiqui ab asinis asinarias, alias à manu manuarias, à trudendo trusatiles appellabant, quae & versatiles dicuntur:* quas Plinius *Volsiniis inventas esse* ait, lib. XXXVI. 18. Hinc etiam *in villâ, praeter asinariam, molâ trusatili opus esse*, docet Cato, R. R. XI. *Asinarias*, more suo, egregie describit Apulejus, Milef. IX. de pistore referens: *In pistrinum, quod exercebat, perducit. Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage variâ . . . . . . ac prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam.* Ubi & phrases quaedam ad *molam trusatilem* spectantes occurrunt. Hanc vero *versatilem* pulchre descripsit Manilius Astron. I.

Subdere fracturos silices frumenta, superque
Ducere pendentes orbes. &c.

Antiquissimos tamen *saxo* in pilâ, seu mortario fregisse fruges, (praeter Servium ad Aen. I. l. cit.) testantur alii; cujus auctorem Latini volunt esse Pilumnum, Picumni seu Sterquilini, fratrem, qui idcirco à pistoribus colebatur, testante Polydoro Vergilio, de Rer Invent. III. 2. Hac notione itaque *subigere hordeum* est *frangere*: prout dixit Virgilius, Georg. I. 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

tum, Aen. I. 183. idem & *pinsere* dicebant, & *terere*. *Domare* autem μεταφορικῶς dixit Statius, Theb. I. *Perdomitam saxa Cererem*, &c. Atque ita si capias Auctorem, mens ejus erit, tantam esse Mopso paupertatem, ut ne *molam* quidem habeat *manuariam*, sed *saxo frangere fruges* cogatur: quemadmodum de paupere L. Accius, in Fragment. Vett. Poët.

Saxo fruges frendas.

VILIA HORDEA] Poëtice dixit *hordea*, plur. pro sing. ùt Eclog. V. 36. Maro. nec non Georg. I. 210. *Serite hordea campis.* Sed vide Vossium, in Aristarch. de Analog. I. 38. ubi ex Grammaticorum canone de rebus è terrâ nascentibus agens, eo nomine derisum fuisse à Cornificio Maronem ait notissimo illo versu:

Hordea qui dicit, eeslat ut tritica dicat.

VILIA] Sic Phaedr. II fab. 7.

——— ——— *Negligunt vile hordeum.*

Unde & Homero, Odyss IV εὐρυφυὲς Κρῖ, *late crescens* dicitur; ubi Κρῖ pro Κριθὴ posuit poëtice. Ad ejus *vilitatem* spectat ipsum vocis *hordei*; dictum enim volunt quasi *horredum*, ab *horreo* (quod *hirsutum* & *asperum* Antiquis notabat) eo quod, prae aliis frumenti generibus, hirsutum sit: docente Chr. Becmanno, Orig. L. L. qui & Hebraeos huic etymo favere ait. Alias quoque derivationes adsert Cl. Vossius Etymol. L. L. ubi tamen, inter caetera; *videri possit hordeum, sive fordeum, dictum ab horreo*, &c. quibus locis Uterque Isidori sententiam, de Orig. XVII. 3. rejiciunt, dicentis, *hordeum esse, quasi aridum.* Quod nescio cur tantopere displiceat. Docet enim Varro, R. R. I. 19. *in aridiore solo hordeum potius seri, quam far.* Plutarchus etiam Quaest. Nat. §. XV. & XVI. (ubi de *differentiâ hordei & tritici* disputat) hoc proverbium ventilans,

Triticum in coeno serite, hordeumque in pulvere,
addit: *infirmiora feminum levi & tenui indigere terrae alimento, hordeoque non admodum large nutriri corpora.* Hinc & *mollissimum frugum* vocat Plinius, XVIII. 7. Cui consentit C. Rhodigin. Lect. Ant. IX 16. inquiens: *Pane hordeaceo qui vescantur male colorari adstruunt Medici*; *quoniam hordeum suâpte vi fluidum*, . . . *unde fiat alimenti paucitas.* Atque ita Medicorum docent Scholae, *exiguum inesse hordeo*, alimentum, probante etiam Cl. Beverovico, in Med. Vet. II cap. 2. Huc faciunt & quae Varro habet de R. R. I 45. de *ordeo*, quod *plerumque è terra exire* diebus VII. ait Quid ergo mirum, si *macra* dixerit *hordea* Asconius, ut Noster, *vilia*? Hisce accedit Veteres Italos jumenta & equos hordeo pavisse, loco avenae; observante praeter caeteros Interprete ad illud Satyrici, VIII. 154

——— *Et infundet jumentis hordea lassis.*

Unde Plinius, XVIII. cap. cit. *Panem ex hordeo Antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Liquet idem ex Apulej. in Milesiis lib. IV. Hinc etiam Equiti R. *hordearium aes* alendo equo esse datum, novimus. Verum, quod ad rem magis nostram accedit, militibus qui officio defuerant, ignominiae cau-

causa, *hordeum*, loco tritici datum fuisse in poenam testis est Livius, lib XXVII. cap. 15. qui de Marcello Imp *Cohortibus, quae signa amiserant, hordeum dari jussit*. Quod idem testatur Plutarchus, in Marcell cap. XLIV. ἐσθῆτας . . ἀντὶ πυρῶν κριθὰς μετρεῖσθαι. nec non Polybius VI. 36. κριθὰς δοὺς ἀντὶ πυρῶν. De Augusto Suetonius, idem habet, cap. XXIV. quod breviter expressit Polyaenus, Stratagem. VIII. 24. §. 2. Στρατιώταις τοῖς διὰ δειλίαν ἀπολειπομένοις κριθὰς ἀντὶ σιτῶν ὀψώνιον μετρεῖσθαι. Notat quoque id Vegetius, de R. Mil. lib. I. cap. 13. *Ita severe apud Majores in exercitu disciplina servata est, ut, qui parum profecerant, pro frumento, hordeum cogerentur accipere.* Sed jam observârunt Literatissimi Viri, J. Lipsius, Alexand. Neapol. G. D. II. 13. aliique de Milit. Rom. scilicet, ut *jumentis potius, quam militibus, essent annumerandi.* Summam itaque Rivali suo objicit ignominiam, ut qui *hordeo, instar pecoris*, prae contemptu ac penuriâ, *vesci* cogeretur. Certe *tria hordeorum genera* recenset Isidorus, Orig. XVII. 3. cujus *primum genus animalia melius, quam homines pascere aiebat. Panis*, quoque seu *polentae ex hordeo* conficiendae rationem docet Plinius, XVIII. 8. *perfusum*, inquit, *aquâ hordeum siccant nocte unâ, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt*, &c. ubi plura vide huc spectantia. Similem interea paupertatem inducit Aristophanes, in Plut. act. II. scen. 6.

—— —— Σιτεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων
Μαλάχης πτόρθους· ἀντὶ δὲ μάζης φυλλ' ἰσχνῶν ῥαφανίδων.

Quae verba cum Nostro fere conveniunt.

86. QUOD SI TURPIS AMOR PRECIBUS (QUOD ABOMINOR) ISTIS OBSTITERIT.] *Amor* nempe *lucri*, qui merito *turpis*. Sic, *amor sceleratus habendi*, Ovidio, Met. I. 131. quod avaritiae vitium, Fast. I. vs. 195. eidem est *amor habendi*:

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.

Eadem phrasi Boëthius, de Consol. II. Metr. 5.

—— *Fervens amor urget habendi.*

Recte itaque *turpis amor*, etiam absolute, ac nullo addito crimine, *Avaritia*, dicitur. Quocirca Poëta recentior Pamphilus Saxus ipsi *avaritiae* hoc adjunxit ἐπίθετον·

Turpis avaritiae crimen, iniqua Venus.

Praeiverant jam Graeci, quibus idem est Adjunctum. Ita enim in Carminibus, vulgo Sibyllae adscriptis, *Avaritia* est αἰσχροκερδὴς, *turpiter vivens*:

Αἰσχροκερδείῃ φιλοχρημοσύνῃ, κακοκερδέϊ πλούτῳ.

Quo & facit Anacreontis Ode LXV. quae Invectiva est in Aurum:

Ἄπιτ', ἄπιτε Χρυσὲ,
Ἐς τ' ἂν σ' ἔτοις μὴ θέλγῃς; & mox:
Ξένοισι δ' ἄσχι Μυσῶν
Δολίοις, ἄπιτ', ἀπίστοις.

Sic κακὰ κέρδεα, *turpe lucrum* Hesiodo, Ἔργ. καὶ Ἡμερ. Hinc graphice Diphilus Poëta, licet Comicus, in Fragm.

Ἆρ' ἐστὶν αἴσχιστον τὸ αἰσχροκερδεῖα;
Nonne turpissima res est turpilucrum?

Neque aliter Menander, cujus nobilitatus est Senarius:

Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν.

Sed in Gnomologorum campos descendere hujus non est instituti. Neque minor est Philosophorum querela de *turpi* hoc divitiarum *amore*: quorum colligere sententias hic nihil attinet. Ad phrasin vero nostram proxime accedit Cicero, I. de Legibus; *Quid foedius, inquit, avaritia?* ut & lib. II. de offic. *Nullum est vitium tetrius avaritia . . . habere enim quaestui rem suam non modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.* Quippe, ut Sallust. Bell. Catilin. cap. XI. *Avaritia fidem, probitatem, caeterasque artes bonas subvertit: pro his superbiam, Deos negligere, omnia venalia habere docuit* quae certe res in vita est turpissima. Nec minus graphice, Orat. II. de Rep. Ordin. Sed ea Livii, Taciti, aliorumque Historicorum frequens querela. Vel TURPIS AMOR, respectu ipsius Mopsi, quem, ut *turpem* ac sordidum jam descripserat. Quemadmodum Anacreon Rivalem suum, qui servilis fuerat conditionis, ab Eurypyla adamari turpe, ait:

Ξανθῇ δ' Εὐρυπύλῃ μέλει
Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων. & seqq.

Confer Propertii Eleg. II lib. 13. 27. de *avaritia Cynthiae*, cui pulchre succinit Naso, Amor. lib. III. Eleg. 7. II. quae materies huic nostrae similis. Sed vide supra: ubi de *aureis* Mopsi *muneribus* plura. Veretur autem, ne preces suas, respuat, atque ob lucri amorem puella pro nihilo habeat.

QUOD ABOMINOR.] Aversantis est formula. Inserit & hanc παρένθεσιν Poëta, lib. III. de Pont. Eleg. I. ubi ad uxorem:

Si mea fors redimenda tua (quod abominor) esset.

Et Metam. IX. 676.

—— *Quod abominor ergo*, &c.

quae tamen loquendi forma rarius à principio sententiae recurrit. Interjectionis enim fere vim habet; de qua Ob. Gifanius, Observ. L. L. *Abominor, dictio vetus idem valens, quod illa, Quod Deus avertat.* (Quod ex Papiniano JCto.

lib. IV. probat) unde illud Maronis, Aen. II. 190. *Quod dii prius omen in ipsum Convertant*, & similia, Poëtis usitata. Ad formam Nostri loquitur etiam Curtius, VII. 4. ubi Cobares ad Bessum: *Magnum onus sustines capite, regium insigne . . . hoc aut moderato perferendum est; aut (quod abominor) in te ruet.* Alteri verbo conjunxit Ausonius, Epigr. LXXVIII. de Amica:

Nam nisi moribus his fuerit,

Dicere abominor, uxor erit.

Caeterum observant Literati Plautum *abomino* dixisse pro *abominor*, antiquè, in Trinumm. act. III. scen. 2. vs. 82. *multam abomina*: sed locus hic à Clariss. Viris J. Lipsio, ac Salmasio nōn infeliciter est tentatus, quorum correctiones vide. Eadem etiam utuntur forma Graeci: Euripid. Iphigen. in Taur. vs. 1161. ubi ipsa ad Thoantem:

Ἀπέπτυσ᾽· ὅσια γὰρ δίδωμ᾽ ἔπος τόδε.

i. e.

Abominor: impolluta enim hoc tibi respondeo.

Huic simile est Graecorum μὴ γένοιτο, *absit*, vel *ne fiat!* Heliodor. Aethiop. VI. Εἰ γὰρ τεθνήκοι (ὃ μή ποτε γένοιτο) τότε μέν σοι νενίκηται οὐκ ὑποσχέσθαι. Ea vulgo utebantur formula, ad averruncandum aliquod à se malum. Unde illud Plinii Secundi, VI Epist. 4. *Quae natura metuentium est, ea mihi, quae maxime abominor finges? Abominor* enim ab *omine*, quod si infaustum esset, procul à se abesse volebant. Vide doctissimum Interpretem in illud Silii Italici, Punic. II. 54.

——— ——— *Atque omina tristia vertunt*

In stirpem Aeneadûm.

Cui adjunge politissimum Broukh. ad Propert. III. Eleg. 6. vs. 20. ac praesertim Brisson. de Formul. I.

87. PRECIBUS OBSTITERIT] Quam phrasin Claudian. de Laud. Stilich. II. explicat,

——— ——— *Precibus mitescere nullis*,

ita inexorabilem descripsit Pacuvius in Fragm.

Nulla res, neque cicurare neque mederi potis est.

Pro quo Appulej. Milesf. IX. dixit: *nullis precibus mitigatur*: *Preces* autem proprie Amantium sunt; ut dixi. Ita amans Phaedra in Senec. Hippolyto, act. II. 634.

——— ——— *O fallax amor!*

Satisne dixit? precibus admotis agam.

Miserere: tacitae mentis exaudi preces:

Sic etiam de Scylla Nisi Naso Met. VIII. 106. quae,

Consumtis precibus, violentam transit in iram.

Idem de Borea, Orithyiam ambiente, Met. VI. 689. qua *diu caruit*,

Dum rogat, & precibus mavult quam viribus uti.

Miseras denique *amantis preces*, quibus superba *obstitit* Anaxarete, vide apud eundem, Met. XIV. fab. 17. Atque ita passim ille in libb. de Arte, atque Heroid. Epist. Neque aliter Maro, Aen. IV. in Didone, ac principes poëtae Siculi rem tractant amatoriam. Idem observat continuo Theocritus in Idyll. & Graecorum Bucoliastae. Abominatur ergo, si *precibus suis contemtis*, Mopso, ob *turpe lucrum* adhaereat.

81. LAQUEUM MISERI NECTEMUS AB ILLA ILICE.] Ita fere suspendium sibi minantur miseri amantes ex amoris impatientia. Confer Iphin Ovidianum Metam. XIV. loc. cit. qui, ab Anaxarete superbe spretus fatis tragice, cum *verba novissima dixisset*, à vs. 725. ad 740.

——— *Ad postes, ornatos saepe coronis,*

Humentes oculos, & pallida brachia tollent,

Quum foribus laquei religaret vincula summis,

Haec tibi serta placent, crudelis & impia, dixit.

Inseruitque caput; sed tum quoque versus ad illam est,

Atque onus infelix, elisa fauce, pependit. &c.

Huic fabulae, simillima est illa Theocriti Eidyll. XXIII, itidem satis tragica, de infelici amatore, qui suspendio vitae finem quaesiturus, vs. 51. & seqq.

——— ——— Βρόχον δ᾽ ἥμαψε τραχήλῳ·

Τὰν πέτραν δ᾽ ἐκύλισσεν ὑπὲκ ποδὸς, κἠδ᾽ ἐκρέμασθη

Νεκρός. ὁ δ᾽ αὖτ᾽ ὤιξε θύρας, καὶ τὸν νεκρὸν εἶδε.

Huc spectant Ausonii versus, Epigr. XCII. ubi per διάλογισμὸν Amans ad Venerem:

Suasisti, Venus ecce, duas dyseros ut amarem.

Odit utraque, aliud da modo consilium.

Vince datis ambas. Cupio: verum arcta domi res.

Pollice promissis. Nulla fides inopi. &c.

Stulte, ab amore mori pateris: non vis ob amorem?

Malo miser dici, quam miser atque reus.

Suasi quod potui: tu alios modo consule. Dic, quos?

Quid sibi suaserunt Phaedra & Elissa dabunt:

Quod Canace, Phyllisque, & fastidita Phaonis.

Hoc das consilium? tale datur miseris.

Qui versus, quamvis Masuri rubrica notari possint, ad rem nostram faciunt maxime. Confer, Sen. Hippol. ad I. 25. ubi Phaedra mortem exoptans: *Laqueone vitam finiam, an ferro exigam?* quae ad Appul. IV. adfert Interpres. Vide & illa Chloës in Pastoral. lib. IV. Χαιρέτω· ἐγὼ δὲ οὐ ζήσομαι, ut etiam Xenophontis Cyropaed. lib. V. (ab initio fere) verba, huc spectan-

ftantia: Ἀλλὰ καὶ φυλάττευ τὼς ἐρωμένως, μή ποτε λυπήσῃς . . . . διόπερ οἶμαι, καὶ εὔχομαι μὴ αἰεί, ὡς ἄθλιος ὤν, ἀποθανεῖν. Quocirca mortem miseri hi amantes vocabant cum Theocrito, l. cit.

Ζαλὸς τοῖτο ἰῶντι τὸ φάρμακον.

A quo nec longe abest Anacreon, in Odario, quod ei tribuit Cl Bentlejus:

Ἀπὸ μοι θανεῖν γένοιτο.
Οὐ γὰρ ἂν ἄλλη
Λύσις ἐκ πόνων γένοιτο
Οὐδαμὰ τῶνδε.

Nectemus] Vulgo addunt *colli*, aut *gutturis* notionem. Auson. in Epigramm.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum.

Ovid. Remed. t. vs. 17.

Cur aliquis laqueo collum nodatus amator
A trabe sublimi triste pependit onus?

Horat. Epod. v. de Canidia:

Frustraque vincla gutturi innectes tuo.

Ita etiam Graeci. Heliodor. Aethiop. iv. ubi Virgo amans, adducto coram se rivali, *μέγα ἀνέκραγε, ... καὶ τὰς χεῖρας ὡς βρόχον ἐπαγαγοῦσα τῷ τραχήλῳ διαχειρίσασθαι ἠπείλει.* Observa & usum praepositionis AB. Maro, Aen. xii. 608. de Amata Latini regis conjuge:

Et nodum informis leti trabe nectit ab altâ.

Horat. Carm. iii. Od. 29. de Europe:

——— ——— *Potes hac ab orno*
Pendulum zona bene religata
Laedere collum.

Eadem in re particulam quoque DE usurpat Naso, Met. x. 378. de Myrrha, Cinyrae filia:

Mors placet. erigitur; laqueoque innectere fauces
Destinat, & zona summo de poste revincta
Dixit, . . . & aptabat pallenti vincula collo.

Lucanus quoque Phars. vi. *De rupe pependit.* Verum, ut Noster absolute dixit, ita quoque, in re simili, Sophocles, in Antigon. act. i. scen. i. vs. 53. ubi Ismene:

Ἔπειτα μήτηρ καὶ γυνή, διπλοῦν πάθος,
Πλεκταῖσιν ἀρτάναισι λωβᾶται βίον.

h. e.

Deinde mater eademque conjux, duplex malum,
Nexis laqueis perdidit vitam.

Miseri,] *Ego miser* &c. per *συνεκδοχήν*. Et signate dixit. *Miserum* enim id genus leti, & abominandum: quo spectant illa Servii (ad Aen. xii. 603. loc. cit.) *Nihil hac morte deformius. Cassius enim Hemina ait, Tarq. Superbum, cum cloacas populum facere coëgisset, & ob hanc injuriam multi se suspendio necarent, jussisse corpora eorum cruci affigi. Tunc primum turpe habitum est, mortem sibi consciscere.* quo loco & ex Varrone docet, *Suspendiosis justa fieri jus non esse*, &c. Eidem phrasi Virgilianae institit, praeter alios, etiam inter Ecclesiasticos Scriptores Juvencus Poëta, Euang. Hist. lib. iv. vs. 634.

Exorsusque suas laqueo sibi sumere poenas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Saeva illa *Suspendia* autem maxime meditabantur Zelotypia laborantes, & Invidi, quod, genus hominum plane *miserrimum*: unde lepidum illud Martialis Epigramma, lib. i. 96. in Proculum: quod vide.

88. Illa ilice.] *Δεικτικῶς.* sub qua nempe *cum puero primum Phyllida suam conspexerat.* Sub *arboribus* frequenter convenisse Amantes, jam superius docui: & *arbores Amore* quodammodo *consecratas*: non è Pastoralibus tantum fabulis, verum omni ex Antiquitate constat; ex prisca nempe simplicitate; cum plerumque sub dio agerent. Unde illud Horatii, Epod. ii. 23. de rustico:

Libet jacere, modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.

Ilicem fortasse dixit cum judicio. Et sane *Ilex*, (quae ex *Quercuum* genere) duritiei symbolum esse docent Hieroglyphici, nec non Alciati Emblema ccv. Quo accedit, quod *Quercum olea implicitam ac circumvolutam Irae reconciliatae signum* fuisse, dixerit Pierius lib. li. §. 11. Imo *arboris ipsorum Amantium esse σύμβολα* notum, vel ex ejusdem Alciati Emblem. ccvii. ubi de Buxo arbore:

Deliciis apta est teneris & amantibus arbor:
Pallor inest illi; pallet & omnis amans.

Quanta tamen, prae caeteris, *Quercus* reverentia fuerit usque quaque gentium, elegantissimo dixit Epigrammate Zonas, Antholog. i. cap. 20 §. 7.

Τηλόθι δ' ἴσχε δρυὸς πέλεκυν· κοινοὶ γὰρ ἔλεξαν
Ἀμὶν ὡς πρότεραι ματέρες ἐντὶ δρύες.

88. Quae primum nostros violavit amores.] Pathetice. neque enim *arbor fidem violaverat*, sed *amica*. VIOLARE, vox propria: cum amor mutuus res sacra sit, quam *violare* summum nefas. Devotione ergo quadam Tibullus, i. Eleg. 3.

Illic sit quicunque meos violavit amores.

Neque aliter fere lib. eodem Eleg. 10. 19.

Divitiis captus si quis violavit amorem,
Asperaque est illi, difficilisque Venus.

Neque longe abest Petronius, Satyric. lxxix. *fidem scelere violâsti.* Confer Heroïdum Epistolas variis locis: praesertim illam Oenones ad Paridem vs. 25. ubi fere similis querela de *populo arbore*, quae mutui amoris conscia notas sibi, de more Amantium, haberet inscriptas. Hinc graphi-

phice (ùt folet) Poëtarum maximus, Aen. IV. 27. ubi Dido:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, ...
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo!

Eadem quoque forma Prudentius de casto conjugii amore, lib. II. in Symmach. vs. 225.

Quem vos lascivis violatis amoribus ignem.

Cur non fine judicio *violandi* verbum ad esum columbae, amoris symbolo, usurpavit Martialis Epigr. 66.

Ne violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita si Cnidiae sunt tibi sacra deae.

Quo sensu, quamvis εἰρωνικῶς, de Aegyptiorum Sacris Satyricus XIV. 9.

Porrum & caepe nefas violare, ac frangere morsu.

Vides verbum usurpari, respectu rerum sacrarum. Unde signate *templi violator* apud Nasonem. Ita enim passim Auctores, praesertim Ecclesiastici, Sulp. Severus, Hist Eccles. Lactantius, alii. Ad rem vero nostram pertinet illud Aeliani de Daphnide pastore, lib. x. cap. 18. qui *οἰνωθεὶς ἔλυσε τὴν ὁμολογίαν, καὶ ἐπλησίασε τῇ Κόρῃ*, i. e. *vino inebriatus fidem violavit.* &c. proprie, *dissolvit.* Rectius *violo* tamen Graecis est *βιάζομαι*, à *βία*, ut Latinis à *vis*: notante Cl. Vossio in Etymolog. L. L. AMORES, Recte dixit num. pl. respectu *graduum*, quos in *Amore* observant Vett. Hos τοῦ Ἔρωτος βαθμοὺς eleganter depinxit Lucianus in Amorib. Οὐ γὰρ ἀπέχρη τὸ θεωρεῖν ἐρώμενον, &c. *Neque enim satis est aspicere quod amas, neque ex adverso sedentem & loquentem audire, sed perinde atque scalis quibusdam Voluptatis compactis Amor primum visus gradum habet, ut aspiciat amatum; deinde ubi aspexerit, cupit adductum contingere.* & seqq. Quae prolixiora sunt. Elegantius Graeca sonant: Ὥσπερ τινὸς κλίμακα συμπηξάμενος Ἔρως αὐτὸς ἔχει βαθμοὺς ὄψεως. &c. Noti sunt versus Horatiani, Carm. I. Od. 13. quibus *oscula* depraedicat, *quae Venus*

Quinta parte sui nectaris imbuit.

Sane, *quinque* vulgo *amoris gradûs* statuerunt Antiqui; de quibus prolixe agunt Interpretes ad Terent. Eunuch. IV. 2. de *extrema amoris linea*: quae Metaphorica est locutio. Sed vide praesertim quae hic habeat elegantissimus Farnabius; rem ipsam ex Achille Tatio de Leucipp. Amor. lib. I. Euripide in Hippolyt. adamato, ac Sophocle, exemplis illustrans. Huc ergo spectat illud Veteris Poëtae in Antholog. Gr. lib. VII.

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρὶς ὄλβιος ὅστις ἀκούει·
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

Cui confine illud *Mars videt hanc visamque cupit*, &c. Hos quoque *amoris gradus* mire depinxit Longus in Daphnide, &c. lib. II. Καὶ ἰδόντες ἀλλήλους, ἅμα μεσημβρίᾳ κατεδήλωσαν· Τὸ μὲν οὖν φίλημα ἐς ὄψιν, καὶ ἡ περιβολὴ τῶν χειρῶν ἠκολούθησε· τὸ δὲ τρίτον φάρμακον ἐγεγόνει. Similia habet Heliodorus, in Aethiopicis, qui castissimis verbis (ùt solet) Theagenis amores denarrans, à principio fere libri IV. Ἡ γὰρ τῶν ἐρωτικῶν ἀντίληψις ὑπομνήσεις τῶν πάθους γίνεται, καὶ ἀνεφλέγη τὸν λογισμὸν ἡ θέα, καθάπερ ὕλη πυρὶ γεγονυῖα. Cui conferas Eustathium in Ismene, lib. V. de finem, nec non Achill. Tatium lib. V. & graviter ea de re differentem Xenophonta, Cyropaed. V. à principio fere, ùt & Plutarchum variis locis, & quos non Veterum? Certe decorum illud observat Musaeus in suavissimo illo de Herûs ac Leandri amoribus Poëmatio, vs. 94. & seqq.

Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.

Omnes ergo amorum blanditias & accessiones (praeter συνουσίαν) quas conturbaverat jam Phyllis, intelligit

AMORES] Praeterea num. Plur. dixit, ad demonstrandam summam amoris sui vehementiam, qua *arseras in Phyllide*, atque etiamnum ardebat; non absimilis huic Pastori, quem P. Porcus Licinius in Fragm. Vett. inducit, ita de se querentem:

Custodes ovium, teneraeque propaginis agnûm,
Quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? ignis homo est.
Si digitu attigero, incendam sylvam simul omnem.
Omne pecus flamma est; omnia, quae video!

89. HI TAMEN ANTE MALA FIGENTUR IN ARBORE VERSUS] Ex more pereuntium Amantium qui, inter novissima verba, sibi ipsis ἐπιτάφιον relinquere solent. Ita Dido, Epist. VII. ad finem:

Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit.
Praebuit Aeneas & causam mortis, & ensem;
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

Neque alio more Phyllis, Epist. II. vs. 145.

Inscribêre meo causa invidiosa sepulcro!
Aut hoc, aut simili carmine notus eris:
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem:
Ille meis causam praebuit: ipsa manum.

Ita infelix ille Amator, antequam laqueo collum elisurus esset, apud Theocritum, Eidyll. XXIII. vs. 46.

Γράψον καὶ τόδε γράμμα, τὸ σοῖς τοίχοισι χαράξω.
Τοῦτον Ἔρως ἔκτεινεν, ὁδοιπόρε· μὴ παροδεύσῃς,
Ἀλλὰ στὰς, τόδε λέξον· Ἀπηνέα εἶχεν ἑταῖρον.

AN-

89. ANTE] i.e. *antequam moriar.* πρὶν ἀποθανεῖν. Ea fere forma Damon, apud Maronem in Pharmaceutr. vf. 20.

——— ——— Indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, & divos (quamvis nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.

MALA] *Infausta, infelici.* alludit forte ad Livii verba quamvis in re aliâ, Hist. I. 26. *Infelici arbore reste suspendito.* Sic *arborem* execratur Horatius, Carm. II. Od. 13.

Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis!

Ubi Interpres: *triste, i. e. ominosum.* Vel ad *scaevam* respexit *fortunam*, quae signate *mala*: Vel *mala*, quod sub illa primum Rivalem cum Phyllide conspexerat. ad zelotypiam ergo pertinet, quemadmodum usurpat Naso, Metam. VII. 745. de Procri:

Insidiosa, malo cum conjuge, limina fugit.

ubi *malo* notat *zelotypo*, qui tentatum advenerat. Vide quae de *Arbore* habeat Servius ad Eclog. VIII. Maronis, vf. 37. (ad quam & Melus senior, & Pelia uxor se laqueo suspenderant, ob desiderium amissi Adonis) huc quodammodo facientia. FIGENTUR *Incidentur.* Eodem verbo, Boëthius de Consol. V. Metr. 4.

Ut quondam celeri stylo
Mos est aequore paginae
Pressas figere literas.

Quo loco ad morem punctis, sive Siglis, stylo scribendi, allusit, suo aevo, imo prius Vett. usitatum: de quibus Siglis, etiam intelligit (de ejusmodi Notario, seu Ταχυγράφῳ loquens) Ausonius, Epigr. CXLVI.

Cui multa fandi copia,
Punctis peracta singulis,
Ut una vox absolvitur.

Quem scribendi morem feliciter expressit Prudentius in Cassiano Martyre, Hymn. IX. dicens:

Raptimque punctis dicta praepetibus sequi.

Sed Eclogam primam vide, ad illud: *properanti falce notavit*, vf. 21. Sed respexisse potius ad Donaria, & ἀναθήματα videtur, quae affigi postibus moris erat in Deorum templis: quemadmodum & *figere dona* simpliciter, vel *figere tholis*, aut *tabellas figere votivas*, dicebant. Sic *figere arma*, pro *consecrare*, Aeneid. I. 252. Apprime vero ad hanc loquendi formam facit illud, Aen. III. 287. ubi Aeneas de Abantis *clypeo*, tanquam *dono quodam votivo:*

Postibus adversis figo, & rem carmine signo.

ad quem loc. bene Servius: *proprie. figi enim dona dicuntur: ut, sacra ad fastigia fixit.* &c. Vide & Aen. XII. 768. de Fauni oleastro, ad quem *figere dona solebant.* Tragicum ergo vox ea inducit Schema; dum, jam moriturus, Arbori novissima verba consecrat, quasi dixerit: *Extremum hoc munus morientis habeto.*

91. PHYLLIDA MOPSUS AMAT, LYCIDAS HABET ULTIMA RERUM.] Legit Cl. Barthius: *Phyllida Mopsus habet, Lycidas amat ult. rerum.* Recte, ut videlicet major appareat Amantis desperatio. *Habere*, pro *possidere* (quod Graeci dicunt ἔχειν) vox est in amore propria. Ita Terent. Andr. I. 1. 58. ubi Simo:

——— ——— Rogitabam, Heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit?

Idem plenius dixit ibid. act. I. scen. 5. 38. *pro uxore habere:* ut & Heautont. I. 1. 46.

Ejus filiam ille amare coepit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet.

Neque aliter Plautus *habendi* verbum usurpat; Ita in Aululariâ.

Ego, quia sum tangere ausus, haud causificor; quin eam
Ego habeam potissimum.

Eadem phrasi etiam Lucianus, in Dialog. Meretr. ubi de Demophanto, postquam rivalem expulisset: καὶ νῦν, πάλαι δὲ δὶς, μόνος ἔχει (ἐμὲ) ὀκτὼ ὅλους μῆνας. Quin etiam in amore casto locum habet: unde Donatus ad Terent. *Haberi uxor dicitur.* Unde Sueton. Vespas. cap. III. *Caenidem libertam, dilectam quondam sibi, habuit, etiam Imperator, paene justae uxoris loco.* Est itaque & verbum conjugale, atque in Sponsaliorum ritibus usurpatum: quo sensu Comicus: *Valeas, habeas illam, quae placet.* Huc spectant illa Appuleji Milef. VI. de Cupidine: *Puellam elegit, teneat* i. e. *habeat*: ut recte explicat Pricaeus; ubi etiam Aurorae, quamvis iratae, verba ad Cephalum citat, Metam. VII. 713.

Procrin habe, dixit. &c.

Quocirca apposite Dido, apud Maronem, Aen. IV. de Sichaeo, jam defuncto:

Ille meos primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, servetque sepulcro!

Nota absolute etiam dictum: *Captus est, habet!* de qua formula vide Interpretes ad Terentii Andr. I. 1. Sed hujus loci magis est illud Theocriti, Eidyll. XIV. 42. ubi de Rivali infelix amator:

Ἁ δὲ Λύκῳ νῦν παῖς, Λύκῳ καὶ νυκτὸς ἀνῷκται. h. e.

Illa nunc Lyci tota est: Lyco etiam nocte patet:

Quod imitatus fuisse videtur Naso, Metam. XIV. 134. ubi Sibylla Cumaea:

Si mea virginitas Phoebo patuisset amanti.

AMAT ULTIMA RERUM.] Mortem amplectitur,

tur, mori praeoptat. Sic Propert. ıı. Eleg. ıı. vſ. ultimo:

Quod ſi forte aliqua nobis mutabere culpa,
Veſtibulum jaceam mortuus ante tuum.

A quo non abludit Theocriti Caprarius Eidyll. ııı. ad finem:

Ἀλγέω τὰν κεφαλάν· τὶν δ' οὐ μέλει· οὐκέτ' ἀείδω·
Κεισεῦμαι δὲ πεσών, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδοντι.

Nimirum, ut virgo *morte ſuâ exultet*; q. d. cum Iphi ad Anaxaretem: *Vincis, iô, moriorque libens*, &c. ULTIMA. Sic *mortem* vocabant Vett. *τὰ ἔσχατα τῶν ἀγωνισμάτων*. Horat. ı. Epiſt. ı6.

——— ——— Mors ultima linea rerum eſt.

i. e. *τὸ πέρας, extremus rerum terminus*; Ita & Cicero: *omnium rerum mors eſt extremum.* Recte itaque Naſo, Metam. ııı. 135

——— ——— Scilicet ultima ſemper
Exſpectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.

ubi *tria* vides *συνώνυμα*, in praeſtantiſſimâ *γνώμη*, quam ex Solonis ad Croeſum verbis expreſſit, quae copioſe refert Herodot. ı. 32. neque ineleganter imitatus eſt Auſonius, in Sapientib. ubi Solonem inducit. Saepius ergo Poëtae hoc more, quem locum vide. Quin & *ultima* vel *extrema pati* notae ſunt Hiſtoricis, Curtio, Tacito, aliiſque phraſes, pro *mortem*, vel *extrema pericula*, ſubire. Qua forma etiam dixit Silius Ital. Punicor. vı. *Mors ultima poena eſt.* Conjunxit hinc Maro, Aen. ıı. 446. *Quando ultima cernunt Extrema jam morte.* Sed hic ſi velis, aureas excute Philoſophorum ſententias; qui locum hunc uberrimum magnifice tractarunt. Graviſſime tamen diſputarunt etiam ſaniores Ethnici, contra eos, qui ſibi ipſis mortem conſciſcerent; inter quos Plutarchus, & Epictetus: contra, quam docet Stoïcorum Schola. Recte hinc P. Syrus, in Mimijamb.

Mori neceſſe eſt, ſed non quoties volueris.

Obſerva porro, evitandi mali ominis cauſa, Veteres *τὰ ἔσχατα, extrema*, potius dixiſſe, quam *mortem*; quam vocem etiam, ſi forte occurreret, *εὐφημισμῶς* fere efferebant: quemadmodum Laodamia ad Proteſilaum, Epiſt. xııı. per circumlocutionem, ut omen averteret, inquit:

Sive (quod, heu, timeo) ſive ſuperſtes eris!

Sed obſervarunt jam Viri Literati.

90. CREDERE, PASTORES, LEVIBUS NOLITE PUELLIS] Egregia *ὑποθήκης*, quae & formam ſententiae habet. Eadem admonitione claudit Propertius in Cynthia, Eleg. ı5.

His ego nunc pereo, ſimiles moniturus amantes.
Ah! nullis tutum credere blanditiis!

Sed de hac materie videſis ad verſ. 10. ubi Iolas:

Mobilior ventis, ô femina!

LEVIBUS PUELLIS] Peculiaris illa vox in feminas. Propertius itidem, lib. ıı. Eleg. 17. ad Cynthiam:

Tam te formoſam non pudet eſſe levem!

Omnino confer ejuſdem lib. ıı. Eleg. 7. quae tota eſt in hoc argumento. Hinc merito Accius, Poëta Vetus, in Fragm.

Melius, quam viri, callent mulieres.

92. NUNC, AGE, SI QUICQUAM MISERIS SUCCURRIS, IOLA!] Nunc age, ſi vel minimum velis auxiliari miſero amanti! *ἄγε* eſt querentis deprecatorem. Iolas enim promiſerat vſ. 39. ſe Internuncium ac *μεσίτην* fore. Similis eſt Plauti locus Aſinar. ııı. 3. *Age, mi Leonida! obſecro, fer amanti hero ſalutem.*

SI QUICQUAM] Formula videtur; qua, inter reliquos, utitur & Naſo, Triſt. ııı. Eleg. 4.

Uſibus edocto ſi quicquam credis amico.

MISERIS SUCCURRIS] Imitatio Virgilii, Aen. ı. 634. ubi Dido:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Nec non Martialis, lib. xıı. Epigr. 49.

Succurras miſero, precor, furori.

Quin & amantibus vox uſitata. Ita enim Hermione ad Oreſten, Epiſt. vııı. vſ. 29.

Vir, precor, uxori, frater ſuccurre ſorori.

Phraſin hanc plenius expoſuit Horatius, de Art. Poëti. vſ 459.

Si, veluti merulis intentus, decidit auceps
In puteum foveamve, licet, Succurrite, longum
Clamet, iô, cives! non ſit qui tollere curet?
Si curet quis opem ferre, & demittere funem.

Appoſite: *Succurrimus* enim vel jam delapſis, vel jam nunc caſuris: quod Graeci eleganter ὑπο- vel ἀντιλαμβάνεσθαι dicunt: quomodo Latini explicant per *ſubvenire.* Quae vox & Comicis frequentata. Ita Terentius, Adelph. ıı. ı.

Obſecro, populares, ferte miſero atque innocenti, auxilium
Subvenite inopi.

Quin etiam Ciceroni uſitata. Vide Epiſtol. Famil. lib. xvı. Epiſt. 2. & paſſim.

93. PERFER; ET EXORA MODULATO PHYLLIDA CANTU.] *Perferendi* vox ad Internuncios pertinet. *Perferimus* enim mandata, tabellas, epiſtolas &c. Canace, Epiſt. xı. ad fratrem:

Tu, rogo, projectae nimium mandata ſororis
Perfer. &c.

Cicero, Epiſt. Famil. xıv. 4. *Nunc miſer quando tuas jam literas accipiam? quis ad me perferet?* ſic lib. xıı. Epiſt. ıı. atque paſſim. Uſus & ea voce eſt Horatius, ı. Epiſt. 13. jocoſe tamen al-

alludens ad nomen Asellae:

Abjicito potius quam quo perferre juberis Clitellas, &c.

Bene itaque Poëta, Aen. IX. 692.

——— *Turno perfertur nuncius, hostem*
Fervere caede nova:

ubi doctissimus Interpres: *Nuncius. Et qui nuntiat dicitur, & qui nunciatur.* Priori ergo sensu Statius, Theb. II. *Nuncius acta feram:* ubi *ferendi* verbum observa in re eadem. Sic Propert. II. Eleg. 18. 54.

——— ——— *Dat munera servo,*
Ut promissa suae verba ferat dominae.

In re amatoria aptissime usus est Naso, Met IX. 570. ubi Byblis literas tradit;

Et, paulum blandita, Fer has, fidissime, nostro,
Dixit, & adjecit longo post tempore, fratri.

Minus ergo recte, *Praefer:* ut Rom habet Editio, vel *profer*, ut aliae Edd. monente accuratissimo Jano Vlitio, in Var. Lect. ET EXORA. Proprie. respicit enim ad Eclogae titulum, quae inscribitur. EXORATIO. Sic *Puellam exoravit*, Petron. CXL. sensu tamen nequiore, quam Noster. Castum vero hic & simplex notat desiderium: quo modo Cicero, Epist. Famil. XVI. 21. *Sum totos dies cum eo, noctisque saepenumero partem: exoro enim, ut mecum quam saepissime coenet.* ubi Interpres: *Exorare aliquem i. e. orando movere; ut, Hic mihi exorandus est*, Andr. I. I. vs. 140 &c. Imo & ad religionem pertinet; ut in illo Maronis, Aen. III. 370.

Hic Helenus, caesis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittasque resolvit. &c.

ad quem loc. notanda sunt doctissimi Grammatici verba: *Orare est petere, exorare, impetrare. Ergo impetrat pacem, aut ad inquirendum tempus, aut ad mitigandum periculum.* Quae expositio ad rem nostram facit: puellam enim gravissime laeserat. Id ergo vult: *Orator ad eam venius, exorator redeas:* qua forma fere loquitur Afer ille Comicus in Hecyrae Prologo I. vs. I. 2. nec non Plautus, Rud. IV. 6. *Tua filia, facite, oret! facile exorabit.*

MODULATO CANTU] Quid si, *meditate?* dixerat enim Lycidas, vs. 40.

Jam dudum meditor, quo Phyllida carmine placem.

Sane *meditari carmina*, nota est phrasis. Et alludit forte ad *concepta verba* quibus Sacerdotes & Augures orantibus praeibant. Potest tamen *τὸ Modulato* stare, & probum est. Ita Gellius in N. A. *modulata lingua*, i. e. bene composito sermone. Sic in Epigr Graeco:

——— ——— Γλῶσσα σὺν μέτρῳ ἰᾶσα.

Quinctilianus itidem passive: *modulata voce.* Usum vocis ostendit Ausonius, Epist. XXV. 25. de aere Dodonaeo:

In numerum quoties, radiis ferientibus ictae,
Respondent dociles modulato verbere pelves:

(i. e. *pulsu ad modulos & numerum incusso*) ubi prius fuerat in Edd. *moderato.* Hinc & Noster, carmen vocat *modulabile* (quamvis voce sequioris aevi) Ecl. IV. 63.

——— *Hyblaea modulabile carmen avena.*

Inde etiam *moduli* vox, apud Appulej. Milef. lib. XI. ubi, in Serapis Aegyptiaci pompa, *Tibicines. . . . . familiarem templi Deique modulum frequentabant* & paulo ante. *Sequebatur chorus, carmen venustum iterantes, quod Camoenarum favore solers poëta modulatus, edixerat.* Sed ad rem hanc maxime facit A. Gellius, V. I. *Modulis verborum, & quibusdam quasi frequentamentis orationis Auditores moventur.* Quod doctissimus Interpres ad h. l. intulit. Juxta Servium ad Eclog. V. 15. *Modulari est, secundum rythmum componere.*

94. IPSE PROCUL STABO, VEL ACUTA CARICE TECTUS.] Dicit hoc, vel, ut *zelotypiae* affectum demonstret; vel, ne partes suas segnius Orator sustineat; vel ex amoris impatientiâ.

ACUTA CARICE] Eodem epitheto Virg. Georg. II. 231.

Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta:

CAREX,] Graecis ὀξὺς juxta Plinium, *est junci genus acuti & durissimi, simile sparto, non asparago, ut perperam in Lexicis, sub Calepini nomine, habetur*, teste Hadr. Junio in Nomencl. Rei Herb. Unde & eidem signate *juncus acutus* dicitur: quam ob rem etiam Graecis ξίφιον quandoque vocatur. Ab antiquo verbo *Caro* (seu *caren*) quod Graecis notat κείρειν, vel ξαίνειν, *Caricis* vocem derivat doctissimus Becmannus, Orig. L. L. vel ab Hebr. קרח; quod idem significare adnotat. Eadem fere habet Cl Vossius, Etymol. L. L. *Carex, herba acuta & durissima, sparto similis; ut Isidorus ait*, XVII. 9. *A caree videtur esse, non quia viribus caret, sed quia ob acumen & duritiem idonea esset ad carendum h. e. carpendum & abradendum. A qua carendi notione & carduum dici ante ostendimus.* Unde apud Plaut. (Manaechm V. II.) est *lanam carere*, h. e. *carminare*; quod Varro de L L VI. exponit *lanam carmine purgare.* Cum judicio itaque *sub carice latentem* inducit, cum vox ea ad pastores fere pertineat: qui ut Varro, R. R. II. 10. *Callium difficultatem, ac montium arduitatem atque asperitatem ferunt; quod patiundum est illis, qui greges sequuntur, praesertim armentarii, ac caprarii, quibus rupes ac sylvae ob pabulum cordi.* Hinc etiam illud pastoris convicium in Damoetam, Eclog. III. 20.

——— ——— *Tu post carecta latebas.*

Carectum enim locus est *carice* abundans. Sed ad rem magis facit Salmacis apud Nasonem, Metam. IV. 339. quae amore capta puerum speculabatur,

——— ——— *Fruticumque recondita sylva*
Delituit, flexumque genu summisit.

Sic, apud Longum, Pastor. III. Lycaenium Daphnidem, quem deperibat, solum nacta, *εἴς τινα λόχμην ἐγκρύψασα ἑαυτὴν, ὡς μὴ βλέποιτο, πάντα ἤκουσεν, ὅσα εἶπον· πάντα εἶδεν, ὅσα ἔπραξαν.* Vide lib. I. de pastore, cui nomen Dorco: *περὶ αὐτὴν (πηγὴν) πᾶς ὁ τόπος ἀκάνθαις, καὶ βάτοις, καὶ ἀρκεύθῳ ταπεινῇ, καὶ σκολύμοις ἠγρίωτο. ἐνταῦθα κρύψας ἑαυτὸν ἐπετήρει τοῦ ποτοῦ τὴν ὥραν.*

95. VEL PROPIUS LATITANS VICINA (UT SAEPE) SUA ARA.] Otiosa videtur illa *παρένθεσις*, *ut saepe*; nisi concipias, Lycidam saepius conspiciendi gratia delituisse prope aram gramineam, in qua Agricolae in festis Compitalibus, Terminalibus, aliisque, diis agrestibus facere; & circa quam (capra Fauno, vel Pani, immolata) choreas simul cum puellis agere solerent. Sed, cum longe petitum videatur, rectius legit cultissimus Vlitius, *Vicinâ sepe sub aram.* i. e. latitans post septum arae, vel fani Fauno dicati, ad quod fortasse deducturus esset Phyllida Orator, ut reconciliati amoris testem adhiberet, denm. quemadmodum plus semel *Panos ara* ac delubrum in Pastoralibus occurrit. Nempe, juxta illud Symmachi, Epist. 43. lib. V. *Commendatur religione* (de Amantium deliramentis loquitur) *quicquid culpari possit examine.* Ita ad *aram* Hecates umbroso nemore obtectam Jasonem adducit, sacramento eum adactura in matrimonium, apud Nasonem Metam. VII. fab. I. 74--94. quod schema ex Apollonii Rhodii Argonaut. lib. III. à vs. 944. ad 1146. adornasse Poetam recte observant Viri docti: ubi & plura ad rem nostram facientia reperias.

SEPEM ergo intellige *naturalem*, *seu vivam*, *non structilem*: ut *το Carex* oppositum suum ex decoro habeat. Sic de horto. Columell. X.

——— ——— *Sepibus hirtis*
Claudatur, ne sit pecori, neu pervia furi.

De ejusmodi *sepibus* intelligit Maro, Georg II. 371.

Texendae sepes etiam, & pecus omne tenendum est

atque, Eclog. I. 54.

——— ——— *Vicino ab limite sepes.*

Imo & *sepes* absolute idem posuit pro horto, Eclog. VIII. 37.

Sepibus in nostris vidi te. &c.

Vide, si res tanti sit, de ejusmodi Vett. *sepimentis*, Varronem, R. R. I. 14. ubi, de quatuor eorum differentiis agens, *naturale sepimentum vocat, quod obseri solet virgultis aut spinis, quod habet radices vivas sepis.* Unde proprie admodum Anonius Poëta dixit: *Spinosa in sepe latere.* Rectius hinc intellexeris fortasse rem in horto quodam gerendam esse, utpote in quo etiam *arae* Diis Laribus sacratae fuerunt; ut ad Eclogam II. vs. 66. jam dixi.

SUB ARAM] i. e. *prope.* *Sub* enim tam motus quam quietis constructione quartum casum admittere, jam supra dictum. Quin & *post* notat: monente A. Schoro de Phras. L. L. aliisque Grammaticae rei Magistris.

ARAM] Intelligit *gramineam*, vel de *cespite factam.* Neque enim ad quamvis aram victimae adferebantur, verum eas prece *venerari* sufficiebat, docente Servio, ad Aen. III. de qua *veneratione* (quae sine sacrificiorum apparatu simplicem ac subitam quandam religionem denotat) vide Cl. Virum P. Burmannum, ad Petron. cap. LXX. Hinc *Arae* ergo, quasi *ἀραί* preces, sive etiam imprecatio: vel *ἀρὰ*, *supplicatio.* Vide Isidor. Orig. VI. 3. & Cl. Vossium Etymol. L. L. Sunt, qui ab *ardendo aram* dictam esse volunt ob sacrificiorum ignes; vel ab *αἴρω*, tollo, quod in altum tollereutur, unde *altaria* vocantur. Varroni tamen *Ara* est quasi *asa*, ab *ansa*; eo quod precantes *aram tangerent*, vel *tenerent*, juxta Plaut. Rud V. 2. 46. 49. nec non Macrob. Saturn. III. 2. Servium ad Aen. IV. 219. Cicer. pro Flacco aliosque: quod etiam observat Brissonius de Formul. multique VV. CLL.

96. IAIMUS; ET VENIET, NISI ME PRAESAGIA FALLUNT.] Conditionem recipientis verba sunt. Simili forma Horat. Carm. Od. 17. quamvis in re non pari:

——— ——— *Non ego perfidum*
Dixi sacramentum; ibimus, ibimus!

Et *ἐνέργειαν* habet num. pluralis: ut in illo Herculis ad Hylam (in Val. Flacci Argon. V. 51.) *Ibimus, inquit; Care puer!* Nempe *τὸ ire* vox Oratorum ac Legatorum propria. Ita Aeneas (apud Maronem lib. VII 154.)

——— ——— *Delectos ordine ab omni*
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire jubet, &c.

Hinc frequens formula ad ejusmodi deprecatores, *I pede fausto*, *omine dextro.* &c. Imo & vox est ad religionem pertinens, Aen. I. 483.

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis. &c.

deprecaturae scilicet iram Minervae.

ET VENIET.] Ita legendum; non *Venies.* Respi-

ſpicit enim ad Amicam. Verbo itaque uſus eſt proprio. Sic in re ſimili paſtor in Pharmaceutriâ:

Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis

Vox illa Propertio uſitata: ut lib II. Eleg. II. 20.

Sic hodie veniet, ſi qua negavit heri.

Ita etiam Noſter, Eclog. II.

Si venias Crotale, totus tibi ſerviet hortus.

Neque aliter Graeci. Theocrit. Eidyll. XXVII. ubi Daphnis ad puellam, vſ. 12.

Δεῦρ' ὑπὸ τὰς κοτίνως &c.

& 14.

Δεῦρ' ὑπὸ τὰς πτελέας.

vide ejuſdem Eidyll. v. 55. Confer prae reliquis, Naſonis muſam Metam. III. fab. v. ubi Narciſſo reſpondentem induxit Echô:

Voce, Veni, magna clamat: vocat illa vocantem.

ad quem locum doctus Interpres: *Mirum poëtae artificium! attende verba, Adeſt, Veni, Coëamus,* &c. Huc ſpectant & Cephali verba, quaſi ad amicam, Met. VII. 838.

Aura veni, dixi, noſtroque medere dolori!

Hinc ſenſu nequiore uſurpat Catullus, Carm. XXVII.

Amabo, mea dulcis Hypſithilla,
Meae deliciae, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.

Quemadmodum & Naſo, Amor. I. Eleg. 5. *Ecce, Corinna venit.* & Appulejus ipſe (Mileſ. II) de Fotide ancillâ:

Cras prima face ad te veniam.

Sed Noſter non niſi, ſenſu caſto.

NISI ME PRAESAGIA FALLUNT.] Nota formula. Ovid. in peroratione Metamorphoſeωn:

Si quid habent veri vatum praeſagia.

Quod huic Poëtae familiare Ita Triſt. IV. Eleg. 10 129.

Si quid habent igitur vatum praeſagia veri.

Simili more Venus, ſpecie venatricis, Aen. I. 396.

Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.

Similia ſunt, *ſi quid mens augurat, Ni fallimur omine; Si mens vera ſibi praedicit:* ut in Vett. Fragm. L. Calvus.

97. NAM BONUS A DEXTRA FECIT MIHI TITYRUS OMEN.] Videtur è longinquo proſpexiſſe Tityrum, una cum juvenca, adventantem. *Bonum* ergo *Tityrum* dixit, quod felix referret omen. Latiſſima hujus vocis ſignificatio (ut Graecorum *ἀγαθὸς*) nam vox eſt *πολύσημος*. Vide de ea Cl. Voſſii Etymol. L. L. qui Antiquos dixiſſe etiam *bonus* & *duonus*, pro *bonus*, vel ex Fragmento Carminis Saliaris, obſervat. Sed veriſimile videtur Etymon ab Aeolico *ϝόνος*, docente Eodem; *bonus* enim eſt, *qui juvat, prodeſt, utilitatem adfert*: quo & Graecorum ſpectat *χρηστὸς*, unde Deorum vulgare eſt epithethon *θεοὶ χρηστοὶ, ἀγαθοί*. Hinc luſus ille Auſonii in *Χρηστὸν* & *Ἀχρηστον fratres*, qui ambo, mali erant, non *boni*, Epigr. XL. & XLI. ut & ejuſdem in Silvium quendam cognomento *Bonum*, Epigr. CIX. & ſeqq. *Bonus* itaque hic in Tityrum recte quadrat, ut qui prodeſſet. Certe eo nomine Virgilio Aeneas dicitur *bonus*, Aen. v. 770. nec non Aen. XI. 106. ad quem poſteriòrem locum Servius: *bonus dicitur, à quo quid facile impetratur.* Sic Aen. I. 199. *bonus Aceſtes*: quomodo & Ennius, atque ex eo Lucretius, dixit, *bonus Ancus.* Vel per *ὑπαλλαγὴν* referri poſſit ad *τὸ omen*, ut ſit *bonum omen*: quemadmodum Maro in Pharmaceutr. vſ. 106.

Aſpice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: bonum ſit!

A DEXTRA.] *Dexter*, pro *felici* Latinis vox frequens; quomodo & *δεξιὸς* Graecis accipitur. quod etiam obſervat doctiſſimus Grammaticus ad illud Maronis, Aen. VIII. 302. de Hercule:

Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

i. e. *propitius adſis omine ſecundo.* Atque ita Poëtae ſexcentis locis. unde appoſite *dextro Hercule* i. e. favente, *ſidere dextro* & ſimilia, uſitata ſunt. Non ergo loquitur Noſter ex Augurum diſciplina: cum *ſiniſtra* certe *auſpicia* Romanis potiora fuerint quam *dextra*. Unde Cicero, de Divinat. II. *Grajis & barbaris dextera meliora* &c. Rationem dabit Varro in Fragmentt. *A Deorum ſede*, inquit, *quum in Meridiem ſpectes ad ſiniſtram ſunt partes Mundi exorientes, ad dextram Occidentes. Eò factum eſſe arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia quam dextra eſſe exiſtimentur.* Quod idem enarrans Feſtus antiquiores nonnullos, cum Cincio, aliiſque id ſenſiſſe, ait. Sed variae ſunt Vett. opiniones. Plato & Ariſtoteles Orientales eſſe *dextram*, Occidentales vero Mundi partes *ſiniſtram* eſſe dixerunt; quum nempe ab Oriente *ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως*, *initium motus eſſet*: ut obſervat Pierius, Hieroglyph. III. *Hetruſci vero vates, coeleſtium prodigiorum periti, coelum in XII. partes diviſerunt; anticam ad occaſum (quoniam omnis illuc inclinat motus,) & poſticam ad Orientem; dexteras ad Septentrionem, ſiniſtras autem ad Meridiem proclinare voluerunt*: prout Alexand. ab Alex. G. D. lib. v cap. 19. habet. Varro tamen de L. L. VI. *Coelum, ait, dictum eſſe templum; cujus Coeli partes IV. conſtituunt; ſiniſtram ab Oriente, dextram ab Occaſu, anticam ad Meridiem, poſticam ad Septentrionem*: cui quoque con-

ſentit Plinius. Uſque adeo inter Veteres non convenit de Mundi regionibus. Sed Poëtas Noſter ſequitur; quibus iam Latinis, quam Graecis, *dexterae ſignificatio felix portendit omen*; vel auctore Homero, Iliad. x. ubi Ajax:

Ζεὺς δέ σφι Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων.

ut jam viderunt Literati. Quo & alludens Catullus, Carm. XLVI. 17.

Hoc ut dixit Amor ſiniſtra, ut ante
Dextra, ſternuit approbatione.
Nunc ab auſpicio bono profecti
Mutuis animis amant, amantur.

OMEN FECIT.] *Varia* obſervâſſe *omina* Veteres, ſtultiſſimae ſuperſtitioni deditos, nemo ignorat: neque hcic recenſendi datur locus, quum paſſim in Hiſtoriis, Romanorum praeſertim, occurrant, ex quibus ſua hauſit J. Obſequens, de Prodigiis. Recte tamen *Omina* diſtinxit à *Prodigiis* Valer. Maxim. lib. cap. 5. ubi, *Ominum*, inquit, *obſervatio contactu aliquo religionum innexa eſt; quoniam non fortuito ſed divina providentia conſtare creditur.* Hinc *omina* vulgo in quinque ſpecies diſtributa; quae captari ſolebant, vel ex verbis ab inexſpectato emiſſis atque in *omen* pro captu audientiam verſis, vel ex *offenſione* cujuſdam corporis partis, vel è *vocibus* incerto auctore prolatis, vel denique ex *hominum* quorundam interventu, nec non *animalium*, etiam quadrupedum, ſive laeto, ſive, ſcaevo occurſu ut late proſequuntur Rom. Antiquitatum Antiſtites Proprie tamen *Omen*, *quod ex ore prolatum eſt*; ut Varro, de L. L. lib. v. & quaſi *oremen*, *quod fit ore*: ut Feſto placet. Sed apertius de eo Nonius Marcellus: *Omen votum eſt mentis & vocis, unde ſacrificantes dicuntur bona omina habere*: ut circumſtantes lingua & animo faveant, nihilque ore pronuncient, quod inauſpicatum ſit: quod Graeci *εὐφημίαν* vocant. Hinc & antiquis *omen* dicebatur, quaſi *oſmen*; notante Cl. Voſſiò in Etymologico. Hinc fauſta apprecantium verba etiam *omina* dicta fuiſſe conſtat ex Suetonio, Aug. cap. LVII *Revertentem*, inquit, *ex Provincia non ſolum fauſtis ominibus, ſed & modulatis carminibus proſequebantur.* Atque ita alii. Appoſite itaque Cicero (de Divin. lib. I.) *Veteres ipſaſmet hominum voces, quae omina appellabant, diligenter obſervaſſe*, ait. Hinc etiam vitandae *δυσφημίας* gratia nomina plerumque, etiam locorum, inauſpicata immutabant: quod, praeter alios, de Epidamno in Dyrrachium mutato, &c. probat Plinius, III. cap. II. & 23. Felicia porro *Omina* è verbis captata exhibet Val. Maxim. loc. cit. de Centurione Signiferum monente, *Hic optime manebimus*, quae una vox conſilium Vejos migrandi diſcuſſit (quod & habent Livius, Hiſt. v. 55. Plutarch. in Camillo cap. LI. alii) De L. Aem. Pauli Coſ. filiola, cujus vocem *Perſam* catellum, quem in deliciis habentis mortuum eſſe lugentis excepit Pater, quaſi omen devincendi Perſae Macedonum regis: quod apud eoſdem ſuis locis etiam reperias. De Aſcanii verbis ab Aenea patre loquentis ab ore exceptis vide Maron. Aen. VII. 116. Sed plena eſt omnis Antiquitas.

FECIT,] *Dare* vox propria eſt. Nam frequens eſt Poëtis, *Omina laeta dedit*: quemadmodum Petron. cap. CXXII. alii. qua elegantia etiam Prudentius, in Symmach. II. 564. quamvis *οἰωνιστικῶς*,

His tamen auſpicibus ſucceſſus dextra dederunt
Omina laetificos, & felix adfuit ales. & ſeqq.

Vide, ſi plura deſideres, Briſſon. de Formul. I. Polydor. Vergil. de Prodig. III. Sed paſſim ſunt obvia.

98. QUI REDIT INVENTA NON IRRITUS, ECCE, JUVENCA.] Recte ad *omen* pertinet, *non irritus*. *Rata* enim dicuntur *omina*, vota, preces & ſimilia: & vox eſt ex Augurum diſciplinâ. Significat hoc Cicero, de Divin. lib. I. *Quid Augur? Cur à dextra Corvus, à ſiniſtra Cornix faciat ratum?* quem locum quoque adducit Edo Neuhuſius, Sacror. Fatidic. lib. II. 33. & III. cap. 13. ubi ampliſſima *Ominum* obſervandorum occurrit ſeges. Qui ergo non impetrato augurio, rediret, *irritum reportare omen* dicebatur: quali fere forma Tibullus, II. Eleg. 3. de reſponſo Delphico:

Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit & è templis irrita turba domum.

Vim vocis interea argute his adjunctis expreſſit Catullus, in Nupt. Pel. & Thetid.

Irrita ventoſae linquens promiſſa procellae.

INVENTA JUVENCA,] In eo enim *omen* conſtabat, quod (ut ſupra dixi ad vſ. I.) *juvenca*, *μεταφορικῶς puellam* deſignaret: quae itaque à Tityro tandem reperta, occurſu ſuo felix reddere videbatur auſpicium; eodem nempe more & Phyllida poſſe ad Amantem, reconciliato amore, adduci. Ex *quadrupedum* enim *genere* ſaepe *non irrita captaſſe Omina Veteres*, plena eſt Hiſtoricorum fides. Namque (teſte Plutarcho, in Anton. cap. LXXXIV.) Caeſari Auguſto, ante pugnam Actiacam circa naves obambulanti, *quidam* occurrens, cognomento *Eutychus*, *aſinum* agens, cui nomen dederat *Niconi*, felix victoriae dedit omen. Sic Lucullo trans Euphratem *una ex juvencis*, ſeu bobus Dianae ſacris, ſeſe mactandam ſponte obtulit; unde & lactum victoriae omen arripuit; teſte eodem Plutarcho, in

in Lucull. cap. LI. Cui simile fere, quod Fl. Vespasiano, apud Sueton. in Ejus Vit. cap. V. inter caetera futuri imperii omina, obtigit, cui *bos arator, decusso jugo triclinium irrumpens, ad coenantis pedes procubuit, ac cervicem summisit*; quod explicat Xiphilinus, *τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τοὺς πόδας ἐπικύψας ὑπέθηκε.* Ad ejusmodi omina recte itaque Valerii Interpres loc. cit. *Neque omen ab ore duntaxat capitur; nam & factum pro omine saepe animadversum legimus: ut in precursu Aselli ad fontem, quem Marius pro omine sequutus est.* Ejusmodi tamen superstitiosae Antiquitatis *omina* merito rident Patres, Augustin. de Civ. Dei, II. 25 Cyprian. de Vanit. Idolatr. Minucius Felix in Octav. capp. 7. & 26. Arnobius advers Gentes, Lactantius de Orig. Error. II. 8. Clemens Alexandr. Stromat. VII. qui, Patrum doctissimus, apposite: *δεῖ γὰρ καὶ τὰ ἄλογα τῶν ζώων τρέχειν, καὶ θεῖν, καὶ μάχεσθαι, καὶ τίκτειν, καὶ ἀποθνήσκειν· ἃ δὴ ἐκείνοις ὅλα κατὰ φύσιν, οὐκ ἄν ποτε ἡμῖν γένοιτο παρὰ φύσιν.* Quae & Epicteti, Ciceronis, aliorumque sanioris scientiae Gentilium fuit sententia.

ECCE,] *Δεικτικῶς.* Et eleganter particula ea in medio ponitur sententiae: ut in illo Virgilii, Eclog. III.

——— ——— *Vel qui venit, ecce, Palaemon.*

Val. Flacc. Argon. II. 214.

——— ——— *Meritos, en, prima revertor*
Ulta tores: premit, ecce, dies.

Horat. Serm. I. 9. vs. 6.

——— ——— *Haec dum agit, ecce,*
Fuscus Aristius occurrit, mihi charus.

Ad rem Appulej. Miles. VII. *Pastores, ecce, perditam sibi requirentes, vacculam, variasque regiones peragrantes, occurrunt nobis fortuito* &c. Et cum judicio addidit: nam ex Antiquissimâ est Augurum disciplinâ. Sane *Omina vel improbare, vel rejicere, nostri est arbitrii*; notante Servio ad illud Aen. V. 531. de sagitta inter ardendum in coelum evolante:

——— *Nec maximus omen Abnuit Aeneas.* &c.

i. e. *amplexus est, & approbavit. Mactum* itaque *augurio*, sive ut loquitur Tacitus, Ann. II. 14.) *auctum omine, addicentibus auspiciis*, jubet esse Lycidam, quod cum recte exponeret Iolas *ominatorem* se praebuit, juxta Plautinum illud, Amphitr. II. 2. 90.

Cape ob istud omen, Ominator, quod decet.

F I N I S.

ERRATA IN OPERIS,

In Textu.

Pag. 75. *contra Martemque, odêre* contra, Martemque odêre. 365. *cunctisquo* cunctisque. 380. *Ambo genae.* Ambo genas.

In Notis.

67. b. QUAE. *que.* 68. b. *eurus.* aures. 176. a. *ipse bis.* ipse his. 223. CORYMBIS IMPLICITUM. Notae illi nomen BART apponi debet. 232. b. ad TIMIDOS LEPORES. similiter add. BART. 236. a. ad TENTARE itidem BART. repone. 298. *ongis.* longis.

Reliqua ipse Lector aequus facile corriget.

